Introdusă în format electronic de Google

Reproduit en format électronique de Gallica

Introdusă în format electronic de Google

Reproducere în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google

C 550.1
*

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE BEQUEST OF
JAMES WALKER
(Class of 1814)
President of Harvard College
"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"

Introdusă în format electronic de Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR ; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CLXI.

S. IVO CARNOTENSIS EPISCOPUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS; PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENERUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CLXI.

S. IVO CARNOTENSIS EPISCOPUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

Introdusă în format electronic de Google

19½11
C550.1

1878, [illegible]
[illegible]

Introdusă în format electronic de Google

SÆCULUM XII

SANCTI IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

POST JOANNIS FRONTONIS CURAS, SUPPLETIS QUÆ IN EJUS EDITIONE DESIDERABANTUR, PANORMIA VIDELICET ET EPISTOLIS NONNULLIS, PRELIS DENUO MANDANTUR NUMERIS OMNIBUS ABSOLUTA

ACCURANTE J.-P. MIGNE
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORUM

TOMUS PRIMUS

VENIT : 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1855

Introdusă în format electronic de Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXI CONTINENTUR.

D. IVO CARNOTENSIS EPISCOPUS.

	Col.
Prolegomena.	1
Decretum.	9
Panormia.	1037

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Introdusă în format electronic de Google

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia Christiana* nova, tom. VIII, col. 1126, in episcopis Carnot.)

Gaufrido et suo et summi pontificis judicio e sede Carnotena dejecto, factaque clero Carnotensi alterius subrogandi ab Urbano potestate, Ivo omnium calculis electus est. Natus is in agro Bellovacensi ex genere minime nobili, ut ipse testatur epistolis 3, 12, 22, patrem habuit Hugonem de Altoylo, si Frontoni fides, matrem vero Hilemburgim, cujus nomen inscribitur necrologio Sancti Quintini Bellovacensis IV Idus Februarii. Post humaniorum litterarum et philosophiæ studia Parisiis confecta, theologiæ operam dedit in monasterio Beccensi sub beato Lanfranco. Primum fuit canonicus Nigellensis ex Sammarthano nostro in collectaneis. Postea vocatus a Guidone Belvacensi episcopo, præficitur prælatus, seu præpositus, aut abbas canonicis regularibus Sancti Quintini, quam extra muros urbis suæ condiderat abbatiam hic episcopus. Ivo non solum huic loco quædam patrimonii sui prædia contulit, sed pro more horumce temporum in monasteriis usurpato theologiam ibi docuit, canonumque jam peritissimus quasdam constitutiones sodalibus suis dedit, unde pro canonicorum regularium institutore non immerito habetur. Collectionem quoque canonum, seu ex canonibus sanctorum compendiosum decretum tunc temporis concinnavit, quo ante Gratiani tempora utebantur juristæ : in eo Burchardum Vormatiæ episcopum ita accurate secutus, ut etiam ejus menda in suum opus transcripserit, non secus ac ipse Burchardus Reginonis. Jam multos annos in regimine transegerat Ivo, cum dejecti in locum Gaufridi, tale nihil suspicans, canonice, juxta monita summi pontificis Urbani, a clero et populo electus est, regique renitens præsentatus, a quo virgam quidem pastoralem accepit, sed non pariter consecrationem ab episcopo : nusquam enim Richerius Senonensis archipræsul, qui Gaufrido deposito favebat, diem Ivoni ad consecrationem, petentibus licet et pulsantibus clericis, præfigere voluit, de quo Ivo epist. 8 conqueritur, ubi Richerium Senonensem archiepiscopum sic alloquitur : « Aliunde me expetisse benedictionem calumniamini, veritate teste verum dicam, quia nec episcopatum, nec benedictionem episcopalem a vobis petii, nec a quoquam. Sed cum clericorum primo ingenio, postea violentia regi fuissem præsentatus, et inde cum virga pastorali a rege mihi intrusa ad ecclesiam Carnotensem adductus, cumque clericis petentibus et pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere, interea consilium mihi fuit electioni eorum non omnimode assensum præbere, donec certus fierem et de Gaufridi depositione et summi pontificis voluntate. Ad quem cum pervenissem, ad petitionem ecclesiæ Carnotensis apostolica auctoritate sum constrictus et ita in episcopum consecratus. » De hac consecratione facta forte die ipsa 23 Novembris 1090 Urbanus papa litteras ad clerum populumque Carnotensem dedit Capuæ VIII Kalendas Decemb., ut Ivonem episcopum in Gaufridi exauctorati locum reciperent, et crastina die ad Richerium Senonensem archiepiscopum, cui significat Ivonem canonice electum a se consecratum fuisse, quia ipse ei manum imponere recusaverat, rogatque ut eum benigne complectatur, eique ad Ecclesiæ suæ regimen auxilium suum largiatur. Neque tamen sic quievit Richerius. Audiamus iterum Ivonem epistola 12 : « Senonensis archiepiscopus consilio Parisiensis episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi episcopo, et duobus aliis non dissimilis vecordiæ, Meldensi et Trecassino, hoc anno Stampis de ordinatione, quam a vobis acceperam, me satis inordinate accusavit, dicens me in majestatem regiam offendisse, qui a sede apostolica consecrationem præsumpseram accepisse. Cum itaque conarentur Gaufridum depositum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, et in me depositionis sententiam proferre, sedem apostolicam appellavi, et decretis apostolicis quamvis ea non nisi in futurum timerent, a sua præsumptione revocavi, appellationem tamen nec prosequi taxaverunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt. » Hanc autem epistolam scriptam sicut et concilium Stampis habitum anno 1091 putamus, quo Ivo memoratur episcopus in veteri charta apud Sammarthanos : « Actum anno 1091, indict. XIV, regnante Philippo, in Ecclesia B. Quintini Ivone existente abbate, tunc Carnotensium præsule. » Occurrit et in charta monasterii Vindocinensis anno 1091 indictione XIV, feria sexta hebdomadæ Paschalis XIV Kalend. Maii, eo anno ordinatus, quo juxta caput ecclesiæ Vindocinensis recepit conventionem vice abbatis inter Garnaldum de Charismot et monachos. Unde jure concluditur epistolas Urbani tam ad populum clerumque Carnotensem Capuæ VIII Kal. Decemb. quam ad Richerium metropolitam VII Kal. ejusdem, anno 1090 ascribendas esse. Carnotensem episcopatum adeptus Ivo, non propterea curam cœnobii Sancti Quintini Belvacensis deposuit, renitentibus hujus ecclesiæ canonicis, ad quos scribit epistolam 17, ut alium sibi præficiant

Introdusă în format electronic de Google

abbatem, quod tandem obtinuit, ut ex epistolis 31 et 32 planum est, cum prælationem in manibus Fulconis episcopi Belvacensis omnino ejuravit.

Subscripsit anno 1092, præcepto Roberti de Belismo pro monachis Majoris Monasterii. Eodem anno Philippi regis odio, qui in legitimum Berthæ uxoris thalamum Bertradam Fulconis comitis Andegav. uxorem, nonnullis Galliæ præsulibus patrocinantibus etiam ac fœde conniventibus, superinduxerat, vir iste justi tenax, et tantum flagitium dissimulare non valens, diris modis fatigatus est, maxime ab Hugone Puiseti domino, qui eum pene per annum in carcere clausum, persæpe etiam absque pane retinuit, magna animi firmitate et constantia pellici depravatæ, et regis concupiscentiæ sese opponentem. De hoc contubernio et ira regis his expostulat Ivo verbis epistola 22, ad eumdem Philippum : « Quoniam, » inquit, « præcedente divina gratia de stercore pauper usque ad solium principum per manum vestram elevatus sum, fateor me post Deum pro posse meo cuncta vobis debere quæ vestro congruunt honori et saluti ; sed quia exasperatus propter salubres monitus, quos serenitati vestræ ex summa fidelitate et charitate direxi, me diffiduciastis, et bona episcopalis domus diripienda adversariis nostris exposuistis, gravia et grandia inde perpessus incommoda, regali curiæ ad præsens nec secure possum interesse, nec honeste. Supplico itaque majestati vestræ ut regia interim me mansuetudine supportetis, donec possim aliquantulum respirare et damna, quæ mihi pene usque ad penuriam panis inflicta sunt aliqua ex parte reparare. »

Vinculis exemptus hæc scribebat, Rayualdi fortasse Remensis archiepiscopi et suffraganeorum opera, quibus Urbanus papa pro ereptione Carnotensis episcopi scripserat VI Kalendas Novembris 1092. Altaria sex Eustachio abbati et monachis Sancti Petri Carnotensis concessit libera, scilicet de Bruerolis, de Ermentariis, de Roheria, de Buxeto, de Cruciaco et de Castellariis Kalendis Julii 1093. Gaufridum Vindocinensem abbatem consecravit IX vel XI Kalendas Septembris anni ejusdem : attamen in epistola 21 adhuc se *in* ergastulo clausum dicit, quando corpus sancti Juliani translatum est : hæc autem facta dicitur translatio XVI Kalendas Novemb. anno 1093, VIII ordinationis Hoelli episcopi Cenomanensis, qui ordinatus est XI Kalendas Maii 1085, ac proinde, pro 1093 legendum forte 1092, qui annus cum ordinatione optime quadrat. Præter enim jam dicta, mense adhuc Novembri anni 1093 cum Urbano papa Romam pacifice intravit Ivo, ibique eum dimisit mense Januario. Reversus Beccenses inter et Molismenses monachos ortam de cella Pexiacensi controversiam composuit anno 1094. Vocatus ad concilium Remense pro nuptiis regis et Ivonis depositione qui eis contradicebat, habitum XV Kalendas Octobris ejusdem anni, cui aliquo modo præfuit Richerius archiepiscopus Senonensis ipsi infensus, adesse noluit, sed ad eumdem Richerium scripsit epistolam 35. Monachis Cluniacensibus monasterii extra urbem ædificandi licentiam fecit III Nonas Januarii. Concilio Arvernensi adfuit die VIII Nov. 1095, et Turonensi anno 1096 ubi subscripsit decreto Urbani II pro subjiciendo Cormaricensi abbate Sancto Martino. Ad eumdem scripsit anno eodem pontificem pro Willelmo Parisiensi electo, qui cum et Galterio Meldensi Sanctionem Aurelianensem episcop. consecravit apud Carnotum. Subscripsit chartæ fundationis abbatiæ de Rota tertio idus Februarii anni 1096 incuntis. Guillelmo Nivernensi comiti adfuit donanti ecclesiam Sancti Stephani apud Nivernum a se restitutam abbati et monachis Cluniacensibus anno 1097, ac diris devovit omnes qui huic dono quoquomodo auderent refragari. Ecclesiam eamdem consecravit Idibus Decembris. Gaufridum de Prulliaco comitem Vindocinensem jura et privilegia monasterii sanctissimæ Trinitatis agnoscere persuasit eodem anno, et cum abbate conciliavit. Scripsit quoque Urbano II pro consecratione Daimberti Senonensis electi, et insequentis anni initio 1098 contra electionem Joannis Aurelianensis. Altaria de Basenvilla, de Bisconcellis et de Bovenivilla sine redemptione vicarii monachis Majoris Monasterii concessit tertio Idus Maii. Hoc eodem ineunte anno onus pontificium abdicare voluit, ideoque Urbano pontifici maximo his verbis scripsit epistolam 67. « Ecce jam hoc transacto septennio vineam mihi commissam pro posse meo excolui, fructum autem quem quærebam non inveni. Detur ergo libertas octavo anno, ut hoc principium veræ octavæ aggrediar, ut possim mihi sabbatizare, dulces fructus contemplationis carpere et octavæ illius gaudia prælibare. Quod si vestra permissione id modo non facio, necessitate tamen me oportebit id facere propter renovatas in me veteri de causa regis inimicitias, et propter parochianos meos contemptores verbi Dei, qui proni sunt solis terrenis inhiare. » Pontificis hortatu episcopali curæ haud renuntiavit. Quinimo eam inter maximas procellas Ecclesiæque Gallicanæ propudiosum tunc temporis statum laudatissime sustinuit; testes sunt ipsius complures litteræ, quibus agit de cathedralium ecclesiarum et episcoporum ordinatione, de legatorum et missorum a latere comprimendo fastu, quibus Gallicana sæpius gravabatur ecclesia. Legenda ejus epistola 133, ad Richardum Albanensem episcopum legatum apostolicum, qui eum tanquam publicæ simoniæ reum graviter redarguerat, ad quæ respondit decanum quidem, cantorem et alios quosdam in ecclesia Carnotensi plura exigere in receptione canonicorum, quæ rescindere conatus fuerat, sed incassum, quod ii se tuerentur exemplo ministrorum curiæ Romanæ, apud quos venalia sunt omnia. Interea Ivo episcopus canonicos regulares e S. Quintino accitos in ecclesia S. Joannis in Valle instituit anno 1099, eisque multa largitus est.

Introdusă în format electronic de Google

Synodo Stampensi eodem adfuit anno, et Majoris Monasterii monachis concessit, ut ecclesiam construerent apud Franchamvillam. Latum a rege decretum de expellendis monachis, canonicisque in ecclesia Pisciacensi restituendis sub anathemate confirmavit anno 1100. Circa id tempus omnium Ecclesiarum sollicitudine pressus, scribit ad Galterium Meldensem episcopum de incontinentia monialium Sanctæ Faræ, quas monet ut corrigat, vel monachos earum loco substituat. Paschalis II bulla data XVI Kalendas Martii anni ejusdem episcoporum Carnotensium domum, quam magnis Ivo impensis ædificaverat, exemit ab omni spoliatione tunc temporis post episcopi obitum fieri solita, juxta concilii Arvernensis decretum.

Annus Incarnationis 1104 componitur cum anno episcopatus Ivonis XIV et Philippi regis XLV, in tabulis Sancti Petri. Hoc eodem interfuit concilio Trecensi V Nonas Aprilis et subscripsit diplomati Hugonis Campaniæ comitis pro Molismensi monasterio. Adfuit et synodo pro reconciliatione regis apud Balgenciacum, Ivonis efflagitatu 30 Julii habitæ. Celebratum aliud concilium apud Parisios, Ivone præsente, IV Nonas Decemb. indict. XIII Paschalis II sexto, ad reconciliandum absolvendumque regem Philippum, qui simul cum Bertrada juravit divortium. In concilio Pictaviensi anni ejusdem sententia Burdegalensis concilii de Marestasio pro Angeriacensibus adversus Maxentianos monachos lata examini Ivonis commissa fuit, ab eodemque et collegis confirmata. Datam ab eo Beccensibus ecclesiam Sancti Nicasii de Mellento confirmavit Paschalis II secundo Idus April. 1104. Insequenti Henricus comes Blesensis et uxor Adela ad preces Ivonis domum episcopalem a prava consuetudine supellectilis diripiendæ liberam reddiderunt, quorum beneficium auctoritate sua confirmavit Philippus rex anno regni 46. Libertatem ecclesiæ de Burgomedio ad preces Adelæ comitissæ ratam habuit Ivo eodem anno, quo adfuit electioni Radulfi abbatis Sancti Quintini in festo Dedicationis. De mandato Paschalis II diremit anno 1106 querelam quæ inerat inter Ivonem de Curvavilla, vicecomitem Hugonem et Rotrocum Perticensem comitem, qui ad sacrum bellum ituris pacem turbabat. Invitatus ab Ivone Pascha peregit apud Carnotum Paschalis papa anno 1107.

Locum Bernardo a Rotroco comite ad construendum monasterium datum anno eodem confirmavit Ivo et cœmeterium consecravit. Dedit litteras super controversia ratione ecclesiæ Villæmendis inter Columbenses monachos et moniales sancti Aviti VIII Kalendas Septembris. Interfuit anno 1108 exsequiis Philippi regis, et statim post sacro Ludovici regis Aureliæ celebrato, Remensibus clericis nec quidquam refragantibus, qua de re scripsit apostolicam epistolam 189. Subscripsit 1109 præcepto Ludovici VI regis de libertate testandi et bellandi pro servis Ecclesiæ Parisiensis. *Carrucatam* terræ in territorio de Garzeis secus fluvium Tironum ad construendum monasterium cum capitulo concessit tertio Nonas Februarii 1110. Subscripsit diplomati Ludovici regis pro canonicis Sanctæ Genovefæ, IV Idus Martii anni 1111. Ad concilia Viennense et Ansanum vocatus anno 1112 se excusavit.

Subscripsit eodem anno regiis Ludovici litteris in gratiam Floriacensium. Principis ejusdem chartam pro fundatione vel potius dotatione S. Victoris Parisiensis sua subscriptione munivit cum plurimis præsulibus anno 1113. Cum Arnaudo decano totaque Carnotensi Ecclesia institutam Tironensem abbatiam approbavit, eique multa concessit privilegia tertio Nonas Februarii, et anno elapso sigillum apposuit suum instrumento confirmationis eorumdem privilegiorum ab Conone Prænestino sedis apostolicæ legato tertio Nonas Febr. monachis Majoris Monasterii concessit ecclesiam de Hanchis, quam Paganus canonicus tenebat, et quidquid eis ab ipsius fratribus tribuebatur anno 1114. Eodem Paschalis II V Kalendas Novemb. confirmavit decretum prius ab Ivone latum contra præpositos qui gravabant capitulum, et angariis ecclesiasticos inferiores vexabant, aliaque ab eodem statuta, qua quidem bulla offensi præpositi, adversus Ivonem regem Ludovicum commovere nisi sunt, litterasque ipsius ad eumdem obtinuerunt, cui respondit Ivo epistola 265, qua de re legendus Souchetus in novis observationibus ad epistolas Ivonis pagg. 252 et seq.

Annus ordinationis Ivonis XXV illigatur cum anno XVI Paschalis II, Incarnationis 1114, in instrumento quodam ecclesiæ Sancti Nicolai apud Souchetum pag. 254. « Facta est autem hæc cartula anno ab Incarnatione Domini 1114, ordinationis vero domini Paschalis papæ XVI, atque ordinationis domini Ivonis Carnotensis episcopi XXV, etc. » Idem Souchetus refert bullam Paschalis II Romæ pridie Idus Martii, Ivoni Carnotensi et Radulfo Santonensi datam, qui duo concilio Arvernensi adfuerant, ut juxta concilii decretum, altaria, quæ ab annis triginta et sub vicariorum redemptione monachi possidebant, libera eis relinquerent. Reddita ab Ivone de Curvavilla ecclesiam Sancti Nicolai fratribus de Sancto Joanne concessit Ivo anno 1115, indict. VIII. Gravem habuit cum Bernardo Bonævallis abbate querelam, quam a Roberto de Arbrisello compositam indicat Roberti Vitæ scriptor paulo ante ejusdem obitum, quem anno 1116 exeunte, qui nunc numeratur 1117, accidisse volunt. Ex chronico enim S. Albini Andegavensis : « Anno 1116, obiit Robertus de Arbrissel quinto Kalendas Martii. » Huic aliud non minoris ponderis argumentum subjicit doctissimus Pagi, Guillelmi nempe Nivernensis comitis anno 1116 ex chronicis Fiscanensi et Vezeliacensi capti, eorumque qui eum ceperant excommunicatorum, mentionem fieri in epistola 275 Ivonis : unde concludit

Introdusă în format electronic de Google

anno 1117. Mabillonius vero post Albericum, Elinandum, priscum Sancti Quintini Kalendarium, etc. Ivonem sub finem anni 1116 obiisse; sed pace tantorum virorum dixerim, hæc cum usurpata in chartis Gaufridi successoris annorum computandorum ratione conciliari nequeunt, qui ex dicendis anno ineunte 1116 auspicatus est episcopatum. Præterea chronicorum diversitas in morte Ivonis, eorum arguit negligentiam. Denique amplius nescio quid, ni fallor, obsequii et reverentiæ debetur Necrologiis ecclesiarum, in quibus mortui sunt et sepulti episcopi, quam aliis dissitarum plerumque ecclesiarum. Atque in Necrologiis ecclesiarum cathedralis et sancti Joannis in Valle obitus Ivonis assignatur ad diem x Kal. Januarii anni 1115. Defunctus Ivo sepelitur in choro ecclesiæ S. Joannis de Valle, sed hostilis hæreticorum rabies pios cineres in ventos impie sæculo XVI dispersit. Pius V, bulla data 18 Nov. 1570, Canonicis Sancti Joannis Lateranensis Regularibus permisit, ut ejus festum quotannis celebrarent. Hanc facultatem ad canonicos Carnotenses extendit sacra rituum congregatio 28 Novembris 1648, procurante P. Natali Minimo Carnotensi, tunc Romæ commorante, ad preces J. B. Soucheti canonici Carnotensis. Philippus ab Eleemosyna Bonæ-Spei abbas hoc ei conscripsit epitaphium :

Reddidit affectus patrem, doctrina magistrum,
Regula canonicum, pontificemque gradus,
Famosum probitas, humilem natura, verendum
Vita severa, senem longa, pudica sacrum.
Præsule defuncto, sua tollere mos erat olim
Principis, hunc morem principis emit Ivo.
Hujus opem læsus, plebs dogmata, frœna malus rex;
Sensit egenus opes, pro grege vota Deus.

Referunt Sammarthani aliud carmen e veteribus membranis viri clarissimi Barnabæ Brissonii præsidis in senatu Parisiensi.

Mente, manu, lingua, doctrina, corporis usu,
Prudens, munificus, præstabilis, utilis, insons,
Firma columna domus Domini, quam jure salubri
Fovit, munivit, instruxit, jugiter auxit
Consilio, scriptis, quo viveret ordine rebus,
Cujus opem gratis æger, rem sensit egenus,
Istius urbis apex memorandus episcopus Ivo,
Hac situs exspectat adventum Judicis urna.

De eodem referre quoque juvat sequentes versus in modum epitaphii; qui in ecclesia Sancti Joannis ante excidium legebantur.

Præsulis Ivonis corpus jacet hic tumulatum,
Cujus honos pulsat limen utrumque poli.
Juris hic antistes canonum decreta sacrorum
Perlegit, legum dogmata dans brevia.
Mystica sacra alibi dantur, rex, quam tibi Remis,
Consultorque tuis, rex vocitatus abis,
Hunc capit Hugo comes Carnutum mœnia tentans,
Quem pia plebs redimit sumptibus immeris
Aere suo atque opera renovavit præsulis ædes,
Firmat Joannis, qua jacet, abbatiam,
Atque decanatum Andreæ formavit et auxit.
Te duce fit Mariæ pulpitus ecclesiæ.
Fundamenta loci jecit Belli prioratus,
Hic Magdalenæ præparat ecclesiam.
Vicenos [f. 25] *annosque duos sine crimine sedem*
Rexit, ab integris moribus atque fide.

His addenda Martyrologii Carnotensis verba. « x Kalendas Januarii. Ipso etiam die Dominicæ Incarnationis 1115 obiit pater Ivo hujus sacratissimæ sedis antistes, vir magnæ religionis, ecclesiasticorum et secularium negotiorum prudentissimus, mitis affatu, patientia insignis, castitate pollens, et tam in divinis quam in philosophia eruditissimus. Qui sex pallia bona, et septem cappas, et infulas tres, et tapetia tria decori hujus ecclesiæ contulit : librum missalem et epistolarium, et textum evangeliorum, et unum lectionarium matutinalem dedit, et omnes argento paravit. Pulpitum miri decoris construxit, scholas fecit, domum episcopalem, quam vilem et ligneam in obitu episcoporum vel discessu, quibusdam pravis consuetudinibus per violentiam Carnotensium comitum inductis ancillatam invenerat, speciosam et lapideam a fundamento refecit, et cum omnibus ad ipsam pertinentibus, sive mobilibus sive immobilibus ex ancilla liberam reddidit, libertatemque ipsam astipulatione privilegiorum et Romanæ sedis, et regis, et comitis, quæ in archivis hujus ecclesiæ habentur, confirmavit. Terram etiam quamdam contiguam eidem domui ad amplitudinem ipsius domus a vicedomino acquisivit et muro clausit. Apud pontem Godinum alias domos ad usus episcopales ædificavit : eamdemque villam in multis melioravit. Abbatiam sancti Joannis ex seculari in regularem convertit, instituit et auxit, consilio et auxilio ipsius monasterium infirmorum apud Bellumlocum constitutum fuit. Junioratus omnes hujus ecclesiæ, et precarias in communes redegit usus, et eas in posterum personis distribui tam suo, quam apostolico privilegio vetuit. Angarias et injustas exactiones, et pravas servientium discursiones fieri per præposituras iisdem privilegiis prohibuit. Potestatem quam habebat dandæ præposituræ de Ebrardivilla et cæteris ad eam pertinentibus huic capitulo dedit. Taxata sepeliendorum precia in toto hujus ecclesiæ episcopatu cessare fecit. Ad augmentandam tabulam altaris idem moriens centum modios vini reliquit, et in aliis pluribus suæ ecclesiæ et clericis suis multa bona fecit. » Legitur quoque in Necrologio Sancti Joannis in Valle : « x Kal. Januarii, anno ab Incarnatione Domini 1115, obiit bonæ memoriæ Ivo Carnotensis episcopus, qui Canonicorum Regularium ordinem in hac ecclesia constituit, et eamdem rebus suis ampliavit, dans fratrum usibus ecclesiam Sancti Stephani cum rebus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Luciaco, ecclesiam de Pontegodano et terram ultra stagnum,

Introdusă în format electronic de Google

triginta quoque volumina librorum suorum, et multa alia. »

Ab omnibus fere ætatis suæ historicis dilaudatur Ivo : « Lucerna quippe occidentalis, orbis decus, ornamentum ac fulgor Ecclesiæ Gallicanæ » honorifice appellatur a cardinale Baronio. Et certe recondita ac præcellenti eruditione conspicuus, juris divini humanique scientia, et victuris in ævum operum monumentis celeberrimus, eximiis ac plane consentaneis summo præsuli virtutibus, ævo suo non tantum cæteris regni, sed et omnibus Carnotensis Ecclesiæ, si fas affirmare, præluxit episcopis. Præter decretum quod concinnavit, reliquit plurimas epistolas, in quibus quidquid spectat ad jus canonicum licet invenire. Editis jam 288 duas novas adjecit Mabillonius in tomo quinto Annalium. Plurima quoque continent quæ ad historiam Ecclesiæ Gallicanæ, imo et universalis, plurimum lucis afferant. Sunt etiam inter ejus opera 24 sermones, quorum quartus a nonnullis Fulberto restituitur. De ipso Ivone plura habentur in editione ejus Operum, quæ in lucem prodiit anno 1647. Cujus opera, videat lector curiosus in præfatione J.-B. Souchet ad Vitam sancti Bernardi abbatis Tironensis, ejusdemque Veritatis Defensione edita Carnoti anno 1651. Videndi quoque Baronius Annal. tomis undecimo et duodecimo, Spondanus, Possevinus, Bellarminus et alii.

—

§ 1.

HISTOIRE DE SAINT YVES.

Yves (1), la lumière et l'oracle de l'Eglise de France en son temps, on pourrait même dire de tout l'Occident, naquit au territoire de Beauvais vers l'année 1040. Son père se nommait Hugues d'Auteuil, et sa mère Hilemburge. L'opinion commune porte que sa famille était noble; mais Yves témoigne lui-même le contraire dans plusieurs de ses lettres (2). Dès sa plus grande jeunesse il fut appliqué à l'étude des arts libéraux; après en avoir été instruit en son pays (3), ou même à Paris selon d'autres (4), il alla au Bec perfectionner ce qu'il en savait et étudier les sciences ecclésiastiques. Il y eut pour maître le célèbre Lanfranc, et pour condisciples grand nombre de jeunes gens distingués par leur naissance et leurs mœurs, dont plusieurs furent élevés dans la suite aux premières dignités de l'Eglise. C'était par conséquent avant l'année 1062, que Lanfranc quitta le Bec, et alla à Caen remplir la place d'abbé de Saint-Etienne.

Le goût pour les lettres et la piété qu'Yves prit au Bec, il le cultiva avec autant de succès que de soin. Toute son occupation, lorsqu'il reparut dans le monde, fut l'étude de l'antiquité ecclésiastique et la pratique de la vertu. L'on en a la preuve dans les écrits de sa façon qu'il a laissés à la postérité, et l'honneur qu'il fit à tous les divers états qu'il remplit. D'abord il fut chanoine de Nesle, illustre collégiale en Picardie (5), d'où son mérite le fit tirer, pour gouverner la nouvelle maison (6) que Gui, évêque de Beauvais, venait de fonder pour des clercs, à la porte de sa ville épiscopale. Cet établissement fut commencé, non en 1078, comme l'avancent la plupart des écrivains, mais dès 1067, et finit au bout de deux ans, sous l'invocation du martyr saint Quentin. Yves en était déjà supérieur quelques années avant 1079, d'abord sous le titre de prélat, ensuite sous celui d'abbé, quoique dans ses lettres il ne se qualifie que simple prêtre.

Bientôt cette nouvelle communauté s'acquit une réputation merveilleuse. Non-seulement Yves en augmenta les revenus, en y transportant quelques domaines de son patrimoine (7); mais il fit encore observer une régularité conforme en tout aux anciens canons, et y ouvrit une école célèbre, où il prenait lui-même soin de faire des leçons de théologie. Cette manière de vivre établie à Saint-Quentin, a fait regarder Yves comme un des plus illustres instituteurs de l'ordre des chanoines réguliers. Cet ordre était déjà connu à Rome et à Reims plusieurs années auparavant (8); mais Yves le porta à sa perfection. Dès son vivant il eut la consolation de voir que sa maison servit à l'étendre en divers lieux de la France, et que son école fournit d'excellents évêques à plusieurs églises. Ce fut dans le repos de sa retraite qu'il composa les deux recueils de canons (9), l'un plus court, l'autre plus étendu qu'on a de lui, et dont il sera parlé plus amplement dans la suite. Ces écrits, joints au soin qu'il prit lui-même d'enseigner, lui acquirent dès lors le titre de docteur renommé, et des plus renommés de l'Eglise de France : *Inter præcipuos Franciæ doctores eruditione litterarum, tam divinarum quam sæcularium floruit* (10). A cela près, il ne figura pas encore alors beaucoup dans l'Eglise. Le concile d'Issoudun tenu en 1081, fut la seule action d'éclat où on le vit paraître (11).

Il y avait environ quatorze ou quinze ans qu'il gouvernait l'abbaye de Saint-Quentin, lorsque Geoffroi I, évêque de Chartres, deux fois déposé par le pape Grégoire VII pour cause de simonie, se trouvant coupable encore d'autres crimes, se reconnut indigne de l'épiscopat, et y renonça (12). Le pape Urbain II, qui le détermina à prendre ce parti, écrivit en même temps aux Chartrains, pour les inviter à élire un

(1) Bar., an. 1092, n. 2; Ivo, ep. 92, 102; Vita, n. 1.
(2) Ep. 3, 12, 22.
(3) Vit. *ib.*
(4) Egas, Bul., tom. I, pag. 613; Rob. de Monte *add. ad Sig.*, pag. 750.
(5) *Gall. Chr.* nov., tom. VIII, pag. 1126.
(6) *Gall. Christ.* vet., tom. IV, pag. 773, 774.
(7) Nov. *ib.*; Ivo, Vit., n. 2.
(8) *Histoire littéraire de la France*, tom. VII, pag. 522, 578.
(9) Ivo, Vit. ib.
(10) *Ibid.*, n. 2; Ord. Vit., lib. x, pag. 810.
(11) Ivo, ep. 181; Mab., *Ann.*, lib. LXIV, n. 107.
(12) *Conc.*, tom. X, pag. 420, 430; Ivo, ep. 1, 2, 8.

Introdusă în format electronic de Google

autre évêque, et leur indiqua le vénérable abbé de Saint-Quentin, dont il connaissait tout le mérite. L'élection étant tombée sur lui, l'on se saisit de sa personne, de peur que son humilité ne le fît enfuir, et on le présenta au roi Philippe, de qui il reçut le bâton pastoral (13). Mais Richer, archevêque de Sens et métropolitain de la province, à qui appartenait de droit l'ordination du nouvel élu, refusa son ministère sous divers prétextes. Dans la réalité, il se trouvait piqué de ce qu'on avait déposé Geoffroi sans sa participation. Yves, voyant les choses à ce point, voulait renoncer à son élection (14), et en écrivit sur ce pied au pontife romain. On le détermina toutefois à aller trouver le pape avec les députés de l'église de Chartres (15), qui lui portèrent leurs plaintes touchant le refus de leur archevêque. Urbain, pour couper court, ordonna lui-même le nouvel élu, et le renvoya avec deux lettres en date du vingt-quatre et vingt-cinquième de novembre, l'une au peuple de Chartres, l'autre à l'archevêque Richer.

Presque tous nos écrivains sont partagés sur l'année précise et le lieu de cette ordination. Mais dom Mabillon montre par des preuves qui ne souffrent point de réplique (16), qu'elle se fit à Alatri, où le pape se trouvait alors (17), sur la fin de novembre 1091. Yves, quoiqu'ordonné évêque de Chartres (18), retint encore l'abbaye de Saint-Quentin, et ne s'en démit qu'au bout de quelque temps entre les mains de Foulques, évêque de Beauvais. Alors il écrivit aux Chanoines réguliers, qui la desservaient, pour leur permettre d'élire un autre abbé, et les exhorter à faire un bon choix (19). Il ne laissa pas néanmoins de continuer à la protéger tout le temps qu'il vécut (20).

De retour de son voyage d'Italie en France, il prit possession de son Eglise en vertu de l'investiture du roi, et de l'ordination du pape attestée par ses lettres (21). Mais Richer, son métropolitain, bien loin de le regarder comme évêque, lui écrivit une lettre pleine d'amertume, de mépris, d'injures, et ne le traitait rien moins que d'intrus (22). Yves y répondit avec politesse, mais en même temps avec beaucoup de force, offrant de se justifier canoniquement. A cet effet, il se présenta au concile d'Etampes, où Richer et les évêques de Paris, de Troyes et de Meaux avaient concerté de le déposer, et de rétablir Geoffroi (23). Ils avaient pour prétexte, qu'il était allé contre l'autorité royale, et avait violé les droits de l'église Gallicane, pour s'être fait ordonner ailleurs (24). Mais Yves arrêta le cours de la procédure par un appel au saint siége ; et le pape trouva le secret de pacifier toutes choses à cet égard. Yves fut maintenu dans son siége, et Geoffroi concentré dans la partie du diocèse de Chartres, qui était sous la domination de Robert duc de Normandie (25).

A peine cependant notre prélat commençait à jouir de ce calme, qu'il eut le malheur de tomber dans la disgrâce de son prince (26). Ne pouvant en conscience, ni en honneur donner le moindre signe d'approbation à son scandaleux mariage avec Bertrade, comtesse d'Anjou, il refusa généreusement de s'y trouver, quoique le roi l'y eût invité. Il fit encore plus ; il le blâma hautement dans ses lettres à divers évêques, et en écrivit au roi même avec une vigueur digne d'un évêque des premiers siècles, sans sortir néanmoins des bornes du respect dû à la majesté royale. C'était en 1092 ; et dès-lors ce zèle apostolique coûta la liberté au généreux prélat (27). Hugues, seigneur du Puiset et vicomte de Chartres, se saisit de sa personne, et l'enferma au château du Puiset même, pour tâcher de l'abattre et faire par là sa cour au roi Philippe. Yves n'en devint que plus ferme, et Dieu ne le laissa point sans consolation dans ses liens. Guillaume de Ros, abbé de Fécamp, entre autres, l'y visita par ses lettres, où il le félicitait de souffrir pour la même cause qu'autrefois Elie et saint Jean-Baptiste (28). Les Chartrains de leur côté, extrêmement attachés à leur évêque, formèrent le dessein de l'aller délivrer à main armée (29) ; mais le pacifique prélat en étant averti, arrêta le coup par une lettre admirable. Hoel, évêque du Mans, vint aussi à son secours, et agit si efficacement avec le pape Urbain, qu'ils réussirent à lui procurer son élargissement (30). Yves au reste prit de justes mesures pour que son troupeau n'eût point à souffrir de son absence (31).

Rendu à son église, il se trouva dans une extrême disette, à raison des ravages que les gens du roi avaient faits dans les domaines de l'évêché, et se vit encore chargé de fausses accusations (32). Assuré de son innocence, il en écrivit à Philippe, offrant de s'en justifier juridiquement, soit en concile ou à la cour même du prince. Il refusa néanmoins quelque temps après d'assister à celui de Reims, tenu en 1094, quoiqu'il y eût été invité, par la raison qu'il ne devait pas être jugé hors de sa province (33). Ce fut apparemment sur le même principe qu'il ne voulut point promettre de se trouver à un autre convoqué à Troyes pour le dimanche après la Toussaint, sans avoir eu, au préalable, l'avis du pape Urbain (34). On ne connaît point autrement ce concile ; et l'on ignore si notre prélat en fut. Seulement on sait que les archevêques de Reims, de Sens et de Tours en devaient être, et apparemment les évêques de leurs provinces.

En 1095 fut célébré le grand concile de Clermont en Auvergne, auquel le pape présida en personne (35). Yves fut du nombre des évêques qui le composèrent, et eut l'honneur, après la tenue de cette assemblée, d'accompagner le pontife romain jusqu'à Tours (36). Urbain y tint un autre concile auquel Yves assista, comme il avait fait à toutes les autres assemblées que ce pape avait célébrées sur sa route. Le concile de Tours fut tenu au mois de mars 1096 ; et l'année suivante Yves se trouvait dans le Nivernais, sans qu'on sache à quelle occasion, à moins que ce ne fût encore pour quelque concile (37). En ce voyage il dédia solennellement l'église du monastère de Saint-Etienne, assisté de Gui, évêque diocésain, de Gautier de Châlons-sur-Saône, et d'Humbaud d'Auxerre.

(13) Ivo, ep. 322.
(14) Ep. 3.
(15) Ep. 1, 2.
(16) Mab. ib. l. LXVIII, n. 27.
(17) Yves dans sa lettre 36 fait lui-même mention de ce lieu où il était alors à la suite du pape. Mais au lieu d'*Alatri*, les éditeurs ont lu *a latere*, qui ne signifie rien en cet endroit.
(18) Ivo, ep. 31.
(19) Ep. 32.
(20) Ep. 193.
(21) Ep. 1, 2, 6.
(22) Ep. 8.
(23) Ep. 12.
(24) Vit. ib. n. 3.
(25) Ep. 6.
(26) Ep. 13-17.
(27) Ep. 19, 21, 22 ; Alberic *Chr.* par. II, p. 143 ; Sug. *Vit. Lud.*, p. 300.
(28) Ivo, ep. 19.
(29) Ep. 20.
(30) Ep. 21, 23, 25 ; *Conc.* ib., p. 463.
(31) Ivo, ep. 17, 44.
(32) Ep. 22.
(33) Ep. 33.
(34) Ep. 46.
(35) Ep. 38.
(36) *Conc.* ib., p. 603.
(37) Mab. ib. l. LXIV, n. 76.

Introdusă în format electronic de Google

Il ne se passa presque point de choses considérables dans l'Eglise de France durant son épiscopat, auxquelles il n'eût beaucoup de part. Il fut du concile d'Etampes en 1099, et de celui de Poitiers l'année suivante, où le roi Philippe et Bertrade furent excommuniés de nouveau, et où les bons évêques eurent beaucoup à souffrir de la part du comte de Poitiers (38). Le légat Richard, évêque d'Albane, en ayant convoqué un autre à Troyes en 1104, Yves s'excusa d'abord d'y aller, et ne laissa pas de s'y trouver (39). Le sujet de l'assemblée était l'absolution du roi, qui fut néanmoins différée à un autre temps. Le trentième de juillet de la même année se tint un autre concile à Beaugency pour le même sujet. Yves y assista encore, et rendit compte au pape Pascal II de ce qui s'y était passé (40). L'absolution du roi ayant été encore retardée, Yves engagea le souverain pontife à l'accélérer, et à user de quelque indulgence envers ce prince. Il se justifia par là du blâme dont le chargeaient quelques-uns, d'avoir eu le plus de part à son excommunication. Dès auparavant il avait donné des preuves du contraire, puisqu'il avait agi auprès d'Urbain II, pour suspendre l'exécution de ce dessein, et en avait fait donner avis au roi par le premier officier de sa cour (41.) Enfin Philippe fut solennellement absous à Paris au commencement de décembre 1105, et voulut qu'Yves fût de la cérémonie (42). Avant cette époque, il lui avait déjà rendu l'honneur de ses bonnes grâces, comme il paraît par un diplôme accordé à sa prière en faveur de l'église de Chartres (43).

Au bout de trois ans, ce prince étant mort le vingt-neuvième de juillet 1108, on conseilla aussitôt après ses funérailles, à son fils Louis le Gros de se faire sacrer sans délai (44). Ce fut Yves, ce prélat si respectable et si rempli de sagesse, dit l'abbé Suger, qui ouvrit cet avis. En conséquence, on manda Daïmbert archevêque de Sens, qui en fit la cérémonie à Orléans le second jour d'août suivant, assisté de tous ses suffragants, du nombre desquels était notre prélat. A peine était-elle finie, que les députés de l'église de Reims, qui prétendait être la seule en droit de sacrer nos rois, arrivèrent et firent leur opposition. Yves se chargea de leur répondre et de justifier le sacre de Louis (45). C'est ce qu'il exécuta par une belle lettre circulaire adressée à l'église Romaine et à toutes celles qui avaient connaissance de la plainte du clergé de Reims; y montrant que sa prétention n'est fondée ni sur la raison, ni sur la coutume, ni sur la loi. Yves ne borna pas là son affection pour son prince. Il l'engagea encore à se marier, pour l'affermissement de la maison royale, et la tranquillité de l'Eglise et de l'état (46).

En 1112 Josceranne, archevêque de Lyon, indigné, comme plusieurs autres, du traité conclu l'année précédente entre le pape Pascal et l'empereur Henri V, touchant la concession des investitures faites à ce prince, voulut assembler un concile à Anse pour s'y opposer (47). Y ayant invité les évêques de la province de Sens, Yves ne fut point d'avis qu'ils y assistassent; et ils ne s'y trouvèrent point en effet. Il craignait sans doute de rallumer un feu qui paraissait eteint, et qui se ralluma bientôt après. Ne pouvant y apporter d'autre remède, il en écrivit d'une manière pathétique à Brunon, archevêque de Cologne, qu'il savait avoir grand crédit à la cour impériale, afin qu'il l'employât à faire cesser un schisme, qui depuis plus de trente ans divisait le sacerdoce et l'empire (48).

Ce zèle et cette sollicitude pastorale pour le bien de l'Eglise en général éclataient dans toutes les occasions où il s'agissait du violement du bon ordre, même de la part des papes et de leurs légats (49). Nous en avons diverses preuves dans le recueil de ses lettres. En cette sorte de rencontre l'amour des règles l'emportait sur toute considération; et Yves ne reconnaissait pas même ses meilleurs amis. Il était fort lié avec Hugues, archevêque de Lyon, légat du saint siége, et lui avait donné des marques de son attachement, lorsque le pape Urbain l'eut rétabli dans cette dernière dignité, dont il avait été destitué par Victor III (50). Néanmoins Hugues, s'étant avisé d'arrêter le sacre de Daïmbert, archevêque de Sens, jusqu'à ce qu'il eût reconnu la primatie de Lyon sur cette autre métropole, Yves lui écrivit à ce sujet avec une vigueur vraiment épiscopale (51). Hugues s'en tint offensé, et en porta ses plaintes au pape, qui en conçut du refroidissement pour notre généreux évêque (52). Mais celui-ci n'en devint que plus ferme, comme il paraît par sa lettre à ce pontife, et en prit occasion de faire voir qu'il ne tenait à l'épiscopat, que pour en soutenir l'honneur et le droit des églises; fermeté qui lui aurait peut-être attiré la disgrâce du pape et de l'archevêque, sans la médiation de Geoffroi abbé de Vendôme, qui, se trouvant alors à Rome, justifia Yves auprès du pontife Romain, et passant ensuite par Lyon à son retour en France, fit sa paix avec le légat Hugues (53).

Au bout de quelques temps, Yves ayant appris qu'on voulait donner à l'église de Beauvais pour évêque Etienne de Garlande, dont il connaissait l'incapacité et les autres défauts, mit tout en œuvre pour traverser son élection et empêcher son sacre; en quoi il réussit (54). Au contraire il favorisa et appuya de tout son pouvoir celle qu'on fit ensuite de Galon abbé de Saint-Quentin, dont le mérite lui était parfaitement connu (55).

Ce n'est pas seulement par rapport au maintien des canons et de la discipline ecclésiastique, en ce qui regarde le spirituel, que paraissait la généreuse intrépidité de notre prélat; elle se montrait encore en ce qui concerne les coutumes ou devoirs temporels des églises envers les souverains. Yves en a laissé des exemples bien marqués. Le roi Philippe lui ayant ordonné de se trouver avec les troupes de l'église de Chartres en un certain endroit où il devait avoir une entrevue avec Henri roi d'Angleterre et duc de Normandie, mais y ayant joint des conditions qui n'étaient pas d'usage, Yves prit la liberté de lui en faire des remontrances aussi fortes que respectueuses (56). De même Etienne, comte de Chartres et de Blois, exigeant de l'église de Chartres un devoir inusité, Yves s'y opposa avec une vigueur digne d'un évêque attaché aux intérêts de son église (57).

Tant d'occasions où il donna des marques éclatantes de son habileté dans toutes sortes d'affaires, de

(38) *Conc.* ib., p. 716, 720, 722; Ivo, ap. 95 100.
(39) *Conc.* ib., p. 740; Ivo, ep. 141.
(40) Ivo, ep. 144.
(41) Ep. 23.
(42) *Conc.*, ib., p. 742.
(43) *Spic.*, t. XIII, p. 296, 297, Mart., *ampl. Col.*, t. I, p. 831.
(44) Sug. ib., p. 295.
(45) Ivo, ep. 175. 179
(46) Ep. 239
(47) Mab. ib., l. LXXII, n. 23.
(48) Ivo, ep. 214.
(49) Ep. 18.
(50) Ep. 24.
(51) Ep. 60.
(52) Ep. 67.
(53) Goff.. Vind., l. II, ep. 18.
(54) Ivo, ep. 87, 89, 97, 98.
(55) Ep. 102, 104, 105, 110.
(56) Ep. 28.
(57) Ep. 49.

Introdusă în format electronic de Google

son amour et de son zèle dans le maintien du bon ordre, firent passer sa réputation dans les pays étrangers. Rome qui le connaissait mieux que les autres, le craignait et le respectait en même temps. L'Angleterre révérait son mérite, sa vertu, et avait souvent recours à ses lumières. C'est ce qu'on voit par les liaisons qu'avait Yves avec le roi Henri I, la reine Mathilde et plusieurs évêques du royaume. Mathilde entre autres avait pour le pieux évêque une estime singulière, dont on découvre de grands traits dans les lettres qu'il lui écrivait (58). A sa considération, elle fit à l'église de Chartres un riche présent en cloches, dont le prélat sut lui faire un remerciement d'un excellent goût pour ce temps-là.

Si l'Église entière et les pays étrangers tirèrent tant de secours de l'épiscopat d'Yves, celle de France en particulier, et principalement le diocèse de Chartres en tirèrent encore davantage. Pour en donner une juste idée, il faudrait faire ici une analyse presque entière du recueil de ses lettres. On y verrait par ses avis et ses décisions à toutes sortes de personnes, qu'il fut en son temps le conseil des évêques et l'oracle des simples fidèles. On y verrait par les instructions et les éclaircissements qu'elles contiennent, combien il aimait la pureté de la foi et des mœurs, et l'observation de la bonne discipline, et combien il a travaillé en faveur de l'une et de l'autre. Ce n'est point pousser les choses trop loin, que de dire à sa gloire, qu'on fut particulièrement redevable à ses soins de l'espèce de renouvellement qui se fit alors dans l'église gallicane, tant parmi les clercs que les laïques, et que ses écrits servirent à maintenir dans la suite.

Quelque sévère au reste que fût Yves dans ses décisions sur les points de morale et de discipline, sa conduite était pleine de lumière, de sagesse, de modération, de douceur. Ce fut par là qu'il sut gagner le cœur de ceux dont il avait combattu les passions. On a pu en remarquer un exemple en la personne du roi de France Philippe I. On en a un autre à l'égard d'Étienne comte de Chartres et de Blois qui, après avoir eu quelques contestations avec le zélé prélat, lui rendit tellement ses bonnes grâces, qu'à sa prière il abolit la pernicieuse coutume établie par ses prédécesseurs, de piller, à la mort de l'évêque de Chartres, la maison épiscopale et tous les domaines de sa dépendance (59) : mais sa douceur n'alla jamais à tolérer le vice. Entre les autres preuves qu'il en donna, il le fit voir particulièrement dans ce qu'il mit en usage pour faire cesser la conduite scandaleuse que tenaient un seigneur de son diocèse, nommé Guillaume, et Adélaïde proche parente d'Adèle comtesse de Chartres (60). Ce fut par sa sagesse et sa douceur qu'il ouvrit les yeux à l'infortuné Roscelin qui, après avoir renoncé à ses erreurs, embrassa la pénitence, comme on l'a vu dans son histoire (61).

A tant d'excellentes qualités, Yves joignait encore un cœur compatissant envers ceux qui étaient dans l'oppression, ou en quelque autre genre de peine. Dans ces occasions, il se faisait un plaisir et un mérite d'employer en leur faveur le crédit qu'il avait auprès des grands. Entre grand nombre de traits de cette générosité bienfaisante que nous fournissent les lettres du tendre prélat, il suffit de dire que saint Godefroi évêque d'Amiens, Geoffroi archevêque de Rouen, et Hubert évêque de Senlis se trouvant dans le cas, en sentirent d'heureux effets (62) : le premier auprès de Louis le Gros, les deux autres auprès du pape Pascal II. Ce pontife ayant été obligé de se réfugier en France, Yves eut l'honneur de le recevoir chez lui, où il célébra la fête de Pâques en 1107, et l'y retint le plus qu'il lui fut possible (63). Geoffroi, abbé de Vendôme, contraint de quitter son monastère par les vexations du seigneur du lieu, trouva une retraite aussi gracieuse qu'honorable auprès de notre généreux évêque (64).

Mais rien ne fut au-dessus du soin qu'Yves prit de l'instruction de son clergé et de son peuple, autant que les besoins de l'Eglise et de l'état auxquels il était obligé de se prêter, le lui pouvaient permettre (65). Sitôt qu'il eut pris possession de son église, il se mit à instruire, à corriger, à détruire et à planter. Il avait du talent et du zèle pour le faire ; et il trouva de quoi exercer l'un et l'autre. Les sermons qui nous restent de lui, tant imprimés que manuscrits, et qui ne sont apparemment que la moindre partie de ceux qu'il prononça devant son peuple, font foi qu'il lui distribuait souvent le pain de la parole. Non content de lui parler de vive voix, il lui adressait aussi quelquefois des lettres pastorales, dont nous avons un beau modèle dans le recueil de ses autres lettres (66).

Pour ce qui est de sa conduite particulière, quelque occupé qu'il fût du soin de son troupeau et de tant d'autres affaires étrangères, il était aussi intérieur et recueilli en Dieu que lorsqu'il vivait à Saint-Quentin de Beauvais (67). C'est cette piété que Robert de Torigni n'a pas oublié de relever dans l'éloge de ce grand évêque, qui le portait à se plaindre dès le commencement de son épiscopat, d'être obligé de se prêter à des occupations tumultueuses, qui le privaient de l'union intime avec Dieu, et de cette aimable tranquillité que demande la prière (68). C'est encore cette piété qui lui inspira de favoriser tant de pieux établissements où Dieu devait être servi en esprit et en vérité. Outre ce qu'il avait déjà fait en faveur de Saint-Quentin de Beauvais, il fonda de nouveau à la porte de sa ville épiscopale l'abbaye de Saint-Jean en Vallée pour des Chanoines réguliers (69). Le célèbre Bernard, moine de Saint-Cyprien de Poitiers, s'étant retiré au diocèse de Chartres, et y ayant obtenu du seigneur du lieu un fonds pour y construire un monastère, Ives se porta à cet établissement avec tant de zèle et de succès, qu'il a mérité d'en être regardé comme le fondateur conjointement avec le B. Bernard (70). Le monastère se nomma Tiron, du nom de la petite rivière voisine, et devint dans la suite chef d'ordre. Celui de Hautes-Bruyères de religieuses de l'ordre de Fontevrault doit aussi sa fondation au même prélat, qui établit encore un hôpital pour les malades, et fut bienfaiteur de l'ordre de Cluny (71), et des abbayes de Marmoutier, de Bonneval et de Bourgmoyen à Blois (72).

Ives, dans ses pieuses libéralités, n'oublia point sa propre église (73). On a déjà parlé du service signalé qu'il lui rendit, en la faisant décharger de ces criantes coutumes, qui étaient de vrais pillages. Il prit soin d'embellir la cathédrale, et de la fournir de livres et d'ornements. Il renouvella et agrandit considérablement la maison épiscopale, à laquelle il joignit une maison de campagne pour les divers usages des

(58) Ep. 107, 142, 174.
(59) Mart. *ampl. Col.*, t. I. p. 621, 622.
(60) Ivo, ep. 5.
(61) Ep. 7.
(62) Ep. 253, 254, 258, 264.
(63) Ord. Vit., l. x, p. 762, 810.
(64) Mab. *Ann.*, l. LXIX, n. 92.
(65) Ivo, ep. 6, 12.
(66) Ep. 44.
(67) Baillet, 23 dec., p. 288.
(68) Rob., *Add. ad Sig.*, p. 750; Ivo, ep. 6.
(69) Vit., n. 16.
(70) Ep. 283; Mab. *ib.*, l. LXXI, n. 39, 111.
(71) Ivo, Vit,, ib.
(72) Ep. 211; Mab. *ib.*, n. 16.
(73) Rob., *add. ad Sig.*, ib; Ivo, Vit., n. 2.

Introdusă în format electronic de Google

évêques. Les écoles étaient fort fréquentées dès le temps de saint Fulbert, et le lieu où elles se tenaient devait être fort spacieux. Yves le fit rebâtir tout à neuf, et laissa encore à son église et à ses chanoines diverses autres marques de sa généreuse bienveillance. Enfin, il eut quelque part à la fondation de l'abbaye de Saint-Victor, à Paris, qui se fit en 1113 (74) : au moins la souscription se lit-elle au bas de la charte du roi Louis le Gros pour cet établissement.

Il reste à dire quelque chose des liaisons de notre saint prélat. Sans parler des papes, des rois, des princes et princesses, il en avait avec presque tous les grands personnages de son temps. On en voit paraître la plupart dans les inscriptions de ses lettres ; mais nous ne rappellerons ici que ceux avec qui il était lié d'une manière plus intime. De ce nombre étaient saint Bernard de Tiron, dont il vient d'être parlé, et le B. Robert d'Arbrisselles. Il avait donné au premier la bénédiction abbatiale ; et, à la considération de l'un et de l'autre, il s'était employé à la fondation de l'abbaye de Tiron et du monastère de Hautes-Bruyères. S'étant lié d'amitié, dès qu'il étudiait au Bec, avec saint Anselme, ils continuèrent toujours leur union, depuis que celui-ci fut abbé, et ensuite archevêque de Cantorbéry (75). Ils eurent la mutuelle consolation de se voir, lorsqu'en 1103 Anselme vint en France, pour de là aller à Rome (76). Ayant pris sa route par Chartres, l'évêque Ives le reçut avec beaucoup d'honneur, et lui persuada avec la comtesse Adèle, d'attendre l'automne pour ce long voyage, afin d'éviter les chaleurs de l'été. A son retour sur la fin de juin de l'année 1105, Anselme passa de nouveau à Chartres, et eut le plaisir d'y voir encore son bon ami (77) : il y fit même un séjour considérable; puisqu'y ayant souscrit une charte en faveur des chanoines de Bourmoyen de Blois, le vingt-quatrième de juin, il n'en partit que pour se rendre à l'Aigle, le vingt-deuxième de juillet suivant.

Il y avait aussi une étroite union entre Yves et Lambert, évêque d'Arras, comme il paraît par une lettre du premier, insérée parmi celles de l'autre, qui lui en a écrit une des siennes, pour le remercier d'un service signalé qu'Ives venait de rendre à l'Église d'Arras, et des autres qu'elle en avait déjà reçus en d'autres occasions (78). Depuis que notre prélat eut béni Geoffroi, abbé de Vendôme, ce qu'il fit le vingt-troisième de septembre 1093, il se forma entre eux une amitié persévérante, qui est attestée par les dix-neuf premières lettres du second livre du recueil de celles de Geoffroy, toutes écrites à l'évêque de Chartres (79). L'épître par laquelle Hugues de Sainte-Marie, moine de Fleuri, et l'un des savants de son siècle, lui dédia en 1110 sa grande chronique, montre qu'ils avaient ensemble des liaisons de littérature (80).

Yves vécut jusqu'à la vieillesse, et mourut plein de gloire, de mérites et en odeur de sainteté (81). Mais les écrivains tant anciens que modernes sont fort partagés sur le jour précis et l'année de sa mort. Les uns la placent dès l'année 1114 ; d'autres lui assignent l'année suivante. Ceux-ci la marquent au premier de janvier 1116 ; ceux-là, comme Robert de Torigny, la renvoient en 1117 : enfin, d'autres la fixent au vingt-troisième de décembre (82) 1116 ; et leur opinion mérite la préférence, étant celle des historiens Helinand de Froidmont et d'Albéric de Troisfontaines (83). Ives pouvait être alors dans la soixante dix-septième année de son âge, et avait passé vingt-cinq ans et un mois dans l'épiscopat, à compter du jour de son ordination. Il fut enterré dans le chœur de l'église abbatiale de Saint-Jean en Vallée, dont il était le fondateur, comme il a été dit (84). On a trois épitaphes consacrées à sa mémoire : l'une est de la façon de Philippe, abbé de Bonne-Espérance ; mais on ignore qui sont les auteurs des deux autres. Celle que nous copions ici, et que nous préférons aux autres, par la raison qu'elle exprime mieux le caractère de ce grand évêque, a été tirée d'un ancien manuscrit du président Barnabé Brisson, et se trouve imprimée en divers recueils.

EPITAPHE.

Mente, manu, lingua, doctrina corporis usu,
Prudens, munificus, affabilis, utilis, insons :
Firma columna domus Domini, quam jure salubri
Fovit, munivit, instruxit, jugiter auxit,
Consilio, scriptis quo viveret ordine, rebus
Cujus opem gratis æger, rem sensit egenus,
Istius urbis apex, memorandus episcopus Ivo,
Hac situs exspectat adventum judicis urna

Outre ces trois épitaphes qui contiennent un précis de l'histoire de notre prélat, le P. Fronteau, chanoine régulier de Sainte-Geneviève, a composé sa vie qui est imprimée à la tête de son décret dans la dernière édition, et que les successeurs de Bollandus ont fait entrer dans leur grande collection d'actes des saints, avec quelques remarques de leur façon (85). M. Baillet, de son côté, en a publié une autre au vingt troisième de décembre, entre ses Vies des saints (86). Enfin un troisième écrivain donna vers le même temps un petit volume *in*-12 portant ce titre : *L'esprit d'Yves de Chartres dans la conduite de son*

(74) Mart., *ampl. Coll.* t. VI, p. 219.
(75) Ivo, ep. 39.
(76) Eadmer, *Hist. nov.*, l. II, p. 66.
(77) P. 70, 2, 71, 1. Bernier, *Hist. de Blois*, app., p. 8.
(78) Ivo, ep. 33 ; Baluz. *Misc.*, t. V p. 286, 556.
(79) Lab., *Bib. nov.*, t. I, p. 289.
(80) Mab., *ib.*, n. 98.
(81) Ivo, ep. 254.
(82) On voit par cette époque combien s'est éloigné de la vérité Bernard de la Guionie, qui, parlant de notre prélat avec éloge, ne le place que sous le pape Anastase IV, vers le milieu de ce siècle, et le fait disciple de Gilbert de la Poirée. André Thevet dans sa cosmographie s'en est encore bien plus éloigné, en le renvoyant à la fin du XV^e^ siècle, sous le roi de France Charles VIII (*).
(83) *Hist. Chr.*, p. 454, 1 ; Ivo, *Vit.*, n. 2, 18 ; *Cist. Bib.*, t. VII, p. 178; Kob., *add. ib.;* Alb. *Chr.* par. II, p. 228 ; Mab., *ib.*, l. LXXII, n. 125 ; Egas. Bul., t. I, p. 615; Cave, p. 541.
(84) Rob. *add.* ib.; *Gall. Chr.* vet. t. III, p. 488, 2; Boll. *ib.*, p. 248.
(85) Boll., 20 Maii, p. 247-252.
(86) Bail., *ib.*, p. 282-288.

(*) Mur., *Script. Ital.*, t. III, p. 240.

Introdusă în format electronic de Google

diocèse, et dans les cours de France et de Rome. L'écrit a été imprimé à Paris chez Anisson en 1701, et représente assez bien en quatorze chapitres la conduite d'Yves dans les trois différents états qu'annonce le frontispice. Les bibliographes et autres écrivains qui ont parlé de cet excellent évêque sont presque sans nombre. Nous avons profité de ce qu'ils en ont dit de meilleur ; mais sans nous arrêter aux Vies entières dans lesquelles nous n'avons pas trouvé tout ce qui nous paraît nécessaire pour le représenter tel qu'il était; nous en avons dirigé une autre tirée pour la plus grande partie de ses propres écrits, et pour le reste, d'auteurs contemporains.

Yves se rendit aussi recommandable par sa sainteté de vie que par son grand savoir : *nec minus sanctitate quam scientia venerandus* (87). Son savoir est suffisamment connu par les écrits qui nous restent de sa façon ; et sa sainteté lui attira dès les premiers temps beaucoup de vénération de la part des peuples, nommément de celui de Chartres (88). On fut cependant plusieurs années sans célébrer aucune fête en son honneur, et l'on paraît ignorer s'il a jamais été canonisé dans les formes. Seulement le pape Pie V, en 1570, donna une bulle, pour transférer au vingtième de mai la fête qui se faisait alors en sa mémoire le vingt-troisième de décembre, par la raison que ce dernier jour, tombant toujours en Avent, ne convient pas à la solennité des fêtes. Un autre indice de sa sainteté est le traitement que lui firent subir les Calvinistes au temps de leurs ravages, en réduisant en cendres ses reliques, comme celles des autres saints.

Il ne faut pas au reste confondre Yves, évêque de Chartres, avec un autre Yves, cardinal, prêtre du titre de Saint Laurent *in Damaso*, auparavant chanoine régulier de Saint-Victor à Paris, et mort en 1142, ou l'année suivante (89). La même observation est à faire à l'égard d'un troisième Yves surnommé de Chartres, et qualifié docteur, qui avait étudié sous Gilbert de la Poirée, depuis évêque de Poitiers. Celui-ci le cita pour sa défense au concile de Reims en 1148, avec Rotrou un autre de ses disciples, alors évêque d'Evreux et dans la suite archevêque de Rouen.

On a dit plus haut qu'Yves, évêque de Chartres, eut la consolation de voir avant sa mort quelques-uns de ses disciples élevés aux premières dignités de l'Eglise : mais nous n'avons de connaissance particulière que des suivants : Jean, romain de naissance, reçut quelque temps des instructions d'Yves à Saint-Quentin de Beauvais (90). En étant ensuite sorti, il se rendit moine au Bec, et devint depuis évêque de Tusculum et légat du Saint-Siége. Un autre de ses disciples de même nom que le précédent, après avoir perfectionné sous lui ce qu'il avait déjà appris à l'école d'Utrecht, fut évêque de Térouane, et vécut si saintement dans l'épiscopat, que l'Eglise le compte au nombre des saints qu'elle honore (91-92). Il paraît par la manière dont Yves recommande au pape Urbain II, et à Richer, évêque de Sens, Guillaume élu évêque de Paris en 1095, qu'il le regardait comme un de ses élèves (93). Galon, successeur de Guillaume, avait aussi l'avantage, ainsi qu'on l'a montré à son article, d'être élève de la même école. Wulgrin d'abord chancelier de l'église de Chartres, puis élu évêque de Dol au concile de Troyes en 1107, est reconnu pour un de ses disciples (94). On met aussi de ce nombre Samson de Mauvoisin, archevêque de Reims, mort en 1161 (95) ; Odon successivement chanoine régulier, ensuite abbé de Saint-Quentin de Beauvais après Galon, se donne clairement lui-même pour élève de notre saint prélat, dans une assez longue lettre qu'il lui adresse, pour lui exposer l'état de sa conscience (96).

Thevet, dans son Histoire des hommes savants, a cru nous donner le portrait au naturel de l'évêque Yves, qu'il a fait graver en taille-douce, sur un autre que lui avait fourni un ancien livre de la bibliothèque du cardinal Georges d'Amboise (97). Yves y est représenté avec les cheveux qui lui tombent jusque sur les épaules, une calotte qui lui couvre presque toute la tête, une ample et longue robe, à laquelle est attaché un capuchon pendant par derrière.

---

§ 2.

SES ÉCRITS

Robert de Torigny, abbé du Mont Saint-Michel, qui écrivait dans le siècle où mourut Yves de Chartres, atteste dans le petit éloge qu'il a fait de lui que ce prélat avait laissé beaucoup d'illustres monuments de sa science et de son habileté (98) ; et cependant il n'en spécifie aucun. L'anonyme de Molk, qui publia vers le même temps son catalogue d'écrivains ecclésiastiques, nomme quatre de ces monuments (99) ; et Sigebert plus ancien que l'un et l'autre, comme étant contemporain d'Yves, les réduit à son décret et au recueil de ses lettres (100). Mais il est venu dans la suite une foule de savants qui, s'intéressant à la gloire de ce grand évêque, ont fait des recherches à ce sujet, et en ont découvert plusieurs autres. On en a imprimé les principaux ; et les autres ne sont encore que manuscrits. En voici le dénombrement à la tête duquel nous placerons ceux qui ont déjà été imprimés.

1° Le plus célèbre de tous est sa collection des canons, sur quoi il y a diverses observations à faire. La plupart, ou même presque tous les écrivains qui ont entrepris d'en parler, n'en reconnaissent qu'une seule collection; mais il en faut distinguer et admettre deux, par les raisons qu'on va voir :

Yves, n'étant encore qu'abbé de Saint-Quentin de Beauvais, et faisant alors une de ses principales occupations de l'étude de l'antiquité ecclésiastique, comprit de quelle utilité serait un bon recueil de canons et autres règles en usage dans l'Eglise. Il y en avait déjà plusieurs avant ce temps-là, comme nous l'avons remarqué en parlant de ceux de Reginon de Prom, de Bouchard de Vormes, à l'article d'Olbert,

(87) Trit., *Script.*, c. 349.
(88) Ivo, *Vit.*, n. 1 ; 2-2, 20.
(89) *Ibid.*, n. 18; Aub., *Hist. des card.*, t. I, p. 127, 128.
(90) Hug. Fl. *Chron.*, p. 261.
(91-92) Boll., 27 Jan., p. 796, n. 1, 2.
(93) Ivo, ep. 43, 50.
(94) Ep. 176, 178.
(95) Marl., *Metrop. Rem.*, t. II, p. 329.
(96) Ivo, ep. not., p. 230.
(97) Thev., t. II, p. 125.
(98) Robb., *add. ad. Sig.*, p 750.
(99) Melt., *Script.*, c. 95.
(100) Sig., *Script.*, c. 167.

Introdusă în format electronic de Google

abbé de Gemblou. Mais Yves qui en connaissait les défauts, quoiqu'il ne les ait pas tous évités lui-même, les jugeant insuffisants, conçut le dessein d'un autre recueil, et se mit tout de bon à l'exécuter. La manière dont il s'y prit pour en venir à bout, est remarquable; et c'est de lui-même que nous l'apprenons dans l'assez grande préface qu'il a mise en tête (101). Ayant rassemblé en un corps, avec le travail qu'on peut imaginer, les extraits des règles ecclésiastiques que lui purent fournir tant les lettres ou décrétales des papes et les actes des conciles, que les traités des Pères et les constitutions des rois catholiques, il les rangea ensuite en un certain ordre. Le motif qui le porta à entreprendre ce pénible travail fut de rendre service au public, en faisant ensorte que ceux qui n'avaient pas ces écrits en main pussent prendre dans son recueil ce qui leur conviendrait; et, afin que chacun y pût trouver aisément ce qu'il aurait à chercher, il y a observé l'ordre suivant : il dit qu'il y traitera d'abord de la foi, qu'il nomme le fondement de la religion chrétienne, ensuite des sacrements, puis de la conduite des mœurs, enfin de ce qui concerne les différentes affaires, c'est-à-dire celles dont il appartient à l'Eglise de connaître. A ces quatre chefs principaux l'auteur rapporte tout ce qu'il a cru devoir discuter dans son ouvrage, sous divers livres, ou parties, subdivisées en plusieurs titres.

Prévoyant qu'il se pourrait trouver des lecteurs qui n'entendraient pas assez ce qu'il dit, ou qui croiraient y apercevoir de la contradiction, il a soin de les avertir de ne se pas presser de les blâmer, mais de considérer attentivement ce qui est dit suivant la rigueur du droit, ou suivant l'indulgence, par la raison que tout le gouvernement ecclésiastique est fondé sur la charité. C'est par ce principe, ajoute-t-il, en le montrant fort au long, que l'Eglise se tient tantôt à la sévérité des règles, et tantôt s'en relâche par condescendance (102). Ce qu'Yves dit ici a trait à la méthode qu'il a suivie dans sa collection, en y insérant sur le même sujet des canons de l'une et l'autre espèce, c'est-à-dire de rigoureux et de modérés. Mais, de peur qu'on ne crût que cette condescendance ou modération pût avoir lieu dans tous les cas, il fait observer qu'il est de deux sortes de préceptes, comme de deux sortes de défenses. Il y en a de droit divin, qui sont établis par la loi éternelle, et d'autres qui ne sont que de discipline, établis par les hommes en vue d'un plus grand bien (103). Les premiers, dit-il, sont immuables et par conséquent ne souffrent point de modération; mais il n'en est pas de même des autres.

Tel est, en général, le plan sur lequel Yves dirigea ses deux collections. Il donna à la première le titre de *Pannormie*, formé de deux mots, l'un grec, l'autre latin, comme pour exprimer un corps de toutes les lois ou règles du droit ecclésiastique (104). Quelques puristes, trop délicats en ceci, voudraient qu'on lût *Pannomie*; mais les anciens manuscrits ne le souffrent pas. D'autres, en plus grand nombre, ont tenté d'enlever à Ives l'honneur de cet ouvrage, prétendant qu'il n'en a composé d'autre sur cette matière que son décret; mais c'est ce qu'ils ne réussiront jamais à persuader aux personnes instruites. Les raisons sur lesquelles ils établissent leur sentiment sont trop faibles à cet égard. Ils disent, d'une part, qu'à la fin de cet ouvrage il y a diverses choses prises des décrétales de Calixte II et d'Innocent, son successeur, après Honorius, qui ne furent papes que plusieurs années après la mort d'Yves (105). Ils allèguent, d'ailleurs, que la *Pannormie* n'est autre chose que l'abrégé du décret de notre auteur, que fit en son temps un certain Hugues, qualifié évêque de Châlons-sur-Marne, comme le rapporte Vincent de Beauvais.

Rien de plus faible que ces prétendues raisons. Par rapport à la première, il n'est point étrange qu'il soit arrivé à la *Pannormie* ce qu'ont souffert dans tous les siècles tant d'autres ouvrages originaux qui, après être sortis des mains de leurs auteurs, ont reçu des additions étrangères, au moins dans plusieurs de leurs exemplaires. C'est justement le sort qu'a eu la *Pannormie*, comme il serait aisé de la justifier par les deux fort anciens manuscrits de ce recueil, que dom Mabillon atteste avoir vus aux abbayes d'Anchin et de Blandimberg (106). Ils portent l'un et l'autre le nom d'Yves de Chartres, et ne contiennent rien des additions alléguées. On a encore la même preuve dans l'ancien manuscrit de Saint-Victor, et dans un autre qu'avait en main dom Antonio Augustinus (107).

L'autre raison sur laquelle on lui dispute cet ouvrage n'a pas plus de solidité. Ce n'est point un Hugues, évêque de Châlons, qui fit l'abrégé dont il s'agit, puisque cette Église n'a point eu d'évêque de ce nom depuis le temps d'Ives de Chartres, mais Haimond de Bazoches qui la gouvernait au milieu du XII^e^ siècle (108). Et bien loin que cet abrégé ne fût autre que la *Pannormie*, ainsi qu'on le suppose, il nous est une preuve du contraire, en ce qu'il montre qu'elle existait auparavant, en ayant été tirée, et non du *Décret* du même auteur. C'est Alberic de Trois Fontaines qui l'atteste, et qui mérite d'autant plus de créance qu'on sait certainement qu'il ne parle dans sa Chronique que d'après les historiens qui l'avaient précédé. « Ce Barthélemi, évêque de Châlons, dit Albéric sur l'année 1151, mourut dans son pèlerinage de Jérusalem; et l'on élut pour évêque l'archidiacre Haimond de Bazoches, homme recommandable par sa noblesse et sa vertu, qui a fait le manuel des décrets suivant la *Pannormie* d'Yves de Chartres. » Témoignage aussi clair que décisif, et qui ne demande point de commentaire.

Celui de Vincent de Beauvais, pris dans son vrai sens, ne l'est pas moins : à cela près qu'au lieu d'Haimond, il nomme Hugues, l'évêque de Châlons, abréviateur de l'ouvrage de notre prélat (109). En effet, après avoir parlé du travail de celui-ci, qu'il qualifie aussi *abrégé*, par rapport aux sources d'où il avait été tiré, il ajoute que l'auteur l'intitula *Pannormie*; mais que comme il n'était pas d'une petite étendue, l'évêque de Châlons entreprit de l'abréger, et en fit un petit livre portatif, qui fut intitulé *la Somme des décrets d'Yves*. Voilà justement le *Manuel* ou *Enchiridion* dont parle Albéric, comme tiré de la *Pannormie* qui, par conséquent, en était fort différente.

C'est ce que le savant M. Baluze avait déjà prouvé par un autre raisonnement (110). L'abrégé fait par l'évêque de Châlons, dit-il, sur le témoignage de Vincent de Beauvais qu'on vient de lire, portait pour titre *la Somme des décrets d'Yves*. Or la *Pannormie*, dans trois anciens manuscrits de l'abbaye de Saint-Aubin d'Angers, et dans un quatrième de la bibliothèque de Saint-Victor, à Paris, est intitulée uniformément partout *Pannormie*, et jamais Somme des décrets. Il en est de même des éditions qui en ont été faites; ce qui montre que les manuscrits dont on s'est servi retenaient le même titre. Nous l'avons vue nous-mêmes intitulée de la même sorte, dans un autre ancien manuscrit de l'abbaye de Saint-Ouen, à

(101) Ivo, *Decr.*, pr.
(102-104) Douj., l. III, c. 28, n. 1; Poss. *App.*, t. II, p. 306; Bail. 23 Dec., p. 283.
(105) Douj., *ib.*, n. 4.
(106) Ibid.
(107) Bal., De *emendatione Gratiani*, pr., n. 23.
(108) Alb. *Chr.*, par. II, p. 320.
(109) Douj., *ib.*, n. 2.
(110) Bal. *ib.*, n. 20.

Introdusă în format electronic de Google

Rouen. Dans tout ceci se présente encore une autre observation, qui tranche la difficulté sans aucun retour ; c'est que le manuscrit de Saint-Victor est plus ancien que l'abréviateur, quel qu'il ait été. Il est donc hors de contestation que son écrit n'est point la *Pannormie*, et qu'il n'y a nulle raison de la refuser à Yves de Chartres, son véritable auteur.

On fait encore naître à son sujet un autre question, savoir si elle a précédé le décret du même prélat, ou si elle n'est venue qu'après (111) ? M. Doujat paraît pencher pour la seconde alternative, et en apporte quelques faibles raisons : mais M. Baluze se déclare ouvertement pour la première, qui mérite la préférence, en ce que le décret est non seulement plus ample, mais aussi mieux travaillé que la *Pannormie*, et qu'il y règne beaucoup plus d'ordre (112). Un historien de la fin du siècle même où est mort l'évêque Yves, et qui n'a écrit que d'après ceux qui l'avaient précédé, comme l'Albéric de Troisfontaines, nous apprend qu'Yves publia son décret en 1090, un an précisément avant qu'il fût élevé à l'épiscopat (113). Il faut, à ce compte, que la *Pannormie* fût déjà sortie des mains de son auteur quelques années auparavant.

On ne doit pas croire, au reste, qu'Yves eût en main tous les livres originaux qu'il indique en général dans sa préface, comme les sources d'où il a tiré ce qu'il rapporte (114). Les livres étaient alors trop rares pour qu'il fût possible d'en rassembler un aussi grand nombre dans deux, trois ou quatre bibliothèques. Mais il en a puisé la plus grande partie dans les recueils qui avaient précédé le sien : nommément dans celui du fameux Isidore, compilateur des fausses décrétales, et dans ceux de Reginon, de Burchard et peut être encore d'autres (115). Et il l'a exécuté de manière qu'il a copié jusqu'aux fautes de ces compilateurs. Isidore avait rangé ses décrétales suivant l'ordre des temps auxquels les papes, qu'il en fait auteurs, ont vécu. Yves a changé cet ordre, et lui a préféré celui des matières. Les constitutions des rois catholiques qu'il y emploie, comme il l'annonce dans sa préface, sont le *Code* Théodosien, le *Code*, le *Digeste* ou *Pandectes* de Justinien, et les *Capitulaires* de nos rois (116).

La *Pannormie* est divisée, non en dix livres, ainsi que quelques écrivains l'ont avancé, mais en huit seulement, et chaque livre subdivisé en titres, ou articles. On y en compte quelquefois jusqu'à seize : et c'est le plus haut nombre. Elle eut cours parmi les gens de lettres, après même que l'auteur eut publié son *Décret*. On a vu que ce fut elle qu'Haimon de Bazoches abrégea ; et l'on croit avoir des preuves que c'est dans la *Pannormie* plutôt que dans le *Décret* que Gratien a puisé pour sa compilation (117). Du reste la préface qui est en tête, étant la même qui se lit au-devant du *Décret*, a donné occasion de confondre très-souvent ensemble les deux écrits (118).

Nous avons deux éditions de la *Pannormie* : l'une *in*-4° faite à Bâle en 1499, par les soins de Sébastien Brant (119). Mais elle est pleine de fautes. L'autre, qui est *in*-8° et beaucoup plus correcte, parut en 1557 à Louvain, chez Etienne Valère, pour Antoine-Marie Bergagne (120). Elle fut dirigée par Melchior de Vosmedian, docteur ès-arts et en théologie, qui prit soin d'en donner le texte dans son intégrité. Mais il en a confondu le titre avec celui du *Décret* de notre prélat ; ce qui ferait juger qu'il a été du nombre de ceux qui ont confondu ensemble les deux ouvrages.

2° Yves, voyant l'accueil favorable qu'on faisait à sa *Pannormie*, forma le dessein d'un plus ample ouvrage sur la même matière, et ne tarda pas à l'exécuter, en composant ce qu'on nomme son *Décret* (121). La *Pannormie* lui servit de plan dans cette seconde opération. Il ne fit que changer un peu l'ordre des sujets dont elle traite, les discuter avec beaucoup plus d'étendue, et y en ajouter de nouveaux. De sorte qu'il poussa cette nouvelle compilation jusqu'à dix-sept livres, ou parties, dont chacune est divisée en grand nombre de chapitres, qui vont quelquefois jusqu'à trois cent soixante-dix-huit, et même quatre cent-trente-cinq, comme la cinquième et sixième partie. Il est vrai que ces chapitres sont ordinairement fort courts, quoiqu'il y en ait quelques uns, nommément dans la première et la seconde partie qui tiennent une et deux pages entières. Du reste l'auteur y a retenu la préface entière de la *Pannormie* : ce qui a donné occasion, ainsi qu'on l'a vu, de confondre les deux ouvrages. Cette préface commence par ces mots : *Excerptiones regularum ecclesiasticarum*, dont on a formé le titre de l'ouvrage dans quelques exemplaires manuscrits (122), et qu'Yves emploie lui même équivalemment pour le désigner, lorsqu'il en parle dans ses lettres, le nommant *collectiones canonum* (123). Dans un ancien manuscrit de Saint-Victor à Paris, l'ouvrage ne porte en tête ni titre, ni nom d'auteur (124). Seulement on lit à la fin : *Explicit liber canonum* ; et sur la feuille suivante il est marqué d'une main plus récente que ce recueil de canons appartient à Yves, ci-devant évêque de Chartres, et qu'on le nomme *Decreta Ivoniani*, en quoi l'on aperçoit visiblement une faute ; le copiste ayant écrit *Ivonani*, au lieu de *Ivoniana*, les décrets d'Yves. Mais l'ouvrage n'est guère plus connu que sous le nom de *Décret*, qui est le titre qu'il porte dans les imprimés, apparemment en conformité des manuscrits, sur lesquels on l'a donné au public.

A la tête, après la préface, vient la table des dix-sept livres ou parties, suivant lesquelles l'auteur a jugé à propos de distribuer les matières qu'il entreprend de discuter (125) : table qu'Yves a pris lui-même soin de diriger, et qui a mérité les éloges du premier éditeur, pour le bel ordre qui y regne. Il aurait pu la louer aussi pour l'idée juste qu'elle donne de l'étendue et de la variété des matières qui y sont traitées. La méthode qu'y suit l'auteur consiste à rapporter sous chaque titre ou chapitre, les passages des Pères de l'Eglise, et autres écrivains ecclésiastiques, des conciles tant œcuméniques que provinciaux, des décrétales des papes, et quelquefois des ordonnances des princes catholiques qui y ont rapport : de sorte que s'il y avait autant de choix et d'exactitude qu'il y a de recherches et d'érudition, ce serait un répertoire inestimable. Il ne laissa pas d'être d'une très-grande utilité pour les gens de lettres, qui n'auraient pu avoir sans de grosses dépenses, ni lire sans dégoût tous les livres que notre auteur

(111) Douj. *ib.*, n. 9.
(112) Bal. *ib.*
(113) Pagi, ad ann. 1117, n. 15
(114) Ivo, *Decr.*, pr., 1.
(115) Douj. *ib.*, n. 2.
(116) C. 27, n. 5.
(117) *Conc.* 28, n. 5.
(118) N. 10.
(119) *Ibid.*, Bal. *ib.*, n. 23; Cave, p. 541, 2.
(120) Bib. S. Flor. Salm.
(121) Bal. *ib.*, n. 24.
(122) Trit., *Script.*, c. 349.
(123) Ivo, ep. 262.
(124) Bal. *ib.*, Douj. *ib.*
(125) Ivo, *Decr.*, pr., p. 6, 2, 7.

Introdusă în format electronic de Google

y a découpés et rangés par ordre. On le regarda même comme le plus parfait qui eût paru jusqu'alors. Aussi eut-il le plus de vogue avec la *Pannormie* du même auteur, jusqu'à ce que le fameux recueil de Gratien, qui ne fut connu qu'au bout de plus de soixante ans, eût le dessus. M. de Marca compte celui de notre prélat pour la première collection de l'un et l'autre droit qui ait été faite en Occident (126). Il est cependant certain que Réginon de Prom avait fait entrer dans la sienne plusieurs traits du droit civil.

Quelques écrivains sont dans l'opinion qu'Yves a puisé la plus grande partie de son ouvrage dans celui de Burchard de Vormes, si l'on en excepte la seconde et la pénultième partie (127). Mais d'autres maintiennent que cela ne paraît vrai qu'en ce que l'un et l'autre copient les mêmes canons ou décrets. Il serait après tout fort difficile de l'en justifier pleinement, puisqu'on le voit copier ses fautes, quelquefois même jusque dans les titres. Il y a aussi beaucoup d'apparence qu'Yves a puisé de même dans Réginon, d'où Burchard a tiré lui-même, selon M. Baluze, environ six cent soixante-dix chapitres pour enrichir sa compilation.

Quelques écrivains, du nombre desquels est D. Beaugendre, ont voulu ravir à Yves de Chartres l'honneur de cet ouvrage, pour le transférer à Hildebert, évêque du Mans, puis archevêque de Tours. Ils appuient leur prétention sur ce que dit Hildebert dans une de ses lettres, où il parle d'un recueil de décrets qu'il avait entrepris de réduire en un volume, mais que ses occupations ne lui avaient pas permis d'achever. D. Beaugendre conclut de là qu'il faut qu'Hildebert ait pour le moins commencé cet ouvrage, *saltem inchoaverit*, et qu'Yves de Chartres, prélat studieux et laborieux, y aura mis la dernière main (128). Car, ajoute l'éditeur d'Hildebert, il ne tombe pas sous le sens que deux auteurs assez éloignés l'un de l'autre, aient entrepris le même ouvrage, sans se communiquer, et se soient tellement rencontrés, qu'ils emploient les mêmes paroles. Pour renverser sans ressource cette prétention, nous n'avons besoin que de la lettre qu'on nous oppose : c'est la vingt-septième du second livre (129). Elle a été écrite à la fin de l'an 1118, ou au commencement de l'an 1119, sur la mort de Mathilde, reine d'Angleterre, arrivée l'an 1118. Ces époques sont certaines et établies par D. Beaugendre lui-même. « C'est dans cette lettre qu'Hildebert parle de l'ouvrage qu'il avait entrepris, et que ses occupations ne lui avaient pas permis d'achever (130). L'ouvrage n'était donc point achevé lorsque Hildebert écrivait à la fin de 1118, ou au commencement de 1119. Qu'on nous dise à présent comment Yves de Chartres, mort deux ans auparavant, c'est à-dire en 1117, pour le plus tard, a pu mettre la dernière main à l'ouvrage d'Hildebert, qui n'était encore que commencé à la fin de l'an 1118, pour le plus tôt? Ce sont-là de ces raisons sans réplique qui dispensent d'en ajouter d'autres.

Concluons donc que c'est à tort qu'on a voulu faire honneur à Hildebert du *Décret* d'Yves de Chartres; et que, si l'évêque du Mans a composé quelque ouvrage de ce genre, il n'est point parvenu jusqu'à nous; soit qu'il n'y ait point mis la dernière main, soit qu'il soit perdu.

Quant au prologue du *Décret* qui se trouve à la fin des lettres d'Hildebert dans toutes les éditions des Pères, et qui, selon D. Beaugendre, appartient à l'évêque du Mans, nous n'avons encore besoin que de l'aveu de l'éditeur, pour renverser cette prétention. Car enfin, puisque ce prologue, comme D. Beaugendre lui-même en convient, ne se trouve dans aucun manuscrit d'Hildebert, quelle raison peut-on avoir de le lui attribuer, et de l'en croire auteur? Ce sera apparemment sur le fondement de la lettre dont nous avons parlé, que nous avons fait voir, montrer tout le contraire. En un mot l'ouvrage d'Yves de Chartres était fini en 1116; et celui de Hildebert ne l'était pas encore en 1118, lorsqu'il écrivait la lettre vingt-septième. Ainsi il est évident qu'Yves n'a pu mettre dans son écrit ce qui n'était pas encore sorti de la plume de l'évêque du Mans.

Nous n'avons que deux éditions du *Décret* d'Yves de Chartres; la première donnée en l'an 1561, par Jean du Moulin, docteur en droit canon dans l'université de Louvain; la seconde en l'an 1647 à Paris, publiée par le P. Fronteau, chanoine régulier de Sainte-Geneviève.

3° De tous les ouvrages d'Yves, le plus considérable et le plus estimé avec raison des savants, est le recueil de ses lettres.

Ces lettres sont au nombre de 289, en y comprenant une charte d'Yves (131), et une (132) assez longue lettre d'Hugues, abbé de Pontigni, et de saint Bernard à Odon, abbé de Marmoutier, qu'on trouve à la fin en forme d'appendice. Elles ont toutes été écrites durant son épiscopat, à l'exception de la 287e, qu'il écrivit n'étant encore qu'abbé.

Il est visible que celui qui a pris le soin de dresser ce recueil, n'y a pas toujours gardé exactement l'ordre chronologique. Car, outre que la 287e devrait être la première pour la raison qu'on vient de voir, il y en a plusieurs autres déplacées. Par exemple, la 7e à Roscelin n'a été écrite certainement qu'après plusieurs de celles qui la suivent; puisque l'auteur avait déjà plusieurs années d'épiscopat lorsqu'il l'écrivit. Il en faut dire autant de la 25e au pape Urbain II, n'ayant été écrite qu'après la 7e année de son épiscopat. Au contraire la 277e qui est adressée à Hildebert, nouvellement élu évêque du Mans, devrait être placée bien plus haut, puisqu'elle est de l'an 1097. On a mis à la tête deux lettres du pape Urbain II, sur l'ordination d'Yves, qui servent comme d'introduction à toutes les suivantes.

Tous les savants conviennent que ce recueil de lettres est un des plus précieux monuments de l'érudition ecclésiastique que nous ayons pour la fin du XIe et pour le commencement du XIIe siècle. M. Baillet, ce critique si célèbre, en parle ainsi dans la vie de l'auteur (133) : « On a dans le recueil des lettres d'Yves les principaux points de la doctrine, des mœurs et de la discipline de son temps; et surtout beaucoup de décisions excellentes sur divers cas de conscience et sur diverses questions de droit qu'on

(126) Marca, *Concord. Sacerd. et imp.*, l. III, c. 6, n. 2.

(127) Douj., *ib.*, n. 8.

(128) *Excerptiones autem decretorum quas in unum volumen ordinare disposuimus, ad suum finem nondum perductæ sunt. Opus enim hoc liberum cœris pectus desiderat*, etc.

(129) Hild. Op., p. 123, 124.

(130) *Ib.*, p. 124, not.

(131) Ivo, ep. p. 1, 124.

(132) Il paraît que Juret n'a joint cette lettre de Hugues de Pontigni et de saint Bernard à celles d'Yves que parce qu'il a cru que l'évêque de Chartres dont il est parlé dans la lettre n'est autre qu'Yves lui-même. Mais c'est une méprise certaine; car l'évêque de Chartres dont il est question dans cette lettre n'est autre que Geoffroi II, successeur immédiat de saint Yves, dans l'évêché de Chartres.

(133) Bail., 23 Dec., p. 287

Introdusă în format electronic de Google

lui proposait. On y voit partout une connaissance profonde des affaires de l'Eglise, une droiture de cœur merveilleuse, une science et une capacité de très-grande étendue, un zèle pour la pureté de la foi et des mœurs, et pour l'observation des canons, toujours fort ardent, mais toujours éclairé, discret et tempéré par une modération et une sagesse admirables. » Dès le vivant de l'auteur, Sigebert en a parlé comme d'un recueil de lettres fort utiles (134); et spécifiant la soixantième, écrite en 1099 à Hugues archevêque de Lyon et légat du Saint Siége en France, il dit que cette lettre, toute courte qu'elle est pour les paroles, est remplie de citations, de canons et d'autorités des saints Pères, qui la rendent très-instructive. Albéric, moine de Troisfontaines, nous représente ce recueil comme un ouvrage qui inspire partout l'amour du bien et de la justice, et la haine du mal et de l'injustice (135). Entre autres livres légués vers l'an 1150 à la cathédrale de Soissons par l'évêque d'Anculfe, on marque *le Décret* et *les lettres d'Yves de Chartres*, par où l'on voit l'estime que ce prélat faisait de l'un et de l'autre ouvrage (136).

Il serait à souhaiter que nous pussions entrer dans le détail de ce qu'un recueil si excellent contient au moins de plus important et de plus curieux. Mais comme cela nous conduirait bien au delà des bornes que nous nous sommes prescrites, et que d'ailleurs M. Dupin nous a prévenu là-dessus, en nous donnant une notice assez exacte du contenu de chaque lettre (137); nous nous contenterons d'observer que ce qui rend encore ce recueil plus précieux, ce sont divers points de l'histoire tant civile qu'ecclésiastique de France, qu'on cherchait inutilement ailleurs.

C'est dans cette source qu'il faut surtout puiser les principales circonstances et les suites fâcheuses du funeste divorce du roi Philippe Ier avec la reine Berthe, sa légitime épouse, et de son scandaleux mariage avec Bertrade de Montfort, que ce prince avait enlevée au comte d'Anjou, son mari (138) : c'est là principalement qu'on peut aussi apprendre les raisons d'Etat qui portèrent le roi Louis VI à se faire sacrer en 1108, non à Reims, mais à Orléans (139). Il y a même quelques lettres qui peuvent beaucoup servir pour les généalogies de diverses anciennes maisons de France : savoir la quarante-cinquième pour les généalogies des maisons de Meulan et de Crespi ; la cent vingt-neuvième pour les généalogies des maisons de Vendôme et des vicomtes de Blois ; et la deux cent onzième pour celle des comtes de Flandres et des comtes de Rennes.

Il est bon d'ajouter qu'il y en a deux sur l'eucharistie : savoir la deux cent cinquante-unième à Manassès, évêque de Meaux, de laquelle MM. de P. R. ont tiré la quatrième leçon de leur quarante-troisième office du Saint-Sacrement ; et la deux cent quatre-vingt-septième à Haiméri, abbé d'Anchin, où il décide que les apôtres reçurent dans la dernière cène le corps de Jésus-Christ passible tel qu'il l'était alors : au lieu qu'actuellement nous le recevons, en communiant, impassible tel qu'il est depuis sa résurrection. Cette dernière lettre a paru si importante à Jean Ulimier, prieur des chanoines réguliers de Saint-Martin de Louvain, qu'il a jugé à propos de la joindre aux traités sur l'eucharistie de Lanfranc, d'Alger, de Guitmond, d'Adelman et de Pierre le Vénérable, dans un recueil imprimé à Louvain en 1561, in-8° (140) : d'où elle a passé dans la bibliothèque des Pères de Margarin de la Bigne, et encore en d'autres recueils (141).

Touchant la deux cent soixante-seizième, il est important de savoir que ce n'est point à Jean, archevêque de Lyon, comme portent les imprimés, mais à Josceranne, archevêque de la même ville, qu'elle a été écrite (142). Cette remarque est nécessaire pour qu'on ne s'obstine pas à vouloir grossir le catalogue des archevêques de Lyon d'un prétendu Jean, qui n'a jamais existé. A l'égard de la deux cent soixante-dix-septième dans laquelle saint Yves accuse Hildebert, nouvellement élu évêque du Mans, d'avoir mené une vie licencieuse depuis qu'il eut été fait archidiacre, il est encore bon de savoir que François Juret, dans ses notes sur cette lettre, a prétendu que ce n'est pas à Hildebert, comme le porte l'imprimé de la première édition, mais à un autre nommé Aldebert, comme le porte un ancien manuscrit de Saint-Victor, que cette lettre a été écrite. Mais pour réfuter cette prétention de Juret, il suffit de remarquer que ce n'est pas dans la seule adresse de cette lettre que Hildebert est nommé Aldebert ; puisqu'il est encore nommé de même dans une des poésies de Baudri, son contemporain et son ami (143). Au reste cette lettre ne saurait préjudicier en rien à la réputation de cet illustre évêque du Mans, puisque tout ce qu'Yves y a avancé à son désavantage, il dit ne le savoir que de ceux qui n'avaient voulu ni conseiller, ni consentir à son élection, et qui étaient ainsi intéressés à le décrier (144).

Si le recueil des lettres d'Yves est un précieux monument de son érudition ecclésiastique, il ne l'est pas moins de sa modestie et de son humilité. C'est sans doute par un effet de cette modestie qu'écrivant sa vingt-huitième lettre au roi Philippe, il n'y prend point d'autre qualité que celle d'*humble clerc*, ou chapelain de sa majesté. Dans le plus grand nombre de ses autres lettres, il ne se qualifie que d'*humble ministre* ou *serviteur* de l'église de Chartres (145).

On voit par la lettre cent dix-huitième que ses lumières sur la géographie n'étaient pas fort étendues, et qu'il ne connaissait guère l'antiquité des métropoles de France, que par une vue superficielle qu'il avait jetée sur les anciennes notices des Gaules (146).

Il ne faut pas oublier que ses lettres ne sont pas moins remplies que son Décret de citations des Pandectes, du Code, des Novelles et des Instituts de Justinien (147).

Il s'est fait trois éditions différentes du recueil entier des lettres de notre saint et savant prélat. La première parut à Paris chez Sébastien Nivelle ; quelques exemplaires portent en 1584, et les autres en 1585 : je ne sais s'il n'y en a pas qui portent encore en 1583 (148) ; puisque le Père le Long marque expressément cette date (149). C'est François Juret qui a donné cette édition *in-4°*, comme on le voit par son épître dédicatoire sans date à Pierre Pithou. Le privilége est de 1578, ce qui pourrait porter à croire

(134) Sig., *Script. eccl.*, c. 167.
(135) Alb., *Chr.*, par. II, p. 228.
(136) Dormai, *Hist. de Soiss.*, p. 161
(137) Dupin, XIIe siéc., p. 3, 78.
(138) Ivo, epist. 13, 14, etc.
(139) Ep. 189.
(140) Bib. S. Vinc. Cent.
(141) *Bib. PP.*, t. I, p. 485, 488
(142) Mab., *An.*, l. LXXII, p. 3, et t. V, App. p. 682.
(143) Duchesne, t. IV, p. 271.
(144) Mab., *Ann.*, l. LXIX, n. 59.
(145) Ep. 32 et seqq.
(146) Le Beuf, *dissert. sur l'hist. de Paris*, t. II, p. 172.
(147) Pasq. *Rech. de la Fr.*, p. 880.
(148) *Bib. Bigot.*, part. II, p. 181.
(149) Le Long, *Bib. Fr.*, p. 331, 2.

Introdusă în format electronic de Google

qu'il y en avait déjà eu une édition précédente : mais il est certain qu'il n'y en a point eu d'autre avant celle-ci. La seconde parut aussi à Paris chez Sébastien Cramoisy en 1610 *in*-4° (150). Lipen la met dès l'année précédente 1609 (151). Ce fut encore Juret qui donna cette édition, comme il paraît par une nouvelle épître dédicatoire adressée à Jacques-Auguste de Thou, premier président du parlement de Paris. Celle-ci est préférable à la première; car, outre que Juret y a corrigé plusieurs fautes, et rempli plusieurs lacunes qui se trouvaient dans la précédente, il y a joint de savantes observations qui en éclaircissent le texte, et servent beaucoup à éclaircir l'histoire de l'auteur, et à faire connaître les personnes à qui ces lettres sont adressées. Il y a aussi des notes de Jean-Baptiste Souchet, qui sont un supplément à ce qui manque dans celles de Juret. Nous sommes redevables de la troisième édition au Père Frontau, chanoine régulier de Sainte-Geneviève, qui a suivi en tout la seconde de Juret, dans son édition générale des œuvres de notre prélat, publiée à Paris chez Laurent Cottereau en 1647, *in-fol.* (152).

Outre ces trois éditions du recueil entier, il s'en est fait plusieurs autres d'un certain nombre de lettres, soit réunies ensemble, soit imprimées séparément. Nous ne faisons pas ici le dénombrement de toutes celles qui se trouvent dans les Annales de Baronius (153), soit dans la collection des conciles (154); le détail en serait ennuyeux. Nous dirons seulement qu'André Duchesne a inséré dans sa collection des historiens français toutes celles qui concernent l'histoire de France, les regardant comme des monuments et des originaux excellents pour servir à l'histoire (155). Elles sont au nombre de quarante-six.

Une des plus considérables entre celles qui sont dans Duchesne, est la 189e du grand recueil. Cette lettre qui traite du sacre et du couronnement de nos rois, a été imprimée séparément, premièrement en latin sous ce titre : *De consecratione Ludovici regis*, à Sens en 1561, *in*-4°, par les soins de Claude Goust, lieutenant général de la même ville; et puis traduite en français, à Chartres, en 1594, aussi *in*-4° (156). Cette édition française paraît avoir été faite à l'occasion du sacre du roi Henri IV. La même lettre se trouve encore tant en latin qu'en français, dans le cérémonial français de M. Godefroi, t. I, p. 127 et 130. La soixantième, écrite en 1099 à Hugues, archevêque de Lyon, au sujet des investitures des évêques et des abbés, qui est la seule, comme on l'a vu ci-dessus, que Sigebert ait spécifiée, a été imprimée par les soins de Melchior Goldast, entre les apologies de l'empereur Henri IV, que le même Goldast publia à Hanovre en 1611 (157). Il est bon d'être averti que l'archevêque Hugues fit à cette lettre une réponse que M. Baluze a déterrée, et qu'il nous a donnée dans ses *Miscellanea*.

On a vu ci-devant que la deux cent quatre-vingt-septième à Haimeri, abbé d'Anchin, a été imprimée, aussi séparément, par Ulimmier et par Margarin de la Bigne. Nous apprenons de Lambecius qu'on conserve dans la bibliothèque de l'empereur à Vienne, un excellent manuscrit des lettres d'Yves de Chartres, sur lequel il dit qu'on pourrait corriger quantité de fautes qui se trouvent dans les imprimés (158). Ce manuscrit est apparemment le même que celui dont parle Possevin, qui se gardait de son temps à Vienne chez Wolfgrand Lazius, et dont il paraît qu'on faisait une estime particulière (159). Dom Montfaucon indique un autre manuscrit qui ne contient que deux cent soixante quatorze lettres; mais qui a cela de particulier, qu'on lit à la fin une prose rimée, qui commence ainsi : *Alpha et omega, magne Deus* (160). Si c'est notre prélat qui a lui-même dressé l'ancien recueil de ses lettres, comme il y a lieu de le croire, il pourrait bien y avoir ajouté cette prose en forme d'épilogue, pour consacrer à Dieu l'ouvrage entier.

Quelques peines que Juret se soit données pour ramasser toutes les lettres d'Yves, il lui en a échappé trois qui méritent d'être jointes aux autres, lorsqu'on en fera une nouvelle édition. Ces lettres sont la vingtième du second livre de celles de Geoffroi de Vendôme, où il est traité de la réitération de l'extrême-onction; une autre au pape Pascal II, en faveur de l'abbaye de Saint-Pierre de Chartres, que dom Dachéry a tirée de l'abbaye d'Evron dans le Maine, et qu'il a insérée dans ses notes sur Lanfranc, p. 360; et enfin une à Adèle, comtesse de Blois, sur le dessein qu'avait cette princesse de rétablir l'ancien monastère de Saint-Martin en Vallée (161). Dom Mabillon nous a donné cette dernière non-seulement imprimée, mais encore gravée sur l'original, dans son grand ouvrage de la *Diplomatique*. Sanderus parle d'une quatrième lettre sur les mystères de la messe, qui se trouve parmi les manuscrits de l'abbaye de Saint-Amand (162) : mais comme il n'en dit rien de plus, nous ne pouvons point en donner une plus ample notice.

Outre les lettres qui ne sont point dans le recueil de Juret, il y manque aussi trois chartes de notre prélat. La première, donnée en faveur des chanoines réguliers de Bourgmoyen, à Blois, est datée de Chartres le 24 juin 1105 : elle est remarquable en ce qu'entre autres témoins, elle fut souscrite par le grand saint Anselme, archevêque de Cantorbéry, qui, par conséquent était alors à Chartres (163). On est redevable de cette pièce à Jean Bernier, qui nous l'a donnée parmi les preuves de son *Histoire de Blois*. La seconde est la charte de fondation de l'abbaye de Tiron, en date du 3 février 1110, écrite au nom de l'Eglise de Chartres, et à laquelle Yves, comme évêque, souscrit le premier (164). Le début de cette lettre est un récit des visions et apparitions extraordinaires, qui précédèrent l'arrivée à Chartres du B. Bernard, fondateur et instituteur de cette maison, qui était venu demander à Yves et à ses chanoines le fonds sur lequel il voulait la bâtir. On voit dans les souscriptions quelles étaient alors les dignités établies dans l'Eglise de Chartres, qu'il y avait six archidiacres et plusieurs prévôts. Dom Mabillon l'ayant trouvée dans le cartulaire de Tiron, lui a donné place parmi les pièces qui composent l'Appendice du cinquième tome de ses Annales. La troisième charte est un acte public en faveur de l'abbaye de Bonneval, adressé à l'abbé Bernier, que dom Dachéry a publié à la fin de ses notes sur Guibert de Nogent (165).

(150) *Bib. Caum.*, p. 44.
(151) Lip. *Bib. theol.*, t. I, p. 606.
(152) Bib. S. Vinc. Cent.
(153) Bar., an. 1100, etc.
(154) *Conc.*, t. X, p. 486, 490, etc.
(155) Duchesne, t. IV, p. 217 247.
(156) Le Long, *Bib. Fr.*, p. 155, 1.
(157) Gold., *Apol.*, p. 183-187.
(158) Lamb., *biblioth.*, t. II, p. 953.
(159) Poss., *Appar.*, t. II, p. 307
(160) Montf. *Bib.*, p. 1238.
(161) Mab., *Dipl.* p. 564, 652; *An.*, I. LXVIII, 60.
(162) Sand., *Bib. Belg.*, par. I, p. 42.
(163) Bernier, *Hist. de Blois*, preuv., p. 8.
(164) Mab., *Annal.*, t. V, App., p. 680, 681.
(165) Guib., not., p. 664.

Introdusă în format electronic de Google

On peut aussi compter parmi les omissions du recueil de lettres, donné par Juret, deux sentences d'Yves, que Jacques Petit a fait imprimer à la suite du Pénitentiel de saint Théodore, archevêque de Cantorbéry (166). La première est une sentence qu'Yves prononça contre trois prévôts de sa cathédrale, qui vexaient beaucoup les chanoines, leurs confrères et les pauvres. La seconde est un jugement qu'il rendit, comme commissaire du légat apostolique Hugues, archevêque de Lyon, sur le différend qui était alors entre les moines de Marmoutiers-les-Tours, et ceux de Saint-Martin des Champs, à Paris, pour la possession de l'église d'Hienville, située dans la paroisse du Paiset, au diocèse de Chartres. Par ce jugement l'église d'Hienville fut pour toujours adjugée aux moines de Saint-Martin des Champs, et ceux de Marmoutiers furent absolument déboutés de leurs prétentions.

Enfin on pourrait encore ajouter aux lettres d'Yves de Chartres, le règlement qu'il fit en faveur de sa cathédrale, dont il est parlé dans le Nécrologe de la même Eglise en ces termes : *Junioratus omnes hujus Ecclesiæ et precarias in communes redegit usus, et eas in posterum personis distribui tam suo quam apostolico privilegio, vetuit* (167). Il paraît par l'explication que M. du Cange donne des mots de *junioratus* et de *precaria*, que saint Yves régla que tous les vicariats dépendants de sa cathédrale, et toutes les corvées qui leur étaient dues entreraient dans la manse commune; et que personne n'en serait plus doréna avant pourvu à titre de personat ou de bénéfice (168). Il eut soin de faire confirmer ce règlement par un rescrit du pape : mais il ne paraît pas que ni l'un ni l'autre soient venus jusqu'à nous.

Pour revenir au recueil imprimé des lettres d'Yves, une preuve certaine qu'il ne contient peut-être que la moindre partie de celles qu'il écrivit pendant son épiscopat, c'est que presque toutes les lettres qui composent le second livre de celles de Geoffroi de Vendôme sont adressées à ce prélat. Cependant il n'y en a qu'une seule de lui, savoir la vingtième du même livre. Est-il vraisemblable qu'Yves n'ait fait que cette seule réponse à Geoffroi, et qu'il ait gardé le silence sur les autres lettres de cet abbé.

Avant que de finir cet article, il est à propos de remarquer, afin qu'on ne multiplie pas sans sujet les écrits de l'évêque de Chartres, que l'ouvrage ainsi intitulé dans un manuscrit de l'abbaye de Saint-Amand, *Ivonis Carnot. De excommunicatis, nisi denuntiati fuerint, non vitandis*, n'est autre chose que sa cent quatre-vingt-sixième lettre à Laurent, moine de la Charité, où ce point de discipline ecclésiastique est expressément prouvé (169).

4° Après les lettres d'Yves, on nous a donné dans l'édition de ses œuvres de 1647 un recueil de ses sermons, qui sont au nombre de vingt-quatre (170).

Les six premiers sont plutôt des opuscules ou des traités particuliers que de simples sermons. Aussi l'auteur lui même, citant le cinquième, où il traite des rapports qui se trouvent entre l'ancien et le nouveau sacerdoce, ne l'appelle point autrement qu'un livret : *In libello*, dit-il, *quem composui de convenientia veteris et novi sacerdotii* (171). C'est de même sous le titre de livres ou traités qu'ils sont presque toujours désignés dans les manuscrits. Par exemple, dans un manuscrit de l'abbaye de Liessies en Hainaut, ils sont ainsi indiqués : *De sacramentis dedicationis liber unus ; De sacris ordinibus liber unus* (172), etc. Cependant, comme il est porté que les trois premiers ont été prononcés en plein synode, on ne peut douter que ce ne soit autant de discours que notre pieux et savant prélat a prononcés pour l'instruction de son clergé, non tant en forme de sermons que de leçons d'un maître à ses disciples.

Comme ces six premiers sermons ou petits traités sont les plus considérables de tous, et qu'ils paraissent avoir fait beaucoup d'honneur à notre prélat, nous ne pouvons nous dispenser d'en donner une notice au moins générale.

Dans le premier qui est intitulé *De sacramentis neophytorum*, l'auteur, après avoir parcouru les mystères opérés dans les six premiers âges du monde et avoir marqué l'institution du baptême, s'applique à expliquer toutes les cérémonies que l'Eglise employait dans l'administration de ce sacrement, et à en développer les sens mystérieux et spirituels (173); ce qu'il fait avec beaucoup de lumière, d'ordre et de netteté. Dans le second qui a pour titre *De excellentia sacrorum ordinum*, *et De vita ordinandorum*, après avoir marqué quels sont les signes d'une vraie vocation à la cléricature, et expliqué ce que signifie le mot de *clerc*, il explique en détail ce qui regarde les sept ordres ecclésiastiques de portier, de lecteur, d'exorciste, d'acolythe, de sous-diacre, de diacre et de prêtre; marquant avec beaucoup d'exactitude les fonctions de chaque ordre, et les obligations de ceux qui y sont promus : il prétend de plus qu'il n'y a aucun de ces sept ordres, que Jésus-Christ lui-même n'ait en quelque sorte exercé en personne pendant sa vie mortelle. Il est remarquable que, distinguant les prêtres des évêques, il dit que les premiers sont les successeurs et les vicaires des soixante-dix disciples de Jésus-Christ, et les seconds les successeurs des apôtres. Dans le troisième, intitulé *De significationibus indumentorum sacerdotalium*, après avoir parlé de l'origine des habits sacerdotaux qu'il dit avoir été institués sur le modèle de ceux de l'ancienne loi, il en donne des raisons mystiques, et s'étend sur les vertus représentées et figurées par ces saints vêtements. On y voit que les habits des diacres, des prêtres, des évêques et des cardinaux prêtres, étaient alors les mêmes que ceux dont ils se servent encore à présent, quoique la forme en ait été changée par la suite des temps. En lisant ces trois premiers sermons, on s'aperçoit qu'ils sont une suite l'un de l'autre; que le second suppose le premier, et que le troisième est un supplément de ce qui manque dans le second.

Le but du quatrième, qui a pour titre, *De sacramentis dedicationis*, est de montrer que toutes les cérémonies religieuses que l'Eglise emploie dans la consécration de ses temples matériels ne sont que des images mystérieuses de ce qui se fait par le baptême dans la consécration des temples spirituels, qui sont les fidèles. C'est un sermon qui est assurément digne des lumières et de la piété de l'auteur. Le cinquième intitulé *De convenientia veteris et novi sacrificii* (il faut lire *sacerdotii*) est un véritable traité où l'auteur s'étend beaucoup à prouver que le sacerdoce de l'ancienne loi n'a eu d'autre fin que de figurer et représenter celui de la nouvelle; et que le culte grossier que la Synagogue rendait à Dieu n'était qu'un tableau du culte vraiment religieux que l'Eglise lui rend aujourd'hui. Ce discours suffirait seul pour nous convaincre qu'Yves a été de son temps un des savants les plus profonds dans l'in-

(166) *Theod. pœn.*, t. II, p. 551-555.
(167) Du Cange., *Gl.*, n. t. III, p. 1595.
(168) *Ibid.*, t. V, p. 803.
(169) Sand., *Bib. Belg.*, pars. I, p. 33.
(170) Ivo, *Serm.*, p. 259-304.
(171) Ep. 251.
(172) Sand. *ib.*, par. II, p. 28.
(173) Ivo, *Serm.*, p. 259-262.

Introdusă în format electronic de Google

telligence des grands mystères contenus dans les Ecritures de l'un et l'autre Testament. Enfin le dessein du sixième, qui a pour titre *Cur Deus natus et passus est*, est de prouver la nécessité de l'incarnation et de la mort du Fils de Dieu. Le principal raisonnement dont l'auteur se sert pour cela, est que si Dieu avait sauvé, comme il le pouvait, l'homme pécheur par sa seule volonté et sans le sacrifice de son Fils, il aurait à la vérité manifesté sa puissance, qui est sans bornes, mais il n'aurait pas satisfait à sa souveraine justice, qui demandait d'une part que le pécheur ne demeurât pas impuni, et de l'autre, que le diable ne fût pas privé des droits qu'il avait acquis sur l'homme, par la victoire qu'il avait remportée sur lui, sans avoir mérité d'en être dépouillé. Yves développe et étend ce raisonnement, et ajoute plusieurs choses qui font voir qu'il était aussi habile dans les matières théologiques que versé dans celle du droit. Yves paraît avoir composé ce sixième discours, qui est beaucoup plus court que les précédents, et qui n'a aucun air de sermon, sur le modèle du célèbre traité de saint Anselme, *Cur Deus homo?* Nous pouvons ajouter que cet écrit de l'évêque de Chartres n'est qu'un précis et un abrégé de celui du saint archevêque de Cantorbéry.

On conserve dans la bibliothèque du roi d'Angleterre un manuscrit qui porte en tête : *Ivonis Carnot. episcopi*, *De sacramentis ecclesiasticis, libri quatuor* (174-80). Ces quatre livres ne seraient-ils pas les quatre premiers sermons d'Yves dont nous venons de parler? Ce sont en effet comme quatre livres particuliers auxquels ce titre peut fort bien convenir, en entendant par les mots de *sacrements de l'Eglise*, non ce que nous appelons proprement les sept sacrements de l'Eglise, mais en général, comme fait notre auteur, tous les signes sacrés que l'Eglise emploie dans ses cérémonies, et dans tout le culte extérieur qu'elle rend à Dieu. Ce sont encore apparemment ces quatre premiers sermons qui sont aussi désignés sous le nom d'*un livre des sacrements*, dont il est fait mention dans plusieurs bibliographes (181), et dont Gui, évêque du Mans, fit présent vers l'an 1150 à sa cathédrale (182), avec le décret de notre Yves de Chartres. *Ecclesiæ nostræ*, dit l'auteur de la vie de l'évêque Gui, *decreta cum libro De sacramentis, quæ Ivo, Carnotensis episcopus, abbreviavit, noscitur contulisse*. Peut-être néanmoins que ce livre des sacrements n'est autre chose que le premier sermon *De sacramentis neophytorum*. Après cette petite digression qui était nécessaire, revenons à notre sujet.

A l'égard des dix-huit autres sermons de notre prélat, il y en a quinze qui sont des instructions courtes, mais lumineuses et solides, sur les principales fêtes de l'année, savoir l'Avent, la Nativité du Seigneur, la Circoncision, la Purification, la Septuagésime, le commencement du jeûne, ou le mercredi des Cendres, le Carême, l'Annonciation, le dimanche des Rameaux, la cène du Seigneur, ou le jeudi saint, Pâques, l'Ascension, la Pentecôte et la Chaire de saint Pierre (183). Les trois derniers sont des instructions sur l'Oraison dominicale, sur le Symbole des apôtres, et sur les habits *adultérins* ou mondains, tant des hommes que des femmes. On apprend de l'un de ces sermons que la loi de la continence pendant le carême, pour les personnes mariées, était encore alors en vigueur, au moins dans l'Eglise de France. Le commencement de celui de la cène du Seigneur a paru si important à MM. de P. R. qu'ils en ont fait la cinquième leçon de leur office quarante-troisième du Saint-Sacrement. Il est bon d'être averti que, dans un manuscrit du roi d'Angleterre, celui de l'Avent a pour titre *De distinctione Adventus Domini*, parce qu'en effet ce sermon traite du double avénement de Jésus-Christ dans l'humilité de sa chair mortelle dans la plénitude des temps, et dans toute la gloire de sa majesté divine à la fin des temps (184-85).

Le premier qui a entrepris de donner au public les sermons d'Yves est Melchior Hittorpius, qui fit entrer les vingt-un premiers dans son recueil d'anciens écrits sur la liturgie, imprimé à Cologne chez Gervin Calenius en 1568 *in-fol.* (186), et réimprimé à Rome en 1591, et à Paris en 1624.(187) Dans ce recueil ils ont pour titre : *B. Ivonis Carnot. episcopi*, *De ecclesiasticis sacramentis et officiis, De præcipuis per annum festis, sermones nunc primum editi.* Ce titre confirme la remarque qu'on a déjà faite, que le livre ou les quatre livres des sacrements qui, dans quelques manuscrits portent le nom d'Ives, ne sont que le premier ou les quatre premiers de ses sermons. Du recueil d'Hittorpius, les mêmes sermons sont passés dans l'édition générale des œuvres d'Yves, faite à Paris en 1647 par les soins du Père Fronteau (188) ; l'éditeur y a ajouté trois autres sermons, dont le premier, qui est sur les habits *adultérins*, avait déjà été publié par Juret, sur un manuscrit de Saint-Victor, à la suite des lettres de notre respectable prélat.

Les vingt-quatre sermons qui se trouvent dans l'édition du Père Fronteau ne sont pas les seuls qu'Yves ait composés.

Les derniers éditeurs de saint Augustin nous apprennent que le sermon pour un martyr, qui commence par ces mots : *Triumphalis B. martyris N.* lui appartient (189). Ce sermon qui, dans le bréviaire Romain, porte le nom de saint Augustin, était ci-devant le quarante-quatrième parmi ceux que ce saint docteur a composés pour les saints ; et il est maintenant le deux cent vingt-troisième dans l'Appendice du troisième tome de ses œuvres. Les mêmes éditeurs nous avertissent qu'ils l'ont trouvé dans un ancien manuscrit de l'abbaye de Saint-Germain des Prés, où il tient le milieu entre les autres sermons d'Yves de Chartres.

Il est bon de remarquer que ce sermon n'est pas le seul entre ceux qui appartiennent certainement à notre bienheureux prélat, auquel on ait fait l'honneur de le regarder comme une production de saint Augustin. Il y en a trois autres de lui dans le même Appendice ; savoir, le soixante quatrième qui est son sermon vingt-deuxième sur l'Oraison dominicale ; le soixante-quatorzième, qui est son sermon vingt-quatrième sur les habits *adultérins*, et le deux cent quarante-septième, qui est son sermon sixième : *Pourquoi Jésus-Christ est né et a souffert?* Les Bénédictins dans l'*errata* de leur onzième tome de saint Augustin, disent que ces trois sermons se trouvent dans l'édition du P. Fronteau, avec quelques fautes qui sont corrigées dans leur Appendice du cinquième tome de saint Augustin.

Outre le sermon d'un martyr, faussement attribué à saint Augustin, Yves en a encore composé trois autres qui n'ont jamais vu le jour. Le premier est sur la croix, et se trouve dans deux manuscrits ; l'un

(174-80) *Bib. reg. Angl.* p., p. 152 ; VIII, 12.
(181) Sand., par. I, p. 359 ; Montf., *Bib.*, p. 1359, etc.
(182) Mab., *Ann.* t. III, p. 348.
(183) Ivo, *Serm.* p. 286 304.
(184-85). *Bib. reg. Angl.*, p. 152, VIII. 13.
(186) *Bib. Min. Cent.*
(187) *Bib. th.*, II, p. 702.
(188) *Bib.* S. Vinc. Cent.
(189) Aug., *Serm.* App., p. 368. *Patrologiæ* tom. XXXIX, Opp. S. Augustini V, p. II, col. 2158.

Introdusă în format electronic de Google

appartenant au roi d'Angleterre, et l'autre à Thomas Theyer à Londres (190); le second est sur la fête de saint Jean l'évangéliste, qui se trouve aussi dans deux manuscrits, l'un de l'abbaye de Cambron, et l'autre de l'abbaye de Lobbes en Hainaut (191). Le troisième est sur les noces de Jésus-Christ, et se trouve dans un manuscrit indiqué par dom Montfaucon (192).

Si nous nous en rapportions aux conjectures de Jean Prévost, chanoine de l'Eglise de Rouen, nous serions portés à croire qu'Yves de Chartres serait encore auteur des six autres sermons sur les devoirs des pasteurs (193), que le même Jean Prévost a publiés à Rouen en 1679, à la suite du traité des offices de l'Eglise de Jean, évêque d'Avranche, dans la suite archevêque de Rouen (194), dont on a parlé en son lieu.

Ces sermons s'étant trouvés sans nom d'auteur, dans un manuscrit de la bibliothèque de MM. Bigot, ancien de cinq cents ans, Jean Prévost a conjecturé qu'ils pouvaient bien être d'Yves de Chartres (195) : les raisons qu'il en allégue sont : 1° Que ce même manuscrit contient trois sermons du même prélat, qui ont déjà paru plusieurs fois sous son nom. 2° Que le style et la manière de penser de l'auteur de ces six sermons sont fort semblables au style et à la manière de penser d'Yves, dans les sermons qui sont indubitablement de lui, et surtout dans celui qu'il a fait sur la Chaire de saint Pierre. 3° Enfin qu'on ne peut nier qu'ils ne soient de quelque évêque, puisque l'auteur y parle à ses prêtres, comme étant leur supérieur, et chargé en cette qualité de répondre à Dieu de leur conduite : ce qui fait voir que ce sont des discours synodiques.

Mais à ces raisons qui paraissent avoir quelque vraisemblance, on en oppose d'autres qui n'ont pas moins de force pour la combattre, Car, dit-on : 1° si ces six sermons étaient véritablement d'Yves de Chartres, est-il possible que dans cette multitude prodigieuse de manuscrits de ses ouvrages qui se conservent encore aujourd'hui dans les bibliothèques, il ne s'en trouvât pas au moins quelques-uns où ces sermons lui fussent expressément attribués? 2° On a vu ci-devant que les trois premiers de ces vingt-quatre sermons imprimés sont des discours synodiques, dont le but est d'instruire à fond ses ecclésiastiques sur tout ce qui regarde leurs fonctions et leurs devoirs : cela étant, quelle apparence y a-t-il qu'il ait voulu composer six autres discours synodiques sur la même matière, où il n'aurait presque fait que répéter ce qu'il aurait dit dans les précédents? 3° On sait qu'en fait d'instructions synodiques ce n'est pas la coutume des évêques de les multiplier sur le même sujet sans nécessité. 4° Il faut bien remarquer que l'auteur de ces six sermons ne manque point, à la tête de chacun, de prendre un texte de l'Ecriture pour sujet de tout son discours; or, c'est ce que ne fait jamais Yves de Chartres dans aucun des sermons qui sont certainement de lui. On voit par là que, si le style de l'auteur des six sermons en question, a quelque ressemblance avec celui de notre prélat, au moins il y a une différence considérable dans la méthode de prêcher de l'un et de l'autre. Quant à ce que dit Jean Prévost, que la manière de penser de l'auteur de ces sermons est fort semblable à la manière de penser d'Yves, nous ne voyons pas quelle induction on peut tirer de là. Car l'évêque de Chartres n'avait pas une manière de penser qui lui fût propre et particulière. Dans ce temps-là il n'y avait presque qu'une manière de penser sur tous les points concernant la religion, et ce n'a été que depuis Yves que l'Eglise a eu la douleur de se voir inondée d'une multitude d'opinions différentes, tant sur le dogme que sur la morale et la discipline.

Au reste, quel que soit l'auteur de ces six sermons, on voit que c'était un homme judicieux, très-versé dans l'étude de l'Ecriture, des Pères et des conciles, qui avait de la piété, du discernement et une grande connaissance de toutes ses obligations; il écrivait assez bien pour le temps où il vivait. Tous ces caractères joints à d'autres circonstances, nous font naître la pensée que ses sermons pouvaient bien être d'Hildebert évêque du Mans. C'est ce que nous pouvons examiner dans l'article du dernier.

5° Le dernier ouvrage qu'on nous a donné sous le nom d'Yves, dans l'édition de ses œuvres de l'an 1647, est une courte chronique des rois de France, qui commence à Pharamond et finit à Philippe I (196).

Il est surprenant que François Juret qui, le premier, a tiré cette chronique de la poussière des bibliothèques, ne se soit pas aperçu qu'elle ne saurait être de notre prélat. La preuve en est certaine, puisqu'il est parlé de Henri I, roi d'Angleterre, comme d'un prince qui était alors dans la 30e année de son règne. Or, la 30e année du règne de ce prince, qui monta sur le trône l'an 1100, concourt avec l'an 1130 de l'ère chrétienne. Comment donc Yves, qui est mort dès l'an 1116, pouvait-il être auteur d'une chronique qui n'a été écrite qu'environ 14 ans après qu'il n'était plus au monde?

Il est vrai que quelques-uns ont voulu dire que l'endroit de cette chronique qui regarde Henri I, roi d'Angleterre, est une addition faite par une main étrangère (197). Mais quelles preuves en donneront-ils? Cette prétendue addition ne se trouve-t-elle pas dans tous les manuscrits? D'ailleurs elle est une suite fort naturelle de ce qui précède; car, l'auteur ayant parlé immédiatement auparavant de Guillaume le Conquérant et de Guillaume le Roux, prédécesseurs de Henri I sur le trône d'Angleterre, il était naturel qu'il n'oubliât pas ce dernier prince, qui était très-certainement régnant dans le temps qu'il écrivait. A quoi il faut ajouter qu'on ne connait aucun bibliographe qui ait attribué cette chronique à l'évêque de Chartres. Nous parlerons de cette chronique dans l'article de Hugues de Sainte-Marie, moine de Fleury, qui en est le véritable auteur.

Au reste les savants conviennent aujourd'hui que cette chronique est très peu de chose et fort défectueuse (198). L'auteur y rapporte, selon M. l'abbé le Gendre, bien des choses qui ne s'accordent point avec les historiens contemporains.

On a déjà remarqué que François Juret est le premier qui a fait paraître cette chronique, dans les deux éditions qu'il a données des lettres d'Yves de Chartres (199); la première à Paris en 1584 ou 1585, *in*-4°; la seconde aussi à Paris en 1610, *in*-8°. Marquard Frecher se donna la peine de la faire réimprimer en 1613 (200); dans la première partie de son recueil des historiens français. Des deux premières éditions de Juret, elle est encore passée dans celle des œuvres d'Yves, faite à Paris en 1647, *in-fol.* (201).

Nous allons donner ici une notice de cette dernière édition, afin de n'y plus revenir. Quoiqu'on l'an-

(190) *Bib. Reg. Angl.*, ib.; *Cat. mss. Angl.* par. IV, n. 662.
(191) Sand. *ib.* part. I. p. 359, et par. II, p. 559.
(192) Montf. *Bib. bib.*, p. 319, B.
(193) Joan. Abr., *De off. eccl.*, p. 444-487.
(194) *Hist. litt.* t. VIII, p. 64, 74.
(195) Joan. Abr. *ib.*, præf., p. 9, 10.
(196) Ivo, *Chron.*, p. 308-507.
(197) Cave, p. 541, 2; Oud., t. II, p. 875.
(198) Le Long, *Bib. Fr.*, p. 341, 2.
(199) *Bib. Caum.*, p. 44; Le Long, *ibid.*
(200) Le Long *ib.*; Fab. *Bib. Lat.*, l. VI, p. 559
(201) *Bib.* S. Vin. Cen.

Introdusă în format electronic de Google

nonce comme contenant tous les écrits d'Yves de Chartres, il est certain qu'elle n'en contient qu'une partie, savoir : le *Décret*, les *Lettres*, les *Sermons* et la petite Chronique dont on vient de parler. On y a joint les notes de François Juret et de Jean-Baptiste Souchet, sur les lettres, avec la Vie de l'auteur qui a été réimprimée dans les Bollandistes au vingtième de Mai. On trouve à la tête, dans l'exemplaire qui est à la bibliothèque de l'abbaye de Saint-Vincent du Mans, deux différentes épîtres dédicatoires, toutes les deux adressées à Jean Lescot, évêque de Chartres : la première est du P. Fronteau, chanoine régulier de Sainte-Geneviève de Paris, qui s'y donne pour l'auteur de l'édition, et qui la dédie à l'évêque de Chartres, tant en son nom qu'au nom de sa congrégation; la seconde est de Jean-Baptiste Souchet qui, se prétendant aussi auteur de la même édition, la revendique comme un bien qui lui est propre, et dont le P. Fronteau voulait vainement se faire honneur et à sa congrégation. Cela produisit entre ces deux savants un procès littéraire des plus vifs, dont nous n'entreprenons pas ici de faire l'histoire; nous dirons seulement que Cave (202) et Oudin (203) la donnent à Souchet, parce qu'ils n'avaient vu apparemment que son épître dédicatoire; et que MM. Dupui (204) et Dupin (205) la donnent au P. Fronteau.

6° Outre la petite chronique dont on vient de parler, on a encore attribué à Yves une autre chronique bien plus étendue, qui commence à Ninus, fondateur de la monarchie des Assyriens, et qui est divisée en deux parties; dont la première finit à la dernière année de Charlemagne, et la seconde s'étend jusque vers l'an 1054, ou plutôt jusqu'au règne de Louis XI (206).

Gérard-Jean Vossius dit avoir vu cette chronique à Amsterdam, dans un manuscrit de Guillaume Oomsius, où elle avait pour titre : *Histoire abrégée des gestes de quelques rois Assyriens, des gestes de tous les empereurs romains, et enfin des gestes de Charlemagne et de tous ses successeurs, composée par le vénérable Yves, évêque de Chartres* (207). Elle se trouve, avec le même titre, dans un manuscrit de M. Cotton, à Londres (208); c'est sur la foi d'un troisième manuscrit, que Marquard Freeber en a fait imprimer une partie, sous le nom de notre savant prélat, dans sa collection des historiens de France, publiée à Hanovre, en 1613 (209).

Il faut que l'attribution de cette chronique à Yves de Chartres soit bien ancienne, puisqu'elle est expressément citée comme étant de lui dans une lettre que Nicolas, moine de Saint-Alban, en Angleterre, écrivit, vers l'an 1176, à Pierre de Celle, abbé de Saint-Remi : *Ivo venerabilis*, est-il dit dans cette lettre, *Carnotensium episcopus in Chronicis suis scripsit* (210), etc.

Il est à croire que cette chronique n'est pas différente d'un livre qui, dans l'inventaire qui fut fait en 1458 des livres de Gauthier de Shiginpton, chanoine de Chartres, se trouve ainsi marqué : *Ivo, Carnot. episcopus, De collectione historiarum ecclesiasticarum, mensæ frugalis* (211), etc. Il est bon de remarquer à ce sujet que la même chronique est effectivement qualifiée *d'histoire ecclésiastique* dans quelques anciens manuscrits, comme dans celui de Saint-Denis, cité par dom Mabillon (212). Ne serait-ce pas encore la même chose qu'une histoire qui se trouve dans un des manuscrits de l'abbaye de Saint-Evroul, en Normandie (c'est le cinquante-quatrième in-4°), avec ce titre : *Historia magistri Ivonis?*

Mais quoique l'attribution de cette chronique à Yves de Chartres soit, comme on vient de voir, et fort ancienne et fort multipliée, il est cependant certain que cet ouvrage n'est pas de lui (213). Tous les savants conviennent aujourd'hui qu'il appartient à Hugues de Sainte-Marie, moine de Fleuri, ou de Saint-Benoît sur Loire, qui en composa la première partie en 1110, à la prière d'Adèle, comtesse de Blois et de Chartres, et puis la seconde partie à la prière de la reine Mathilde, femme de Henri Ier, roi d'Angleterre, comme on le verra dans l'article de cet écrivain.

Ce qui aura apparemment causé la méprise, c'est (214) une lettre du même Hugues de Sainte-Marie à nôtre prélat, par laquelle il lui adresse son ouvrage, en le priant de vouloir bien se donner la peine de le revoir et le corriger. Comme cette lettre se trouvait à la tête de la chronique, il sera arrivé que des lecteurs superficiels ou des copistes peu attentifs, sans examiner autrement la lettre, auront conclu, en y voyant le nom d'Yves, qu'il était auteur de la chronique. Il leur aura été d'autant plus aisé de tomber dans cette méprise que le nom de l'auteur était peu connu, au lieu que celui d'Yves était célèbre partout. Ceux qui sont au fait des manuscrits savent que ces sortes de méprises n'ont été que trop communes avant l'invention de l'imprimerie.

7° Si notre prélat ne peut pas être regardé comme auteur des deux chroniques précédentes, il n'en est pas apparemment de même d'une Vie de saint Augustin qui porte son nom. Cette Vie, qui a été inconnue jusqu'ici à tous les bibliographes, se trouve dans deux manuscrits : l'un de la bibliothèque de M. Cotton, à Londres, où elle a pour titre : *Vita B. Augustini, Hippon. episcopi per Ivonem Carnot. episcopum* (215); et l'autre de l'église de Saint-Pierre de Cambridge, où elle est ainsi intitulée : *Excerptiones venerabilis Ivonis, Carnot. episcopi, De confessionibus et Vita B. Augustini, Hippon. episcopi.* On voit, par ce dernier titre, que cette *Vie* est composée des passages tirés des confessions de saint Augustin et de la vie de ce saint docteur, écrite par Possidius, évêque de Calame.

8° Dans l'énumération que l'anonyme de Molk, publiée par dom Pez, fait des ouvrages d'Yves de Chartres, il marque un Martyrologe des saints (216); mais ce Martyrologe pourrait bien être un ouvrage chimérique, puisqu'on n'en trouve absolument rien ailleurs.

9° Lorsque dans notre huitième volume nous avons parlé du *Micrologue sur les rites ecclésiastiques*, nous savions certainement que cet excellent écrit était l'ouvrage d'un évêque qui vivait avant la fin du XIe siècle (217); mais nous ne savions pas avec la même certitude que cet évêque fut Yves de Chartres. Nous

(202) Cave, p. 541, 2.
(203) Oud., p. 875, 2.
(204) Dupui, *Cat. du Droit can.*, p. 133.
(205) Dupin, p. 83.
(206) Cave, *ib.*; Oud., p. 875, 876; Lamb., *Bib.*, t. II, 856, 860.
(207) Voss., *Hist. Lat.*, l. II, c. 47.
(208) *Bib. Cott.*, p. 97, n. VIII, 22.
(209) Fab., *Bib. Lat.*, l. VI, p. 559.
(210) Pet. Cell., l. IX, ep. 9, p. 184.
(211) *Monastic. Angl.*, t. III, p. 363, 1.
(212) Mab., *Ann.*, l. 74, n. 48.
(213) Lamb., *ib.*; Oud., *ib.*; Sand. in Voss., p. 42; Mab., *ib.*; Alex., *Instr. ecclés.*, t. VI, p. 515, 2; Dupin, *ib.*; p. 83.
(214) On trouve cette lettre à la tête des témoignages des anciens touchant Yves de Chartres, qui sont recueillis au commencement de l'édition de ses œuvres de 1647. Il en est parlé dans dom Mabillon, *Ann.*, l. LXXIV, n. 48.
(215) *Bib. Cott.*, p. 93, n. 13.
(216) Anonym. Mell., *Script.*, c. 9, p. 155.
(217) *Hist. litt.*, t. VIII, p. 320, 323.

Introdusă în format electronic de Google

sommes redevables à Henri Warton de nous avoir appris ce fait important, de manière à n'en pouvoir plus douter (218). Le même auteur nous apprend encore que cet écrit n'est qu'une partie détachée d'un ouvrage plus étendu, qu'Yves a composé sur les offices de l'Eglise : *De officiis ecclesiasticis*, dont il y a un très-beau manuscrit, presque aussi ancien que l'auteur, dans la bibliothèque de Lambeth, en Angleterre.

Cet ouvrage d'Yves sur les offices de l'Eglise, tel que nous le représente Warton, est composé de soixante-onze chapitres, dont les huit premiers traitent des matines, laudes, prime, tierce, sexte, nones, vêpres et complies. Les soixante-deux suivants composent le Micrologue ; et le dernier, qui n'est pas dans le Micrologue, traite des auteurs de la messe, et de chacune de ses parties. On voit par là que c'est un des ouvrages, sur la liturgie, des plus considérables et des plus étendus qui aient été composés anciennement.

Ceux qui désireront en avoir une notion plus parfaite et plus détaillée peuvent se satisfaire, en lisant ce qu'on a dit dans le huitième volume de l'histoire littéraire du Micrologue, qui fait une partie considérable de l'ouvrage de notre prélat sur les offices de l'Eglise. Nous observerons ici seulement que cet écrit sur les offices de l'Eglise, dont Yves est l'auteur, et qui mériterait bien d'être imprimé en entier, n'est visiblement autre chose que l'écrit marqué par l'anonyme de Molk sous le nom de *sentences sur les offices divins*, et qu'il attribue expressément à notre saint prélat.

Outre le manuscrit de la bibliothèque de Lambeth, indiqué par Warton, il s'en trouve encore deux autres : l'un dans la bibliothèque du collége *de toutes les âmes*, à Oxford, et l'autre dans celle du collége de Saint-Benoît, à Cambridge (219). A ces quatre manuscrits d'Angleterre, il en faut ajouter un que l'on conserve à Rome, dans la bibliothèque du Vatican, qui a appartenu à la reine de Suède (220).

10° Un des ouvrages qui, selon toutes les apparences ferait le plus d'honneur à Yves, s'il était imprimé, est son commentaire sur les Psaumes (221). Il se trouve dans deux manuscrits, l'un de la bibliothèque de M. Colbert, coté 1473, en deux volumes in-fol. ; et l'autre de la bibliothèque de Saint-Allire de Clermont, en Auvergne, en un vol. in-fol., et dans un troisième manuscrit des Pays-Bas, dont parle Sanderus (222).

11° On voit dans plusieurs manuscrits, tant de France que d'Angleterre, un livre sous le nom d'Yves de Chartres, qui a pour titre : *De multimoda distinctione Scripturarum* (223). Il n'est pas facile de savoir ce que c'est que ce livre. Dans un des manuscrits appartenant à la bibliothèque publique de Cambridge, le titre en est expliqué, comme si ce livre n'était autre chose que le recueil même des lettres d'Yves (224).

Voici le titre : *Ivo Carnotensis episcopus, De multimoda distinctione Scripturarum, sub una castorum eloquiorum facie contentarum : vel, ut ab alio notatur, epistolæ Ivonis.* Au contraire, dans un autre manuscrit appartenant au chevalier Cotton (225), le titre en est exprimé comme si le livre n'était autre chose que la *Pannormie* de notre prélat : *Liber Pannormiæ Ivonis Carnot. episcopi De multimoda distinctione Scripturarum, sub una castorum eloquiorum facie contentarum.* Dans un troisième manuscrit de la cathédrale d'Ilerford, le même livre n'est désigné que sous le titre général de *Distinctions d'Yves de Chartres* (226). C'est à ceux qui entreprendront un jour de donner une nouvelle édition des œuvres de ce grand prélat, de déterrer cet écrit et de le faire connaître au public. Il est bon qu'ils soient avertis qu'il s'en trouve un exemplaire parmi les manuscrits in-4° de l'abbaye du Mont Saint-Michel, numero 165.

12° Possevin parle d'un écrit de notre prélat, intitulé *Liber De determinandis Patrum decretis*, qui se trouvait de son temps à Vienne en Autriche, avec les lettres de saint Yves parmi les manuscrits de Wolfgand Lazius (227). Cet écrit nous est encore moins connu que le précédent, à moins que ce ne soit, ou la *Pannormie*, ou le *Décret*, ou peut-être quelque fragment de l'un ou de l'autre.

13° Nous ignorons de même ce que c'est qu'un autre livre, intitulé *Liber De sacramentis devotionis*, qu'on dit que quelques uns attribuent à Yves, mais que le P. Combefis prétend, sur l'autorité du B. Pierre de Damien, être de saint Fulbert (228).

14° Enfin, nous ignorons encore ce que c'est qu'un Evangile de la Sainte-Vierge, qui se trouve, dit-on, manuscrit avec la soixantième lettre d'Yves à Hugues, archevêque de Lyon, dans la bibliothèque du collége de Caio-Gonvilen, à Cambridge (229).

15° Il n'en est pas de même d'un discours ou traité *De la matière, de l'ordre et de la vérité des sacrements de Jésus-Christ et de l'Eglise*, qu'on nous annonce comme se trouvant à Londres dans un manuscrit de Thomas Bodley (230) ; car la place que ce discours tient dans le même manuscrit donne tout lieu de penser que ce n'est autre chose que le premier sermon de saint Yves, qui a pour titre : *Des sacrements des néophytes.* Pour ce qui est d'un autre discours contenu dans le même manuscrit, sous ce titre : *De clericatu et ejus officio*, c'est visiblement le sermon de notre prélat, qui traite de l'excellence des ordres sacrés et des devoirs de ceux qui y sont élevés (231).

16° Sixte de Sienne parle d'un Umbert, évêque de Chartres, qui, vers l'an 1100, écrivit un traité contre les Juifs, sur ces paroles du chapitre XLIX de la Genèse : *Non auferetur sceptrum de Juda* (232), etc. Comme notre Yves était certainement évêque de Chartres en 1100, quelqu'un s'imaginera peut-être que c'est lui qui est auteur de ce traité, d'autant plus qu'on ne trouve point d'évêque de Chartres du nom de Umbert. Mais il est certain que ce prétendu Umbert n'est autre que saint Fulbert, quia a effectivement écrit contre les Juifs le traité dont il est ici question (233). Voyez son article dans notre histoire littéraire.

17° Pour ne rien omettre de ce qui regarde les écrits d'Yves de Chartres, nous remarquerons qu'Antoine l'Oisel cite un manuscrit du livre des écrivains ecclésiastiques de Sigebert, dans lequel il dit qu'il

(218) Fab., *Bib. Lat.*, l. IX, p, 607, 608.
(219) Cat. mss. Angl , part. II, n. 1455, et part. III, n. 1444.
(220) Montf., *Bib. bib.*, t. I, p. 48, n. 1522.
(221) Le Long, *Bib. sac.*, t. VII, p. 810, 2.
(222) Sand., part. II, p. 28.
(223) Montf., *Bib. bib.*, p. 135. C.
(224) Cat. mss. Angl., part. III, n. 2250.
(225) *Bib. Cott.*, ibid.
(226) Cat. mss. Angl., par. IV, n, 1702.
(227) Poss., t. II, p. 307.
(228) Fab., *Bib. Lat.*, l. VI, p. 642.
(229) Cat. mss. Angl., part III, n. 746, 5.
(230) *Ibid.*, par. I, n. 2014.
(231) Ibid.
(232) Six. Senens. *Bib.*, l. IV, p. 333, 1.
(233) *Hist. litt.* t. VII, p. 275.

Introdusă în format electronic de Google

y a des choses qui ne se trouvent point dans l'imprimé d'Aubert le Mire (234). Le même l'Oisel soupçonne que ce manuscrit a appartenu, ou même a été copié par Yves dans le temps qu'il n'était encore qu'abbé de Saint-Quentin de Beauvais : ce qui supposerait que notre savant prélat serait auteur des additions au livre de Sigebert qui se trouvent dans ce manuscrit. Mais pour s'assurer que ce soupçon ou cette conjecture d'Antoine l'Oisel n'a aucun fondement, il ne faut que faire attention que Sigebert n'a publié son livre des écrivains ecclésiastiques que sur la fin de sa vie, et qu'Yves de Chartres ne lui a guère survécu que quatre ans : ce qui donne tout lieu de douter si ce dernier a jamais eu connaissance du livre du premier, ces deux savants n'étant guère à portée d'avoir une communication réciproque de leurs ouvrages.

Après l'énumération que nous venons de faire de toutes les productions de la plume de saint Yves, nous croyons pouvoir assurer qu'il n'y a point eu de savant dans les XI^e^ et XII^e^ siècles qui ait plus écrit que lui, ni sur un plus grand nombre de matières concernant la science ecclésiastique, quoiqu'il faille reconnaître que c'est principalement dans celles qui regardent la discipline et la liturgie que notre saint et savant prélat s'est distingué. Nous ajouterons qu'il n'y en a guère eu non plus qui ait traité chaque matière avec plus d'ordre, de netteté, de solidité et d'érudition que lui ; en sorte qu'il a été, sans contredit, un des plus grands et des plus habiles hommes de son temps, presque en tout genre.

(234) L'Oisel, *Hist. de Beauv.*, p. 133.

DISSERTATIO

DE DECRETO QUOD IVONI TRIBUITUR

ALIISQUE

ANTIQUIS CANONUM COLLECTIONIBUS GRATIANO ANTERIORIBUS.

(Augustini THEINERI *Disquisitiones criticæ in præcipuas Canonum et Decretalium collectiones, seu Sylloges Gallandianæ Dissertationum de vetustis Canonum collectionibus continuatio.* — Romæ, 1836, in-4°, pag. 139.)

Inter quæstiones quæ in juris canonici historia agitari solent, non postremum locum obtinet illa quæ Ivonis Decretum illiusque genuinitatem spectat. Cum enim non solum ipsa hujusce operis ratio singularis omnino et ab aliis ejusdem generis collectionibus plane diversa sit, atque insuper multiplex ipsum inter ac Panormiam, quam genuinum Ivonis opus esse constat, nexus intercedat, sed incerta etiam cum sint nec semper recte ea intelligantur, quæ ab historicis referuntur, factum est ut in hoc Decretum nullo non tempore dubia insurrexerint, quæ ipsi sapientes viri modo leviori, modo graviori argumentorum pondere aut propugnare aut impugnare contenderunt. Quod vero in aliis hujus generis quæstionibus tam sæpe occurrere solet, ut nempe ad tuendam unius operis genuinitatem aliud, quod eidem auctori tribuitur, ipsi abjudicetur, hoc etiam in hac de hujus Decreti auctore concertatione evenit. Plerique enim, Decreti amplitudine decepti, quod facillime fieri potuit, Panormiam Ivonis opus esse denegarunt, illamque nihil aliud nisi ejusdem Decreti epitomen quamdam esse affirmarunt. Alii contra validioribus profecto argumentis ostendere conati sunt, utramque collectionem Ivoni tribuendam esse, quem ea maxime de causa ad edendum Decretum permotum fuisse dixerunt, quod quæ in Panormia breviter collegerat, novis adjectis monumentis augere, atque in ampliorem eamque perfectiorem formam redigere voluerit. Quæ opinio ea ipsa quam præferebat veri similitudine in errorem suos auctores adduxisse dicenda est. Fieri quidem A omnino potuit ut Ivo ipse, cum maturius suorum temporum suæque conditionis rationem perspiceret, quamplurima in opere quod, ipso Panormiæ nomine indicante, ecclesiastica monumenta omnia complecti debebat, desiderari cognosceret : quare iteratis curis illud in melius immutaret, atque in ampliorem formam elucubraret. Quod ab Ivone revera factum esse doctissimi fratres Ballerinii (235), jampridem multis iisque non spernendis rationibus indicaverant : nostris vero temporibus eruditissimus Savignius tam certum reddidisse videtur, ut omnem litem de hac re prorsus sustulisse dicendus sit. Savignius enim illi ipsi canonum collectioni, quam Ballerinii non satis æstimasse videbantur, innixus, et unde Decretum illud originem suam duxit, et modum etiam quo fuit elucubratum deprehendit et apertissime explicavit (236). Atqui ex hac eadem collectione quæ Decreti originem tam clare demonstrat, invictissime simul probari potest, B quod mirum profecto cuiquam videri debet, Ivonem nullo modo posse ejusdem operis esse auctorem. Quod ut omni quo par est argumentorum genere ostendamus necesse est ut collectionem illam de qua diximus, quamque ob particularem ordinem in quem diversos fontes dispositos exhibet, deinceps *Collectionem tripartitam* appellabimus, propius inspiciamus, eamque primo cum cæteris quibusdam canonum collectionibus, dein cum Ivonis Panormia et Decreto ac denique cum Gratiani collectione conferamus.

(235) *De antiquis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque tractatus*, P. IV, c. 16, p. 661 — 696, in collectione præstantiorum operum jus canonicum illustrantium, t. XV, Mogontiaci 1790, in-4.

(236) *Historia J. R. in med. ævo*, t. II, p. 286 sq.

Introdusă în format electronic de Google

CAPUT PRIMUM.

Qua ratione Collectio tripartita ad alias canonum collectiones sese habeat.

Duplicem merito rationem distinguere debemus quam in colligendis juris monumentis diversi veterum collectionum auctores adhibuerunt. Alii siquidem ipsos fontes adierunt atque ex conciliorum canonibus, ex Rom. pontificum litteris, atque ex Patrum operibus ea deprompserunt quæ dein in eam formam, quæ fini quem aut ipsi aut alii sibi præfixerant, magis conveniret, in suis collectionibus disposuerunt. Alii vero non ad ipsos fontes, sed ad anteriorum collectorum opera accesserunt et quæ hic erant monumenta vel alio eoque magis minusve sibi proprio ordine digesserunt, vel ea tantum modo ex illis sumpserunt quæ sibi ad novam collectionem elucubrandam aptiora viderentur. Operæ pretium est, hanc collectorum agendi rationem novis quibusdam exemplis illustrare, cum plures sint canonum collectiones quæ nondum publici juris factæ sunt, quasque nobis accuratius examinare licuit.

§ I. In bibliotheca Vindobonensi asservatur codex sæculi decimi (*Jus can.* n. 81, in-fol.) qui canonum collectionem illi simillimam continet quam Joannes Petitius (237) primus evulgavit quamque prius Constantius (238), dein et fratres Ballerinii (239) accuratius illustrarunt. Ex iisdem siquidem fontibus utraque collectio defluit, nihilque in Vindobonensi adjicitur quod non in alia prostet. In sexaginta vero et quatuor rubricas divisa capitula singula eodem ferme ordine eademque serie digesta exhibet, quibus in illa Petitii Collectione inveniuntur. Gregorii tamen Magni litteræ ad Eleutherium Lugd. (lib. IX, ep. 106, pag. 1106-1111) et ad Brunihildam reginam (lib. IX, ep. 109, pag. 1014-1016,) (240), nec non alia quædam ex Isidori libris excerpta intra ipsam collectionem inveniuntur, quia tamen ad suas rubricas referantur, quemadmodum in Collectione Petitiana videre est. Gregorii Magni epistolam ad Augustinum archiepiscopum Cantuariensem, Gregorii Junioris *capitula* et ejusdem *capitulationem vel communitorium Martiniano, Gregorio et Dorotheo euntibus cum Domini auxilio in Boioaria* (241) dein S. Hieronymi litteras duas ad Oceanum et ad Amantum *qualiter clerici vivere debeant in hoc mundo*, et denique *libellum de remediis peccatorum* qui vulgo Bedæ tribuitur, compilator ad calcem collectionis adjunxit. Qui hanc nostram collectionem cum illa quam Petitius edidit paulo diligentius conferat, facile sibi persuadeat hanc ultimam ex illa ortam esse (242).

§ II. Quamvis collectio de qua locuti sumus exigui

(237) *Pœnitentiale Theodori Cant.*, t. I, p. 97—280. Parisiis 1677, in-4°.

(238) *Epistolæ RR. pontificum a S. Clemente I usque ad Innocentium III.* Parisiis 1721, in-fol., t. I, p. 709, sq.

(239) *De antiquis collectionibus*, etc., p. IV, c. 7, §. 2, p. 611—616 ed. cit.

(240) Edit. Benedict. Paris. 1705. t. II, in-fol.

(241) Mansi amplissima SS. Conciliorum collectio t. XII p. 257-260.

(242) Sufficiat rubricas indicare.—Incipiunt capitula excerpta de libris canonum.

I. Ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur et quæ est Scriptura canonica.
II. Ut per singulos annos synodus bis fiat.
III. Qualis ad sacerdotium vel sacros ordines venire non potest.
IV. Qualis vel qualiter ad sacerdotium vel sacros ordines venire potest.
V. Ut nequaquam in duos metropolitanos provincia dividatur.
VI. Ne in una civitate duo sint episcopi et de vicariis episcoporum.
VII. Quod non oporteat ordinationes episcoporum diu deferre.
VIII. De ordinatis episcopis nec receptis.
IX. Quod non oporteat absolute quoslibet ordinare.
X. De servo si, nesciente domino suo, fuerit ordinatus.
XI. Quod non liceat clericum in duas civitates ministrare, nec abbates plura monasteria aut cellas habere.
XII. Ne de uno loco ad alium transeat episcopus vel clericus sine jussione episcopi.
XIII. De peregrinis episcopis et clericis.
XIV. De litteris peregrinorum et clericis sine litteris ambulantibus.
XV. Qualis vel pro qualibus culpis secundum canonicas institutiones quisque degradatur de officio sacerdotali vel clero.
XVI. De expulso ab Ecclesia et excommunicato vel damnato ab officio suo.
XVII. De ordine ecclesiastico et officio missæ.
XVIII. De reliquiis sanctorum et oratoriis villaribus.
XIX. Ne altaria non consecranda nisi lapidea.
XX. De baptismo.
XXI. De confirmatione cum chrisma, et ut prandia in ecclesia non fiant et die Dominico genu non flectant in ecclesia.
XXII. De Pasche die Dominico et reliquas festivitates.
XXIII. De jejunio et quadragesima vel litanias.
XXIV. Ut festivitates præclaras nonnisi in civitatibus aut in vicis publice teneant.
XXV. De his quæ offeruntur ad altare vel quæ ad domum sacerdotis vel de oblatione.
XXVI. Ut omnes fideles communicent et missas perexspectent, sin aliud, excommunicentur, et ut nullus cibus ante sacrificium sumatur.
XXVII. De prædicatione.
XXVIII. De hospitibus.
XXIX. De decimis.
XXX. De viduis, puellis et pauperibus.
XXXI. Qualiter res Ecclesiæ episcopus debeat dispensare vel regere. Et quæ super altare dantur, qualiter dividantur, et de parochiis vel oratoriis in episcopi sint potestate et de basilicis in parochiis destructis.
XXXII. Ut episcopus res quæ sacerdos clericis aut servientibus dederit, successor ejus non auferat.
XXXIII. De rebus quæ ecclesiis vel sacerdotibus dantur.
XXXIV. De rebus Ecclesiæ abstractis aut contradictis.
XXXV. De causantibus et judicibus.
XXXVI. Ut clerici non sint conductores et non negligant officium suum, et a sæcularibus curis se abstineant.
XXXVII. Ut non cohabitet clericus cum extraneis mulieribus.
XXXVIII. De relicta sacerdotis.
XXXIX. De clericis usurariis et fidejussoribus, et ebriosis et cantica turpia vel verba otiosa.
XL. De episcopis et ordinibus, et regulis clericorum et vestibus eorum.
XLI. De venatoribus.
XLII. Ut episcopus, presbyter, diaconus peccantes fideles verberare non debeat.

Introdusă în format electronic de Google

monenti sit, tamen ab ignoto quodam hujus disciplinæ studioso in epitomen redacta est. Exstat siquidem in bibliotheca Parisiensi codex quidam (n. 3859) sub sæculi IX finem, aut sub X initium conscriptus, qui canonum collectionem exhibet unius vel alterius ex superius memoratis collectionibus ope adornatam, cui sequens titulus præfixus est : *Incipit capitulatio breviter collecta de canonibus diversorum conciliorum qui in sequentibus sententiis propriis titulis et loca et nomina innotescunt*, in triginta rubricas divisa (243) sub quarum singulis plura capitula continentur, quæ auctor ex notis jam fontibus incredibili cum integritate excerpsit, quibusque nonnulla alia ex Dionysii Exigui collectione et speciatim ex ejusdem collectionis secunda parte seu ex Rom. pontificum litteris decretalibus desumpta sine ulla omnino mutatione atque cum iisdem inscriptionibus quæ in Dionysiano opere conspiciuntur, addidit (244).

§ III. Pluris tamen cæteris facienda videtur alia quædam collectio, quæ in codice Parisiensi bibliothecæ regiæ n. 4280 A, sæculo X exarato, habetur, atque Breviarii Cresconiani certo ordine digestam recensionem exhibet, in qua elaboranda patet auctorem ad Martini Braccharensis opus respexisse. Collectio hæc in duodecim rubricas dividitur, quarum singulæ plura vel pauciora capitula continent, quæ tamen per totum opus perpetua numerorum serie recensentur, atque ad tercentum quinquaginta quatuor pertingunt. Capitula rubricarum argumentis respondent, quare ex diversis Cresconiani operis partibus desumpta et collecta sunt. Incipit vero ipsa collectio a præfatione ex Cresconiana exscripta; hanc rubricarum et capitulorum indiculus subse-

XLIII. De sortibus et auguriis
XLIV. De clericis, monachis, abbatibus, non manentes in suo proposito.
XLV. De monachis.
XLVI. De monasteriis.
XLVII. De Deo sacratis et monasteriis puellarum.
XLVIII. De raptis.
XLIX. De incestis et de adulteris, et qui uxores suas dimittunt.
L. De falsariis et perjuriis et homicidis et captivitatibus.
LI. De discordantibus.
LII. De expositis.
LIII. De libertis.
LIV. De his qui ad ecclesiam confugiunt.
LV. De judæis et, ut non sint christiani participes eorum, nec subjecti, nec servi judæorum.
LVI. De clericis qui carne abstinent.
LVII. De hæreticis et gentilibus.
LVIII. De conjurationibus.
LIX. Ne palla super corpus ponatur et ne ad nuptias divina ministeria præstentur.
LX. De energumenis.
LXI. De chrisma.
LXII. De his qui contra canones faciunt.
LXIII. De episcopis qui suprascriptos canones consenserunt et firmaverunt.
LXIV. De lapsis et pœnitentibus.

(243) I. Ut per singulos annos synodus bis fiat.
II. Qualis ad sacerdotium vel ad sacros ordines secundum auctoritatem canonicam venire non potest vel per quales culpas quis degradetur ab officio vel clero.
III. Gregorii de pastoribus non recte gradientibus.
IV. De episcopalibus ordinationibus.
V. Quod non oporteat absolute quoslibet ordinari debere.
VI. Ne de uno loco ad alium transeat vel migret episcopus aut presbyter aut diaconus seu quicunque clericus.
VII. Quod non oporteat clericum praeter commendatitias suscipi epistolas.
VIII. De damnatis vel excommunicatis et expulsis et per quales culpas secundum canonicam institutionem quis degradetur de officio sacerdotali vel clero.
IX. Qualiter res ecclesiæ et quæ super altare dantur debeat episcopus regere vel dispensare et de rebus quæ ecclesiæ dantur.
X. De canonibus uniuscujusque concilii.
XI. De honore monachi competente, et ut nullus eorum temptet ecclesiastica aut sæcularia inquietare negotia, nec alienum servum propter conscientiam domini ejus suscipere, et de clericis et monachis, qui præter voluntatem sui episcopi ad urbem regiam Constantinopolitani veniunt, et de monasteriis vel abbatibus.
XII. De falsariis et perjuris et homicidis et furtibus.
XIII. De Deo sacratis et monasteriis puellarum et de incestis seu mulieres et de his qui uxores suas dimittunt et de raptu.
XIV. Tractatus S. Augustini De pœnitentia.
XV. In decretalia P. Gelasii c. 20 quod hi, qui se sacris virginibus sociantur et fœdera incesta commiscent, communicare non possunt nisi forte publicam pœnitentiam gesserint.
XVI. Quod viduæ, ut superius dictum est, non velentur, et si professam continentiam proposito mutato calcaverint, ipsæ rationem Deo pro suis intactibus reddituræ sint, et de virginibus, si deviaverint.
XVII. De causantibus et accusantibus, et de judicibus, et de his, qui innocentes accusant, et qualiter clericus sæcularia judicia adeat.
XVIII. De usuris et avaritia, et de fornicatoribus, et de pœnitentibus.
XIX. De discordantibus et de libertis vel de expositis et de sacrilegis et auguriis.
XX. De judæorum conviviis, et de confessionibus, seu de eorum mancipiis et de diversis ditionibus inter judæum et christianum, ut non sint christiani subjecti judæis.
XXI. De rebus ecclesiæ abstractis aut contradictis, et ut custodiantur.
XXII. Ut clerici non sint conductores et non negligant officium suum, et non sint contumaces, et ut a sæcularibus curis abstineant.
XXIII. Ut nullus clericorum habitet cum extraneis mulieribus.
XXIV. De clericis usurariis et fidejussoribus et ebriosis unde convivia sæcularia et cantica turpia et otiosa verba.
XXV. De episcopis, et regulis et ordinibus clericorum, et vestibus eorum, et de venationibus.
XXVI. Ut per singulos annos synodus bis fiat et qualis ad sacros ordines venire possunt et non possunt, et ut absolute non ordinentur, et ne uno loco ad alium transeant episcopus vel clericus.
XXVII. De litteris peregrinorum, et clericis sine litteris ambulantibus, et de expulsis ab ecclesia, vel damnatis et adulteris.
XXVIII. De reliquiis sanctorum et oratoriis, et villaribus, et de baptismo, et de confirmatione, et de Pascha vel de die Dominico et de jejunio Quadragesimæ et de festivitatibus præclaris.
XXIX. De synodo Patricii.
XXX. De episcopis, qui suprascriptos canones consenserunt et confirmarunt numero 233, per concilia 26.

(244) Syricii Decretorum c. 5, 14, 15. Rubr. XVIII, c. 17, 18, 19. Innocentii Dec. c. 7, 22, 34. Rubr. XVIII, c. 20, 21, 22. Cœlestini Dec. c. 15. Rubr. XVIII, c. 23. Gelasii Dec. c. 12, 19, 23, 27, 28. R. XII, c. 4. R. XV. R. IX, c. 8. R. XXI, c. 11. R. XVI, c. 34.

Introdusă în format electronic de Google

quitur, quem demum ipse capitulorum textus excipit. Eodem modo etiam Cresconius opus suum adornaverat, unde factum est ut non pauci in errorem adducti hujusmodi indiculum *Abbreviatio canonum* inscriptum a *Concordia canonum* separarent, atque opus ab illa distinctum esse putarent (245). Cæterum nostræ collectionis auctor in capitulis ex Cresconiani opere depromptis vix quidquam mutavit; iis vero paucis quæ omisit alia suffecit ex Gallicis compilationibus, uti videtur, desumpta. Præter canones enim qui ex Gallicis conciliis mutuati sunt, sæpissime *Statuta Ecclesiæ antiquæ* occurrunt, quæ, testantibus fratribus Ballerinîis, nonnisi in collectionibus in Gallia confectis inveniuntur. Ex quibus colligere fas est collectionem ipsam de qua loquimur, in Gallia adornatam fuisse. Citat insuper auctor loca quædam ex concilio Clementis (246) quæ cum concilii quarti Carthaginensis canonibus omnino conveniunt et sub hujus concilii nomine a Gratiano (247) in Decretum recepta sunt.

§ III. Alia collectio quæ exstat in codice Parisiensi bibliothecæ regiæ, n. 3839, minoris momenti est. Continet hæc 341 capitula (248) ex collectionibus tum Dionysii Exigui tum Pseudo-Isidori deprompta, nullo temporum nulloque rerum ordine servato. Auctor a Dionysii collectione exorditur, ex cujus tum prima, tum secunda parte loca quædam desumpsit, quorum seriem cum Gregorii Junioris constitutione claudit. Dein a capitulo 155 ad aliam Pseudo-Isidori collectionem gradum faciens, quædam inde excerpta capitula subnectit, nec tamen eorum seriem ubique servat. Cæterum aliquot etiam canones ex conciliis Parisiis anno 557 et 615 celebratis, necnon ex concilio Turonensi anni 813 desumptos suæ collectioni inseruit, quod eam in Gallia fuisse confectam indicare videtur. De collectionis ætate nihil certi definiri potest, codex tamen haud post sæculi IX finem (249) descriptus videtur, quod sane demonstrat quanti jam tunc Pseudo-Isidori collectio fieret.

§ IV. Cujus tamen rei nullibi clariora monumenta habentur quam in eo libro qui *Collectio Anselmo dedicata* inscribitur, quique eo scilicet tempore quod inter annum 883 et annum 897 intercedit, fuit concinnatus. Hæc collectio jam proprius ad illam accedit quæ, ut superius diximus, tribus partibus constat, et de qua pro operis nostri ratione paulo post plura dicenda erunt. Quædam interim de hac ipsa disserere juvabit, præsertim cum docti illi viri qui hactenus illam illustrarunt (250) ea ipsa ignorarent quæ illam a cæteris hujusmodi lucubrationibus quam maxime distinguunt. Fontes quos auctor adivit, ad quatuor reduci possunt: quanquam præ cæteris procul dubio Dionysii et Pseudo-Isidori operibus usus est, cum ea, licet diversa ac peculiari omnino ratione disposita fere integra in suam collectionem receperit. Ubi enim invenerat, quod Dionysius easdem Rom. pontificum litteras habebat, quas Isidorus exhibet, ab Isidoro fere discessit ut Dionysii vestigiis omnino insisteret: Quamobrem

(245) Ballerinii, *l. c.*, p. IV, c. 3, p. 383-387. Primus Pithœus breviationem edidit a 1581; dein T. Chifletius in operibus Fulgentii Ferrandi, p. 24-54. Divionæ 1649, in-4. Denuo typis edidit Pithœus: *Codex canonum vetus Ecclesiæ Romanæ*. Parisiis 1687, in-fol., p. 314-326. Justellus *breviationem* edidit in: *Bibliotheca juris canonici*, t. I, p. 456-466, et concordiam T. I. adp. p. XXXIII-CXII. Ut utriusque collectionis rationem perspiciamus, sufficiat nostræ collectionis rubricas afferre, quarum capitibus Cresconii capitula adnotabimus.

R. I. Capitula episcoporum propria c. 1-72. Cresc. c. 151, 152, 164, 228, 16, 37, 38, 18, 36, 40-42, 142, 145-150, 153, 154, 157-160, 162, 169, 192, 209, 218, 244, 245, 256, 259, 260, 267, 270, 279-285, 287, 232, 144, 200, 205, 170, 210-96.

R. II. Item de episcopis, presbyteris, diaconibus propria, c. 73-101. Cresc. c. 5-7, 10, 194, 8, 9, 11, 27, 30, 29, 8, 31, 35, 43-45, 49-52, 110, 143, 248, 254, 300, 177, 251, 246, 193.

R. III. Item de presbyteris propria c. 102-125. Cresc. c. 2, 76, 4, 33, 81, 93, 97, 108, 111, 117, 119, 191, 217, 229, 252, 257, 276.

R. IV. Item de presbyteris et diaconibus propria c. 126-137. Cresc. c. 17, 34, 91, 98-109. 190, 196, 239, 285.

R. V. Item de diaconibus propria c. 138-145. Cresc. c. 95, 120, 82, 92, 94.

R. VI. Item de subdiaconis et clericis inferiorum gradus c. 146, 154. Cresc. c. 171, 172, 175, 173, 168, 169, 167.

R. VII. Item de clericis propria c. 153-201. Cresc. c. 13-15, 22-25, 225, 19, 20, 60, 61, 77, 197-199, 21, 204, 206, 207, 205, 214, 215, 219, 227, 243, 247, 262, 271, 166, 250, 176, 178.

R. VIII. Item de Monachis propria c. 202-218. Cresc. c. 3, 109, 195, 269.

R. IX. Item de virginibus velatis vel non velatis propria c. 219-224. Cresc. c. 101, 258, 286, 240, 241

R. X. De laicis propria c. 225-299. Cresc. 12, 26, 62-67, 71, 72, 74, 75, 78 80, 89, 115, 83-88, 90, 99-102, 104, 106, 107, 112, 113, 122-128, 130, 129, 131, 134, 135, 137 140, 136, 161, 182-184, 188-189, 211, 213, 120, 222-224, 226, 232, 234-236, 263-265, 273-275, 278, 177.

R. XI. Item de mulieribus c. 300-317. Cresc. c. 230, 231, 133, 114, 116, 103, 105, 163, 181, 202, 136, 121, 132, 133.

R. XII. Item de hæreticis propria c. 317-355. Cresc. c. 46-48, 53-59, 63-70, 75, 288-299, 253, 165, 183-187. Codex mss. operis Cresconii, qui in Vercellensi bibliotheca servatur, quædam particularia habere videtur. G. Andres: *Lettera sopra alcuni Codici delle Biblioteche capitolari di Novarra e di Vercelli*. Parma 1802, in-8, p. 49.

(246) Rubr. I, c. 50-55. C. Carth. IV, c. 34, 84, 25, 26, 27.

(247) D. XCV, c. 9. D. I, c. 67. *De consecrat*. D. XC, c. 6; I, 7. C. 15, q. 7, c. 6 Statuta Ecclesiæ antiquæ fratres Ballerinii primi ediderunt inter documenta juris canonici veteris, n. 3, p. 654-668. *Op. S. Leonis M.*, t. III, fol., Venetiis 1757. Confer eosdem: *Dissert. de antiq. can. coll.* C. 2, c. 3, §. 4, p. LXXXVIII-XCI, l, c., editio Moguntina p. 353-358.

(248) In hoc quoque opusculo indiculus ipsam collectionem præcedit, hac epigraphe: *Incipit capitulatio de diversis conciliis atque sententiis*; Collectio ipsa inscribitur: *Incipit breviarium collectum de canonibus diversorum conciliorum, ecclesiasticæ regulæ, canones apostolorum, capitula de ordinatione presbyterorum, diaconorum vel lectorum.*

(249) Codex manuscriptus sub Godone abbate, qui Walderico successit, ad monasterium Bonevallense prope Carnotum pervenit, uti constat ex versibus, qui ante collectionem descripti sunt:

Godo, Bonæ vallis humilisque monasticus abbas,
Codicis hujus opus sanctorum canonum factum,
Donat habere Petro Marcellinoque beatis
Ejus et ablator pœna plectatur acerba,
Cum reprobis pariter baratri retrusus in imo,
Ni prius ablatum digna emendatio reddat.

J. Mabillon: *Annales O. S. Benedicti*, lib. LXVIII, § 39, p. 297 sq., Parisiis 1713, fol., t. IV, et Sammarthani in *Gallia Christiana*, t. VIII, p. 1257, codicem cognoverunt.

(250) Ballerinii *l. c.*, p. IV, c. 10, p. 623-630. Savignius in *Hist. J. R.*, vol. II, p. 274 sq.

Introdusă în format electronic de Google

Syricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Gelasii et Anastasii decretales omnes ex Dionysio desumpsit, quin vel apicem immutaret, retentis etiam iisdem inscriptionibus et capitulorum divisione. Quod vero Bonifacii, Hilarii, Simplicii, Felicis, Symmachi et Hormisdæ litteras attinet, eas ex Pseudo-Isidori collectione mutuatus est, unde conjicere facile possumus eum germana Dionysii recensione usum fuisse. Capitulorum Adriani nullum vestigium occurrit, et Gregorii Magni epistolas denuo ab ipso Isidoro desumpsit. In illa quoque operis sui parte quæ conciliorum canones exhibet, Dionysiana collectione præ Isidoriana usus est, præsertim in excerpendis Græcorum conciliorum canonibus quos raro admodum et in singularibus tantummodo quibusdam capitulis ex Isidoriana recensione seu versione hausit. Cæterum in adornandis iis Rom. pontificum litteris quas ex Isidoriana compilatione desumpsit, Dionysium imitatus fuisse videtur, ipsas vero decretales litteras ita disposuit, ut, servato temporum ordine, uniuscujusque pontificis decretales omnes, si plures ediderit, (seriem enim a S. Clementis epistolis incipiens perduxit usque ad illas quas Zacharias protulit), in plura vel pauciora capitula diviserit : hæc vero etsi continuato numerorum ordine recenseantur, diversis tamen collectionis locis pro argumentorum varietate ab invicem separata inserta sunt. Hinc si quis, ex. g., capitula illa 98, in quæ quinque S. Clementis decretales ab auctore nostro divisæ sunt, et una simul conjungere, et cum ipsarum decretalium textu conferre vellet, inveniret sane, singulas quaslibet particulas ita sibi succedere, ut secundæ, tertiæ, quartæ et quintæ decretalis capitula naturali ordine, et continuata numerorum serie, primæ decretalis capitula excipiant (251). Propria omnino est hæc rerum distributio, nec ab alio quolibet superiorum temporum collectore auctor ipsam mutuatus esse videtur. Temporum tamen rationem, tam in iis quæ ex Dionysio quam in iis quæ ex Isidoro deprompsit, æque ac alii collectores habuit, atque passim ex una eademque decretali (252) vel ex uno eodemque concilio (253) plura loca continue sibi sequentia inseruit ; unde patet, non illi admodum fuisse curæ neque ordo neque methodus. Ex Patribus aliisque ecclesiasticis scriptoribus nihil ipse in medium profert, neque apud ipsum videre est decretales eorum pontificum qui Gregorium Juniorem et Zachariam subsecuti sunt. Hinc apparet, præter plurima, quæ tum ex Gregorii Magni epistolis, tum ex Justiniani collectionibus hauserat, reliqua omnia ex Dionysii et Pseudo-Isidori compilationibus ipsum desumpsisse.

Interim tanta est rerum et copia et varietas, qua hæc collectio abundat, ut sequentes canonum collectores ægre admodum latere potuerit. Burchardus sane Wormatiensis illam ob hanc causam magni fecisse dicendus est, siquidem opus suum quoad maximam ipsius partem ex illa hausit (254) ac loca inde desumpta leviter adeo mutavit, ut ea cum iisdem inscriptionibus et summulis exscripserit. In Germania enim tunc temporis præter jejunum illud Reginonis Prumiensis opus nulla erat canonum collectio quæ necessitatibus omnibus præsto esse posset ; atque hinc Burchardus ad id excitatus videtur, ut ope scilicet hujus nostræ collectionis, quam, dum in Italia versaretur, invenerat, et maximi momenti esse cognoverat, ampliorem quamdam uberioremque compilationem adornaret. Hinc etiam facili negotio explicari poterit, unde commendatissimus ille Burchardi liber, cujus origo tenebris hactenus obvolvebatur, prodierit. Ad hanc porro quæ Anselmo inscribitur collectionem, mentem convertat quilibet novam eamque accuratiorem Burchardiani operis recensionem adornare velit : ac mirandum profecto est, quod summi etiam viri, Franciscus Salmon. P. Constantius et fratres Ballerinii penitus

C

(251) Omnes fere decretales litteras hoc modo examinandas duxi, atque in omnibus auctorem eumdem modum tenuisse inveni. Ne longius sim, a citandis capitulis abstineo.

(252) E. gr., p. VIII, c. 1-24, continet fragmenta Decretalium Clementis c. 20, 21, 22 ; Alexandri c. 2, 10 ; Xysti c. 2 ; Ygini c. 1 ; Sotheri c. 1 ; Eutychiani c. 1, 2 ; Gaii c. 5 ; Melchiadis c. 1, 2, 3, 16 ; Damasi c. 2. C. 26-40 ; Clementis c. 64, 65 ; Anacleti c. 13 ; Alexandri c. 6 ; Cœlestini c. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. C. 40-60 ; Clementis c. 21, 24, 41, 65, 68, 69, 77, 78, 91 ; Pontiniani c. 5, 7, 8, 10 ; Eutychiani c. 5 ; Marcellini c. 2 ; Marcelli c. 3, 4, 5, 6 ; Eusebii c. 6, 8, 16 ; Dionysii c. 1 ; Victoris c. 1 ; Clementis c. 72, 74, 75, 76 ; Felicis c. 7, 16, 17, 19, 20. Ex hisce paucis exemplis, uti mihi videtur, apparet auctorem parum ordinem curasse.

(253) De conciliis idem dicendum est. P. XII, c. 19 — 25 : Concil. Laodic. c. 6, 7, 8, 32, 33, 34. C. 27 — 41, C. Gangrens. c. 2, 3, 5, 6, 10, 11, 12—18, 20. P. VII, c. 11—15 : C. African. c. 31, 49, 42, 23. P. II, c. 185—197 : C. Afric. c. 85, 86, 87, 88, 90, 32, 54, 55, 67, 75, 91, 98, 100. P. III, c. 86 — 88 : C. Afric. c. 97, 98, 99. P. XII, c. 26, universum concilium Ephesinum una cum Cyrilli epistola exhibet, quæ auctor ex Pseudo-Isidori opere desumpsit.

(254) Quæ ut probemus posteriores sex collectionis libros cum Burchardi opere contulimus, quo in labore codice usi sumus Sorbonico, qui Parisiis exstat num. 481 ; B. E. notatus, de quo vide : P. Coustant : *Dissertatio de antiquis canonum collectionibus*. § CLXIX et CLXX, apud Galland t. I. p. 152. sq., ed. cit., et F. Salmon : *De l'étude des conciles et de leurs collections*, P. II, c. 1. Paris. 1724, in-4°, p. 173 — 178. Borch, l. I, c. 25, 41, 67, 88, 128, 131. A. P. X, c. 56. R. XI, c. 2. P. VII, c. 21. P. XI, c. 24. P. VII, c. 98. P. X, c. 89. B. l. III, c. 19, 28, 51, 55. A. P. VI, c. 18. P. X, c. 67, 15, 41, c. 34. A. c. 11. Gregorii ad h. p. c. 60, 67. A. P. X, c. 87, 102 ; c. 84, 95. A. P. XII, c. 30, 31 ; c. 107, 137, 139, 140, 142, 144, 145, 147, 184, 185, 187, 195, 203. A. P. X, c. 38, 19, 29, 70, 71, 77, 78, 44, 54, 53, 55, 52, 51, 41 ; c. 209, 210, 211. A. P. XII, c. 22, 25. P. X, c. 185. B. lib. IV, c. 2, 4, 5, 9, 12, 11, 12, 15, 18, 19, 20, 22, 23. A. P. IX, c. 10, 11, 15, 30, 27, 19, 20 ; l. 59, 17, 58, 24, 25, c. 29. A. P. X, c. 92, c. 31, 32, 36, 38, 44, 45, 53, 54, 56, 63, 65, 69. A. P. X, c. 41, 32, 31, 40, 34, 33, 60, 61, 23, 6, 37, 38, c. 81 — 85. A. P. XII, c. 56, 58, 61, 63, 60. B. lib. V, c. 6, 7, A. P. X, c. 85, 86, B. lib. VI, c. 43, 127. A. P. XVI, 118. B. lib. VII : c, 5, 6. A. P. VII, c. 117, 39. B. lib. VIII, c. 2, 4, 6, 8, 15, 21, 23, 32, 34, 36, 43. A. P. VI, c. 39, 33, 7, 31, 43, 8, 44, 47, 51, 50, 52, c. 48, 49. A. c. 104, 109. Gregorii ad h. p. c. 69. A. P. VI, c. 57. B. lib. IX, c. 1, 3. A. P. VII, c. 29, 27, c. 10. A. P. XI, c. 33, c. 17, 21, 24, 31, 35, 56, 57, 58, 72, 77, 78. A. P. VII, c. 3, 52, 31, 59, 28, 61, 55, 57, 56, 33, 35. P. XII, c. 24. B. lib. X, c. 3. A. P... c. 106, c. 2, 3, 4. A. c. 13, 15, 16. Gregorii ad 12. p. B. lib. XI, c. 27, 52. A. P. X, c. 28. P. VII, c. 94. B. lib. XIII, c. 5, 8, 10, 19. A. P. XI, c. 10, 11, 25. B. lib. XV, c. 13, 15. A. P. VII, c. 2, 18, c. 16—21. A. c. 1 —6. Gregorii ad h. p ; c. 25—29. A. P. VII, c. 7, 8, 6, 10, 5, c. 30. A. c. 7. Gregorii ad h. p ; B. lib. XVII, c. 1, 30. 31. A. P. VII, c. 58, 104, 105. B. lib. XVIII, c. 5, 10, 18, 22, 23. A. P. VII, 88, 90, 87, 101, 91. B. lib. XIX, c. 27, 57, 66, 123, 126. A. P. VII, c. 119, 86, 99, 96. P. X, c. 118. B. lib. XX, c. 11, 12, 13, 16, A. P. VIII, c. 29, 36, 34, 35. Ex hac comparatione liquet Burchardum etiam Gregorii M. litteras ex hac collectione, quam littera A. (Anselmo dedicata) distinximus, desumpsisse.

Introdusă în format electronic de Google

ignoraverint, quam arcto vinculo hæc nostra collectio ac Burchardi opus inter sese conjungantur. Præterea non leviter errarunt cum Reginonem ea usum fuisse affirment (255); nostræ siquidem collectionis auctor, quod superius animadvertimus, in citandis Innocentii decretis Dionysianam recensionem unice secutus nullum omnino alium ex præcedentibus imitatus est, quod tamen si Reginoni locum a Balleriniis prolatum (lib. I, cap. 117) inspicimus, minime verum esset.

Postquam Burchardus ex ea quæ ab Anselmo nomen habet collectione, suum opus adornavit, ipsa collectio ita obsolevit, ut nec Anselmus Lucensis, nec alius quispiam eorum qui postea canones collegerunt, ad illam accesserint, sed omnia ex Burchardi opere haurienda esse censuerint, non aliam profecto ob causam, nisi quia amplam atque indigestam antecessoris molem ordine ac methodo disposuerit.

§ V, VI. Alia canonum collectio, quæ Vindobonæ in bibliotheca imperiali asservatur (*Jus can.* n. 99, in-4°), magis multo quam ea, de qua nuper diximus, ad Collectionem tripartitam accedit, cum eam jam in tres partes divisam deprehendamus. Prima etenim pars LXXX capitula exhibet, quæ ex spuria Isidori collectione desumpta sunt, et Rom. pontificum, Clementis scilicet aliorumque qui eum usque ad Gregorium Juniorem sequuntur, Decretalium fragmenta juxta temporum successsionem disposita exhibent. Hisce addita sunt quædam Nicolai I decreta ex ejusdem litteris ad Salamonem episcopum Constantiensem et Carolum archiepiscopum Coloniensem datis excerpta. (256) Primæ huic parti auctor præfixit ordinem celebrandi concilii ex Pseudo-Isidoro, nec non fragmenta quædam ex ipsius prænotationibus desumpta, quæ ita inscribuntur : *Origo conciliorum generalium et adnotatio synodorum, quarum gesta in hoc* (Pseudo-Isidoriano) *codice continentur*; quam tamen adnotationem auctor noster usque ad concilium vicesimum quartum produxit (*item Lugdunense in qua Patres* XX *statuerunt, quorum maxime item Priscus Lugdunensis episcopus exstitit*) (257). Rom. pontificum insuper catalogum, quorum series a S. Sylvestro incipiens ad Gregorium Juniorem usque pertingit, auctor annexuit, in quo singulorum pontificum nominibus numerum ascripsit, qui loco quem eorum quilibet in pontificum serie occupat plane respondet (258). Quibus dein concilium Triburense an. 795 habitum et nonnulli canones ex synodis Græcis et Latinis, nec non fragmenta quædam ex regum Francorum capitularibus decerpta, adjiciuntur, quæ licet pauciora ac minoris momenti sint, secundam tamen collectionis partem constituunt. Tertia demum pars et uberiorem et ordinatiorem sese præbet. In ea auctor capitula XCVIII rejecit, quæ ex Patribus, decretalibus et canonibus decerpsit, atque apposito hoc titulo : *Incipiunt capitula ex canonibus* LXXXVIII *Patrum*, quin alterum alteri ullo pacto conjungeretur, ita disposuit, ut earum collectionum speciem præ se ferat, quæ nomine *Defiorationis canonum* frequentissime occurrunt. Codex nono adhuc sæculo conscriptus videtur, quique istiusmodi artium peritiores sunt, concilii Triburensis recensionem, quam collectio exhibet, eodem tempore quo concilium ipsum celebratum fuit, adornatam esse contendunt.

Cæterum quamvis hæc nostra collectio minoris momenti sit, ipsa tamen posteriores canonum compilatores usi esse videntur. Quod si codex qui illam exhibet revera nono adhuc sæculo exaratus est, Regino primus illam adiisset, siquidem circa annum 906 suum opus conscripsit. Apud ipsum enim fere omnia tertiæ partis capitula reperiuntur (259); eadem cum nostro codice est rerum series, iidem tituli. Si vero quis codicis ætatem impugnaret, hanc nostram collectionem ex Reginonis compilatione desumptam esse dicere oporteret.

§ VII. Hactenus plerasque ex antiquis canonum compilationibus illustravimus. Ad eam nunc manum admovemus de qua præ cæteris nobis agendum est; cumque ad illam omnes quæstiones, quas nobis proposuimus referantur, paulo accuratius describenda esse videtur.

Hæc igitur collectio, quod superius adnotavimus, in tres partes tota dividitur, quarum prima Rom. pontificum litteras, altera conciliorum canones, tertia denique loca ex SS. Patrum aliorumque ecclesiasticorum scriptorum operibus, nec non ex Rom. et Francorum juris collectionibus decerpta complectitur. Auctor, aliorum compilatorum morem secutus, præfatiunculam (260) collectioni suæ præposuit, in qua tum operis finem explicat, tum fontium ex quibus hausit naturam indigitat.

Ad conficiendam primam et secundam operis

(255) *De antiquis canon. coll.*, p. IV, c. 11, p. 632, *l. c.*

(256) Apud Mansi, T. XV, 454 seq., 454—448 seq. Tertium Lugdunense concilium an. 583 apud (Labat.) *Conciliorum Galliæ, tam editorum quam ineditorum collectio temporum ordine digesta ab a. Christi* 177 *ad a.* 1563, opera et studio monachorum congregationis S. Mauri. Parisiis 1789, in fol., t. I, p. 1287.

(257) Rub. LXX in Petitii editione p. 264, t. I, in codice Vindobonensi rubr. LXIII. Confer Gratianum D. 16, c. 11, qui hunc locum in Decretum recepit.

(258) « Sylvester papa, a Petro XXXIV, congregatis cum consilio Constantini Augusti in urbe Roma CCLXXVII Patribus post Nicænam synodum damnavit item Arium et cæteros hæreticos, et constitutiones plerasque Ecclesiæ necessarias ordinare studuit. Siricius, a Petro XL, scripsit decretalia capitula XV propter quasdam necessitates, Emerio episcopo consulente. . . . Innocentius, a Petro XLII, scripsit quasdam epistolas ad episcopos diversarum provinciarum, in quibus continentur *capitula decretalia* LVI. Sosimus P., XLIII a Petro, scripsit epistolam decretalem ad Hesicium Salonitanum episcopum sub *tribus capitulis* prænotatam. . . . Hilarius P., a Petro XLVIII, præsentibus episcopis et presbyteris XLV, statuit capitula et synodica VI, in quibus continentur capitula XXII. . . . Felix P., a Petro L, præsentibus episcopis et presbyteris LXXXI, capitula canonum constituit XXIV pro rebaptizandis in Africa episcopis, presbyteris et diaconibus. . . . Gregorius II P., a Petro XCI, scripsit capitula XVII omni Ecclesia servanda cum Patribus XXXIII ea quæ sub anathematis vinculo allegant. » — Catalogus iste, in quo adornando auctor tum Pseudo-Isidori tum Dionysii aliorumque operibus usus est, nonnulla habet quæ ipsi propria omnino sunt.

(259) Sequentia nostræ collectionis capitula apud Reginonem inveniuntur. C. 3—5, 2, 8, 9, 10, 11, 13, 14; Reg. lib. II, c. 6—9, 49, 50, 61, 68, 92, 63. C. 18—30. Reg. lib. II, c. 167—170, 174, 176, 178, 182, 183, 185, 188, 189, 192. C. 31, 32; Reg. lib. II, 196. C. 56—32. Reg. lib. II, c. 111, 112, 117, 118, 176, 282.

(260) Quoniam quorumdam Romanorum decretalia pontificum synodalibus tempore præstant conventibus, non incongrue in nostræ defiorationis opusculo primas sibi vindicant partes. A beati siquidem Petri apostolorum principis præsulatu usque ad Constantini imperatoris serenissimi tempora, seu propter raritatem episcoporum, sive etiam propter rabiem persecutorum, aut nulla aut certe vix ulla creduntur celebrata concilia pontificum. Huc accedit quod canones apostolorum Nicænis et plerisque aliis inferioris habentur auctoritatis, cum utpote a nonnullis illorum esse legantur. Unde quod liberius atque ut dixerim commodius agi poterat, apostolici viri consortes fidei litteris informabant, insinuantes videlicet quid appetere, quid ca-

Introdusă în format electronic de Google

partem, nulla alia quam Pseudo-Isidori collectione usus est, Gallicamque ad hoc ipsius recensionem adhibuit. Plurima tamen occurrunt quæ ipsius propria sunt, suumque opus ab aliis hujusmodi superiorum ætatum secernunt. Quemadmodum in prima parte Rom. pontificum seriem, quam Pseudo-Isidorus cum Gregorio Juniore claudit, usque ad Urbanum II († a. 1099) perduxit; dein *Exceptiones S. Sylvestri* statim Melchiadis Decretalibus, quin quidquam interserat, subjunxit, cum tamen Pseudo-Isidorus conciliorum canones, ipsis intromiserit. Duos insuper Romanos pontifices nominat, Chrysogonum nempe et Mercurium, quos omnino ignoramus, et quorum nec ipse Blanchinius (261) doctus ille et in rerum antiquarum studio indefessus, qui Vitas pontificum ab Anastasio conscriptas edidit, ullum in historia vestigium invenire potuit. In ascribendis singulorum pontificum nominibus numerum locumve quem in pontificum serie quisque tenet, sedulo indicat (262), qua in re illum collectorem imitatus esse videtur, cujus codicem ms. diximus in bibliotheca Vindobonensi asservari. Pontificum decretales non perturbato ordine ex Pseudo-Isidoriana collectione desumptæ, et in capitula divisæ sunt. Hæc invicem capitula continuata numerorum serie ita sese excipiunt, ut ultimæ decretalis capitula capitulis primæ naturali ordine subnectantur. Passim quoque auctor adnotavit, ubi ab altera decretali ad alteram progreditur (263). Hanc dividendi rationem in disponendis cujusque pontificis litteris ita ipse sectatus est, ut omnium ejusdem litterarum capitula separatim numerentur, et tum ab anteriorum tum a posteriorum pontificum litterarum capitulis, penitus distincta sint.

In adnotanda secunda parte, eamdem methodum servavit auctor; singula enim consilia eodem ordine suæ collectioni inseruit quo illa Pseudo-Isidorus disposuerat, et singulorum canones ita numeris distinxit, ut cujusque concilii canones propria numerorum serie censeantur, neque cum sequentis concilii canonibus conjungantur. Græca concilia a concilio Nicæno I, Latina a Carthaginensi I exorditur. Illorum seriem cum concilio Chalcedonensi, harum vero, cum secundo Hispalensi claudit. Titulos seu summulas a Pseudo-Isidoro appositas, necnon numeros, quibus ipse conciliorum canones distinxerat, communiter retinuit, Græca tamen concilia eadem fere ratione disposuit qua in prima parte Rom. pontificum decretales disposuerat. Chalcedonensi concilio plures canones

vere, quid tenere, quid postremo rejicere deberent. Verum cum Christianitatis religio, favente pio principe Constantino, longe lateque per orbem propagari cœpisset, simul etiam episcoporum cœperunt libere celebrari conventus. Qui tamen cum a præsulibus sanctæ hactenus per quatuor orbis climata celebrari non desinant Ecclesiæ, ille tamen qui in Nicæa civitate Bithyniæ a S. Sylvestro convocatus et a CCCXVIII episcopis legitur celebratus, summæ auctoritatis palmam tenere perhibetur, licet in ordine prior non habeatur. Sed inter hæc notandum, quod cum a pontificatu Petri apostolorum principis usque ad præsulatum Sylvestri XXX et duo connumerentur pontifices, semotis Lino et Cleto, quod illi scilicet superstite adhuc Petro apostolo episcopatu functi sunt, nemo tamen eorum suis decretalibus aliqua sancire omiserit. *Chrysogono* duntaxat excepto, qui XXVIII a Petro computatur apostolo. Rursus cum a S. Sylvestro usque ad beatum Gregorium æque XXXII supputantur præsules, omnes similiter præter *Mercurium* solum, qui LXII præsulatu post Petrum apostolum functus est, *edidisse* leguntur. Verum his ita consideremus quæ sit ejus nominis quod est decretale significantia. Igitur decretum, quod a decerno verbo derivatur, ex seque aliud nomen procreat, videlicet decretale, cujus plurale est decretalia, intelligitur institutum, sive constitutio, Unde et decretalia instituta sive constitutiones possunt intelligi, Sed jam tandem eorumdem decretalium necessarias paginæ imprimamus sententias. *Explicit prologus. Incipiunt capitula.* In hac quidem forma habetur collectio in codice ms. Vaticano, in quatuor regiæ bibliothecæ Parisiensis codicibus (n° 3858, 3858 A. 3858 B. 4282). In codice Berolinensi (ms. Lat. n° 104, fol.) Ivonis prologus huic prologo præmittitur, quem idem hac adjecta nota descriptum exhibet : *Explicit prologus primus. Item prologus sequentis operis.* Codex ms. cum *Ordine celebrandi concilii* incipit, qui in omnibus cum illo convenit, quem Burchardus Wormat. in fine concilii Saligunstadensis descripserat, quique a nostri codicis librario perfectiori forma, quam a Burchardo exhibetur. Illum enim nota illa *Admonitio ad sacerdotes* subsequitur, quam S. Anselmus Lucensis Leoni tribuit, et hac epigraphe in suam collectionem recepit : *Incipit sermo quem S. Leo papa composuit in synodo dicendum.* Ord. Romanus apud Melch. Hittorp : *De divinis Catholicæ Ecclesiæ officiis in mysteriis, varii vetustorum aliquot Ecclesiæ Patrum ac scriptorum ecclesiasticorum libri.* Parisiis 1610, in-fol., p. 174 sq., cum quo hic noster maximam similitudinem habet, eamdem admonitionem exhibet. Cf. J. Mabillon *Musæi Italici* t. II, p. 373-397. Parisiis 1724, in-4, Ed. Martene : *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. III, c. I, p. 867 sq. Antwerpiæ 1736, in fol. t. II. Burchardinum fragmentum in omnes conciliorum collectiones receptum fuit : Labbe et Cossart, t. IX, p. 848-853; Coleti t. XI, p. 1133-1138; Hardouin, t. VI, P. I, p. 829-834; Mansi, t. IX, p. 400-406; Hartzheimius *Concil. Germaniæ* t. III, p. 9-16. Nulla tamen re codex Berolinensis magis distinguitur, quam titulo sibi omnino proprio et peculiari, de quo mox plura dicemus, quique sic se habet : *Liber monasterii beatæ virginis Mariæ in Lacu in quo continentur modus de observantia synodi. Item liber canonum Ivonis de ordine Regularium beati Augustini Carnotensis episcopi ex sententiis summorum pontificum et generalium conciliorum atque sanctorum Patrum in unum collectus, distinctus in decem libris.* In codice Parisiensi n° 3885 A. a librario versus qui sequuntur descripti sunt :

Læta cohors fidelium Dei precare Filium
Ut nos sua clementia ducat ad cœli gaudia,
Nobis lætitia sit super omnia et bonis copia.
Cum Dei gratia, per quem solemnia
Sine tristitia sint in Ecclesia.
. . . . . .
Deus propitius esto mihi Willelmo peccatori.
Ecclesiæ quæcunque nocent, quæcunque molestant,
Egregie decreta docent simulque manifestant.
Eximii scriptor operis laudandus in isto.
Abbinii Willelmi eris pro judice Christo.
Bona geres tunc pace fruens, cum præmia regni
Jam referes præmissa lucens in luce perenni.

Codex bibliothecæ Vindobonensis (*Cod. theolog.* n. 355, in-fol.) mancus est, et cum partis III, tit. 22 incipit.

(261) Romæ 1731-1735, 4 vol. in-fol., t. I, p. 30 et 90.

(262) Anacletus P., *tertius a Petro*, etc.

(263) Clemens in prima epistola, c. 11; Cl. in secunda epistola sua, c. 20; Cl. in tertia epistola, c. 32; Cl. in quarta epistola, etc. Capitula, quæ a primo usque ad undecimum sese subsequuntur, omnia ex prima decretali desumpta sunt, quod sæpius hisce verbis indicatur : *Item de eadem epistola.*

Introdusă în format electronic de Google

ex synodo quinisexta seu Trullana, quæ Constantinopoli an. 692 habita fuit, subjunxit, quibus loca quædam ex Venerabilis Bedæ et aliorum ecclesiasticorum scriptorum libris, necnon ex ejusdem concilii actis desumpta præfixit. Cæterum canonum versio in multis ab illa discrepat, quæ in conciliorum collectionibus habetur (264), magisque ad Græcorum exempla accedit (265). Concilium dein secundum Nicænum an. 787 habitum, et synodus octava annis 869 et 870 celebrata annexa sunt, quibus iterum fragmenta quædam ex ipsorum actis decerpta præmittuntur. Cuilibet denique canonum seriei, tum eorum qui ex Latinis, tum eorum qui ex Græcis conciliis decerpti sunt, capitula nonnulla ex SS. Patrum et aliorum scriptorum operibus deprompta, addita sunt.

Tertia collectionis pars, quæ sola canonum collectionis speciem refert, loca exhibet ex Patribus, scriptoribus ecclesiasticis, Romanorum et Francorum legum compilationibus excerpta, et in XXIX rubricas disposita, quarum dein singulæ plura capitula nunquam perturbato numerorum ordine distincta dividuntur. Quibus tamen capitulis alia tum decretalium tum canonum fragmenta admista sunt.

Hujus collectionis auctorem non minus quam A tempus, quo confecta fuit, ignoramus. Attamen cum Rom. pontificum seriem non citra Urbanum II perducat, nec posteriorum conciliorum canones exhibeat, merito illam hujus pontificis tempore elaboratam fuisse credimus. Tanto enim tamque admirabili in colligendis monumentis ardore auctor suum opus absolvit, ut certe si quæ posteriora habuisset aut cognovisset documenta, illa ipse inseruisset.

Cum nos in hujusce nostri opusculi decursu sæpissime ad hanc collectionem accedere debeamus, necessarium ducimus perspicuam quamdam ipsius speciem exhibere, ne quoties illam proferimus, non satis lectores nos intelligant. Hinc in nota omnium collectionis argumentorum indicem apponimus, in quo retenta trium partium divisione, cujusque pontificis decretales, et singulorum conciliorum canones in totidem titulos distribuentes, eumdem omnino temporis ordinem secuti sumus quem B auctor in sua collectione observaverat. Quod vero ad appendices illos duos spectat, qui, uti diximus, conciliorum tum Græcorum tum Latinorum canonibus adjiciuntur, primum hac nota distinximus, scilicet, *pars secunda*, *appendix a*. Alterum vero hac alia : *pars secunda*, *appendix b*, ipsosque simul cum aliis titulis numeravimus (266).

(264) Mansi, t. XI, p. 939-988.

(265) Exempli gratia, eorum canonum versionem hic apponimus, qui neque in Ivonis neque in Gratiani opera transierunt. « C. 8 (can. 20). *Non licere episcopo in civitate quæ ad eum non pertinet prædicare.* Non liceat episcopo in altera, quæ ad eum non pertinet, civitate publice prædicare. Si quis vero inventus fuerit hoc faciens, ab episcopio cesset, quæ vero presbyteri sunt, faciat. » C. 9 (can. 21). *De episcopis.* « Qui pro culpis suis irreculpabiliter depositi sunt et in locum laicorum redacti, si sponte sua convertantur ad Dominum et peccato C renuntiant pro quo depositi sunt, et omnino se alienant ab eo, clericalem tonsuram non perdant. Si vero peccato adhæserint, quemadmodum laici comas dimittant, quia mundanam conversationem cœlesti vitæ præposuerunt. » — C. 11 (can. 26). *De presbyteris non legalibus nuptiis detentis.* Presbyterum nuptiis non legalibus detentum cathedram quidem habere sed ab officio abstinere præcipimus. Sufficiat ei hujusmodi indulgentia, quia benedicere aliis eum, qui vulnera sua debet curare, consequens non est. *Benedictio enim sanctificationis traditio est.* Qui vero hanc non habet propter delictum ignorantiæ, quomodo aliis tradet ? Neque enim publice neque private benedicat, neque corpus domini dispenset aliis, neque alio modo ministret, sed sufficiat ei quod præsideat (ἀρκούμενος τῇ προεδρίᾳ) et imploret a Domino, ut dimittatur ei iniquitas ignorantiæ suæ. Manifestum autem quod ei hujusmodi non legitimæ nuptiæ solventur ad nullatenus D vir accessum habebit ad eam, propter quam sacro ministerio privatus est.

(266) Pars I, t. I : Decreta Clementis c. 23 ; t. II, D. Anacleti c. 25 ; t. III, Evaristi c. 6 ; t. IV, Alexandri c. 8 ; t. V, Sixti c. 5 ; t. VI, Telesphori c. 5 ; t. VII, Hygini c. 3 ; t. VIII, Pii c. 5 ; t. IX, Anitii c. 7 ; t. X, Soteri c. 1 ; t. XI, Eleutherii c. 4 ; t. XII, Victoris c. 4 ; t. XIII, Zepherini c. 3 ; t. XIV, Calixti c. 14 ; t. XV, Urbani c. 5 ; t. XVI, Pontiani c. 1 ; t. XVII, Anteri c. 1 ; t. XVIII, Fabiani c. 12 ; t. XIX, Cornelii c. 3 ; t. XX, Lucii c. 3 ; t. XXI, Stephani c. 7 ; t. XXII, Sixti c. 2 ; t. XXIII, Dionysii c. 2 ; t. XXIV, Felicis c. 7 ; t. XXV, Eutychiani c. 1 ; t. XXVI, Gaji c. 2 ; t. XXVII, Chrysogoni c. 1. Chrysogoni papæ decreta, qui XXVIII a Petro apostolo sortitus est cathedram, nusquam reperi, nisi quod ad quamdam virginem exhortatorias ad sufferendum martyrium scripsit litteras Mediolanum. Verum cur hoc acciderit, utrum scilicet cita morte præventus sit vel aliud quid ei contigerit, non satis elucet.—t. XXVIII, Marcellini c. 2 ; t. XXIX, Marcelli c. 1 ; t. XXX, Eusebii c. 4 ; t. XXXI, Melchiadis, c. 7 ; t. XXXII, Julii c. 7 ; t. XXXIII, Felicis c. 5 ; t. XXXIV, Liberi c. 1 ; t. XXXV, Damasi c. 4 ; t. XXXVI, Syricii c 11 ; t. XXXVII, Anastasii c. 1 ; t. XXXVIII, Innocentii c. 27 ; t. XXXIX, Zosimi c. 2 ; t. XL, Bonifacii c. 1 ; t. XLI, Cœlestini c. 6 ; t. XLII, Sixti c. 4 ; t. XLIII, Leonis c. 51 ; t. XLIV, Hylarii c. 2 ; t. XLV, Simplicii c. 2 ; t. XLVI, Gelasii c. 58 ; t. XLVII, Anastasii c. 2 ; t. XLVIII, Symmachi c. 20, t. XLIX, Hormisdæ c. 2 ; t. L, Felicis c. 2 ; t. LI, Silverii c. 1 ; t. LII, Vigilii c. 2 ; t. LIII, Joannes III, c. 2 ; t. LIV, Pelagii c. 30 ; t. LV, Gregorii c. 112 ; t. LVI, Gregorii II c. 8 ; t. LVII, Gregorii III c. 8 ; t. LVIII, S. Bonifacii M. c. 2 ; t. LIX, Zachariæ c. 2 ; t. LX, Leonis IV c. 23 ; t. LXI, Gregorii IV c. 2 ; t. LXII, Nicolai c. 74 ; t. LXIII, Joannis VIII, c. 8 ; t. LXIV, Stephani V c. 9 ; t. LXV, Leonis IX c. 2 ; t. LXVI, Alexandri II c. 7 ; t. LXVII, Urbani II, c. 5 ; — P. II, t. I, Conc. Nicæn. integrum ; t. II, C. Ancyr. c. 14, t. III, C. Neocæsar. c. 9 ; t. IV, C. Gangrense integrum ; t. V, C. Sardic. c. 13 ; t. VI, C. Antioch. c. 18 ; t. VII, C. Laod. c. 29 ; t. VIII, C. Constant. c. 4 ; t. IX, C. Ephesin. c. 1 ; t. X, C. Chalced. c. 26 ; t. XI, synodi quinisextæ c. 17 ; t. XII, C. Nicæn. II c, 14 ; t. XIII, C. synodi VIII, c. 34 ; t. XIV, Ap. a. c. 16 ; t. XV, C. Carth. I c. 5 ; t. XVI, C. Carth. II c. 5 ; t. XVII, C. Carth. III c. 30 ; t. XVIII, C. Carth. IV c. 102 ; t. XIX, C. Carth. V, c. 14 ; t. XX, C. Carth. VI c. 1 ; t. XXI, C. Carth. VII, c. 5 ; t. XXII, C. Milevit. c. 11 ; t. XXIII, C. Arelat. I c. 4 ; t. XXIV, C. Arel. II c. 8 XXV, C. Arel. III c. 2 ; t. XXVI, C. Araus. c. 11 ; t. XXVII, C Vasen. c. 5 ; t. XXVIII, C. Agath. c. 68 ; t. XXIX, C. Aurel. c. 27 ; t. XXX, C. Eliberit. c. 16 ; t. XXXI, C. Tarracon. c. 9 ; t. XXXII, C. Gerund. c. 5 ; t. XXXIII, C. Cæsaraug. c. 2 ; t. XXXIV, C. Heleroensi (Herd.) c. 11 ; t. XXXV, C. Tolet. I c. 9 ; t. XXXVI, C. Tolet. III c. 12 ; t. XXXVII-XLIII, C. Tolet IV c. 30, VII c. 5, VIII c. 2, IX, c. 6, X c. 3, XI c. 6, XII c. 3 ; t. XLIV, Divers. conc. c. 7 ; t. XLV et XLVI, C. Brac. I c. 2, II c. 9 ; t. XLVII, Capitula de concilio Martini P. c. 84 ; t. XLVIII, C. Brac. III c. 3 ; t. XLIX, C. Hisp. II c. 6 ; t. L, Ap. b. c. 39. — P. III, t. I, De fide et sacramento fidei, de baptismo c 23 ; t. II,

Introdusă în format electronic de Google

Videndum nunc est an et quosnam antecessores nostræ collectionis auctor secutus sit. Ad primam quidem et secundam partem quod attinet, dubium videri potuerit utrumne in illis ardornandis alios priores collectores imitatus fuerit, necne. Modus enim quo Pseudo-Isidori collectionem excerpsit, ipsi proprius ac peculiaris est. Ab auctore autem illius collectionis, quæ Anselmo dedicata est, quam maxime discrepat. Ipse enim nunquam a Pseudo-Isidoro recedit, decretalium fragmenta eodem plane ordine quem in Pseudo-Isidori collectione servant profert et ipse, eaque nec ab invicem separat, nec diversis collectionis suæ locis interserit, multo tamen pauciora capitula, eaque selecta ex ipso deprompsit, dum ille totum ferme Pseudo-Isidori opus indiscriminatim nulloque habito delectu in suam compilationem congessit.

Cæterum negari minime potest, maximam similitudinem nostram collectionem inter atque illam aliam intercedere, quæ in codice Vindobonensi habetur, de qua nuper locuti sumus. Prima siquidem nostræ collectionis pars eadem plane ac in Vindobonensi, licet uberiori forma, disposita est : utrinque capitula omnia ex Pseudo-Isidori unice desumpta sunt, et pontificibus singulis, ascripta est nota, quæ significat quantum quisque in pontificum serie a beato Petro distet. Capitula denique fere omnia (267) quæ in Vindobonensi codice reperiuntur, plus minusve quandoque immutata (268) cum iisdem omnino titulis, et in eadem forma atque in eodem ordine in nostram collectionem transierunt.

Neque mirum videri debet quod auctor collectionis, quæ sane amplissima est, parvam illam ac jejunam Vindobonensem secutus sit : quandoquidem ingentia etiam opera a minimis normam atque incrementum non raro accipiant. Secundam partem quod spectat, non alio duce neque magistro indiguit auctor, cum a Pseudo-Isidoro jam omnia parata essent. Ad adornandum demum tertiam operis sui partem, unum Burchardi Wormatiensis Decretum in promptu habuit (269), receptis aliis fere omnibus. Attamen cum hinc messem colligeret, eadem voluit uti libertate qua Burchardus cum suorum antecessorum compilationes meteret.

CAPUT II.

Quid sit discriminis inter Collectionem tripartitam ac Ivonis opera.

Quin diutius in referendis aliorum opinionibus (270) circa Ivonis opera, iisque approbandis vel refutandis immoremur, ad hanc nostram collectionem nosmet convertamus, eamque cum Ivonis operibus comparemus, ut hinc pateat Ivonem Panormiæ solummodo auctorem dici posse, eamque nostræ collectionis ope exstruxisse; Decretum vero non Ivoni, sed alii cuidam qui multo post vixerit tribuendum esse.

Panormiam germanum esse Ivonis opus omnes fere viri sapientes fatentur, ii etiam qui illam ante Decretum elucubratam fuisse, ac proinde nullo modo Decreti summam esse contendunt. Omnes omnino codices mss., tam antiqui quam recentiores, qui Panormiam exhibent, quorum innumeros in bibliothecis Galliæ præsertim inspicere mihi licuit, Ivonis nomen præ se ferunt, iisque præit notus illius prologus. Plurimi itidem iique optimi, nullum

De sacramentis ecclesiasticis c. 27; t. III, De rebus ecclesiasticis et de earumdem reverentia et observatione c. 34; t. IV, De observatione dierum c. 2; t. V, De jejunio c. 5; t. VI, De consuetudinibus ecclesiasticis c. 18; t. VII, De consuetudine c. 17; t. VIII, De primatu Romanæ Ecclesiæ c. 9; t. IX, De episcopis c. 23; t. X, De clericis et eorum causis c. 53; t. XI, De monachis c. 14; t. XII, De sanctimonialibus c. 8; t. XIII, De monachis et sanctimonialibus c. 7; t. XIV, De virginibus c. 9; t. XV, De conjugiis c. 106; t. XVI, De incesta copulatione c. 32; t. XVII, De septem gradibus consanguinitatis c. 1; t. XVIII, De nocturna illusione c. 4; t. XIX, De incesto concubitu c. 4; t. XX, De homicidiis licitis et illicitis c. 57; t. XXI De incantatione dæmonumque superstitione c. 21; t. XXII, De mendaciis et perjuriis c. 33; t. XXIII, De injuriosis et flagitiosis c. 3; t. XXIV, De usurariis c. 6; t. XXV, De venatoribus c. 5; t. XXVI, De truncatoribus membrorum c. 9; t. XXVII, De excommunicatis c. 24; t. XXVIII, De pœnitentia c. 18. t. XXIX, De causis laicorum c. 284. — T. XVII, c. 1, celebrem Isidori locum ex Pauli sententiis desumptum exhibet, qui ex Burchardi decreto lib III c. 28 in nostram collectionem transiit. Tabulæ, quæ consanguinitatis gradus exhibet in codice Berolinensi versus, quos hic submittimus, ascripti sunt :

Hæc consanguinitatis paulatim volvitur in se,
Donec ad extremos permeat usque gradus.
His quia tunc metis cognatio deficit omnis,
Conjugium licitum est et renovare thorum.
Quod vero sexto ramo concluditur ordo,
Sex mundi ætates significare vides.

Ut status ipse hominis numero completur eodem
Idcirco generis ordo nitet similis.

In duobus codicibus manuscriptis Parisiensibus hic titulus desideratur.

(267) C. 3, 14, 18, 27, 38, 39, 40, 42. Ctp. p. I, t. I, c. 22; t. II, c. 19; t. III, c. 3; t. V, c. 1; t. XII, c. 1 et 3; t. XIII, c. 3. C. 47, 51, 52, 56, 59, 63. Ctp. p. I, t. XV, c. 1, 2; t. XVII, c. 2, 3; t. XXI, c. 3; t. XXII, c. 2; t. XXIX, c. 1; t. LI, c. 2.

(268) C. 4, 5, 10, 11, 12, 13, 15, 16, 17. Ctp. p. I, t. c. 20, 21; t. II, c. 5, 9, 10, 11, 13, 23, 24. C. 28-32, 25, 37, 41, 54, 55, 58. Ctp. p. I, t. VI, c. 1, 3, 4, 6; t. VII, c. 1; t. VIII, c. 1; t. IX, c. 3, 4; t. X, c. 1; t. XIII, c. 2; t. XVIII, c. 8; t. XXI, c. 1; t. XXVI, c. 2.

(269) En quædam exempla : P. III, t. I, c. 12-16. Burch. l. IV, c. 13, 16, 50, 51; t. II, c. 2-6. B. l. V, c. 13, 16, 20, 21, 47; t. III, c. 9-12, 27, 28, 30, 31. B. l. III, c. 9-12, 142, 146, 159, 160; t. VI, c. 1-3. B. l. III, c. 126-128; t. X, c. 7-9, 12-16. B. l. II, c. 181, 182, 184, 185-187, 191, 192; t. XII, c. 1-8. B. l. VIII, c. 10, 19, 22, 23, 37, 54, 58; t. XIII, c. 1-5. B. l. VIII, c. 65, 68, 86, 96, 98; t. XV, c. 65-68, 70-78. B. l. IX, c. 3, 4, 46, 47, 51, 54, 59, 60, 61, 65, 66, 74, 75, 81, 82; t. XVI, c. 9-13, 19-29. B. l. VII, c. 2, 3, 10, 15, 17; l. XVII, c. 9, 12, 13, 22-24, 33, 34, 45, 46, 49; t. XX, c. 53-55. B. l. VI, c. 21, 22, 42; t. XXVIII, c. 7-10, 16-18. B. l. XVIII, c. 14, 16, 20, 21; l. XIX, c. 11, 12, 15; t. XXIX, c. 1, 3-17. B. l. XIII, c. 8-11, 22, 29, 30, 34-37, 40 44.

(270) Hæ sententiæ habentur in Cas. Oudini *Comment. de scriptoribus ecclesiasticis*, t. II, p. 873-876. Lips. 1722, fol.; *Histoire littéraire de France*, t. X, p. 102; ff. Ballerinii *l. c.*, p. IV, c. 16.

Introdusă în format electronic de Google

Leonis IV decreto de eligendo pontifice antiquiorem decretalem litteram exhibent : appendix vero de canone, qui libri et quo tempore sint legendi in Ecclesia, præterea concilii Lateranensis II, sub Innocentio II celebrati, canones in plurimis desiderantur. Docti vero ferme omnes in hoc consentiunt, quod nempe postremi tardius Panormiæ superadditi fuerint ; nec minus certum esse videtur alium quoque de legendis libris canonem huc insuper accessisse, tum quia nullius auctoritatis est, utpote qui ex rituali quodam libro desumptus, tum quia idem titulus in alio etiam ejusdem collectionis loco invenitur (271).

§ I. Ubi Ivonis Panormiam accurate cum collectione tripartita quis conferat attenteque consideret quam intime hæ duæ compilationes inter sese conjungantur, facili negotio comprehendet Panormiam totam illinc quodammodo emersisse, ex ipsius scilicet vasta atque indigesta mole elaboratam et in quemdam ordinem fuisse redactam. In singulis itidem partibus et rubricis maxima dignoscitur inter utramque collectionem similitudo, quæ præsertim in tertia illius collectionis parte apparet. Ex hac enim non singula quædam capitula, sed integras rubricas desumpsit (272), ac, paucissimis tantummodo exceptis capitulis, sine ulla ordinis vel formæ immutatione in suam collectionem recepit. Romanas vero leges ex una Collectione tripartita transtulit (273).

Hinc etiam probari potest Ivonem ex prima parte, quæ decretales complectitur, multa ad suum opus adornandum desumpsisse (274). Secundam vero partem quod spectat, licet illam non minus quam Collectionis tripartitæ auctor ex Pseudo-Isidori opere mutuare potuerit, apertissime tamen patet, etiam in hac parte Ivonem ab antecessore suo non deflexisse. Ab illo enim concilii quinisexti, necnon Nicæni II et œcumenici VIII canones exscripsit, qui in Pseudo-Isidori opere desunt, et in Collectione tripartita primo inveniuntur : dein ex earumdem synodorum actis, quæ in Collectione tripartita synodis ipsis præfixa sunt, fragmenta quædam, demum et capitula illa quæ, uti diximus, appendicis loco tum Græcis, tum Latinis conciliis adjecta sunt, in Panormiam recepit; quibus omnibus nostram sententiam esse extra omnem dubitationis aleam positam, nemo est qui non videat.

At enim ex ejusdem Ivonis litteris non minus quam ex Panormia constat Collectionem tripartitam ipsi cognitam fuisse, eademque ipsum usum esse. Adnotavimus ea tantummodo loca (275), quæ in Panormiam recepta non sunt, quæ proinde evincunt

(271) Utor editione quæ Lovanii anno 1557 in octavo facta est. In capitula divisa est; qua de causa, etsi minus recte hæc divisio facta sit, a correctoribus Romanis, necnon ab Antonio Augustino et a Baluzio et aliis adhibita fuit. Cæterum Brandianam editionem, nulla prorsus facta mutatione, refert.

(272) Ut pateat quam intime hæ duæ collectiones connexæ sint, ex singulis Panormiæ partibus præcipua capitula adnotabo, quæ Ivo ex Tripartita et non ex alia quadam collectione hauserat. Singulis vero Panormiæ capitulis, Tripartitæ capitula ascripsi. Ivo Pan. p. I, c. 28, 31, 65, 87, 95, 109, 111, 121, 122 ; Coll. trip. p. III, t. I, c. 5, 1, 23, 7, 9, 10, 11, 15, 16. Ivo ibid. c. 144, 150, 153, 156; Coll. trip. p. III, t. II, c. 2, 5, 6. — Ivo Pan. p. II, c. 18, 20, 21, 36, 63, 78, 80, 81 ; Coll. trip. p. III, t. III, c. 9, 11, 12, 33, 26, 5, 4. Ivo ibid. c. 117, 118, 119, 126, 127, 141-144, 158, 159; Coll. trip. p. III, t. VI, c. 5, 6, 4, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 1, 2. Ivo ibid. c. 120, 161-168 ; Coll. trip. p. III, t. VII, c. 11, 1, 2, 3, 4, 8, 5, 9, 6. Ivo ibid. c. 181, 184, 194; Coll. trip. p. III, t. V, c. 3, 4, 2. — Ivo Pan. p. III, c. 5, 6, 7, 51 ; Coll. trip. p. III, t. IX, c. 2, 3, 42. Ivo ibid. c. 41, 152, 175, 176, 177, 178; Coll. trip. t. X, c. 1, 35, 1, 2, 3, 4. Ivo ibid. c. 179, 180 ; Coll. trip. p. III, t. IX, c. 5, 6. Ivo ibid. c. 187, 188, 205, 206, 209; Coll. trip. p. III, t. XII, c. 1, 4, 6, 8. — Ivo Pan. p. IV, c. 7, 8, 117 ; Coll. trip. p. III, t. VII, c. 8; t. IX, c. 55.— Ivo Pan. p. V, c. 1, 2, 9, 3, 108; Coll. trip. p. III, t. X, c. 7, 9, 12; t. IX, c. 50, 23. Ivo ibid. c. 79, 85, 84, 85, 87, 88, 124, 125, 126; Coll. trip. p. III, t. XXVII, c. 1, 2, 3, 4, 17, 18, 13, 15, 16. — Ivo Pan. p. VI, c. 1, 2, 4, 5, 7, 8, 9, 11, 12, 14, 15, 16, 27, 28, 29, 31, 34, 45, 53, 57, 60, 62, 64, 65, 66, 70, 71, 74, 75, 79, 80, 85, 91, 103, 104, 105, 107, 108, 109, 110, 113, 117, 118; Coll. trip. p. III, t. XV, c. 1, 64, 46, 63, 36, 7, 8, 9, 5, 20, 29, 2, 3, 15, 43, 94, 16, 4, 5, 34, 35, 11, 24, 32, 98, 99, 100, 101, 102, 107, 108, 104, 11, 13, 14, 55, 57, 58, 60, 61, 62, 79, 68, 81, 85, 94, 95, 17, 21, 22, 42, 48, 69, 70. Ivo ibid. c. 122-128; Coll. trip. p. III, t. I, c. 20, 21, 22, 17, 18, 19. — Ivo Pan. p. VII, c. 4, 9, 10, 12, 17, 32, 33, 36, 37, 41, 42, 47, 52; Coll. trip. p. III, t. XV, c. 83, 84, 74, 75, 73, 91, 92, 93, 88, 89, 77, 87, 53, 33. Ivo ibid. c. 53, 65, 66, 67, 73, 80, 83, 84-88 ; Coll. trip. p. III, t. XVI, c. 1, 23, 24, 2 6, 12, 13, 15, 8, 16, 17, 18. Ivo ibid. c. 89; t. XVII, c. unicum. — Ivo Pan. p. VIII, c. 1, 2, 6, 7, 8, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 22, 25, 26, 34, 35, 38, 39, 40, 44, 48-54, 56-59, 60 ; Coll. trip. p. III, t. XX, c. 1, 2, 4, 5, 6, 14, 16, 17, 18, 21, 22, 25, 26, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 36, 38, 39-45, 46-49, 51. Ivo ibid. c. 65, 66, 68, 73, 74, 79, 80, 81 ; Coll. trip. p. III, t. XXI, c. 14, 15, 16, 10, 11, 9, 8, 7. Ivo ibid. c. 83-93, 94, 96, 103, 109, 111, 112, 117, 118, 119, 122, 123, 124, 128-131 ; Coll. trip. p. III, t. XXII, c. 2-11, 13, 14, 18, 20, 23, 22, 21, 31, 15, 32, 17, 1, 24-28.

(273) Ivo Pan. p. IV, c. 127-130; Coll. trip. p. III, t. X, c. 6, 7, 8, 9. — Ivo Pan. p. V, c. 14-22; Coll. trip. p. III, t. XXIX, c. 171, 239, 131, 113, 99, 132, 138. Ivo ibid. c. 24-45, 47-75, 76; Coll. trip. p. III, t. XXIX, c. 257, 95, 96, 19, 75, 97, 137, 138, 114, 166. 277, 276, 174, 153, 258, 183, 265. Ivo ibid. c. 23, 252, 242, 29, 42, 48, 49, 43, 44, 45, 53, 66, 68, 69, 117, 118, 121, 126, 128, 129, 177-179, 152, 202, 223, 224, 231, 270-274; Coll. trip. p. III, t. XXV, c. V. — Ivo Pan. p. VI, c. 1, 7, 11-13, 46, 48, 70-75, 110, 113; Coll. trip. p. III, t. III, c. 1, 36, 20, 29, 115 ; t. XXIX, c. 95, 116; t. XV, c. 104, 105; t. XXIX, c. 74, 100; t. XV, c. 42, 48.

(274) Ivo Pan. p. I, c. 18, 22 ; Coll. trip. p. I, t. XLIII, c. 44 ; t. IV, c. 71. — Ivo Pan. p. II, c. 170, 174, 177; Coll. trip. p. I, t. LV, c. 50 ; t. VI, c. 1 ; t. XXXVIII, c. 3. — Ivo Pan. p. III, c. 13, 45, 94, 55, 164, 165, 189, 145, 146 ; Coll. trip. p. I, t. XLIII, c. 36 ; t. XXXVIII, c. 11, 21 ; t. XLVI, c. 31, 26, 27, 14 ; t. LV, c. 56, 77.— Ivo Pan. p. IV, c. 1, 4, 8, 10, 22, 25, 26, 29, 74, 75, 76, 100, 112, 113, 118, 136 ; Coll. trip. p. I, t. XXX, c. 8; t. II, c. 20; t. LXII, c. 4; t. II, c. 15, 16, 17 ; t. IX, c. 3, 4, 5, 6 ; t. LXII, c. 74; t. XVIII, c. 11, 12; c. 1; t. XXXII, c. 2; t. XXI, c. 1; t. XII, c. 2; t. IV, c. 2; t. XI, c. 1. — Ivo Pan. V, c. 12, 13, 106, 134, 135; Coll. trip. p. I, t. LXII, c. 60, 61, 34, 65, 66. — Ivo Pan. p. VII, c. 14, 15, 68 ; Coll. trip. p. I, t. LXII, c. 24, 54 ; t. LV, c. 111. Ex ipsis vero verbis quibus decretalium fragmenta incipiunt, apparet eas sine ulla mutatione de verbo ad verbum ex Tripartita deprompta esse. E. gr. Ivo Pan. p. IV, c. 118, *Alexander P. V a Petro in suorum primo Decretalium*, etc.

(275) Ep. 47. Coll. trip. p. I, t. XLVI, c. 2. Ep. 60, Coll. trip. I, XXXIX, c. 2; I, XLVI, c. 35; III, III, c. 26. Ep. 61. C. trip. I, LXIV, c. 3; I, LXII, c. 74. Ep. 99, C. trip. III, XV, c. 20, 2, 3. Ep. 119, C. trip. III, XV, c. 95. Ep. 135, C. trip. III, XXIX,

Introdusă în format electronic de Google

ipsum in illis perscribendis Collectionem tripartitam præ oculis habuisse. Si prætermissis iis quæ hactenus ad nostram sententiam comprobandam adduximus, aliquis adhuc contendere velit Ivonem in sua condenda Panormia minime Collectionem illam fuisse secutum, imo tum, cum opus suum adornavit, ipsi penitus ignotam fuisse, id necessario tribuere debebit, tripartitam scilicet Collectionem ex Panormia desumptam esse : quod quanquam absurdum omnino sit affirmare, tamen simul probaret, collectionem pariter ex Decreto quod Ivoni vulgo tribuitur, desumptam esse, quandoquidem eodem omnino nexu quem Panormiam inter et Collectionem tripartitam existere demonstravimus, cum hoc Decreto conjungatur.

Verumtamen diutius in hac re immorare operæ pretium minime ducimus, cum jam satis nostram corroboraverimus sententiam, Ivonem scilicet Panormiam effinxisse ad exemplar et ex monumentis Collectionis tripartitæ.

Tanta interim erat collectionis illius moles, ut Ivonis liber, cum ipsa comparatus, in multis manc us appareret, et minime sufficeret ad omnem ecclesiasticam quæstionem dirimendam. Multa sane Ivo ex sui antecessoris collectione reliquerat quæ colligenda fuissent, diversasque suæ collectionis rubricas pluribus capitulis ampliare adjectisque aliis novis rubricis, augere potuisset, quin ob nimiam atque inordinatam colligendi cupiditatem reprehendendus fuisset. Quod tamen Ivo neglexerat, alii fecerunt. Duo enim canonum collectores exstiterunt qui Ivonis Parnomiam ex Collectione tripartita iteratis curis ampliarunt, et eodem fere tempore, aut saltem post paulo, novas canonum collectiones adornarunt, quin tamen alter ex alterius opere quidquam assumeret. Primi nomen omnino latet, alter vero aut consulto Ivonis nomen sibi arrogavit, aut quod magis vero simile A est, librariorum ignorantia editorumque errore sub tali nomine ad posteros pervenit.

Opus utrumque nunc diligentius illustrandum est.

§ II. Codex Vindobonensis (*Jus can.*, num. 91, in-4) collectionem exhibet quæ novam Ivonis Panormiæ recensionem in decem partes divisam complectitur ; quam divisionem ideo auctor amplexus fuisse videtur, ut in suo opere adornando propius ad decalogum accederet, atque ita suitemporis indolem suorumque civium consilium sectaretur. Cæterum Panormiam, integram ipsius divisionem in libros et capitula imitatus, eadem ferme servata forma in suam collectionem recepit, ita tamen, ut ipsius capitula propria et peculiari quadam ratione ac ordine disponeret. Capitula enim singula non dividit numeris, nec unum post aliud inserit, sed plura quæ de iisdem rebus agunt, conjungit, ac ad unum veluti caput quod titulos seu B rubricas imitatur, ita reducit, ut a primo capitulo cætera, adjectis uno vel pluribus punctis distinguat, prouti plus minusve a principio distant. Ut vero decem essent partes, tertiam Panormiæ partem in duas divisit, queis decimam addidit, in qua de pœnitentia agitur, cujus documenta, cum ab Ivone penitus esset omissa, tum ex Collectione tripartita (III, 28), tum ex Burchardi Wormatiensis Decreto desumpsit. Collectio vero tripartita ita illi quodammodo sese præbuit quemadmodum sese ipsius antecessori (276) præbuerat.

Duplicem præfationem operi suo præposuit, quarum alteram quæ totius operis rationem exponit, alteram ex Ivonis Panormia usurpavit, *ut ipsa* (utar auctoris verbis) *totius sacrarii porta sit atque dux, quo dirigente quilibet ipsius arcana lustrare possit*. Hinc Ivonis prologum suæ etiam propriæ præfationi anteposuit (277), quam dein partium index

c. 115. Ep. 147, C. trip. III, XV, c. 36. Ep. 184, C. C trip. III, III, c. 25; III, VII, c. 3, 4, 5. Ep. 212, C. trip. III, XXIX, c. 218. Ep. 215, C. trip. I, I, c. 23. Ep. 222, C. trip. III, VI, c. 5. Ep. 241, C. trip. I, XXXII, c. 1. Ep. 242, C. trip. III, XVI, c. 42. Utor editione quæ de Ivonis operibus anno 1647 Parisiis in 2 tom. in-fol. adornata est ; Decretum primo tomo complectitur.

(276) Pars IX, c. 6, pr., § 1-2 ; c. 7, pr., § 1-2 ; c. 8, pr., § 1-2 ; c. 9, pr., § 1-7 ; c. 10, pr., § 1-7 ; c. 11, pr., § 1-4, descriptum ex Ivonis Pan. p. VIII, c. 6-35, etc. C. 22, pr., 1-7, et c. 25, pr., § 1-9, ex Coll. trip., p. III, t. XXII, c. 1-18., etc.

« (277) Voluntati vestræ, reverendissime Pater, ut valui, parui et sententias sanctorum Patrum, multarum bibliothecis ecclesiarum diligenti curiositate perlustratis, ex gestis conciliorum et decretis pontificum Romanorum, tractatibus quoque virorum illustrium et orthodoxorum captim collegi et eamdem collectionem ordinata compositione in unius D voluminis corpus redegi, ut cui forte omnia illa, ex quibus hæc collecta sunt, difficile fuerit habere, vel legere quod sibi judicaverit commodum, hic possit facilius invenire. Cui enim collectioni post descriptionem hominum et temporum Romanorum pontificum tractatum viri venerabilis domini I. Carnotensis episcopi, quem de consonantia canonum luculento admodum sermone dictavit, diligens lector lucernæ vice inveniat, legat et intelligat et sic penetralia subsequentis opusculi et abdita quæque inoffenso pede percurrat. Nam et totam ejusdem opusculi contextionem ita studui disponere, ut præfationis loco ei per omnia videatur congruere. Ut autem idem libellus sacræ decalogo legis etiam numero partium conveniret, totius voluminis summam in decem partes distinxi, et omnem earundem continentiam partium competenti brevitate comprehensam tractatui præfati viri subjunxi, ut quid in qua parte quæri debeat facilius appareat. Præterea singularum capitibus distinctionum proprios titulos ex ordine adnotare curavi, ut non oporteat lectorem causæ alicujus sententiæ totum volumen percurrere, sed tantum suo negotio capitulum cum præfixo numero notare et ei subjectas sententias continuata lectione indagare. In quibus ne item et de eodem frequentibus interpositam difficultatem quærenti et fastidium pareret legenti odiosa plerisque prolixitate vitata, tali eas brevitate contraxi, ut non singulis capitulis singulos titulos ascriberem, sed singulis titulis plura capitula sæpe adjicerem et eosdem titulos crebro etiam per membra subdistinguerem, ipsarumque numerum subdistinctionum affixorum numero punctorum et in titulis et in titulatis capitulis denotarem. Quod autem sententias aliquas absonas et nostris temporibus minus aptas plerumque interposui, non ut *secundum eas vel ipse judicarem vel aliis judicandum insinuarem* feci, ut quod diversi diversa senserint ostendendum et eorum quid sequendum sit prudentis lectoris judicio committendum putavi. Obsecro itaque per misericordiam Dei ut hanc maxime laboribus meis vicissitudinem rependatis, uti apud eum qui tollit peccata mundi pro meis dignemini intervenire peccatis.

« Prima pars continet de fide ; de quibusdam hæresibus ; de baptismo, de ministerio baptizandorum ; de confectione chrismatis et erogatione ; de confirmatione ; de sacramento corporis et sanguinis Domini ; de eucharistiæ oblatione et perceptione ; de sacrorum vasorum veneratione.

« Secunda pars continet de constitutione ecclesiæ ; de oblationibus fidelium, de dedicatione ecclesiarum ; de sepultura ; de consecratione altarium et quomodo ecclesiæ a presbyteris possideantur ; de decimis ; de legitima possessione : de confugientibus ad ecclesiam : de sacrilegio ; de libertis et rebus ecclesiæ et eorum alienatione ; de Scripturis et con-

Introdusă în format electronic de Google

subsequitur, unde, melius quam ex prolixa descriptione videri potest, qua ratione antecessoris libro usus sit.

Præter ea quæ ex duabus collectionibus de quibus diximus, decerpsit, alia quædam documenta adjunxit, quod cum præstaret, nullius antecessoris exemplum secutus est. Huc pertinent canones quamplurimi ex concilio Patavino anni 1100, Tolosano anni 1119, Bellovacensi, anni 1120, Lateranensi I sub Calixto II, et denique ex synodo Nanetensi anni 1127 desumpti, nec non plurimæ Ivonis, Paschalis II, Calixti II litteræ. In calce partis quartæ notæ illi Acaccii litteræ formatæ, duas alias adjecit, quas ipse auctor conscripsisse videtur, et quarum altera Ivoni inscribitur. Ambæ annum 1130 inscriptum habent.

Quanquam nec hujus collectionis auctor, neque tempus quo fuit confecta nota sint, utrumque tamen non improbabili ratione conjicere posse confidimus. Et quidem ad Collectionis ætatem quod pertinet facilius rem conficiemus, cum ex documentis recentioribus adjectis, et maxime ex litteris illis duabus quæ annum præferunt 1130, jure deducimus collectionem ipsam aut hoc ipso, aut saltem subsequenti anno confectam esse. Non alia argumentatione ex litteris formatis quæ anno 906 fuerunt exaratæ, et quas Regino Prumiensis in suum Decretum lib. I, c. 448 et 449, recepit, tempus quo illud elucubravit a doctis viris eruitur. Ex iisdem rationibus quæ nostræ collectionis ætatem indicant, ipsius quoque auctorem inveniri posse credimus,

Hildebertus, episcopus prius Cenomanensis, dein ab anno 1130 archiepiscopus Turonensis, qui anno 1134 mortuus est, in quadam epistola quam anno 1118 vel 1119 ad Guilbertum episcopum Limericensem in Hibernia dedit (278) id narrat, se nempe in conficienda canonum collectione occupatum esse, eam quidem nondum absolvisse, absolutam vero statim ad ipsum transmissurum esse. In alia ex ipsius epistolis reperitur præfatio (279) quam huic suæ collectioni præponere moliebatur, quæ tamen nec est absoluta, nec aliud est quam pars ex Ivonis prologo decerpta. Hæc si cum nostræ Collectionis virtutibus conferantur, non sine causa affirmari po-

ciliis authenticis et apocryphis; de consuetudinibus; de jejunio et eleemosynis.

« Tertia pars continet de electione et consecratione papæ et episcoporum; de probatione et ordinatione; de quibusdam diversis ex causis ordinandis vel non ordinandis; de mutatione ordinandorum, de ordinatis non reordinandis; de continentia ordinatorum; de simoniacis; de hæreticis; de lapsis in sacris ordinibus; de clericis homicidis et usurariis; de servis ignoranter ordinatis; de clericis vitiosis; de abbatibus et monachis; de virginibus et viduis velatis et abbatissis.

« Quarta pars continet de Regula beati Augustini et ejus observatione; de archiepiscopis et episcopis ordinandis; de expulsis; de ignotis; de discordibus, quid in ecclesiis, quid per parochias agant, de ministris eorum, quomodo principibus concordent et malos cohibeant; de rebus; de sobrietate; de paupertate; de libertate; de testibus episcoporum; de defunctis episcopis: de rebus episcopalibus et ecclesiasticis; de presbyteris et clericis ubi et quomodo vivant vel alios doceant; de possessionibus eorumdem.

« Quinta pars continet de primatu et dignitate Romanæ Ecclesiæ, de conciliis convocandis; de provincia constituenda; de potestate primatum et metropolitanorum; de negotiis clericorum ubi tractentur; de spoliatis reinvestiendis; de accusatione, quo ordine, a quibus personis et adversus quos debeat vel non debeat fieri; de testibus, qui et quomodo et quot et in quo negotio testificari debeant vel non, de induciis quando et quandiu datæ sunt; de subterfugientibus quandiu et qua ratione exspectentur; de judicibus quales esse debeant et quando judicium proferant; de appellatione quando et quomodo fiat et de male appellantibus; de electis judicibus; de damnatis episcopis et clericis diffinitis.

« Sexta pars continet qualiter purgentur clerici infamia tantum accusati; de causis et negotiis laicorum; de potestate ligandi et solvendi; de vocatione excommunicandorum; de excommunicatione; de absolutione; de illis qui excommunicatis fidelitate aut sacramento astricti sunt; de hæreticis post mortem excommunicandis, et quod sit communicandum non nominatim excommunicatis; de illicita et injusta ac præcipiti excommunicatione.

« Septima pars continet de nuptiis quo tempore et inter quas personas et qua de causa debeant fieri; de tribus quæ perfectum reddunt conjugium; de perfecto et imperfecto conjugio; de concubinis; de conjugibus, quorum alter sine altero continentiam vovit vel religionis habitum sumpsit; de uxoribus quæ viris captis aliis nupserunt; quod sit conjugium inter personas ejusdem religionis, hoc est inter gentiles et inter judæos; quibus de causis non sit solvendum conjugium; quæ conjunctio non facit conjugium; de separatione conjugii non ob causam fornicationis.

« Octava pars continet de conjugio nisi ob fornicationem non solvendo, de fornicatione cum sororibus et consanguineis et ne quis quam prius adulteravit uxorem ducat; de interfectoribus conjugum suarum; de adulterio; de Lothario et Thietberga; de fornicatione spirituali; de reconciliatione conjugum; de sacramentis accusationis separationis et reconciliationis; de subjectione ab uxoribus viris exhibenda; quare et qui conjungi prohibeantur vel jubeantur; de consanguinitate et ejus numeratione et observatione et probatione, accusatione, computatione vel inquisitione: de gradibus ejus recto et transverso ordine dispositis,

« Nona pars continet de homicidiis; de his, qui se ipsos, episcopos vel alios ecclesiasticos occiderint; de parricidis et conjugum ac pœnitentum interfectoribus; de homicidiis sponte vel non sponte vel consilio factis; de eo, qui mulierem prægnantem percusserit et abortierit; de quibusdam homicidiis, quæ sine peccato fiant; de incantationibus et divinationibus et diverso genere magicæ artis; de natura dæmonum; de sortibus, de observatione dierum et mensium; de diversis octo generibus mendacii; de juramentis observandis vel non illegitimis; de exactione juramenti et fallacia; de juramentis quibusdam et de comitibus jurisjurandi; de omni genere mendacii.

« Decima pars continet de pœnitentia et pœnitentibus et de discretione inter eos habenda; quomodo clerici pœniteant et de confessione peccatorum et de satisfactione ac reconciliatione; de majoribus culpis et minoribus, et de pœnitentibus in extremis; et de emendatione omnium criminum et redemptione jejuniorum. »

(278) « Exceptiones autem decretorum, quas in unum volumen ordinare disposuimus, ad suum finem nondum perductæ sunt. Opus enim hoc liberum curis pectus desiderat, cujus nos episcopus immunes fecit. Horum tamen jam explevimus partem atque ad id peragendum quod restat episcopum deponemus. Peractum vestras veniet in manus, nec opus erit ut pro eo deferendo vester legatus ad nos usque fatigetur. Officii nostri erit, vobis illud per nostrum destinari. » Lib. II, ep. 27, p. 124, Op. ed. J. Beaugendre. Parisiis 1708, in-fol.

(279) S. *Hildeberti Tur. arch., in suas regularum ecclesiasticarum exceptiones de multiplici divinorum præceptorum genere.* Lib. II, et. 161, *l. c.*

Introdusă în format electronic de Google

terit Hildebertum ipsius fuisse auctorem. Et re quidem vera præfatio quam in nostra collectione ab ipso auctore elaboratam invenimus, omnibus iis respondet quæ Guilbertus Limericensis episcopus postulaverat, cui præterea ipsa inscribitur. Apertum etiam ex ipsius principio, imo ex præfatione universa est, eam ab homine ecclesiastica dignitate præfulgente ad alium ejusdem conditionis hominem esse scriptam. Canones insuper concilii Nanetensis, quod anno 1127, mense Novembris, præside Hildeberto, habitum fuit, eumdem collectionis, in quam recepti sunt, auctorem esse arguunt. Quibus si adjicimus quod inter Hildeberti litteras, Ivonis prologus in Panormiam, inveniatur, recte conficere possumus, eumdem suæ collectioni præfigere ipsum voluisse. Quod cum in collectione nostra factum conspicimus, Hildeberto eam merito tribuimus.

Hinc etiam dignosci facile potest unde factum sit quod librarius qui codicem exscripsit, veri auctoris nomen oblivisci potuerit, cum Ivonis nonnisi prologum respiceret, sic secundam quoque præfationem ab ipso conscriptam putaret. Hinc præterea apertum est cur librarius qui codicem Berolinensem, in quo Collectio tripartita reperitur (280), conscripsit, etiam hanc collectionem Ivoni tribuerit, non aliam certe ob causam nisi in illo codice ad collectionis initium itidem Ivonis prologus habebatur. Quod vero idem librarius affirmet Ivonem opus suum in decem partes distribuisse, quodque codici Ivonis nomen inscripserit, cum tamen nonnisi illam Collectionem tripartitam exhibeat, mirum videri minime debet, si mature perpendimus quod vel librarius ipse, vel ille cujus jussu codicem exaravit, facillime scire potuit quamdam existere canonum collectionem in decem partes divisam, quæ vel ob magnam similitudinem quam habet cum Ivonis Panormia, vel ob id solum quod ipsi Ivonis prologus præfixus sit, Ivoni quoque vulgo attributa est.

Merito proinde, ac sine ulla dubitatione collectionem de qua loquimur Hildeberto tribuimus, qui pro magno, quo flagrabat conservandæ ecclesiasticæ disciplinæ desiderio, minime nova illa documenta negligere potuit, quæ ipsius disciplinæ mutatas aut ampliatas regulas exhibebant, quæque a præcedentibus collectoribus nec habebantur nec haberi poterant, cum prius opera sua elaborarent, quam illa in lucem ederentur. Nec tamen hujusmodi documenta in suam collectionem recipiendo ab antecessorum suorum consuetudine recessit, cum omnes quæcunque nova et suis temporibus accommoda reperiebant, suis collectionibus certatim insererent. Qua de causa nec collectiones quæ vulgo Cæsaraugustana et Tarraconensis nominantur, nec illam quæ ab Anselmo Lucensi auctore est repetenda, Hildeberto tribuere possumus, uti ab aliquibus factum esse novimus, cum omnes hæ collectiones nullas Urbani II epistolis recentiores complectantur. Viri quidam doctissimi ex congregatione Benedictinorum Sancti Mauri in Gallia (281), qui præclare admodum subtiliterque opiniones varias excutere studuerunt, quæ de Hildeberti canonum collectione circumferuntur, hic vero errores notarunt, quibus istiusmodi opiniones innituntur, at cum sibi sufficere arbitrarentur, si vera esse ostenderent, quæ Hildebertus de sua canonum collectione narrat, nihil omnino certi attulerunt, unde hæc quæstio penitus dirimi posset.

§ III. Quod ad alterum compilatorem pertinet, qui Panormiam denuo elucubrando auctor fuit illius Decreti, quod, ut evincere post paulo contendemus, Ivoni falso tribuitur, breviores esse poterimus, cum hoc unum agere debeamus, ut clare demonstremus qua ratione fuerit hoc opus confectum.

Auctor opus suum septemdecim in partes distribuit, quarum rubricas in notis apponimus (282) ut illud facilius cum præcedentibus collectionibus, ac præsertim cum Collectione trium partium conferre possimus. Quantum ex ipso opere conjicere fas est,

(280) Conf. Cap. 1, nota 260, hujus Dissert.

(281) « Malgré toutes les recherches et les discussions que nous avons pu faire, il est très-difficile de décider avec certitude ce qu'il faut penser de la collection des canons faite par Hildebert. Celle qui porte le nom d'Yves de Chartres, ne peut être celle de l'évêque du Mans; cela est évident. S'il était auteur de celle de la Tarragone, ou de celle de Sarragosse, comme Antoine Augustin et après lui M. Dujat le conjecturent, serait-il possible qu'on ne trouvât que dans les bibliothèques d'Espagne l'ouvrage d'un évêque de France. Nous ne nous arrêtons pas à faire voir qu'il ne peut être auteur de celle qui porte le nom d'Anselme de Luques, ni à réfuter ceux qui la lui ont attribuée.... Enfin tout ce que nous pouvons dire avec certitude sur ce sujet, c'est qu'Hildebert avait entrepris de faire une collection de Canons, qu'il avait exécuté en partie son dessein, mais que les occupations attachées à l'épiscopat lui firent interrompre son travail jusqu'en 1118. Alors il résolut de le reprendre; mais nous ignorons s'il y a mis la dernière main; et en cas qu'il ait achevé cette collection, nous ne savons si elle existe, ou si elle est perdue, du moins nous est-elle inconnue. » *Histoire littéraire de France*, t. XI, p. 469, et in genere p. 406-410. — Inutile esset monere, Hildebertum minime Collectionis tripartitæ auctorem esse, cum eam jam Ivo, qui a. 1115 mortuus est, adhibuisset, et Hildebertus anno 1118 vel 1119 suum opus elaborasset.

(282) P. I. De fide et sacramento fidei, id est, baptismate, et ministerio baptizandorum et baptizatorum; consignandorum et consignatorum; et de observatione singulorum. Et quid conferat baptisma, quid confirmatio.

P. II. De sacramento corporis et sanguinis Domini; et de perceptione et observatione; de missa et aliorum sacramentorum sanctitate.

P. III. De ecclesia et de rebus ecclesiasticis et earumdem reverentia et observatione.

P. IV. De observandis festivitatibus et jejuniis legitimis; de scripturis canonicis et consuetudinibus et celebratione concilii.

P. V. De primatu Romanæ ecclesiæ et jure primatum et metropolitanorum atque episcoporum; et de ordinatione eorum; et de sublimitate episcopali.

P. VI. De clericorum conversatione et ordinatione, et correctione et causis.

P. VII. De monachorum et monacharum singularitate et quiete; et de revocatione et pœnitentia eorum qui continentiæ propositum transgrediuntur.

P. VIII. De legitimis conjugiis; de virginibus et viduis non velatis; de raptoribus earum et de eorum separatione. De concubinis et transgressione conjugii, deque pœnitentia singulorum.

P. IX. De incesta copulatione et fornicatione diversi generis; et in qua linea fideles conjungi et separari debeant; et de correctione et pœnitentia singulorum.

P. X. De homicidiis spontaneis et non spontaneis; de parricidiis, et fratricidiis; et de occisione legitimarum uxorum et seniorum et clericorum; et quod non omnis hominem occidens homicida sit; et de eorum pœnitentia.

P. XI. De incantatoribus; de auguriis, de divinis; et sortilegis; de sortiariis; et variis illusionibus diaboli et de singulorum pœnitentia.

P. XII. De mendacio et perjurio; de accusatoribus; de judicibus; de defensoribus et falsis testibus, et de singulorum pœnitentia.

P. XIII. De raptoribus, de furibus de usurariis et

Introdusă în format electronic de Google

duo præ oculis auctor habuisse videtur. Generatim quidem ab Ivone nunquam sibi recedendum; quanquam vero formam quam Ivo in instruenda Panormia adhibuit imitatus fuerit, tamen in pluribus ab illa discessit, iis maxime in locis ubi uberior Collectionis tripartitæ materia hunc agendi modum exigebat. Ivo siquidem, quod superius etiam diximus multa ex illa Collectione excerpere omiserat, quæ ad opus suum ampliandum magisque perficiendum excerpere potuisset atque etiam debuisset. Hinc in alia illa Collectione quam Hildeberto tribuimus, Ivonis opus ex Collectione tripartita ampliatum magisque elaboratum fuisse ostendimus. Decreti vero auctor, quem Pseudo-Ivonem nominamus, cum, uti paulo post videbimus, ab Ivone minime confecta sit, singulas Panormiæ partes in duas divisit, et decimam septimam quæ præter quædam loca ex Augustini operibus decerpta, tota ex Burchardi Wormatiensis Decreto desumpta est, adjecit. Hinc quoque factum esse puto quod hæc ultima Decreti pars in quodam codice Parisiensi penitus desit, et merito ab ejusdem Decreti epitomatoribus omnino omissa sit, cum neque Panormiæ neque trium partium Collectionis ratio et methodus ejusmodi partem exigeret. Quod vero ipsas partium rubricas attinet, Pseudo-Ivo Collectionem tripartitam præ Ivonis Panormia secutus est. Prima quidem et secunda pars ex Panormia certe de-

de fœneratoribus; de venatoribus; de maledicis et contentiosis; de commessationibus et ebrietatibus; de furiosis; de Judæis et eorum correctione.

P. XIV. De excommunicatione justa vel injusta, et quibus de causis et quo ordine facienda sit.

P. XV. De pœnitentia sanorum et infirmorum; et qua commutatione leniri possit pœnitentia.

P. XVI. De officiis laicorum et causis eorum.

P. XVII. Continens speculativas sanctorum Patrum sententias de fide, spe et charitate.

(285) Quæ ut clarius appareant synopticam his tabulam subjungimus, in qua ex singulis Pseudo-Ivonis Decreti partibus ea capitula adnotavimus quæ eadem conservata serie ex Burchardi Decreto desumpta sunt. Reliqua quæ sparsim ex eo hausit auctor omittimus. Eodem modo notabimus capitula ea quæ Pseudo-Ivo ex Collectione tripartita et ex Panormia deprompsit. P. I, c. 197-217, 218-250, 251, 252, 253-295. Burch. L. IV, c. 2-22, 24-56, 58, 57, 59-101. P. II, c. 11-62, 77, 117-123, 124-141. B. l. V, c. 1-53; l. III, c. 69; l. II, c. 50, 52, 54, 70, 71, 92, 93; l. III, c. 70, 72, 76, 78, 79, 96-108. P. III, c. 3-17, 19-23, 25, 26, 53, 54-65, 65-70, 71, 72, 73-84; B. l. III, c. 1-15, 16-20, 62, 21-49, 51-61, 63-68, 81, 80, 82, 85-94. c. 85-95, 107-114, 195-212, 213, 214, 216, 226, 227-243, 244-249, 250-255, 256-266, 267-269, 270-281, 282, 283, 284; B. l. III, c. 109-119, 190-197, 129-147, 151, 152, 153-164, 166-182, 184-189, 198-203, 205-216, 222-227, 225, 226, 230, 238, 240, 239, 223, 224, 241. P. IV, c. 12-22, 24-48, 49-60, 61-70, B. l. II, c. 75-78, 81, 82, 88, 83, 84, 87; B. l. XIII, c. 1-15, 17-228. B. l. III, c. 217, 218, 222, 220, 221, 224-228, P. V, c. I, 46, 57-77, 135-153, 154-176, 181-234, 242, 250-280, 289-344; B. l. I, c. 1-42, 44-62, 64, 65, 67, 68, 75-90, 93-111, 114-131, 113-135, 232, 136-142, 144-151, 155, 156-191, 193-198, 200-219, 221, 223-226, 228-232, P. VI, c. 21-41, 64, 125-310; B. l. II, c. 1-13, 15-18, 23, 19-21, 22, 24-49, 55-69, 72-74, 79, 80, 94-113, 115-120, 122, 124-138, 140-149, 150, 179-196, 151-177, 197, 235, 198-201, 238, 202-204, 237, 205-226, 234, 228-233, 236, 239. P. VII, c. 28-34, 36-119; B. l. VIII, c. 4-7,9-11, 15-20, 22-28, 30-39, 40-101. P. VIII, c. 139-218; B. l. IX, c. 1-48, 51, 53-82. P. IX, c. 29, 39-104. B. l. VII, c. 3, 2, 4-10, 12-27; l. XVII, c. 1-3, 8, 9, 12-16, 19-37, 45-54. P. X, c. 150-176. B. l. VI, c. 1-39, 41-43, 45-49. P. XI, c. 30-57. B. l. X, c. 1-4, 6-10, 12-22, 24-26, 28-50. P. XII, c, 58-75, 77-88. B. c. 1-19, 21, 22, 25-29; l. XI, c. 64, 65, 68, 69. P. XIII, c. 2, 3, 36-40, 41-51, 52-67, 69-85. B. l. XI, c. 53, 54, 26-30, 55-65; l. X, c. 51-63, 65-67; l. XIV, c. 1-17. P. XIV, c. 74-114, 115-126. B. l. XI, c. 1-6, 10-24, 31-51, 67-78. P. 15, c. 2, 5, 6, 7, 3, 9, 22, 26-205. B. l. XVIII, c. 13, 10, 35, 38, 40, 23, 12, 1-9 11, 14-22, 28-34, 36, 37, 39, 41, 44-70, 72-82, 84-126, 129-149, 153-159. Canones concilii Salegunstad. in fine libri XX; B. l. XI, c. 9-25. P. XVI, c. 2-43. B. XV, c. 1-44. P. XVII, c. 12-120; Burch. l. XX, c. 1-110.

(284) P. I, c. 156-162, 170, 171, 177, 178, 191, 208, 211, 244, 245, 304, 305, 307, 135-137. Coll. trip. III, I, c. 1-22; P. II, c. 25, 26, 30, 31, 56, 81, 85, 93, 94-113. Cfp. III, II, c. 2-27; P. III, c. 11-14, 113, 122, 125, 133-134, 175, 177-180, 183, 189, 193, 194, 208, 211, 215, 222, 223, 273, 282. Cfp. III, III, c. 9-24. P. IV, c. 1, 14, 23, 24, 53, 43, 53, 68-74, 151, 168-171, 177, 178, 183, 184, 188, 200-208, 213, 215, 216, 227, 234-238. Cfp. III, IV, c. 1-2; III, V, c. 1-5; III, VI, c. 1-18; III, VII, c. 1-17; III, VIII, c. 1. P. V, c. 20, 23-24, 48, 50-52, 8, 81, 123, 347, 65, 61, 72, 280-286, 314, 352, 333, 343, 355, 359-361. 369-371, 378. Cfp. III, VIII, c. 2-9; III, IX, c. 1-23. P. VI, c. 383-406, 410-412, 415-419, 427, 428, 431. Cfp. III, X, c, 18-50. P. VII, c. 2-4, 7, 8, 22, 32, 150, 155-157. Cfp. III, XI, c. 1-14. P. VIII, c. 137-142. Cfp. III, XIV, c. 1-9, P. VIII, c. 1-27, 30, 32, 34, 35, 38-41, 44, 45, 51-54, 56, 65, 71, 72, 73, 79, 87, 88, 93, 111, 133, 134, 136, 220, 228, 231, 234, 237, 238-240, 251, 253, 254, 255, 263, 269, 270, 271, 272, 273, 279, 291, 294, 311. Cfp. III, XV, c. 1-62, 79-105, 105-109. P. I, c. 1-4, 7, 17, 18, 33, 105-108. Cfp. III, XVI, c. 1-8, 29-33. P. IX, c. 111-113, 123, 116, 117, 126, 127. Cfp. III, XVIII, c. 1-4; III, XIX, c. 1-4. P. X, c. 1, 4, 7, 10, 11, 12, 18, 20, 27, 32, 34, 50, 54, 56-64, 78-80, 97-98, 101, 103-108, 110-120, 124-126. Cfp. III, XX, c. 1-52. P. XI, c. 10, 13, 15-22, 29, 67, 68, 70, 71, 84, 96-98. Cfp. III, XXI, c. 1-12, 14-20. P. XII, c. 17, 22, 23, 26, 29, 35, 36, 39, 42-44, 46, 47, 64. 73, 76, 80. Cfp. III,

Introdusă în format electronic de Google

ctionibus Panormiam quoque addidit, qua non solum tanquam fonte (285), sed etiam tanquam norma (286) usus est. Capitula vero ex Tripartita desumpta, et ab Ivone in unum conjuncta, aut mutata, Pseudo-Ivo eamdem cum Ivone retinens formam, recepit. Cæterum tam inepte hisce operibus usus est auctor, ut ipsum omni talia disponendi atque ordinandi dexteritate caruisse, nec aliud fecisse dicas, quam in quamdam inordinatam indigestamque molem congerere, quæcunque in tribus illis collectionibus reperiebantur. Incredibile dictu est quam permista omnia sint, quam inordinate digesta, ac nullo locorum habito delectu hac illac veluti disseminata. Quidquid apud suos antecessores invenerat, omnia, neque exceptis quisquiliis, in suam collectionem assumpsit, tamque anxie in illis colligendis insudavit, ut eadem documenta, ne seriem in quam ab antecessoribus suis capitula singula erant digesta, interrumperet, bis et ter (287) in suam collectionem receperit, prout in duabus vel tribus collectionibus, quas ad manus habebat, ea invenerat. Quæ quidem loca, pro maxima parte ex Burchardi Decreto desumpta, etsi tum a Collectionis tripartitæ auctore, tum ab Ivone in Panormia paululum immutata essent, tamen Pseudo-Ivo, qui hanc immutationem nec animadvertit quidem, eadem servata forma quam apud illos habebant, collectioni inseruit.

Cum ita igitur Decretum fuisse confectum ostendimus, simul nos etiam probasse confidimus Ivonem nullo modo ipsius auctorem dici posse. Quo enim pacto fieri potuisset ut summi ingenii atque eruditionis vir, qualem Ivonem fuisse historia testatur, opus suum tantis curis tantaque perspicuitate tum ex Buchardi et Anselmi Lucensis operibus, tum ex Collectione tripartita elaboratum atque omni ex parte connexum et mirifico ordine et methodo elucubratum, penitus destrueret, aliudque denuo ex hoc suo proprio atque ex eorumdem antecessorum suorum operibus compilaret, in quo incredibilis perturbatio omnisque ordinis defectus conspicitur, nec aliam ob causam nisi ut indigesta quædam ac minime elaborata rerum moles congereretur, compilatum fuisse videtur? Non ita facile profecto quisquam hoc sibi persuadeat, ac difficilius etiam Ivonem ita egisse quisquam demonstrandum susciperet.

Jam vero sententiam clarissimi Savignii quod spectat, qui Ivonem ipsum post confectam Panormiam, Decretum elaborasse, atque ad hoc perficiendum præsertim trium partium Collectionis inventione, quam antea ignorarat, adductum fuisse affirmat, in eo quidem quod Decretum ex hac Collectione depromptum fatetur, nihil est cur ab ipso dissentiamus. in eo vero quod Ivonem ejusdem auctorem agnoscat, hoc uno argumento ipsius errorem evincimus, quod nempe jam Panormia ad Collectionis tripartitæ normam disposita, et ex ipsa desumpta fuerit.

Quod vero hactenus Ivo Decreti auctor habitus fuerit, id ex errore evenisse videtur. Ejusdem siquidem auctor, cum uti vidimus, non adeo multum in ordinandis suæ collectionis documentis valeret, ut ex tribus ordinatis ac certa ratione digestis compilationibus, nonnisi informem molem collegerit, ne præfari quidem operi suo illiusque rationem exponere ausus est. Hinc optimum simulque brevissimum duxit operi Ivonis prologum præponere. Qua in sententia maxime affirmor, postquam codices duos, Vindobonensem unum, alterum Londinensem sedulo dispexi, quorum uterque Decretum septemdecim in partes divisum exhibent. In hisce

xxii, c. 1-33. P. xiii, c. 2 4, 16-19, 26, 28, 31-35, 40, 42, 68, 88, 90-93 106. Ctp. iii, xxiii, c. 1-3; iii, 24, c. 1-6; iii. 25, c. 1-5; iii, 26, c. 1-9. P. xiv, c. 5-14, 25, 43, 44, 47, 48, 50, 92, 65, 114, 124. Ctp. iii, 27, c. 1-24. P. xv, c. 21-25. Ctp. iii. 28, c. 1-6. P. xvi, c. 56-63, 71, 72, 74-79, 85-110, 113-167, 172-226, 229-298, 300-320, 324-362. Ctp. iii, xxix, c. 18-282. Eodem modo quantum fieri potuit primam et secundam Collectionis tripartitæ partem excerpsit Pseudo-Ivo. De qua re hic nihil dicemus ne nimium spatium insumamus.

(285) Quædam solummodo capitula hic adnotare sufficiat. P. i, c. 26, 27, 49, 50, 58 59, 64, 65, 76, 77, 87, 90, 94, 95, 97, 99, 100, 102, 103, 104, 108, 109, 129-134, 140-144, 146, 147, 309, 310, 184, 185. Ivo Pan. p. i, c. 8-11, 16, 17, 23, 24, 35, 36, 40-51, 59-61, 66-70, 92, 93, 104, 105, 111, 112. P. iv, c. 89-91, 105-106, 168-174, 196, 179-181, 184, 25-28. Ivo Pan. p. ii, c. 95, 96, 97, 123, 124, 141-153, 174-177. P. v, c. 122, 123. P. vi, c. 12-19. P. vii, c. 145-146. Ivo Pan. p. iii, c. 8, 9, 33-40, 199-200. P. xiv, c. 18-20. Ivo Pan. p. v, 130-132. P. ix, c. 5, 6, 19-12, 27, 28. Ivo Pan. p. viii, c. 54, 55, 57-59, 61, 62, etc.

(286) P. viii, c. 26. Ivo Pan. p. v, c. 53. Ctp. iii, 15, c. 24-26. P. viii, c. 136, 269. Ivo Pan. p. vi, c. 80, 55. Ctp. iii, xv, c. 60, 61, 62; c. 98, 99. etc.

(287) Ea quædam exempla : P. xi, c. 11. P. xiii, c. 66. P. xii, c. 85. P. vi, c. 346. P. xi, c. 32. P. xi, c. 95. P. viii, c. 68 P. xvi, c. 193. P. xiii, c. 6. P. xvi, c. 358. P. xiv, c. 100. P. xiv, c. 57. P. x, c. 144. P. x, c. 25. P. vi, c. 380. P. xv, c. 20. P. xvi, c. 256, c. 271. P. viii, c. 314. P. x, c. 181. P. xiii, c. 48. P. xvi, c. 102. P. i, c. 252. P. vi, c. 99. P. ii, c. 135. P. vi, c. 105. P. v, c. 566. P. xiii, c. 50; P. xiv, c. 23. P. xiv, c. 102. P. iii, c. 149. P. xiii, c. 1. P. iv, c. 194 P. xvi, c. 184. P. vi, c. 52. P. vi, c. 187. P. xiii, c. 88. P. xvi, c. 193. P. viii, c. 503. P. xvi, c. 121. P. vi, c. 54. P. xv, c. 63. P. xvi, c. 226. P. xvi, c. 515. P. iii, c. 154. P. iii, c. 247. P. viii, c. 62. P. xvi, c. 183. P. ii, c. 111. P. iii, c. 2. P. viii, c. 22. P. xvi, c. 183. P. viii, c. 206. P. viii, c. 264. P. viii, c. 9. P. viii, c. 235. P. viii, c. 124. P. viii, c. 355. P. xiii, c. 101. P. i, c. 285. P. ii, c. 69. P. vi, c. 45. P. i, c. 135. P. ix, c. 54. P. viii, c. 70. P. xvii, c. 193. P. iii, c. 116, P. xvi, c. 69. P. i, c. 257. P. i, c. 297. P. iii, c. 115. P. xvi, c. 68. P. vi, c. 114. P. xvi, c. 93. P. viii, c. 273. P. xiv, c. 72. P. v, c. 256. P. xiv, c. 72. P. viii, c. 60. P. xvi, c. 151. P. vii, c. 10. P. viii, c. 16. P. i, c. 182. P. xi, c. 86. P. iii, c. 117. P. vi, c. 570. P. v, c. 100. P. xiv, c. 72. P. i, c. 114. P. ii, c. 91. P. vi, c. 25. P. vi, c. 47. P. v, c. 4. P. v. c. 244 P. v, c. 293. P. vi, c. 238. P. vi, c. 194. P. vi, c. 94. P. ii, c. 109. P. v, c. 48. P. iii, c. 130. P. vi, c. 248. P. i, c. 183. P. iii, c. 110. P. xvi, c. 54. P. xvi, c. 177. P. viii, c. 14. P. viii, c. 132. P. iii, c. 151. P. iii, c. 175. P. iii, c. 118. P. xvi, c. 71. P. vi, c. 426. P. xvi, c. 206. P. iii, c. 150. P. iv, c. 185. P. iii, c. 125. P. xiv, c. 93. P. i, c. 65. P. vii, c. 101. P. viii, c. 324. P. viii, c. 280. P. xv, c. 14 et 23. P. iii, c. 190. P. vi, c. 425. P. xvi, c. 322 et 229. P. xiii, c. 14. P. vi, c. 369. P. xi, c. 14. P. xvi, c. 176. P. viii, c. 112. P. xvi, c. 162. P. xvi, c. 150. P. vi, c. 427. P. x, c. 147. P. xvi, c. 80. P. xiii, c. 4. P. xv, c. 25. P. xvi, c. 79 et c. 173. P. iii, c. 124. P. xiv, c. 92. P. i, c. 134. P. xi, c. 17. P. iv, c. 250. P. vi, c. 115. P. iii, c. 191. P. vi, c. 424. P. viii, c. 71. P. xvi, c. 185. P. xii, c. 86. P. xiii, c. 65. P. xviii, c. 21. P. xvi, c. 182. P. vi, c. 368. P. xv, c. 18. P. ix, c. 2, 3. P. xvi, c. 166. 122. P. xvi, c. 227 et c. 521. P. ii, c. 63. P. vi, c. 88. P. viii, c. 109. P. xvi, c. 159. P. viii, c. 57. P. xvi, c. 128. P. xvi, c. 63 et c. 144. P. iii, c. 265. P. ii, c. 72. P. ii, c. 90. P. vi, c. 110. P. iv, c. 159. P. xxx, c. 40. P. i, c. 137. P. ix, c. 55. P. vi, c. 56. P. xv, c. 70. P. viii, c. 32. P. xvi, c. 189. P. viii, c. 331. P. x, c. 183. P. v, c. 258. P. xvi, c. 309, etc.

Introdusă în format electronic de Google

codicibus nullibi Decretum Ivoni tribuitur, in utroque tamen ipsius prologus invenitur, atque ita appositus, ut omnino pateat tunc temporis Decreti auctorem minime tam ignotum fuisse quam hodie dum illum esse videmus. Hoc utriusque codicis exordium : *Incipit prologus domini Ivonis Carnotensis episcopi ante collectionem ecclesiasticarum regularum de convenientia et dispensatione eorumdem.* Quo in titulo librarius per hoc verbum *ante* satis indicat se Ivonem tanquam hujus Decreti auctorem minime existimasse.

Ivonis insuper nomen neque in principio neque in fine singularum partium, et quod magis mirandum est, nec in fine quidem totius operis, quo tamen in loco librarii auctoris nomen ascribere soliti erant, apparet. In alio vero codice Parisiensi in bibliotheca regia sub num. 5871, qui idem Decretum, relicta tamen decima septima parte, exhibet, Decretum et Panormia tanquam unum idemque opus habentur; ita enim inscriptus est codex : *Panormia Ivonis Carn. episcopi collecta de libris authenticis decretorum, canonum, legum Romanarum, et de libris orthodoxorum Patrum.* Minime igitur dubitandum esse puto hanc solam ob causam Decretum Ivoni attributum fuisse, quod ipsi Ivonis prologus præierit. Quibus si accedat, Decretum Panormiæ non solum simillimum esse, sed etiam hujus similitudinis argumentum nonnisi ex Collectione tripartita, quæ per longum tempus ignota fuit, erui posse, facillime id evenisse intelliges, ut nempe Decretum tanquam Panormiæ recensio haberetur. Sola proinde trium partium Collectio, quæ Decreti originem omnino explicat, simul etiam manifeste probat Ivonem minime illius auctorem esse. Quod si quis hinc negare contenderet quod Ivo in epistola de *suis canonum collectionibus* (288), et non de unica, Panormia scilicet, loquatur, facillime refutari poterit ex eo quod Ivo ipse ubi de Buchardi Wormatiensis opere loquitur, plurali etiam nomine utitur (289).

Cæterum hujus Decreti auctor eam in sua compilatione curam adhibuit, ut quandoquidem nullum recentius adjecit documentum, tempus in quo illud confecerat minime manifestarit. Contentus ea materia, quam antecessores in suas collectiones receperant, nihil suæ collectioni inseruit quod Urbani II tempora excederet. Ipsum vero paulo post mortem Ivonis opus suum effluxisse ex eo maxime ostenditur, quod jam ætate Ivoni proxima quædam ejusdem epitome existeret, de qua mox plura dicturi sumus.

Priusquam ad tertium hujusce nostri opusculi caput accedamus, operæ pretium erit pauca huc adjicere per quæ tenebræ dispellantur queis ea obvolvuntur quæ de summa Decretorum Ivonis ad nos pervenerunt. Nemini non in hac re satisfacere nos posse confidimus, cum quod sane mirandum est, quælibet ex iis collectionibus, de quibus locuti sumus, suum epitomatorem inveniret. Tantus enim seculo duodecimo ineunte juris scientiam excolendi ardor homines invasit quodammodo, ut dum ad promovenda litterarum studia paulatim tunc temporis reviviscentia quam maxime conferret, apud omnes eorum operum qui alicujus momenti erant, epitomen habendi desiderium provocaret atque suggereret.

§ IV. Codex Londinensis, in bibliotheca Cottoniana repositus atque notatus *Cleopatra* CVIII, excerptum Collectionis tripartitæ exhibet, cujus hoc proprium est quod ipsius auctor licet ex integro eam ex Collectione tripartita deprompserit, tamen ab ejusdem ordine recesserit et denuo ad divisionem a Pseudo-Isidoro observatam redierit. Hinc interrupta epistolarum decretalium serie post Melchiadæ litteras (290), conciliorum canones subjecit, quorum series a concilii Nicæni canonibus incipit, et cum synodi Hispalensis II explicit; dein iterum decretales RR. PP. usque ad Gregorium M. ascripsit, quibus demum excerpta ex tertia Collectionis tripartitæ parte desumpta adjecit (291). In hoc operis loco quædam nova documenta inseruit, quæ tamen iis quæ in Collectione tripartita continentur minime recentiores sunt. Inter hæc habet quasdam Fulberti Carnotensis epistolas (292), quæ illam in Gallia adornatam fuisse indicare videntur. Codex medio sæculo duodecimo exaratus est.

Codex Berolinensis, signatus ms. Lat. quart. 106, quamdam epitomen exhibet, quæ integra ex Ivonis Panormia excerpta, et *Summa decretorum Ivonis* inscripta est. Auctor tum librorum, tum capitulorum ordinem ex eadem collectione mutuatus

(288) « *Collectiones canonum*, quas a me postulastis, et opuscula mea, quæ his addi voluistis, transmisi vobis. Epist. 262, ad Pontium abbatem Cluniacensem. » Opp. t. II, 112 sq., ed. cit.

(289) « In *collectionibus autem Burchardi* Worm. ep. ita scriptum reperitur, etc. » Epist. 80, p. 40. — Ex omnibus qui Ivoni coævi sunt, nemo est qui majori claritate illum *unius* solummodo operis canonici auctorem dicat quam Sigebertus: « Ivo Carn. ep. composuit *insigne volumen canonum.* » *De script. eccl.* c. 167, p. 113. J. A. Fabricius in *Bibliotheca ecclesiastica*, Hamburgi 1718, fol.

(290) « Hactenus ex Romanorum pontificum decretalibus ab apostolatu duntaxat Petri apostolorum principis usque ad præsulatum beati Silvestri, quæ nostræ tarditati profutura credi carpere sategi. Dehinc ad sanctorum synodicos Patrum canones omne studium transferre conabor, quatenus ex his quoque meæ parvitatis desiderio satisfacere valeam. Ita tamen ut post diversorum conciliorum defloratione redire studeam ad subsequentium decreta pontificum Romanorum, id est a sancti Silvestri temporibus usque ad beatum Gregorium. Sed consideremus primo quid sit canon, quid synodus, quid concilium, quid cœtus.

« Alia decreta Romanorum pontificum. Quoniam a præsulatu Petri apostolorum principis, quæ huic opuscu o non modo ex Romanorum decretalibus pontificum verum etiam ex sanctorum canonibus conciliorum, Græcorum videlicet, Gallicanorum simulque Hispanicorum ratum duximus convenire, breviter summatimque perstrinximus, par est ut a papæ demum Silvestri temporibus reliquos usque ad beatæ memoriæ Gregorium perito curramus oculo, sicubi forte in istorum quoque dictis nostræ defloration, quod congruum valeat reperiri. Plerique siquidem eorum non generalia videntur decreta condere, imo familiariter ad familiares scribere, cum ego præsenti *breviario* nihil non generaliter inserere cupio. Igitur eorum sicut supersedenda sunt scripta, ut tamen siquidem in eis inveniri valeat generale, nostro convenienter aptetur opusculo. » — Tardius similia excerpta etiam ex decretalium collectionibus adornata sunt. Vide de hac re meam dissertationem : *Recherches sur plusieurs collections inédites de décrétales du moyen âge.* Paris 1852, p. 26.

(291) Dehinc latius ex opusculis sanctorum Patrum.

(292) Ad Leutherium ep. 25, p. 56; ad Theodericum ep. 61, p. 62; ad regem R. ep. 85, p. 81; et ad monachos S. Medardi p. 70. ed. C. de Villiers Parisiis 1608.

Introdusă în format electronic de Google

est (293). Ex historia scimus Hugonem (294) et Haimonem (295), ambo Catalaunenses Ivonis opus excerpsisse. Cum autem, quod sequenti paragrapho demonstrabimus, Haimoni præsens hæc collectio non possit attribui, eam Hugoni ascribendam esse censemus. Ipse vero Hugo, quem Ivonis amicum (296) fuisse ex ejusdem epistola ad Urbanum secundum novimus, circa illud tempus quod annum 1100 et 1113 intercedit, episcopus fuit in Catalaunia, atque hoc ipso tempore, brevi scilicet postquam Ivo Panormiam absolverat, collectionem suam concinnavit. Codex itidem sæculo duodecimo conscriptus est, nec plura quam quatuordecim folia complectitur, qua de causa jure libellus portatilis potuit appellari.

§ V. Neque minoris est faciendum opusculum quod in codice Parisiensi num. 4377 exhibetur, quodque epitomen illius collectionis in decem libros divisæ atque ex Ivonis Panormia desumptæ, de qua supra locuti sumus, continet. Libellus sub initium illorum pontificum seriem exhibet qui præ cæteris leges ediderunt, dein catalogum RR. PP. a S. Clemente usque ad Adrianum IV († 1161). Porro hujusmodi catalogus inter Cajum et Marcellum, ad exemplum Collectionis tripartitæ, Chrysogonum nominat. Duabus hisce præfationibus hujusmodi pontificum catalogum exhibentibus ea subsequuntur, in quibus operis sui finem et ordinem significat. Huc accedunt excerpta quædam ex Ivonis prologo, a capite scilicet primo ad sextum, quibus hos titulos fecit : *Quomodo canones concordent et de præceptis mobilibus et immobilibus.* Ad finem hæc sequuntur : *Hæc de expositione canonum breviter dictata transcribimus, quæ si lectori non sufficiunt, opusculum diffusius, quod de iisdem canonum regulis venerabilis Carnotensis episcopus inscripsit, inspiciat, ibi quæ brevius hic pertraximus latius disputata reperiet.* Hisce denique proprius opusculi prologus adjicitur qui auctoris nomen inscriptum habet, quemque in adnotatione transcribimus (297). Decem vero illius collectionis libros ordinatim excerpsit, illisque eadem summaria apposuit. Haimonem episcopum Catalaunensem hujusce opusculi auctorem esse dubitari nullo modo potest. Cum autem vix annum integrum

(293) Epitomen hic descripsimus, sicuti invenitur in codice Berolinensi. Capitula quæ ex Ivonis Panormia desumpsit auctor adnotavimus, ut pateat libros eodem plane modo et incipere et finire quo apud Ivonem incipiunt et finiunt. Lib. I, c. 1-10, 12, 15, 17, 18, 19, 27, 34, 38, 39, 57, 60, 65, 72, 76, 78, 79, 80, 86-88, 93, 98-100, 114, 117, 127-129, 138, 148 155-157, 160, 161, 163. Lib. II, c. 9, 12, 15, 16, 18, 20, 21, 25, 29, 31, 34, 35, 58, 39, 45, 47-50, 53-55, 58, 65, 77, 81-85, 84-88, 136, 139-141, 152-154, 157, 158, 164, 170, 177, 179-182, 184, 186, 190-194. Lib. III, c. 2. 5, 10, 18-24, 29, 30, 60, 63-64, 67, 72, 126, 147, 160-162, 166, 170-174, 189, 195, 199, 200, 204, 208, 210-212. Lib. IV, c. 2, 11, 12, 14, 17, 25, 27, 28, 30, 33, 36, 38, 40, 44, 53, 59, 60, 62, 63, 74-81, 83-87, 89, 92-94, 96-100, 102, 112-113, 115, 113. Lib. V. c. 9, 10, 23, 21, 50, 55, 86, 87, 93, 95, 97, 113, 118, 120, 125, 121-122, 136. Lib. VI. c. 1, 2, 5, 6, 18, 21, 26, 29, 33, 37, 42, 43, 51, 59, 68-70, 72, 76, 79, 90-92, 114, 115, 122, 125. Lib. VII, c. 10, 64, 65, 74, 76, 80, 89. Lib. VIII, c. 5, 6, 33, 72, 100, 103, 111, 112, 120, 121, 124, 125, 131-134. — Codex Vindobonensis (*Jus canon.* 84, in 4), quem aliqui, inter quos Savignius in *Hist. Jur.*, tom. III, pag. 671, Ivonis epitomen continere asseruerunt, aliud nihil exhibet præter tractatum quemdam ineditum, ab Ivone de rebus ecclesiasticis conscriptum. Codex Berolinensis partes quasdam inediti Ivonis tractatus habet.

(294) Quædam de Ivonis opere habet Vincentius Bellov., quin tamen indicet de quo demum illius opere loquatur. Patet tamen eum non de alio quam de Panormia loqui: « Hic liber Decretorum Ivonis *apud nos in plurimis locis reperitur*, qui, quoniam ipse quoque non parvæ quantitatis, non est facile portatilis. » Hugo Catalaunensis ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem legitur composuisse, qui et ipse apud nos est, et *Summa decretorum Ivonis* appellatur. *Specul. historiale*, lib. XXVI, c. 84. Nulla fere in Gallia est bibliotheca in quam non unum alterumve Panormiæ exemplar habeatur, dum e contra Decreti non plures quam quatuor invenies codices.

(295) « Electus in episcopum Catalaunensem Haimo archidiaconus vir nobilis et religiosus de Basochiis, qui fecit enchiridion in decretis *secundum Panormiam Ivonis.* » ALBERICUS TRIUM FONTIUM ad a. 1153, apud Leibnit. *Acces. hist.*, t. II, p. 320. Ex hoc testimonio ea desumpta videntur quæ habet Wernerus de Rollewink : « Ivo Carnotensis episcopus abbreviando compilavit Decretum apostolicum post Isidorum, *et post eum, Hugo Catalaunensis*; post quem Gratianus. » *Fasciculus temporum* ad a. 1104. I. Pistorius *Script. R. Germ.*, t. II, p. 545. Ratisbonæ 1726, fol.

(296) Epistola 95, p. 45 Oper., t. II, Parisiis 1647, fol.

(297) Haimo Dei gratia id quod est. Prologus in libro qui dicitur *Summa decretorum.* Præceptiones canonum seu prohibitiones quæ ab apostolicis viris Romanis pontificibus sive cæteris orthodoxis Patribus traditæ, ad nos usque venerunt, quam salubres ac necessariæ sint Ecclesiæ Dei, et evidens ostendit ratio, et gravissima Patrum comprobat auctoritas. Ipsis enim tanquam regimine speciali regimur ac gubernamur, ipsis canonibus dico, tanquam regulis arctioribus ab illicitis quibusque et inhonestis coercemur, per ipsos ecclesiasticis edocemur intendere disciplinis et rebus divinis adhibere diligentiam ; secundum ipsos omnes fere Ecclesiarum administrationes dispensantur, et ut verbis papæ Leonis IV utar, ipsi sunt per quos episcopi judicant, imo per quos episcopi simul et clerici judicantur. Proinde ob multiplicem eorum virtutem, seu utilitatem, ob eruditionem fidei ac sacramentorum, quam plenarie continent, tum etiam propter admonitiones quasdam ac præceptiones necessarias ad publicam Ecclesiæ bibliothecam apponi meruerunt et inter authentica dicta connumerari, ac speciali hoc nomine intitulari decreta pontificum, et exhinc tanquam ecclesiasticæ leges vigere cœperunt, et legi a senioribus, et haberi in honore et in reverentia. Horum autem librorum tanta in immensum crevere volumina, ut vel comparari vix possent propter sumptum, vel scribi propter laborem, vel legi propter fastidium. Succedentibus enim Romanis invicem sibi pontificibus, tot et tanta apposita sunt partim ex generalibus eorum conciliis, partim ex epistolis eorum, seu cæterorum virorum illustrium, ut omnem memoriam humanam excederent. Ut enim omittamus cætera concilia, videlicet Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, Antiochense, Laodicense, Sardicense, Carthaginense, et multa alia in sola Nicæna synodo, quæ sub CCCXVIII episcopis celebrata est, LXX capitula ad formam LXX discipulorum promulgata esse reperimus. Quanta ergo putas innumerabilibus aliis edita esse conciliis, quin uni huic tot inserta sint. Propter tantam ergo librorum immensitatem, quæ vel legi vix poterat, vel teneri memoria, cogitaverunt doctores Ecclesiæ prudenti intellectu, salubri consilio, provida cautela, horum omnium luculentam facere abbreviationem. Et quidem gloriosæ memoriæ *Ivo Carnotensis* venerabilis episcopus exquisita diligentia de prætaxatis canonum regulis quædam capitula ordinavit, et *ad minimum decem librorum* laudabili redegit compendio. Sed quoniam ille liber immensus

Introdusă în format electronic de Google

illam sedem obtinuerit, mortem vero obierit anno 1153, fieri facile potuit ut illud elucubrarit cum nonnisi archidiaconus erat ; quæ res e verbis etiam, quæ in fine præfationis notavimus, erui posse videntur. Ceterum codex intra ipsum duodecimum sæculum est exaratus.

Mirum certe videri potest, quod Haimo collectionem in decem libros distributam, quam in epitomen reduxit, Ivoni tribuat, ast facillime labi in hunc errorem potuit, quod illi Ivonis prologum præfixum inveniret. Albericus, qui hoc Haimonis opus præ manibus habuisse videtur, pariter erravit, quare ea etiam quæ uti superius vidimus de Haimonis opere narrat, nonnisi de hoc ipsius opusculo intelligi debent. Doctiores vero sodales Benedictini idem opus Haimoni quidem vindicarunt, at nullam de hac re mentionem fecerunt (298).

Quod si quis verba prologi, *ad minimum decem librorum laudabili compendio redegit*, ita intelligenda esse credat ut significent Haimonem collectionem est, et nondum adhuc abbreviatus, ut recte enchiridion possit nominari, tentavi ego summarium illius facere, et ejus volumen in libellum redigere manualem. *Verum ne quis hoc mihi arrogantiæ imputet, excusationis hoc præbendo suffragium, quoniam mihi solum opusculum hoc facio, non ut ad lucem prodeat aut in publicum, sed apud me solum delitescat, ut quia circa causas ecclesiasticus occupatus sum, utpote ad cujus curam litigationes spectant ac jurgia, habeam ad manum vel in manus, sive intus, sive foris, sive in domo, sive in itinere, ubicunque ecclesiastica negotia emerserint, quomodo ea discuti queant, vel judicari.* Sed hæc hactenus. Nunc autem propositum insequamur.

(298) *Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 427. Un autre écrit plus important d'Haimon, mais qui n'a pas encore vu le jour, est son *Abrégé de la Panormie d'Yves de Chartres*. On ne répétera point ici ce qui a été dit ailleurs (*Hist. lit.* t. X, p. 120-121) que la Panormie elle même n'est point son ouvrage, comme l'a pensé M. Doujat. L'abrégé dont nous parlons lui appartient incontestablement, suivant l'autorité de tous les manuscrits, appuyés de celle d'Albéric de Trois-Fontaines. Il est intitulé, dans un manuscrit de la Bibliothèque du Roi : *La somme des Décrets d'Haimon*. L'auteur débute par une liste des papes qui ont laissé des décrets sur les matières ecclésiastiques, à commencer par S. Pierre, ensuite il trace des règles pour l'intelligence de ces décrets. Il veut d'abord qu'on prenne garde au but des lois ecclésiastiques, puis il explique comment elles se concilient entre elles ; après quoi il traite des préceptes muables et immuables. Tout cela ne tient encore lieu que de préliminaires à la somme. Elle s'ouvre par un prologue où l'auteur dit que les lois ecclésiastiques s'étant accrues à un nombre presqu'infini, les livres qui les contiennent forment une bibliothèque que peu de personnes sont en état d'acquérir ; que ceux mêmes qui les possèdent, ne peuvent retenir tout ce qu'ils renferment ; que par cette double raison plusieurs personnes doctes ont entrepris d'en donner des abrégés ; qu'entre ces abréviateurs *Yves de Chartres* est un des plus distingués ; mais que *la Somme des Décrets étant comprise en dix livres*, elle ne peut encore passer pour un manuel, ce qui a porté lui-même à réduire l'ouvrage de cet habile homme à la forme d'un livre portatif. Il prie ensuite le lecteur de ne point imputer son ouvrage à aucun sentiment d'arrogance, parce qu'il ne l'a fait que pour son usage particulier, et nullement dans le dessein de le donner au public.... On voit par là qu'Haimon faisait les fonctions d'archidiacre, lorsqu'il composa cet écrit. Voy. t. XIII, p. 127 ; *Gallia Christiana*, t. IX, col. 882, ed. cit.

illam in decem ad minimum et non ad plures libros compegisse, non vero, opus suum intra angusti decem librorum compendii fines absolvisse, quem obvium illorum verborum sensum esse, quilibet facile videt, verba hæc eadem etiam atque etiam arguerent atque evincerent quam incerta jam inde ab illis temporibus ea essent quæ de genuino Ivonis opere circumferebantur.

§ VI. At demum ad epitomen veniamus ipsius Decreti, quod uti vidimus, falso Ivoni tribuitur. Nihil de hujus operis ratione superest dicendum cum eadem plane methodo ac cætera de quibus hactenus locuti sumus elaboratum sit. Operi Ivonis prologus nec non singularum partium, in quas decretum ipsum tributum est, catalogus præponitur (299) ; partes ipsæ eo ordine in quo ab origine inter sese conjungebantur, in compendium redactæ sunt, servata etiam propria cujusque inscriptione. Ultima tamen pars omnino desideratur (300).

Duos hujusce opusculi codices mihi inspicere li-

(299) Præfatio Ivonis C. episcopi in collectionibus ecclesiasticarum regularum.

(300) Quæ ut pateant, tabulam subjungimus, in qua ea Decreti capitula notavimus quæ ab epitomatore relicta sunt. Hanc viam, utpote breviorem elegimus. P. I (c. 1-311) ; c. 3, § 1-12, 4-44, 46-48, 51, 52 pr., 53-55, 57, 66, 68, 69, 73, 77-87, 89-93, 95, 97-108, 110, 111, 113, 114, 117-119, 121-126, 128, 129, 131, 135, 138-145, 147, 149, 150, 155-157, 158 pr., 159 pr., 160, § 1 et 2, § 5, 162 pr., § 1 et 3, 163 pr., 164, § 1-3, 165 pr., et § 2, seqq. ; 166 pr., 168, 172-174, 178 pr., 179 pr., 180, 182 pr., 183, 184 pr., 186, 192, 195, 196, 199, 200, 206, 207, 209, 214, 216, 217, 224-226, 229, 230, 233, 235, 248, 249, 253, 254, 256, 258, 259, 267-269, 271-273, 277, 280, 281, 287, 288, 291, 294-303, 305, 308, 309 pr., 311. — P. II (c. 1-143) ; c. 2, 3, 5 pr., § 1, 2, 9 pr., 10 pr., 13, 14, 16, 18, 20, 23, 28, 32, 35, 40 42, 44, 46, 49, 50-55, 59, 62-69, 85, 91, 94 pr., 95-98, 104, 107, 108 pr.-111, 115, 116, 119, 120, 129, 130, 133, 136. — P. III (c. 1-284) ; c. 15, 19, 36, 40, 43, 45 pr., 46, 48-52, 54, 58, 63, 64, 67, 71, 72, 80-85, 87, 91, 92, 94, 95, 105, 109, 117, 120, 121, 125, 128-131, 133, 137, 139, 145, 161, 164, 166-167, 170, 175, 176, 181, 183, 190, 191, 193 pr., 194 pr., 197, 199, 200, 204, 204, 207, 208 pr., 210, 214-221, 223-227, 236, 240, 243-248, 250, 251, 254-256, 261, 263, § 1, 265, 267-270 pr., 274-276, 282 pr. — P. IV (c. 1-254) ; c. 5, 7, 8, 10, 13, 18-21, 37, 38, 40, 45, 51, 52, 54-58, 60-63, 65, 69, 71, 77-79, 81-85, 87-103, 110-111, 113, 114, 118, 119, 120 pr., 121, 123-126, 129-131, 133, 136, § 1, 138 pr., 139, 140, 143-146, 148 pr., 149, 151, 152, 155, 158, 159, 163-166, 167, § 1, 170-172, 174-175, 177, 180, 182, 185, 189, 192, 198, 199, 200-202, 205, 207, 208, 212-218, 220-222, 224, 225, 228-230, 232-233, 236 239, 246-257. — P. V (c. 1-378) ; c. 1, 5, 7, 13, 16, 21, 23-26, 28-31, 33, 34, 40-43, 44 pr. 45, § 1 sq., 49, 52, § 1, 56 pr., 66-68, 70, 71, 74, 75, 78, 79 pr., 82 pr., 85, 87, 88, § 1, 91, 93. 94, 96-98, 100, 106, 107, 110, 111, 114, 115, 118 121-123, 125-129, 131, 132, 134, 135, 137, 138, 141, 143-144, 146-148, 151, 153, 155, 158, 160, 162, 166, 170, 171, 176-178, 181, 184, 185, 187, 188, 190, 196-199, 202, 204, 206, 208 210, 213, 216, 217, 219, 220, 222, 225-227, 230, 231 pr., 239, § 1, 2, 242, 245, § 1, 244, § 1, 255, 263, 272, 273, 275, 276, 279, 282, 284, 297, 298, 301, 305, 306, 307, § 1 sq., 311, 312, 318-324, 326, 327, 331, 333-335, 340, 343, 346, 349, 353, 355, 356, 358-361, 370-373, 375 377. — P. VI (c. 1-455) ; c. 3-11, 20, 22, 25, 27, 28, 32, 35, 40, 42, § 1-45, 47, 52, 75, 88, 90, 99, 101-105, 105, 109, 110, 115, 116, 119, 123, 227, 130, 132, 135, 138-140, 142, 144, 146, 149, 153-158, 160, 161,

Introdusă în format electronic de Google

cuit, quorum primus Vindobonæ (Col. universitatis num. 789 fol.), alter Londini (Mus. Brit. biblioth. Harlej., num. 3090, plut. LXIII B) asservatur. Lipsiæ quoque et quidem in bibliotheca urbana alium ejusdem collectionis codicem ms. exstare ex clarissimo Bienero antecessori Berolinensi accepi. Cæterum codices quos ego inspexi, omnino inter se conspirant, atque in calce RR. pontificum catalogum exhibent, qui usque ad Calixtum II protrahitur, cujus pontificatus anni accurate designantur.

Jure hinc eruimus, epitomen hanc sub illud tempus et proinde non post annum 1126, adornatam fuisse. Uterque codex medio sæculo duodecimo exaratus videtur; de collectionis vero auctore, deque cæteris qui hoc opere usi sunt nulla vestigia occurrunt.

§ VII. Eodem fere tempore tres aliæ collectiones confectæ videntur, quæ tamen ex aliis collectionibus excerptæ sunt, earumque epitomen exhibent. In selectissima Savignii bibliotheca Berolini singularis codex existit. Hic eam collectionem comprehendit, in qua Anselmi Lucensis celebris compilatio, qua Gratianus præ cæteris usus est, eadem ratione qua Decretum Ivoni ascriptum in indicata nuper collectione abbreviata exhibetur, in epitomen redacta est. In tredecim libros dividitur hæc compilatio ad exemplum tredecim Anselmi librorum, a quorum ordine raro admodum recedit. Sic libri II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X et XII, libris Anselmi III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI et XIII, omnino respondent, et ex illis tantummodo eorum capitula decerpta sunt. Libri vero primus, secundus, undecimus et decimus tertius non ex Anselmi collectione sed ex Burchardi Decreto desumpti sunt, quem in omnibus quæ ex Anselmo non deprompsit, auctor sedulo secutus est (301). Habet tamen et alia documenta, quæ neque ex Burchardo neque ex Anselmo aut alia nota compilatione desumpsit. Tempus quo hæc epitome facta fuit, atque ipsius auctor penitus ignorantur. Cum vero nulla documenta contineat quæ Urbani II († 1098) tempus prætergrediantur, illam brevi post Anselmi opus compilatam fuisse merito defendimus. Ea vero documenta quæ, uti diximus, auctor de novo adjunxit, pro maxima parte in Gregorii collectionem commigrarunt, quæ *Polycarpus* nominatur, et citra omne dubium nostram collectionem ad suam adornandam adhibuit. Cum enim ipse ex Anselmo potissimum deprompserit, simillimum vero esse videtur, et eorum opera adiisse qui ex Anselmo novas collectiones adornarunt, novaque documenta adjunxerunt. Gregorius opus suum post annum 1125 perfecit; unde sequeretur collectionem Savigniauam eo tempore, quod annum 1098 et annum 1125 intercedit, fuisse confectam.

Gratianus quoque hanc epitomen non despexisse videtur, cum plurima et quidem etiam ex iis quæ apud Gregorium minime inveniuntur in suum Decretum receperit (302). Plura tamen de hac collectione proferam, ubi, cum per tempus licebit, de

163-174, 174-179, 181-185, 187, 189-196, 198, 199, 203, 205, 208, 211, 212, 215, 221, 223, 230, 239, 242-244, 247, 254, 255, 258, 269, 275, 277-279, 282-285, 287, 289, 292-294, 297-299, 302, 303, 305, 306, 309-311, 320, 321, 329, 330, 352, 354, 355, 357-360, 363, 365, 366, 369, 373 378, 380, 382, 383, 385-387, 389, 391-396, 399, 401-404, 407, 414, 416, 417, 420-422, 424-426, 429, 431, 433-435. — P. VII (c. 1-158), c. 2, 5, 6, 8-10, 12, 18, 25-27, 29, 34, 35, 37, 44, 45, 47, 49, 52, 53, 56, 57, 59, 62, 66, 68, 69, 73, 75, 77, 79, 81-84, 86, 90, 91, 93, 95-98, 103, 104, 108, 109, 111-113, 116-118, 121, 122, 124, 126, 127, 129-132, 134, 135, 138, 139, § 1 sq., 142, 145, 146, 148, 149 pr., 152, 153, 155, 157. — P. VIII (c. 1-334); c. 3, 6, 7 pr., et § 1, 12, 13, 15, 16, 18, 19 pr., 20, 24, 29, 33, 35-37, 41-43, 48, 50, 53, 55, 72, 73, 75-77, 82, 90, 91, 94, 95, 97, 100, 101, 103, 106-108, 118, 123, 131-133, § 1, 134, 135, 136, § 1, 2, 143, 147, 149, 150, 153-155, 160, 162, 163, 165, 170, 174, 176, 177, 179, 182, 188, 190-195, 197-199, 203, 204, 206, 208, 219, 221-223, 225, 227-252, 254, 255, § 1 sq. 256-259, 240, § 1, 242 pr., § 1, 2, 4, 243 247, § 1, 251-252, 254, 255, 257-265, 267, 269, 270, pr., § 1, 272, 226-278, 281, 283, 283, 287, 589, 290, 294, 296, 298-301, 393, 308-311, 317, 318, 320-322, 324, 325, 329, 332-334. — P. IX (c. 1-129); c. 1, § 1 sq., 8, 13-17, 20, 23, 28, 30, 35, 36, 38, 39, 41-43, 45, 47-50, 52, 53, 55, 56, 58-60, 65-66, 68, 68, 69, 74, 77, 82 pr., 84, 89, 91, 94, 95, 99, 110, 111, 113, 114, 118, 120, 127-129. — P. X (c. 1-181); c. 1 pr., 2-4 pr., 7, 10-13, 17, 18, 20, 22, 23, § 1, 26, 28, 32, 34, 36, 38, 41, 43, 45-48, 52, 55, 58, 59 pr., 61, 62, 64, 66 70, 72, 73 pr., 76, 78 83, 86-91, 99, § 1, 100, 101, § 1 sq., 103-106, 108 pr., 110, 114, 115 pr., 125, § 1 sq., 121-129, 133, 138, 139, 141, 144, 144, 152, 153, 157, 160, 171, 175, 180 pr., 181, 183. — P. XI (c. 1-106); c. 13, 14, 17, 19, 20, 25, 27, 28, 33, 41, 42, 44, 45, 57-59, 61, 63, 71, 72, 75, 82, 88, 93, 99-100, 102, 103. — P. XII (c. 1-88); c. 4 pr., 15, 19, 20, 25, 26, 31, 35 pr., 37, 38, 40, 45, 49, 50, 55, 56, 58, 59, 64, 67, 73, 77, 79, 83, 84. — P. XIII (c. 1-119); c. 15, 16, 21, 25, 37, 39, 40, 47, 52, 54, 55, 58, 59, 61, 63, 66, 67, 69, 73, 76, 77, 80, 82, 83, 88, 90, 91, 94-98, 100, 104-106, 110-112, 115, 118. — P. XIV (c. 1-126); c. 4, 6, 9, 11-13, 19, 20, 27, 30, 32, 36, 40, 42, 45, 47-50, 52, 54-56, 58, 59, 62-64, 67-74, 85, 86, 90, 93, 95, 97, 99, 103, 106, 107, 113, 114, § 1, 116-120, 123. — P. XV (c. 1-205); c. 6, 9, 12, 16, 19, 25, 32, 37, 39, 41, 48-50, 53, 59, 62, 65-69, 73, 78, 79, 82, 83, 86, 90-94, 96, 105, 108-111, 115, 116, 118-121, 123-126, 128, 129, 133, 137, 141, 150, 154, 157, 160-163, 165, 166, 175, 177, 181, 182, 190 pr., 202. — P. XVI (c. 1-362); c. 2, 8, 9, 11, 13, 15, 17-19, 22, 25, 26, 28-31, 34, 36, 40 p., 45, 46, 49, 51, 53, 59, 60, 66, 68, 69, 72, 74-77, 100, 102, 105, 106 pr., 108, 109, 116, 120, 121, 132, 133, 137, 138, 145 pr., 148-150, 157-162, 173-175, 177, 179, 180, 181, § 2, 3, 182 pr., 183-185, 186 pr., 187, 189, 193, § 1, 2, 3, 5, 202-205 pr., 227, 237, 242-252, 254-260, 262, 265, 271, 292, 293, 296, 300, 304, 305, 322, 323, 325, 330, 335-337, 339-341, 346, 352, 360.

(301) Sufficiat unius libri synopticam tabulam hic adnectere, ut utriusque collectionis nexus pateat. Capitula notata ex Anselmo desumpta sunt, lib. VIII (c. 1-26); Anselm. lib. IX, (c. 1-52); c. 1-4, 6, 7, 11, 12, 13, 20, 21, 24-27, 30, 32, 35, 35, 37, 38, 40, 41, 52.

(302) Ballerinii *De antiquis collectionibus et collectoribus canonum*, p. IV, c. 17, p. 666-669, ed. cit. Horum capitulorum indiculum hic adjungimus. Quæ ex Burchardi, Ivonis, Pseudo-Ivonis et Polycarpi operibus adnotavimus ea capita indicant, quæ apud illos æque ac in nostra collectione, mutata vero aliquatenus ipsorum forma, inveniuntur, ex quo patet Gratianum ea ex nostra collectione desumpsisse. Quoad Polycarpi collectionem duobus codicibus usus sum, qui in bibliotheca Parisiensi sub num. 3881 et 3882 servantur. D. 1, c. 52. Lib. XII, c. 85. Pol. D. 22, c. 3. Lib. II, c. 54. Pol. D. 23, c. 22. Lib. XI, c. 57. D. 28, c. 12. Lib. I, c. 17. D. 65, c. 7. L. II, c. 57. D. 71, c. 7. L. II, c. 16. Cf. B. 2, c. 139. Ans. 7, c. 162. Pol. D. 71, c. 3, 2, c. 47. Cf. B. 1, c. 109. Ps. I, p. V, c. 211. D. 75, c. 2. L. II, c. 27. Cf. B. 1, c. 24. Ps. I, p. V, c. 155. Ans. 6, c. 40. Pol. D. 86, c. 23. L. I, c. 18. Cf. C. 15, q. 7, c. 12. D. 86, c. 26. L. II, c. 7. Cf. B. 2, c. 145. Ps. I, p. VI, c. 218. D. 88, c. 3. L. XI, c.

Introdusă în format electronic de Google

Anselmi collectione ejusque cum Gratianeo Decreto connexione libellum conscribam, in quo tum de ipsa tum etiam de nexu quem cum Anselmi, Bonizonis et Gregorii collectionibus habet, fusius agam.

Commodiorem viam iniit auctor cujusdam compilationis, quæ in bibliotheca regia Parisiensi sub num. 4283 asservatur, et sæculo decimo tertio adornata est. Tota enim ex Burchardi Wormatiensis (303) decreto desumpta est, in quo ne apicem quidem auctor mutavit. Codex vero mutilus est, et liber decimus sextus omnino desideratur.

Multo minus antecessores suos imitatus est auctor collectionis quæ in bibliothecæ Sanctæ Genovefæ codice Parisiis exstat, et ex Burchardi et Pseudo-Ivonis decreto compilata est. In quatuor partes tota dividitur, quarum singulæ in plures libros distribuuntur (304). Non raro auctor libros eodem modo ac Burchardus exorditur (305), et quamplurima ex Pseudo-Ivonis Decreto habet (306). Codex inscriptus num. 2 sæculo duodecimo ad finem vergente exaratus videtur, illumque Baluzius attentius dispexit, quippe qui ex lib. IV, p. II, c. 101, decretum Adriani ad episcopum Catalaunensem evulgavit. Baluzius hanc decretalem Adriano II (867 † 881) attribuit, ex quo sequeretur eam ad Berconem (878 † 885) datam fuisse (307). Verumtamen si illius decretalis stylum paulo attentius inspicimus, illam potius Adriano IV (1154 † 1157) tribuendam, et ad episcopum Bosonem (1151 † 1161) datam fuisse dicemus (308). Proinde collectio ipsa sub idem tempus confecta censenda esset : præterquam quod illud etiam est animadvertendum, quod videlicet hæc littera ab inferioris ævi manu exarata et codici adjecta videtur.

33. D. 88, c. 8. L. x, c. 173. D. 89, c. 4. L. II, c. 28. Cf. Ans. 6, c. 143, Pol. D. 101, c. 1. L. II, c. 15. Cf. B. 1, c. 45. Ps. I, p. V, c. 146. C. 1, q 1, c, 52. L. II, c. 49. C. 2, q. 5, c. 5. L. I, c. 19. C. 7, q. 1, c. 26. L. II, c. 9. C. 7, q. 1, c. 23. L. II, c. 46. Cf. B. 2, c. 98. Ps. I, p. VI, c. 175. Ans. 7, c. 107. C. 11, q. 1, c. 21. L. II, c. 21. C. 11, q. 3, c. 3, c. 56. L. XI, c. 92. L. X, c. 199. C. 12, q. 2, c. 4, c. 41. L. X, c. 235. Pol. L. IV, c. 78. Pol. C. 13, q. 2, c. 21. L. X, c. 206. Pol. C. 14, q. 4, c. 8. L. II, c. 48. C. 15, q. 2, c. 1. L. XI, c. 82. C. 15, q. 7, c. 6. L. I, c. 69. C. 16, q. 1, c. 51. L. V, c. 69. C. 20, q. 3, c. 3. L. XI, c. 43. C. 23, q, 2, c. 2. L. XI, c. 107. C. 23, q. 4, c. 27. L. XI, c. 88. Pol. C. 23, q. 8, c. 30. L. X, c. 245. Cf. B. 1, c. 201. Ps. I, p. III, c. 315. C. 24, q. 1, c. 42. L. I, c. 5. C. 25, q. 1, c. 14. L. XI, c. 6. C. 27, q. 1, c. 22, c. 23. L. II, c. 18, c. 19. C. 27, q. 2, c. 15. L. I, c. 15. C. 32, q. 7, c. 18. L. I, c. 19. D. 5, c. 21. De pœnit. L. X, c. 213. Pol. D. 2, c. 72. De consecrat. L. XI, c. 29. D. 3, c. 10. De consec. L. II, c. 48. Cf. B. 2, c. 88. Ps. I, p. IV, c. 18. I. Pan. lib. II, c. 173, c. 12. L. I, c. 20. Cf. I. Pan. lib. II, c. 167. Ps. I, p. IV, c. 6, c. 27. L. X, c. 244. Cf. B. 3, c. 36. Ps. I, p. III, c. 41. I. Pan. L. II, c. 55. D. 5, c. 21. De cons. c. 21, 24, 31. L. I, c. 9. Pol. L. XI, c. 28. Pol. L. X, c. 237. Pol. Nihil hic de alia quæstam collectione dicimus, quæ ex Anselmi Lucensis opere excerpta est, ac in bibliotheca Vindobonensi (*Cod. jur. can.* 39, in-fol.) servatur. Opus nec in libros nec in titulos divisum ingentem capitulorum molem comprehendit, quæ omnia nec raro in eadem serie ex Anselmi collectione decerpta sunt. Plurima nec non maximi momenti documenta habet quæ hucusque inedita sunt.

(303) Libri eodem ordine quem Burchardus habet dispositi sunt. Sufficit proinde ea capitula adnotare quæ epitomator ex Burchardi Decreto retinuit. Lib. I (c. 1-254); c. 4, 5, 7, 11, 13, 14, 19, 20, 21, 27, 43, 57, 59, 62, 66, 67, 74, 81, 210, 213, 214, 205, 209, 114. Lib. II (c. 1-239); c. 4, 6, 9, 13, 16, 18, 19, 22, 23, 33, 39, 47, 54, 88, 96-98, 100, 106-110, 118, 120, 121, 123, 124, 155, 160, 171-173, 176, 183, 188, 189, 195, 198, 204, 205, 213, 216, 225, 226, 236. Lib. III (c. 1-241); c. 6, 7, 12, 34, 37, 40, 42, 52, 53, 67, 89, 100, 106, 107, 110, 116, 120, 124, 128, 133, 136, 140, 142, 149, 150, 152, 158, 170, 176, 184, 188, 189, 192, 196, 204, 206, 211, 214-216, 229, 225, 226, 233, 237. Lib. IV (c. 1-101); c. 3, 16, 34, 44, 46, 50, 52, 71, 75, 92. Lib. V (c. 1-53); c. 1, 8, 14, 20, 22, 24, 34, 36, 38, 46, 48. Lib. VI (c. 1-49); c. 2-4, 7, 11, 17, 15, 23, 32, 33, 37, 38, 46. Lib. VII (c. 1-30); c. 1, 7, 9, 10, 17, 19, 20, 25, 26. Lib. VIII (c. 1-101); c. 1, 2, 4, 7, 11, 13, 19, 25, 26, 30-34, 38, 47, 51, 56, 57, 68, 83, 89, 92, 97, 98. Lib. IX (c. 1-82); c. 1-4, 12, 13, 18, 19, 26, 27, 30, 31, 35, 40, 41, 45-52, 57, 58, 62, 63, 65, 69, 70, 73, 75, 76, 79-81. Lib. X (c. 1-68); c. 1, 5, 7, 9, 11, 14, 18, 20, 25, 27, 28, 30, 34, 36, 45, 48, 49, 51, 53, 55, 56, 62-64, 66-69. Lib. XI (c. 1-78); c. 2-9, 13, 15, 18, 25-27, 30, 45, 47, 50. Lib. XII (c. 1-39); c. 11, 12, 19, 20. Lib. XIII (c. 1-28); c. 1-3, 6, 8-10, 11-15, 18, 21, 24, 27, 28. Lib. XIV (c. 1-17); c. 1-13, 17. Lib. XV (c. 1-44); c. 2, 3, 5-11, 13, 15-19, 24, 30, 32-36, 44. Lib. XVI (c. 1-37); c. 1, 8, 9, 11-13, 15-17, 19-24, 27, 31, 33-37.

(304) P. I, lib. II, De sacramento baptismatis, c. 1-105. Lib. III, De sacramento altaris c. 1-153. Lib. IV, De ecclesiis, c. 1-96. P. II, lib. I, De episcopis, c. 1-217. Lib. II, De clericis, c. 1-217. Lib. III, De judicibus, c. 1-67. Lib. IV, De conjugiis, c. 1-101. Lib. V, De Deo dicatis et de jejunio, c. 1-116. P. III, lib. I, De homicidiis, c. 1-46. Lib. II, De auguriis, c. 1-61. Lib. III, De perjurio, c. 1-27. Lib. IV, De ebrietate, c. 1-16. Lib. V, De fornicatione, P. IV, lib. I, De excommunicatione, Lib. II, De confessione, c. 1-24. Lib. III, De pœnitentia, c. 1-168. Dolendum sane est quod et hic codex mancus sit. Præter lib. V. P. III et lib. I. P. IV capitula, liber primus cum rubrica et capitibus deest. Quoad reliqua collectionem integram exhibet.

(305) P. II, lib. II, c. 1; Burch. lib. II, c. 1. P. II, Lib. III, c. 1-4; B. lib. XVI, c. 1-4. P. II, lib. IV, c. 1-3; B. lib. VII, c. 1-3. Primus ejusdem partis liber eodem modo incipit et explicit Burchardi liber, qui ipsi respondet. P. II, lib. I, c. 1, c. 211 217. B. lib. I, c. 1, 227-231.

(306) Ut pateat quinam nexus hanc collectionem inter et illas Burchardi et Pseudo-Ivonis existat, primæ partis librum quartum attente examinavimus, et cum prædictis collectionibus contulimus. C. 1-3. B. lib. III, c. 1; lib. I, c. 209; lib. III, c. 3. C. 4. Ps. I, p. III, c. 2. C. 5-32. B. lib. III, c. 81, 80, 82-84, 87, 93, 6-9, 26, 86, 40, 44, 45, 48, 49, 52, 53, 56-58, 61, 64, 65, 109, 110, 112, 114, 120. C. 33. Ps I, p. III, c. 98. C. 34-37. B. lib. III, c. 160-163. C. 38-40. Ps. I, p. III, c. 104-106. C. 41-46. B. lib. III, c. 191-194, 196, 197. C. 47-53. Ps. I, p. III, c. 117, 121, 124, 127-130. C. 54. B. lib. III, c. 190. C. 56-68. Ps. I, p. III, c. 133, 134, 136, 137, 143, 158, 163, 164, 160, 167, 168, 161, 169, 172. C. 69. B. lib. I, c. 215. C. 70-72. Ps. I, p. III, c. 174, 138, 159. C. 73-74. B. lib. III, c. 129, 130. C. 75-96. B. lib. III, c. 136, 137, 139, 187, 188, 174, 189, 185, 186, 184, 36, 35, 13, 14, 38, 157, 233, 37, 39, 27, 62, 11, 12.

(307) *Miscellaneorum*, t. V, p. 488. Cf. *Gallia Christiana*, t. IX, col. 869, ed. cit.

(308) *Gallia Christiana*, l. c., col. 882.

Introdusă în format electronic de Google

Balleriniorum fratrum Disquisitionem De duplici Collectione Ivonis, quæ suo loco excidit, vide infra, col. 41. — Cum Panormia Ivonis, quæ tamen jam semel et iterum typis mandata est, huc usque, licet per annos tres undequaque conquisita, nos fugerit, urgentibus typographis, *Decretum* præmittimus Panormiam infra Deo volente daturi. EDIT. PATR.

PROLEGOMENA EDITIONIS ANNI MDCXLVII.

EPISTOLA DEDICATORIA

Illustrissimo reverendissimoque D.D. Jacobo LESCOT, *Carnutum episcopo.*

Flaminum, sacerdotum, druidum, et si quod aliud nomen priscis sacrorum præfectis, hoc moris fuit si potestatis, Præsul illustrissime, ubique terrarum ac gentium Deum et hominum jura componere, atque inter utrosque ita contemperato versari consortio, ut modo cœlitum instar terreant, detonent, eminentur, modo vero ἐπιχθονίοις accensiti, apud aras supplices orent, gemant, advolvantur. Nempe qui sacerdotem agit, Deum quadamtenus induit et hominem, μεσίτης utrinque factus, ut nihil magnum quod non audeat, nihil infimum quod defugiat. Quamobrem ad id muneris evectos divinarum humanarumque rerum peritissimos oportuit, ut superum inferumque proclive dignoscentes, et illorum placita, horum commoda prospicientes, iis prompto sese obsequio aptare et facili in utramque partem flexu conformare possint. Et quidem apud veteres, Ægyptios maxime, quorum ἰφιθη σχολάζειν τὸ τῶν ἱερέων ἔθνος (1), sacerdotes scientias accersebant et illustrabant. Nunc vero qui sacerdotiis divinitus destinantur, scientiarum prius antistites quam sacrorum esse debent. Illic, teste Philosopho (2), sacerdotes scientiarum parentes ; hic scientiæ ad sacerdotia sunt προόδια quædam, et quasi certa πρόκλησις. Et quod Gallos attinet, Præsul illustrissime, non nuperus est amor quo reipublicæ litterariæ cives ac senatores prosequuntur sacrisque præficiunt. Diu est cum ipsis φιλόσοφοι τί τινες εἰσὶ καὶ θεολόγοι περίττως τιμώμενοι (3). Et quod non possum non mirari, quondam ἔθος αὐτοῖς μαθήνα θυσίαν ποιεῖν ἀντὶ φιλοσόφου· addo et theologum, sequentia enim favent : διὰ γὰρ τῶν ἀμπείρων τῆς θείας φύσεως, ὥσπερεί τινων ὀμοφώνων, τὰ χαριστήρια τοῖς θεοῖς φασὶ δεῖν προσφέρειν, καὶ διὰ τούτων οἴονται δεῖν τ' ἀγαθὰ αἰτεῖσθαι. Sacerdotes itaque Gallorum, atque adeo Carnutum, sapientiæ magistri, *inquit vetus auctor (4); et quia cœlorum contemplationi incumbunt,* quid dii velint scire se profitentur. *Ex quo non miramur si quam promittunt sidera, futuram adorant : aut si dum astra sollicito venantur intuitu,* Virginem *inveniunt, non spicam tantum, ut vulgus astrologorum, sed* Panem *ipsum mundo proferentem Tanti est sacrificos sapientiam colere et cœlos intendere! Hi Druidæ appellati sunt (5), dubio procul ἀπὸ τὴς δρυός, quia ejus visco nihil sacratius habuere, sine cujus fronde nulla sacra conficiebant. Et quia conceptum feminarum adjuvat et partum (6), diceres ea usos maturando illius partui quam parituram coluere. Et unde porro Laertio (7)* Σεμνόθεοι *dicuntur, nisi quia et apud ipsos erat* Σεμνὴ θεά. Σεμνὰ *namque, τὰ τῆς παρθένου μυστήρια (8). Et* Σεμνὴ pudicam *ac castam nativo significatu habet (9). Aut vero dum* Virginem *colunt* parituram, *quod humanæ rationi impervium, τὰ* Σεμνά, *hoc est, τὰ ἄῤῥητα καὶ ἀνεξήγητα μυστήρια (10) ; vel ut alius, θαυμαστὰ καὶ ἀνεξιχνίαστα celebrare ac venerari dicuntur. Et quidem de ipsis scriptum (11) quod clam et in specu, aut in abditis saltibus multa docerent. Hoc numen ipsorum fecit σεωπηλὸν quod idem ac σεμνὸν (12), proindeque et ipsos σεμνολέους. Theologi ergo Gallorum sacerdotes. A quo nec Ecclesiæ veteris mores abiere. Ut enim iidem olim populis judices qui reges, sic in primoribus Ecclesiæ annis iidem ἐπίσκοποι et διδάσκαλοι· nec majori frequentiorique ἐπικλήσει Os aureum Antiochenum suum patriarcham vocat quam* διδασκάλου *(13). Unde fit autem ut inter paucos qui suo in genere primas habent, sint et præsules* Σκηπτοῦχοι *; ex eo est profecto quod σημεῖον βασιλείας καὶ λόγων καὶ δίκης κατὰ τοὺς παλαιοὺς τὸ σκῆπτρον ἦν (14). Qua tria utcunque licet episcopo conveniant, medium tamen*

(1) Arist. I Metaph
(2) I Metaph.
(3) Diodor. lib. v.
(4) Pomponius Mela, lib. III, cap. I.
(5) Plin., lib. XVI, c. 44.
(6) Plin., lib. XXIV c. 4. Mathiol. in Dioscor
(7) In Prologo.
(8) Hesychius.
(9) Glossarium vetus. Hesych.
(10) Etymolog. Magnum.
(11) Pompon. Mela lib. III, c. 1, antiquæ recensionis.
(12) Scholiastes Gr. Aristoph. in *Nubibus.*
(13) Chrysost. in Homiliis ad populum Antioch.
(14) Eustath.

Introdusă în format electronic de Google

maxime et proprie ejus est, a quo jus habet baculum ferendi. Et si rerum primordia relegimus, inauguratio episcoporum in Ecclesia successit illi, qua apud Hebræos ad magisterium promovebantur initiationi. Hæc enim gradious auibusdam fiebat, et χειροθεσίᾳ tandem ac verbis conceptis peragebatur, qua nihil postea sublimius habuere. Quamobrem est unde Galliæ gratulemur, quod divino prorsus inspirata genio fecit, ut academicarum principes essent præsules Ecclesiarum. Redeunt pristina tempora, æmulamur veterum mores, et grande posteris relinquimus exemplum quod aut imitentur, aut mirentur. Thales Pythagoram sibi operam dantem, προετρέψατο εἰς Αἴγυπτον διαπλεῦσαι, καὶ τοῖς ἐν Μέμφει, καὶ Διὸς μάλιστα συμβαλεῖν ἱερεῦσι (15)· quod vetustissimum sacerdotum decus est. Fortunatior Gallia quæ non ad exteros ablegat quos sacris vult imbui, sed habet hierarchas tanta eruditione refertos, ut eorum domus διδασκαλεῖα esse possint. Verum enim vero superat omnes hac laude, ultraque Memphim ipsam est Carnutum civitas, seu τὰ πάλαι, seu seriora tempora consideremus. Illic sedes quondam ἱεροθεαλόγων; illic floruere præsules, pietate, et doctrina longe maximi. Testes hujus rei Fulbertus, Gauffridus, et Joannes Saresberiensis, aliique quibus, vel Opera edita, vel obita munia, vel auctores celeberrimi fidem faciunt. Testis es ipse, Præsul sapientissime, postremus omnium, et tamen æqualis : omnes ut majores tuos reveritus, nec illis minor; multum ante episcopatu dignus quam episcopus. Litterarum omnia decora habens, et ipsarum decus; sacræ ac venerandæ theologiæ alumnus, et parens. Te multæ optarunt Ecclesiæ, sed ea vicit quæ vincere debuit ; et cum unum ac eumdem plures habere non possint, quod possunt, optant similem. Felices academiæ quæ Ecclesiis principes conferunt! Felices Ecclesiæ quæ ab academiis Patres accipiunt! An tantis Carnutum pontificibus a me accenseri, iisque comparari, ægre tibi est? Modestiæ tuæ morem geram; venio ad alterum : vereor tamen ne adhuc de te loqui videar. Testis est, sed omni exceptione major, Ivo quem hic exhibemus : cujus doctrina nihil solidius, cujus pietate nihil sincerius, cujus animo nihil majus ac fortius esse potuit. Quærat forte aliquis quid noverit? Omnia quæ pontificem scire oportuit. Ita Patrum, conciliorum, canonum, consuetudinum peritus, ut his unis pugnet, hæc sola fere loquatur et scribat. Quærat cujus virtutis? Antiquæ prorsus et canonicæ, quam cum maximo candore coluit, et candidatis ejus efficacissime persuasit. Quærat cujus fortitudinis, quæ crimina debellaret, etiam regia; quæ homines ad meliora cogeret, etiam principes; quæ imbelles ac meticulosos animaret, etiam pontifices. Hunc virum, a suis tandem et tuis simul redivivum effectum, cuinam dicatum oportuit quam illi qui auctoritatem ejus et mores per sese reviviscere facit? Munus hoc, opinor, non despicies, quia continet, et quo aliis præcellis, summam eruditionem: et quod plurimum diligis, canonum observationem; et quod serio amplecteris, Ecclesiarum curam et sollicitudinem; et quod omnibus qua verbo, qua opere suades, pietatem, et amplissimæ virtutis usum. Medium te inter Deum et homines constitutum agnoscimus, illorum ὁμόφωνον, et idcirco per te χαριστήρια nostra Deo offerimus, Ivonis nempe sudores, vigilias, labores, pridem Deo deditos, et quos nunc a nobis suo jure reposcit. Habes quod invitet nos et alliciat, ut hanc a te operam exoptemus. Solemne fuit sacerdotibus antiquis deorum suorum insignia sibi vindicare, arcus, vittas, sceptra, frameas, radios, et si quæ alia, quibus venerationem populorum sibi conciliarent. Dei magni nascentis ex Virgine sacerdos factus, quodnam ab ipso habebis insigne? Non illic fulmina, non frameæ, non spicula, quæ tibi assumas. Lac tantum est quod ab filio sugitur, a matre sufficitur. Symboli illius partem in nobis confirmavit Ivo, nempe candorem. Confirmasti et tu ipse etiam canonicorum regularium abbas; observatio enim canonica Catalaunensi omnium sanctorum monasterio restituta, tibi et sollicitationi tuæ omnia debet, ne vel hac in re te Ivoni absimilem dicere possimus. Dulcedinem vero lactis sibi reservarunt episcopi. Hac una nixus, Præsul illustrissime, ausus sum tua limina accedere, et canonicorum regularium qui tua in ditione sunt, nomine, nomini tuo hoc operis consecrare.

Illustrissimæ dominationis tuæ,

Humillimus et addictissimus
F. J. Fronto,
Canonicus regul. S. Genovefæ Paris.

(15) Jamblicus De Vita Pythag. lib. 1, c. 2.

VITA D. IVONIS.

Inter eos qui Ivonis nomine in Gallia appellati sunt, longe omnibus excelluit Ivo Carnotensis. Hic in agro Bellovacensi natus, nobili a sanguine nobilem animum traxit (16). Patrem habuit Hugonem de Altoylo, et matrem Hilemburgim dictam. Adolescens litteris humanioribus imbutus, atque in philosophia A versatus, Lanfranco doctore abbate Beccensi theologiæ sacræ operam dedit in monasterio Beccensi, quam et ipse docuit, ætate factus provectior (17). Cum autem serio Patrum conciliorumque lectioni incumberet, et e diversis decreta ecclesiastica congereret, indignanti quod tantis intervallis obessent a

(16) In instrumento antiquo S. Quintini Bellovac.
(17) Magister Petrus Cantor in summa sua manuscr. in monasterio S. Joannis de Jardo canonic. reg.

Introdusă în format electronic de Google

canone suo canonici, commodum adfuit Guido Bellovacensis. Hic quondam Augustæ Veromanduorum in ecclesia S. Quintini decanus, Cæsaromagi Bellovacorum factus episcopus, in memoriam sancti Quintini monasterium construxit, concessisque prædiis canonicos illic constituit an. 1078. His præfectus Ivo monasterium paternis possessionibus auxit, et quo illud omni ope juvaret secum, legibus ad id conditis, vitam regularem intulit, vir canonum peritissimus, et eorum observationis studio flagrantissimus. Erant quidem jam olim canonici regulares passim in Gallia, atque in aliis provinciis. Diu est cum Chrodegangus (18) peculiarem Metensibus suis canonicis regulam conscripsit. In concilio autem Aquisgranensi omnibus regulam Ludovicus pius edendam curavit, opera Amalarii diaconi, misitque in singulas provincias observandam (19). In qua, maximam partem, Chrodegangi regula continetur. Verum lapsu temporis cum relaxata esset disciplina, ei denuo instaurandæ multi laborarunt, in quibus Ivonis opera præ cunctis excelluit. In monasterio prædicto præfuit annos plus minus XIV, modo prælatus ejus, ut in privilegio Philippi regis; modo præpositus, ut in bulla Gregorii VII; modo abbas, ut sæpius dictus : hic procul dubio dum sancto otio fruitur Collectionem canonum fecit, quam postea in compendium Hugo Catalaunensis (20) contulit, et Pannomiam sive Pannormiam vocavit. Præterea theologiam docuit : moris enim fuit tunc ut sacræ theologiæ studia in monasteriis maxime vigerent : neque id oneris abbates ipsi monasteriorum defugerunt, ut ante vidimus in Lanfranco, hic in Ivone nostro. Hoc autem muneris quod defunctus est Ivo in causa fuit cur in antiquissimis monumentis magister et doctor appelletur. Tanta fuit autem monasterii illius et Ivonis ipsius pietatis ac canonicæ observationis fama (21), ut multa monasteria accitis inde canonicis aut ædificata, aut instaurata fuerint, et ex iis celebres aliqui ad episcopatum pervenerint. Interea rerum sedebat id temporis Aictrici (22) Carnutum Gaufridus, quem cum pridem Gregorius VII Romam simoniæ accersivisset, quod deessent testes ad tantam rem comprobandam, remissum sedem obtinere permisit. Verum Urbanus II, hunc iterum sibi delatum, tandem multis criminibus convictum, sede sua movit, et apud clerum populumque Carnutum, ut sibi Ivonem nostrum doctrina et pietate insignem deligerent, suis, ut ait ipsemet, monitis effecit. Votis ipsorum non illico cessit Ivo, quietis amans, nec inhians dignitatibus; sed jubente Philippo rege, parere coactus est (23). Verum Richerius Senonensis archiepiscopus, assentientibus ei e suffraganeis nonnullis, nec electioni subscribere, nec electo manus imponere voluit, ob id quod in depositione Gauffridi contra jus suum actum diceret, quo ad se pertinuit tanquam ad proximum judicem, causam ejus dignoscere et judicare (24). Egit diu precibus et sollicitationibus apud ipsum clerus populusque Carnutum, sed frustra se esse videns, facit ut Ivo Urbanum conveniat : et ille in Italiam profectus animo se ab illis difficultatibus liberandi, volens nolens ab eo χειροθεσίαν Capuæ finiente anno 1092 recepit. Inde graves discordiæ ipsum inter et prædictos episcopos, qui factam majestati regis injuriam, et jura Galliæ ab Ivone violata contendentes Stampis collecti Ivonem rejicere et Gauffridum sedi restituere aggrediuntur, zelo procul dubio in insontem Ivonem exerto, minime tamen novo et multis tum ante, tum post exemplis confirmato (25). Contra autem Ivo sedem apostolicam appellare, spretam temeratamque ejus auctoritatem alte conqueri, vir cæteroqui minime servilis, nec potestatum adulator etiam summarum. Verum cum ei quod summum est, et ipsum nomen religionis accedit, cedant omnia necesse est; quare Richerius ipse usu pallii interdictus, Gauffridus iterum pulsus, et sedi suæ Ivo constitutus est. Hic quidnam egerit narrant ejus epistolæ ad summos pontifices, ad reges, ad cardinales, legatos, primates, episcopes, virosque primarios; narrant quotquot ab illo usque exaratæ fuerunt historiæ. Dum vero inde auctoritatem tuetur, inde virtutem colit sese non modo Galliæ, sed Ecclesiæ toti conspicuum reddidit, et sane utraque hac opus habuit cum primis, tum ad obsistendum vitiis, nusquam non grassantibus; tum ad perferendum mala, quæ ipsemet zelo suo vehementi, et publicorum erratorum (si gravia sunt) minime toleranti in caput suum accersivit. Philippus tunc Galliæ rex, Bertradæ amore captus, eam Fulconi Andium comiti ejus marito abstulit, vel sane illam a Fulcone tacite se subducentem sibi matrimonio conjunxit; aliis ex episcopis Galliæ connitentibus, silentibus aliis; adeo proclive est majestati obsequi quocunque inclinet; aliis denique episcopatu cedentibus, quod nollent vel amicum vel iratum habere regem contra fas agentem (26). Mandatur Ivoni ut Parisios se recipiat celebritati nuptiarum adfuturus; sed ire detrectat, et qua voce qua litteris regi ipsi, summo pontifici ac præsulibus Galliæ scriptis, illicitum hoc conjugium constanter acclamat : quæ sibi Philippi et Bertradæ infensissimum odium pepererunt. Sed hujus odium insuper habuit, a qua nec amari vellet : adversus illum autem ita fervorem animi temperavit, ut licet illius libidinem acriter coercuerit, majestati tamen regiæ cætera obsequibilem se præstiterit, et rerum illius, atque adeo totius regni amantissimum. Fugit diu regis con-

(18) Fuit Pepini regis ex sorore nepos. SIGEB.
(19) Hæc scribuntur ab Ademaro monacho.
(20) Auctoris hujus compendii nomen inveni in Historia monas. Herivallensis ad an. 1091.
(21) Vide S. Anselmum, l. III, epist. 106.
(22) Sic scribit Josephus Scaliger bis. Alii tamen scribunt *Auctricum*.
(23) Vide epist. 1, 2, 8 et 40.
(24) Vide Sirmundum in epist. Gaufridi Vindocinensis.
(25) Vide Glabrum Rodulphum, l. II, c. 4, et abbatem Stadensem in Chronico. imo ipsum Ivonem passim in epistolis.
(26) Vide Paulum Æmilium in Philippo I.

Introdusă în format electronic de Google

spectum, et in aulam adventare, etiam vocatus, renuit, ne si adsit et taceat, favere; sin vero obliquatur, regem offendere videretur. Haud quidem impune tulit magna illa ejus παῤῥησία. Non defuere etiam inter præsules qui *abruptæ contumaciæ* eum accusarent, dum ipsi sese *deformi obsequio* dedunt. Ministri vero regis, per fas et nefas ei addicti, bona Ivonis diripere, Ecclesiæ redditus intercipere, eum modis omnibus, et omnibus exemplis affligere, ut ne panis quidem ei esset quo vesceretur. Sed inter alios hac in re primas tulit Hugo Puteacensis dominus, Carnutum vicecomes, qui dum regi morigeratur, et adulteris vel etiam incestis abblanditur, Ivonem nostrum carceri impingit, ac in quodam castello diu detinet, quo frangat animum ni saxo fortior esset. Perstat enim ubique invictus. Cumque ad aures ejus pervenisset primates urbis Carnutum ac cives armis eum liberare velle, prohibuit (27), noluitque libertate potiri sanguine et detrimento suorum redempta: patientia prorsus omni laude digna, et antiquorum defensorum Ecclesiæ ac sanctissimorum virorum nulla in re absimili. Et quidni illis parem fecerim cum eum Guillelmus Fiscanensis abbas ὁμῶλιξ, Joanni et Eliæ comparaverit? Non omni prorsus caruisset ope, si alter in Gallia fuisset Ivo, qui erga se ageret adversus Hugonem vicecomitem, quod ipsemet aliquanto post egit Ivo pro Hildeberto Cenomanensi contra Rotrocum comitem (28), qui hunc etiam carcere incluserat. Post enim quam frustra preces adhibuit, dicto anathemate, diris eum devovit. Hæc agens vir magnus μεγαλῶν ψυχῶν inimicam, et perpetuo illas insectantem τὴν διαβολὴν vitare non potuit. Atque in primis non desit forte aliquis qui eum iræ et suspicioni nimio plus indulgentem fuisse existimet, qui contra regem indignationem summi pontificis et fulmen provocaverit. Verum licet mihi de regibus bene merere videantur qui maculas eorum nomini temere impressas vel minuere, vel eluere conantur, tamen nec Philippum undequaque innoxium quisquam affirmare audeat: nec satis rationum habere possit, ut ostendat Ivonem parum illi aut regno ejus fuisse faventem. Quod ad Philippum attinet, factum ejus præcessere exempla secutaque sunt, multa quidem, non tamen similia omnino, et quæ peccatum ejus magis obruunt quam excusant. Nam ut concedatur quod a Berta divortium nulli reprehensioni sit obnoxium, quod tamen constare debuit et Ivoni et aliis, ut illud in dubium non revocarent, at certe initum cum Bertrada matrimonium, quæ nullo Ecclesiæ judicio se a Fulcone subtraxerat, quæque eodem consanguinitatis nexu, quem cum Fulcone prætexere potuisset, a Philippo absterreri debuit, nullo modo excusari potest. Et ut omittam auctores συγχρόνους, viros magnos, rerum testes oculatos, qui Ivonem mirum in modum celebrant ac laudant (29), ut nemo quisquam sit contra illum hac de re oblocutus, licet inimicis non caruerit et criminatoribus, ipsi Philippus et Bertrada, quando absolutionem excommunicationis a Lamberto Atrebatensi episcopo Romani pontificis viges agente receperunt, reos se esse fassi sunt, et nunquam deinceps conventuros coram præsentibus episcopis promiserunt, sicut legi ego ipse in epistola manuscripta (30) ejusdem Lamberti ad Paschalem II summum pontificem. Non defuere inter principes et præsules qui regi assentarentur, nempe de genere eorum, *quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est.* Nam si quid rationis in eis, quidni reclamant, dum ista et tot alia fiunt in testificationem nuptiarum illicitarum? Cur non aut manu aut voce regis innocentiam tutantur? Invitant omnia, rex, vexata innocentia, exempla, Ivonis fervor immodicus, ejus criminandi licentia. Et tamen silent, neque quidquam contra Ivonem pronuntiant: tot vero et toties collecti episcopi, cardinales, legati, principes, nihil ne vident, qui una voce regis peccatum condemnant; excusant autem nunquam aut minuunt aut tegunt? Cum autem Ivo dicat (31) Philippum Richardo Albanensi S. pontificis legato promisisse a Bertrada se discessurum, usque ad dispensationem Romani pontificis, quod contigit an. Dom. 1102, et ipse roget summum pontificem ut cum rege temperet et dispenset, et aliunde certum sit nullam dispensationem intercessisse ex laudata Lamberti epistola, signum est in nuptias illas inquisitum fuisse iterum, neque dispensationi locum ullum inventum esse. Addo neque Ivonem habuisse unde regi Philippo minus bene vellet, cum multis beneficiis sese ei obstrictum sciret, nec vero diffitetur. Episcopi dignitatem ei fert acceptam non semel, propter quam, si quid humani pateretur, et vulgo similem gereret animum, regi præ cæteris ejusque libidini assentiri debuit. Sed et antequam ad episcopatum perveniret, regi maxima debebat. Constructo S. Quintini monasterio, atque inibi collocatis religiosis canonicis, rex privilegio concesso et institutionem et largitiones ei factas regia auctoritate communivit. Deinde, rogatus ab Ivone, canonicis S. Quintini apud Veromanduos misit epistolam qua petit ut cognomini Ecclesiæ Bellovacensi præbendam concedant. Utrumque monumentum regium, quia ineditum est, ne desideretur, hic apponendum censui. Prioris igitur hæc verba sunt (32): *Instituta regia et rebus Ecclesiasticis aut sæcularibus publica vel privata sine ulla juris controversia priorum regum jussu et auctoritate firmata*

(27) Epist. 20.
(28) Hildebert., epist. 39.
(29) Hildebertus, Goffridus abbas, Anselmus, Lisiardus, Gauffridus Malaterra, Gaufridus Crossus, Sugerius. Auctor historiæ eccles. quæ in Monast. Kerivall. vocat Ivonem sanctum.
(30) Ea est in manibus R. P. Sirmundi.
(31) Epist. 144.
(32) Ex antiquo codice ms. S. Quintini Bellovac. De his litteris, quas Pragmaticam sanctionem vocat, mentionem facit Ivo in epist. 193, ad Gaufridum Belvacensem, episc. Et hoc tenore in pervetusta membrana conceptæ leguntur.

Introdusă în format electronic de Google

non violare, sed inconcussa servare, nostra quoque A *nulla juris parte reclamante præsentibus ac posteris servando mandare, regii culminis est opus implere. Unde notum volumus esse cunctis orthodoxis Ecclesiæ filiis*, etc. *Vide supra in Philippo I, ad. an.* 1106.

Posterius sic habet (35) :

Philippus Dei gratia Francorum rex, O. decano et cæteris canonicis nostris Ecclesiæ Sancti Quintini, salutem et gratiam nostram. Notum facimus vobis quod Ivo abbas Belvacensis Ecclesiæ B. Quintini nostræ mansuetudinis aures adierit, supplicans nobis tam per se quam per fideles nostros, ut Ecclesiæ sibi commissæ præbendam unam in vestra Ecclesia pro remedio animæ patris mei et matris meæ perpetuo habendam concederemus. Cujus petitioni ideo libenter assensum præbuimus, quia vos id in capitulo vestro jam B *collaudasse per quosdam ex vobis audivimus. Quapropter mandamus vobis ut sicut inter vos determinatum est, investituram quæ ad vos pertinet, prædictæ Ecclesiæ per prædictum abbatem faciatis. Valete.*

Ex his nemo non videt Ivonem Philippum præ cunctis observare debuisse, nisi ab eo quod humano sensu et regia dignitate altius est, revocaretur. Multos exinde sibi fecit inimicos, qui nomini suo tum apud regem, tum apud summos pontifices detractum ivere. Apud Urbanum, πνευματικὸν αὐτοῦ Πάτερα, calumniis appetitus, non aliis argumentis iis obviam ire voluit quam abdicato episcopatu; sed prohibuit summus pontifex : quippe Ivone ἡ ἐπισκοπή, non Ivo τῆς ἐπισκοπῆς indiguit. At cum Urbanus diem C suum ultimum obiisset, resque semper in pejus ruerent (34), Roman Ivo se conferre statuit, animo se omni onere exuendi; sed insidias inter Alpes sibi structas intelligens pedem retraxit. Paschalis autem summus pontifex, sciens quid illi esset animi, in præsidio manere jussit. Haud tamen evitare potuit quin etiam ejus indignationem incurreret, quia cum probe sciret quid discrepent observantia et adulatio, dum illam exhibet, istam amandat, non semper placet. Delatos Richardo Albanensi episcopo S. R. E. legato simoniæ nomine canonicos suos, ita crimen illud repulit, ut ostenderit simul taxandos eodem crimine summi pontificis ministros, qui ab episcopis, abbatibus, et aliis pretia exigunt sane immensa, specie chartulas et D alias id genus minutias repensandi (35). Fatendum sane tunc temporis, et paulo ante, adeo crimen simoniæ in clericis inolevisse, tantumque ei exstirpando summos pontifices insudasse, ut quidquid vel umbram illius præseferebat in suspicionem veniret. Verum nemo telum contorquet qui contra se idem contorqueri libenter patiatur; atque infirmum semper excusationis genus visum est, crimen regerere. Neque Ivo id fecit, sed quid canonici responderent ingenue retulit. Agnoscant plerique omnes solum prope Ivonem ea tempestate contra exundantium vitiorum torrentem se obtulisse. Ipse est qui ne malæ famæ homo Joannes archidiaconus, Aurelianorum fieret episcopus, apud Hugonem Lugdunensem, pontificis Romani legatum, pro virili laborat (36). Ipse est qui Stephano Galardensi, ne in sedem Bellovacensem evehatur obstistit (37). Et ne Gallia virtuti ejus satis ampla sit, ipse est qui apud Paschalem II et Robertum comitem Mellentinum conqueritur (38), quod Ranulfus Dunelmensis episcopus Lexoviensem Ecclesiam novo genere invasionis occupat, ei filios præponens adhuc 'pueros 'more' Judaico alterum alteri successurum. Ipse est qui Henrico, regi Angliæ, semel ac iterum scripsit (39), tum ob multa alia, tum etiam ne incestis nuptiis filiam suam alligaret. Ipse est qui cum pontificibus summis, modeste tamen, legatorum qui dicuntur *a latere* avaritiam, importunasque ad sedem apostolicam appellationes eorum qui propriorum pastorum sententia constringuntur, expostulavit. Nempe sedis illius observantissimus ægre ferebat passim ipsi detrahi (40) : unde abscissas voluit detractionum ansas quoad fieri posset. Florebat tunc temporis Goffridus abbas Vindocinensis, vir sane simplex et bonus, quem inter et Ivonem amicitia nexa est. Scribit tamen hic Paschali II (41) se multa pati ab episcopo Carnutum, Ivone nempe nostro : et ex utriusque epistolis simultatem quandam inter illos natam videre est ob exemptum Vindocinense monasterium ab episcoporum potestate. Hæc enim est radix similium discordiarum ab antiquo feracissima, etiam inter quoscunque sanctitate et doctrina claros. Et sicut illi nulla virorum etiam piissimorum auctoritas hactenus finem facere potuit, ita nec illa integritati ac sanctitati utriusque partis disceptantis quidquam officere visa est (42).

Dum autem undequaque Ivo in vitia omnium invehitur, quid mirum si aliis oneri, aliis odio sit? Quis obstrepentem perpetuo tubam illam æquo animo audire possit? Et si quosdam fecit gradus atque ἡ ἐξουσία superiores, quis non irascatur, aut toties lancinatam non vindicet dignitatem? Profecto qui ad mores hominum illius ævi animum adverterit, mirabitur, non quod clamaverit Ivo, sed quod solus exclamaverit, et tot alii silere potuerint, cum opus fuisset clamore valido ad veternum hominum excitandum. Ne mihi tamen fingas Ivonem virum austerum, ac ferreum qui *contumacia ac inani jacta-*

(33) Rescriptum Philippi regis ad capitulum ecclesiæ S. Quintini Veromanduorum pro præbenda quam Quintiniani Belvacenses in dicta ecclesia, concessione ejusdem Philippi possident. Datum, ut creditur, an. 1089.

(34) Vide epistolas Goffridi Vindocinensis lib. II.

(35) Epistola 133.

(36) Epistola 66.

(37) Epistola 87.

(38) Epistolæ 154, 157.

(39) Ep. 55, 60, 87, 109 et 110.

(40) Ep. 46, 250, 259.

(41) Vide epistolas Goffridi Vindocin. lib. I et II, ep. 195.

(42) Ep. 11, 25, 60

Introdusă în format electronic de Google

tione libertatis famam fatumque provocaret (43). Qui legerit ejus epistolas, moderatum agnoscet. Sæpe namque canonum rigorem temperavit aut alios temperare monuit. Sæpe pontifices aut legatos eorum, aliosque præsules a pronuntiando anathemate dehortatus est. Denique multo plura toleravit quam increpavit, ut de ipso dicere possimus quod olim de pontifice, sed profano, dictum, *nullius servilis sententiæ sponte auctor, et quoties necessitas ingrueret sapienter moderans.* Dictum ab Urbano II anathema contra Philippum, diu celatum detineri voluit, benevolentia ac propensione quadam erga principem, ne quid in regno tumultus fieret. Bellovacensi clero, sciscitanti utrum reum quemdam canonicum tribunali ecclesiastico, ut fert canonica lex, an civili vel regio, ut rex ipse imperabat, sisteret, illud quidem melius et ex jure, istud tamen faciendum censuit, ob ea quæ imminebant mala, nisi patientiam ad omnia duratam paratamque haberent. Similia fere scribit Turgedo ingenæ Abrincantorum episcopo, dubio sententiæ, num legato summi pontificis aut regi obtemperaret. Illi quidem morem gestum oportere dicit : at si non satis ei sit animi, neque iratum regem habere velit, mittat ad summum pontificem qui factum contra ejus voluntatem excusent. Apud Cononem autem Prænestinum episcopum, sanctæ sedis apostolicæ legatum, orat ut episcopus Bajocensis censura ecclesiastica non inuratur, quippe qui sub alieno jure, cui serviat necesse est, destinetur. Sed inter moderationis et erga suos superiores propensionis argumenta, non omittendum quod ait Ordericus de illo, verba ejus offeram. «An. 1103 Paschalis papa in Gallias venit...» Tunc venerabilis Ivo Carnotenæ urbis episcopus inter præcipuos Franciæ doctores eruditione litterarum tam divinarum quam sæcularium floruit. A quo invitatus papa solemnitatem Paschæ apud Carnotum celebravit. Porro autem dum iis sedulus vacat, inde disciplinæ ecclesiasticæ assertor, inde ejusdem cum id exigit locus, temperator maximus, non prætermittit ea quæ et regi et patriæ debet; et licet sacrorum sedis apostolicæ jurium defensor fuerit acerrimus, nihil tamen contra Gallicanæ Ecclesiæ jura commisit unquam aut committi passus est, in utrisque servandis ac propugnandis mirum quantum prudens et circumspectus. Id sensit Ludovicus VI statim ab eo quo regnare cœpit. Post enim aliquot dies quam fato Philippus functus est, suboluit Ivoni, multos sacræ regis unctioni moram nectere velle novandarum rerum studio (44). Quamobrem institit ut quam primum ea Genabi Aurelianorum perageretur, reclamantibus nequidquam Remorum clericis : qua in re haud dubium, et regi et regno consultum ivit. Quid referam curam ejus, qua egit ne rex Ludovicus parum honestis se nuptiis commacularet (45), quas illi Hugo Trecensis comes suadebat, et destinatam sponsam sine mora sibi copularet ut successoris spes impendentes regni scissuras retineret (46)? Certe magni a rege æstimatus est, ita ut præ cunctis illi esset a consiliis. Hominem anathemate percussum, et mensæ regis participem effectum, ab episcopo recipiendum censuit, et recepit ipse (47); tanti fecit regi acceptum esse. Cum mandasset Paschalis II Radulpho, sedi Rhemensium designato, ne se regi ullo sacramento obligaret, scripsit minime obtemperatum fuisse (48), quod hoc mandatum et contra consuetudinem episcoporum Galliæ, et contra jus regis esset; neque aliunde profectum, quam ab eo quod in hominibus σαρκικόν, et quod quærit τὰ σαρκός, non quæ Dei sunt. Eidem summo pontifici scribens (49) rogat ut nunquam ab amicitia regis Galliæ temere discedat, ne Galliæ alioqui religiosissimæ, et rom. pontif. amantissimæ, dissidii ac schismatis, quo tunc Germania misere lacerabatur, causam det. Quare sensit res humanas incolumes et tutas esse non posse, nisi consenserint inter se regnum et sacerdotium : cui rei alterum alteri de suo nonnunquam cedat necesse est.

Sed nulla res est in qua ingenium ac sapientia Ivonis magis emicuerit quam in quæstione de investituris, ut appellant. Ea hoc temporis agitata est cum tanto calore inter imperatores, reges, pontifices, ut qua parte steterit victoria neque nunc, neque tunc dicere possis. Ivo de his pronuntians licet modo Baronio placeat, modo displiceat, ita tamen disseruit, ut nec pontifici Romano, nec regibus ac imperatoribus notam ullam hæreseos, aut erroris, aut schismatis, aut ignaviæ inuri passus sit : cum nec hæreseon errorumque ea sit materia, et cætera si nulla sit divisio, pro loco, tempore ac aliis circumstantiis minui, augeri, tolli, apponi possint, quæ varias deinde acceptiones et appellationes subire queant. Itaque censuit factas a principibus non continuo damnandas; eisdem a pontificibus summis permissas minime rejiciendas; ex natura rei, si id fert bonum pacis, ab solo summo pontifice accipiendas, ante hac autem sæpe non sine regibus datas acceptasve. Hoc, inquam, censuit et magno conatu affirmavit, atque si tempora nostra consulis non pœnitendo. Noluit libertatem ecclesiasticam sæcularibus potestatibus subjici, uti nec se ita attollere, ut has despiceret, aut offenderet. Diceres ex his alium esse Ivonem ab eo quem ante descripsi increpantem ac detonantem. Tamen is ipse est, æqualis erga omnes, si æquales erga se habuisset; moderatus sane, si eo tempore luxuriæ, ambitioni, avaritiæ modus ullus fuisset. Ludovicum regem ejusque aulicos a direptione bonorum Ecclesiæ

(43) Epist. 25.
(44) Epist. 189.
(45) Sugerius in Vita Ludovici VI, c. 13.
(46) Epist. 209.
(47) Epist. 259.
(48) Epist. 190.
(49) Epist. 6.

Introdusă în format electronic de Google

seu minis, seu censuris audacter deterruit; ab his tamen abstinuit, quando illas satis esse existimavit : mansuetudinem ergo severitate temperavit, nisi forte cum Ludovicum ipsum, vile nescio quid a se petentem, ita severe coercuit, quod futilia ab episcopo requireret, ut diceres regium induisse animum, quia regem alloqueretur.

Maximis his distentus minora non neglexit, atque imprimis ut fratres suos secum semper haberet, eorumque frueretur consortio, ecclesiam Sancti Vincentii, prope urbem Carnutum a Realdo quodam presbytero an. Dom. 1038 circiter ædificatam, in qua canonicorum cœtus degebat, eis tribuit, addito Sancti Stephani collegio; et his. an. Dom. 1099 cum consensu canonicorum suorum, claustrum templumque exstruxit sancto Joanni Præcursori sacrum, ex quo monasterium nomen Sancti Joannis Varliacensis (50) traxit. Stetit id ad annum usque 1568, quo sortem multis aliis parem, segregum et hæreticorum furore expertum est; quamobrem religiosi canonici sese in urbem recipientes in prædicti S. Stephani ædibus habitarunt, ni malis dicere in ruderibus, adeo omnia vetustate et squalore confracta ruinæ appetebant, donec an. Dom. 1624, illustrissimi domini Destampes, tunc Carnutum præsulis, opera, illuc acciti canonici regulares, qui recens Silvanecti consilio et auctoritate eminentissimi cardinalis de la Rochefoucauld, ejusdem urbis episcopi, se meliori vitæ ac sanctiori reformaverant, domum eamdem a fundamentis ædificarunt. Præterea ecclesiæ S. Andreæ ejusdem urbis decanum de capituli sui consensu collegio præposuit, dominum nempe Odonem virum venerabilem, in ecclesiasticis et sæcularibus bene eruditum, qui suas ipsius vices obiret. Abbatem antiqua acta vocant, quod nomen quia olim canonicis et monachis commune fuit etiam post divisionem sæcularium canonicorum a regularibus his utrisque aliquando attribuitur. Amicos habuit dum vixit Robertum de Abressello B. Mariæ de Bota ordinis sanctimonialium Fontis Ebrardi auctorem, et Bernardum S. Cypriani Quinciasensis ad Augustoritum Pictonum monachorum etiam quorumdam institutorem et abbatem. His sua in diœcesi monasteria ædificasse dicitur. Monachis quidem Bernardi Tironum monasterium. Mulieribus autem Roberti hoc quod vocatur Altabruyeria. Leprosis domum magni Belliloci exstruxit. Cluniacensibus Magdalenæ parvi Belliloci prioratum dedit, Caritatemque (Antissiodorensis diœcesis est oppidum) monasterio eorum addixit (51). Ambonem ecclesiæ carnutum Veteris Novique Testamenti historiis eleganter pro tempore illo exornari fecit. Tandem de Ecclesia optime meritus supremo fato fungitur x Kalend. Jan. An. Dom. 1115; contra quam sensit Matthæus Paris, aut Papirius Massonius : sed hujus fidem faciunt Necrologia tum Ecclesiæ Carnutum, tum Monasterii Sancti Joannis, quorum elogia intra descripta habes (52). Non me fugit aliquos Ivonem nostrum purpuratorum numero accensuisse, sed decepti sunt ex eo quod eodem fere tempore vigeret Ivo cardinalis, qui et in Gallia legatus fuit Innocentii II S. P., an. Dom. 1142.

Hæc de Ivone dicenda habui : qui epistolas ejus legerit, plura deprehendet. Ampliores ejus laudes nemo hic requirat. Viam institit qua itur ad cœlos. Vir illis quibuscum vixit magnus; posteris tamen major, quia his nihil oblocutus est. Stirpe et dignitate æqualis multis, inferior nonnullis, at virtute et doctrina omnium maximus. Conditione quidem et obedientia principibus et pontificibus summis subjectus, at animi celsitudine et constantia ne supar quidem, sed si quid ultra. Ad summa natus et qui summus esset dignus, nisi cum summis tractare difficilius aliquid esset. Regum favorem nec sprevit nec quæsivit; benevolentiam illorum æstimavit propter hoc quod ipsis bene vellet. Nobilis, theologus, canonicus, abbas, episcopus : ut quodam modo omnium sit qui tantus est, nec ullus ulli propter ipsum quidquam invideat. Nativitati ejus locum dedit Belgica, dignitati Celtica, virtuti tota Gallia, Italia, Anglia. Regibus ac principibus fidus et utilis, non tamen semper placens quia utrumque difficile. Pontificum summorum filius addictissimus; sed aliquando eorum ut hominum quasi pater, adeo cum res exigeret altos induebat spiritus. Denique sic in terris versatus est, ut cœlum proxime attigerit : et corpore solutus dubio procul, consecutus sit. Memoriam ejus semper quidem venerati sunt Christiani, haud vero ullo die festo celebrarunt per multos annos. Post mortem tamen ejus in ipsum ossaque in illius grassati sunt hæretici, quod non solent nisi in sanctos. Et Pius V, felicissimæ memoriæ pontifex, canonicis regularibus Lateranensis congregationis diem ejus festum celebrare permisit xx Maii, bulla data xviii Decembris 1570, pontificatus v.

(50) Sirmundus in notis ad serm. 2 Goffridi Vindocin. scribit *Valiacensis*.

(51) Sed incerta sunt hæc omnia nisi titulis fundationum inspectis ac collatis constet.

(52) Obituarium S. Quintini Bellov. ponit ejus mortem an. 1116, quia Januarius mensis erat ejus anni. Sed quia x Kal. Januar. recidit in xxiii Decemb., idcirco proprie denatus an. 1115.

Introdusă în format electronic de Google

TESTIMONIA VETERUM DE IVONE.

Glorioso et sapienti Ivoni Carnotensi episcopo, frater Hugo monachus S. Benedicti Floriacensis cœnobii sempiterna pace et felicitate perfrui.

(53) Ecce tibi, præcellentissime Pater et domne, duo humilitatis meæ opuscula transmitto, ut si quid ibi videris indecens et incultum, lima prudentiæ tuæ corrigas, et exornes, et quod tibi placuit corrolores, et confirmes. Arma mea adversus otium sunt hæc opuscula quæ nunc vides, nam malo studio vacare, quam in otio et torpore sicut pecus inutile vitam exigere. Sed hæc omnia vestro desidero judicio discuti et vestra sapientia condiri, quoniam vacillare non poterit quod semel auctoritatis vestræ nodus corroboraverit. At mihi forsitan aliquis dicet: Tam vilia et inutilia cur viro prudenti, et in summa arce philosophiæ sedenti mittere non erubuisti? cum scias scriptum quia orationi et carmini est parva gratia nisi eloquentia sit summa. Ego vero ad hæc respondeo, quoniam malo justo sapientis judicio comprobari, quam arrogantium sententia condemnari. Laboriosum tamen est, Pater honestissime, tuæ integritatis adjectiones et detractiones huic adhibere volumini: sed fructus laboris pretiosior auro charitas est. Vale.

Sugerius abbas S. Dionysii in lib. De Vita Ludovici Grossi, regis Francorum.

Consulte ergo agitur, et potissimum dictante venerabili et sapientissimo viro Ivone Carnotensi episcopo, ut ad refellendam impiorum machinationem citissime. Aurelianis conveniant, ejusque exaltationi operam dare mature festinent. Senonensis igitur archiepiscopus Daimbertus invitatus cum comprovincialibus videlicet Galone [*al.* Walone] Parisiensi episcopo, Manasse Meldensi, Joanne Aurelianensi, Ivone Carnotensi, Hugone Nivernensi, Humbaldo Antisiodorensi [*al.* Altissiodorensi] accessit.

Idem paulo post.

Recedentibus prælatis Ecclesiæ, archiepiscopo Senonensi episcopo Aurelianensi, Carnotensi venerabili Ivone, qui tentus fuerat carcere, quem coactus fecerat pingi in eodem castello multis diebus.

Andreas vetus scriptor lib. III Hist. Francorum ad P. Atrebatensis Ecclesiæ episcopum.

(54) Anno Domini 1109 episcopi qui ad exsequias Philippi regis convenerant, post exsequias statim Aurelianis convenerunt, et propter turbatores regni, salubri accepto consilio, Ludovicum juvenem, religionis amatorem, moribus mansuetum, armis strenuum, bello acerrimum, in die inventionis protomartyris Stephani, in regem unxerunt, ante altare S. Crucis, et coronam regni capiti ejus imposuerunt Daimbertus Senonensis archiepiscopus, Ivo Carnotensis, Joannes Aurelianensis, Hubertus Silvanectensis, Walo Paris., Manasses Meldensis, Hugo Nivernensis episcopi, et episcopus Antissiodorensis.

Eadem verba exstant in manuscripto exemplari alterius veteris auctoris, qui sequentia adjicit: « Provocati plurimis exemplis aliorum regum, qui diversis in locis propter imminentes turbas a diversis episcopis consecrati sunt. »

Sigebertus in Chronico sub anno 1078.

Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belvacensis canonicus ordo, primum ab apostolis, postea a B. Augustino episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone, venerabili ejusdem Ecclesiæ præposito, postea Carnotensium episcopo.

Idem sub anno 1092.

Dominus Ivo S. Quintini Belvacensis præpositus a papa Urbano consecratus, fit Carnotensis episcopus.

Idem lib. De illustribus Ecclesiæ scriptoribus, cap. 168.

Ivo Carnotensis episcopus scripsit ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum et apostolicæ Ecclesiæ legatum, epistolam (55) non multum prolixam, sed multum canonicis et catholicis testimoniis auctorizatam, pro dissidio regni et sacerdotii, et pro inusitatis Ecclesiæ Romanæ decretis. Scripsit et ad diversos amicos utiles valde epistolas; composuit etiam insigne volumen Canonum.

Matthæus Paris Anglorum in Wilielmo II sub ann. Dom. 1093.

Hoc quoque anno Ivo Belvacensis præpositus, a papa Urbano consecratus est episcopus Carnotensis.

Idem in Henrico primo.

Anno Dom. 1117 venerabilis vir Ivo Carnotensis antistes, et in Scripturis sacris ad plenum eruditus, diem clausit extremum.

Robertus de Monte in supplemento Sigeberti, sub anno 1114.

Post Ivonem, qui vita atque doctrina sua Carnotensem Ecclesiam illustravit, quique inter cætera opera sua illud volumen quod decreta Ivonis dicunt, utiliter compilavit, Gaufridus vitæ merito ac prudentia venerabilis Carnotensem Ecclesiam rexit.

Guillermus de Nangis in gestis Philipvi tertii Audacis, ad annum 1275.

Quia sicut legitur in quadam (56) epistola Ivonis quondam episcopi Carnotensis.

Vetus et anonymus scriptor chronologiæ Antissiodorensis ad an. Dom. 1154.

Quod quidem Ivo Carnotensis, decretorum ac legum

(53) Ex vet. Chron. P. Petavii senat. Paris.
(54) Ex prisco codice manuscripto.
(55) Intelligit epist. 60.
(56) Epist. 189.

Introdusă în format electronic de Google

peritissimus, in epistolis suis (57) tam rationibus astruit quam exemplis.

Ex antiquo manuscripto codice Ecclesiæ Laudunensis.

In vigilia Nativitatis sanctæ Mariæ ante vesperas Carnotum venerunt, et honorificentissime suscepti sunt a domno Ivone Carnotensi episcopo, totaque Canonicorum processione extra urbem usque ad vineas eis occurrente, feretrumque positum est in majori ecclesia super altare Sanctæ Mariæ.

Priscus, monachus Majoris Monasterii, agens de privilegio concesso ab Urbano papa II in concilio Claromontano 1095.

Præter hos assidebant domnus Hugo legatus et primas Galliarum idem ipse Lugdunensis archiepiscopus, et domnus Amatus legatus, et Burdegalensis archiepiscopus, Rainaldus Remensis archiepiscopus, Richerius Senonensis archiepiscopus, Hildebertus Bituricensis archiepiscopus, Rollandus Dolensis archiepiscopus, Narbonensis archiepiscopus, Axiensis archiepiscopus, Toletensis archiepiscopus et legatus Hispaniarum, Hoellus Cenomannensis episcopus, Gaufredus Andegavensis episcopus, Nannetensis episcopus, Pictavensis episcopus, Ivo Carnotensis episcopus, Joannes Aurelianensis episcopus, Rogerius Belvacensis episcopus. Episcoporum quoque et abbatum procerumque et diversarum dignitatum maxima multitudo, quorum incertus numerus, omnibus his ad auctoritatem et confirmationem privilegii nostri, fiat, fiat, acclamantibus.

Ex Martyrologio Carnotensis.

Idibus Decembris, anno Incarnationis Domini 1115 obiit Pater Ivo, hujus sacratissimæ sedis antistes, vir magnæ religionis, ecclesiasticorum et sæcularium negotiorum prudentissimus, mitis affatu, patientia insignis, castitate pollens, et tam in divinis quam in philosophia eruditissimus. Qui sex pallia bona, et septem cappas, et infulas tres, et tapetia tria decori hujus Ecclesiæ contulit : librum Missarum, et epistolarum, et textum evangeliorum, et unum lectionarium matutinalem dedit, et omnes argento paravit. Pulpitum miri decoris construxit, scholas fecit : domum episcopalem, quam vilem et ligneam (quam in obitu episcoporum vel discessu (58) quibusdam pravis consuetudinibus per violentiam Carnotensium comitum inductis ancillatam invenerat) speciosam et lapideam a fundamento refecit, et cum omnibus ad ipsam pertinentibus sive mobilibus sive immobilibus ex ancilla liberam reddidit, libertatemque ipsam adstipulatione privilegiorum et Romanæ sedis, et regis, et comitis, quæ in archivis hujus ecclesiæ habentur, confirmavit. Terram etiam quamdam contiguam eidem domui ad amplitudinem ipsius domus a vicedomino acquisivit, et muro clausit. Apud pontem Gaudinum alias domos ad usus episcopales ædificavit : eamdemque villam in multis melioravit. Abbatiam S. Joannis ex sæculari in regularem convertit, instituit et duxit : consilio et auxilio ipsius monasterium infirmorum apud Bellum locum constitutum fuit. Minoratas omnes hujus ecclesiæ, et præcarias in communes redegit usus, et eas in posterum personis (59) distribui tam suo quam apostolico privilegio vetuit. Angarias, et injustas exactiones, et pravas servientium distensiones fieri per præposituras iisdem privilegiis prohibuit. Ad augmentandam tabulam altaris idem moriens centum modios vini reliquit, et in aliis pluribus suæ Ecclesiæ et clericis suis multa bona fecit.

Ex prisco Kalendario S. Quintini Belvacensis.

Kalend. Januarii obiit venerandæ memoriæ magister Ivo, præ aliis sui temporis doctor insignis, primus abbas hujus Ecclesiæ, postea Carnotensis episcopus. Dedit nobis triginta volumina, calices quatuor, textum aureum, crucem auream, phylacteria quatuor, cruces argenteas, et auratas quatuor, dexteram beati Callixti papæ, thuribula duo argentea. Obiit autem tantus vir iste anno Incarnationis Christi 1116, pro cujus anima damus ad eleemosynam unum frumenti modium.

Ex Kalendario Ecclesiæ S. Joannis Carnotensis in Valle.

Decimo Kal. Januarias, anno ab Incarnatione millesimo centesimo decimo quinto obiit bonæ memoriæ Ivo Carnotensis episcopus, qui canonicorum regularium ordinem in hac ecclesia constituit, et eamdem rebus suis ampliavit, dans fratrum usibus ecclesiam Sanctæ Fidis (60), ecclesiam Sancti Stephani cum rebus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Luciaco, ecclesiam de Pontegodano, et terram ultra stagnum, triginta quoque volumina librorum suorum, et multa alia.

Ex eodem Kalendario.

Centum mille minus uno currentibus annis
Floruit hic primum locus ordine canonicali.

Epitaphium Ivonis Carnotensis ex vetere membrana B. Brissonii.

Mente, manu, lingua, doctrina, corporis usu,
Prudens, munificus, affabilis, utilis, insons,
Prima columna domus Domini quam jure salubri
Fovit, munivit, instruxit, jugiter auxit
Consilio scriptis, quo viveret ordine, rebus
Cujus opem gratis æger, rem sensit egenus,
Istius urbis apex memorandus episcopus Ivo
Hac situs exspectat adventum Judicis urna.

Nic. de Clamengiis, cantor Bajocensis, epist. ad Galiotum de Petramala, cardinalem, quæ incipit. Quod in superiore; *qua contra Petrarchæ dictum probare vult, nunquam caruisse Galliam eloquentibus viris.*

Si rerum gestarum scriptores postulant, Gregorium Turonensem accipe, Severumque Sulpitium gestorum beatissimi Martini luculenta descriptione relatorem. Possem alios permultos et antiquos et recentiores commemorare : ex antiquioribus Irenæum Lugdunensem, Hilarium Arelatensem, Gen-

(57) Epist. 189.
(58) Vide epist. 94

(59) Mentio fit epist. 271.
(60) Vide epist. 286.

Introdusă în format electronic de Google

nadium Massiliensem, Radulphium Flaviacensem, Prosperum et Cassianum. Ex recentioribus autem primo Bernardus occurrit, deinde Ildebertus Cœnomanensis, Ivo Carnotensis, Odilo, Hugo, et Petrus venerabilis abbates Cluniacenses, Hugo denique et Ricardus canonici sancti Augustini regulæ sectatores. *Tritemius abbas libro De scriptoribus ecclesiasticis.*

Ivo episcopus Carnotensis ex præposito Sancti Quintini Belvacensis, ordinis canonicorum regularium divi Patris Augustini; vir in divinis Scripturis exercitatus, et canonum sanctorum Patrum, ac generalium conciliorum cautissimus interpres : nec minus sanctitate quam scientia reverendus, ordinem suum diu collapsum magnifice reformavit. Scripsit post Burchardum Wormatiensem episcopum, ex canonibus sanctorum compendiosum Decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur jurisæ, quod prænotavit Pannoniam [Pannomiam, *al.* Pannormiam] lib. 10, epistolarum ad diversos lib. 1, et alia quædam. Claruit sub Henrico IV, an. Dom. 1110.

Ex aliis quæ Ivo scripsit hæc reperimus, De ecclesiasticis sacramentis ac officiis, et præcipuis per annum festis sermones XXI. *De regibus Francorum breve Chronicon, quod epistolis subjecimus ex P. Massoni J. C. libro.*

Superioribus videntur etiam adjiciendi loci Hildeberti de Lavardino, Cenomanensis episcopi, qui Carnotensis episcopi meminit : quem licet non nominet, tamen probabile est de Ivone intelligi, cujus epistolæ ad ipsum Hildebertum exstant in hoc libro.

Hildebertus epist. 26 *ad comitissam.*

Episcopo Carnotensi conductum, sicut fertur, providisti ad concilium profecturo; quod si ita est, præfatæ gratiæ beneficium mihi communices, exoro.

Idem epist. 39 *ad clerum, cum in carcerem detrusus esset ab Huberto comite.*

In turre Cenomanensi comes Rotrocus (61) tenebatur in vinculis : mater comitis in osculo me suscepit, applausit testamento. *Et paulo post :* Porro in illo castello in quo hæc acta sunt, Carnotensis erat episcopus, venerandæ vir auctoritatis : sed apud sceleris auctores sine auctoritate fuit auctoritas. Is in spiritu Hubertum conveniens (hoc enim Pharisæorum principi nomen est) primo blanditus illi bestiæ; sed bestia rationem non admittit. Dehinc illum sacrilegii libere arguit, obsecravit opportune, importune increpavit. Postremo tradidit eum Satanæ in interitum carnis, anathematis vinculo quo debuit alligatum.

Idem Epist. 61, *ad monachos.*

Errastis et vos foris, cum fores vestras Carnotensi episcopo clausistis, cum exclusistis Christum Jesu Christi, obliti pariter bonum hospitalitatis et præmium. Hunc et per vos via transire coegerat, et apud vos hospitari temporis articulus. Nox imminens et aeris intemperies pontificem hospitio instare perurgebant (62).

Præclarum elogium ex litteris societatis cujusdam seu confraternitatis quam canonici regul. S. Joannis in Valle apud Carnotenses cum Canonicis itidem regul. S. Quintini Belvacensis ante annos 400 *contraxere, excerptum.*

Universis Christi fidelibus et præsentem paginam inspecturis, Guarinus Ecclesiæ B. Joannis de Valleia Carnotensis abbas, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Cum secundum Apostolum omnes simus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra, sicut nec corpus a capite, ita nec membra corpori censeri debent a membris capitis aliena. Cum igitur a longe retroactis temporibus a visceribus matris nostræ ecclesiæ B. Quintini Belvacensis, fuimus propagati; et ab ipsa tanquam a fonte sacræ religionis fluenta sumpserimus per venerabilem Patrem ac venerandæ memoriæ Ivonem; qui cum floreret in eadem Ecclesia religionis novella plantatio sub B. Augustini regula, digne omnipotenti militans, fratribus ibidem Deo servientibus abbas præfuit. Sed tanti patris sanctitas eminens tanquam civitas in virtutum cacumine constituta die latere non potuit. Quinimo ejus religionis celebri fama longe lateque diffusa, Dei voluntate præambula, adeptus est cathedram Ecclesiæ Carnotensis, qui Ecclesiæ nostræ patronus et fundator exstitit. Et inter alia beneficia quæ nobis paterna pietate contulit, ad ultimum in signum dilectionis et perpetui fœderis thesauro sui corporis ac suæ sepulturæ præsentia nostram Ecclesiam illustravit. Unde cum internæ dilectionis affectu nos pius pater opifex, et patronus dilexerit, sicut in fine patuit, dignum fuit ut canonici S. Quintini ejus spirituales filii a patris actibus non degenerent, etc. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo octavo.

Epitaphium Ivonis a Philippo Bonæ Spei abbate, scriptum.

Reddidit affectus Patrem, doctrina magistrum,
Regula canonicum pontificemque gradus.
Famosum, probitas, humilem natura, verendum
Vita serena, senem longa, pudica sacrum.
Præsule defuncto sua tollere mos erat olim
Principis, hunc morem principis, emit Ivo.
Hujus opem læsus, plebs dogmata, frena malus rex
Sensit, egenus opes, pro grege vota Deus.

Aliud epitaphium quod Severtius ex Tavelli manuscripto sumpsit et in sua Chronologia descripsit.

Mente, manu, lingua, doctrina corporis usu,
Prudens munificus, præstabilis, utilis, insons,
Firma columna domus Domini quam jure sa[lubri
Fovit, munivit, instruxit, jugiter auxit
Consilio scriptis, quo viveret ordine, rebus
Cujus opem gratis æger, rem sensit egenus
Istius urbis apex memorandus episcopus Ivo
Hac situs exspectat adventum judiciorum.

(61) Hujus meminit Ivo epist. 168 et conseqq.
(62) Ex veteri membrana S. Quintini Belvac. nunc primum prodit.

Introdusă în format electronic de Google

REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO ET DEI AMANTISSIMO

PATRI ET DOMINO

F. BERNARDO A FRESNEDA

Ab arcanis confessionibus regiæ catholicæ majestati, domino et Mecænati suo colendissimo

JOANNES MOLINÆUS

Ejusdem Decretorum Lovanii professor.

S. D. P.

Quoties calamitosissimum catholicæ Ecclesiæ statum, eaque tempora quæ religionis Christianæ necdum compositis dissidiis, cum ortum, tum progressum præbuere, memoria repeto, reverende ac religiosissime Pater confessor, tanta me corripit admiratio, tantus incessit stupor ut existimem fidem olim defuturam, etiam iis rebus gestis, quarum non tam lectores, auditoresve, quam spectatores hodie omnes constituimur. Non quidem quod in summa hominum, ac naturali prope ad dissentiendum propensione et facultate, hæreseos schismatisve nomen sit, unquamve fuerit, novum inter nos, proh dolor! aut insolens; quæ etiam non modo familiaria aut domestica Dei Ecclesiæ fore mala, sed necessaria, ut credi possint prorsus inevitabilia, Paulus electionis ille vas prædixerat ac præsenserat (*I Cor.* XI, 19), verum quod nullius unquam sectæ quam Lutheranæ, cum difficilior origo, tum grandior successus exstiterit. Equidem si condita primum religione, ac præsertim apostolis primisque Christi discipulis, puta τοῖς αὐτόπταις καὶ αὐτηκόοις τοῦ λόγου in cœlum sublatis, omnia fuerint errorum ac contentionum plena, nemini, ni fallor, admodum mirum videri debet, quisquis imprimis secum reputaverit quam sint omnium rerum ingentium ac memorabilium primordia operosa ac difficilia, deinde quantæ molis fuerit, inter tot vanas, perversas et falsas quidem, sed a multis retro sæculis receptissimas Deastrorum superstitiones et cultus, unam veram illam quidem veri Dei notitiam et religionem, sed ignotam et inauditam, omnesque notas religiones evertentem (ne dicam vel ob solam crucis ac Crucifixi ignominiam parum credibilem ac verosimilem) fundare ac stabilire. Mitto quod ejus primi præcones et architecti judicio humano, nec celebres, nec illustres, nec vero potentes sapientesve fuerint, sed obscuri omnino homines, viles et abjecti, sed philosophiæ, eloquentiæ, urbanitatis, externarumque omnium ac communium litterarum plane rudes et imperiti, sed, ut uno verbo dicam, plane, ut inquit Paulus περικαθάρματα καὶ περιψήματα τοῦ κόσμου (*I Cor.* XIV, 13). Neque enim multos sapientes secundum carnem, neque multos potentes, neque multos nobiles, sed A quæ stulta sunt mundi elegit Deus, utique ut confunderet sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia et nobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* 1, 26, 28), ut idem ait ad Corinthios scribens, et recte; scriptum enim erat: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*ibid.*, 19). Quid dicam obstante sævissima persecutione, episcoporum conventus (in quibus maximum præcidendarum fidei litium et controversiarum præsidium positum semper fuit) commode tum haberi non potuisse? Quid denique, quod Romani principes, quorum tum amplissimum erat imperium, et si qui præterea erant reges alii, omnes suas vires ac universam potentiam in exitium B Christiani nominis converterent? Nec mirum, ecquis enim indulgeret, parceretve, et non exscinderet ἀθεότητος, θυεστείων δειπνῶν, καὶ οἰδὶ ποδείων μίξεων reos? quæ tria atrocissima scelera, nostræ genti, id temporis, quanquam falso et injuria, impingebantur. Jam vero quas post Constantinum Magnum hæreses, perpetuus humanæ salutis hostis, diabolus, ad turbandam Ecclesiæ, jam tum ab externis bellis respirantis, pacem et concordiam, immisit, omnes vel ab imperatoribus, vel a præcipui aliquot nominis episcopis, coortas defensasve reperies; C quorum potentia et conatus etsi ad veritatem opprimendam exstinguendamque fuerit invalidus et inefficax, tamen facile perfecit ut decretis synodicis, sin minus vis et auctoritas, saltem justa ac legitima exsecutio defuerit. Quod si jam ad nostræ tempestatis hæresiarchen te animo converteris, omnia invenies fuisse, cum impietatis suæ scholam aperiret Lutherus, diversissima. Summa erat imprimis per universum orbem Christianum in doctrina fidei consensio. Incredibile quoque principum omnium et populi, ad servandam ac defendendam avitam religionem, quam quisque a majoribus suis perpetua serie acceperat, studium. Mitto quod nulla unquam natio, antiquitatis priscorumque institutorum amantior fuerit quam, ubi hic Satanæ antesignanus primum virus suum disseminavit, Germanica. Quod amplius est, hujus dogmata Leo decimus id temporis pont. max. non solum impie-

Introdusă în format electronic de Google

tatis protinus damnavit, verum etiam diro anathematis mucrone, quotquot ea amplecterentur, cum ipso auctore jugulavit.

Cujus sententiæ nequaquam inviti subscripserunt quotquot ubique terrarum exstabant studiorum rectores et academiæ, una cum religiosissimis civitatum episcopis. Imperator vero, qui tum erat faustissimæ memoriæ Carolus quintus, regis nostri Philippi parens, pontificia decreta in constitutiones retulisse, ut legum etiam vim habere inciperent, exemplo pussimorum principum Constantini, Theodosii, Justiniani aliorumque non contentus, insuper gravissimas pœnas in prævaricatores adjecit, quem imitati sunt Germaniæ, Galliæ, Poloniæ, Pannoniæ, Britanniæ, et ad unum omnes Christianorum reges ac principes. Quas quidem pœnas ne quis forte constitutionibus additas esse, metus incutiendi duntaxat causa suspicaretur (uti olim Theodosio Augusto majori seu seniori factum fuisse ecclesiastica prodit Historia), crebra mox, nec minus atrocia supplicia de reis sumpta, satis superque edocuerunt; quinimo tantum pœnis recipiendis indultum est ut diu, damnatis quanquam resipiscentibus, et ad pristinam fidem reversis, nec vitæ, nec bonorum, venia gratiaque facta sit. Unde certissimum evadebat majorem omnino esse iram et odium Christianorum principum in hæreticos quam unquam fuisset Paganorum in Christianos et Catholicos; quippe quos deprehensos, convictos et condemnatos, quin ad supplicii etiam locum abductos, hujusmodi verbis demulcere consuevisse, legimus, τί γὰρ κακόν ἐστιν εἰπεῖν, κύριε Καῖσαρ, καὶ θῦσαι, καὶ σώζεσθαι. Itaque illos sola inficiatio ac abnegatio Christi, quanquam simulata, discrimini eripiebat, cum tamen his erroris ac seductionis pœnitudo, etiam vera ac sincera, eo non profuerit, non magis quam parricidis, sacrilegis, veneficis, raptoribus, latronibus, aliisve facinorosis hominibus. Quid jam dicam episcoporum, fideique quæstorum, civilisque magistratus, ubique in perquirendis reis diligentiam? Quid doctorum virorum non minus multa quam docta, tam in defensionem et demonstrationem orthodoxæ fidei quam in confutationem et redargutionem adulterinæ perfidiæ, diabolicæque fraudis scripta? Quid denique totius imperii ordinum, de religione comitia, nec minus rara virorum eruditorum, utrinque instituta colloquia? Adeo nihil omissum est eorum omnium quæ ad hanc pestem eruditionis, animarumque profligandam coercendamve aliquid presidii conferre posse videbantur, et tamen tam abest quod exstincta abolitaque sit, ut vires perpetuo assumpserit, ac in immensum excreverit. Sane, uti exitus rerum edocuit, nihil ad deletionem excidiumque exitialis doctrinæ valuisse, ita an in mediis fuerint, quæ hacteaus excogitata sunt remedia, non perinde omnibus fortasse est exploratum. Est certe compertissimum, in magna Christianarum provinciarum paucitate, nullam esse quæ ab hac contagione prorsus intacta ac immunis perseveraverit, ne quid dicam, amplissima regna et populos, quos hæc animarum lues ita adenit nobis ut de recipiendis iterum aliquando vix ulla spes supersit. Quin magis formidandum censeo, ne tandem intestinis inter sese tumultibus ac dissensionibus (quæ inter eos qui a nobis defecerunt sunt gravissimæ) agitati, mutuum conficiant; quam sperandum, ut e diverticulis unquam in viam revocentur, utve ejuratis omnibus erroribus catholicam veritatem tandem amplectantur, ut nemo non possit merito una cum Polycarpo martyre exclamare : *O bone Deus, in quæ me tempora servasti, ut hæc feram, hæc patiar, hæc sinam !*

Dixerit aliquis : Nihilne superest igitur adversus hanc (quam extrema tempora pepererunt) sectam opprimendam consilii? numquid nullum est antidotum? siccine fatale est incurabile malum est, ut nullis machinis, nulla vi, nulla denique ratione queat superari? Absit profecto! Portæ inferorum, quarum voce procul dubio hæreses et schismata significantur, nunquam vincent Ecclesiam Dei. Navicula Petri non mergitur fluctibus. Neque vero desunt auxilia, eaque non minus præsentia, quam olim usitata, et frequentata. Quin cogitur episcoporum œcumenica synodus? Quin imitamur apostolos, quin priscos Patres, quos scimus de centroversiis religionis, conventu habito, semper statuisse? Quoniam enim alio modo, Arii, Macedonii, Eunomii Eutychetis, aliorumque hæreticorum fraudes, impostura, impietatesque retectæ damnataeque sunt? Cæterum, uti certissimum exploratissimumque est, conciliis ac præsertim universalibus seu plenariis, ut vocant, nihil unquam habitum fuisse, ad discutiendas hæreticorum nubes et caligines, opportunius ac potentius, ita quia illius convocatio omnium non est, nec unquam fuit, sed singuiari jure hodie ad Romanum pontificem pertinet, semperque saltem a translatione, sive verius sectione imperii Romani (quod extra omnem controversiæ est aleam) pertinuit consequens est, non esse cujusvis concilii habendi, exercendive potestatem facere, sed solius Romani pontificis. Idcirco non injuria sciscitabitur quispiam : Nunquid aliud nullam supersit finiendis religionis tumultibus remedium, cujus facultas pluribus communis sit, ab unius sedis apostolicæ arbitratu neutiquam dependens? siquidem omnium est recte (ni fallor) nedum sapere, rectamque in Deum fidem profiteri, verumetiam pro virili tueri ac defendere, salvamque et incolumem præstare. Equidem parum est, imo plane nihil, veterum adversus novos religionis morbos, commonstrasse curationem, si ea in præsens comparabilis non sit; paria quippe sunt, non esse quid, et non apparere, juxta tritum jureconsultorum proverbium. Ad quam quidem quæstionem difficilis admodum non est responsio, neque enim deest, cum ad hæresium proscriptionem, tum ad fidei orthodoxæ munitionem remedium alterum, quod ut promptum est atque expeditum, ita priore fortasse nihilo est in-

Introdusă în format electronic de Google

ferius. Neque enim tam necessariæ sunt novæ episcoporum synodi et comitia, ad constituendam religionem, quam priscarum et hactenus habitarum observatio diligens, quarum nunquam major (ni fallor) quam nunc neglectus contemptusque (quod sine gravi dolore dicere non possum) exstitit; atque hinc fit ut nullibi vel simulacrum quodpiam germanæ ac vernaculæ Ecclesiæ appareat. Itaque qui rerum humanarum divinarumque paulo peritiores sunt, desperato, deploratoque synodicorum conventuum pene auxilio, omnem spem instaurandæ ordinandæque Ecclesiæ jamdudum in veteris disciplinæ ecclesiasticæ sanctione collocarunt. Quos si opinio non fallit (ut certe nequaquam fallere potest) incredibile, religiosissime Pater confessor, quantum tibi debeat, perpetuoque debitura sit, universa Christiana respublica, puta cujus hortatione et auspiciis perfectum sit ut amplissimus ecclesiasticæ disciplinæ thesaurus, jam quadringentis amplius annis additus ac sepultus, nunc demum in tempore quam maxime necessario, omnibus utendus, fruendus, proponatur. Nemo sane sive præcedentium, sive sequentium scriptorum, sive Græcorum, sive nostrorum, aut fusius, aut concinnius, aut melius pertractavit hanc eruditionis pontificiæ portionem, quam hodie Decretorum vulgo appellitant, quam fecerit Ivo noster, dum vixit, Ecclesiæ Carnotensis in Gallia antistes, cujus huc pertinentes lucubrationes, hactenus magno Ecclesiæ malo ignoratas, hodie primi, quod felix faustumque sit, divulgamus. Plures, scio, in hac studiorum palæstra decertarunt; at qui gloriæ palmam meruerint, de nostris loquor, citra omnem controversiam, et sunt, et creduntur hi quatuor, Isidorus Hispalensis, Burchardus (qui Italis et Gallis non recte est Brocardus) Wormatiensis, Ivo Carnotensis, et Gratianus, quorum tres priores a civitatibus quibus præerant episcopi, cognomina sortiti sunt; at extremus caret cognomine.

Isidorus autem epistolas canonicas Romanorum pontificum, conciliorumque acta et canones, initio ab Apostolorum constitutionibus facto, Latinorum omnium primus, consarcinavit, et veluti in unum corpus universum jus pontificium compegit, nullum in texendo, digerendoque ordinem secutus quam temporum, rerumque gestarum, ut ipse de se locupletissimus est testis, quanquam interdum veluti sui oblitus, non tam ad diem et consulem quam ad regiones et loca in quibus Patres coiissent, instar Appiani Alexandrini Rerum Romanarum scriptoris, operis in progressu respexerit. Hunc igitur Historiam juris pontificii conscripsisse merito quispiam dixerit, quam etiam ad sua usque tempora nempe ad Honorium papam ejus nominis primum perduxit, ut potuerit ad sextam synodum œcumenicam, quæ adversus Monothelitas habita est Constantinopoli, in Trullo palatio Cæsaris, spiritum ducere; et proinde liquet eum hinc, licet laboris ac diligentiæ aliquam laudem tulerit, nullam tamen ingenii eruditionisve habere posse, quanquam alioqui fuerit sæculi sui longe doctissimus, cui rei ejus varia opuscula argumento esse debent. Annis inde ferme quadringentis Burchardus Wormatiensis præsul, Othonis tertii ac Henrici secundi Bavari imperatorum temporibus hanc ὕλην et molem canonum Isidori, sub idoneos locos sedesque proprias singulas materias convehens, ascriptis etiam orthodoxorum Patrum, veluti Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregoriique Romani sententiis, in venustiorem et œconomicam formam jus omne pontificium composuit. Cui hoc nomine parem procul dubio gratiam refert catholica Ecclesia, atque Justiniano Augusto Romana respublica. Equidem ut hic jus omne Quiritum, primum in libros, deinde in titulos et tandem in capita digessit, ita et ille universi juris pontificii quo utimur artem, Justinianæam methodum quam proxime imitatus, duodecim libris, tomisve elegantissime exaravit. Dixi duodecim, nam quod exstat opusculum hujus nomine, nihil est quam auctoris quem præfert epitome, quæ quanquam numero libellorum superet archetypum, sui tamen amplitudine ac mole vix sextam illius portionem attingit. Quapropter idem Burchardo quod et Ivoni usu venit, siquidem utriusque compendia pro primis scriptoribus passim habentur et frequentantur, quippe Burchardus ipse nullius typographi litterarum formis subactus est, quem etiam propediem edere decrevimus, modo præsentis in Ivone Carnotensi castigando laboris aliqua, penes hujus scientiæ cultores fuerit gratia reposita, ne quod desit spartæ quam nactus sum forte ornamentum.

Hic igitur primus totum jus pontificium in artem redegit, cui argumentum et materiam commentandi, Isidori credo promptuaria suppeditaverant; ordinem vero tradendi sive œconomiam, eorum quæ apud Isidorum rudia, indigesta, ac confusa jacebant, ipse de suo contulit, et adjecit, quippe qui omnia certis classibus ac locis distinxerit ac separaverit. Quod quidem perfecit tam feliciter ut non existimem quemquam cooriturum fuisse, qui idem argumentum retexeret, nisi hæreses postmodum enatæ aliquam accessionem operis fieri postulassent, quam etiam solam causam fuisse arbitror, quæ Ivonem nostrum ad novam Canonum rapsodiam incitarit. Siquidem medio tempore cum Berengarius Ecclesiarum omnium pacem, novis quibusdam et peregrinis opinionum commentis turbasset, accidit ut decretorum Burchardi opus, mancum ac mutilum videretur, quoad priscorum catholicorum scriptorum testimonia, novatorum paradoxis opposita, commodis locis insererentur. Neque (ut ingenue fatear) video quid post Burchardum Ivo pontificiæ scientiæ præstiterit præterea; cæteroqui enim omnia (si hanc dogmatum appendicem exceperis) totidem verbis, ne ordine quidem tradendi admodum diverso, penes Burchardum reperias. Nam quæ penultimo libro, qui de laicorum causis sive negotiis, ad Ecclesiam tamen pertinentibus inscribitur, multa

Introdusă în format electronic de Google

sane affert Ivo e jure Romano testimonia, idque ex omnibus omnino totius Juris civilis libris, tam ex Pandectis quam Codice, tam ex Institutionibus, quam Novellis Justiniani principis constitutionibus, (quorum in Burchardo nulla memoria exstat) vel ob id ab eo omnia omissa sunt, quod parum ad præsens institutum pertinere (uti vere non pertinent) judicaret, vel quod tunc major esset usus legum Caroli Magni, quam Romanorum vel quod non modo vis et auctoritas, verum etiam libri omnes juris Romani, in Occidente, id temporis, intercidissent, utique hujus juris Burchardus ne meminit quidem, nisi quod semel iterumve Codicis Theodosiani testimonium protulerit. Cui conjecturæ accedit et hoc, quod Lotharius II Cæsar, quem ferunt leges ac instituta Romanorum prope ab inferis excivisse, fuerit aliquot sæculis Burchardo posterior. Causa igitur locupletioris canonum compilationis, ut vocant, quam Ivo Carnotensis beato Bernardo σύγχρονος, ante annos amplius quadringentos, dum conjurationis Berengaricæ reliquias persequeretur, emisit, hæc fuit, quam attigimus; nimirum ut hæreticorum novæ nebulæ per Ecclesiæ solem discussæ procul facesserent, unde accidit ut in hanc quam nunc cernere est vastitatem, decretorum arx tandem surrexerit. Vincit enim libri magnitudine omnes aliorum rapsodias, et centones, non Burchardi tantum, verum etiam Gratiani, et si qui sunt præterea decretorum concinnatores alii; quod ex pura puta, nudaque omnium inspectione, detractis glossematum exuviis perspici poterit liquidissime. Quod vero ad methodum pertinet, eadem plane hic est quæ in Burchardo, quo ne prolixior quidem copiosiorque sit futurus, modo dogmatum corollarium ademeris.

Cæterum cum librorum prolixitate ac magnitudine, non omnes perinde (ut fit) afficerentur, non defuit qui in arctiorem formulam protinus universum auctorem contraheret, quo compendiolo cum studiosi plurimum uterentur, facile accidit, ut Ivonis labores in oblivionem venerint, et tantum non interciderint, adeo ut in hanc horam omnibus creditum sit, exiguum illum libellum, qui titulo Pannormiæ Ivonis, incerto auctore (nisi quod quidam Hugonem Catalanum fuisse suspicantur) passim circumfertur, esse ipsum autographum; quod hactenus omnes latuit, et etiamnum lateret, nisi tu, reverende Pater Confessor, id e tenebris in lucem, omnium mortalium primus, vindicasses. Porro quod hujus auctoris vita ac memoria omnium opinione brevior fuerit, etiam ut omnis alia deesset probatio, fidei faciendæ vel id sufficerit, quod Gratianus annis circiter quinquaginta insecutus, qui extremam huic canonicæ scientiæ manum admovit, Ivonis Decretorum synopsin (ut nec Burchardi) nunquam viderit; quanquam utriusque compendiis adjutum fuisse, nemo possit ire inficias. Equidem si de sacris fontibus ipsis canonum, primisve rivis eorum, et minime de compendiariorum fæce hausisset, hic non hospes, at contubernalis meus Gratianus profecto purius meraciusque bibissemus omnes, aut si omnino aditus patebat ad Burchardi Ivonisve limpidissimos canonum fluvios, mirum quod hujusmodi potus avidos ac sitibundos, eo non perduxerit, unde etiam ipse biberet longe purius et suavius. Plane id credibile nequaquam est Gratianum eo vecordiæ unquam processisse ut existimarit suorum centonum et farragivum aliquod operæ pretium futurum, quoad alterutrius horum Burchardi, inquam, aut Ivonis volumina superessent. Etsi altera præterea Gratiano exceptio competit, quæ omni criminatione eum facile liberaverit. Illi enim simplicissimam eamque optimam discendi docendique juris pontificii viam ac rationem callentes, sub convenientes singula titulos sedesque, comportarant: nihil de suo narrationi interjiciendo, nihil item altercationibus indulgendo. At mox recentiore academia (disputatrice, illa nimirum) instaurata, pulchrum sibi Gratianus duxit, si eam in canonum sacrosanctas possessiones inferret primus, ac proinde videmus non hoc ei studio fuisse in tractatione, ut methodum aliquam sectaretur, sive ut artem quempiam juris pontificii daret, (qui fuerat priorum tractatorum omnium unicus scopus) quin totus in eo versatur ut constitutionum ecclesiasticarum diversitatem, ac antinomiam (quam potest commodissime) componat ac conciliet. Itaque non tam selectorem sive compilatorem, (ut aiunt) canonum, ubique agit, quam disceptatorem et cognitorem, seu judicem, utique sine exemplo etiam id, quod vetustioribus religio erat, canonum texturam, propriis sententiis interjectis abrumpere. Quo ad extremum pertinet, quod nec aliud nec amplius primæva Gratianici Codicis inscriptio pollicetur, quæ est: *Canonum dissidentium concordia.* Tunc enim dialecticæ argutiæ et captiunculæ omne doctrinarum genus invaserant, cœperuntque omnes artes liberaliores esse digladiatoriæ, cum majoribus methodo, facilitate, ac simplicitate tradendi, nihil fuisset antiquius.

Quamobrem qui in Gratiani volumine methodum (sine qua διδακτικός esse nemo potest) vestigant, videntur mihi non absimiles iis qui delphini in silvis, aut in fluctibus apri venationem instituunt aut, ut propius eloquar quod sentio, qui ea quærunt quæ nusquam sunt; quod manifestissimum sit Gratianum nullam artis rationem observasse, ut subinde me non potuerit non pigere præceptoris, quanquam non omnino pessimi, tamen confusi valde, impediti et inconditi, omnique tractandi docendique dexteritate et Venere, ut sic dicam, carentis. Quemadmodum satis demirari nequeo quo fato, judiciorumve perversitate acciderit ut, hoc uno in scholis retento, alii omnes ita exsulent ut ne privatim quidem legantur, cum tamen certo certius sit rerum docendarum rationem et viam (quam methodum vocant, ut taceam reliqua omnia, in his duobus (Burchardo, inquam, et Ivone) quam Gratiano melius constare. Nihilominus si qui erunt qui ita Gratiani lectioni

Introdusă în format electronic de Google

insueverint, ut alium magistrum admittere recusent, uti non desunt fortasse, qui glandes non reliquerint etiam repertis frugibus) ne cum hisce quidem quidquam contendendum duximus, dum agnoscant maximum, quod ipsorum præceptori hinc accessurum est, beneficium ac commodum; quod infinita sint apud eum vitia ac menda, ne quid lacunas dicam, falsasque auctorum inscriptiones, quæ aliunde restitui ac suppleri nequeunt. Quid aliis acciderit nescio, quid mihi, paucis referam. Cum primum huic disciplinæ operam darem, nec alium præceptorem quam communem omnium Gratianum haberem, tantum inveni ubique sentium ac tenebrarum ut omnino diffiderem me aliquando ad optatam studiorum metam tali duce pertingere posse, nec destiti de harum rerum cognitione adipiscenda desperare, quoad huic σκιττιῶ ἡμῶνι Delii natatores, quos superius commemoravi, et in iis imprimis Ivo noster, accessissent. Quin etiam ausim affirmare, inter omnes eos qui in Gratianum exstant commentarios, nullum esse qui plus illi lucis ac fidei conferre possit, quam hæ Ivonis decretorum Pandectæ. Tam igitur abest quod Gratianum, qui unius totius juris pontificii, alteram prope paginam conficit, aut gymnasiis aut bibliothecis exigi velimus, ut instauratores verius, per hanc Ivonis Carnotensis editionem, dici mereamur, ut nullo pacto opera nostra in reprehensionem venire possit, ne apud illos quidem, qui in unius Gratiani magistri verba jurarunt. Verum enimvero uti compertum habeo huic pontificiæ professioni, nostro hoc munere nullum edi potuisse majus aut præstantius, nullum item exulceratæ Ecclesiæ utilius, nullum denique his extremis miserrimisque temporibus salutarius, morbi gravitate faciente ut omnes hujus medicinæ egeamus, ita ut gratum jucundumque plerisque futurum sit, vehementer ambigo. Nam uti procul dubio τὰ δογματικά, cujusmodi hic sunt sane quam multa, veluti de eucharistia, baptismo, pœnitentia, purgatorio, jejuniis, missa, Romanæ sedis primatu, etc., hæreticis nostræ tempestatis, qui hisce omnibus obsistunt, non probabuntur, ita magnopere vereor ut in hac morum non minore licentia, quam corruptione, τὰ ἠθικά, nostris hominibus, catholicis, inquam, nihilominus displiceant. Neque enim video nosve a pristina virtute, quod dispudeat, an illi a fide longius recesserint et degenerarint, adeo ut ne vestigium quidem vetustatis alicubi appareat. De fide utrumque acerrima contentio est, sed operibus nuda et vacua, metuo, quam beatus Jacobus mortuam non inelegantter, quod sit ad salutem sola inutilis, appellavit (*Jac.* II, 20), adeo ut subinde mecum cogitem, simile omnino inter Christianos certamen exarsisse nunc quale olim Trojanis ac Græcis, de Patroclo, sed mortuo, nimirum de ejus cadavere digladiantibus, Homerus affinxerat. Cæterum nemo hic a me exspectet ut quidquid ubique peccatur, sive intus sive foris, percenseam, sive ut cujusquam opprobria vitiaque, instar diri Chami, eliminem.

Unum interim reticere nequaquam possum, unde, veluti e fonte, quidquid est malorum, putatur scaturire, quanquam id notius omnibus sit quam ut quisquam dissimulare possit. Inter religionis præsides episcopos, quotusquisque ac præsertim per Galliam ac Germaniam, vicinas nobis provincias, quotusquisque, obsecro, unquam vel portiunculam aliquam officii attigit sui? ecquis altaria unxit, ecclesias dedicavit, virgines sacravit, pœnitentibus illustratisve manum imposuit? ecquis unquam parœciam visit ac lustravit suam? denique quis unquam suggestum ad populum clerumque verba divina facturus, conscendit? Annon omnia quanquam sui natura fere hujusmodi sint ut mandari nequeant, novo inauditoque more, ac citra ullum majorum exemplum, in aliorum fere humeros rejiciunt? quorum usus adeo vetustus non est, ut hujusmodi τοποτηρήται, in toto jure pontificio vix dum nomen invenerint. Si enim episcopos, coepiscoposve, vocare tentaveris, illico in canonem Nicænum impinges, qui non patitur eidem civitati plures præfici antistites. Sin chorepiscopos malis, nihilo poteris rectius, quod manifestissimum sit horum olim fuisse multo arctiorem quam sit hodie istorum propontificum potestatem. Et tamen hos ipsos chorepiscopos ἀπὸ τῆς χωρᾶς, quasi vicanos villanosve episcopos dictos, Damasus papa sustulit, ne pontifices, otio ac quieti dediti, aliquam quamvis non omnem muneris sui partem in has veluti vicarias operas averterent, quos etiam infami fœdaque similitudine, meretricibus quæ enixæ partus alendos alio amandare consueverunt, exæquavit. « Sic et isti (inquit) infantes suos, id est populos sibi commissos aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est ut pro suo libitu sæcularibus curis inhient, et quod unicuique visum fuerit liberius agant. » Et subdit idem continuo. « Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses et schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, et reliqua mala proveniunt. » Ubi beatissimus idemque doctissimus papa Damasus, apertissime ostendit hæreses, schismata, cleri, populique; corruptionem, denique totius Ecclesiæ desolationem ac deformationem, nec non universam quæ nos circumstat, malorum Iliadem, non alias quam ex antistitum socordia, negligentia ac supina ignavia, veluti ex equo quodam Trojano prosilire. Sed ad rem; ne chorepiscopi igitur quidem nomen, his vicariis episcoporum accommodari poterit, quod chorepiscopis fas non fuerit sacerdotes, diaconos, virginesve consecrare; qui etiam aras non erigebant, ecclesias non dedicabant, chrisma non conficiebant, nec eo baptizatorum frontes ab episcopo forte confecto signabant: denique nullum fere pontificium munus exercebant cum tamen titulares seu utopienses nostri, procurent omnia. Vulgus Latinorum suffragatores seu suffraganeos appellitat, sed ineptius quam ut confutationem mereatur; quod intelligentes fortasse Galli alia voce conficta, crediderunt rectius porta-

Introdusă în format electronic de Google

tivos, et per ludibrium omisso R. nonnunquam potativos episcopos posse nuncupari, quod cum sint ἀπόλιδες, tabulas pontificias, quas solas habent, quocunque commeant, sine incommodo secum gestent et circumferant, (ni fallor) quod nomen etsi verius possit his episcoporum vicariis attribui quam suffraganeorum, tamen apparet magis jocosum esse quam serium. Mihi sane placet ut ἀκώνυμοι maneant qui sunt ἀνόμιμοι; quibusque salvis, si Damaso papæ creditur, Ecclesia satis salva esse non poterit. Atque utinam nulla gravior in episcoporum plerosque accusatio competat, quam hæc sit quam nunc incessimus inertiæ ac ignaviæ, quanquam hæc sit longe gravissima, utcunque consuetudine longa effectum sit ut vitii gravitas minus fortasse sentiatur! Petrus apostolorum coryphæus apud Clementem scite Ecclesiam navi comparavit, cujus magister sit episcopus; nautæ, clerici; vectores, populus : Deus bone, quomodo poterit hæc navis naufragium vitare, et non in scopulos, vadaque impingere, iis in puppi sedentibus, clavumque tenentibus, quibus ne in sentina debuit esse locus? Imo, quod deterius est, qui ne conscendunt quidem navim unquam? profecto perquam ridiculum est, ut aliquando portum inveniat sperare, nisi aut alii gubernacula susceperint, aut qui præficiuntur naucleri, alium prorsus animum curamque induerint. Neque tamen communis est adversus omnes hujus ordinis viros hæc quærimonia. Siquidem uti imprimis ad eos qui vere ἐπισκοποῦντες, id est *inspectores* et *superintendentes* sunt, non pertinet, ita ne eos quidem contingit qui operam navant aut pontifici maximo, aut reipublicæ, aut quibus aliqua alia justa vocationis excusatio competit : quin tantum eos petere intelligitor, qui otii sui ac temporis nullam necessariam, imo ne honestam quidem rationem probare possint : et vix aliud sunt, si dicere fas est, ne quid gravius, quam ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, quales si nulli reperiuntur, placet ut temere accusantium querentiumve pœnas subeam. Jam vero nemo mihi dixerit id facile emendatum iri, cum nihil prohibeat eos ecclesiis regendis admoveri, quorum eruditio ac virtus ante perspecta probataque sit. Est quidem id omnibus vehementer exoptandum, at quantopere sperandum sit, alii viderint. Illud unum scio difficilius id esse quam multorum ferat opinio. Vetus est sane quod Romanis Cannæ, id Annibali Capua. Unde intelligitur summos viros magis fatigari ac frangi rebus prosperis quam adversis. Fingamus igitur jam episcopum candidatum ad unguem factum, sit honestis, piis sanctisque moribus, sit insigni rerum divinarum humanarumque præditus eruditione, sit matura ætate, sit civibus aliisque omnibus reipublicæ ordinibus comprimis gratus et acceptus, sit denique omnibus numeris absolutus, et ad Paulinam ideam plane fabrefactus (cujusmodi in hac bonorum virorum orbitate, morumque dissolutione aut nulli sunt, aut si qui sint, vix perquiruntur); is igitur ubi jam omnia in sua voluntate, ne dicam libidine, posita esse perspexerit, ubi nemini unquam rationem quid- A quid gesserit, vel non gesserit, reddendam esse scierit, ubi denique solum se ἀνεύθυνον ἐξουσίαν, eamque perpetuam, consecutum esse animadverterit, qui poterit, quæso, in hac humanæ naturæ fragilitate, in tanta vitæ voluptatumque omnium licentia et impunitate, assentatorum ad hæc grege perpetuo stipatus, qui poterit, inquam, non insolescere, moderationisque prioris non protinus oblivisci? Hæc sane aliaque complura sunt quæ de Ecclesia formanda nos sperare nequaquam sinunt, quin magis ruinam et exitium impendere (utinam sim falsus vates!) portendunt. Quæ omnia quisquis per synodum œcumenicam, cujus ipsius necdum satis certa signa sunt, curata ac emendata iri confidit, præterquam quod misere fallitur, etiam antiquitatis ecclesiasticæ ignorationem turpissime meo (quidem judicio) prodit. Non quin synodus habenda non sit, quam consultissimum erat nascenti morbo, priusquam tam altas radices ageret, ac tam longe lateque diffunderetur opponere; sed quod sperandum non sit ut factionum principes, eorumque sequaces aliquando eo unde deflexerunt, revertantur : quin magis metuendum ne plures in dies a nobis deficiant, et adversariorum castris sese jungant, nisi alia fuerit episcoporum cura, alia mens, alius animus. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, et totius familiæ domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite, ut inquit eleganter Leo Magnus. Nam quales principes civitatum sunt, tales consequens est et reliquos esse cives; quemadmodum e diverso nihil potest esse verius vetere Hebræorum verbo כפתן כעם, id est, « qualis populus talis et sacerdos. » Quapropter imprimis necessarium est ad Ecclesiam (quæ nunquam adeo afflicta corruptaque heu exstitit!) sarciendam restituendamque, diligentissimum omnino delectum, in iis qui Dominicis castris præficiendi sunt, haberi. Nemo, juxta sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, ad hoc honorum ecclesiasticorum fastigium idoneus censeatur, nisi cujus ætas omnis a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrerit, ut unicuique testimonium anteacta vita præbeat, neve possit de ejus integritate ac fide a quoquam dubitari, quippe qui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci præmium quodammodo debeatur. Nam, ut elegantissime ratiocinatur idem Leo primus : « Si ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum et cœlestium dignitatum, ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur, et his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescii, et totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt habere principium? cum valde iniquum sit et absurdum, ut imperiti magistris, novi

Introdusă în format electronic de Google

antiquis et rudes præferantur emeritis? Quapropter cum plurimum referat quales constituantur Ecclesiarum antistites, nemo non videt nunquam nimis exactam in his legendis cautionem esse posse. Cui proximum est ut synodorum provincialium jam dudum oblitteratus mos, iterum in usum revocetur, alioqui enim (ut reliquas Ecclesiæ necessitates quæ quotidie emergunt taceam) officium facturi non sunt episcopi, minus sane cogentur in ordinem, quotquot illud aliqua ex parte forte deseruerint. Quibus addam et tertium, nimirum ut ordo hierarchicus pristinæ suæ integritati aliquando restituatur. Sic enim et confusio ubique cessabit, et inter Ecclesias earumque præsides summa futura est pax atque tranquillitas. Qua in re optarim pontificem maximum perpetuo cogitare se hujus ordinis defensorem ac tutorem esse constitutum, et ad ipsius religionem pertinere ne a quoquam termini et cancelli Patrum perturbentur: quemadmodum certissimum est ad ejusdem tendere reatum, si a quoquam paternarum regulas sanctionum violari contingat; alioqui enim Ecclesia Dei Penelopeæ telæ non erit absimilis, siquidem quidquid alii omnes ædificaverint, fas sit uni diruere et evertere, quod est vehementer (ni fallor) ridiculum, nec minus absurdum. Non sum nescius infinita esse alia in hac morum corruptela ac abusuum fecunditate, et paternarum constitutionum sopore, emendationis reformationisve indiga, sed quæ provisis prioribus, non invita omnia sequentur, quæ quidem hic vel ideo repetenda non sunt, quod in his Decretorum libris, cuilibet in medio futura sint. Accipe igitur tandem Ivonem tuum, quem non sine fenore remittimus, habiturus es enim nitidiorem habitioremque multo, reverende Pater confessor, quam dum a barbaris (scis quos velim) primum redimeres. Quidquid sane operæ in castigando corrigendoque impensum est, id omne tuæ reverendæ paternitati, cui jam dudum sum devotus, lubens consecro. Quin si aliquid aliud a me voles, tuum erit explorare quid optes, meum perpetuo jussa capescere. Valere te opto diu in Christo Jesu Domino nostro beatum et incolumem, cujus dilectioni me totum dedo dedicoque.

Datum Lovanio, Kalendis Augusti, anno 1561.

DE IVONIS DUPLICI COLLECTIONE

(Excerptum ex Ballerinorum *Disquisitionibus de antiquis collectionibus et collectoribus canonum*, parte IV, cap. 16, Patrol. t. LVI.

1. Ivo in agro Bellovacensi natus sub medium sæculum XI, et anno 1078 constitutus abbas monasterii Bellovacensis S. Quintini ordinis Canonicorum Regularium, tandem episcopus Carnotensis electus an. 1092 et consecratus ab Urbano II, mortem oppetiit anno 1115 vel, ut alii malunt, 1117. Vir fuit non solum doctrina egregius, sed etiam zelo, prudenti constantia, fide, et sanctitate conspicuus; ac propterea Pius V constitutione data anno 1570 canonicis congregationis Lateranensis concessit ut die 20 Maii Ivonis memoriam celebrarent. Duæ canonum collectiones Ivonis nomine inscriptæ prodierunt: una in octo partes distincta, *Pannormia Ivonis* appellatur; altera *Decretum Ivonis*, quod in septem et decem partes distribuitur. *Pannormia* typis impressa fuit Basileæ anno 1499, curante Sebastiano Brandt, eamque iterum Lovanii anno 1557 a mendis correctam Melchior a Vosmediano recudendam curavit. *Decretum* vero primum prodiit Lovanii anno 1561 opera et studio Joannis Molinæi Gaudensis, et postea cum aliis Ivonis operibus ad fidem antiquissimi codicis Victorini iterum impressum Parisiis anno 1647. Utrique operi in vulgatis præfixa est eadem omnino præfatio, quam Ivonis esse stylus aliis ejus epistolis æqualis omnino demonstrat.

2. Utriusque operis titulos imprimis referamus. Parte prima fusioris operis, quod *Decretum Ivonis* vocari solet, agitur de baptismo et confirmatione. Secunda de sacramento corporis Christi, sacrificio missæ, et reliquis sacramentis, ac simonia. Tertia de Ecclesia et rebus ecclesiasticis, et earumdem reverentia et observatione. Quarta de festis, jejuniis, Scripturis canonicis, consuetudinibus, et conciliis. Quinta de primatu Ecclesiæ Romanæ, et de primatum, metropolitanorum et episcoporum ordine ac juribus. Sexta de vita, ordine, et censura clericorum. Septima de monachis. Octava de conjugio, et virginitate, de raptu, concubinatu et adulterio. Nona de incestu et gradibus prohibitis. Decima de homicidiis voluntariis et involuntariis. Undecima de magis, sagis, histrionibus. Duodecima de mendacio, perjurio, etc. Decima tertia de furto, usuris, venatoribus, ebriosis, furiosis, et Judæis. Decima quinta de pœnitentia. Decima sexta de officio et judiciis laicorum. Decima septima pars sanctorum Patrum 9 ac præsertim Gregorii Magni sententias continet de fide, spe et charitate.

3. En porro titulos alterius collectionis, quæ *Pannormia Ivonis* inscribitur, quales ipse auctor exposuit.

« Prima pars hujus libri continet de fide, et de diversis hæresibus, de sacramento, id est baptismate, et ministerio baptizandorum, et consecrandorum, et consignandorum, et consignatorum, et de observatione singulorum; et quid conferat baptismus, quid confirmatio. De sacramento

Introdusă în format electronic de Google

corporis et sanguinis Christi; de missa et sanctitate aliorum sacramentorum.

« Secunda pars continet de constitutione Ecclesiæ, et oblationibus fidelium. De dedicatione et consecratione ecclesiarum et altarium. De sepultura, et presbyteris, et de corum ecclesiis. De decimis et legitima possessione, et de confugientibus ad ecclesiam. De sacrilegio. De liberorum tutela. De alienatione, et commutatione rerum ecclesiasticarum. De Scripturis et authenticis conciliis.

« Tertia pars continet de electione et consecratione papæ, archiepiscoporum. De ordinibus, de clericis, et de laicis ordinandis et non ordinandis. De mutatione episcoporum. De ordinatis non reordinandis. De continentia ordinatorum. De simoniace ordinatis et ordinatoribus, quod omnino sint deponendi, et quod misericorditer reconciliandi. De professione hæreticorum. De lapsis in sacris ordinibus, quod non debeant ministrare, et quod misericorditer, ad ministrandum possint accedere. De clericis homicidis, quod non debeant ministrare. De usurariis. De servis per ignorantiam ordinatis, qui debeant manere in ordinatione, qui non. De clericis ebriosis, scurrilatoribus. De monachis. De ætate qua possint parentes contradicere religioni filiorum, et qua non possint. De viduis, et virginibus velatis. De abbatissis.

« Quarta pars continet de primatu et dignitate Romanæ Ecclesiæ. De conciliis convocandis. De provincia quomodo sit constituenda. De potestate primatum et metropolitanorum episcoporum. De negotiis et causis clericorum, ubi debeant tractari. De spoliatis revestiendis. De accusatione, et quo ordine, et a quibus personis, et adversus quas personas debeat, vel non debeat fieri. De testibus, qui, et quomodo, et quot, et in quo negotio testificari debeant. De judicibus, quales debeant esse, et quando sententiam judicii debeant proferre. De appellatione, quo tempore, et qua ratione debeat fieri, et de pœna male appellantium.

« Quinta pars continet de clericis sola infamia sine testibus accusatis, quota manu se debeant purgare. De causis et negotiis laicorum. De vocatione excommunicandorum. De licita et illicita excommunicatione. De absolutione. De illis qui excommunicatis in fidelitate aut sacramento astricti sunt, possunt sine perjurio absolvi ab illo sacramento. De hæreticis post mortem excommunicandis. Quod sit communicandum non ex nomine excommunicatis.

« Sexta pars continet de nuptiis, quo scilicet tempore, et inter quas personas, et qua de causa debeant fieri. De tribus quæ perfectum reddunt conjugium. De perfecto et imperfecto conjugio. De concubinis. De conjugibus quorum alter sine altero continentiam vovit, vel religionis habitum sumpsit. De uxoribus quæ viris in captivitatem ductis, aliis nupsere. Quod sit conjugium inter personas ejusdem religionis vel fidei; non potest et inter Judæos; inter personas vero quæ non sunt ejusdem religionis vel fidei, non potest fieri conjugium. Quibus de causis non debeat solvi conjugium. Cujusmodi conjunctio non facit conjugium. De separatione conjugii non ob causam fornicationis.

« Septima pars continet de separatione conjugii ob causam fornicationis carnalis. De viro qui cum alterius uxore fornicatur, quod post mortem mariti non potest eam habere uxorem. De interfectoribus conjugum suarum. De fornicatione spirituali, quod propter eam licite dimittatur uxor. De reconciliatione conjugum. De sacramentis quod debent viri facere mulieribus, et mulieres viris suis, quando reconciliantur. De subjectione qua debent uxores subjici viris suis. Qua ratione non debet fieri conjugium inter parentes. De eo quod unus vir non potest duas commatres ducere unam post aliam. De eo qui cum filiola sua, aut cum commatre sua, aut qui filium suum baptizavit, aut ejus uxor filium suum, aut privignum suum de sacro fonte levavit, aut ad confirmationem tenuit, et ideo voluit separari. In quo ramusculo consanguinitatis possunt conjugia fieri. De accusatione consanguinitatis, et a quibus personis debet fieri. De inquirenda parentela, et de incestuoso conjugio. Discidia de gradibus consanguinitatis recto et transverso ordine dispositis.

« Octava pars continet de homicidio spontaneo et non spontaneo, et quod potest fieri sine peccato. De eo qui quemlibet clericum occiderit, quid debeat emendare. De eo qui percusserit mulierem in utero habentem, et abortierit, utrum homicidium fecerit, necne. De incantationibus, et divinationibus, et diverso genere magicæ artis. De natura dæmonum. De sortibus. De observatione dierum et mensium. De juramento, quod debeat teneri, necne, et quos habeat comites. De omni genere mendacii. »

4. Priorem collectionem, quæ *Decretum* dicitur, Ivonem habere auctorem nemo dubitat. De *Pannormia* vero magna inter criticos vertitur quæstio. Vincentius Bellovacensis lib. XXV Specul. Histor. c. 84, post notitiam *Decreti Ivonis*, quod volumen *non parvæ quantitatis, nec facile portatile* affirmat, hæc addit : *Hugo Catalaunensis ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem legitur composuisse, qui et ipse apud me est, et* Summa Decretorum Ivonis *appellatur*. Hinc Sebastianus Brandt, qui Pannormiam edidit, primus omnium suspicatus est hanc esse potius *Summam decretorum Ivonis* ab Hugone Catalaunensi ex Decreto Ivonis excerptam, quam ipsius Ivonis opus. Joannes Molinæus in editione Decreti eamdem sententiam arripuit ac propugnavit; ac subinde hos secuti sunt correctores Romani, et P. Antonius Pagius. Alii vero cum Sthephano Baluzio in præfatione ad dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani non minus Pannormiam quam Decretum Ivoni adjudicarunt; censentque eum prius lucubrasse Pannormiam, deinde vero cum eam legentibus probari vidisset, ad auctiorem collectionem

Introdusă în format electronic de Google

concinnandam animum appulisse, et utrique operi eumdem prologum aptasse.

5. Quid nobis inter has sententias propabilius videatur, paucis explicabimus. Certum est primo collectionem aliquam canonum Ivoni ascribi oportere. Non solum enim id affirmat Sigebertus, qui Ivoni coævus fuit, scribens in libro de Script. Eccles. c. 168 : *Ivo Carnotensis episcopus composuit insigne volumen canonum;* et similiter Anonymus Melicensis, qui paulo post Ivonem vixit, de Script. Eccl. c. 95 : *Ivo Carnotensis episcopus scribit inter alia nonnulla, Excerpta de Canonibus;* verum etiam ipse Ivo in epist. 262 ad Pontium abbatem monasterii Cluniacensis testatur, *Collectiones canonum*, inquiens, *quas a me postulastis, et opuscula mea, quæ his addi voluistis, transmisi vobis :* quibus verbis collectionem a se digestam significare videtur. Erunt fortassis qui ex hoc testimonio colligant utramque collectionem, nempe tum Pannormiam, tum Decretum Ivoni adjudicari, quippe qui *collectiones* plurali numero scripsit, non *collectionem*. At idem Ivo in epist. 80 plurali item numero ait : *In collectionibus Burchardi Wormatiensis episcopi*, cum tamen unica sit Burchardi collectio. Neque vero pro excludendis duabus Ivonis collectionibus satis efficaces sunt Sigeberti, Roberti de Monte et aliorum Scriptorum textus, qui unius voluminis meminerunt. Unam enim collectionem *Pannormia* inscriptam, cujus frequentiora sunt exemplaria, fortassis viderunt, non vero alteram, seu *Decretum*, cujus quidem rariores codices inveniuntur.

6. Secundo certum est Pannormiam non esse illam *Summam decretorum Ivonis* quam Hugo Catalaunensis composuisse traditur : tum quia Pannormia ob partitionem atque distributionem a Decreto diversam, a forma compendii ejusdem Decreti abest quam longissime; tum quia continet nonnulla quæ in Decreto frustra requires; tum etiam quia nullibi in vetustis codicibus *Summa decretorum*, sed *Pannormia*, aut *Excerptiones Ivonis* inscribitur. Hinc *Summa* ab Hugone digesta, et memorata a Vincentio Bellovacensi, alia fuit, quæ injuria temporum intercidit. Ne autem Pannormia adjudicetur Ivoni, difficultatem movebunt quædam decreta in fine partis ultimæ descripta ex Innocentio II, qui post Ivonem pontifex fuit. Verum hæc difficultas ex vetustis Pannormiæ codicibus sublata est, in quibus cum ea Innocentii II decreta non legantur, eadem in aliquibus exemplaribus posteriori additamento accessisse perspiciuntur.

7. Ex codicibus autem res dijudicanda videtur. Decreti codices pauci. Tres tantum hactenus nobis innotuerunt, unus ex quo prima editio prodiit, alter Victorinus a pluribus laudatus, ad quem secunda editio Parisiensis exacta fuit; tertius Vaticanus 1357, sæculi XII, quem ipsi vidimus. Hi omnes præfationem exhibent; sed Vaticanus sine auctoris nomine hunc titulum præfert : *Incipit liber extractionum, sive excerptarum ecclesiasticarum rerum partim ex epistolis Romanorum pontificum, partim ex gestis conciliorum, catholicorum episcoporum, et regum; et continet* XVII *partes*. Victorinus autem eam præfationem non initio, sed in fine ipsius codicis manu recentiori additam repræsentat hac inscriptione : *Liber canonum suprascriptus decreta Joviniani, quem composuit Ivo quondam Carnotensis episcopus; et continet* XVII *partes principales;* ut discimus ex Balusio in præfatione ad Augustini dialogos num. 21. Plura vero sunt exemplaria Pannormiæ. Unum tantum laudatum ab Antonio Augustino cum epigraphe *Liber sacrorum canonum*, præfationem ac Ivonis nomen ignorat. Cæteri præfationem vel titulum cum Ivonis nomine præferunt. Baluzius Victorinum aptiquissimum, et tres S. Albini Andegavensis laudat. Franciscus Salmon in tractatu Gallice scripto de studio Conciliorum part. II, c. 1, pag. 269 edit. an. 1726, manuscriptum exemplar ecclesiæ Parisiensis F 4 commemorat. Nos præter unum exemplar S. Benedicti Padilironensis mutilum, tria alia cum præfatione nacti sumus, unum Basilicæ Vaticanæ 19 G, aliud Vat. 1358 cum peculiari ejusdem præfationis epigraphe *ad P. Abbatem*, nimirum, ut credimus, ad Pontium abbatem, ad quem Ivo collectionem se misisse professus est epist. 262; ac tandem codicem Patavinum monachorum S. Justinæ signatum YY. V. n. 86, in quo hic titulus legitur : *Ivonis episcopi Carnotensis Excerptiones ecclesiasticorum canonum.* Sequitur autem præfatio cum titulis octo partium in quas Pannormia dividitur. Hic autem codex controversiam de hujus operis auctore videtur dirimere. Licet enim credatur sæculi XIV, transcriptus tamen fuit ex vetustiore exemplo, quod statim post Ivonis mortem fuerat exaratum. Catalogum enim subjicit Romanorum pontificum, qui ita desinit in Gelasio II, ut annos pontificatus hujus omittat qui in præcedentibus pontificibus singillatim notantur. Id autem ex eo evenit quia ille catalogus sub eodem Gelasio scriptus fuit, cum anni pontificatus ejusdem signari non poterant. Gelasius II pontificatum inivit anno 1118, et obiit mense Januario anni 1119; Ivo autem excesserat, ut initio diximus, anno 1115 vel 1117. Illud ergo exemplum, ex quo Patavinus codex descriptus est, Ivonis ætati suppar fuit. Hoc autem tum antiquum testimonium, quo Pannormia Ivoni asseritur, nobis tanti est ut, si de alterutro opere dubitandum esset, de Decreto potius quam de Pannormia ambigendum arbitraremur.

8. Neque ideirco Decretum ab ipso abjudicandum putamus. Cum enim huic quoque operi eadem Pannormiæ præfatio in veteribus libris addatur, id ea de causa factum fuisse credimus, quia antiqui illi amanuenses hoc quoque ab Ivone lucubratum acceperant. Ivo Pannormiam primo scripsisse, et cum præfatione edidisse videtur. Hinc plura ejusdem Pannormiæ exemplaria statim conscripta et propagata. Postea vero prolixiorem collectionem digessit, sed fortassis ipse non edidit. Hinc sine proprio prologo post ejus mortem inventa, eidem in rariori-

Introdusă în format electronic de Google

bus, quæ scripta fuerunt, exemplaribus prologus ex Pannormia additus fuit, qui proinde in Victorino antiquissimo exemplo, non in fronte, sed in fine Decreti velut adititius describitur.

9. Præcipuus fons ex quo Ivo canopes derivavit, fuit collectio Isidoriana. Usus est etiam aliquando Reginonis compilatione, ex qua inter cætera, exemplaria litterarum formatarum ab eo relata lib. I, n. 437, 438 et 439, de verbo ad verbum transtulit in Decretum part. VI, c. 433, 434 et 435. Pleraque vero ex Burchardo sumpsit. Alia non pauca et ipse inseruit, uti sunt ex. gr. quæ parte secunda Decreti describuntur adversus Berengarii errores, et quæ part. XVI referuntur ex Jure Romano et ex Capitularibus regum Francorum.

DIVI IVONIS

PROLOGUS

IN DECRETUM A SE CONCINNATUM, ET PARTIBUS SEU LIBRIS SEPTEM AC DECEM DIGESTUM.

1 Excerptiones ecclesiasticarum regularum partim ex epistolis Romanorum pontificum, partim ex Gestis conciliorum catholicorum episcoporum, partim ex tractatibus orthodoxorum Patrum, partim ex institutionibus catholicorum regum, nonnullo labore in unum corpus [opus] adunare curavi : ut qui scripta illa, ex quibus ista excerpta sunt ad manum habere non poterit, hinc saltem accipiat quod ad commodum causæ suæ valere perspexerit. A fundamento itaque Christianæ religionis, id est fide inchoantes, sic ea quæ ad sacramenta ecclesiastica, sic ea quæ ad instruendos [instituendos] vel corrigendos mores, sic ea quæ ad quæque negotia discutienda vel definienda pertinent, sub generalibus titulis distincta congessimus, ut non sit quærenti necesse totum volumen evolvere, sed tantum titulum generalem suæ quæstioni congruentem notare et ei subjecta capitula sine interpolatione transcurrere. In quo prudentem lectorem præmonere congruum duximus ut, si forte quæ legerit, non ad plenum intellexerit, vel sibi invicem adversari existimaverit, non statim reprehendat ; sed quid secundum rigorem, quid secundum moderationem, quid secundum judicium, quid secundum misericordiam dicatur, diligenter attendat : quæ inter se dissentire non sentiebat, qui dicebat : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C) ; et alibi : *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Habet enim omnis ecclesiastica disciplina principaliter hanc intentionem, vel omnem ædificationem adversus scientiam Christi se erigentem destruere : vel ædificationem Dei, fidei veritate, et morum honestate constantem construere ; vel eamdem si contaminata fuerit, pœnitentiæ remediis emundare. Hujus ædificationis magistra est charitas, quæ saluti proximorum consulens, id præcipit aliisifieri quod sibi quisque vult ab aliis impendi. Quicunque ergo ecclesiasticus doctor ecclesiasticas regulas ita interpretatur aut moderatur, ut ad regnum charitatis cuncta quæ docuerit vel exposuerit, referat, nec peccat, nec errat : cum saluti proximorum consulens, ad finem sacris institutionibus debitum pervenire intendat. Unde dicit beatus Augustinus de disciplina ecclesiastica tractans : « Habe charitatem, et fac quidquid vis. Si corripis, corripe cum charitate. Si parcis, parce cum charitate. » Sed in his adhibenda est summa diligentia, et mundandus oculus cordis, quatenus in puniendo, vel parcendo, sanandis morbis charitas sincera subveniat, et nemo ibi venalium medicorum more, quod suum est quærat et propheticam illam reprehensionem incurrat : *Mortificabant animas quæ non moriebantur, et vivificabant animas quæ non vivebant* (*Ezech.* XIII). Sicut enim ratio corporalis medicinæ vel depellere morbos, vel curare vulnera salutem servare, vel augere intendit ; nec medicus contrarius sibi videtur esse, cum pro qualitate vel quantitate ægritudinis, vel ægrotantis, nunc mordentia, nunc mollientia ægrotanti medicamina apponit ; et nunc ferro secat, cui fomento subvenire non poterat, et e converso ei nunc subvenit fomento, quem ferro secare non audebat ; ita spirituales medici, doctores videlicet sanctæ Ecclesiæ, nec a se, nec inter se dissentiunt, cum illicita prohibent, necessaria jubent, summa suadent, venialia indulgent : cum secundum duritiam cordis delinquentium pro correctione eorum, vel cautela cæterorum severas pœnitentiæ leges imponunt ; vel cum secundum devotionem dolentium et resurgere volentium, considerata fragilitate vasis quod portant indulgentiæ malagma superponunt. Nam, qui indulgent, majoribus morbis amovendis provident ; et qui illicita prohibent, a morte deterrent : qui vero necessaria jubent, salutem cupiunt conservare ; qui autem suadent, salutem student augere. Hoc attendens diligens lector intelliget unam faciem esse eloquiorum sacrorum, cum distincte considerabit, quid sit admonitio, quid sit præceptum, quid prohibitio, quid remissio ; et hæc nec se invicem impugnare, nec a seipsis distare, sed omnibus sanitatis remedium pro sua moderatione dispensare. Sed hæc singula quid ponderis habeant, quibusve conveniant, quæ sint remissibilia, quæ irremissibilia, et

Introdusă în format electronic de Google

quando, vel quibus de causis sint remittenda, paulo A latius est distinguendum.

Et prima quidem admonitio pœnam non intentat, si quis post eam non eat, sed præmium sibi acquiescentibus pollicetur. Unde Dominus dicit in 2 Evangelio : *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX). Ecce lectio ista evangelica in voluntate hominis perfectionem ponens non cogit, non minas intentat; sicut nec illa quæ spadones laudans, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, subinfert : *Qui potest capere, capiat* (*ibid.*). Attamen cum ad perfectionem voto se quis astrinxerit, vel gradum, quem nullus absque continentiæ virtute ascendere debet, ascenderit, jam sit necessarium et pœnale, si non teneatur, quod ante hanc ascensionem fuerat B voluntarium. Unde et Dominus dicit : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et retro aspiciens, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX). Poterat enim ante Ascensionem esse inferior, non tamen deterior; post Ascensionem vero inferior est, et deterior. Hæc de admonitione.

Indulgentia vero (quantum nobis videtur) quia meliora non eligit, remedium quidem habet, non præmium; sed ab hoc si quis declinaverit, meretur exitiale judicium. Verbi gratia : Scimus, sicut ab Apostolo didicimus, humano generi propter vitandam fornicationem indultum esse conjugium (*I Cor.* VII). cujus violator meretur æternum (eodem Apostolo testante) supplicium. Dicit enim : *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* XIII). Et hic gradus, C sicut de admonitione diximus, nullum cogit, nisi eum qui se ei primitus alligaverit. Voluntarius enim est, non necessarius. Alioquin transgressor esset, quicunque uxorem non duceret. Postquam vero se alligaverit, audiat Apostolum dicentem : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem* (*I Cor.* VII). Idem quoque Apostolus cum de nuptiis loqueretur, non dixit, mulier si nupserit, præmium meretur; sed tantum dixit, *non peccat, si nubat* (*ibid.*). Ita quoque si quis aliquem ad quotidiana jejunia invitet, rem quidem remuneratione dignam acquiescenti et perseveranti suadet; sed qui non acquieverit, non fit seipso melior : sed licet maneat faciente inferior, non fit tamen seipso pejor. Sed si D a voto ceciderit [exciderit], fit seipso inferior et pejor. Si vero intra metas sobrietatis et mensæ frugalis se cohibuerit, summorum præmia non assequitur; sed si ad comessationes et ebrietates prolapsus fuerit, rem reprehensione et confusione dignam fecisse perhibetur. Isti itaque duo status, unus superior, alter inferior, qui ante votum sunt voluntarii, post votum vero necessarii habent modos et institutiones suas, quæ observatæ, sicut jam dictum est, aliis remedium, aliis acquirunt præmium, non observatæ vero æternum merentur supplicium. In his itaque ante susceptionem est deliberandum, post susceptionem vero perseverandum.

His ita breviter præfatis, de præceptione et prohibitione aliqua nobis dicenda sunt. Præceptiones itaque et prohibitiones, aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Præceptiones immobiles sunt, quas lex æterna sanxit : quæ observatæ salutem conferunt; non observatæ, eamdem auferunt : Qualia sunt : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum; et honora patrem tuum et matrem tuam* (*Deut.* VI; *Levit.* XIX; *Exod.* XX); et si qua sunt his similia. Mobiles vero sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam : Quale est illud Apostoli : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita* (*Tit.* III) : non quod eorum colloquium per se saluti obesset; sed quod frequentatum ex obliquo quorumdam simplicitatem corrumpere posset. Et multa reperies in canonicis institutionibus in hunc modum. Similiter immobiles prohibitiones sunt, quæ adversus vitia loquuntur; qualia sunt : *Non occides; Non mœchaberis* (*Exod.* XX) : et cætera. Hæc sunt illa minima præcepta, de quibus Dominus dicit : *Quia qui ea solverit, et sic docuerit, in regno cœlorum minimus erit* (*Matth.* V). Qui vero observaverit, non statim regno Dei dignus erit, quia inchoantia sunt hæc, non perficientia. Sunt alia interdicta, in quibus si interdicta non fuissent, nec mors operaretur, nec salus periclitaretur. Sed ad hoc ea sanctorum Patrum auctoritas reverenda ita decrevit, ut et præsentibus non obesset, et compescendis majoribus malis vel cavendis, charitas sincera provideret : quale est illud : Clericus post actam de crimine damnali [damnabili] pœnitentiam, clericus non maneat, vel ad clericatum non accedat. Quod, ut ait beatus Augustinus (*Dist.* 50, *c. ut constituentur*), dictum est rigore disciplinæ, non desperatione indulgentiæ. Alioquin contra claves Ecclesiæ disputaretur, de quibus dictum est : *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo* (*Matth.* XVI). Sed, ne forsitan spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit ut post actam pœnitentiam nemo fiat clericus, vel maneat clericus. Quæ posteriorum non est supervacua putanda diligentia; qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inveniri medicinas multorum experimenta morborum. Tale est et illud in Evangelio : *Sit sermo vester, est, est, non, non, quod autem amplius est, a malo est* (*Matth.* VI), non jurantis, sed jurare cogentis. Non quod malum sit in contractibus humanis ex necessitate jurare; sed quod longius sit a perjurio, qui nunquam jurat, quam ille qui qualicunque occasione jurat. Nam et de Domino dicitur : *Juravit Dominus* (*Psal.* CIX). Et Apostolus dicit : *Omnis controversiæ eorum finis est juramentum* (*Hebr.* VI). Et idem Apostolus jurans ita dicit : *Est veritas Christi in me* (*I Cor.* XI). Et

Introdusă în format electronic de Google

alibi : *Quotidie morior per vestram gratiam, fratres* (*I Cor.* xv). In his igitur, in quibus observatis salus acquiritur vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio; sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his vero quæ propter rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia, si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere auctoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio. Multa enim talia in evangelica historia, in Actibus apostolorum, in Gestis conciliorum et contigisse legimus, et postmodum apostolicorum virorum auctoritate roborata cognovimus. Assumamus itaque primum exemplum de Evangelio. Dominus quippe mittens discipulos ad prædicandum, interdixit eis et peram et sacculum (*Luc.* x). Et quia vita Domini Jesu in terris disciplina est morum, instante tempore passionis suæ et peram reddit et sacculum (*Luc.* xxii): in seipso primo dans exemplum, quod in hujusmodi traditionibus necessitati temporis sit cedendum. Similiter Paulus, cum per Corinthios se transiturum promisisset in Macedoniam (*Act.* xx), et præsensisset hoc eis minime profuturum, 3 mutavit dispositionem suam, non tamen sententiam. Unde se ita excusat dicens : *Cum ergo hoc voluissem, nunquid levitate usus sum? aut quod cogito, secundum carnem cogito ut sit apud me, est, et non?* (*II Cor.* i.) Non enim sententiam suam se mutasse intelligebat, qui in veniendo ad eos, et non veniendo, salutem eorum quærebat. Unde et in sequentibus dicit : *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis ultra non veni Corinthum.* Secundum carnem quoque dispositionem suam se mutasse non putabat, quoniam qui secundum carnem cogitat, tunc non implet quod disponit, quando personis majoribus defert, aut certe lucris, aut apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc dispositum non implet, quando consultius aliquid pro salute eorum quibus prodesse vult, providet. Per apostolos etiam communi sententia Hierosolymis confirmatum est, et per Paulum et Barnabam fratribus per Asiam destinatum, ne quisquam ad fidem veniens, circumcisioni legis haberetur obnoxius (*Act.* xv). Ipse etiam Apostolus ad Galatas scribens (*Galat.* v), ita dicit : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* ii). Et idem Paulus cum Petro restitisset in faciem (*Act.* xvi), quod simulationi quorumdam Judæorum consensisset, qui circumcisionem saluti putabant esse necessariam, tamen necessitati temporis cedens, Timotheum Lystris circumcidit, ut scandalum Judæorum ibi commorantium devitaret, ostendens actu quod alibi de se testatur : *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem* (*I Cor.* ix). Quod dixisse intelligendum est, non astu mentientis, sed affectu compatientis : cuique ita cupiens subvenire, quemadmodum sibi subveniri voluisset, si ita affectus esset. Multa quoque principes Ecclesiarum pro tenore canonum districtius judicant, multa pro temporum necessitate tolerant, multa pro personarum utilitate, vel strage populorum vitanda dispensant. Multa etiam a sanctis Patribus imminuta Scripturarum testimoniis comprobantur. Sicut sanctæ Romanæ Ecclesiæ sanctus pontifex Leo neophytos ad summum sacerdotium permisit ascendere, quos Paulus publica prædicatione ab eodem officio studuit removere (*I Tim.* iii). Sicut etiam Arianos, postquam conversi fuerunt, legimus in suis officiis fuisse susceptos. Inde etiam prætaxatus papa Leo de stabilitate non mutandorum, et discretione temperandorum, ita scribit Rustico episcopo Narbonensi : « Sicut quædam sunt, quæ nulla ratione possunt convelli, ita multa sunt quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oportet temperari : illa semper consideratione servata, ut in his quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. » Unde et Augustinus in epistola ad Bonifacium : « In hujusmodi causis ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis, charitas sincera subveniat. » Idem in eadem adversus hæreticos : « Si, inquiunt, oportet, ut nos extra Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici, vel etiam episcopi, permanemus? Hoc non fieret, quoniam revera (quod fatendum est) fieri non deberet, nisi pacis ipsius compassione sanaretur. » Sed sibi hoc dicant, et multo maxime humiliter doleant, qui in tanta morte præcisionis jacent, ut isto quodam vulnere matris Catholicæ reviviscant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat. Sed cum receptus recipienti coaluerit, et vigor consequitur et fructus; si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim et tale inserendi genus, ut nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur : non tamen nullo, sed vel levissimo arboris vulnere. Ita ergo et isti cum ad radicem catholicam veniunt, nec eis quamvis post erroris sui pœnitentiam honor clericatus aut episcopatus aufertur, sit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem severitatis. Verumtamen quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiam precibus fusis, coalescente insitorum pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum. De hac eadem dispensatione corripiendorum et temperandorum dicit idem Augustinus in secundo libro contra epistolam Parmeniani, « Cum quisque fratrum et Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est. » Infra idem : « Quando cujusquam crimen notum est

Introdusă în format electronic de Google

et omnibus exsecrabilis apparet ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ.» Infra : « Neque enim potest esse salubris a multis correctio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam, multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus ut per illud signum quod Ezechieli sancto revelatur, illæsi evadere ab illorum vastatione mereantur.» Infra: «Revera cum contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est nam consilia separationis et inania sunt et perniciosa, atque sacrilega, quia et impia et superba fiunt et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos. Infra : Turba autem iniquorum, cum facultas est populorum promendi sermonem, generali objurgatione ferienda est, et maxime si occasionem atque opportunitatem præbuerit aliquod flagellum desuper Domini, quo eos appareat pro suis meritis vapulare.» Item in epistola ad Marcellinum : «Soleo audire, in potestate esse judicis mollire sententiam, et mitius vindicare, quam leges.» Inde Innocentius Rufo et Eusebio et cæteris episcopis Macedonibus: « Nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. Pervideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse; et advertite quod utique ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam Ecclesias constitutas non præsumere. Sed, ut sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire.» Idem eisdem : «Sacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Vicimus, ut opinor, ambigua.» Jam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse: ac fuisse regulas veteres, quas ab apostolis, aut ab apostolicis [viris] traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his qui eam audire consueverunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat. Quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed hoc canones apud Niceam constituti de Novatianis fieri permiserunt (*Conc. Nic. can.* 8). Prius ille canon a Patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere, vel quid vel qualiter ab eisdem sensum sit, vel præceptum. « De his, inquit, qui nominant seipsos Catharos, id est, mundos, et aliquando veniunt ad catholicam Ecclesiam, placuit sanctæ et magnæ synodo ut, accepta manus impositione, sic maneant in clero.» Simili dispensatione beatus papa Gregorius a Nestoriana hæresi revertentes in suis gradibus recipi jubet, ita scribens ad episcopos in Hibernia catholicæ Ecclesiæ : « Igitur veritatem nativitatis Christi quicunque a perverso errore Nestorii revertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur, eumdem Nestorium cum omnibus suis sequacibus ac reliquas hæreses anathematizantes. Venerandas quoque synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere et venerari promittant ; et absque ulla dubitatione sanctitas vestra eos, servatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu recipiat : ut dum et per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per scientiam veram recta quæ tenere debeant docetis et per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis.» Habemus simile quid ex epistola Cyrilli missa Maximo diacono Antiocheno : « Didici a diligendo mihi Paulo monacho, quia recusat pietas tua usque hodie communionem reverendissimi episcopi Joannis amplecti, pro eo quod quidam in Antiochena Ecclesia male adhuc cum Nestorio vel sentiant, vel jam senserint quidem, sed forsitan resipuerint. Probet igitur tua modestia utrum aliquando colligi nude ac irreverenter cum Nestorio sentiant, et invicem colloquantur, licet aliquando cauteriatam habuerint conscientiam: colligantur autem [*melius*, nunc, *quia in Græco* νῦν], nec acta pœnitentia super iis in quibus subrepti sunt, quamvis confiteri fortasse revereantur exeessum. » Infra : « Ut autem non æstimemur amare contentionem, amplectamur episcopi reverendissimi Joannis communionem, indulgentes ei, et causa dispensationis, ejus negotium non subtilius vel districtius, sive vehementius erga se recognoscentis agatur. Dispensationis enim gratia, sicut dixi, eget negotium multum.» Ejusdem ad Gennadium presbyterum et Archimandritam : « Dispensationes (1, *q.* 7, *c. Dispensationes*) rerum nonnunquam cogunt parum quid a debito quosdam foras exire, ut majus aliquid lucrifaciant. Sicut enim ii qui mare navigant tempestate urgente, navique periclitante, anxiati quædam exonerant, ut cætera salva permaneant; ita et nos cum non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur dispendia.» Et infra : «Et hoc scribo cognoscens quod pietas tua tristetur in sanctissimum et Dei cultorem fratrem et comministrum nostrum Proculum episcopum, eo quod admiserit Heliensium Eguminum, quem quidem Ecclesiæ leges Palestinæ præpositum non noverunt.» Et infra : « Igitur ne refugiat pietas tua sanctissimi et Deo amicissimi Proculi episcopi communionem. Una enim fuit cura mihi et sanctitatis ejus, et dispensationis modus nulli sapientium displicuit. » Eadem discretionis moderatione Romani pontifices, qui translationes episcoporum, quæ districte apostolicis et canonicis sanctionibus prohibitæ ante fuerant, majori Ecclesiæ utilitati consulentes fieri permiserunt. Alii etiam quosdam episcopos a prædecessoribus suis depositos, propter honestatem personarum

Introdusă în format electronic de Google

et necessitatem populorum in suis officiis reconciliaverunt : quorum nomina inferius adnotata reperientur. Quidam quoque Romani pontifices decreverunt, ne filii presbyterorum assumerentur ad presbyteratum ; non quod personarum acceptio apud Deum alicujus sit momenti, vel natura, quæ omnium par est genitrix, ab aliquo possit reprehendi ; vel filii pro iniquitate parentum condemnari, dicente Propheta : *Filius non portabit iniquitatem patris* (*Ezech.* XVIII) ; et Apostolo : *Si Deus justificat, quis est qui condemnet ?* (*Rom.* VIII.) Et beato Augustino : « Undecunque nascantur homines, si vitia parentum non sequantur, honesti et salvi erunt ; » sed ad reprimendam quorumdam presbyterorum incontinentiam, vel tutius muniendam aliorum continentiam. Sed quia ex iis quasdam personas, non tantum religiosas, sed etiam Ecclesiæ Dei necessarias esse cognoverunt, decretum temperaverunt, et ita genitos, quorum conversatio in monasteriis vel religiosis Ecclesiis probata fuerit, non solum ad presbyteratum, sed etiam ad summum sacerdotium promoveri permiserunt. Et ut de nostris temporibus taceamus, sicut legitur in gestis Romanorum pontificum, Felix tertius, natione Romanus, ex patre Felice presbytero fuit a temporibus Odoacri regis usque ad tempora Theodorici regis. Item Agapitus natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero summus pontifex fuit. Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio episcopo sedit annos III, menses VIII, dies XVIII. Silverius natione Campanus, ex patre Ormisda Romano episcopo, sedit annum I, menses V, dies XXI, Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano subdiacono, sedit annos III, dies XXIII. Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro episcopopo, sedit annos VI, menses V, dies XXIV. Quia vero episcoporum plurimi ex aliis civitatibus ad alias propter necessitatem seu utilitatem temporum sunt transmutati, ex subjectis manifestum est. Perigenes in Petris est ordinatus episcopus ; sed quoniam cives ejus civitatis eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis episcopus jussit eum inthronizari in Corintho metropoli, defuncto ejus episcopo ; eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Dosideum Seleuciæ episcopum Alexander Antiochenus episcopus in Tharsum Ciliciæ transmutavit. Reverentius ab Archis Phœniciæ in Tyrum transmutatus est. Joannes de Gordolinia, mutatus est in Prochonixum, et ei præsedit Ecclesiæ. Palladius ab Helinopoli, mutatus est in Asponam. Alexander ab alia Helinopoli, in Adrianopolim mutatus est. Gregorius Nazianzenus prius civitatis Cappadociæ fuit episcopus, quæ Sasima dicitur ; deinde a beato Basilio et aliorum episcoporum consensu, in Nazianzo constitutus est. Melenus, prius Sebastiæ Ecclesiæ præfuit, et postea Antiochiæ præsul est constitutus. Theusebius ab Apamia Asiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salabria vocabatur. Polycarpus de urbe Antapristena Mysiæ in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ, transmutatus est in Platinopolim Thraciæ. Optimus ab Agadarmia Phrygiæ, in Antiochiam Pisidiæ transmutatus est. Sistuanus a Philiopoli Thraciæ mutatus est in Troadam. Plurimos etiam episcopos depositos a sede apostolica restitutos exempla subjecta declarant. Joannes Chrysostomus a duabus synodis orthodoxorum episcoporum fuit dijudicatus, sed iterum fuit restitutus. Marcellus episcopus Anchiræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodum proprium recepit episcopatum. Asclepius dijudicatus est a synodo, Ecclesiam suam postea recepit. Lucianus episcopus Adrianopolites, damnatus a papa Julio, recepit Ecclesiam sui episcopatus. Cyrillus Hierosolymitanus episcopus depositus fuit, postea reconciliatus est Ecclesiæ suæ. Simili modo et Polyeronium ejusdem Hierosolymitanæ Ecclesiæ pontificem Sixtus papa damnavit, et iterum ipse eum reconciliavit. Innocentius papa Photinum damnavit episcopum, sed ipse postea eum in proprium restituit locum Ecclesiæ suæ. Misenum episcopum a Felice papa damnatum, Gelasius papa successor illius et communicavit, et Ecclesiæ suæ restituit. Leontius dum esset presbyter, depositus fuit ; sed postea in Antiochia patriarcha exstitit. Gregorius vero quartus papa, Theodosium quem Eugenius ejus antecessor presbyterii honore privaverat, sanctæ Ecclesiæ Signinæ consecravit episcopum. Ybas quoque episcopus dijudicatus fuit, sed sancta synodus canonice suam illi restituit Ecclesiam. Rhotadum vero episcopum sanctæ Suessionis Ecclesiæ a synodo, cui Carolus interfuit rex, condemnatum, et Sofrenum Placentinum episcopum merito reprobatum, Nicolaus papa ambos reconciliavit. Sic Johannes papa VIII Photium Neophytum, a papa Nicolao depositum, Augustorum interventu Basilii, Leonis, Alexandri, in patriarchatu Constantinopolitano restituit, scribens prædictis Augustis in hæc verba : « Scripsistis nobis, dilectissimi filii, ut apostolica et compassionis viscera aperientes, omnes qui in Ecclesia quæ apud vos est correptionibus subjacent, recipiamus, pacique et unanimitati studentes, ipsum dominum Photium archiepiscopum communicantem nobis, in summam sacerdotum dignitatem et honorem patriarchatus restituamus, ne diutius Ecclesia Dei ut schismate et scandalo conturbata permaneat. Nos ergo petitionem vestram, ut justam et Deo placentem amplexi et opportunum tempus quod diu desideravimus, nos invenisse gavisi, misimus apocrisiarios nostros voluntatem vestram implere : quamvis pietas vestra antequam advenirent, ipsum virum præoccupaverit violenter restituere. Quod tamen et nos libenter recipimus. Et quamvis hoc faciendi potestatem habentes, non tamen ex potestate nostra eum restituere volumus, sed ex apostolicis decretis et paternis constitutionibus testimonia proferimus, non leges Ecclesiæ antiquitus datas solventes ; sed in quibus gratiarum diligentia inconvertibiliter observata, Ecclesiæ corpus evellit ac dissipat, ad utilitatem ejus omnia reducere cupientes. Synodus

Introdusă în format electronic de Google

enim Nicæna secundo capitulo dicit, quoniam frequenter sive ex necessitate, sive alio quolibet modo transgredi contingit homines ecclesiasticos canones. Et papa Gelasius dicit, quoniam ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant sanctorum Patrum decreta. Et sanctissimus papa Leo in eodem spiritu præcepit dicens : Ubi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum statuta. Ubi vero necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. Et Felix papa : Contemplari oportet, quod ubi occurrit necessitas, sæpe constitutiones Patrum transgredimur. Et Carthaginensis synodus XXXV capitulo dicit : Præcipimus ut clerici rursus in Ecclesiam recipiantur, quamvis primum in synodo depositi fuerint. Synodus etiam synodum solvit propter unitatem et pacem Ecclesiæ. Et Innocentius papa quinto capitulo dicit: Qui promoti sunt a Bonoso hæretico, recipiantur iterum, ne scandala in Ecclesia pullulent. Non solum autem pro hæresi depositis apostolica sedes hæc paci ecclesiasticæ studens, adjutorii manum porrexit ; sed et orthodoxis sacerdotibus et patriarchis ad eam confugientibus, sicut et nunc Photio fecit, usitata miseratione subvenit. Nostis enim quod magnum Athanasium Alexandrinum episcopum, et Cyrillum, et Polycronium Hierosolymitanos, et Joannem, quæ charitas vestra Chrysostomum vocat, et Flavianum, a synodo depositos apostolica sedes in pristinum honorem restituit. Si igitur qui a Donatistis et Bonoso ordinati, et a liminibus orthodoxæ Ecclesiæ a synodo plenaria sequestrati, ab alia synodo recipiuntur, et in catalogo sacerdotum habentur, ne Ecclesia diminutionem vel divisionem patiatur ; quanto magis orthodoxæ fidei viros, et immaculatæ vitæ non oportet contemnere, sed ad pristinum honorem revocare? Sicut enim apostolica sedes hæc, semel accipiens claves regni cœlorum, a primo et magno pontifice Jesu per principem apostolorum Petrum, dicente ad eum : *Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVIII) ; habet potestatem universaliter ligandi et solvendi, et secundum Jeremiam, evellendi et plantandi (*Jer.* I). Et propter hoc et nos ejusdem potestate principis apostolorum Petri utentes, cum omni Ecclesia nostra mandamus vobis, et sanctissimis fratribus nostris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ, et Hierosolymorum, et cæteris episcopis, et omni plenitudini Constantinopolitanæ Ecclesiæ, secundum petitionem vestram Photium patriarcham fratrem et consacerdotem nostrum nos in communionem recipere.» Item : «Recipite eum sine excusatione; nullus excuset pro synodis contra eum peractis, nullus sanctorum prædecessorum meorum Nicolai et Adriani sententias contra eum causetur. De ipso enim subreptum est illis, nullus contra eum subscriptiones vestras occasionem schismatis habeat : omnia enim ut infecta et irrita facimus, et quæcunque sunt contra eum in manibus principis apostolorum ponimus ; et per eum in humeris Jesu Christi agni *Dei, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). » Item : «Et hoc confirmare vos volumus, ut post mortem Photii fratris nostri, nullus ex dignitate mundana ad pontificalem honorem ascendat ; sed ex presbyteris cardinalibus ejusdem Ecclesiæ, vel ex diaconibus, aut ex aliis sacerdotibus, qui sub Ecclesia Constantinopolitana consistunt. » Item : « Et quoniam nos pro pace Ecclesiæ solliciti, Photium fratrem nostrum 6 recipimus, sicut et Adrianus papa Tharasium, nullus computet canonicum usum. Privilegia enim paucorum communem legem non faciunt. Si quis vero tale quid amodo facere præsumpserit, sine venia erit. » Ita quoque cum esset antiquis regulis præfinitum, ut nullus qui esset in clero, extranearum consortium haberet mulierum ; sed earum tantum quæ omnem suspicionem excluderent, beatus papa Gregorius hunc rigorem ita modificavit clericis Anglorum, ut si qui essent extra sacros ordines constituti, qui se continere non possent, uxores sortirentur, et stipendia sua foris acciperent, intelligens leviorem esse casum, si ruentes conjugali vinculo exciperentur, quam si vago concubitu interminatæ libidinis voragine absorberentur. Sic aliæ dispensationes salubri deliberatione admissæ, cessante necessitate, debent et ipsæ cessare ; nec est pro lege habendum quod aut utilitas suasit, aut necessitas imperavit. Unde legitur in epistola beati papæ Leonis ad episcopos Africæ : « Superest, fratres, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus ; et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis : et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari. Quæ enim hactenus certarum remisimus considerationc causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa post ultione plectamus. Nec tantum hoc in ecclesiasticis observandum est regulis, sed etiam in ipsis legibus. De venerandis legibus legitur Romanis. Quodcunque imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. Hæ sunt, quæ constitutiones appellantur. Plane ex his quædam sunt quæ personales appellantur, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniam nec hoc princeps vult. Nam quod alicui ob merita indulsit, vel si cui pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplum subvenit, personam non transgreditur. Possemus de hujusmodi plurimas rationes, plurima exempla colligere, sed prudenti lectori, et ei qui novit de paucis plurima intelligere, debent prædicta sufficere. Quod tamen jam monuimus, iterum monemus, ut si quis quod legerit de sanctionibus sive dispensationibus ecclesiasticis, ad charitatem, quæ est plenitudo legis, referat, non errabit, non peccabit ; et quando aliqua probabili ratione a summo rigore declinabit, charitas excusabit ; si tamen nihil contra Evangelium, nihil

Introdusă în format electronic de Google

contra apostolos usurpaverit. Si quæ vero sententiæ de forensibus legibus insertæ sunt, quæ judicium sanguinis contineant, non ad hoc insertæ sunt, ut ecclesiasticus judex per eas aliquem debeat condemnare; sed ut ex eis assertionem canonicorum faciat decretorum. Hinc attendens quanta pœnitentia puniendum sit facinus illud vel flagitium, quod judicant judices sæculi, morte vel membrorum mutilatione multandum. Hanc enim rationem Romani pontifices in assertione decretorum suorum frequenter interponunt. Nam, si hoc leges sæculi continent, quanto magis divinæ ?» Hæc hactenus. Deinceps singularum partium titulos totius voluminis intentionem continentes breviter perstringemus, ut hinc prudens lector advertat, quid in unaquaque parte sibi necessarium quærere debeat.

DIVI IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI

DECRETI PARS PRIMA

De fide et sacramento fidei, id est baptismate, et ministerio baptizandorum et baptizatorum consignandorum et consignatorum; et de observatione singulorum. Et quid conferat baptisma, quid confirmatio.

7 Cap. 1.—*Quædam in Scripturis sanctis sic esse posita, ut scirentur et crederentur; quædam sic jussa, ut observarentur; quædam prohibita, ne fierent. De speculo Augustini.*

Quis ignorat in Scripturis sanctis, id est legitimis, propheticis, evangelicis et apostolicis, auctoritate canonica præditis, quædam sic esse posita, ut tantum scirentur et crederentur: ut est, quod *in principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* 1). Et quod, *in principio erat verbum* (*Joan.* 1); et quæcunque facta divina vel humana tantummodo cognoscenda narrantur. Quædam vero sic esse jussa, ut observarentur, prohibita ne fierent. Ut est: *Honora patrem et matrem*; et: *Non mœchaberis* (*Exod.* xx; *Ephes.* vi). Horum autem quæ jubendo et vetando scripta sunt, alia sunt sacramentorum velata mysteriis: quæ multa Veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt; neque a populo Christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur: sicut est Sabbatum ad visibilem vacationem, sicut est azyma in pane sine fermento, pascha in ovis occisione; sic tot genera sacrificiorum ciborumque vetandorum, et neomeniæ, et annuæ solemnitates, quas observant nuncusque Judæi: et illæ justificationes, quæ non ad opera justitiæ proprie pertinent, sed aliquid significare intelliguntur. Quis enim Christianus septimo anno cogitur servum reddere libertati, et si discedere ille noluerit, ejus auriculam subula pertundere ad postem, et cætera hujusmodi? Alia vero etiam nunc facienda sunt, si facienda præcepta sunt; nec facienda, si prohibita, qualia sunt illa, quæ dixi: *Honora patrem et matrem*; et: *Non mœchaberis*. De his igitur quæ ita sunt posita in litteris sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est tempore Novi Testamenti ad vitam piam excendam moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi, componere aggressus sum: ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis libris colligam, atque, ut facile inspici possint, in unum tanquam speculum congeram. Oportuit enim sic ea poni ab auctoribus nostris, quemadmodum posita sunt: ut præcepta narrationibus vel disputationibus propriis figurata, et figuratis propria miscerentur, dum rerum gestarum ordo servatur, aut respondetur adversis; aut qui docendi sunt instruuntur, aut occultorum inventione quodammodo renovantur hi qui prompta et aperta fastidiunt.

Cap. 2. — *Quæ esse propria divinæ Trinitatis senserunt catholici tractatores. August., l.* 1 *De Trin. c.* 4.

(*De consecrat. dist.* 3, *c. Omnes quos.*) Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum, et novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius et Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem. Ideoque non sint tres dii, sed unus Deus. Quamvis Pater Filium genuerit et ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; Spiritusque sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantummodo Patris et Filii Spiritus et Patri et Filio etiam ipse coæqualis, et ad Trinitatis pertinens unitatem. Non tamen eamdem Trinitatem natam de virgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixam et sepultam, et tertia die resurrexisse, et in cœlum ascendisse, sed tantummodo filium. Nec eamdem Trinitatem descendisse in specie columbæ super Jesum baptizatum (*Matth.* III), aut die Pentecostes post Ascensionem

Introdusă în format electronic de Google

Domini sonitu facto de cœlo, quasi ferretur flatus vehemens, et linguis divisis velut ignis sedisse super unumquemque eorum 8 sed tantummodo Spiritum sanctum (*Act.* II). Nec eamdem Trinitatem dixisse de cœlo : *Tu es Filius meus* (*Marc.* I), sive cum baptizatus est a Joanne (*Matth.* III), sive in monte quando cum illo erant tres discipuli (*Matth.* XVII), aut quando sonuit vox dicens : *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII) ; sed tantummodo Patris vocem fuisse ad Filium factam. Quamvis Pater et Filius et Spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt ; ita inseparabiliter operentur. Nam, quo intellectu homo Deum capit, qui ipsum intellectum suum, quo cum vult capere, nondum capit ? Si autem hunc jam capit, attendat diligenter, nihil in eo esse in sua natura melius, et videat utrum ibi videat ulla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis distensionem, aliquas per locorum intervalla motiones, vel aliquid hujusmodi. Nihil istorum invenimus certe in eo, quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est in nostro intellectu, quo sapientiam capimus, quanto capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere quod longe melius est meliore nostro. Ut sic intelligamus Deum, si possumus quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, et nondum potest omnimodo invenire quid sit, pie tamen cavet quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur, essentia quam Græci οὐσίαν vocant.

Cap. 3. — *Symbolum Ephesini concilii ducentorum episcoporum.*

Credimus in unum Deum, Patrem, omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium Conditorem, et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, natum de Patre, unigenitum, hoc est de substantia Patris : Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, ὁμοούσιον Patri, hoc est, unius cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt in cœlo et in terra : qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus passus est, et resurgens tertia die, ascendit in cœlos : inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat tempus quando non erat ; et antequam nasceretur non erat ; et quia ex nullis existentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia esse dicunt, aut τρεπτὸν, hoc est convertibilem, seu commutabilem Dei Filium : anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. Sequentes itaque omnium per omnia sanctorum Patrum confessiones, quas loquente in eis sancto Spiritu protulerunt, et intentioni, quæ est in eorum A intellectibus, æquis vestigiis inhærentes ; atque iter ambulantes regium, profitemur quod ipsum unigenitum Dei Verbum, natum ex ipsa Patris essentia, de Deo vero Deus verus ; lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, sive in cœlis, sive in terra, salutis nostræ causa descendens ad exinanitionem sese dignatus est inclinare. Natus autem et homo factus, id est carnem de Virgine sancta suscipiens, eamque propriam faciens, nativitatem nostram ex vulva sustinuit homo de muliere procedens, non quod erat abjiciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis et sanguinis ; tamen servavit quod erat. Deus scilicet natura et veritate persistens. Nec carnem itaque dicimus in naturam Deitatis esse conversam, nec in substantiam carnis ineffabilem B Dei Verbi essentiam commutatam. Inconvertibilis enim est incommutabilis, idemque ipse juxta Scripturas jugiter permanens. Visus est autem et parvulus, positus adhuc in cunabulis. Et in sinibus Genitricis virginis constitutus universam creaturam replebat, ut Deus genitori suo indivisus existens. Quod divinum est enim, sine quantitate et sine mole cognoscitur, nec ullis terminis continetur. Unitum ergo carni verbum Dei, secundum substantiam confitentes, unum adoramus Filium et Dominum Jesum Christum, non seorsum ponentes et determinantes hominem et Deum, velut invicem sibi dignitatis et auctoritatis unitate conjunctum. Hoc enim novitas vocis est, et aliud nihil. Nec item Christum specialiter nominantes Deum Verbum C quod ex Deo est ; nec alterum similiter Christum qui specialiter de muliere natus est, sed unum solummodo Christum Dei Patris Verbum cum propria carne cognoscimus. Tunc enim juxta nos unctus est, quamvis Spiritum ipse dignis contulerit ; et *non ad mensuram*, sicut beatus evangelista Joannes asseruit (*Joan.* III). Sed nec illud dicimus, quod Dei verbum, velut in homine communi, qui de sancta Virgine natus est, habitaverit, ne Deum homo Christus habitatorem possidere credatur. Quamvis enim Verbum habitaverit in nobis, et dictum sit in Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter (*Coloss.* II) : tamen intelligimus Verbum quod caro factum est, non sicut in sanctis habitare dicitur ; nec talem in ipso habitationem factam D definire tentabimus. Sed unitus juxta naturam, nec in carnem penitus commutatus, talem sibi fecit habitationem, qualem et anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Unus igitur est Christus Filius et Dominus, non velut conjunctionem quamlibet in unitatem dignitatis et auctoritatis hominis habens ad Deum. Non enim potest unire naturas sola dignitatis æqualitas. Denique Petrus et Joannes æqualis sunt ad alterutrum dignitatis, propter quod et apostoli et sancti, discipuli esse monstrantur. Verumtamen uterque non unus est. Nec juxta collationem vel connexionem, modum conjunctionis advertimus. Hoc enim ad unitatem non sufficit naturalem, nec secundum participationis

Introdusă în format electronic de Google

effectum ; sicut nos etiam adhærentes Deo, unus cum eo spiritus sumus (*I Cor.* VI), imo potius conjunctionis nomen evitamus, tanquam non existens idoneum quod significet unitatis arcanum. Sed neque Deum aut Dominum Christi, verbum Dei Patris asserimus, ne iterum manifestius in duos dividamus unum Christum Filium et Dominum, et in crimen sacrilegii decidamus, Deum illi seipsum facientes et Dominum. Unitus quippe, sicut superius diximus, Deus Verbum carni secundum subsistentiam, Deus quidem est omnium et dominator universitatis : verumtamen nec servus est sibi ipse nec dominus ; quia ineptum est, vel potius impium hoc sentire vel dicere. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit etiam ipse naturam et de illius essentia, tamen nullatenus ignoramus quod manens Deus homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret. Ipse vero sibi 9 quomodo vel Deus poterit esse, vel Dominus ? Ergo sicut homo quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse asseruit. Hoc etiam modo sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, et legislator ut Deus exstiterit. Cavemus de Christo dicere : Propter assumentem veneror assumptum, et propter invisibilem adoro visibilem. Horrendum vero super hoc etiam illud dicere : Is qui susceptus est cum eo qui suscepit connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, dividit iterum in duos Christos eum qui unus est, hominem seorsum in parte, et Deum similiter in parte constituens. Evidenter enim denegat unitatem, secundum quam non alter cum altero coadoratur, aut connuncupatur Deus, sed unus intelligitur Christus Jesus Filius Dei unigenitus, una servitute cum propria carne venerandus. Confitemur etiam quod idem ipse qui ex Deo Patre natus est, Filius unigenitus Deus, licet juxta naturam suam expers omnis passionis exstiterit, pro nobis tamen secundum Scripturas carne passus sit. Et erat in crucifixo corpore, propriæ carnis impassibiliter ad se referens passiones. Gratia enim Dei *pro omnibus* gustavit *mortem* (*Hebr.* II), tradens proprium corpus, quamvis naturaliter ipse vita sit et resurrectio mortuorum. Nam ut mortem ineffabili potentia proculcaret, ac prius in sua carne *primogenitus ex mortuis* (*Coloss.* I) fieret, et *primitiæ dormientium* (*I Cor.* XV), viamque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum : gratia Dei, sicut supradictum est, *pro omnibus* gustavit *mortem*, et tertia die resurgens exspoliavit infernum. Ideirco quamvis dicatur quod per hominem facta sit resurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem factum Verbum quod ex Deo est ; et per ipsum mortis imperium fuisse destructum. Veniet autem temporibus præfinitis, sicut est unus Filius, et Dominus in gloria Patris, ut judicet orbem terrarum in æquitate (*Psal.* XCV), sicut Scriptura testatur. Necessario igitur et hoc adjicimus. Annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est Jesu Christi et resurrectionem ejus, et in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrorum redemptoris effecti ; non ut communem carnem percipientes, quod absit! nec ut viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem ; sed vere vivificatricem, et ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem* (*Joann.* VI); non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit ? Sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis est factus et vocatus. Eas autem voces, quas Salvator noster in Evangeliis protulit, non in duabus subsistentiis, aut personis omnino partimur. Non est enim duplex, unus Christus et solus, quamvis ex duabus diversisque rebus ad unitatem cognoscitur individuam convenisse. Sicut homo quoque ex anima constans et corpore, non duplex potius, sed unus est ex utroque. Humanas ergo et divinas insuper voces ab uno Christo dictas animadvertentes, recte sentimus. Cum enim hæc duo dignissime loquitur de seipso. *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV) ; et : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X) : divinam ejus intelligimus ineffabilemque naturam, secundum quam unum est cum Patre suo, propter unam, eamdemque substantiam, imago et character splendorque ejus gloriæ existens. Cum vero humanæ naturæ mensuram nullatenus ignorans, Judæos alloquitur : *Nunc me quæritis occidere hominem, qui veritatem vobis locutus sum* (*Joan.* VIII) : item non minus eum qui in similitudinem et æqualitatem Patris est, Deum verum etiam in mensuris humanitatis ejus agnoscimus. Si enim necessario creditur, quod natura Deus existens factus sit caro, imo potius homo animatus anima rationali : quæ causa est, ut in ejus vocibus quilibet erubescat, si eas homine dignas effatus est? Quod si sermones homini congruentes abjicit, juxta nos hominem fieri quid coegit ? Cum vero se propter nos ad exinanitionem spontaneam misericorditer inclinaverit, quam ob causam dignos exinanitione sermones effugeret? Uni igitur personæ cuncta ejus in Evangelio ascribimus, uni hypostasi seu subsistentiæ Verbi scilicet incarnati, quia *unus* est *Dominus Jesus Christus* (*I Cor.* VIII), ut scriptum est. Appellatum vero ab Apostolo *pontificem confessionis nostræ* (*Hebr.* II) tanquam sacrificantem Deo et Patri fidei nostræ confessionem, quæ a nobis ipsis per ipsum Deo et Patri incessanter offertur : iterum cum dicimus, qui ex Deo secundum naturam Filius est unigenitus, nec humia

Introdusă în format electronic de Google

præter eum alteri, sacerdotii nomen et officium deputamus. Factus est enim *mediator Dei et hominum* (*I Tim.* II), et reconciliator ad pacem, *semetipsum Deo* et Patri *pro nobis* offerens *in odorem suavitatis* (*Ephes.* V). Ideoque dicebat : *Sacrificium et oblationem noluisti*, holocausta *pro peccato non* tibi placuerunt, corpus *autem perfecisti mihi. Tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut* faciam Deus *voluntatem tuam* (*Psal.* XXXIX). Obtulit enim proprium corpus non pro se, sed *pro nobis, in odorem suavitatis.* Nam qua pro se oblatione vel sacrificio indigeret, ab omni peccato liber ut Deus existens : Quod si *omnes peccaverunt et egent gratia Dei* (*Rom.* V), secundum hoc quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti, peccatis ægrotavit humana natura, ipse vero non ita; ideoque nos gloria ejus eguimus : cur erit ultra jam dubium quod Agnus verus pro nobis sit immolatus? Qui dicit autem, quia seipsum tam pro se quam pro nobis obtulerit (*Isai.* LIII), nullatenus impietatis crimen effugiet, cum nihil prorsus iste deliquerit, nec ullum fecerit omnino peccatum. Qua igitur eguerat oblatione; nullo suo exstante facinore, pro quo si esset, satis admodum convenienter offerret. De spiritu quoque cum dicit : *Ille me clarificabit* (*Joan.* XVI), hoc rectissime sentientes, unum Christum et filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur a Spiritu sancto gloriam consecutum; quia Spiritus ejus nec melior, nec superior ipso est. Sed quia humana opera faciens, ad demonstrationem suæ Deitatis virtute proprii Spiritus utebatur, ab ipso glorificari dicitur, quod virtus sua vel disciplina quælibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus ejus, et intelligatur in persona proprietas juxta id quod Spiritus est, et non Filius, attamen **10** alienus non est ab illo. Nam Spiritus appellatus est veritatis (*Joan.* XIV), et veritas Christus est. Unde et ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum manus apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificavit Jesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Nam creditus est Christus natura Deus existens, per suum Spiritum virtutes efficiens. Ideoque dicebat : *De meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Nequaquam vero participatione alterius, idem Spiritus sapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est, et nullo prorsus indigens bono. Nam paternæ virtutis et sapientiæ, id est Filii, Spiritus creditur : et ideo ipsa re et subsistentia virtus et sapientia comprobatur. Igitur quia Deum carni unitum juxta subsistentiam sancta virgo corporaliter peperit, idcirco eam Dei Genitricem esse profitemur. Non quod Verbi natura existendi principium de carne sortita sit : *Erat* enim *in principio Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I), et ipse est conditor sæculorum, Patri coæternus, et universitatis creator. Sed quod, ut superius dixi- A mus, juxta subsistentiam sibimet uniens humanam naturam, nativitatem sustinuerit ex ipsa vulva corporea. Non quod eguerit necessario ea propter suam naturam nativitate quæ est in extremis sæculi facta temporibus, sed ut ipsas benediceret substantiæ nostræ primitias : et dum Deum carni unitum mulier edidisset, illa quæ adversus omne genus humanum maledictio fuerat prolata desineret, nec jam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque quod dictum est : *In* tristitia *paries filios* (*Gen.* III), ipse dissolvens, verum esse monstraret quod prophetæ voce prædixerat : *Absorpta est mors in victoria* (*I Cor.* XV). Et iterum : *Abstulit Deus omnem lacrymam* ab omni facie (*Apoc.* VII). Propter hanc enim causam dicimus eum dispensatorie, et ipsis B benedixisse tunc nuptiis, cum in Cana Galileæ cum sanctis vocatus apostolis adesse dignatus est (*Joan.* II). Hæc sapere sumus edocti a sanctis apostolis et evangelistis, et ab omni *Scriptura divinitus inspirata* (*II Tim.* III), nec non et a beatis Patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, et præter aliquem dolum consentire jam convenit. Quæ vero religioni tuæ anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subjecta sunt.

I. Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propter hoc ipsam Dei Genitricem sanctam virginem (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est : *Et Verbum caro factum est* (*Joan.* I) anathema sit. C

II. Si quis non confitetur carni, secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unum quoque esse Christum cum propria carne, et eumdem ipsum sine dubio Deum simul et hominem, anathema sit.

III. Si quis in uno Christo dividit subsistentias post unitionem, sola societate contingens ea, quæ secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem aut potestatem, et non magis conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.

IV. Si quis in duabus personis vel subsistentiis dividat eas voces, quæ tam in Evangelicis, quam Apostolicis litteris continentur; vel etiam eas, quæ D de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de seipso; et aliquas quidem ex his tanquam homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, applicandas crediderit; aliquas vero tanquam Deo dignas; soli Verbo Dei Patris deputaverit, anathema sit.

V. Si quis audet dicere Christum hominem θεόφορον id est, Deiferum, et non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam unicum Filium per naturam, secundum quod *Verbum caro factum est*, et participavit nobis similiter carne et sanguine, anathema sit.

VI. Si quis Deum vel Dominum esse Christi Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur Deum et hominem simul, propterea quod

Introdusă în format electronic de Google

Verbum caro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

VII. Si quis tanquam hominem Jesum, operante Deo Verbo, dicit adjutum, et unigeniti dignitatem, tanquam alteri præter ipsum existenti, tribuit, anathema sit.

VIII. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et connuncupari Deum tanquam alterum cum altero, (adjectio enim unius syllabæ *con*, hoc cogit intelligi) et non magis una reverentia veneratur Emmanuelem, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod *Verbum caro factum* sit, anathema sit.

IX. Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute, qua per eum uteretur, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, et per eum implesse divina signa, et non magis proprium ejus esse Spiritum dicit, sicut et Patrem, per quem signa operatus est, anathema sit.

X. Pontificem et apostolum confessionis nostræ factum esse Christum (*Ephes.* v), divina Scriptura commemorat. *Obtulit* enim *semeptipsum pro nobis Deo Patri in odorem suavitatis*. Si quis ergo pontificem et apostolum nostrum alium dixerit esse factum, præterquam ipsum Deum Dei Verbum, quando *factum est caro*, et secundum nos homo, sed quasi alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere; et si quis dicit, quia propter se obtulit seipsum in oblationem, et non magis pro nobis solis (non enim indiguit oblatione qui peccatum nescivit) anathema sit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, tanquam propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed quasi alterius cujuspiam, præter ipsum, conjuncti eidem secundum dignitatem, aut secundum quod solam divinam habitationem habuerit, et non potius, ut diximus, vivificatricem esse, quia facta est propria Verbo Dei, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum carne passum esse, et carne crucifixum, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod est et vita et vivificator, ut Deus, anathema sit.

CAP. 4. — *Augustinus in libro De fide ad Petrum Diaconum. Unus Deus.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum esse naturaliter Deum, in cujus nomine baptizati sumus: cum enim aliud nomen sit Pater, aliud Filius aliud Spiritus sanctus: hoc est utique unum naturæ nomen horum trium quod dicitur Deus, qui dicit in Deuteronomio: *Videte, videte, quoniam ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Deut.* XXXII); et de quo **11** dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus: Deus unus est* (*Deut.* VI); et: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV).

CAP. 5. — *Dominus.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est sanctam Trinitatem, esse solum naturaliter verum Deum Dominum; quia cum tres deos nobis colere non liceat, nisi unum solum verum Deum: tamen sicut Pater verus Deus dicitur, testante Apostolo, qui ait: *Conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, et vero, et exspectare Filium ejus de cœlis, quem suscitavit a mortis Jesum* (*I Thess.* I); ita quoque Filium verum Deum Joannes commendat apostolus, dicens: *Scimus quia Filius Dei venit et dedit nobis intellectum ut cognoscamus verum Deum* (*I Joan.* V): et scimus in vero Filio ejus Jesu Christo, hic est verus Deus, et vita æterna. Qui utique quoniam verus Deus est, etiam veritas est, sicut ipse nos edocet, dicens: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). De Spiritu quoque sancto Joannes apostolus ait: *Quia Spiritus est veritas* (*ibid.*) Et utique non potest naturaliter verus Deus non esse, qui veritas est. Quem etiam Deum Paulus apostolus confitetur, dicens: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri. Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI).

CAP. 6. — *Sempiternus.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Patrem et Filium et Spiritum sanctum, id est sanctam Trinitatem unum verum Deum sine initio sempiternum esse, propter quod scriptum est: *In principio erat Verbum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I). Hæc denuo sempiternitas intimatur in psalmo, ubi dicitur: *Deus autem rex noster ante sæcula* (*Psal.* LXXIII). Et alio loco: *Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (*Rom.* I).

CAP. 7. — *Incommutabilis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites sanctam Trinitatem, solum verum Deum; sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hoc enim significat, cum dicit famulo suo Moysi: *Ego sum qui sum* (*Exod.* III). Huic in psalmo dicitur: *In principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnia sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI).

CAP. 8. — *Omnium creator.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites sanctam Trinitatem solum verum Deum, rerum omnium esse visibilium et invisibilium Creatorem. De quo in psalmis dicitur: *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius. qui fecit cœlum et terram*, mare, et omnia quæ in eis sunt (*Psal.* CXLIII). De quo etiam Apostolus dicit: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI).

CAP. 9. — *Tres personæ.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unam quidem esse naturam, tres vere esse personas. Patremque solum esse, qui dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* XVII); et Filium solum esse, super

Introdusă în format electronic de Google

quem illa vox solius Patris sonuit, quando in Jordane secundum hominem baptizatus est, et hunc esse unigenitum, qui carnem solus accepit, et Spiritum sanctum Patris et Filii, solum esse qui in specie columbæ super Christum baptizatum, et ascendentem de aqua, descendit (*Matth.* III) : et quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in uno loco positos, in linguarum ignearum visione adveniens replevit (*Act.* I). Illam vero vocem, quam solus locutus est Deus Pater; et illam carnem, qua solus homo factus est, unigenitus Deus; et illam columbam, in cujus specie Spiritus sanctus super Christum descendit; illasque linguas igneas, in quarum visione fideles uno loco constitutos replevit, opera esse totius Trinitatis, id est, unius Dei, qui fecit omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia.

CAP. 10. — *Filius solius Patris, Spiritus amborum.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites solum Deum Filium, id est unam ex Trinitate personam, solius Dei Patris esse Filium Spiritum vero sanctum, ipsum quoque unam ex Trinitate personam, non solius Patris, sed simul et Patris et Filii esse Spiritum. Ostendens enim Deus Filium solum esse de Patre genitum, ait : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III); et paulo post : *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* (*ibid.*). Spiritum vero sanctum et Patris et Filii esse Spiritum Apostolus docet, qui ait : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.* VIII). Et sequitur : *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*ibid.*).

CAP. 11. — *Semper procedens ab utroque.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites eumdem Spiritum sanctum qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius : *Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit* (*Joan.* XV), ubi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est veritas. De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque apostolica nobis doctrina commendat. Isaias enim dicit de Filio : *Percutiet terram virga oris sui, et Spiritu labiorum suorum interficiet impium* (*Isai.* XI). De quo et Apostolus ait : *Quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Quem etiam ipse unigenitus Dei Filius spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans in discipulos, ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). De ore vero Domini Jesu ait Joannes in Apocalypsi : Quia *gladius utraque parte acutus* (*Apoc.* I) procedebat. Ipse vero Spiritus oris ejus, ipse est gladius qui de ore ejus procedit.

CAP. 12. — *Deus immensus virtute non mole.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Trinitatem Deum, immensum esse, virtute non mole, et omnem creaturam spiritualem atque corporalem virtute ejus et præsentia contineri. Dicit enim Deus Pater : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Dicitur ergo de sapientia Dei, qui Filius ejus est : *Quia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII). De Spiritu quoque sancto legimus : *Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I). Et David propheta dicit : **12** *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXI).

CAP. 13. — *Solus Filius incarnatus.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites unam ex Trinitate personam, id est Deum Filium, qui de natura Dei Patris solus natus est; et unius ejusdemque naturæ cum Patre est, ipsum in Spiritu, in plenitudine temporis secundum susceptionem formæ servilis (*Gal.* IV) : voluntarie, in virgine conceptum; et de virgine natum; Verbum carnem factum; ipsumque esse, qui essentialiter natus est de Patre, et essentialiter conceptus natusque est de Virgine; ipsumque unum esse, et unius naturæ cum Patre, et unius naturæ cum Virgine, qui ait de Deo Patre : *Ante sæcula fundavit me, et ante omnes colles genuit me* (*Prov.* VIII). De quo etiam dixit Apostolus : Quia cum *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV).

CAP. 14. — *Verus Deus, verus homo.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Jesum Christum Filium Dei sicut de Deo Patre, plenum perfectumque Dominum; sic de Maria Virgine, plenum perfectumque hominem genitum, id est Verbum Dominum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis carnem, et animam rationabilem. Quod ipse Dei Filius evidenter ostendit, dicens de carne sua : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV). Animam quoque se habere, his verbis ostendit : *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, et iterum sumam eam* (*Joan.* X). Intellectum quoque animæ se habere ostendit in eo quod dicit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Et de ipso Deus per prophetam dicit : *Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde* (*Isai.* LII). Nam et beatus Petrus secundum sancti David prophetiam in Christo carnem atque animam confitetur. De ipso enim loquens beatus Petrus ait : *Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus* (*Act.* II), providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem (*Psal.* XV).

CAP. 15 — *Unum Verbum fecit omnia tempora, dedit legem factus sub lege.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites unum atque ipsum esse Deum verum Verbum, qui cum Patre Deo et Spiritu sancto Deo fecit omnia tempora, et in monte Sina legem dedit Moysi ordinatam per angelos (*Exod.* XX), et ipsum Verbum Deum carnem factum, qui veniente plenitudine temporis missus a Patre et Spiritu sancto, solus factus est ex muliere quam fecit, solus factus est sub lege quam dedit (*Galat.* IV).

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 16. — *Unus inconfusus et inseparabilis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Dei Verbi quod caro factum est, duas naturas inconfusibiliter atque inseparabiliter permanere : unam veram divinam quam habet communem cum Patre, secundum quam dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x); et : *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV); et : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*ibid.*), secundum quam eum Apostolus dixit, splendorem gloriæ et figuram substantiæ Dei (*Hebr.* I) : alteram veram humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit : *Pater major me est* (*Joan.* XIV).

CAP. 17. — *Una persona.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Deum Verbum carnem factum, unam habere divinitatis suæ carnisque personam. Deus enim verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter unire dignatus est; et, permanente divinitate sua, ita Verbum caro factum est, ut quamvis naturaliter non hoc sit Verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo. secundum unam tamen personam idem Verbum caro ab ipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim Verbum, non accepit personam hominis, sed naturam; et in æternam personam divinitatis, accepit temporalem substantiam carnis. Unus est ergo Christus Verbum caro factum; qui et ex patribus secundum carnem, et super omnia Deus benedictus in sæcula unus est Jesus. Cui et Pater dicit : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* IX). Ubi significatur ante omne tempus sine initio æterna nativitas. De quo et evangelista dicit : *Quia vocatum est nomen ejus Jesus quod dictum est ab angelo priusquam in utero conciperetur* (*Luc.* II).

CAP. 18. — *Verbum conceptum.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a verbo; sed ipsum Verbum Deum sua carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi Dei incarnatione conceptam.

CAP. 19. — *Dei Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum se pro nobis obtulisse sacrificium, *et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V); cui cum Patre et Spiritu sancto, a patriarchis et prophetis, et sacerdotibus tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur; et cui nunc, id est tempore Novi Testamenti cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium et panis et vini in fide et charitate sancta catholica Ecclesia per universum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, et sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, et sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Actibus apostolorum : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX). In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum, figurate significabatur; in hoc sacrificio quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænuntiabatur Filius Dei, pro impiis occidendus, in hoc autem pro impiis annuntiatur occisus. Te stante Apostolo, quia Christus, dum *adhuc essemus infirmi secundum tempus, pro impiis mortuus est* (*Rom.* V). Et, quia *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filii ejus* (*ibid.*).

CAP. 20. — *Verbum semper habet veram carnem.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Verbum carnem factum, eamdem humanam carnem semper veram habere, qua de Virgine Verbum Deus natus est, qua crucifixus et mortuus est, qua resurrexit, et in cœlum ascendit, et in dextera Dei sedet, in qua etiam venturus est judicare vivos et mortuos. Propter quod ab angelis apostoli audierunt : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Et beatus Joannes ait : *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus*, et qui eum crucifixerunt, et videbit *eum omnis tribus terræ* (*Apoc.* I).

CAP. 21. — *Ad cuncta creatura bona.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Trinitatem Deum, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse naturaliter summum atque incommutabile bonum, et ab ipso creatas esse omnes naturas. Bonas quidem, quia a summo bono factæ sunt; sed mutabiles, quia de nihilo factæ sunt. Nullamque esse malam naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Sed quia in ea bonum et minui et augeri potest, in tantum mala dicitur, in quantum bonum ejus minuitur. Malum enim nihil aliud est, nisi privatio boni. Unde constat geminum esse creaturæ rationalis malum, id est unum, quo voluntarie ipsa deficit a summo bono creatore suo; alterum quo invita punietur ignis æterni supplicio. Illud passura juste, quia hoc admisit injuste. Et quæ ordinem in se non servavit divinæ institutionis, ordinem non effugiet divinæ ultionis.

CAP. 22. — *Nihil præter Deum ejusdem esse naturæ.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites neque angelos, neque quamlibet aliam creaturam ejusdem naturæ esse, cujus est secundum naturalem divinitatem suam, summa Trinitas, qui est unus naturaliter Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Neque enim unius naturæ esse poterant, ille qui fecit, et ea quæ fecit.

CAP. 23. — *De immutabili et mutabili.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem creaturam naturaliter mutabilem a Deo incommutabili factam; nec tamen posse jam quamlibet angelorum sanctorum creaturam in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint. Sed

Introdusă în format electronic de Google

hoc ipsum quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt beati, mutari in deterius nullatenus possunt, non eis naturaliter insitum; sed postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum. Si enim angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus et ejus angeli ecciderent.

Cap. 24. — *De differentia rationalis et irrationalis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritualem atque corpoream summa Trinitas fecit, solos spiritus angelicos et humanos intelligendi facultatem divinitus accepisse. Cæteros vero spiritus brutorum animalium rationalem intelligentiam non accepisse, et ob hoc omnino habere non posse. Propter quod dicitur hominibus : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* xxxi). Et ideo nec animas pecorum in homines, nec animas hominum in pecora posse aliquando transire.

Cap. 25. — *De libero arbitrio.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites primos homines, id est Adam et mulierem ejus, bonos et rectos, et sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent si vellent, Deo semper humili et bona voluntate servire atque obedire : quo arbitrio etiam possent si vellent, propria voluntate peccare; eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse; illoque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, ut non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccatum (*Rom.* v), mortisque dominium.

Cap. 26. — *De originali peccato, ejusque remedio.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subjectum, et ob hoc natura iræ filium nasci, de quo dicit Apostolus : *Eramus enim et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* ii). A qua ira nullus liberatur, nisi fide mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, qui sine peccato conceptus sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factum est, id est sacrificium factus est pro peccatis nostris. In Veteri quippe Testamento peccata dicebantur sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur. In quibus omnibus fuit significatio Christi, quia ipse est *agnus Dei, qui tollit* peccata *mundi* (*Joan.* i).

Cap. 27. — *De baptismo.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Firmissime.*) Firmissime tene, et nullatenus dubites non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur; sive jam de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio sempiterno puniendos : quia, etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt.

Cap. 28. — *De judicio.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites ideo Christum ad judicandos vivos mortuosque venturum, ut homines quos hic dono gratiæ suæ gratis justificat per fidem, et eisdem justificatis in fide et charitate sanctæ matris Ecclesiæ usque in finem perseverantiam donat, in suo adventu resuscitet, glorificet, et secundum promissionem suam æquales sanctis angelis faciat, et ad eum statum perducat, in quo perfecte, quantum unicuique donat, boni sunt; et ab ipsa perfectione mutari deinceps non possunt; ubi diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita æterna. Diabolum vero et angelos ejus in ignem æternum a Christo esse mittendos; ubi nunquam carebunt pœna, quam eis præparavit divina justitia. Cum ipso diabolo impios et iniquos homines, de quibus Scriptura dicit : *Imitantur autem eum qui sunt ex parte illius* (*Sap.* ii), pro eo quod eum in malis operibus imitati sunt, et ante finem præsentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt, resumptis corporibus supplicio æternæ combustionis arsuros.

Cap. 29. — *Ante finem præsentis vitæ pœnitentiam agendam.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites omnibus hominibus, et bonis et malis resurrectionem carnis in adventu Domini futuram esse communem : retributionem vero justitiæ Dei esse bonis malisque dissimilem, secundum quod Apostolus ait : *Quia omne resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* xv). Mutabuntur autem justi, qui ibunt in vitam æternam. Quod Apostolus ostendit dicens : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (*ibid.*). Et ostendens quæ erit ipsa immutatio, adjecit : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*ibid.*). In eorum corporibus fiet, quod ipse Apostolus ait : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (*ibid.*). Quod propterea dixit, non quia ipsum corpus spiritus erit, sed quia vivificante Spiritu immortale atque incorruptibile permanebit. Sic autem tunc dicitur spirituale corpus, cum non spiritus sit; sed permaneat corpus, sicut nunc animale dicitur, cum tamen inveniatur anima non esse, sed corpus.

Cap. 30. — *De martyrio, et pœnitentia, et baptismo.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum accepturum vitam æternam, qui non hic a malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque conversus. Et per sacramentum fidei et pœnitentiæ, id est per baptismum liberatus. Et majoribus quidem necessarium est, et pœnitentiam de malis suis agere, et fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, et sacramentum baptismatis accipere. Parvulis vero qui nec propria voluntate credere, nec pœ-

Introdusă în format electronic de Google

nitentiam pro peccato quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei, quod est sanctum baptisma, quandiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.

Cap. 31. — *De gratia pœnitentiæ.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites neminem hic hominum posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita miseratione converterit. Apostolus enim dicit : *Ne forte det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis* (*II Tim.* II).

Cap. 32. — *De gratia obedientiæ.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites posse quidem hominem quem nec ignorantia litterarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel adversitas, verba sancta legis et Evangelii sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire; sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua prævenerit; ut quod audit corpore etiam corde percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit. *Neque* enim *qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III); quia etiam *operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II).

Cap. 33. — *Deum incommutabiliter omnia nosse.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Deo incommutabili non solum præterita, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur : *Qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII).

Cap. 34. — *De scientia.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites Trinitatem Deum incommutabilem, rerum omnium atque operum tam suorum quam humanorum certissimum cognitorem; et ante omnia sæcula scire quibus esset per fidem gratiam largiturus, sine qua nemo potuit ab initio mundi, usque in finem a reatu peccati tam originalis quam actualis absolvi. *Quos enim Deus præsciit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus* (*Rom.* VIII).

Cap. 35. — *De prædestinatione.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo; neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum; nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuita donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait : prædestinatos *in adoptionem filiorum* Dei *per Jesum Christum in ipsum* (*Ephes.* I).

Cap. 36. — *Extra Ecclesiam non prodesse baptisma.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites sacramentum baptismatis, non solum intra Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant, esse posse; sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse. Imo, sicut intra Ecclesiam recte credentibus per sacramentum baptismi conferri salutem; sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismate cumulari perniciem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis unitas ad salutem, ut baptismo non salvetur, cui non ibi datur, ubi oportuit ut detur. Inesse tamen homini baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato, sed ad judicium inesse separato. Sed quia manifestum est ubicunque datum fuerit hoc baptisma semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fuerit datum, venerabiliter agnoscendum, et ob hoc nullatenus iterandum. Salvator enim ait : *Qui semel lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* (*Joan.* XIII).

Cap. 37. — *De eodem.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem extra Ecclesiam catholicam baptizatum participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ hujus catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ. Quia si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, et noverim omnia sacramenta, *charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Nam in diebus diluvii, neminem leginus extra arcam potuisse salvari (*Gen.* VII).

Cap. 38. — *De hæreticis et schismaticis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites non solum omnes paganos, sed et omnes Judæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Cap. 39. — *De eodem.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites quemlibet hæreticum sive schismaticum, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quando in eo vel hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.

Cap. 40. — *De catholicis criminosis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites non omnes qui intra Ecclesiam catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam, sed eos qui percepto baptismate recte vivunt, id est qui se abstinuerunt a vitiis et concupiscentiis carnis. Regnum enim cœlorum sicut infideles hæretici atque schismatici non habebunt; sic catholici criminosi possidere non poterunt.

Cap. 41. — *De necessitate remissionis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites etiam justos atque sanctos homines, exceptis his qui baptizati parvuli mortui sunt, sine peccato hic neminem vivere posse; semperque omni homini esse necessarium, et peccata sua usque in finem vitæ præsentis

Introdusă în format electronic de Google

eleemosynis diluere, et remissionem humiliter a Deo ac veraciter postulare.

CAP. 42. — *De escis et nuptiis.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem creaturam Dei bonam esse, *et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (*I Tim.* IV). Et Dei servos qui a carnibus aut vino se abstinent, non tanquam immunda, quia a Deo facta sunt, respuere, sed a fortiori cibo et potu pro sola castigatione corporis abstinere. Nuptias quoque divinitus institutas et benedictas. Et melius quidem esse, si quisquam sine conjugio sit, ut liberius atque plenius cogitet, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo. Tamen illis qui continentiam non voverunt, nullum esse peccatum, si vel mulier nubat, vel vir uxorem ducat (*I Cor.* VII). Nec solas primas nuptias a Deo institutas, sed etiam secundas et tertias pro eorum qui se continere non possunt, infirmitate concessas. Verum qui sive conjugati, sive a conjugio liberi continentiam Deo voverunt, admodum esse damnabiles, si vel illi conjugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere a quo se recessuros ; illi libera, hi communi professi sunt voluntate.

CAP. 43. — *De baptismo.*

Firmissime tene, et nullatenus dubites aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et inter eam usque in finem sæculi frumento mistas paleas contineri : hoc est, bonos ac malos sub sacramentorum communione misceri, et in omni professione, sive monachorum, clericorum, sive laicorum esse bonos, esse simul malos. Nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos, in quantum fides exigit et charitatis ratio, tolerandos ; id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiæ semen aspergunt, vel fratres ad aliquod malum mortifera imitatione non ducunt. Nec posse aliquem intra Ecclesiam catholicam recte credentem, beneque viventem alieno unquam maculari peccato, si cujusquam peccatis nec consensionem præbeat, nec favorem. Utiliterque malos a bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene vivendo, et bene manendo agatur ; ut et videntes et audientes quæ bona sunt, mala sua respuant, et judicandos se a Deo pro suis malis operibus scientes resipiscant. Atque ita prævenli dono gratiæ de suis iniquitatibus confundantur, et ad bonam vitam per Dei misericordiam convertantur. Bonos vero a malis intra Ecclesiam duntaxat catholicam constitutos, non debere nisi operum dissimilitudine separari ; ut cum quibus divina communicant sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia. In fine vero sæculi bonos a malis etiam corpore separandos, quando veniet Christus habens *ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum ; paleas autem comburet igni inextinguibili* (*Matth.* III), quando per judicium justum segregabit justos ab injustis, bonos a malis, rectos a perversis ; bonos constituet a dextris, malos a sinistris. Et ejus ore justi æternique judicii sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam ; justi autem in vitam æternam : inique semper arsuri cum diabolo ; justi autem regnaturi cum Christo.

CAP. 44. — *Capitula veræ fidei firmissime tenenda.*

Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge et tanquam hæreticum abjice. Ita enim ista quæ posuimus fidei catholicæ congruunt, ut si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, et his contraria docere non dubitat, hæreticus et fidei Christianæ inimicus, atque ex omnibus catholicis anathematizandus appareat.

CAP. 45. — *Leo universis episcopis per Siciliam ac baptismo* (*epist.* 4).

Proprie in morte crucifixi, et in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam creaturam condit ex vetere, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita, dicente Apostolo : *An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI). Et cætera quæ latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputavit, ut appareret ex hujus doctrinæ spiritu regenerandis filiis hominum, et in Dei Filio adoptandis, illum diem, et illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii ea quæ geruntur in membris iis quæ in ipso sunt capite gesta, congruerent, dum in baptismatis regula, et mors intervenit interfectione peccati, et sepulturam triduanam imitatur trina dimersio, et ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulcro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diem legitimum cum esse, in quo orta est et virtus muneris, et species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus postcaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebantur, et formam et potestatem tradidit baptizandi, dicens : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic observantiæ etiam Pentecostes ex adventu sancti Spiritus sacrata solemnitas, quæ de paschalis festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem, qui in resurrectione Domini est, in-

Introdusă în format electronic de Google

signis occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, et eos quos a die Paschæ, aut molestia infirmitatis aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, invitans ut quibuslibet necessitatibus impediti, desiderii sui effectum dono sancti Spiritus consequantur.

Cap. 46. — *Idem de eodem, ead. epist.* 4.

Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex apostolica auctoritate servare, satis idoneo probamus exemplo, sequentes beatum apostolum Petrum, qui in ipso die, quo omnem credentium numerum promissus sancti Spiritus replevit adventus, trium millium populum sua prædicatione conversum lavacro baptismatis consecravit. Quod sancta Scriptura, quæ apostolorum Actus continet, fideli historia docet dicens : *His auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? Petrus autem ad illos : Pœnitentiam*, inquit, *agite, et baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum sancti Spiritus* (*Act.* II).

Cap. 47. — *Idem non esse celebrandum baptismum in Epiphania. Leo universis episcopis per Siciliam* (*epist.* 4, *cap.* 6).

(*De cons., dist.* 4, *c. Si quis autem.*) Si quis autem Epiphaniæ festivitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari quomodo et voluit circumcidi, hostiamque pro se emundationis offerri. Ut qui factus fuerat *ex muliere*, sicut Apostolus ait, fieret et *sub lege* (*Galat.* IV), quam non venerat solvere, sed implere (*Matth.* V), et implendo finire, sicut beatus Apostolus prædicat, dicens : *Finis* autem *legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X). Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens, se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis.

Cap. 48. — *Idem Leo primus Leoni episcopo Ravennati, epist.* 38, *c.* 1. *De his qui utrum baptizati sunt nescitur.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Cum itaque.*) Cum itaque baptismi sui nihil recordetur qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit qui sciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit qui consecratur, nec ille qui consecrat : scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum dogma, contra sanctorum Patrum instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, qui nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum (*Ephes.* IV). Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, et longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic januam salutis aperire, quam nunquam docetur ingressus.

Cap. 49. — *Gregorius in Moralibus, lib.* IV, *cap.* 2. *Quod apud veteres idem fides, virtus sacrificii, mysterium circumcisionis, quod apud nos baptisma, valebat.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Quod autem.*) Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.

Cap. 50. — *De eodem. Augustinus ad Valerium contra Julianum, De nuptiis et concup. l.* II, *c.* 11.

Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significationem purgationis, valebat et parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere cœpit, ad innovationem hominis, ex quo institutus est.

Cap. 51. — *Bracarense concilium* I, *cap.* 23.

Placuit ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat quem et antea tenuit metropolitana Bracarensis ecclesia, et pro amputanda aliquorum dubietate profuturus episcopus, scriptum sibi et directum a sede beatissimi Petri apostoli suscepit.

Cap. 52. — *De eadem re. Victor papa Theophilo episcopo, cap.* 1. *Quod gentiles ad fidem venientes a quocunque, quacunque hora, in quocunque flumine baptizandi sunt.*

Si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes, quocunque loco vel momento ubicunque evenerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christianæ confessionis credulitate clarificata baptizentur. Ipsum quoque quod in baptismo polliciti sunt, summopere est attendendum, ne infideles sed fideles inveniantur. Ipsi vero qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur, atque inter fideles minime reputantur.

Cap. 53. — *Augustinus de* 70 *hæresibus.*

Lectiani [Selestiani] hæretici negant esse visibi-

Introdusă în format electronic de Google

lem paradisum, et baptismum in aqua non accipiunt.

CAP. 54. — *Haymo super primam epistolam ad Romanos.*

Fortassis quæret aliquis quare in aqua solummodo, et non aliquando in vino baptismus consecretur. Cui respondit beatus Ambrosius : « Idcirco uniformiter hoc fieri in aqua, ut intelligatur quod, sicut aqua sordes corporis, aut vestimenti abluit, ita illud baptisma animæ maculas sordesque vitiorum emundando abstergit. »

CAP. 55. — *Gregorius Fortunato episcopo Neapolis (Secundino Taurominitano episcopo).*

(GRATIANUS, 18, *q.* 2, *c. Pridem, hoc caput Gelasio attribuit.*) Pridem præcepimus ut de monasterio Sancti Andreæ, quod est super Mascalas, baptisterium propter monachorum insolentias debuisset auferri atque in eodem loco, quo fontes sunt, altaria fundari. Cujus rei perfectio hactenus est protracta. Admonemus itaque fraternitatem tuam ut nullam jam moram post susceptas præsentes litteras nostras inferas; sed, repleto loco ipsorum fontium, altare ad sacra celebranda mystica, illic sine aliqua dilatione fundetur.

CAP. 56. — *Gelasius Sabino episcopo.*

Nec enim numerus baptizandis juste creditur imponendus, cum quanti forte petierint, vel ad regenerationem festinaverint, non sint pro alterius voluntate pellendi. Et ideo superfluam constitutionem modis omnibus refutantes, volumus ut unusquisque aut in vicina sibi ecclesia, aut in electa, pro suæ mentis baptizetur arbitrio.

CAP. 57. — *Ex libro Pontificali.*

Marcellus 25 titulos in urbe Roma constituit, quasi di œceses propter baptismum, et pœnitentiam multorum.

CAP. 58. — *Siricius papa Himerio Tarraconensi episcopo, cap.* II.

(*De cons., dist.* 4, *c. Non ratione.*) Non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur, ut passim et libere natalitio Christi, seu apparitione, nec non apostolorum seu martyrum festivitatibus, innumeræ, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur : cum hoc sibi privilegium apud nos, et apud omnes Ecclesias, Dominicum Pascha specialiter cum sancta Pentecoste defendat. Item : Infantibus qui necdum loqui possunt per ætatem, vel his qui sunt in qualibet necessitate, si opus fuerit, sacri baptismatis unda, omni volumus celeritate succurri.

CAP. 59. — *Leo papa episcopis per Siciliam, epist.* 4, *cap.* 6.

(*De cons., dist.* 4, *c. Duo tempora, etc. Non potest.*) Evidenter agnoscitis in baptizandis electis, qui secundum apostolicam regulam et exorcismis scrutandi, et jejuniis sanctificandi, et frequentibus prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id est Pascha et Pentecosten esse servanda.

CAP. 60. — *Gerundense concilium cap.* 4.

(*De cons., dist.* 4, *c. De catechumenis.*) De catechumenis baptizandis id decretum est, ut in Paschæ solemnitate vel Pentecostes ad baptizandum veniant. Cæteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari.

CAP. 61. — *Gregorius Fantino defensori.*

Si Judæis baptizandis longum vel triste videtur solemnitatem sustinere paschalem; et eos nunc ad baptisma festinare cognoscis ne, quod absit! longa dilatio retro possit eorum animos revocare, cum fratre nostro episcopo loci illius loquere, ut pœnitentia ac abstinentia 40 diebus indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet.

CAP. 62. — *Gregorius respondens Augustino (epist* 31).

(*Dist.* 5, *parte prima, c. Baptizari.*) Baptizari, vel enixam ipsam mulierem, vel hoc quod genuerit, si mortis periculo urgetur, vel ipsam hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignitur eadem hora qua natum est, nullo modo prohibetur.

CAP. 63. — *Gregorius clero et plebi Tarensi.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Venerabilis.*) Generalis [Venerabilis] baptismi sacramentum, nisi in festivitate Paschali et Pentecostes tradere non præsumat episcopus, exceptis ægritudine laborantibus, quibus mortis urgente periculo, talibus oportet, ne in æternum pereant, remediis subveniri.

CAP. 64. — *Gelasius episcopis per Lucaniam, Brutios et Siciliam, cap.* 9.)

(*De cons., dist.* 4, *c. In necessitate.*) Laicis Christianis baptizare plerumque conceditur.

CAP. 65. — *Concilium Carthaginense* IV, *cap.* 100.

Mulier baptizare non præsumat.

CAP. 66. — *Isidorus de officiis, lib.* II, *cap.* 34.

Illud quod nec privatis, nec clericis [*adde* sine gradu] baptizare liceat, nisi tantum sacerdotibus in Evangelio legimus apostolis tantum permissum (*Joan.* XX).

CAP. 67. — *Ibidem.*

Item : Constat baptisma solis sacerdotibus traditum [*adde* esse], ejusque ministerium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris cogat necessitudo [necessitas] : quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur.

CAP. 68. — *Rabanus de institutione clericorum, lib.* I, *cap.* 7.

Apostoli septem diacones propter sacramentum ejusdem numeri ordinaverunt ad ministerium, et ad officium altaris, qui leguntur etiam et prædicasse et baptizasse non paucos.

CAP. 69. — *Quod acolythus non baptizet.*

Ex libro Pontificali. Bonifacius tertius constituit, ut Lateranus acolythus non baptizet, sed diaconus et subdiaconus sequentes.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 70. — *Ambrosius super I Epist. ad Corinthios, A cap.* 1.

Majus est evangelizare quam baptizare, ideo Apostolus non se missum baptizare dicit, sed evangelizare, quia in episcopo omnium ordinationum dignitas est. Caput est enim cæterorum membrorum. Per quod et illos humiliat, quibus Corinthii multum dabant, propterea quod ab illis fuerant baptizati, ut ex eo scirent non magnum esse baptizare, quia non omnis qui baptizat idoneus est et evangelizare. Verba enim solemnia sunt, quæ dicuntur in baptismate. Denique Petrus apostolus credentem Cornelium cum suis jussit baptizari, nec dignatus est ministris astantibus hoc opus facere. Si enim defuissent, ipse hoc ageret necessitate compulsus.

CAP. 71. — *Leo nonus in synodo habita Remis, cap.* 4.

Ne quis pro sepultura vel baptismo, seu pro eucharistia, aut infirmorum visitatione quidquam exigat.

CAP. 72. — *Gelasius episcopis per Campaniam et Brutios constitutis.*

Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant aliqui; nec illationibus quibuslibet impositis, exagitare cupiant renascentes.

CAP. 73. — *Toletanum concilium* XI, *cap.* 8.

(1, *q.* 1, *c. Quidquid.*) Quicunque in ecclesiastico ordine constituitur, aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, aut promotionibus graduum pretia quælibet vel præmia C nisi voluntarie oblata, pro hujusmodi ambitione susceperit; equidem si, sciente loci episcopo, tale quidquam a subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, pro eo quod et scita mala contexit, et correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem eorum quispiam eodem nesciente quodcunque pro supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit, si presbyter trium mensium excommunicatione plectatur. Si diaconus, quatuor; subdiaconus vero vel clericus his cupiditatibus serviens, et competenti pœna, et debita excommunicatione plectendus est.

CAP. 74. — *Bracarense concilium* II, *cap.* 7.

Si qui infantes suos ad baptismum offerunt, suscipiantur a clericis. D

CAP. 75. — *Ibidem, cap.* 1.

(10 *q.* 1, *c. Placuit omnibus episcopis.*) Per singulas Ecclesias episcopi, et per diœceses ambulantes, primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi vel missarum teneant, et qualiter quæcunque officia in Ecclesia peragunt, et si rectum quid invenerint, Deo gratias agant. Si autem minime, docere debent ignaros, et hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones jubent, ut (*De consecr., dist.* 4, *c. Ante* 20 *dies*) ante 20 dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni currant, in quibus 20 diebus omnino symbolum, quod est: Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceatur.

CAP. 76. — *Augustinus de pœnitentia c.* 2.

(*L.* II, *c.* 2. *Gra. De consec. dist.* 4, *c. Omnis qui.*) Omnis qui jam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi cum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur soli parvuli immunes sunt: nondum enim uti possunt libero arbitrio.

CAP. 77. — *Augustinus ad Seleutianam* [Solestianum], *epist. c.* 8.

(*De cons., dist.* 4. *c. Agunt.*) Agunt homines ante baptismum pœnitentiam de prioribus peccatis; ita tamen ut etiam baptizentur sicut scriptum est in Actibus apostolorum, loquente Petro ad Judæos ac dicente: *Agite pœnitentiam et baptizetur unusquisque* B *vestrum in nomine Domini Jesu Christi* (*Act.* II).

CAP. 78. — *Rabanus de institutione clericorum lib.* I, *cap.* 27.

(*De consec., dist.* 4, *c. Primum.*) Primum interrogetur paganus, si abrenuntiet diabolo et omnibus damnosis ejus operibus atque fallaciis cunctis, ut primum respuat errorem, sic appropinquet ad veritatem, possitque, juxta Apostolum, deponere veterem hominem secundum veterem conversationem (*Ephes.* IV), qui corrumpitur secundum desideria erroris, *abnegans impietatem et sæcularia desideria* (*Tit.* II).

CAP. 79. — *Ambrosius De sacramentis l.* I, *c.* 11.

Quando te interrogavit levita, abrenuntias diabolo et omnibus operibus ejus, quid respondisti? *Abrenuntio.* Abrenuntias sæculo, et omnibus voluptatibus C ejus, quid respondisti? *Abrenuntio.* Memor esto sermonis, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.

CAP. 80. — *Gregorius I, homilia* 29, *de eod*

In die baptismatis omnibus nos actibus antiqui hostis, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat: consideret si servet post baptismum, quod ante baptismum spopondit.

CAP. 81. — *Rabanus, de inst. cler.*

Post abrenuntiationem apostolicæ fidei, ostenditur ei Symbolum, et exquiritur ab eo si credat in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum D Filium ejus unicum Dominum nostrum, et in Spiritum sanctum unum Deum in Trinitate et unitate; si confiteatur unam esse sanctam Ecclesiam catholicam, et si credat remissionem peccatorum et vitam æternam. Hæc ergo omnia si se vere profitetur credere, jam incipit per fidem *induere novum hominem qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV), quo tamen plene imbuitur, quando per baptismi lavacrum regeneratur.

CAP. 82. — *Cap.* 25, *lib.* I.

Ante baptismum catechizandi debet hominem prævenire officium [*al.* in hominem pervenire officium], ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 83.

(*C. Ante baptismum de cons., dist.* 4. Item : Prius ipse Jesus cæci nati oculos luto, ex sputo facto superlinivit, et sic ad aquas Siloe misit (*Joan.* IX), quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, et sic ad baptismum jam credulus admitti, ut sciat cujus gratiæ in eo est particeps, et cui jam debitor fiat deinceps.

CAP. 84. — *Cap.* 26.

Baptizandis traditur salutare Symbolum, quasi commonitorium fidei, et sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant.

CAP. 85. — *Beda super Esdram, lib.* II.

Pulchre in Ecclesia his salubris mos doctrina Patrum inolevit, ut his qui catechizantur, quatuor B Evangeliorum sacramentum explanetur, ac recitentur exordia.

CAP. 86.

Item novæ vitæ auditoribus Symbolum fidei tradimus, quod per duodecim apostolos ordinatum est, et totidem sententiis comprehensum.

CAP. 87. — *Nicolaus papa Joanni archiepiscopo Ravennæ.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Catechismi.*) Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque Ecclesiæ possunt fieri, sicut in sancta hac Romana (cui Deo auctore ministerium famulatus nostri exhibemus) Ecclesia, solemniter fieri comprobatur.

CAP. 88.—*Isidorus de officiis, lib.* II, *cap.* 9.

Competentibus salutare Symbolum traditur quasi C commonitorium fidei et sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant.

CAP. 89.—*Augustinus de Symbolo, lib.* I, *cap.* 1.

Accipite regulam fidei, quod Symbolum dicitur; et cum acceperitis, in corde scribite et quotidie dicite apud vos : Antequam dormiatis, antequam procedatis, Symbolo vestro vos munite.

CAP. 90.—*Rabanus de institutione clericorum, lib.* I, *cap.* 27.

(*De cons., dist.* 4, *c. Postquam.*) Postquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendaverit dominium, et per abrenuntiationem a prioris possessoris se alienaverit servitio, exsufflatur ab eo sæva potestas, ut per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus. D

CAP. 91.—*Beda super Regum lib.* IV.

Recti ordinis est, ut doctores veritatis prius ab auditorum præcordiis omnem spiritum immundum exsufflando, et catechizando abigant; et sic eos qui fuerant castra dæmonum, sed facti jam possessio spiritualis Israel, societati sortis sanctorum mysteriis salutaribus imbuendo aggregent.

CAP. 92. — *Augustinus contra Julianum, lib.* IV.

(*Aug., de ecclesias. dog., cap.* 31.) Exsufflantur parvuli in exorcismo, priusquam baptizentur.

A

CAP. 93.—*Lib.* IV.

Ab eis qui renascuntur in Christo, princeps mundi mittitur foras, quod mysteria significant, quando parvuli baptizandi exorcizantur et exsufflantur.

CAP. 94.—*Augustinus de Symbolo, lib.* I, *cap.* 1.

(*De cons., dist.* 4, *c. Sicut nostis.*) Sicut nostis, parvuli et exsufflantur et exorcizantur ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exsufflantur, sed ille sub quo sunt qui sub peccato nascuntur.

CAP. 95. — *Rabanus de instit. clericorum, lib.* I, *cap.* 28.

(*De cons., dist.* 4, *c. Postea.*) Postea signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis, tam in fronte quam in corde, ut ipse apostata diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, jam sibi deinceps sciat illud esse alienum.

CAP. 96.—*Augustinus de Symbolo, lib.* II, *cap.* 1.

Nondum adhuc per sacrum baptisma renati estis, sed per crucis signum in utero sanctæ matris Ecclesiæ jam concepti estis.

CAP. 97.—*Rabanus, ibidem.*

Exin jam dicuntur super eum orationes, ut fiat catechumenus.

CAP. 98.—*Augst. de Symbolo, lib.* IV, *cap.* 1.

Omnia sacramenta quæ acta sunt et aguntur in vobis per ministerium servorum Dei exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus. Hæc omnia, ut dixi, escæ sunt quæ nos reficiunt in utero, ut renatos ex baptismo hilares vos mater exhibeat Christo.

CAP. 99.—*Rabanus, ibid.*

Tunc datur baptizando sal benedictum in os, ut per sal typicum sapientiæ sale conditus, fetore careat iniquitatis, et nec a vermibus peccatorum ultra putrefiat, sed magis illæsus servetur ad majorem gratiam percipiendam.

CAP. 100. — *Beda super Regum* [Esdram], *lib.* II, *cap.* 9.

(*Lib.* I, *c.* 27, *De cons., dist.* 4, *c. Sal cœlestis.*) Sal cœlestis sapientiæ quo initiantur catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificiis offerre jubemur.

CAP. 101.—*Isidorus de officiis, lib.* II, *cap.* 19.

Sales in ministerio catechumenis dandos a Patribus ideo est institutum, ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant a sapore Christi, nec sint fatui, ut retro respiciant sicut uxor Loth (*Gen.* XIX).

CAP. 102.—*Rabanus, ibid.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Dehinc.*) Dehinc iterum exorcizatur diabolus, ut suam nequitiam cognoscens, et justum super se Dei judicium timens recedat ab homine, nec jam contendat eum arte sua subvertere, ne baptismum consequatur, sed magis

Introdusă în format electronic de Google

honorem Deo creatori suo exhibens reddat opus Deo factori suo.

Cap. 103.—*Gregorius, homilia* 29 *(super evangelia).*

(De cons., dist. 4, c. Sacerdotes.) Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi dæmonia ejiciunt?

Cap. 104.—*Rabanus, ibid.*

(De cons., dist. 4, c. Postea.) Postea tanguntur ei nares et aures cum saliva, et dicitur ei verbum evangelicum, quod Jesus quando surdum et mutum sanavit, tangens cum sputo linguam ejus, et mittens digitos in auriculas ejus, dixit: *Effeta*, quod est *adaperire* (*Marc.* vii). Hoc enim sacramentum hic agitur, ut per salivam typicam, et sacerdotis tactum sapientia, et virtus divina salutem ejusdem catechumeni operetur; ut aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, ut aperiantur illi aures ad audiendum mandata Dei, sensuque intimo cordis reponendum.

Cap. 105.—*Beda in libro primo, homilia* 19 (homilia in Domin. xii post. Trinit.).

Mos increbuit Ecclesiæ, ut sacerdotes illius his quos percipiendis baptismi sacramentis præparant, prius inter cætera consecrationis exordia, de saliva oris sui nares tangant et aures, dicentes : *Effeta*. Per salivam quidem oris sui gustum, quo initiandi sunt, supernæ sapientiæ designantes; per tactum vero narium, ut abjectis delectationibus noxiis, solum Christi semper amplectantur odorem.

Cap. 106. — *Ambrosius de sacramentis, lib.* i, *cap.* 1.

Quid egimus in Sabbato? Nempe apertionem, quia mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures sacerdos tetigit et nares. Quod significavit in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus et mutus, tetigitque aures et os ejus (*Marc.* vii). Aures, quia surdus erat. Os, quia mutus erat, et ait : *Effeta*, Hebraicum verbum, quod Latine dicitur, *adaperire*. Ideo igitur tibi sacerdos tetigit aures, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, et ad eloquium sacerdotis. Item : Propter gloriam muneris et operis non os tangit episcopus, sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ.

Cap. 107.—*Nicænum concilium, cap.* 14.

De catechumenis lapsis sancto et magno concilio placuit, ut tribus annis sint inter audientes; post hæc autem cum catechumenis forent.

Cap. 108.—*Pro catechumenis Rabanus, ibid.*

(De cons., dist. 4, c. Deinde.) Deinde a sacerdote inungitur, ut sacrum baptisma cum fide accepta custodiatur. Ungitur illius tunc pectus de oleo sanctificato, cum invocatione sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur. Ungitur et inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

Cap. 109.—*Ambrosius de sacramentis, lib.* i, *cap.* 2.

(Lib. i, *c.* 2, *De cons., dist. 4, c. Venisti.)* Venisti ad fontem, ingressus es, considera quos videris; quid locutus sis, repete diligenter. Occurrit tibi levita; occurrit tibi presbyter : unctus es quasi athleta Christi, ut ad baptismum catechumenus accedas.

Cap. 110.—*Rabanus, eod. l., c.* 28.

Consecratur fons, et ad ipsum baptismum catechumenus accedit.

Cap. 111. — *Ambrosius de sacramentis, tract.* 2, *cap.* 5.

(De cons., dist. 4, c. Venit.) Venit sacerdos ad fontem, dicit precem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii et Spiritus sancti; utitur verbis cœlestibus, quæ Christi sunt, quod baptizetur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Cap. 112.—*Capitularium, lib.* vi, *cap.* 77.

In Sabbato sancto Paschæ vel Pentecostes, si quis velit aquam consecratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante chrismatis infusionem accipiat.

Cap. 113.—*Augustinus de Symbolo, lib.* i, *cap.* 1.

(Lib. ii, *c.* 1.) Hac nocte circa nos actum est quod cæteris noctibus actum non est, ut ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ. Ibique cervice humiliata, quæ male fuerat ante exaltata, in humilitate pedum cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis exstirparetur diabolus superbus, dum super nos invocatus est humiliter [humilis] altissimus Christus.

Cap. 114.—*Stephanus V Stiliano archiepiscopo.*

Nunquid non omnia charismata sacerdotalis ministerii, crucis figura perficiuntur? Nunquid ne baptismatis unda nisi cruce sanctificata peccata relaxat? Et ut cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotii gradus ascendit.

Cap. 115. — *Augustinus de unico baptismo, lib.* vi *(contra Donatistas.)*

(De cons., dist. 4, c. Si non sanctificatur.) Si non sanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si doctoribus fuerint recitatæ, et multa in eis reperiuntur contra catholicam fidem. Nunquid si manifestetur aliquos baptizatos, cum illæ preces dictæ super aquam fuissent, jubebuntur denuo baptizari? Quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus, et quia certa illa verba evangelica, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur, quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium nomine Christi excluditur. Nam, utique hæreticus si afferat precem vitiosam, nec bonum habeat charitatis affectum, quo possit illa imperitia superari, et ideo similis est ei quicunque in ipsa catholica invidus et malevolus quales illic arguit Cyprianus. Afferat etiam, ut fieri solet, aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei; multi quippe irruunt in preces, non solum

Introdusă în format electronic de Google

ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, et per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere utuntur eis, arbitrantes quod bonæ sint, nec tamen quod in eis perversum est, evacuat illa quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius evacuatur.

CAP. 116.—*Lib.* III.

(*Cap.* 10. *De cons., dist.* 4, *c. Non est aqua.*) Non est aqua profana et adultera, super quam Dei nomen invocatur, etiamsi a profanis et adulteris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est.

CAP. 117.—*Lib.* V.

(*Cap.* 19.) Quomodo aquam mundat, et sanctificat homicida? quomodo oleum benedicunt tenebræ? Si autem sacramentis adest et verbis suis, per quoslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt.

CAP. 118.—*Augustinus contra Julianum, lib.* IV.

Recole quemadmodum in Ecclesia Christi baptismatis mysteria celebrentur, et invenies, quod abrenuntient et parvuli per ora gestantium, sicut per ora gestantium credunt. Item :

CAP. 119.

Quisquis negat parvulos credere per ora gestantium, neget eos et accipere baptismum, quia in manibus gestantium reluctantur.

CAP. 120.—*Augustinus de libero arbitrio, lib.* III, *cap.* 28.

(*De cons., dist.* 4, *c. Illud perscrutari.*) Illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid parvulis prosit, cum, eo accepto, plerumque moriantur, priusquam ex eo quidquam cognoscere potuerint. Qua in re, satis pie recteque creditur prodesse parvulo eorum fidem, a quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem, commoda sit.

CAP. 121. — *Augustinus de pœnitentiæ medicina, cap.* 11.

Parvulis ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorum fides a quibus offeruntur, ut quascunque maculas delictorum per alios ex quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione purgentur.

CAP. 122. — *Augustinus super Joannem, tract.* 80.

Verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, ungentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem *corde* credere *ad justitiam, et ore* confiteri *ad salutem* (*Rom.* x).

CAP. 123. — *Isidorus de officiis, lib.* II, *cap.* 28.

(*De consecr., dist.* 4, *c. Ægrotantes.*) Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter et de pœnitentibus agendum.

CAP. 124. — *Augustinus de baptismo unico.*

(*Contra Donat. l.* IV, *c.* 24, *de cons., dist.* 4, *c. Cum pro parvulis.*) Si pro eo qui respondere potest in baptismo alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est quod omnes, cum legitur, naturaliter movet : *Ætatem habet, ipse pro se loquatur* (*Joan.* IX).

CAP. 125. — *Augustinus de adulterinis conjugiis ad Pollentium, lib.* I, *cap.* 28, *tomo VI operum.*

Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum ; tamen si desperati, et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos esse puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus solet. Quæ autem baptismatis, eadem et reconciliationis est causa, si forte pœnitentem est finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec enim ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.

CAP. 126. — *Ambrosius de sacramentis, tract.* 2, *cap.* 7.

Interrogatus es : Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti : *Credo ;* et mersisti, hoc est sepultus es. Iterum interrogatus es : Credis et in Deum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? Dixisti : *Credo ;* et mersisti. Ideo et Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit (*Rom.* VI). Tertio, interrogatus es : Credis et in Spiritum sanctum? *Credo;* et tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.

CAP. 127. — *Gregorius III papæ Bonifacio* (*epistola* 3).

Quosdam baptizatos absque interrogatione Symboli, ab adulteris et indignis presbyteris fassus es. In his tua dilectio teneat antiquum morem Ecclesiæ; quia quisquis *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatus est* (*Matth.* XXVIII), eum rebaptizari minime liceat. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis hujus gratiæ donum percepit.

CAP. 128. — *Canones apostolorum, capitulo* 5.

(*De consec. dist.* 4, *c. Si quis.*) Si quis presbyter trinam mersionem unius mysterii non celebret, sed semel mergat in baptismate quod dare jubetur in Domini mortem, deponatur. Non dixit Dominus : In morte mea baptizate ; sed : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII).

CAP. 129. — *Toletanum concilium* IV, *cap.* 5.

(*De cons., dist.* 1, *c. Propter.*) Propter vitandum

Introdusă în format electronic de Google

schismaticis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem.

Cap. 130. — *Gregorius Leandro episcopo* (*lib.* I, *c.* 41).

(*De consec. dist.*, 4, *c. De trina.*) De trina mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte, etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere. Quia dum tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse, nullatenus potest infantem in baptismate, vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari.

Cap. 131. — *Rabanus super Epist. ad Ephes. lib.* II.

Eodem modo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum baptizamus, et ter mergimus, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. *Item:* Licet ter baptizemus propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.

Cap. 132. — *Antissiodorense concilium, cap.* 25.

(*De cons., dist.* 4, *c. Non licet.*) Non licet abbati, nec monachis de baptismo suscipere filios, nec commatres habere.

Cap. 133. — *Capitularium, lib.* VII, *cap.* 494.

Monachi sibi compatres commatresve non faciant, nec osculentur feminas.

Cap. 134.—*Augustinus Dominica prima post Pascha, qui sic incipit: Hodiernus dies.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Vos ante omnia.*) Vos ante omnia tam viros quam femineas, qui filios in baptismo suscepistis moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum exstitisse, pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideo semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, hoc omnibus faciant quod sibi fieri volunt, auguria non servent, et ad arbores, et ad fontes vota non reddant, incantatores, aut caragios, sacrilegia, phylacteria, velut diaboli venena fugiant, nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia Symbolum et orationem Dominicam et vos ipsi tenete, et illis quos excepistis ostendite.

Cap. 135. — *Nicolaus ad consulta Burgarorum.*

Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem. *Item:* Est inter patres et filios spirituales gratuita et sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos non arbitramur fieri [*alias* esse] posse quodlibet conjugale connubium, quandoquidem nec inter eos qui natura, et eos qui in adoptione filii sunt venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. *Item:* Si inter eos contrahitur matrimonium quos adoptio jungit; quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus junxit. Longe igitur congruentius filius patris mei vel frater meus appellatur is quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius vel frater meus esset, elegit, prudentiusque ab alterna corporis commistione secernimur.

Cap. 136. — *Idem Salemonio episcopo.*

Nosse desideras utrum mulier quæ viri filium ex alia filia genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari? Quos ideo jungi posse decernimus, quia secundum sacros canones nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem: maxime cum præcipiat Apostolus: *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII). Et iterum: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*ibid.*). Ergo, si non ex consensu utriusque conjugis hoc esse factum probatur, non fraudentur invicem, sed revertantur in idipsum, præsertim cum dicat Apostolus: *Uxor sui corporis potestatem non habet, sed vir; sic vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier* (*ibid.*).

Cap. 137. — *Idem Salamoni Constantiensi episcopo.*

Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas spirituales commatres habere valeat, unam post alteram. In quo fraternitas tua meminisse debet scriptum esse: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque, cum constet quia vir et uxor una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri cui in matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur: et ideirco liquet virum illi feminæ non posse jungi in copula quæ commater erat ejus, cum qua idem una fuerat caro effectus.

Cap. 138. — *Idem Carolo archiepiscopo et ejus suffraganeis.*

Si quis cum commatre spirituali fuerit fornicatus, anathematis ut scitis percutitur ictibus [jaculis]. Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante episcopum tenuerit cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus; legitimam tamen si habuerit uxorem, non dimittit.

Cap. 139. — *Ex decretis Gregorii junioris.*

Si quis spiritualem commatrem in conjugium duxerit, anathema sit.

Cap. 140. — *Rabanus eodem libro, cap.* 28.

(*De cons., dist.* 4, *c. Postquam.*) Postquam asceenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente sinum et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 141. — *Ambrosius de sacramentis, tractat. 2, cap. 7.*

(*De cons., dist. 4, c. Emersisti.*) Emersisti, venisti ad sacerdotem; quid tibi dixit? *Deus*, inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* Vide ubi unctus es, in vitam, inquit, æternam.

Cap. 142. — *Tractat. 3 ejusdem, cap. 1.*

(*Ambr. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 6; de cons., dist. 4, c. Accipis.*) Accipis mysterium, hoc est unguentum super caput. Quare super caput? Quia sensus sapientis in capite ejus. Sequitur spirituale signaculum, quod post fontem superest, quo perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.

Cap. 143. — *Rabanus eodem libro, cap. 29.*

(*De cons. dist. 4, c. Post baptismum.*) Post baptismum traditur Christiano vestis candida, quæ significat innocentiam et puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conversationis immaculatam servare debet, ad præsentandum ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ. *Item:* Utuntur baptizati albis vestibus, ut quorum primæ nativitatis faciem vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diademate regni, et sacerdotali dignitate potiri.

Cap. 144. — *Ambrosius de mysteriis initiandis, cap. 7.*

Accepisti post baptismum vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum, et indueris innocentiæ casta velamina.

Cap. 145. — *Sanctus August. in octavis Paschæ, qui sic incipit.*

Paschalis festivitas hodierna festivitate concluditur, et ideo hodie neophytorum habitus commutatur; ita tamen, ut candor qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.

Cap. 146. — *Gregorius III Bonifacio.*

(*De cons., dist. 4, c. Parvulos.*) Parvulos qui a parentibus subtracti sunt, et an baptizati sint an non ignoratur, ut hos baptizare debeas, secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.

Cap. 147. — *Carthaginense concilium, capitulo 6.*

(*De cons., dist. 4, c. Placuit.*) Placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos. Similiter et de ecclesiis, quoties super earum hæsitatur consecratione, agendum est, id est ut sine trepidatione consecrentur.

Cap. 148. — *Nicolaus ad consulta Bulgarorum, cap. 104.*

(*De cons., dist. 4, c. A quodam.*) A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid inde sit consulitis agendum. Illi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (*Act. II, 10*), unum quippe, idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius, constat non esse denuo baptizandos.

Cap. 149. — *Gregorius III Bonifacio, epistola 4*

Illi qui baptizati sunt per diversitatem, et declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem, et sacri chrismatis unctionem confirmari.

Cap. 150. — *Idem Bonifacio.*

De illo falso episcopo, quem dixisti quod adulterati clerici et homicidæ filius in adulterio natus, et absque disciplina nutritus esset, et cætera mala horribilia, quæ per singula enarrasti, ac per hoc sui similes sacerdotes consecravit, de hoc meminit tua reverenda fraternitas, quia tribus jam vicibus scripsimus, ut nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat attrectare. De baptizatis vero ab illo seu ecclesiis consecratis, quod requirit tua fraternitas, scito ecclesias, quas in nomine sanctæ Trinitatis consecravit, et parvulos similiter quos baptizavit, qualiscunque sit qui sacerdotio fungebatur, non esse denuo eas per alium consecrandas, aut hos parvulos baptizandos.

Cap. 151. — *Anastasius papa II Anastasio.*

(*In dec., c. 7, c. Sanctæ Ecclesiæ catholicæ, dist. 19, part. prima.*) Sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his vel quos baptizavit Acatius, vel quos sacerdotes vel levitas secundum canones ordinavit, ulla ex nomine Acatii portio læsionis attingat, quod forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptisma, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum.

Cap. 152. — *Concilium IV Carthaginense, cap. 41.*

(*De cons., dist. 4, c. Non liceat.*) Non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes episcoporum.

Cap. 153. — *Gregorius Quirino episcopo in Hibernia, lib. IX, epist. 61.*

(*De cons., dist. 4, c. Ab antiqua.*) Antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut manus impositione, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per manus impositionem occidens, per unctionem vero sancti chrismatis, ad ingressum sanctæ catholicæ Ecclesiæ oriens reformat; Monophysitas [Monothelitas] vero et alios ex sola vera confessione recipit, quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per manus impositionem Spiritum san-

Introdusă în format electronic de Google

ctum acceperint; vel isti per confessionem veræ fi- A dei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. (*De cons., dist. 4, c. Hi vero.*) Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine baptizantur, sicut sunt Bonosiaci et Cataphrygæ, quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti Spiritum sanctum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt alii, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi, in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt, nec potest ipsum baptismum dici iteratum, quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum.

Cap. 154. — *Augustinus de verbis Domini, tractat.* 9.

Ille non est dicendus esse in Ecclesia, id est ad B societatem spiritus pertinere, qui ovibus Christi corporali tantum commistione ficto corde miscetur. *Spiritus* enim *disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* 1). Quapropter quotquot in schismaticis vel hæreticis congregationibus, vel potius segregationibus baptizantur, quamvis non sint renati Spiritu, tanquam Ismaeli similes, qui secundum carnem natus est Abrahæ, non sicut Isaac, qui secundum spiritum, quia per repromissionem (*Gen.* xxi); tamen cum ad catholicam veniunt, et societati spiritus aggregantur, quem foris procul dubio non habebant, non eis repetitur lavacrum carnis. Non enim defuit etiam foris positis ista forma pietatis, sed abfuit eis, quæ nisi intus non potest dari unitas spiritus, in vinculo pacis.

Cap. 155. — *Tractatu ejusdem* 63.

Hæretici et schismatici de fiscis Dominicis peculia sibi fecerunt, et greges non Christi, sed suos contra Christum pascere voluerunt. Plane in ipsis damnationibus [dominationibus] suis, titulum illius posuerunt. Ut prædæ illorum defenderentur quasi per titulum potentis. Quid facit Christus, quando tales convertuntur, qui foris ab Ecclesia titulum ejus baptismatis acceperunt? Ejicit prædatorem, et titulum non deponit. Sed possidet domum, quia invenit ibi titulum quid opus est, ut mutet nomen suum?

Cap. 156. — *Augustinus super Joannem part.* 1, *tract.* 5.

(*De cons., dist. 4, c. Baptismus.*) Baptismus talis est, qualis est ille, in cujus potestatem datur; non qualis ille est per cujus ministerium datur. D

Cap. 157. — *Item in eodem.*

Quid noverat Joannes Baptista? Dominum. Quid non noverat? Potestatem baptismi Dominici in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum. Potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum; respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit minister malus, ubi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus præco, si benevolus est judex?

Cap. 158. — *Item, in eodem tractatu.*

Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*II Cor.* iii). Qui vero superbus fuerit minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est; quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram. Puta quia iste lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest, sed per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generat, sed hortus fructus plurimos affert. *Item in eodem.* Ego dico, et nos dicimus omnes, quia justos oportet esse, per quos baptizatur, quia justos oportet esse tanti judicis ministros. Sint ministri justi si volunt. Si autem noluerint esse justi qui in cathedra Moysi sedent, securum me fecit magister meus, de quo spiritus ejus dicit: *Hic est qui baptizat* (*Matth.* xv).

Cap. 159. — *Item in eodem.*

(*De cons., dist. 4, c. Cum baptismus.*) Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit. Si ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat* (*Joan.* i). *Item.* Homicida dedit baptismum Christi, quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur.

Cap. 160. — *Item, tract.* 6.

(*De cons., dist. 4, c. Cum baptizat.*) Dum baptizat malus ex aliqua vel ignorantia ecclesiæ vel tolerantia; aut enim ignorantur mali aut toleratur palea, quousque in ultimo ventiletur area. Illud quod datum est, unum est, nec impar propter impares ministros, sed par et æquale propter hunc qui baptizat. (*Augustinus de ecclesiasticis regulis, cap.* 52.) Hi qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizantur et veniunt ad catholicam, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annulletur. Sed doceantur integre et instruantur quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur; et si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgati fidei integritate, firmentur manus impositione. Si vero parvuli sunt et hebetes qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi, et sic per manus impositionem chrismate communiti, cum eucharistiæ mysteriis admittantur. *Solutio Augustini ad quæstionem Orosii* (*l.* ii, *quæst.* 65 *in dialogo*). (*De cons., dist. 4, c. Baptismus.*) Quamvis unum baptisma sit hæreticorum, eorum scilicet qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant, et Ecclesiæ catholicæ; tamen quia foris ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem; habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes. Et ideo eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. ipsa est profecto forma sacramenti. Ideo dum re-

Introdusă în format electronic de Google

versi fuerint, accipient virtutem Spiritus sancti, quam hi qui foris ecclesiam baptizantur, nondum habent. *Augustinus contra Cresconium grammaticum, lib.* XI. Hoc est verum, hoc sanum, hoc catholicum, quod Christus mundet accipientium conscientias, sive per bonos ministros baptismi sui, sive per malos. *Item, cap.* 2. Si quæris quomodo baptizent quos damnavit Ecclesia, respondeo sic eos baptizare quomodo baptizant, quos damnavit Deus, antequam de illis quidquam judicaret Ecclesia. *Lib.* III, *cap.* 6. (*De cons., dist.* 4, *c. Si inter.*) Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptismus, qui per meliorem datur: nullo modo est malus, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur; et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est.

CAP. 161. — *Pelagius PP. Gaudentio episcopo.*

De hæreticis, ex quibus per Paulinum filium tuum virum clarissimum nos consulendos esse duxisti: ut si quidam ex iis reverti volunt ad catholicam fidem, utrum baptizandi sint, an tantummodo reconciliandi, hæc tuam volumus fraternitatem custodire, quæ circa Sirmiæ et Simgidunæ aliaque vicina loca (ubi istius hæresis homines multi sunt) novimus custodiri, ut quia in nomine solummodo Christi, una etiam mersione se asserunt baptizari. Evangelicum vero præceptum (ipso Deo Domino et Salvatore nostro Jesu Christo tradente) nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mersione baptisma unicuique tribuere, dicente Domino nostro discipulis suis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Si revera hi de præfatis hæreticis, qui in locis dilectioni tuæ destinatis vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cujusdam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes, sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero apud dilectionem tuam eorum qui converti volunt, manifesta confessione claruerit, quod in Trinitatis nomine fuerint baptizati, sola conciliationis gratia impensa, catholicæ reconciliare fidei maturabis, ut tali dispositione servata nihil aliter quam quod evangelica jubet auctoritas, temeritatis cujusdam spiritu videatur effectum.

CAP. 162. — *Augustinus de baptismo contra Donatistas lib.* II, *cap.* 53.

(*De cons., dist.* 4, *c. Solet etiam quæri.*) Solet etiam quæri utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur: si forte hoc curiositate aliqua didicit quomodo dandum [quemadmodum] sit, et utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur cum simulatione, an sine simulatione. Si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia, an jocans sicut in mimo. Et quid sit sceleratius in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia, id est animo non simulato. Et utrum in hæresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur. Quanquam talem, si etiam illi conferamus, qui in ipsa catholica fallaciter accipit, mirum si dubitatur quis cui præferendus sit. Quid enim prosit animus veraciter dantis fallaciter accipienti, non video. Sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem: cum et tradens et accipiens, fallaciter agant in ipsa unitate catholica, utrum hoc magis baptisma sit acceptandum, an illud quod in mimo datur: si quis existat fideliter, subito commotus accipiens, an quantum ad ipsos quidem homines attinet plurimum | distat inter credentem in mimo et in Ecclesia irridentem, ad ipsius autem sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant: cum tamen hoc idem utrique agant, cur extra intersit non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces a quibus agitur, et in quibus agitur. Et tamen si postea probatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Sed nobis totum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt. Id autem fiducia securæ [sit cura] vocis asserere, quod in gubernatione Domini nostri Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Verumtamen si quis me forte in illo concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non procedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem, quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem, quo eram, cum ea dictarem, nequaquam dubitarem habere baptismum eos qui ubicunque et a quibuscunque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent; quanquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua catholicæ insererentur Ecclesiæ. *Si enim*, inquit, *habeam fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Sicut jam præteritis majorum statutis, non dubito etiam illos habere baptismum, qui, quamvis id fallaciter accipiant in Ecclesia, tamen id accipiunt vel ubi esse putatur Ecclesia ab eis in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est: *Ex nobis exierunt* (*I Joan.* II). Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione gemitibus implorandum esse censerem ita sane ut post me dicturos sententias, si quid jam exploratum et cognitum afferrent, humiliter exspectarem. *Ib.* I, *cap.* 1. (*De cons. dist.* 4, *c. Ostenditur.*) Ostenditur illos impie facere, qui rebaptizare conantur orbis unitatem, et nos recte fa-

Introdusă în format electronic de Google

cere, qui Dei sacramenta improbare nec in ipso schismate audemus. In quo enim nobis consentiunt, in eo etiam nobiscum sunt. In eo autem a nobis recesserunt, in quo a nobis dissentiunt. *Item ibidem.* Sacramentum baptismi est, quod habet qui baptizatur; et sacramentum dandi baptismi est, quod habet qui ordinatur. Sicut enim baptizatus si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit. Nulli etiam sacramento injuria facienda est: si discedit a malis, utrumque discedit, si permanet in malis, utrumque permanet. Si ergo acceptatur baptismus, quem non potuit amittere qui ab unitate discesserat; sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille qui sacramentum dandi, cum discederet, non amiserat. *Item cap.* 12 *ejusd. libri.* Si ad baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non dimissa? Eligant quod volunt, utrumlibet elegerint, sufficiet nobis. Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum (*Sap.* I), si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? Si dixerint non esse dimissa, quæro, si postea fictionem suam corde concusso et vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur. Quod si dementissimum est dicere, fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans peccatorum absolutionem non sinere fieri, atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse hominem baptizari, ubi Christi baptismus eadem sacramenti celebratione datur et sumitur: qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum quisque reconciliatus unitati sacrilegio dissensionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, et dimitti non sinebantur.

CAP. 163. — *Item ibidem.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Quomodo exaudit Deus, et P. Lom. l.* IV, *d.* 4, *c. Qui vero.*) Nam impeditur baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat, etiam si odium fraternum in ejus cui dimittuntur, animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid superest, solvitur etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismo. Deinceps autem continuo reus esse incipit, non solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt. *Item cap.* 13 *ejusd. lib.* Illa quæ schismatici vel hæretici non aliter habent, non aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt non emendamus, sed potius approbamus. In quibus enim non dissentiunt a nobis, in eis non disjunguntur a nobis. Sed tamen quia nihil eis prosunt, quandiu schismatici vel hæretici sunt; propter alia, in quibus a veritate dissentiunt, et propter ipsum separationis immanissimum scelus, sive permanserint in eis peccata, sive continuo dimissa redierint, ut ad salutem pacis atque charitatis veniant adhortamur.

CAP. 164. — *Lib.* III, *cap.* 10.

(*De consecr., dist.* 4, *c. Non est aqua. Aug. lib.* III, *contra epistolam Parmeniani cap.* 11.) Baptismus vero Christi verbis evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici et immundi, quia et ipsa ejus sanctitas pollui non potest, et sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium. *Item* (1 *q.* 1, *c. Quod quidam. Ibid. Aug.*). Catholica vero propterea non debet iterare baptismum, qui apud hæreticos datus est, ne judicare videatur ipsorum esse quod Christi est, aut eos non habere, quod intus cum acciperent amittere utique foras exeundo non possent. *Item* (*De cons. dist.*, 4, *c. Non autem*): Non autem sicut hæresis hæreticorum est, sicut error ipsorum est, sicut sacrilegium dissensionis ipsorum est, sic etiam baptismus qui Christi est, debet dici ipsorum. *Item* (*cap.* 13 *ejusdem libri August.*) Nos hæreticorum esse baptismum dicimus verbis Evangelicis consecratum, commoti factis eorum etiam quæ Dei sunt, eis tribuere volumus quasi ea contaminare potuerint, aut propterea sua facere quæ Dei sunt, quia ipsi Dei esse noluerunt.

CAP. 165. — *Lib.* IV *De baptismo, cap.* 4.

Sicut urgeri videor cum mihi dicitur: Ergo hæreticus dimittit peccata? sic et ego urgeo cum dico, Ergo qui cœlestia mandata non servat, avarus, raptor, fenerator, invidus, verbis sæculo non factis renuntians, dimittit peccata? Si per vim sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur. *Item* (*eod. cap.*): Si in hæresi baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, non fit tamen templum Dei, si ab hæresi non recesserit, quomodo neque in avaritia, in eodem nomine baptizatus sit templum Dei, si ab avaritia non recedat, quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V). *Item* (*capite* 5 *ejusdem lib.*): Sed si possunt (ut dixi) amborum peccata, æqualiter appendantur, ignorantis blasphemia et scientis idololatria, et eadem sententia judicentur, ille qui Christum quærendo in verisimilem sermonem falsitatis incurrit; et ille qui sciens Christo resistit per Apostolum. *Quoniam, omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei* (*Ephes.* V). Cur in illo baptismus et evangelica verba improbantur, in isto autem approbantur, cum ab illius columbæ membris uterque inveniatur alienus? *Item, c.* 11.

(*De cons., dis.* 4, *c. Nullus autem*). Perfidus autem et blasphemus, si in perfidia et blasphemia permanserit, nec extra Ecclesiam, nec intra Ecclesiam remissionem accipit peccatorum. Aut si propter vim sacramenti ad punctum temporis accipit, et foris et intus eadem vis operatur, sicut vis nominis Christi expulsionem dæmoniorum etiam foris operabatur. *Item, c.* 15 (*De cons., dist.* 4, *c. Satis ostendimus*). Satis ostendimus ad baptismum, qui ver-

Introdusă în format electronic de Google

bis Evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina cœlestis insinuat. *Item*, *c.* XVI. Constituamus ergo duos aliquos isto modo : Unum eorum verbi gratia id sentire de Christo quod Photinus opinatus est, et in ejus hæresi baptizari extra Ecclesiæ catholicæ communionem ; alium vero hoc idem sentire, sed in catholica baptizari, existimantem ipsam esse catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit et illud quod tenebat elegerit. Quod antequam fiat, manifestum est illum qui foris baptizatus est esse pejorem. Itaque in hoc sola falsa opinio, in illo autem etiam ipsa divisio corrigenda est, sed in neutro ipsorum sacramenti veritas repetenda.

CAP. 166. — *Item*, *c.* 17.

Potest nobis et hæreticis baptisma esse commune, cum quibus potest et Evangelium esse commune, quamvis a fide nostra error distet illorum, sive aliud de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto sentiant quam veritas habet, sive ab unitate præcisi non colligant cum Christo, sed spargant (*Matth.* XII).

CAP. 167. — *Lib.* V, *cap.* 13.

(*De cons.*, *dist.* 4, *c. Cum tantum.*) Cum tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per apostolum datus, ita nec illius, nec illius, sed Christi, esse cognoscitur. *Item* (*cap.* 14, *lib.* V *contra Donatistas.*) Invenimus dictum ab Apostolo, et *gloriam meam.* (*I Thes.* II), quamvis utique in Domino, et *ministerium meum*, *et prudentiam meam*, *et evangelium meum* (*Rom.* II), quamvis utique a Domino impertitum atque donatum, Baptismum autem meum, nemo eorum dixit omnino. Neque enim omnium æqualis est gloria, nec ministrant omnes æqualiter, nec æquali prudentia sunt omnes prædiți, et in evangelizando alius alio melius operatur. Et ideo dici potest alius alio doctior, et ipsa doctrina spirituali [salutari], alius autem alio majus minusve baptizatus dici non potest, sive ab inferiore, sive a majore baptizetur. *Item* (*Aug. lib.* V, *De baptismo contra Donatistas*, *c.* 15) : Si jus baptizandi non habuit qui baptizat, tamen Christi est quod dedit, et ille Christi est qui accepit. Multa enim contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur. *Item* (*cap.* 18 *ejusdem*) : Cum ergo et intus sint mortui, neque latentes, nam non de illis tanta diceret Cyprianus, qui vel non pertineant ad illam vivam columbam, vel nondum pertineant, et foris sint mortui, qui manifestius ad eam vel non pertineant, vel nondum pertineant, verumque sit non posse ab eo vivificari alterum qui ipse non vivit ; manifestum est eos qui intus a talibus baptizantur, si vera conversione cordis accedunt, ab eo vivificari, cujus est baptismus. *Item* (*Cap.* 29 *ejusdem.*) Illud autem quale est, ut ideo putetur hæreticus non habere baptismum, quia non habet Ecclesiam? Et utique cum baptizatur, etiam de sancta Ecclesia interrogatur. Quasi vero ille qui intus non factis, sed verbis sæculo renuntiat, non hoc in baptismo interrogetur. Sicut ergo hujus falsa responsio non efficit ut baptismus non sit quem percipit, et sicut ille si postea quod fallaciter responderat, veraciter impleat, non ei baptismus repetitur, sed vita corrigitur ; sic et ille si postea veniat ad Ecclesiam, de qua interrogatus falsum responderat, quia eam se habere, dum non haberet, putabat, ipsa, quam non habebat, eidatur, non quod acceperat, iteratur. Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ possit Deus tamen oleum sanctificare, et in altari quod hæretici posuerunt non possit, nescio.

CAP. 168. — *Lib.* VI, *cap.* 5.

In homine justo et in homine injusto semper sanctum est baptisma, quod neque alicujus æquitate augetur, neque alicujus iniquitate minuitur.

CAP. 169. — *Zacharias Bonifacio episcopo.*

(*De cons. dist.* 4, *c. In synodo.*) In synodo Anglorum decretum et judicium firmissime præceptum et diligenter demonstratum esse dinoscitur, ut quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet ; quod omnino verum est, quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti fuerit baptizatus. De presbyteris scripsisti qui tauros vel hircos diis paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum, habentes et pollutum ministerium, ipsique adulteri esse inventi sunt postea, et defuncti. Modo vero incognitum est, utrum baptizantes Trinitatem dixissent, an non, et timent illi qui vivi sunt quod in tali ministerio non sunt baptizati : quibus respondens, jussisti omnes baptizare. Hoc quoque observari in supradicta synodo sacerdotes voluerunt : ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset, quod pro certo verum est, quia qui unum ex sancta Trinitate confessus non fuerit nomen, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem et Filium, si confessus non fuerit et Spiritum sanctum, nec Patrem habet nec Filium. Et qui confessus fuerit Patrem et Spiritum sanctum, et Filium non fuerit confessus, nec Patrem habet nec Spiritum sanctum, sed vacuus est a divina gratia. Interea scripsit reverenda fraternitas tua reperisse te quemdam presbyterum genere Scotum, nomine Sampson, errantem a via veritatis, dicentem et affirmantem, quod sine mystica invocatione, aut lavacro regenerationis posset fieri catholicus Christianus per episcopalis manus impositionem. Hic autem qui hoc dicit, vacuus est Spiritu sancto, et alienus gratia Christi atque a consortio sacerdotali abjiciendus. Quis enim nisi baptizetur juxta præceptum Domini (*Matth.* XXVIII), in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sic per manus impositionem consecretur, potest esse catholicus? Hunc

Introdusă în format electronic de Google

nequissimum virum talia prædicantem ab Ecclesia Dei sancta condemnatum expelle; in illos autem qui ab hæreticis baptizati sunt, hoc sine dubio juxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii papæ, et sacrorum canonum, traditum tibi mandatum implere non omittas, ne in æternum pereant, sed potius evangelica consecratione salventur.

Cap 170. — *Augustinus, De baptismo unico, lib.* 1, *c.* 2.

(24, *q.* 1, *c. Si quem forte.*) Si quem forte extrema coegerit necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, non invenerit, et in animo pace catholica constituta per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate percepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus; quia præsentem Deum cordi suo unitate ibi servabat, et sine sancti baptismi sacramento (quod ubicunque invenit, non hominum, sed Dei esse cognovit), noluit ex hac vita migrare. Si quis autem, cum possit in ipsa catholica accipere, aliqua mentis perversitate eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venerit ad catholicam, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi potest, prodesse non potest, procul dubio perversus et iniquus est, et tanto perniciosior, quanto scientior.

Cap. 171. — *Epistola Augustini* 23 *ad Bonifacium.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Non illud.*) Non illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

Cap. 172. — *Epistola Augustini* 203 *ad Maximinum.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Rebaptizare.*) Rebaptizare hæreticum hominem qui hæc sanctitatis signa perceperit quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est.

Cap. 173. — *Beda, in libro Homiliarum, homilia* 36, *in caput* III *Joannis.*

(*De cons., dis.* 4, *c. Sive hæreticus.*) Sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio vel invocatio tanti nominis videatur annullari.

Cap. 174. — *Haymo, super primam Epistolam ad Corinthios.*

In tantum retinuit sibi Christus potestatem baptizandi, ut sicut dimittuntur ei peccata omnia, qui a sancto et innocente viro tingitur in aqua, ita illi qui a peccatore et scelerato, tantum, ut in nomine sanctæ Trinitatis illud fiat. Meritum enim vitæ baptizantis sive agentis nec prodest, nec obest in hac parte illi qui baptizatur.

Cap. 175. — *Capitulorum libri* V, *capitulo* 6.

Si quis baptizatus fuerit a presbytero non baptizato, et sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius papa dixit, impositione vero manus indiget.

Cap. 176. — *Augustinus, super primam Epist. ad Corinthios.*

Scimus Spiritum sanctum sine manus impositione datum a Deo, et non baptizatum consecutum remissionem peccatorum. Nunquid non Cornelius invisibiliter baptizatus est, quando donum baptismatis consecutus est.

Cap. 177. — *Augustinus, De unico baptismo, lib.* IV, *c.* 22.

(*De consec., dist.* 4, *c. Baptismi.*) Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso*, beatus Cyprianus non leve documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi, in angustiis temporum, succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili baptismi sacramento quod ait Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x), in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. (*Cap.* 23 *ejusdem lib.*) Et sicut in illo latrone quod de baptismi sacramento defuerat complevit Omnipotentis benignitas, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat; sic infantibus qui baptizati moriuntur eadem gratia Omnipotentis explere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum pro eis oratur, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum celebrationem, quia ipsi respondere non possunt. Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.

Cap. 178. — *Item Augustinus, eodem c.* 23.

Si autem in latrone, per [quia] necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adfuit, sic et cum ipse præsto est, si per necessitatem desit, quod latroni adfuit, perficitur salus, quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt credere ad justitiam et ore confiteri ad salutem, quod latro potuit : quin etiam

Introdusă în format electronic de Google

flendo, et vagiendo cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, et nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. *Item.* Quibus omnibus rebus ostenditur aliud esse sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse ut et alterum desit, quia et illud sine isto potest esse ut in infante, et illud sine illo potuit esse, ut in latrone, complente Deo, sive in illo, sive in isto, quod non voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi, et baptismus quidem potest inesse, ubi conversio cordis defuerit. Conversio autem cordis potest quidem inesse, non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque ullo modo dicenda B est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.

CAP. 179. — *Gregorius Landulpho principi Salernitano.*

Licet ex devotionis studio non dubitamus procedere, quod nobilitas tua Judæos ad Christianum cultum disponit adducere, tamen quia id inordinato videris studio agere, necessarium duximus admoniendo tibi litteras nostras dirigere. Dominus enim noster Jesus Christus nullum legitur ad sui servitium violenter coegisse, sed humili exhortatione reservata unicuique proprii arbitrii libertate, quoscunque ad vitam prædestinavit æternam non vindicando, sed proprium sanguinem fundendo ab C errore revocasse. *Item.* Beatus Gregorius ne eadem gens ad fidem violentia traheretur, in quadam sua epistola contradicit.

CAP. 180. — *Virgilio et Theodoro episcopo* [*episcopis*] *Massiliæ* (*lib.* I *registri epistolarum, cap.* 45).

Plurimi Judaicæ religionis viri in hac provincia commorantes, ac subinde ad Massiliæ partes pro diversis negotiis ambulantes, ad vestram produxere notitiam multos consistentium in illis partibus Judæorum, vi magis quam prædicatione ad fontem baptismatis perductos. Nam intentionem quidem hujuscemodi, et laude dignam censeo, et de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed in hac eadem intentione [hanc eamd. intent.] nisi competens Scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proveniat, aut juxta aliquid animorum quædam dispendia (quod absit!) consequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur.

CAP. 181. — *Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum, cap.* 41.

De his qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, et idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud possumus scribere vobis, nisi ut ad fidem rectam monitis, et hortationibus, et ratione, eos potius quam vi quod vane sapiunt convincatis.

CAP. 182. — *Item.*

Nulla cum his, qui non credunt, idolaque adorant, miscenda communio est. Porro illis ut credant, violentia nulla inferenda est; nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest. *Capitulo secundo.* Non esse inferendam pagano violentiam, ut Christianus fiat, supra docuimus.

CAP. 183. — *In Vita beati Gregorii, lib.* IV, *cap.* 42.

Quemadmodum Judæos baptizari violenter Gregorius denegabat, ita Christianos eis quoquo modo subjici nullatenus permittebat.

CAP. 184. — *Augustinus contra Julianum, lib.* VI, *cap.* 5.

(*De cons., dist.* 4, *c. Si ad matris.*) Si ad matris corpus in quod in ea concipitur pertineret, ita ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum etiam ipse baptizaretur, non utique bis baptizatus habebitur. Non utique ad maternum corpus cum esset in utero, pertinebat. *Item.* (*Ejusdem lib. cap.* 6.) Si quidquid est in homine quando baptizatur et sanctificatur baptizari et sanctificari putandum est. Dicturus es et ipsa in illo baptizari et sanctificari quæ in intestinis et vesica per digestiones corporis digeruntur. Dicturus es baptizari et sanctificari hominem in matris utero constitutum, si ad hoc sacramentum accipiendum necessitas cogat gravidam, et ideo baptizari jam qui nascitur non debere. Postremo dicturus es baptizari et sanctificari febres, quando baptizantur ægroti.

CAP. 185. — *Isidorus, sententiarum lib.* I, *cap.* 18 [22]; *l.* I *De summo bono, c.* 25.

(*De cons., dist.* 4, *c. Qui in maternis.*) Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci; neque enim dici regeneratio in eum potest, quem generatio non præcessit. Qui scelerate vivunt in Ecclesia, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi.

D CAP. 186. — *Gregorius respondens Augustino, c.* 10.

(*De cons., dist.* 4, *c. Si quæ mulier.*) Mulier prægnans cur non debeat baptizari ignoro, cum ante omnipotentis Dei oculos non sit culpa aliqua fecunditas carnis.

CAP. 187. — *Aug., Bonifacio, epist.* 23.

(*De cons., dist.* 4, *c. Nihil est.*) Nihil est aliud credere quam fidem habere; ac per hoc cum respondetur credere parvulus, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti. *Item.* Parvulum etsi nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacra-

Introdusă în format electronic de Google

mentum fidelem facit, sicut credere respondetur; ita etenim fideles vocantur, non rem ipsam mente abnuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo.

Cap. 188. — *Augustinus, ad Renatum, De anima, l.* II, *c.* 12.

Mysterium credulitatis in parvulis per eorum responsionem a quibus gestantur impletur.

Cap. 189. — *Augustinus, de Symbolo, libro* II, *cap.* 1.

Vos professi estis renuntiare diabolo, pompis et angelis ejus. Videte, dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, sed a superiore cœlitus potestate.

Cap. 190. — *Ambrosius super Lucam, libro decimo* (*cap.* 88).

Si catechumenum quis vel hæreticus, vel schismaticus, tanquam de utero vel animæ vel Ecclesiæ parturientis excusserit, levius punitur; si fidelem, gravius.

Cap. 191. — *Augustinus in libro ad Fortunatum.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Sanctum est.*) Sanctum est baptismum per seipsum quod datum est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; ita ut in eodem sacramento sit etiam auctoritas traditionis per Dominum nostrum ad apostolos, per illos autem in episcopos et alios sacerdotes, vel etiam laicos Christianos ab eadem origine ac stirpe venientes. (*De cons., dist.* 4, *c. In necessitate.*) Namque in necessitate cum episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, et urget periculum ejus qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat, etiam laico dare solere, sacramentum quod acceperunt, solemus audire. Nam, cum illa historia narratur, omnes qui audiunt prope ad lacrymas movet. Cum in navi quadam fidelis nullus esset, præter unum pœnitentem, cœpit imminere naufragium. Erat ibi quidam salutis suæ non immemor, et sacramenti vehementissimus flagitator, nec erat aliquis qui dare posset, nisi pœnitens ille : acceperat enim de peccato de quo agebat pœnitentiam. Amiserat de senioribus sanctitatem, sed non amiserat sacramentum. Nam, si hoc amittunt peccantes cum reconciliantur post pœnitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat et, ne periculose vitam finiret non reconciliatus, petit ab ipso quem baptizaverat ut eum reconciliaret. Et factum est; evaserunt naufragium. Cognitum habes quod fecerant, nemo exstitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet abfuisse. Motus enim animus religiosus et supplex ab homine exegit sacramentum, a Deo impetrat sanctitatem. Quod si forte hoc quod narravi qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere : non enim hoc Scripturarum divinarum auctoritas, sed incerto auctore fama commendat, non repugnabo, sed interrogo si tale aliquid contingat, quid futurum est? Non enim potest quisquam dicere, relinquendum illum esse, qui A morte imminente baptizari desiderat, quem baptizatum a pœnitente quisquis non credit contigisse, oportet ut credat, posse contingere.

Cap. 192. — *Augustinus de animæ origine, ad Victorem lib.* I (*cap.* 9).

Latro quamvis poterit divino judicio inter eos deputari, qui martyrii confessione purgantur; tamen etiam utrum non fuerit baptizatus ignoras. Nam, ut omittam quod creditur, aqua simul cum sanguine exsiliente de latere Domini juxta confixus potuisse perfundi, atque hujusmodi sanctissimo baptismate dilui. Quid si in carcere fuerat baptizatus? quod et postea persecutionis tempore nonnulli clanculo impetrare potuerunt. Quid si antequam teneretur? neque enim propterea illi publicæ leges parcere poterant, quantum attinet ad corporis mortem, quoniam divinitus remissionem acceperat peccatorum.

Cap. 193. — *Augustinus homilia ad Neophytos; quæ sic incipit : Omnis quidem de his sermo.*

Recordetur ergo unusquisque vestrum singulas mysteriorum species, quas per nostrum, donante Domino, estis ministerium consecuti; et ea quæ tunc suppliciter ac fideliter suscepistis, nunc intelligite prudenter, ut melius possitis intellectu servare. In primis certe aures vestras oleo benedictionis oblinimus. Sed ob quam causam secundum ecclesiasticam traditionem ab omnibus catholicis Christi sacerdotibus fiat agnoscite. Introitus fidei et totius sanctæ doctrinæ ad animum per aures admittitur, et de auditu intellectus exoritur. Neque enim potest aliquis fidei sacramenta cognoscere, nisi audiat prædicantem. *Item.* Ergo adhibita auribus unctio sancta significat, ut omnes extra disciplinam sermones, quasi doctrinæ Christi obloquentes adversentur ac fugiant; sed ad sola Dei verba audienda convertant, quia illito illo oleo, auditum suum Christi eloquiis consecrarunt. *Item.* Vos autem postquam vestræ aures oleo benedicto sunt illitæ, designati estis in numero auditorum sapientium, ut recte retinentes Dei verba, id est quæ auditis implentes, in die judicii audiatis vobis Christum dicentem : *Venite, benedicti Patris, mei, suscipite paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). Illud autem non otiose, nec absque certa ratione mysterii factum putetis, quod nares quoque vestras oleo benedictionis unximus. Quod idcirco fieri intelligitur, ut ii qui ad baptismum veniunt, admoneantur tanti mysterii sacramentum usque ad mortem inviolatum atque integrum custodire ut, quandiu spiritum vitæ hujus naribus suis attrahunt, a Christi Domini nostri cultura et servitio non recedant. *Item.* Sed adhuc subtilior intellectus in narium unctione signatur. Illius enim olei odor, quod in Christi nomine et virtute benedictum est, ad odoratum vos provocat spiritualem, ut non corporis sed mentis sensibus Christum inæstimabili suavitate sentire possitis, et delectati notitia odoris ejus ipsius vestigia subsequentes dicere valeatis illud quod ad Deum credentium chorus lo-

Introdusă în format electronic de Google

quitur : *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I).

CAP. 194. — *Homilia* 3.

(*De cons. dist.* 4, *c. Prima igitur.*) Prima ergo et secunda prædicatione de iis tantum locuti sumus, quæ vobis priusquam ad fontem sanctum veniretis, juxta catholicæ regulæ instituta tradidimus, et quid significaret unctio, quæ diversis corporis nostri adhibita partibus diversum intellectum designat, prout Dominus donare dignatus est interpretati sumus, cum ostenderemus vos per oleum sanctificationis ad auditum plenæ fidei præparatos, et bonum Christi odorem vocatos ex toto corde ad abrenuntiandum diabolo esse commonitos. Nunc vero de interioribus jam mysteriis locuturi sumus, quæ in ipso sancto fonte celebrata sunt. Emissa enim certissima cautione, qua vos abrenuntiare omnibus pompis, et operibus ejus, et omni fornicationi diabolicæ spopondistis descendentes in fontem, fontem sacrum, fontem redemptionis, fontem sanctificatum virtute cœlesti. *Item.* In hoc ergo fonte antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus : Credis in Deum Patrem omnipotentem? Respondistis : *Credo.* Rursum interrogavimus : Credis et in Jesum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine? Respondistis singuli : *Credo.* Iterum interrogavimus, et in Spiritum sanctum? Respondistis similiter : *Credo.* Hoc autem fecimus secundum Domini nostri Jesu Christi Salvatoris imperium. Qui cum ad Patrem in cœlos ascenderet, discipulis suis, id est apostolis mandavit, dicens : *Euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). *Item.* Quod autem interrogavimus : Credis sanctam Ecclesiam et remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem, non eo modo interrogavimus : ut quomodo in Deum creditur; sic et in Ecclesiam sanctam et catholicam. Propterea sancta et catholica est, quia recte credit in Deum. Non ergo diximus, ut in Ecclesiam, quasi in Deum credaretis; sed intelligite vos dicere, et dixisse ut in Ecclesia et sancta et catholica conversantes in Deum credaretis; credaretis etiam resurrectionem carnis quæ futura est. *Item.* (*De consecr., dist.* 4, *c. Postquam.*) Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus. Qui ordo baptismatis duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Jesu Christi (*Rom.* VI), qui tertia die resurrexit a mortuis. Ita enim tertio repetita demersio typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo, et cum Christo resurrexistis in fide, ut peccatis abluti in sanctitate virtutum, Christum imitando vivatis.

CAP. 195. — *Homilia.*

Hucusque de mysteriis locuti sumus quæ per sacramentum in ipso baptismate celebrantur. Nunc vero de his acturi sumus quæ jam de baptizatis sancta institutione complentur. Impleto enim baptismate, caput vestrum chrismate, id est oleo sanctificationis infundimus : per quod ostenditur baptizatis regalem et sacerdotalem conferri a domino dignitatem. Nam in Veteri Testamento hi qui eligebantur in sacerdotio, vel in regno, sancto ungebantur oleo; et unctione capitis alii regnandi in populum Dei, alii sacrificia offerendi Deo, accipiebant a domino potestatem. *Item.* Completis autem omnibus sacramentis, etiam mandatum vobis et exemplo et sermone tradimus. Lavimus enim singulorum pedes, ad imitationem vos nostram, imo ipsius Domini et Salvatoris nostri provocantes, ut quemadmodum nos vestros pedes lavimus, ita etiam vos pedes fratrum et hospitum lavare debeatis.

CAP. 196. — *Anastasius Epitecto episcopo.*

Gabriel mittitur ad Mariam, non transitorie virginem, sed ad virginem desponsatam viro (*Luc.* II); ut sponso ostenderet Mariam vere hominem fuisse, et partus meminit Scriptura, et dicit : Involvit puerum (*ibid.*), et beata sunt ubera quæ suxit (*Luc.* XI), et oblatum est sacrificium, quoniam aperuit qui natus est vulvam. Hæc autem omnia parturientis virginis erant indicia.

CAP. 197. — *Ut præter Pascha et Pentecosten, nisi morte periclitantibus baptisma non fiat. Ex epistola Leonis papæ, cap.* 11.

Unde quia manifestissime patet baptizandis in ecclesia electis, hæc duo tempora, id est Pascha et Pentecosten esse legitima : dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observationi misceatis, quia etsi sunt alia quæque festa quibus in honore Dei multa reverentia debeatur, principalis tamen et maximi sacramenti custodienda nobis est mystica et rationabilis exemplatio : non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus subvenitur; ita enim ab his duabus festivitatibus connexis sibimet atque cognatis incolumium, et pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, aut persecutionis angustia, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus.

CAP. 198. — *Quo tempore baptisma celebrandum sit. Ex decretis Victoris papæ, fratribus per Alexandriam constitutis* (*epist.* 1 *ad Theophilum*).

(*De cons., dist.* 3, *c. Celebritatem.*) In Paschali vero tempore et Pentecostes baptisma celebrandum est catholicum : sed si necesse fuerit aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocunque loco vel momento, ubicunque evenerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christianæ confessionis credulitate clarificata baptizentur. Ipsum quoque quod in baptismo polliciti sunt, summopere attendendum est ne infideles, sed fideles inveniantur. Ipsi vero qui infidelitatis nota asperguntur infames efficiuntur, atque inter fideles minime reputantur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 199. — *De duobus temporibus baptismatis. Ex decretis Gelasii papæ X (epistola 1 ad episcopos Lucaniæ et Brutios*, etc.

(*De cons., dist. 4, c. Baptizandi.*) Baptizandi sibi quispiam passim quocunque tempore nullam eredat inesse fiduciam, præter paschalis festi et Pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præventus excedat.

CAP. 200. — *De eodem. Ex decretis Siricii papæ, cap. 2 (epist. ad Himerium Terraconeum episcopum).*

(*De cons., dist. 4, c. Non ratione auctoritatis.*) Sequitur de diversis baptizandorum prout cuique libitum fuerit improbabilis et emendanda confusio, quæ a nostris consacerdotibus quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis ullius, sed sola temeritate præsumitur, ut passim ac libere natalitiis Christi seu apparitionis, nec non apostolorum seu martyrum festivitatibus innumeræ, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur, cum hoc privilegium sibi apud nos et apud omnes Ecclesias, Dominicum specialiter Pascha cum sua Pentecoste defendat.

CAP. 201. — *De eodem. Ex concil. apud Compendium, cap. 4.*

Ut extra statuta tempora canonum, id est in Pascha et Pentecoste, baptisma non celebretur; quia sancti canones hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum institerit fieri prohibent, in tantum ut etiam eos qui alio tempore baptizant, a gradibus ecclesiasticis abstineant, nec ad clerum admittantur.

CAP. 202. — *Item de eodem. Ex concilio Wormatiensi, cap 9.*

Socrasancti baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate et Pentecoste unusquisque fidelium noverit esse præbendum, excepto quod his qui, mortis periculo urgente, ne in æternum pereant talibus oportet remediis subvenire.

CAP. 203. — *Ut viginti dies ante baptismum ad purgationem exorcismi catechumeni veniant. Ex concilio Bracarensi, cap. 4.*

(*De cons., dist. 4, c. Ante dies* 20.) Hoc omnibus modis præcipimus, et antiqui canones jubent, ut ante baptismum 20 dies ad purgationem exorcismi catechumeni veniant, et in illis 20 diebus juxta canonicum præceptum et erudiantur et consecrentur.

CAP. 204. — *Quod omnes ad baptismum venientes quinta feria majoris hebdomadæ, fidem episcopo vel presbytero reddere debeant. Ex concilio Laodicensi, cap. 46.*

Quod oporteat eos qui ad baptisma veniunt, fidem discere, et quinta feria septimanæ majoris, episcopo vel presbyteris reddere.

CAP. 205. — *Ut omnes baptizandi prius sint exorcizandi. Ex decretis Cœlestini papæ. Galliarum episcopis missis, cap. 12.*

Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu : cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat quomodo princeps hujus mundi mittatur foras.

CAP. 206. — *Ut baptizandi nomine dato a carne et vino abstineant. Ex concilio Carthaginensi IV, cap. 75.*

(*De cons., dist. 4, c. Baptizandi.*) Baptizandi nomen suum dent sub abstinentia vini et carnium, ac manus impositione crebro examinent baptismum.

CAP. 207. — *Quod neophyti a lautioribus cibis ad aliquod tempus et a conjugibus abstinere se debeant. Ex eodem concilio, cap. 76.*

(*De cons., dist. 5, c. Neophyti.*) Neophyti aliquandiu a lautioribus epulis et spectaculis et conjugibus abstineant.

CAP. 208. — *Ut omnis presbyter vas baptismale habeat. Ex concilio Meldensi, cap. 7.*

(*De cons., dist. 4, c. Omnis presbyter.*) Omnis presbyter qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod extra ecclesiam non deportetur Similiter ad corporale lavandum, et ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat.

CAP. 209. — *Ut nullus presbyter nisi in civitatibus baptizare debeat, excepta causa infirmitatis. Ex concilio eod., cap. 48.*

Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in civitatibus atque temporibus constitutis, nisi causa ægritudinis, aut certæ necessitatis et in illis locis quæ auctoritatem et privilegia debita retineant.

CAP. 210. — *Qualiter ei qui fidelis existere voluerit, baptismum sit tribuendum. Ex decretis Clementis papæ, cunctis fidelibus missis epistola 3.*

Si quis ergo fidelis existere voluerit et desiderat baptizari, ut exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actibus hæres bonorum cœlestium fiat, accedat ad sacerdotem suum, et ipsi det nomen suum, atque ab eo audiat mysteria regni cœlorum. Jejuniis frequentibus operam impendat, ac semetipsum in omnibus probet, ut tres menses jam consummando, in die festo possit baptizari. Baptizetur unusquisque in aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis invocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hæc consecratus percipere possit locum cum sanctis.

CAP. 211. — *De martyribus qui sine baptismo martyrium susceperunt. Ex dictis Augustini episcopi. (De ecclesiast. dog., cap. 74.)*

(*De const., dist. 4, c. Catechumenum.*) Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus, excepto duntaxat, nisi martyrii sacramentum compleat. Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet. Hoc idem martyr coram persecutore suo facit, qui et confitetur fidem, et interrogatus respondet. Ille post confessionem aspergitur aqua ; hic vero aspergitur sanguine, vel tingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum san-

Introdusă în format electronic de Google

ctum ; hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus sanctus qui in illo loquitur. Ille communicat eucharistiæ in commemoratione mortis Domini ; hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renuntiare ; hic ipse renuntiat et vitæ. Illi omnia peccata remittuntur ; isti exstinguuntur.

Cap. 212. — *Quod catechumenis sacramentum in Pascha non liceat dari. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 5.

Item placuit ut per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.

Cap. 213. — *De catechumenis a baptisterio removendis. Ex concilio Arausicano* I, *cap.* 13.

Ad baptisterium catechumeni nunquam admittendi sunt, nisi prius baptizentur.

Cap. 214. — *De catechumenis segregandis et informandis. Ex eodem concilio, cap.* 14.

A fidelium benedictione catechumeni etiam inter domesticos ordines, in quantum caveri potest, segregandi sunt, informandique sunt, ut se signandos vel benedicendos semotim offerant.

Cap. 215. — *De catechumenis peccantibus. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 5.

Catechumenus, si ingrediatur ad ecclesiam, in ordine eorum qui verbo instruuntur, assistat. Hic deprehensus peccans, siquidem genu flectit, audiat, ut non delinquat ulterius. Si vero et audiens peccaverit, expellatur.

Cap. 216. — *De his qui nuper sunt baptizati, quod promoveri non debeant. Ex concilio Laodicensi cap.* 3.

De his qui nuper sunt illuminati baptismate, quod eos in sacerdotali non conveniat ordine promoveri.

Cap. 217. — *De presbyteris, si in Trinitate juxta præceptum Domini non baptizaverit. Ex canone apostolorum*, 49.

Si quis episcopus aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, abjiciatur.

Cap. 218. — *Quod in baptismo et in confirmatione, si necesse fuerit, unus patrinus possit esse. Ex decretis Hygini PP., cap.* 10

(*De cons., dist.* 4, *c. In catechismo.*) In catechismo et baptismo, et in confirmatione unus patrinus potest fieri, si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana; sed per singulos singuli suscipiunt.

Cap. 219. — *Ut unus patrinus vel patrina ad suscipiendum infantem accedat. Ex decretis Leonis PP. apud sanctum Medardum.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Non plures.*) Ut non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant quam unus, sive vir, sive mulier. In Confirmationibus quoque id ipsum fiat.

Cap. 220. — *Ut ille qui non est confirmatus, ad baptismum nullum recipiat. Ex concilio Mogontiensi, cap.* 2.

(*De cons., dist.* 4, *c. In baptismo.*) In baptismo vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.

Cap. 221. — *Ut nullus fiat patrinus, nisi recte credat. Ex concilio Parisiensi.*

Ut nemo a sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem Dominicam, et Symbolum juxta linguam suam, et intellectum teneat, et coram presbytero decantet, et ut intelligant omnes pactum, quod cum Deo pepigerunt.

Cap. 222. — *Ut presbyteri a patrinis requirant, si Symbolum sapiant. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 1.

Caveant presbyteri ut neque viri neque feminæ de sacro fonte filiolos vel filiolas suscipiant, nisi memoriter Symbolum et orationem Dominicam tenuerint.

Cap. 223. — *De Symbolo octo dies ante Pascha publice in omnibus ecclesiis recitando. Ex concilio Agathensi, cap.* 12 (*cap.* 13).

(*De cons., dist.* 4, *c. Symbolum.*) Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis una die, id est, octavo die ante Dominicam resurrectionis publice in ecclesia competentibus tradi [*al.* prædicari].

Cap. 224. — *De gentilibus infirmis, si baptismum desiderant. Item ex eodem, cap.* 3.

Gentiles si in Trinitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerint ex aliqua parte honestæ vitæ, placuit eis manum imponi, et fieri Christianos.

Cap. 225. — *De gravida baptizanda. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 6.

(*De cons., dist.* 4, *c. Si qua mulier.*) Gravidam baptizari oportet quando voluerit. Nihil enim in hoc quæ parit nascenti communicat, propterea quod uniuscujusque propositum in confessione declaretur.

Cap. 226. — *De parvulis infirmis baptizandis. Ex concilio Gerundensi, cap.* 5.

De parvulis vero qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui : ut si infirmi (ut assolent) fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt, si allati fuerint, baptizentur.

Cap. 227. — *De illis qui in ægritudine baptizantur. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 12.

Si quis ergo in ægritudine fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius est voluntaria, sed ex necessitate descendit, nisi forte postea ipsius studium et fides probari videatur, aut hominum paucitas cogat.

Cap. 228. — *De illis qui parvulos recentes negant esse baptizandos. Ex concilio Africano, cap.* 76.

(*De cons., dist.* 4, *c. Placuit.*) Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos non baptizari, sed et nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur : unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam aliter intelligendum non est, quod ait Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per pec-*

Introdusă în format electronic de Google

catum mors, et ita in omnes homines pertransiit in A *quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v), nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt : ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt. »

CAP. 229. — *De infirmis baptizatis, ex concilio Laodicensi, cap.* 72.

(*Cap.* 47.) Quod oporteat eos qui in ægritudine percipiunt baptisma, postquam convaluerint fidem discere et scire, cujus muneris participes facti sunt.

CAP. 230. — *De illis ægrotantibus qui baptismum desiderant, et post obmutescunt. Ex concilio Afri-* B *cano, cap.* 12.

Ut ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntati eorum testimonium respondeat, qui si ex periculo proprio esse dixerint, baptizentur : et ut scenicis et histrionibus cæterisque hujusmodi personis reconciliatio non negetur.

CAP. 231. — *De mortuis non baptizandis. Ex concilio Carthaginensi* III, *cap.* 6.

Cavendum est etiam ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec eucharistiam dari animadvertat.

CAP. 232. — *De subito obmutescente, si testes habuerit, baptizando. Ex concilio Arausicano, cap.* 9.

(27, *q.* 6, *c. Qui recedunt.*) Subito obmutescens C prout statutum est, baptizari et pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.

CAP. 233. — *De his qui apud hæreticos baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 5.

Baptisma unum est in Ecclesia catholica, cujus nos membra effecti sumus, ubi una fides est, ubi in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti datur. Et ideo qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio et confessio annulletur ; sed doceantur integre, et instruantur sensu sanctæ Trinitatis et mysterio, quod in sancta Ecclesia tenetur. Et si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri purgatæ fidei integritatem, manus impositione firmentur. Si vero parvuli sunt hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi, et ita interrogentur ut sciant quid respondere debeant, et sic manus impositionem accipiant.

CAP. 234. — *De eadem re. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 5.

Quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgandus est.

CAP. 235. — *Ut baptismus in Trinitate susceptus non iteretur. Ex concilio Carthaginiensi.* I, *cap.* 1.

Ut baptisma in Trinitate susceptum non iteretur. Ergo, si vobis placet, consideremus primitus titulum de rebaptizatis, et sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ intuitum placide, producatis ad descendentem in aquam, et interrogatum in Trinitate secundum Evangelii fidem, et apostolorum doctrinam, et confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Jesu Christi, an liceat iterum interrogari in eadem fide, et in aquam iterum tingi. Universi episcopi dixerunt : Absit, absit, illicitam sancimus esse rebaptizationem, et satis esse alienam a sincera fide, et a catholica disciplina !

CAP. 236. — *De illis qui nesciunt qua fide baptizati sunt. Ex decretis Leonis papæ, episcopis per Si-* B *ciliam constitutis missis, cap.* 29. (*Epist. ad Rusticum, cap.* 15.)

(*De cons., dist.* 4, *c. Hi de quibus.*) Hi autem de quibus scripsisti qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, rebaptizandi non sunt ; sed, per manus impositionem virtutem Spiritus sancti accipientes, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

CAP. 237. — *De presbytero qui grammaticam ignorabat, et tamen in Trinitate baptizabat. Epistola Zachariæ ad Bonifacium Magontiensem archiepiscopum.*

(*De cons. dist.* 4, *c. Retulerunt.*) Virgilius et Sedulius, religiosi viri apud Bajoariorum provinciam degentes, suis apud nos litteris usi sunt, per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas injungeret Christianos rebaptizare. Quod audientes nimis sumus conturbati et in admirationem quamdam incidimus si haberetur ut dictum est. Retulerunt quippe quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam ignorabat penitus et dum baptizaret nesciens Latino eloquio infringere linguam, diceret : Baptizo te in nomine patria, et filia et spiritu sancta, ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Scias, sanctissime D frater, si ille qui baptizavit nos introducens errorem aut hæresim ; sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizentur (quia quod bene compertum habet fraternitas tua) quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgari debet. Nam, sanctissime frater, si ita est ut nobis relatum est ; non amplius a te illud prædicetur, nec aliquid hujusmodi, sed ut sancti Patres docent et prædicant, tua fraternitas studeat servare.

CAP. 238. — *De illis qui aliquam habent dubitationem baptismatis ut rebaptizentur. Ex decretis Leo-*

Introdusă în format electronic de Google

nis papæ ad Rusticum Narbonensem episcopum, cap. 28 (*epist.* 90, *cap.* 15).

(*De cons., dist.* 4, *c. Si nulla.*) Si nulla exstant indicia inter propinquos et familiares, nulla inter clericos aut vicinos quibus, hi de quibus quæritur baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit iteratum. Qui autem possunt meminisse quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari an quod parentibus eorum dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.

CAP. 239. *Quid agendum sit de infantibus de quibus non inveniuntur certissimi testes utrum baptizati sint. Ex concilio Africano, cap.* 39 (*concil. Carthag.* V, *cap.* 6).

(*De cons., dist.* 4, *c. Placuit.*) Item placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati vestrorum [Maurorum], fratres nostros consuluerunt, qui tales multos a barbaris redimunt.

CAP. 240. — *De presbyteris per quorum negligentiam sine baptismo aliquis mortuus fuerit. Ex decretis Xisti papæ, cap.* 5.

Perpendant presbyteri, quanti discriminis sit animas innocentium per eorum negligentiam perire, januasque paradisi innocentibus claudi. Et ideo presbyteri summa diligentia caveant, ne animas pro quibus sanguis Christi effusus est, per suam incuriam a cœlesti beatitudine separent. Et si, quod absit! evenerit, gravi pœnitentiæ luctui diebus vitæ suæ se submittat per cujus evenerit neglectum.

CAP. 241. — *Ut nullus presbyter cuiquam infirmo in propria provincia vel alicubi baptismum denegare præsumat. Ex decretis Martiani papæ, cap.* 3.

Quicunque presbyter in provincia propria, aut in alia, vel ubicunque inventus fuerit, commendatum sibi infirmum baptizare noluerit, vel in profectione itineris de aliqua excusatione, et sic sine baptismo moritur, deponatur.

CAP. 242. — *De his qui ad iterandum baptismum vel metu coacti vel errore traducti sunt. Ex decretis Leonis papæ ad Nicetam episcopum Aquileiensem. cap.* 47.

His vero de quibus similiter dilectio tua nos credit consulendos, qui ad iterandum baptisma vel metu coacti vel errore traducti sunt, et nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea est custodienda moderatio, qua in societatem nostram, non nisi per pœnitentiæ remedium et per impositionem episcopalis manus communionis recipiant unitatem. Temporis autem pœnitudinis habita moderatione tuo custodienda judicio prout conversorum animos inspexeris esse devotos, pariterque etiam habens senilis ætatis intuitum, et periculorum quorumcunque autem ægritudinum dispicientur necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communi gratia subvenire.

CAP. 243. — *Non esse negandum baptismum parvo ægroto, etiam de alterius parochia allato. Ex decretis Eugenii papæ, cap.* 6.

Si parvus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, noverit se ille qui eum non baptizaverit, pro ejus anima rationem redditurum, et apud synodum acerrime corrigendum.

CAP. 244. — *Non esse iterandam confirmationem. Ex concilio Taraconensi, cap.* 6.

(*De cons., dist.* 5, *c. Dictum est.*) Dictum est nobis quod quidam de plebe bis vel ter aut eo amplius ab episcopis confirmantur. Unde nobis visum est eamdem confirmationem, sicut nec baptismum iterari minime debere; quia bis vel amplius baptizatos aut confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari vel clericali religiosissime famulari decretum est.

CAP. 245. — *Quod ignoranter rebaptizati absque magna necessitate ordinari non possunt. Ex pœnitent. Theodo. cap.* 14.

(*De cons., dist.* 4, *c. Qui bis.*) Qui bis ignoranter baptizati sunt non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Qui autem non ignari baptizati sunt, quasi iterum Christum crucifixerunt, per annos septem pœniteant quarta feria et sexta, et tres quadragesimas pœniteant. Si pro vitio aliquo fuerit fecerint, similiter. Si pro munditia putaverint, tribus annis similiter pœniteant.

CAP. 246. — *De parvulorum animabus qui sine baptismo moriuntur. Ex epistola Gregorii papæ ad Secundinum servum Dei inclusum.*

(*In registro, lib.* VII, *epist.* 53.) In extremo vero epistolæ requisisti quid eis respondendum sit qui dilectionem tuam de parvulorum animabus requirunt, qui sine gratia baptismatis moriuntur, dicentes si corpus originali culpa tenetur, unde anima quæ a Deo datur rea erit, quæ adhuc in actuali delicto non consentit corpori. Sed de hac re dulcissima fraternitas sciat, quia de origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est. Sed utrum ab Adam descenderit, an recte singulis detur incertum, remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis est enim quæstio nec valet ab homine comprehendi, quia si de eadem substantia anima cum carne nascitur, cur etiam non cum carne moritur? Si vero cum carne quæ ab Adam prolata est obligata peccato, peccatis tenetur. Sed, cum hoc sit, incertum non est, quia nisi sacra baptismatis gratia fuerit, renatus homo, omnis anima originalis peccati est vinculis obstri-

Introdusă în format electronic de Google

cta. Hinc enim scriptum est: Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram (*Job* XIV, *juxta LXX interp.*). Hinc David ait : *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L). Hinc ipsa Veritas dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III). Hinc Paulus apostolus ait : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV). Cur ergo infans qui nihil peccavit in conspectu Dei omnipotentis, esse mundus non valet? Cur Psalmista ex legitimo conjugio prolatus in iniquitate conceptus est? Cur hæc? nisi quia quis aqua baptismatis mundatus non fuerit, mundus non est. Cur in Adam omnis homo moritur, si originalis peccati vinculis non tenetur. Sed quia genus humanum in parente primo velut in radice patrum ariditatem erexit in ramis, et inde omnis homo cum peccatis nascitur, unde primus homo permanere voluit in peccato. De his autem subtilius ac latius loqui debueram : sed dum et curarum cumulus premit, et earum portitor ut laxaretur importunus exstitit, unde multa debui, pauca locutus sum.

CAP. 247. — *De energumenis baptizandis. Ex concilio Arausicano, cap.* 13 (*cap.* 14).

Energumeni jam baptizati de purgatione sua curantes, si se sollicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperans, omnimodis communicent, sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonis, quo infestantur, vel purgandi quorum jam ostenditur vita purgatior.

CAP. 248. — *De eodem. Ex eodem capite* 22 (*cap.* 15).

In energumenis catechumenis, in quantum vel necessitas exegerit vel opportunitas permiserit de baptismate consulendum.

CAP. 249. — *Quod rebaptizatis non sit communicandum. Ex concilio Ilerdensi, cap.* 14.

Cur rebaptizatis fideles religiosi participent?

CAP. 250. — *De presbytero qui recte baptizatum denuo baptizaverit, et non recte baptizatum ab hæreticis non baptizaverit. Ex concilio Lugdunensi, cap.* 47.

Episcopus autem vel presbyter si eum qui secundum veritatem habuerit baptisma, denuo baptizaverit, aut si pollutum ab impiis et non recte baptizatum non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens crucem et mortem Domini, nec sacerdotes veros a falsis sacerdotibus vere discernens.

CAP. 251. — *Ut non ordinatus temere baptizare non præsumat. Ex decretis Hormisdæ papæ, cap.* 4.

Si quis baptizat, aut aliquid divinum per temeritatem exercuerit non ordinatus, abjiciatur ab ecclesia et nunquam ordinetur.

CAP. 252. — *Quod diaconi officium presbyterorum non usurpent. Ex decretis Gelasii papæ, cap.* 6.

(*Part.* I, *dist.* 93, *diaconos p. prima.*) Diaconos quoque propriam constituimus observare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum, quidpiam attentare permittimus, nihilque eorum suo ministerio penitus applicare quæ primis ordinibus proprie decrevit antiquitas, absque episcopo et presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat, quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur.

CAP. 253. — *Ut presbyteri populum admoneant, ut suos infantulos ad confirmationem episcopo præsentent. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 2.

Annuntient presbyteri populis, ut quam citius potuerint suos infantulos ad confirmandum suo episcopo præsentari faciant. Quod si neglexerint, et presbyter et populus canonicis disciplinis subjaceant.

CAP. 254. — *Ut omnes perfectæ ætatis jejuni ad confirmationem veniant. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 6 (*cap.* 3).

(*De cons., dist.* 5, *c. Ut jejuni.*) Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessiones facere prius, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere, et quia nunquam erit Christianus, nisi in confirmatione episcopali fuerit chrismatus.

CAP. 255. — *De sacramento baptismatis et confirmationis utrum majus sit, Melchiades papa Hispanorum episcopis, cap.* 6.

(*De cons., dist.* 4, *c. De his.*) De his vero super quibus rogatis vos informari, id est, utrum majus sit sacramentum manus impositionis episcoporum, aut baptismus, scitote utrumque magnum esse sacramentum, et sicut unum a majoribus est, id est summis pontificibus, quod a minoribus perfici non potest; ita et majori veneratione venerandum et tenendum est. Sed ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte præveniente nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non potest.

CAP. 256. — *Ut omnes Christiani ad confirmationem veniant. Ex concilio Wormatiensi cap.* 3.

Ad prædicationem et ad confirmationem episcopi, omnes devote conveniant, eique fideliter ministrent et obediant.

CAP. 257. — *Item de manus impositione. Eusebius papa fratribus per Campaniam et Tusciam constitutis, cap.* 22 (*epist.* 3).

(*De cons., dist.* 5, *c. Manus.*) Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis quam qui eorum locum tenent, unquam perfici potest aut fieri debet. Nam, si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta.

CAP. 258. — *Item de confirmatione. Ex concil. Mogontiensi, cap.* 3.

Præcipimus ut ad accipiendum per manus impositionem pontificis, Spiritus sancti donum sollicite et devote omnes concurrant, et episcopo quæ necessaria sunt fideliter ministrent, eique in omnibus et per omnia obediant.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 259. — *Quod omnes fideles, accepto baptismate, chrisma cœleste accipere debeant. Ex concilio Laodicensi, cap.* 48.

Quod oporteat eos qui baptizantur post lavacrum cœleste chrisma percipere, et regni Christi participes inveniri.

Cap. 260. — *Ut omnes renati fonte baptismatis, donum Spiritus sancti, per manus impositionem accipere debeant. Ex epistola Antheri papæ, cap.* 15. (*Ex epistola* 2 *Urbani primi papæ.*)

(*De cons., dist.* 5, *c. Omnes fideles.*) Omnes fideles per manus impositionem episcoporum, post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, ut pleni Christiani inveniantur. De Spiritu accipimus, ut spirituales efficiamur, quia *animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus sancti Dei* (*I Cor.* II), quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. De Spiritu sancto accipimus, ut sapiamus, inter bonum et malum discernere, justa diligere, injusta respuere, ut invidiæ ac superbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diversis illecebris et fœdis indignisque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus, ut amore æternæ gloriæ et ardore succensi, erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus.

Cap. 261. — *Ut episcopi nonnisi jejuni confirmationem faciant. Ex concilio Meldensi, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 5, *c. Ut episcopi.*) Ut episcopi nonnisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis et morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus Pascha videlicet et Pentecoste a jejunis celebrari debet baptismus; ita etiam traditionem Spiritus sancti a jejunis pontificibus convenit celebrari.

Cap. 262. — *Quod episcopis liceat, si necesse sit, in campo confirmare. Ex concilio Remensi, cap.* 10.

Episcopo liceat in campo, sit si necesse, confirmare.

Cap. 263. — *Quod a solis episcopis baptizati sint consignandi. Ex decretis Innoc. papæ missis, c.* 3.

De consignandis vero infantibus manifestum est non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint secundi sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus debetur ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum sanctum tradant. Non solum consuetudo ecclesiastica monstrat, verum illa lectio Actuum apostolorum quæ asserit Petrum et Joannem esse directos (*Act.* VIII), quod jam baptizatis tradant Spiritum sanctum (*De consec., dist.* 4, *c. Presbyteris.*) Nam presbyteris seu extra episcopum, seu præsente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere liceat; sed quod ab episcopo consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Paracletum.

Cap. 264. — *Ut presbyteri baptizatos in frontibus chrismate non debeant signare. Ex registro Gregorii ad Januarium episcopum Caralitanum, cap.* 90 (*lib.* III, *cap.* 9).

(*De consec., dist.* 4, *c. Presbyteri.*) Presbyter baptizatos infantes signare in frontibus non præsumant sancto chrismate, sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut episcopi postmodum confirment in fronte.

Cap. 265. — *De presbyteris qui de baptismate pretium quærunt. Ex epistola Gelasii PP. cap.* 5 (*cap.* 7).

(1 *q.* 1, *c. Baptizandis.*) Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant, nec alligationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes, quomodo quod gratis accepimus gratis dare mandamur. Et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate agente deterriti, vel indignatione revocati redemptionis suæ causas adire despiciant certum habentes quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa sponte non correxerint, periculum subituri proprii sunt honoris.

Cap. 266. — *De presbyteris qui de veteri chrismate baptizare præsumunt. Ex concilio Lugdunensi, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 4, *c. Si quis de alio.*) Si quis ab alio chrismate quam de illo novo quod proprii episcopi largitione vel confessione accepit, baptizare, non præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

Cap. 267. — *Quod presbyter in sua plebe sine chrismate non debeat ire. Ex concilio Vasensi, cap.* 5.

Nullum presbyterorum in plebe sibi commissa sine chrismate unquam debere progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate, quacunque necessitate faciente, qui non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdotis perficiatur.

Cap. 268. — *De presbytero qui se deprehenderit non esse baptizatum. Ex concilio apud Compendium, cap.* 5.

(63) Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non baptizatum esse, baptizetur et ordinetur iterum, et omnes quos prius baptizavit.

Caput 269. — *De presbyteris quomodo in Cœna Domini de chrismate, de oleo sanctificato, de oleo infirmorum, facere debeant. Ex Meldensi concilio, cap.* 1.

Presbyter in Cœna Domini ampullas tres secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos juxta sententiam apostolicam, ut quando *quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ* (*Jac.* V), etc.

Cap. 270. — *De eodem. Ex concilio apud Valentias, cap.* 2.

(*De cons., dist.* 4, *c. Presbyteri.*) Presbyteri qui diœcesanas ecclesias regunt non a quibuslibet episcopis, sed a suo, nec per juniorem clericum, sed per seipsos, aut per illum qui ejusdem ordinis sit, ante Paschæ solemnitatem chrisma petant

Cap. 271. — *Item de eodem. Ex Meldensi concilio, cap.* 5.

Nemo episcoporum vel quilibet ministrorum eccle-

(63) Ad marginem codicis regii vetustissima littera scribitur : *Hic dubitatur.*

Introdusă în format electronic de Google

siasticus propter sacrum chrisma aliquid muneri accipiat denarium, vel quælibet munuscula, quæ per ministros episcoporum a presbyteris inordinabiliter exiguntur.

CAP. 272. — *Item de eodem. Ex concilio Vasensi, cap.* 10.

Per singula territoria presbyteri vel ministri ab episcopis, non prout libitum fuerit a vicinioribus, sed a suis propriis per annos singulos petant chrisma, appropinquante solemnitate paschali, nec per quemquam alium quam per seipsos aut per vicarios ejusdem ordinis, quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum est autem ut ipse accipiat qui in tradendo usurus est

CAP. 273. — *De presbyteris qui pro accipiendo chrismate ad civitates venire solent. Ex concilio Meldensi, cap.* 6.

De presbyteris qui accipiendi chrismatis gratia ad civitates in Cœna Domini venire soliti sunt, sancitum est ut de his qui longe positi sunt de octo vel decem millibus, unus ab archidiacono eligatur, qui acceptum chrisma sibi et sociis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quam quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant. Discendi vero gratia alio non quadragesimali tempore ad civitatem convocentur, propter plebes sibi commissas.

CAP. 274. — *De chrismate quod semper sub sera esse debeat. Ex concilio Turonensi, cap.* 3.

Præterea et illud omnimodis observandum est ut sacrum chrisma et oleum consecratum semper sub sera sit, ne illud unde Christo incorporamur, et unde omnes fideles sanctificantur, unde reges et sacerdotes inunguntur, aliquis infidelis aut immundus tangat, aut aliquis perfidus ad Dei judicium subvertendum subripiat, quod experimento didicimus.

CAP. 275. — *De Judæis quomodo examinari debeant ante baptisma. Ex concilio Agathensi, cap.* 35.

(*De cons. dist.* 4, *c. Judæi*). Judæi (quorum perfidia frequenter ad vomitum redit), si ad leges catholicas venire voluerint, septem menses inter catechumenos ecclesiæ limen introeant, et si pura fide venire noscuntur, tunc demum baptismatis gratiam mereantur. Quod si casu aliquod periculum infirmitatis intra scriptum tempus incurrerint, et desperati fuerint, baptizentur.

CAP. 276. — *De Judæis, quod nullus eis vim ad credendum inferre debeat. Ex concilio Toletano* V, *cap.* 8 (*conc. Tol.* IV, *c.* 5).

(*Dist.* 45, *c. De Judæis.*) De Judæis autem hæc præcepit sancta synodus nemini deinceps vim credendi inferri : *Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Non enim inviti tales salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut homo propria voluntate arbitrii serpenti obediens periit ; sic, vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque salvatur credendo. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur qui salvandi sunt, non potius impellendi. Qui autem jampridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisenandi, quia jam constat eos sacramentis divinis associatos, et baptismi gratiam suscepisse, et chrismate unctos esse, et corporis et sanguinis Domini exstitisse participes, oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, fidesque quam susceperunt vilis et contemptibilis habeatur.

CAP. 277. — *Ut Judæorum filii baptizati ab eorum consortio separari debeant. Ex eodem concilio* V, *cap.* 40 (*eod. conc.* IV, *c.* 59).

(28 *q.* 1, *c. Judæorum.*) Judæorum filios vel filias baptizatos, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, tradique aut monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Dominum timentibus, ut sub eorum cura et conversatione cultum fidei discant, atque in melius constituti, tam in moribus quam in fide proficiant.

CAP. 278. — *Ut nulla communio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum aliis nondum baptizatis. Ex eodem conc.* V, *cap.* 62 (*conc. Tolet.* IV, *cap* 61).

(28 *q.* 1, *c. Sæpe malorum.*) Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur communio ultra sit Hebræis ad fidem Christianam translatis cum his qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. Quicunque igitur amodo ex his qui baptizati sunt, infidelium consortia non vitaverit, et hi Christianis donentur, et illi publicis sedibus deputentur.

CAP. 279. — *De Judæis qui apostataverint. Ex eod. conc.* V, *cap.* 69 (*conc. Tolet.* IV, *c.* 58).

(*De consec., dist.* 4., *c. Plerique.*) Plerique qui ex Judæis dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes Christum, non solum Judaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere. De quibus consultum piissimi ac religiosissimi domini nostri Sisenandi regis, hoc sanctum decrevit concilium, ut hujusmodi transgressores pontificali auctoritate correcti, ad cultum Christiani dogmatis revocentur, ut quos voluntas propria non emendat, animadversio sacerdotalis coerceat. Eos autem quos circumciderunt, si filii eorum sunt, a parentibus separentur; si servi, pro injuria corporis sui, libertati tradantur.

CAP. 280. — *De Judæorum servis. Ex eodem, cap.* 9.

(*Dist.* 54, *c. Etsi.*) Item ut si Judæorum servi necdum conversi, ad Christi gratiam convolaverint, libertati donentur.

CAP. 281. — *De Judæorum mancipiis qui ad baptismum confugiunt. Ex concilio apud Avernas, cap.* 80.

Licet, prioribus canonibus jam fuerit definitum, ut de mancipiis paganis quæ apud Judæos sunt, si ad ecclesiam confugerint, et baptismum petierint, etiam ad quoscunque Christianos confugerint,

Introdusă în format electronic de Google

taxato et oblato a fidelibus justo pretio ab eorum A domino liberentur. Ideo statuimus hæc ut tam justa constitutio ab omnibus Catholicis conservetur

Cap. 282. — *Item de mancipiis Judæorum aut Christianis aut ad fidem Christianam venire desiderantibus. Ex concilio Matisconensi, cap.* 16.

(*Dist.* 54, *c. Præsenti.*) Præsenti concilio, Deo auctore, sancimus, ut nullum Christianum mancipium Judæo deinceps serviat, sed datis pro quolibet bono manci, pio XII solidis ipsum mancipium quicunque seu ad ingenuitatem, seu ad servitium licentiam habeat redimendi; et si Christianus fieri desiderat, et non permittitur, similiter faciat, quia nefas est quem Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, blasphemum Christianæ religionis in vinculis tenere. Quod si acquiescere his quæ B statuimus quicunque Judæus noluerit, quandiu ad pecuniam statutam venire distulerit, liceat mancipium ipsum cum Christianis uibicunque voluerit habitare.

Cap. 283. — *De illis qui ad fidem Christianam de hæresi venire desiderant. Ex concilio Arelatensi, cap.* 9.

Si ad ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum de Symbolo, et si viderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei imponatur tantum ut accipiat Spiritum sanctum.

Cap. 284. — *De Judæis si mancipium circumciderint. Ex concilio apud Theodonis villam habito, cap.* 4. C

Si quis Judæorum Christianum mancipium, vel cujuslibet sectæ alterius emerit, et circumciderit, a Judæi ipsius potestate sublatus, in libertate permaneat.

Cap. 285. — *Quid sanctus Gregorius de Judæis præcipiat. Ex registro Gregorii ad Joannem Terracinensem episcopum* (*l.* I, *ep.* 24).

Joseph præsentium lator, Judæus, insinuavit nobis de loco quodam quo ad celebrandas festivitates suas Judæi in Terracinensi castro consistentes convenire consueverant, quod tua eos fraternitas expulisset, et in alium locum pro colendis similiter festivitatibus suis, te quoque nescente et consentiente, migraverint, et nunc de eodem loco etiam expulisse denuo conqueruntur. Quod si ita est, volumus ut tua fraternitas ab hujusmodi se querela suspendat, et loco quem, sicut prædiximus, cum tua conscientia quo congregentur adepti sunt eos, sicut mos fuit, liceat convenire. Hos enim qui a Christiana religione discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei necesse est congregare, ne quos dulcedo prædicationis, et præventus futuri judicis terror ad credendum invitare poterat, minis et terroribus repellantur. Oportet ergo ut ad audiendum de te Verbum Dei benigne conveniant, quam auctoritate quæ supramodum extenditur, expavescant.

Cap. 286. — *De illis qui pro periculo mortis a diaconibus baptizati fuerint. Ex concilio Turonensi, cap.* 3.

Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos pro mortis occursu baptizaverit, episcopus eos per benedictionem et confirmationem perficere debebit, sub fide, qua quisque credendo poterit esse justus.

Cap. 287. — *De his qui cogunt presbyteros denarios pro balsamo dare. Ex concilio Cabilonensi, cap.* , (II, *cap.* 16).

Quidam fratres dixerunt consuetudinis antiquæ fuisse in eorum ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro luminaribus ecclesiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios presbyteri darent (1 *q.* 1, *c. Statuimus*). Unde omnes uno consensu statuimus, ut sicut pro dedicandis basilicis, et dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo sive pro luminaribus emendis, nihil presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque ecclesiasticis facultatibus balsamum emant, et luminaria singuli in ecclesiis suis.

Cap. 288. — *De chrismatis panno. Ex concilio apud Belvacum, cap.* 8.

(*De cons. dist.* 4, *c. Si quis.*) Si quis voluerit chrismatis pannum iterum linire, et super alium baptizatum mittere, non est absurdum.

Cap. 289. — *Quod cathecumeni cum baptizatis manducare non debeant. Ex concilio Magontinensi, cap.* 5.

Cathecumeni manducare non debent cum baptizatis, neque eis osculum dare, quanto magis gentiles?

Cap. 290. — *De scrutinio faciendo. Ex concilio Romano, cap.* 15.

De scrutinio faciendo decrevimus, ut episcopus et ubi conventus est populi et cleri, et possibilitas permittit ibi celebretur.

Cap. 291. — *De baptisterio. Ex concilio Mogontinensi, cap.* 9.

Baptisterii et catechumenorum ventilata est ratio, ut sacerdotes plenius intelligant, qualiter cum dignis ordinibus efficiant Christianum.

Cap. 292. — *Quod bigamus vocetur qui ante baptismum uxorem unam et post baptismum aliam habuerit. Ex decreto Innocentii papæ, cap.* 2 (*epist. Inn.* 22, *ad episcopos Macedoniæ*). D

(*Dist.* 26, *c. Deinde opponitur.*) Deinde ponitur non dici digamum oportere eum, qui cathecumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post baptismum aliam sortitus est, quia illud conjugium per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit ablutum. Quod cum de una utique dicitur, certe si tres habuerit in veteri positus homine uxores, erit ea quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus, prima. Virginis æque nomen accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis, oro, istud non videat contra Apostoli esse præceptum, qui ait, *unius uxoris virum* oportere fieri sarcerdotem? (*I Tim.* III.)

Introdusă în format electronic de Google

Sed objicitur, quod in baptismo totum quidquid in veteri homine gestum est sit solutum. Dicite mihi (cum pace vestra loquar) crimina tantum in baptismo dimittuntur, an et illa quæ secundum Domini præcepta ac Domini instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergo auctor erit in culpa, qui ut crimina committerentur, in paradiso cum ipse eos jungeret, benedixit (*Gen.* II). Si vero non est crimen, quia quod Deus junxit (*Matth.* XIX), nefas sit crimen appellari, et Salomon addidit; etenim a Deo præparatur viro uxor (*Prov.* XIX): quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Deo auctore legitur consummatum? Quid de filiis talium percensetur? Nunquid non erunt admittendi in hæreditatis consortium, qui ex ea suscepti sunt, quæ ante baptismum fuit uxor? eruntque appellandi, vel naturales, vel spurii, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud, ut vobis videtur, quod post baptismum assumitur? Ipse Dominus cum interrogaretur a Judæis, si liceret *dimittere uxorem* (*Matth.* XIX), atque exponeret fieri non debere, addidit: *Quod* vero *Deus conjunxit, homo non separet* (*ibia.*). Ac ne de his locutus esse credatur quæ post baptismum sortiuntur, meminerit hoc vere et a Judæis interrogatum esse, et Judæis esse responsum. Quæro vero, et sollicitus quæro, si una eademque sit uxor ejus qui ante cathecumenus, postea fidelis sit, filiosque ex ea cum esset cathecumenus susceperit, ac postea alios cum fidelis, utrum sint fratres appellandi, an non. Habebunt postea defuncto patre cum cæteris hæreditatis herciscundæ consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse. Quod cum ita sentire atque judicare absurdum est, quæ ratio est, hoc malum defendi, et vacua magis opinione jactari, quam aliqua auctoritate roborari? cum non possit inter peccata deputari, quod lex præcepit et Deus conjunxit. Nunquid si quis catechumenus virtutibus studuerit, humilitatem secutus fuerit, patientiam tenuerit, eleemosynas fecerit, morti destinatos qualibet ratione eripuerit, castitatem servaverit, quæro si hæc (cum factus fuerit fidelis) amittit, quia per baptismum totum quod vetus homo gesserit putatur auferri? Aspiciamus gentilem hominem Cornelium orationibus et eleemosynis Petrum ipsum revelatione vidisse (*Act.* X). Nunquid per baptismum hæc illi ablata sunt, propter quæ ei baptisma concessum esse videtur? Si ita creditur, mihi credite non modicum erratur; quia quidquid bene gestum fuerit, et secundum præcepta legalia custoditum, non potest facientibus deperire. Nuptiarum ergo copula quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum, et quod peccatum non est, inter peccata omnino credi non debet dimissum.

CAP. 293.— *De episcopis et presbyteris et diaconibus rebaptizatis. Ex decretis Felicis papæ III, cap.* 1 (*epist.* 3).

Communis dolor et generalis est gemitus, quod intra Africam rebaptizatos etiam episcopos vel presbyteros, diaconosque cognovimus; quæ res sine dubio ad vestræ quoque pervenit notitiam sanctitatis, qualiter in Africanis regionibus astutia diaboli sævierit in populum Christianum, atque in id multiplici deceptione proruperit, ut non modo vulgus incautum, sed etiam ipsos in mortis profunda demerserit sacerdotes, ut nullus orbis non ingemuerit, nulla terra nesciverit. Unde in grandi mœrore positi, dissimulare non possumus pereuntium, atque nobis exigendarum discrimen animarum. Quapropter competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne curandi immatura facilitas, mortifera captis peste nihil prosit: sed seguius tracta pernicies reatu non legitimæ curationis involvat sauciatos pariter et medentes. In primis itaque venientis ad nos et remedium postulantis, sollicite discutienda est professio et persona decepti, ut medela possit congruens exhiberi, et qui satisfacturus Deo per pœnitentiam rebaptizatum se legitime doluerit, utrum ad hoc facinus concurrerit, an impulsus accesserit requiratur, sciens quod se decipiat ipse qui fallit, nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogari cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt; et aliter necessitas, aliter tractanda est ratio voluntatis: deterior est autem causa illius, qui forte pretio sollicitatus est ut periret. Nihil intentatum enim reliquit inimicus, cui ne de sua liceat gaudere captura, succurrendum est irretitis, et conterendus est venantis laqueus, ut infucatum sine dolo lamentantibus lapsum tam justitiæ moderatione, quam compunctione pietatis ad aulam quam reliquerant, sit ingressus. Nec pudeat forsitan aut pigeat, in dictis jejuniorum gemituumque temporibus obedire, aut aliis observantiæ salubrioris obtemperare præceptis, quia humilibus datur gratia, non superbis (*I Petr.* V). Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis in Christo fieri quærit electus; et per dispensationis nostræ ministerium quod vestram sequi convenit charitatem, nec alicui fas est vel velle, vel posse transcendere causam ejus, qui contra apostolicam doctrinam, iterationem infaustam baptismatis dedit; vel ejus qui aliquibus argumentis excusandum callide proprium putaverit esse consensum; sacerdotali vigore et humanitate tractemus, ut ejus fides, quæ nisi una, nulla est, adjutorio Domini judicis, ad salutem sine nostræ properationis offensione, reparetur; quia, cum peccatoris a nobis satisfactio protrahitur, non præter nostram laudem atque lætitiam mens ejus ad veniam purgatior invenitur, et ideo memineritis hanc super his nos habere sententiam, ut servata discretione peccantium non eadem cuncti qui lapsi sunt lance pensentur: quod majori castigatione est exigendum; nostra cui in Domino commissa fuerit disciplina. (*De cons., dist.* 4, *c. Eos quos.*) Ut ergo ab ecclesiæ summitatibus inchoemus, eos quos episcopos, vel presbyteros, aut diaconos fuisse constiterit, et seu optantes forsitan, seu coactos lavacri illius

Introdusă în format electronic de Google

unici salutarisque claruerit fecisse jacturam, et Christum, quem non solum dono regenerationis, verum etiam gratia percepti honoris inducrant, exuisse: cum constet neminem ad secundam tinctionem venire posse, nisi se palam Christianum negaverit, et professus fuerit esse paganum, quod cum generaliter in omnibus sit exsecrandum, multo magis in episcopis, presbyteris et diaconibus auditu saltem, dictuque probatur horrendum. Sed quia idem Dominus atque Salvator clementissimus est, et neminem vult perire, usque ad exitus sui diem in pœnitentia (si resipiscant) jacere conveniet; nec orationi non modo fidelium, sed nec catechumenorum quidem omnimodis interesse. Quibus communio laica in morte reddenda est. Quam rem diligentius explorare vel facere, probatissimi sacerdotis cura debebit. De monachis autem et clericis, et puellis Dei aut sæcularibus servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna synodus circa eos qui lapsi sunt, vel fuerint servandum esse constituit, ut scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore atque periculo, se hæreticis ut rebaptizentur impie dediderunt, si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes sint, septem vero annis subjaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum, duobus etiam annis oblationes omnibus modis non sinantur offerre, sed tantummodo a popularibus [sæcularibus] in oratione socientur; nec confundatur Deo colla submittere, qui eum non timuit abnegare. Quod si utpote mortales inter metas præscripti temporis cœperit vitæ finis urgere, subveniendum est imploranti, et seu ab episcopo qui pœnitentiam dederit, seu ab alio qui tamen datam esse probaverit, aut similiter presbytero, viaticum abeunti de sæculo non negetur. Pueris autem quibus quod adhuc in veste sunt a puritate vocabulum est, seu clericis, seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiu sub manus impositione detentis, reddenda communio est, nec eorum exspectanda pœnitentia, quos excipit a coercitione censura. Quod est a nobis provide constitutum, ne hi quibus in terreni labe contagii plus minusve restat ad vitam, dum adhuc in pœnitentia sunt, pœnitentiam committant. Quod si ante præfinitum tempus pœnitentiæ desperatus a medicis ob evidentia mortis indicia, recepta quisquam communionis gratia convalescit, servemus in eo quod Nicæni canones ordinaverunt, ut habeatur inter illos qui oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem præstitutum. Nec catechumenos nostros qui sub tali confessione baptizati sunt præterimus; quia non est causa dissimilis, sicut iidem sancti canones ordinarunt, ejus qui quolibet modo Christum, quem semel confessus est abjurarit. Tribus annis inter audientes sint, et postea cum catechumenis permittantur orare, per manus impositionem, communionis catholicæ gratiam recepturi, exceptis tantummodo episcopis, presbyteris et diaconibus, quos solo mortis suæ tempore reconciliandos esse, jam diximus: cæteros, id est sive clericos, sive laicos, vel monachos sexus utriusque personas, quos violentia et periculo coactos iterationem baptismatis subisse constiterit, vel qui aliquo modo [commento] hujus se facinoris piaculis dixerint non teneri, in pœnitentia per triennium durare decernimus, et per manus impositionem ad societatem recipi sacramenti, illo per omnia custodito, ne ex his unquam (1 *q.* 7, *c. Qui in qualibet ætate*) qui in qualibet ætate alibi quam in ecclesia catholica baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere. Quibus satis esse non del et quod in Catholicorum numero sunt recepti : quomodo de suo ordine et communione videbitur ferre judicium, quisquis hæc violaverit antistitum; vel qui non removerit eum, quem ex his ad ministerium clericale obrepsisse cognoverit. Curandum vero maxime, et omni cautela est providendum, ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius civitate, vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine episcopi, vel presbyteri testimonio et litteris, aut in parochia presbyter, aut episcopus in civitate suscipiat. Quod aliqua simulatione neglectum, culpam tangit etiam clericorum, qui in locis in quibus hoc minus curatum fuerit, commorantur. His itaque rite dispositis, et ad ecclesiarum nostrarum notitiam nostra deliberatione perlatis parere vos convenit. Quibus licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui aliquid novi et quod prætcrire nos potuit, revelatum fuerit, secundum beatum Paulum apostolum tacente priore (*1 Cor.* XIV) fideliter insinuet, quia *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* VIII), maxime cum ejus causa tractatur; nec nos pigebit audire, et si qua sunt omissa non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare. Data est Iduum Martiarum die, Dinanuo, et Sibidio IV coss.

Cap. 294.— *De eo qui per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur. Ex dictis Isidori episcopi.*

(1, *q.* 1, *c. Si quis per ignorantiam; vide ib. adnotationem.*) Si quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati rebaptizari, et ipse non ordinetur, sed (*Item De cons.,, dist.* 4, *c. Romanus.*) Romanus pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam credit baptismi, licet paganus sit qui baptizat.

Cap. 295.— *De illis qui gratiam sancti Spiritus vendere conantur. Ex concilio Triburensi, cap.* 22 *cui interfuit Arnulphus rex.*

(1, *q.* 1, *c. Dictum est.*)[Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari, pro baptismo quoque et communione, hoc Simoniacæ hæresis semen est detestata sancta synodus, et anathematizavit, et, ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, vel baptismo, vel pro balsamo, nec pro sepultura vel communione quidquam exigatur, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 296.— *A quibus manus impositio perfici debeat. Urbanus papa omnibus Christianis, cap.* 7.

Omnes fideles per manus impositionem episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.

CAP. 297.— *De eodem, Eusebius papa episcopis per Campaniam et Tusciam, cap.* 9, *epistola* 3.

De cons., dist. 5, *c. Manus.*) Manus impositionis sacramentum magna auctoritate tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus : nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur ac scitur peractum esse; nec ab aliis, sicut jam dictum est, quam ab ipsis qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur ac vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta.

CAP. 298.— *Item de eodem. Beda super Actus apostolorum.*

(*In cap.* 8.) Philippus qui Samariæ Evangelium prædicabat, unus de septem diaconibus fuit. Si enim apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur. Nam presbyteris sive extra episcopum, seu præsente episcopo, cum chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontes ex eodem oleo signare, quod solis episcopis debetur, cum tradunt Spiritum sanctum paracletum baptizatis.

CAP. 299.— *De eodem Isidorus Etymologiarum lib.* VII, *cap.* 20.

Presbyteri licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent; quia nec chrismate frontem signant, nec Spiritum sanctum dant : quod solis episcopis deberi lectio Actus apostolorum indicat.

CAP. 300.— *Item de eodem : Rabanus, De institut. cleric., lib.* I, *cap.* 30.

(*De cons.*, 5, *c. Novissime.*) Novissime a summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizatis, ut roborentur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, idem donum, quod ipsi in baptismate consecuti sunt per gratiam, vitæ donati æternæ. Signatur enim cum chrismate baptizatus per sacerdotem in capitis summitate; per pontificem vero in fronte, ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio, ad habitationem Deo consecrandam. In secunda quoque ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et virtutis venire in hominem declaretur.

CAP. 301.— *Quid liceat episcopo alterius ecclesiam ingresso. Haimo super Deuteronomium.*

Ingressus episcopus alicujus ecclesiam, potest ibi aliquos corrigere, vel etiam confirmare, totam autem plebem non licet ei disponere.

CAP. 302. — *Ab uxore sua separari debere eum qui filiastrum suum, vel filiastram suam ante episcopum ad confirmationem tenuerit. Capitularium libro* V, *cap.* 7.

Si quis filiastrum vel filiastram suam ante episcopum ad confirmationem tenuerit, ab uxore sua separetur, et alteram non accipiat.

CAP. 303. — *Non licet confirmatum denuo confirmari Gregorius II Bonifacio*

Homini qui a pontifice confirmatus fuerit, denuo talis rei iteratio prohibenda est.

CAP. 304. — *Utrum separandus sit ab uxore sua qui filiastrum suum, vel filiastram suam coram episcopo ad confirmationem inscienter tenuerit. Nicolaus papa Rudolpho Biturensi episcopo.*

(30, *q.* 1, *c. De his qui.*) De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopo tenent, id est qui filios uxoris suæ de priori marito dum chrismantur ab episcopis super se sustinent, si inscienter, ut asseritur, fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem conjugii puniendum est. Lugeant tamen et digna pœnitentia hoc diluentes Domino dicant : Delicta ignorantiæ nostræ ne memineris.

CAP. 305. — *Utrum separari debeant ab uxoribus suis, qui filios suos ex lavacro sancto suscipiunt. Ex decreto Desiderii papæ, Deusdedit Gordiano episcopo.*

(30, *q.* 1, *c. Pervenit ad nos.*) Deusdedit sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis episcopus Gordiano Hispalensis Ecclesiæ coepiscopo et fratri charissimo. Pervenit ad nos, diaconus sanctitatis vestræ epistolam deferens, quod quidam viri et mulieres præterito Sabbato paschali die præ magno populorum incursu nescientes filios suos suscepissent ex lavacro sancto. Cupis ergo scire si pro tali ratione accidenti debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire, an non. Nos vero ex hac re mœsti, inquisivimus priorum dicta. Invenimus autem in archivis hujus apostolicæ sedis jam talia contigisse in Ecclesia Hisauriæ, Ephesiorum, simulque Hierosolymæ, aliarum etiam Ecclesiarum episcopis, et earum civitatum, ab hac apostolica sede scire volentibus, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium torum. Beatæ memoriæ sanctissimi Patres Julius, Innocentius, et Cœlestinus cum episcoporum plurimorum et sacerdotum consensu in ecclesia beati apostolorum principis, prohibentes talia perscripserunt et confirmaverunt, ut nullo modo conjugio se reciperent mulieres ac viri quicunque aliqua ratione susceperint natos suos, sed separarent se, ne, suadente diabolo, tale vitium inolescat per mundum. Scitis quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti : ita sunt septem dona baptismi. A primo ergo pabulo salis sacramenti et ingressu Ecclesiæ, usque ad confirmationem per chrisma, hoc est a primo usque ad septimum, nullus Christianus suam commatrem in conjugium suscipere debet, et qui præsumpserit, tandiu anathematis vinculo religetur, donec pœnitentiam digne egerit.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 306. — *Item de eodem Joannes Anselmo Lemozinæ Ecclesiæ episcopo.*

Ad limina beatorum Petri et Pauli apostolorum principum, hic præsens homo nomine Stephanus orationis causa veniens, nostro præsulatui suggerendo innotuit : quod filium suum in extremo vitæ positum, nec baptismatis unda lotum, absentia scilicet sacerdotum necessitate cogente baptizasset, eumque propriis manibus retinendo suscepisset. Atque pro hujus rei negotio notitiæ tuæ patefacto reverentia tua quasi zelo rectitudinis flagrans præfatum hominem a sua judicaverit conjuge separandum, quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura : a Deo junctam esse viro uxorem et quod Deus junxit, homo non separet (*Matth.* XIX). Unde et Dominus in Evangelio ait : Nemo dimittere potest uxorem suam, nisi causa fornicationis (*ibid.*) Quapropter et nos tantæ auctoritatis jussione præcipue freti, dicimus omittendum esse et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus juxta canonicam sanctionem, si necesse fuerit facere libere conceditur. Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, sacri unda baptismatis lavit, et eum de potestate auctoris mortis et tenebrarum eripuit, et in regnum Christi jam regeneratum indubitanter misit, bene fecisse laudatur : et idcirco suam uxorem sibi jam olim optime sociatam, impune quandiu vixerint judicamus manere conjunctam : neque ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenus separari debuisset.

CAP. 307. — *Non licere aliquem filiastram patris sui in matrimonium ducere, et si duxerit separari debere. Zacharias papa Theodoro Ticinensi episcopo.*

Zacharias episcopus servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo fratri Theodoro episcopo Ecclesiæ Ticiniensi. (30, *q.* 3, *c. Pytacium.*) Pytacium nobis tua reverenda fraternitas obtulit, per quod nos sciscitari curasti, si liceat filium, cujus pater alterius filiam ex sacro fonte susceptam, id est spiritualem ejusdem patris filiam (quod dici crudele est), in matrimonio accipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus Moysi præcepit dicens : *Turpitudinem patris tui ne reveles : et turpitudinem matris tuæ non revelabis : turpitudinem sororis tuæ non revelabis, turpituao enim tua est* (*Lev.* XVIII). Turpitudinem enim non revelare dicitur, dum a propria consanguinitate | præcipimur abstinere : multo magis a spirituali patris nostri filia omni occasione, aut argumento seposito sub nimia districtione nos cavere convenit, ne iram divini examinis incidat, si quis tali facinori mistus minime restrinxerit frena luxuriæ. Unde et omnes omnino cavendi sunt a talis sceleris commistione, ne in æternum pereant. Sed eos qui hujus perniciosæ temeritatis animæ suæ salutem despicientes impio se miscuerunt matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, et pœnitentiæ digne submittere, quatenus ab æterna eruti damnatione animas eorum lucretis præstante Domino. De filiis autem qui ex eis nati esse probantur retulisti si liceat eos conjugio copulari. Sed hi cur prohibeantur a conjugio, aut pro hujusmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc absque damnatione esse perhibentur : quia non pater pro filio, neque filius pro patre sustinebit tormenta, dicente Domino per prophetam : *Anima patris mea est, et animæ filii mea est, anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Sed et, frater charissime, de his dixisse sufficiat. Cave autem ne aliter agere subjectis concedas, ne a recto tramite inveniaris deviare.

CAP. 308. — *Quod in baptismo non aqua mundat, sed verbum. Augustinus supèr Joannem* (*tract.* 80) *homilia* XXVI.

Dominus dixit discipulis suis : *Jam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis* (*Joan.* XVII). Quare non ait mundi estis propter baptismum quo abluti estis, sed ait propter quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat?

CAP. 309. — *Apostolos baptizatos fuisse. Augustinus in epistola ad Seleucium* (*ep.* 308)

(*De cons. dist.* 4, *c. Quando.*) Quando ab Hierosolymis exiit Dominus Jesus, cum discipulis suis in Judæam terram, et ibi morabatur cum eis, baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus jam fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis sicut nonnulli arbitrantur : sive (quod magis credibile est) baptismo Christi. Item respondit Dominus Petro : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (*Joan.* XIII). Unde intelligitur quod jam fuerit baptizatus Petrus.

CAP. 310. — *De eodem Augustinus ad Vincentium victorem* (lib. III *De anima et ejus origine, cap.* 9).

(*De cons., dist.* 4, *c. Si eos.*) Si eos de quibus scriptum non est utrum fuerint baptizati sine baptismo de hac vita recessisse contendimus, ipsis calumniamur apostolis : qui præter Paulum apostolum, quando baptizati fuerint ignoramus. Sed ipsos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* (*Joan.* XIII).

CAP. 311. — *Divites baptizatos non privari regno Dei. Augustinus ad Paulinum Nolanum episcopum de Pelagio* (*epist.* 106).

Confiteatur Pelagius divites baptizatos, etiamsi divitiis suis non careant, et sint tales, quales ad Timotheum scribit Apostolus dicens : Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Domino vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum : ut sint divites in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futuro, ut apprehendant vitam æternam (*I Tim.* VI), nec eos regno Dei posse privari.

Introdusă în format electronic de Google

DECRETI PARS SECUNDA

De sacramento corporis et sanguinis Domini et de perceptione et observatione; de missa et aliorum sacramentorum sanctitate.

Cap. 1.— *Quod panis et calix non qualibet, sed certa consecratione fit corpus Christi. Augustinus in libro De catechizandis rudibus, cap.* 1 (*l.* xx *contra Faustum, c.* 13).

(*Grat. De consecr. dist.* 2, *cap. Panis et calix.*) Panis et calix, non qualibet sed certa consecratione, mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit nobis, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, nisi quod benedicimus gratiasque agimus Domino, in omni ejus munere, non tantum spiritali, verum etiam corporali. *Item ex sermone de sacramentis.* (*De cons. dist.* 2, *c. Quia passus est.*) Quia passus est pro nobis commendavit nobis in isto sacramento sanguinem suum et corpus, quod etiam fecit nosmetipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus, B et per misericordiam ipsius, quod accepimus nos sumus. Recordamini, et vos non fuistis, et creati estis, ad aream Dominicam comportati estis, laboribus boum, id est annuntiantium Evangelium triturati estis. Quando catechumeni deferebamini, in horreo servabamini, nomina vestra dedistis, cœpistis moli jejuniis et exorcismis : postea ad aquam venistis, et conspersi estis, et panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo unum videtis esse quod factum est, sic et vos unum estote diligentes vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt : quia illi quærunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Sic et vinum in multis racemis fuit, et modo unum est. C Unum est in sua nativitate, calix post pressuram torcularis ; et vos post illa jejunia post labores, post humilitatem et contritionem, jam in nomine Christi tanquam ad calicem venistis, et ibi vos estis, in mensa, et in calice nobiscum vos estis, simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus. *Item in sermone De infantibus.* (*Ibidem, Gratianus.*) Ita Dominus noster Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit. Mysterium pacis et unitatis nostræ in mensa sua consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. (*Petr. Lom. lib.* IV, *dist.* 9, § *a.*) Nulli est ambigendum aliquatenus, unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat calicemque bibat, de hoc sæculo migraverit, in A unitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando in se hoc quod illud sacramentum significat, invenitur. *Item ex libro De civitate Dei* X, (*cap.* 20). In forma servi maluit Dominus esse sacrificium quam sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ, per hoc et sacerdos est ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum voluit Ecclesiæ esse sacrificium, quæ cum capitis ipsius sit corpus, seipsam per ipsum discit offerre.

Cap. 2. — *Quod manna a patribus sumptum non liberavit a morte, sed qui figurabatur in manna : in sermone De utilitate agendæ pœnitentiæ.*

Manna de cœlo, inquit, aperte ab ipso Domino B exponitur. *Patres vestri*, inquit, *mannam manducaverunt in deserto et mortui sunt* (*Joan.* VI ; *Exod.* XVI; *Num.* II). Quando enim viverent, figura prænuntiare vitam posset, vita esse non posset. *Manducaverunt*, inquit, *manna et mortui sunt*, id est, manna quod manducaverunt, non eos potuit de morte liberare, non quia manna ipsum mors illis fuit, sed quia a morte eos non liberavit. Ille autem a morte eos liberaturus erat, qui per manna figurabatur. Breviter ergo dixerim, quicunque in manna Christum intellexerunt, eumdem quem nos cibum spiritualem manducaverunt.

Cap. 3. — *Quamvis res visibiles sacramentorum corrumpantur, non tamen id quod per eas agitur, corrumpi posse. In libro De unico baptismo.*

An vero, inquit, solis, vel etiam lucernæ lux cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordidum attrahit, et baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari? Si enim ad res ipsas visibiles quibus ipsa sacramenta tractantur animum conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per eas agitur, quis non videat non posse corrumpi? quamvis homines per quos agitur, pro suis moribus vel præmia percipiant vel pœnas luant.

Cap. 4. — *Non mentiri eum qui dicit Christum impassibilem et immortalem quotidie in sacramento immolari, et quomodo intelligendum sit sacramentum corporis Christi, corpus Christi esse. In epistola Augustini ad Bonifacium episcopum* (*epistola* 23).

D (*De cons. dist.* 4, *c. Quæris, sub finem.*) Ecce facio, inquit post multa, quantum possum. Dominus adjuvet, ut quod postulas possim. Nempe sæpe ita loquimur, ut Pascha appropinquante dicamus crastinam vel perendinam Domini esse passionem,

Introdusă în format electronic de Google

cum ille ante multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus, Dominus hodie surrexit, cum ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia dies istos secundum illorum quibus hæc gesta sunt similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse est dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ei, ut dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed olim factum est. Nonne semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populo immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum respondet immolari. Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque jam sacramenta ipsarum rerum nomina accipiunt. Sic ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est. *In libro De pœnitentiæ remedio* (*cap.* 7). Hoc, inquit, altare quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, ad hoc multi etiam scelerati possunt accedere, cum Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exerat severitatem suam. (*De cons.*, *dist.* 2, *c. Ut quid paras, et P. Lom.*, *lib.* IV, *dist.* 9, § *a.*) Ut quid paras, inquit beatus Augustinus in expositione Evangelistæ (*Tract.* 26 *in Joannem*), dentes et ventrem: credere in eum, hoc est manducare panem vivum, qui credit in eum, manducat eum. Invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intus est, novus est intus, ubi novellatur, ibi satiatur. Non enim buccella Domini (*Joan.* XIII) venenum fuit Judæ, quam cum accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum malus male accepit. Videte ergo fratres panem cœlestem, spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate: peccata et si sunt quotidiana, non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis attendite quid dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Dimittas, dimittetur tibi. Securus accede; panis est non venenum. *Hic panis est, qui descendit de cœlo* (*Joan.* VI). Hunc panem significat manna, hunc panem significat altare Domini. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re quæ significatur paria sunt. *Omnes*, inquit, *eamdem escam spiritualem manducaverunt*, spiritualem utique eamdem. Nam corporalem aliam, quia illi manna, nos aliud, spiritualem vero eamdem quam nos, adjungit. *Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt*: aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem est virtute spirituali. Quomodo enim eumdem potum? *Bibebant*, inquit, *de spirituali consequente eos petra petra au-*

A *tem erat Christus* (*Num.* IX; *Exod.* XIII, XIV, XVI, XVII; *Num.* XX; *I Cor.* X); idem potus, idem panis. Petra Christus in signo, verus Christus in carne et verbo. *Hic est ergo panis de cœlo descendens* (*Joan.* VI), ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur, quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat intus, non foris; qui manducat corde, non qui premit dente. *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam* (*ibid.*). Hanc ergo non habet qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo homines habere possunt. *Qui* ergo ejus *non manducat carnem, nec bibit* ejus *sanguinem, non habet* in se *vitam*: et *qui manducat* ejus *carnem, et* B *bibit* ejus *sanguinem*, *habet vitam æternam* (*ibid.*). Ad utrumque autem respondet, quod dixit æternam. Hunc ergo cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia sancta. Hujus rei sacramentum, id est unitatis, corporis Christi et sanguinis, alicubi quotidie alicubi certis intervallis dierum, in Dominica mensa præparatur, et de mensa Dominica sumitur: aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitium. Res vero ipsa cujus sacramentum, omni homini ad vitam, nulli homini ad exitium, quicunque participes ejus fuerint. *In symbolo Ephesini concilii* (*ex epistola conc. Ephesini ad Nestorium*). Necessario, inquiunt, et hoc adjicimus, annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti Filii C Dei, et resurrectionem, incruentam celebremus sacri officii servitutem. Sic enim ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur, participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit! nec viri sanctificati, et verbo conjuncti, secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, et ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, qua propriæ carni unitus, et vivificatricem professus est, et ideo quamvis dicat: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* (*Joan.* VI, 54), non tamen ut hominis cujusquam existimare debemus. Quomodo enim D juxta naturam suam vivificatrix esse poterit caro hominis? Sed ut vere ejus propriam factam, qui propter nos filius hominis factus est, et vocatus. (*Aug. in Enchiridio. cap.* 65; *Grat. de pœnit.*, *dist.* 1, *cap. In actione*; *P. Lomb. l.* IV, *dist.* 20, § *c.*) In actione pœnitentiæ ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur: non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum non despicit Deus (*Psal.* L). *Hilarius in libro de Trinitate.* Eos inquiens qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, nec interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit an per concordiam voluntatis. Si enim vere Verbum caro factum est (*Joan.* I), et vere Verbum carnem cibo

Introdusă în format electronic de Google

Dominico sumimus : quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est : qui et naturam carnis nostræ, jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis nostræ ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit ? Ita enim omnes unum sumus : quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere ergo carnem corporis nostri Christus assumpsit : et vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sumimus, et per hoc unum sumus, quia Pater in eo est, et ille in nobis : quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit unitatis ? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus agendum, neque per violentiam, atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum, sanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ, extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, quæ legimus intelligamus : et tunc perfecte fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicemus. Ipse enim ait : Caro mea *vere est* esca, *et sanguis meus vere est potus Qui* edit *carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). De veritate carnis et sanguinis, non est relictus ambigendi locus. Nunc enim ipsius Domini professione, et fide nostra, vere caro est, et vere sanguis est, et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hæc veritas non est ? Contingat plane iis verum non esse, qui Christum Jesum verum Deum esse negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secundum hoc quod nos sumus, in Deo est. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem, per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum, ea conditione qua vivit ipse per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem ? *Eusebius Emisenus. Ex sermone de corpore et sanguine Domini.* (*De cons., dist.* 2, *c. Quia corpus, et lib.* IV *Sententiarum. dist.* 8, § *b.*) Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necessarium erat ut die cœnæ sacramentum nobis corporis et sanguinis consecraret : ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio, et perennis victima illa viveret in memoria, et semper præsens esset in gratia. Vere unica et perfecta hostia fide æstimanda, non specie, neque exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Unde cœlestis confirmat auctoritas : quia *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum : quando quidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam et invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens : Accipite et comedite; Hoc EST CORPUS MEUM : et sanctificatione repetita : Accipite et bibite ; hic est sanguis meus. Ergo ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum (*Gen.* I). Pari potentia in spiritualibus sacramentis ubi præcipit virtus, servit effectus. Quanta itaque, et quam celebranda beneficia vis divinæ benedictionis operetur : et quomodo tibi novum et impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena et mortalia convertuntur, teïpsum qui in Christo es regeneratus interroga. Dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via, intrinsecus mortuus, exsulabas : subito initiatus Christi legibus, et salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti : et de filio perditionis adoptivus Dei fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens, major factus es te ipso invisibiliter, sine quantitatis augmento. Cum idem atque ipse esses, multo aliter fidei processibus exstitisti. In exteriore nihil additum est, et totum in interiore mutatum est : ac sic homo Christi filius effectus, et Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu præterita vilitate deposita, subito novam indutus es dignitatem : et sicut hoc quod Deus læsa vitæ curavit, infecta diluit, maculata detersit; non oculis tuis, sed sensibus tuis sunt credita : ita et cum reverendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus, et sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, et maxime totum haustu interioris hominis assume

CAP. 5. — *Panem quem Dominus fregit, et dedit discipulis suis, esse corpus Domini salvatoris : et calicem quem porrexit eis, esse sanguinem ejus, et quomodo intelligi debeat caro et sanguis Christi. Hieronymus ad Edibiam.*

(*Quæst.* 2.) Nos autem audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis suis (*Matth.* XXVI), esse corpus Domini salvatoris, ipso dicente ad eos : *Accipite et* comedite, *Hoc est corpus meum*, et calicem illum esse, de quo loeutus est iterum : *Bibite ex hoc omnes : hic est* enim *sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Marc.* XIV). Ilic est calix de quo in Propheta legimus, *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV). Et alibi : *Et calix meus inebrians, quam præclarus est* (*Psal.* XXII). Si ergo panis qui de cœlo descendit corpus Domini est, et vinum quod discipulis dedit, sanguis est illius Novi Testamenti, qui effusus est in remissionem peccatorum, Judaicas fabulas repellamus, et ascendamus cum Domino cœnaculum magnum stratum atque mundatum, et accipiamus ab eo sursum calicem Novi Testamenti, ibique cum eo Pascha celebrantes, inebriemur vino sobrietatis. *Non enim est regnum Dei*

Introdusă în format electronic de Google

esca et potus : sed justitia, et gaudium, et pax in Spiritu sancto (*Rom.* XIV). Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus ipse conviva, et convivium est : ipse comedens, et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, et sine ipso potare non possumus : et quotidie in sacrificiis ejus de germine vitis veræ, et vineæ Sorech, quæ interpretatur *electa*, rubentia musta calcamus, et novum ex his vinum bibimus in regno Patris : non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus (*Rom.* VII), canentes canticum novum, quod nemo potest canere, nisi in regno Ecclesiæ, quod est regnum patris (*Apoc.* XIV). *Item in Epistolam ad Ephesios.* (*De cons., dist.* 2, *c. Dupliciter, et P. Lom. lib.* IV, *dist.* 8, *c.*) Dupliciter, inquit, intelligitur caro Christi, et sanguis in Ecclesia, vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse ait : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus :* et nisi manducaveritis carnem meam, et sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam; vel caro quæ crucifixa est, et sanguis qui militis effusus est lancea. *Item in Isaiam, in cap.* LXVI. Secundum tropologiam possumus dicere, omnes voluptatum amatores magis quam Dei sanctificari in hortis et liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire : et comedunt cibos pietatis, dum non sunt sancti et corpore et spiritu, nec comedunt carnem Jesu, nec bibunt sanguinem ejus, de quo ipse loquitur : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam* (*Joan.* VI). *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Corint.* V), qui non foris sed in domo una et intus comeditur. *Item in quadam homilia super Leviticum cap.* XIII. His ex auctoritate Evangelica atque apostolica comprobatis, vide quomodo unusquisque vel mundus, vel immundus, possit ostendi. Omnis homo habet in se aliquem cibum, quem accedenti ad se proximo suo præbeat. Non enim fieri potest ut, cum accesserimus adinvicem nos homines, et conseverimus sermonem, non aliquem ex interrogatione vel ex responsione, velut ex aliquo gustu, aut capiamus, aut præbeamus cibum : et siquidem quem bonæ mentis gustu capimus, mundum sumimus cibum, si vero immundus est quem contingimus; immundum. Unde Apostolus de talibus dicit : *Cum hujusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V). Et ut tibi evidentius hæc patescant, de majori sumamus exemplum, ut inde ad inferiora veniamus. Dominus ait : *Nisi manducaveritis carnem meam, et sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam : Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI), quia omne opus ejus sanctum est; et omnis sermo ejus verus. Carnibus enim, et sanguine agni tanquam cibo mundo et potu, potatur et reficitur omne hominum genus. Secundo loco post illius carnem mundus cibus est Petrus et Paulus, et omnes apostoli. Tertio discipuli eorum, et sic unusquisque pro meritorum puritate proximo mundus fit cibus. Hoc qui audire nescit, avertit forsitan auditum secundum eos qui dicebant : Quis potest eum audire ? Sed si filii estis Ecclesiæ, si evangelicis imbuti mysteriis, si Verbum caro factum (*Joan.* I) habitat in vobis, agnoscite quæ dicimus quia Domini sunt, ne qui ignorat ignoretur. Agnoscite quia figuræ sunt, quæ in divinis voluminibus scriptæ sunt : ideo tanquam spirituales, et non carnales (*I Corinth.* XIV), intelligite quæ dicuntur. Si enim tanquam carnalia ista suscipitis, lædunt vos, non alunt. Est enim et in Evangeliis littera quæ occidat (*II Corinth.* III). Non solum in Veteri Testamento littera occidens deprehenditur, est et in Novo Testamento littera quæ occidat eum, qui non spiritualiter advertit. Si enim secundum litteram sequaris hoc ipsum quod scriptum est : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem* : occidit hæc littera. Vis et tibi aliam proferri de Evangelio litteram quæ occidit ? Qui non habet gladium, inquit, vendat tunicam suam, et emat gladium (*Luc.* XXII). Ecce hæc littera evangelium est; sed occidit. Si vero eam spiritualiter intelligas, non occidit, sed spiritus vivificans est in ea : et ideo sive in lege, sive in evangeliis, quæ dicuntur spiritualiter suscipe, spiritualiter dijudica. Ut ergo diximus, omnis homo aliquem habet in se cibum, ex quo qui sumpserit siquidem bonus est, et de bono thesauro profert bonum, mundum cibum præbet proximo suo. Potest enim quis innocens et rectus corde, mundum videri animal, et præbere audienti se mundum cibum, tanquam ovis, quæ est animal mundum, similiter et in cæteris. Et ideo omnis homo cum loquitur proximo suo, sive prodest ei ex sermonibus, sive nocet, mundum ei aut immundum efficitur animal, ex quibus vel mundis utendum est, vel immundis præcipitur abstinendum. Si secundum hunc intellectum dicamus summum Deum leges hominibus promulgasse, digna videbitur humana majestate legislatio. Si vero assideamus litteræ, et secundum quod vel Judæis, vel vulgo dicitur, accipiamus quæ scripta sunt, erubesco confiteri Deum tales leges dedisse. Videbuntur enim magis elegantes leges hominum, verbi gratia, Romanorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum.

CAP. 6. — *Quod in lege fuerit umbra, in Evangelio veritas ; et quod devoto animo, et cum timore ad communionem sit accedendum. Ambrosius in libro De officiis, cap.* 14.

Illa igitur sunt nobis expetenda, in quibus veritas est. Hic umbra, hic imago est, illic veritas; umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus; nunc offertur Christus, sed quasi homo offertur : quasi recipiens passionem et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate. Ibi apud Patrem quasi advocatus pro nobis intervenit. *Item in epistolam ad Corinthios.* (*In I ad Corinth. cap.* 59.) Devoto animo, et cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciant omnes se reverentiam debere ei, ad cujus corpus sumendum accedunt. Hoc enim debent apud se judicare, quia Dominus est cujus in ministerio sanguinem

Introdusă în format electronic de Google

potant. *Item in Epistolam ad Hebræos.* (*In* v *caput.*) Sed in ista carne ac sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat : sed vivificatricem substantiam, atque salvatricem in pane et vino, per quæ si digne sumuntur, nobis est remissio peccatorum collata. *Item in eamdem.* (*In* x *cap.*) Una est Ecclesiæ hostia, illi autem multæ sunt. Propter hoc enim nec fortes erant, quia multæ. Quid autem opus erat multis, dic mihi, una sufficiente? Proinde quod multæ offerebantur, ostendit eos nunquam purgari, sicut medicamentum forte, et valens, et efficax, cunctam repellit valetudinem. Si ergo semel impositum totum operatum fuerit, ostendit virtutem, ut non ulterius apponatur. Si vero semper apponitur, manifestum indicium est, minus illud prævaluisse medicamentum, virtus quippe illius est, ut semel apponatur et non frequenter, sicut etiam hic. Si enim ab omnibus essent liberati peccatis, nequaquam per singulos dies offerret quis sacrificia. Proinde peccati commemoratio fuit, non absolutio, quia quotidie eisdem purgantur hostiis, etiam ipsi sacerdotes, et populus pariter. (*De cons.*, *dist.* 2, *c. In Christ.*; *P. Lom. l.* IV *Sent.*, *dist.* 12, § *g.*) In Christo econtrario semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad recordationem mortis ejus, et una est hostia, non multæ. Quomodo una et non multæ? Quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius, idipsum semper idipsum, proinde unum hoc est sacrificium; alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens, et illic plenus. Sicut enim quod ubique offertur, unum corpus est, et non multa corpora : ita et unum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam obtulit nos mundantem. Ipsam vero offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est : *Hoc* enim *facite*, ait, *in meam commemorationem* (*Luc.* XXII), non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, magis autem sacrificii recordationem operamur. Unde etiam beatus Augustinus in decimo libro De civitate Dei eisdem verbis pene inquit : Dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus et reddimus, et beneficiorum ejus solemnitatibus, festis et diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio. Unde etiam in Psalmo LXXX fratribus ait : Ecce innovavit nos Christus, donavit omnia peccata, cum non obliviscimur munus Salvatoris. Nonne Christus quotidie immolatur? et semel pro peccatis immolatus est. Cum credimus, ecce cogitatio. Ex ipsius reliquiis cogitationis quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, quia prima gratia sua nos innovavit,

CAP. 7. — *Quod Christum lapidat, qui audire non potest. Ego et Pater unum sumus : sicut Judæi hoc audientes tulerunt lapides, ut lapidarent eum. Et quod Divinitas in suæ veritatis claritate videri non potest. Ambrosius in* II *De Spiritu sancto* (*cap.* 18).

Judæi audientes : *Ego et Pater unum sumus, tulerunt lapides, ut lapidarent eum* (*Joan.* X). Qui hoc audire non potest Judæus est : qui hoc audire non potest lapidat Christum omni caute asperioribus perfidiæ suæ saxis, et si mihi creditis, vulnerat Christum. Nam etsi ille vulnus jam sentire non possit, nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum (*II Cor.* V), tamen Arianorum impietate lapidatur, qui Ecclesiæ pietate litatur. De hac litatione sanctus Joannes in Epistola : *Et misit*, inquit, *Filium suum* litatorem *pro peccatis nostris* (*I Joan.* IV). *Item in sermone de Abel et Cain.* Denique Spiritus sanctus in specie columbæ visus est (*Matth.* III), quia videri Divinitas in suæ veritatis claritate non poterat. Noli igitur, et tu secundum naturam interpretari, quod præter naturam divinitatis est. Nam et si credas, a Christo carnem fuisse susceptam, et offeras transfiguratum corpus altaribus, non distinguas tamen naturam Verbi et corporis, et tibi dicitur : Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti. *Item in libro De mysteriis initiandis* (*cap.* 9). Vera autem caro Christi, quæ crucifixa, quæ sepulta est, vere illius carnis sacramentum verum est. *Item in eodem.* (*De cons.*, *dist.* 2, *c. Ante benedictionem.*) Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus significatur. *Item.* (*De sacramentis lib.* IV, *c.* 5.) In illo sacramento Christus est. *Item.* Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum. *Item.* Non est esca ista corporalis. *Item.* Non est iste panis qui in corpus vadit. *Item.* Esca ista vitæ æternæ substantiam subministrat. *Item.* Talibus Ecclesiam pascit, quibus animæ firmatur substantia. *Item.* (*De myster. initiand.*, *c.* 9.) Denique cor nostrum esca ista confirmat, et vinum hoc lætificat cor. *Item.* (*De sacram. l*, IV, *c.* 3.) Vidisti sacramenta super altare posita, et ipsam miratus es creaturam, creatura tamen solemnis et nota. *Item.* (*Lib.* IV *De sacram.*, *cap.* 4.) Si tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur. *Item.* (*cap.* 5.) Sicut similitudinem mortis bibisti; ita similitudinem pretiosi sanguinis bibis. *Item.* (*Lib.* IV, *De sacram. cap.* 2.) Fac nobis hanc oblationem acceptabilem, quod est figura corporis et sanguinis Domini. *Item.* (*Lib.* IV, *cap.* 6.) Figura corporis, altare est. *Item.* Ne horror cruoris esset, ideo in similitudinem accipis sacramentum. *Item.* Offerimus tibi immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum. *Item.* (*Lib.* IV, *cap.* 5.) Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quia jam corpus est. *Item.* Præveni in maturitate. Plures filios habuit Abraham, nullum alium ablactavit, in hoc solo dicitur fecisse epulum magnum, et bene magnum, quia tempus erat ejus, quem semper epulantur corda sanctorum. *In libro De Trinitate ad*

Introdusă în format electronic de Google

Gratianum. (*Item Ambr. l.* II *De Spiritu sancto, cap.* 7) Absit ut se quisque tali impietate maculet, ut dicat frequenter creari Spiritum sanctum, aut unquam creari! Cur enim creari videatur frequenter non intelligo, et pisi eum mori credam frequenter, et frequenter recreari. *Item in epistolam ad Corinthios* (*cap.* 58). (*De consecr., dist.* 4, *c. Quia morte.*) Quia morte Domini liberati sumus. Hujus rei memores, in edendo et potando carnem et sanguinem Domini quæ pro nobis oblata sunt, significamus. *Item in eodem cap.* Beneficii divini sanguis testis est, in cujus typum nos calicem mysticum ad tuitionem corporis et animæ percipimus. *Dominica quinta post Theophaniam.* (*De cons., dist* 2, *c. Singuli; P. Lomb. lib.* IV, *d.* 12, § *e.*) Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis. *Beatus Hilarius.* (*De cons., dist.* 2, *c. Corpus Christi.*) Corpus Domini Christi quod sumitur de altari, figura est, dum panis et vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur. *Ambrosius, De sacramentis.* (*De mysteriis initiandis, cap.* 8.) Non igitur humani sed divini est muneris sacramentum quod accipis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patrem Abraham illum, cujus gratiam et gesta miraris. Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramenta, nunc cognosce potiora. Revera mirabile quod manna Deus pluerit patribus, et quotidiano cœli pascebantur alimento. Unde dictum est : *Panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII; *Exod.* XVI; *Num.* X); sed tamen panem illum qui *manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt* (*Joan.* VI). Ista autem esca quam accipis, iste *panis vivus, qui de cœlo* descendit (*ibid.*), vitæ æternæ subministrat substantiam : et quicunque hunc manducaverit, non morietur in æternum, et corpus est Christi. Considera nunc utrum præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud de cœlo, hoc supra cœlum (*Exod.* XVI). Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit (*Exod.* XVII); tibi sanguis ex Christo. Illos ad horam satiavit aqua; te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit et sitit; tu cum biberis sitire non poteris : et illud in umbra; hoc in veritate. Si illud quod miraris umbra est, quantum istud est, cujus et umbra miraris? Audi quia umbra est, quæ apud veteres facta est. *Bibebant,* inquit, *de consequente petra, petra autem erat Christus* (*I Cor.* X). Sed non in pluribus beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Cognovisti præstantiora. Potior est lux quam umbra, veritas quam figura; corpus auctoris, quam manna de cœlo. Forte dicas, aliud video, quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ut probemus hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam et facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, et in virgæ naturam revertitur (*Exod.* VII). Vides prophetica gratia bis mutatam esse naturam, et serpentis, et virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere : non erat potus in fluviis. Rursus ad prophetæ preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus erat undique populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari conclusus. Virgam levavit Moyses, separavit se aqua, et in murorum specie congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus, contra naturam in sui fontis convertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, et aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret quam non habebat natura? Mara fluvius erat amarissimus, ut sitiens populus bibere non posset (*Exod.* XV). Misit Moyses lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. Sub Eliseo sancto propheta, uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est (*IV Reg.* VI) : rogavit Eliseum qui amiserat ferrum, et misit Eliseus lignum in aquam, et ferrum natavit. Utique et hoc præter naturam factum agnoscimus : gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Advertimus igitur majorem esse gratiam quam naturam; et adhuc propheticæ benedictionis gratias numeramus (*IV Reg.* I). (*Lib.* IV *Senten., dis.* 10, § *d.*) Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam verteret, quid dicimus de ipsa consideratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone confitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo depromeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legistis : *Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). Sermo igitur Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas res dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, Incarnationisque novitate astruamus mysterii veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit cum Dominus Jesus de Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mista femina generare consuevit. Liquet igitur quod præter ordinem naturæ virgo generavit, et hoc quod conficimus, corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus partus de virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa

Introdusă în format electronic de Google

est, quæ sepulta est, vere carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus : *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis : Amen, hoc est, *verum est*. Quod sermo sonat, affectus sentiat. *Item.* (*Amb. lib.* VI *De sacramen. cap.* 1.) Sicut verus est Deus, Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro Christi, sicut ipse dixit, quam accipimus, et sanguis, quo potamur. Sed fortasse dicas, quod dixerunt tunc temporis discipuli Christi audientes dicentem : *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum*, non manebit in me, nec habebit vitam æternam (*Joan.* VI), forte dicas? (*De cons., dist* 2.) Quomodo vera caro, quomodo verus sanguis, qui similitudinem non video carnis, non video sanguinis veritatem? Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare, et convertere genera et instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli ejus, sed audientes quod carnem suam daret manducare, et sanguinem suum daret bibendum, recedebant : solus tunc Petrus dixit : *Verba vitæ æternæ habes, et ego quomodo a te recedam?* (*Joan.* VI.) (*Lib.* IV *Senten., dist.* 12, § *c.*) Ne igitur plures hoc dicerent, et ne veluti quidam esset cruoris horror, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gloriam [gratiam] virtutemque consequeris. *Ego sum*, inquit, *panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI).

CAP. 8. — *Hierusalem captivam ab hujus sæculi Babylonia debere liberari, et signacula rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari, et plurima in hunc modum. Augustinus de catechizandis rudibus*

(*Cap.* 11.) Nonnunquam etiam, cum recte omnia vere dicantur, aut non intellectum aliquid, aut contra opinionem, aut consuetudinem veteris erroris ipsa novitate asperum offendit et perturbat audientem. Quod si apparuerit et sanabilem se præbet auctoritatum rationumque copia, sine ulla dilatione sanandus est. Si autem occulta offensio est, Dei medicina opitulari potest. At si resilierit et curari recusaverit, consoletur nos Dominus illo exemplo, qui offensis hominibus ex verbo suo, et tanquam durum refugientibus, etiam his qui remanserant ait : *Nunquid et vos vultis abire?* (*Joan.* VI.) Satis enim fixum et immobile decet corde retineri, Hierusalem captivam ab hujus sæculi Babylonia decursis temporibus liberari : nullumque esse ex illa periturum, quia qui perierit non ex illa erat. *Item.* De sacramento quod accepit, cum bene ei commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia : sed res ipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet : discendum etiam quid significet, et sermo quem audivit quid in illo condatur, cujus illa res similitudinem gerit : deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in Scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligat, credat tamen spirituale aliquid significari, quod ad sanctos mores, futuramque vitam pertineat. Hoc autem ita breviter discat, ut quidquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem æternitatis et sanctitatis, et ad dilectionem proximi referri non possit, figurate dictum vel gestum credat, atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat dilectionem. *Item De catechizandis rudibus, cap.* 9. De sacramento autem sufficit prudentioribus audire, quid res illa significet, cum tardioribus autem, aliquanto pluribus verbis, et similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident. *Item contra Faustum, lib.* XIX, *cap.* 16. Quid enim sunt aliud quæque sacramenta corporalia, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verum tamen mutabilia et temporalia. *Item in libro decimo De civitate Dei* (*cap.* 19). Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis alienis congruere, illi vero tanquam invisibili invisibilia, et majora majori, meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis, bonæque voluntatis officia : profecto nesciunt hæc ita signa esse illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus, offerimus : ita sacrificantes, non alteri sacrificium visibile offerendum esse noverimus, quam illi cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. *Item in libro decimo De civitate Dei.* (*Cap.* 5 *De cons., dist.* 2, *c. Sacrificium, et lib.* IV *Sent. dist.* 1, § 1.) Sacrificium visibile, invisibile sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est. *Et alibi* : Sacramentum invisibilis gratiæ visibilis forma. *Item libro secundo De doctrina christiana.* Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire. *Ibidem libro tertio.* Christiana libertas eos, quos invenit sub signis utilibus, tanquam prope inventos, interpretatis signis quibus subditi erant, elevatos ad eas res quarum illa signa sunt, liberavit. Ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israelitarum. Quos autem invenit sub signis inutilibus, non solum servilem in operationem sub talibus signis, sed etiam ipsa signa frustravit, removitque omnia, ut a corruptione multitudinis simulatorum deorum (quam sæpe ac proprie Scriptura fornicationem vocat), ad unius Dei cultum gentes converterentur : nec sub ipsis jam signis utilibus servituræ, sed excitaturæ potius animum in eorum intelligentia spirituali. Sub signo enim servit, qui operatur, aut veneratur aliquam rem nesciens quid significet. Qui vero operatur aliquod signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non veneratur quod videtur et transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo et spiritualis, et liber est tem-

Introdusă în format electronic de Google

pore servitutis, quo carnalibus animis, nondum oportet signa illa revelari, quorum jugo edomandi sunt. Tales spirituales erant patriarchæ ac prophetæ omnesque in populo Israel, per quos nobis ipsa Scripturarum solatia et auxilia ministravit. Hoc vero tempore postea quam resurrectio Domini nostri, manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina. Sicut est baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini, quæ unusquisque cum perceperit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur. *Et paulo inferius* (*cap.* 15, 16). Servabitur, inquit, in locutionibus figuralis regula hujusmodi, ut tandiu versetur diligenti ratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio. Si præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans : aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis, et sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI) : facinus videtur aut flagitium jubere. Figura ergo est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa est, et vulnerata. Ait Scriptura : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi* (*Prov.* XXV; *Rom.* XII). Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit. Sed quod sequitur : Hoc enim faciens *carbones ignis congeres super caput ejus* (*ibid.*) : malevolentiæ facinus putes juberi. Ne igitur dubitaveris figurate dictum : et cum possit dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam charitas te potius revocet, ut intelligas carbones ignis, esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo miseriæ ejus subvenitur. Item cum ait Dominus : *Qui amat animam suam perdet eam* (*Joan.* XII) : non utilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conservare animam suam, sed figurate dictum : perdat, id est, perimat atque amittat ejus usum quem nunc habet, perversum scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus ut æterna non quærat. Scriptum est : *Da misericordi, et ne suscipias peccatorem* (*Eccli.* XII). Posterior pars hujus sententiæ videtur vetare beneficentiam. Ait enim : *Ne suscipias peccatorem.* Intelligas peccatorem figurate dictum, pro peccato, ut peccatum ejus non suscipias. *Item in psal.* III, *tractans de Juda traditore Domini.* Eum, inquit, adhibuit ad convivium, in quo corporis et sanguinis figuram discipulis commendavit et tradidit. *Item in præf.* 2 *in psal.* XXI. (*De cons., dist.* 2, *c. Semel; lib.* IV *Sent. dist.* 12, § *g.*) *Semel Christus mortuus est justus pro injustis* (*I Petr.* III); et scimus, et certum habemus, et spe immobili retinemus, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Verba ista Apostoli sunt, tamen ne obliviscamur quod semel factum est, in memoria nostra omni anno fit. Quoties pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? Sed tamen anniversaria recordatio repræsentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce. *Item in expos. priori Psal.* XXI. *Vota mea reddam.* Sacramenta corporis et sanguinis Domini mei reddam. *Edent pauperes et saturabuntur.* Edent contemptores sæculi, et mutabuntur, *et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Laus Domini eructatio saturitatis ejus, *vivent corda eorum in sæculum sæculi*, nam cibus ille est cordis. *In expositione Psalmi* LIII *et* XCVIII. (*De cons., dist.* 2, *c. Prima, et lib.* IV *Sentent. dist.* 10, § *a.*) Prima, inquit, hæresis in discipulis Christi, velut a duritia sermonis ejus facta est. Cum enim diceret : *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam* (*Joan.* VI) : illi non intelligentes, dixerunt ad invicem : *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* (*ibid.*) Dicentes quia durus est hic sermo, separaverunt se ab illo, remansit cum duodecim; discedentibus illis, instruxit eos qui remanserant. *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat, caro nihil prodest. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*ibid.*), id est spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter? Spiritus et vita sunt : intellexisti carnaliter? etiam sic illa Spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt. Spiritualiter intelligite quæ locutus sum. (*Eod. c. et De cons. dist.* 2, *c. Non hoc.*) Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quidquam. Sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere venditur, aut in macello dilaniatur. *Augustinus tract.* 27 *in Joannem. Sciens autem Jesus* ait (*ibid.*) : *Hoc vos scandalizat*, quia dixi vobis, do vobis carnem meam manducare, et sanguinem meum potare? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi prius erat.* Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat, hinc aperuit unde fuerant scandalizati. Hinc plane, si intelligerent. Illi autem putabant erogaturum corpus suum, ille dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum. *Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum, vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus. *Item tractatu* 50 *in Joannem.* (*L.* IV *Sentent. dist.* 10, § *a.*) Dum finiatur sæculum sursum est Dominus, sed tamen hic etiam nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo re-

Introdusă în format electronic de Google

surrexit, uno loco esse oportet, veritas autem ejus ubique diffusa est. *Item tractatu* 12 *in Joannem*. Quia tetigit hominem, confessus est Deum, et Dominus consolans nos, qui in cœlo jam Christum sedentem manibus contrectare non possumus, sed fide contingere, ait illi : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx). *Item in sermone quodam de verbis Evangelii* (64). Invitat Dominus servos, præparavit seipsum cibum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait: Qui manducat me, vivit propter me. Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat quando manducatur, quia resurrexit occisus : nec quando manducatur, partes de illo facimus, et quidem in sacramento sic fit. Norunt fideles, quemadmodum manducent carnem Christi, unusquisque partem suam accipit, per partes manducatur, et manet integer totus. Per partes manducatur in sacramento, manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. *Item*. Quod videtis in altari panis est et calix, quod etiam oculi vestri vobis renuntiant : quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus, calix est sanguis. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forsitan sufficere debeat, sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta : Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* vi). Potestis ergo dicere mihi : Præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest enim animo cujuspiam cogitatio talis oboriri. Dominus Jesus Christus novimus unde accepit carnem, de Virgine scilicet Maria : infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem ætatem perductus est, ligno suspensus est, interfectus, de ligno depositus, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit ascendit in cœlum. Illuc levavit corpus suum, unde venturus est judicare vivos et mortuos, ibi est modo sedens ad dexteram Patris. Quomodo ergo panis est corpus ejus et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem. *Item lib.* VIII. *De baptismo contra Donatistas, cap.* 50. *Inducit autem B. Cyprianum sic dicentem* : Nam quando Dominus vocat (*Joan.* vi) corpus suum panem, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat de gentibus indicat adunatum : et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum, atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commistione adunatæ multitudinis copulatum. *Item*. In præsenti per fidem, in præsenti per signum, in præsenti per baptismatis sacramentum, in præsenti per altaris cibum et potum. *Item in eodem Evangelio*. De his sermo erat, inquit, cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut alium quemlibet cibum indiscrete negligenterque sumebant (*1 Cor.* xi), et quid dixerit corpus Domini in sequentibus manifestans, intelligendum est, inquit, quod eis jam omnibus distribuerat sacramentum corporis et sanguinis sui. *Et alibi* : Videte fide manente signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento ejusdem Christi biberunt aquam fluentem de petra, nos quid bibamus norunt fideles. Si speciem visibilem attendas, aliud est : si intelligibilem significationem, eumdem potum spiritualem biberunt. *Item in sermone de verbis Evangelii Tract.* 26 *in Joannem.* (*De cons., dist.* 2, *c. Quid est; lib.* IV *Sentent. dist.* 9, § *a.*) Quid est Christum manducare? Non est hoc solum in sacramento corpus ejus accipere. Multi enim indigne accipiunt, de quibus ait Apostolus : *Qui manducat et bibit calicem Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit*. Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* vi). Si in me manet et ego in eo, tunc bibit : qui autem in me non manet, nec ego in illo, et si accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. *Item ex tractatu Evangelii secundum Joannem* (*sentent.* 339). Talis erat Judas, et tamen cum sanctis apostolis undecim intrabat, et exibat, ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit. Conversari cum illis potuit, eos inquinare non potuit. De uno pane accepit et Judas, accepit et Petrus, et tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, et Judas accepit ad mortem. *Item in libro Sententiarum Prosperi*. Escam vitæ accepit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, cujus Christus inhabitator est. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

CAP. 9. — *Sicut in sermone Domini, ea quæ non erant esse cæperunt, sic operatione ejus, ea quæ sunt in aliud commutari : præterea sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, id est visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine. Lanfrancus.* (*De sacramento corp. cap.* 5 *cum sequentibus.*)

Si tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur? Esse quidem quæ erant, testatur secundum visibilem speciem : commutari vero secundum interiorem essentiam, in naturam illarum rerum quæ ante non erant. (*De cons., dist.* 2, *c. Hoc est quod dicimus, et lib* IV *Sententiarum dist.* 10, § *b.*) Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi : sicut Christi persona constat et conficitur Deo et homine, cum

(64) Hujus sermonis Aug. initium est : *Veritas quæ est Christus.*

Introdusă în format electronic de Google

ipse Christus verus sit Deus, et verus homo? quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur sacramentum, et res sacramenti, id est corpus Christi. *Christus* enim *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Sed sicut dicit Andreas apostolus : Cum vere carnes ejus in terris sint comestæ, et vere sanguis ejus sit bibitus, ipse tamen usque in tempora restitutionis omnium, in cœlestibus ad dexteram Patris, integer perseverat et vivus. Si quæris modum quo id fieri possit, breviter ad præsens respondeo : Mysterium fidei credi salubriter potest, vestigari utiliter non potest : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI) : nec quando manducamus, partes de illo facimus. Absit enim ut sic intelligamus Christum manducare, quemadmodum illi intellexerunt, qui, cum audirent Dominum dicentem : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis :* continuo responderunt : *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* (*ibid.*) Putaverunt namque, sicut beatus Augustinus dicit in multis locis, quod in terris degentem Dominum in frusta essent concisuri, et sic carnes ejus, aut elixas in lebetibus, aut assas in verubus essent comesturi : aut si hoc nollent, non possent ejus esse discipuli, propterea elegerunt abire, et jam amplius cum eo non ire. Procul avertat Deus ab Ecclesia sua talem sententiam! Sic nempe in terris immolatum Christum manducamus et bibimus, ut in cœlestibus ad dexteram Patris integer semper existat et vivus. (*De cons.*, *dist.* 2, *c. Dum frangitur*). Dum frangitur hostia dum sanguis de calice in ora fidelium funditur : quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur? (*De const. dist.* 2, *c. Nos aut.*, *et lib.* IV *Sentent. dist.* 10, § *d*) Nos autem in specie panis et vini quam videmus, res invisibiles, id est Christi carnem et sanguinem honoramus, nec similiter pendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem pendebamus : cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit, post consecrationem vero carnem Christi, et sanguinem esse, quod benedictio consecravit. Sacramentum ergo corporis Christi quantum ad id spectat, quod in cruce immolatus est, ipse Dominus Jesus Christus. Caro ejus est, quam forma panis opertam accipimus in sacramento, et sanguis ejus quem sub vini specie ac sapore potamus : caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis. Carne et sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur corpus visibile Domini nostri et palpabile, plenum omnium gratia virtutum, et divina majestate. Quorum alterum dum frangitur, et in populi salutem dividitur, alterum vero effusum de calice ab ore fidelium sumitur, mors ejus in cruce, et sanguinis ejus de latere emanatio figuratur. Utrumque beatus Gregorius (*lib.* IV *Dialogorum cap.* 58) solerter attendit, et enucleate in quarto libro Dialogorum exponit dicens : Ejus quippe caro ibi sumitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Pensandum ergo est quale hoc sacrificium sit, quod pro absolutione nostra mortem unigeniti Filii Dei, semper imitatur. Imitatur dixit, non operatur, quia *resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Caro ergo et sanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis nostris misericordiam quotidie alimur, Christi corpus et sanguis vocantur, non solum quia essentialiter id sunt, qualitatibus multum discrepantes, verum etiam eo locutionis modo, quo res significans significatæ rei vocabulo solet nuncupari. Nec juste quisquam movebitur, si eadem caro, idemque sanguis sui ipsorum sacramenta existant, secundum aliud atque aliud accepta, cum ipse Dominus Jesus post resurrectionem suam sui ipsius diversa temporum ratione, typum gesserit, et figuram. Apparens enim duobus discipulis locutusque eis quantum satis esse judicavit, dum finxit se longius ire, sicut beatus Augustinus dicit, significavit se post paucos dies in cœlum ascensurum. Quod iter longe remotum est a communi hominum vita, quæ ipsis est duobus discipulis evidentissime figurata. Christus ergo Christi est sacramentum longius videlicet ire se fingens longius suo tempore ascendentis in cœlum (*Luc.* XXIV) : idem ejusdem, nec tamen usquequaque ejusdem. Verus namque Deus, et verus homo, et fingens et ascendens. Verumtamen aliud est figmentum terreni itineris, aliud in cœlum ascendentis veritas. Nec aliquis ita desipuerit, ut propterea abnegare præsumat fingentem se longius ire, esse verum Christum, quia figmento longioris itineris significavit verum Christum ascensurum in cœlum. Porro sacramentum fidei in ipsa ad Bonifacium epistola beatus Augustinus baptismum vocat (*ad Bonifacium epist.* 23). Verus autem baptismus constat non tam ablutione corporis quam fide cordis : quemadmodum apostolica doctrina tradit dicens : Fide mundans corda eorum. Et alibi : Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio ad Deum, alterum tamen significatur per alterum. Nam per ablutionem qua corpori extrinsecus adhibetur, purgatio animæ exprimitur, quam fides interior operatur, vocaturque fides baptismus, secundum eam locutionis figuram, qua mysterium ejus rei, cujus mysterium est, censeri nomine consuevit. Hujus rei causa est similitudo, quam in sacramento et in re sacramenti reperiri semper necesse est, sicut in baptismo et in fide; utrumque enim lavat, purgat, purificat, illud carnem, istud mentem. Sicut ergo cœlestis panis, qui vere Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet quod visibile, palpabile, mortale, in cruce positum est vocaturque

Introdusă în format electronic de Google

ipsa carnis immolatio, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significanti mysterio, sic sacramentum fidei quod baptisma intelligit, fides est. (*De const.*, *dist.* 2, *c. Semel et lib.* IV *Sentent. dist.* 12, § *g.*) Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento, quod ita intelligendum est, quia manifestatione sui corporis in distinctione membrorum suorum omnium, verus Deus et verus homo, semel tantum in cruce pependit, offerens Patri seipsum hostiam vivam, passibilem, mortalem, vivorum et mortuorum redemptionis efficacem, eorum scilicet quos altitudo divini consilii redimendos judicavit, prædestinavit, vocavit modis atque temporibus, quibus id fieri congruebat. Quonam modo panis efficiatur caro, vinumque convertatur in sanguinem, utriusque essentialiter mutata natura, vel utrum in secessum vadant more ciborum communium, *justus* qui *ex fide vivit* (*Habacuc.* II), scrutari argumentis, et concipere ratione non quærit. Mavult enim cœlestibus mysteriis nunc fidem adhibere, ut ad fidei præmia valeat quandoque pervenire, quam in his quæ comprehendi non possunt, supervacue laborare, sciens scriptum : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus* (*Eccli.* III). Si credimus vero salubriterque manducari in terris a digne percipientibus dominum Jesum Christum, ut certissime teneamus existere illum in cœlestibus incorruptum. Ineptis enim, si dicas propterea Sareptanam viduam non potuisse comedere oleum, quo plenus erat lychnus suus, quia sacra testante historia lychnus olei imminutus non est, cum eadem Scriptura dicat : *Abiit et fecit juxta verbum Heliæ, et comedit ipse et illa, et domus ejus* (*III Reg.* XVII). Non dissimili gravaris vecordia, si idcirco moliaris astruere, non posse ab Ecclesia sumi carnem et sanguinem Redemptoris, quia Apostolus dicit : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Corporali quidem ore manducamus et bibimus, quoties de altari Dominico, ipsum Dominicum corpus per manum sacerdotis accipimus. Spirituali vero ore cordis spiritualiter comeditur et hauritur, quando suaviter et utiliter, sicut beatus Augustinus dicit, in memoria reconditur, quod unigenitus Filius Dei pro salute mundi carnem accepit, in cruce pependit, resurrexit, apparuit, ascendit. *Ego sum*, inquit, *panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI) : sed caro non descendit de cœlo, hoc est carnem assumpsit in terris ex Virgine. Quomodo ergo panis descendit de cœlo, et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est divinitatis et corporis : et tu qui accipis carnem divinæ illius substantiæ, in illo participaris alimento. *Ambrosius epist.* 62. *lib.* VIII *ad Irenæum*, Quæris a me cur Dominus Deus pluerit manna populo patrum, et nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, et quotidie pluit manna de cœlo servientibus sibi. A Et corporeum illud manna hodie plerisque in locis invenitur : sed nunc non est tanti res miraculi quia venit quod perfectum est, perfectum autem panis de cœlo, corpus ex Virgine, de quo satis Evangelium te docet quanto præstantiora hæc superioribus. *Item in homilia undecima psalmi* XXXIII : Accesserunt Judæi ut Christum crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur. *Et post pauca :* Vere magnus Deus, et magna misericordia ejus, vere qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, et sanguinem suum bibere. *Item in homilia psalmi* LXV : Modo homicidis donatus est fusus sanguis innocentis, et ipsum sanguinem quem B per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. *Item in homilia psalmi* XXVIII. Suscepit Christus de terra terram, quia caro de terra est, de carne Mariæ virginis carnem accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. *Item in eadem* (*De cons.*, *dist.* 2, *c. Non hoc corpus.*) Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent, ipsum quidem et non ipsum, ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter. *Unde subditur :* Et si necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen invisibiliter intelligi. *In sermone ad neophytos.* Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce ; et hoc accipite in calice, quod C effusum est de Christi latere. Erit enim illi mors non vita, qui æstimaverit mendacem vitam. *Leo papa in sermone de jejunio septimi mensis.* Hanc confessionem dilectissimi toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite, ut jejunia vestra et eleemosynæ nulla cogitatione erroris polluantur. Tunc etenim sacrificii munda est oblatio, et misericordiæ sancta largitio, quando si qui ista dependunt, quod operantur intelligunt. Nam dicente Domino, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI), sic sacræ missæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis, hoc enim ore sumitur quod fide creditur, et frustra a illis Amen dicitur, a quibus contra D id quod accipitur disputatur. *Item in epistola Anatholio episcopo missa*, (*Leo I*, *epistola* 40, 1, *q.* 1, *in Ecclesia Dei.*) Aliter enim in Ecclesia Dei quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in Patris dextera constitutus, in eadem tamen carne quam assumpsit ex Virgine, sacramentum propitiationis exsequitur. *Item in sermone De passione Domini* (*Leo*, *serm.* 11). Fefellit ergo illum malignitas sua, intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum remedium verteretur, fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo et præmium esset et poculum. *Sanctus Gregorius in homi-*

Introdusă în format electronic de Google

lia paschali. (*Hom.* 22 *in Evangelia.*) Quidnam sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem ponitur (*Exod.* XII), quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur (LANFRANCUS). Dicet aliquis : Quod tu asseris verum corpus Christi, in sacris litteris appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, sacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid sunt. Nulla vero quæ ad aliquid sunt possunt esse id quod sunt ea, ad quæ referuntur : non est ergo corpus Christi. Verum his vocabulis in nullo præscribitur fidei, qua credimus, et veritati quam defendimus (*De cons.*, *dist.* 2, *c. Species*, *lib.* IV *Sent.*, *dist.* 9, § *c*). Species namque et similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt panis et vini. Unde in fine cujusdam Missæ, oratur et dicitur : Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Postulat quippe sacerdos ut corpus Christi, quod sub specie panis ac vini nunc geritur, manifesta visione sicuti revera est, quandoque capiatur. De qua visione Dominus in Evangelio secundum Joannem ait (*cap.* XIV) : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Quamvis non improbabiliter quidem exponant hoc loco, carnis et sanguinis veritatem, ipsam eorumdem efficientiam, id est peccatorum remissionem. Illis namque modis omnibus vera caro et sanguis existit, qui digne percipiunt. Unde sanctus Gregorius in quarto Dialogorum libro (*cap.* 59) : Tunc vera pro nobis Deo hostia erit, cum nosmetipsos hostiam ferimus. Est quidem etiam peccatoribus, et indigne percipientibus vera Christi caro, verusque sanguis, sed essentia non salubri efficientia. Hujus rei testis beatus Augustinus in quinto libro De baptismo (*cap.* 8), dicens : Sicut enim Judas (*De cons.*, *dist.* 2, *c. Sicut Judas*, *et lib.* IV *Sent.*, *dist.* 9, § *b*) cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo præbuit, sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, ipsum malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus etenim Domini erat nihilominus his quibus dicebat Apostolus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Corinth.* XI). Invenitur etiam species, similitudo, et figura pro veritate. Unde Apostolus ad Corinthios : *Per fidem ambulamus, et non per speciem* (*II Corinth.* V). Ambrosius in libro De sacramentis : Speciem autem et pro veritate intelligendam invenimus, et de Christo, specie inventus ut homo, et de Patre Deo, neque speciem ejus vidistis. Apostolus ad Philippenses : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II). Idem ad Hebræos : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* (*Hebr.* I). Porro hæc nomina Dominicæ passionis designativa sunt, si tamen sacramentum sacrum signum accipimus. Unde beatus Gregorius in quarto Dialogorum libro (*cap.* 58) : Hæc namque singularis hostia, ab interitu æterno animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti reparat, per sacramentum. Et post aliqua (*idem*, *cap.* 59) : Qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod colimus. Quod vero panis dicitur consueto sacræ Scripturæ more id fit, quæ res quaslibet vocat nominibus illarum rerum, ex quibus seu quæ esse putantur, et non sunt, seu quibus similes aliquo modo existunt. Unde beatus Hieronymus in secundo Explanationum libro super Oseæ (*in cap.* V) : Postquam reversa fuerit terra in terram suam. Et superbo homini a sapiente dicitur ; *Quid superbis terra et cinis?* (*Eccli.* X.) Et Abraham tres viros vidisse legitur, cum essent angeli (*Gen.* XVIII). Et beatus Hieronymus in supradicto Explanationum libro Oseæ (*ibid*). Quasi tinea efficitur et putredo, non quod Deus tinea sit aut putredo, sed sustinentibus pœnas, hæc universa videantur. Et in Evangelio secundum Matthæum : *Si ergo cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris* (*Matth.* VII). De qua sententia beatus Augustinus in secundo libro De sermone in monte sic disputat : Quomodo mali dant bona? Sed malos vocat mundi amatores. Bona vero quæ dant, secundum sensum eorum, bona dicenda sunt : qui hæc pro bonis habent. Adhuc instat aliquis et dicit : Ambrosius De sacramentis dicit (*lib*, IV, *cap.* 4). Sicut similitudine mortis sumpsisti, ita similitudinem pretiosi sanguinis bibis. Unde infert et dicit non esse verum sanguinem in sacramento, cum non sit vera mors in baptismo. Sed fallitur. Neque enim similitudinis adverbia, identitatem semper significant, aut æqualitatem. In Evangelio namque Salvator ait : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (*Luc.* VI). Non tamen eadem sive æqualis Deo et hominibus potest inesse misericordia. Et in Evangelio secundum Joannem : *Ego*, inquit, *charitatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut et nos* (*Joan.* XVII). Et alibi : *Dilexisti eos, sicut me dilexisti* (*ibid.*), *Unde beatus Augustinus in expositione ejusdem Evangelii ait* (*tract.* 110) : Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit sicut illud, ita et illud. Sed aliquando tantum quia est illud, est et illud : aut quia est illud, ut sit et illud. Est adhuc aliud, quod objicitur. Si panis in veram Christi carnem convertitur, aut panis sustollitur in cœlum, ut illic in Christi carnem transferatur, aut Christi caro ad terram defertur, ut hic in eam panis commutetur, aut nec panis sustollitur, nec caro defertur. Non est igitur vera caro in quam panis convertitur. Hoc colligitur secundum humanam sapientiam, et non secundum divinam. Humana autem sapientia opera divina perquiri prohibet Apostolus ad Romanos, dicens : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). Et ad Corinthios : *Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (*I Cor.* II). Et ad Colossenses : *Videte ne*

Introdusă în format electronic de Google

quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi (*Colos.* II). *Et beatus Gregorius homilia in octavis Paschæ* (*lib. Quadraginta homiliarum, homilia* 26). Sciendum, inquit, nobis est, quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Faciendum est quod legislator agi oportere ostendit, dicens : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII). *Et beatus Augustinus in primo libro De sermone Domini in monte.* Quod vero aut obscurum aut absurdum illic sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret ut intelligat. *Et in libro* II *de Trinitate* (*cap.* 10). Mihi autem, ait, utile est, ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam, ut meminerint suarum, ne ultra quam tutum est humana progrediatur infirmitas. *Et in libro contra Felicianum hæreticum.* (*Aug. lib. De unitate Trinitatis ad Optatum contra Felicianum Arianum, cap.* 2.) Scripturarum auctoritate contentus, simplicitati potius obedire studeo, quam tumori. *Et paulo post.* Quam rationem afferre potes, si partum prædicas virginis? si redditos oculos non negas cæcis? si sepultos ostendas rediisse a mortuis? Si ergo horum et incomprehensibilis est ratio, et veritas prompta, facilius in negotiis fidei testimoniis creditur, quam ratione vestigatur. His præmissis, videamus nunc quid consequitur errorem illorum, qui credunt panem et vinum Dominicæ mensæ inter sacrandum, quantum ad substantiam immobilia permanere. Quod si ita est, præstantiora et diviniora fuerunt sacramenta Judæorum, sacramentis Christianorum. Quis enim nesciat manna quod de cœlo pluebat Dominus, seu animatas sensibilesque creaturas, quas populus ille consecrare consueverat, parva buccella panis, modicoque vini præstantiores exstitisse? Rursus quis non intelligat divinius fuisse futura prænuntiare, quam narrare præterita? cum illud non possit nisi Spiritu Dei plenus, hoc autem faciat etiam idiota, vel quilibet imperitus. Sed absit hoc a fidelium corde et Christiana intelligentia ! Christi namque miles Ambrosius, illa inferiora, hæc potiora, et digniora esse in libro De mysteriis confirmat, dicens (*cap.* 8) : Summo studio comprobare volumus, quia antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ quam Synagogæ et præstantiora quam manna. *Et iterum in quarto De sacramentis* (*cap.* 5). Accipe quæ dico, diviniora esse sacramenta Christianorum, quam Judæorum. Ergo falsa sunt quæ proponis. Amplius autem si verum est quod isti de corpore et sanguine Domini credunt et astruunt, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et astruitur. Omnes enim qui Christianos se esse et dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem utraque sumpta de virgine, in hoc sacramento percipere lætantur. Interroga omnes qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos et Armenos, seu cujuslibet nationis quoscunque Christianos, uno ore hanc se fidem habere testantur. Porro si universalis Ecclesiæ fides falsa exstitit, aut nunquam fuit catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quam perniciosus error. Si autem non fuisset aut periisset catholicus nemo consenserit : alioquin non est quod Abrahæ promisit Veritas : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Item : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Item : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI). Et alibi : *Quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari* (*Psal.* CVI). *Item beatus Augustinus in prima expositionis psalmorum parte :* Ecclesia magna,quid est, fratres? nunquid exigua pars orbis terrarum? Ecclesia magna totus orbis est. *Item in eadem* (*Psal.* XXXIX) : Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna. Quam magna? Toto orbe terrarum. Quam magna? In omnibus gentibus. Cur in omnibus gentibus? *Quia in omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII). *Item in tertia ejusdem operis parte.* Corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. *Item in eodem.* Tabernaculum Domini est ipsa Ecclesia in toto orbe terrarum diffusa. *Et alibi :* Corpus Christi jam totus mundus est. Corpus Christi ab oriente in occidentem consonat. *Item in libro De agone Christiano* (*cap.* 29). Nec eos audiamus qui sanctam Ecclesiam, quæ una catholica est, negant per orbem terrarum esse diffusam. Et Dominus in Evangelio : *Ager est hic mundus* (*Matth.* XIII). Et paulo post : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti* (*ibid.*). Adversus tam præclara Spiritus sancti testimonia, objiciunt isti tales : Prædicatum est Evangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit, sed imperitia male intelligentium peribit. Hanc sacrilegam vanitatem evertit Evangelica veritas, et prophetarum non vilanda auctoritas. Pollicetur enim Dominus Ecclesiæ suæ dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). *Augustinus in secunda parte expositionis psalmorum* (*in psal.* LXIV). *Spes omnium finium terræ.* Non unius anguli, non Pannoniæ, aut Judææ, aut Africæ, non orientis aut occidentis, sed omnium finium terræ. *Item in eadem* (*in psal.* LXXI). Hæc prophetia propter eos promissa est, qui putant religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc mundo victuram, et postea non futuram. Permanebit autem cum sole, id est quandiu sol oritur et occidit. Falsum est igitur quod ab istis de corpore Christi creditur et astruitur. Ergo vera caro ejus est quam accipimus, et verus sanguis quem potamus.

CAP. 10. — *Professio Berengarii quomodo consentiat sanctæ Romanæ Ecclesiæ de corpore et sanguine Domini. Berengarius.*

(*De cons., dist.* 2, *c. Ego Berengarius.*) Ego Be-

Introdusă în format electronic de Google

rengarius indignus Ecclesiæ Sancti Mauricii Andegavensis diaconus, cognoscens veram, catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum, quæ æstruere conatur, panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ et apostolicæ sedi, et ore et corde profiteor, de sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus et venerabilis papa Nicolaus, et hæc sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica, tenendam tradidit, mihique firmavit, scilicet panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam et omousion Trinitatem, et per hæc sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hoc sentire ac prædicare præsumpsero, canonum severitati subjaceam. Lecto et perlecto sponte subscripsi. Hanc confessionem suæ fidei de corpore et sanguine Domini a Berengario Romæ coram centum viginti episcopis factam, misit papa Nicolaus per urbes Italiæ, Galliæ, et Germaniæ, et ad quæcunque loca fama pravitatis ejus antea pervenire potuit, ut Ecclesiæ quæ prius doluerant de adverso atque perverso, postea gauderent de reverso atque converso. *Item in homilia psalmi* XLV, *ad Judæos loquens* (*Aug. in expos. psal.* XLV) : En illius nomine quem occidistis baptizamini, et dimittuntur vobis peccata vestra, modicum vel postea cognovistis, securi jam bibite sanguinem quem fudistis. Videtur sanctus ille panis quo corpus Domini consecratur, et visibiliter ore percipitur : sed virtus Verbi Dei vel divinitas qua anima percipientis sanctificatur, videri non potest. Elementum panis videtur, sed verissime corpus Christi est? Inde Paulus apostolus : Panis quem frangimus nonne corpus Domini est, et calix cui benedicimus, nonne sanguis Domini est? (*I Cor.* x.) Nos perendie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti (*Aug., tract.* 26 *et* 27 *in Joan. c.* 16). Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo indigne moriuntur. Ipsa Veritas dicit : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). Signum quia manducat et bibit, hoc est, si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si hæret ut non deseratur. Verba Christi si spiritualiter intelligantur, spiritus et vita sunt : si vero carnaliter accipiuntur, sunt quidem in seipsis spiritus et vita, sed illis non sunt qui carnaliter intelligunt, et ex fide non venerantur. Nam sicut spiritus hominis, id est anima, non vivificat, nisi ea membra quæ unitate corporis continentur, recisa vero membra non vivificat ; sic nisi eos qui in corpore Christi, hoc est in unitate consistunt Ecclesiæ. Scien lum est enim, valdeque timendum, quod quicunque fuerit superbus minister cum zabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi. (*Lib* IV *Sent., dist.* 11, § 2, *h* ; *Aug. serm.* 28, *ad fratres in eremo.*) Quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram. Spiritualis vero virtus sacramenti ita est, quæ ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat, tamen non inquinatur.

CAP. 11. — *Quod omne crimen sacrificiis Deo oblatis expiatur. Ex decreto Julii papæ, episcopis per Ægyptum missis.*

(*De cons., dist.* 4, *c. Cum omne crimen. Concilii Bracar.* III, *cap.* 1.) Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines et apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerre : alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, et in tempore sacrificii aqua partem ejus lavare, et sic offerre. Quod quam sit Evangelicæ atque apostolicæ doctrinæ contrarium, et consuetudini ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in evangelica veritate : *Accepit Jesus panem et calicem, et benedicens, dedit discipulis suis* (*Matth.* XXVI ; *I Corinth.* XI). Cesset ergo lac sacrificando offerri, quia manifestum et evidens exemplum evangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem et vinum aliud offerri non liceat. Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus suum et sanguinem commendavit. Seorsum enim panis, et seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem (*Joan.* XIII) aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illi tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret. Nam quod de expresso botro, id est de uvarum granis populus communicat, valde est omnino confusum, sed si necesse fuerit botrus in calice comprimatur : et aqua misceatur, quia calix Dominicus juxta canonum præcepta vino et aqua permistus debet offerri : quia videmus in aqua

Introdusă în format electronic de Google

populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi: Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit copulatur, et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut mistio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo botrus solus offertur, in quo vini efficientia tantum demonstratur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur. Et ideo quia jam ex hoc plurima et multiplex majorum manavit sententia, deinceps omnis talis error atque præsumptio cessare debet, ne perversorum inordinata compago, statutum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum erit aliud in divinis sacrificiis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam conciliorum panem tantum, et calicem vino et aqua permistum. De cætero aliter quam præceptum est faciens tandiu a sacrificando cessabit, quandiu legitima pœnitentiæ satisfactione correptus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit

CAP. 12. — *Quod in Eucharistia, nec pura aqua, nec purum vinum, offerri debeat. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 2.

(*Concil. Wormat., cap.* 4.) In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis causam falluntur, sed vinum cum aqua mistum, quia et vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio cum dicit: *Non bibam de genimine vitis* (*Matth.* XXVI), et aqua mistum quod post cœnam dabat. Sed de latere ejus aqua cum sanguine egressa, vinum de vera carnis ejus vita cum aqua expressum, ostendit. Cum igitur veritas verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantum, et calicem sub hoc sacramento præbuisse cognoscimus. Ideoque præter panem, et vinum cum aqua mistum, aliud non debet offerri (65). Calix enim Dominicus vino et aqua commistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vinum et aqua miscetur, Christus populusque adunatur: et credentium plebs ei in quem credidit, copulatur et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut commixto illa non possit separari; nam si vinum tantum, quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs esse incipit sine Christo. Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.

CAP. 13.—*De eodem. Ex concilio Carthaginensi* III, *cap.* 23.

(*De cons., dist.* 2, *c. Ut in sacramentis.*) Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus dicit, hoc est, panis et vinum aqua mistum, nec amplius in primitiis offeratur Deo, vino et frumento.

CAP. 14. — *Item de eodem. Ex concilio Africano* III, *cap.* 4.

(*De consecr., dist.* 2, *c. Ut in sacramentis.*) Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mistum. Primitiæ vero ceu mel, et lac quod uno die solemnissimo infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem: ut a sacramento Dominici corporis et sanguinis distinguantur, nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis et frumentis.

CAP. 15.—*De Passione Domini in consecratione corporis miscenda. Ex decretis Alexandri papæ, c.* 5.

(*De cons., dist.* 2, *c. In sacramentorum.*) In Sacramentorum quoque oblationibus quæ in Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ubi corpus ejus et sanguis conficitur, passio celebretur (*Luc.* XXII): ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum et vinum aqua mistum in sacrificio offerantur. Non debet, ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum, quia utrumque ex latere ejus in sua passione profluxisse legitur. Ipsa vero Veritas nos instruit calicem et panem in sacramento offerre, quando ait: *Accepit Jesus panem, et benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter postquam cœnavit, accepit calicem, deditque discipulis suis dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI; *I Corinth.* VI). Crimina enim atque peccata, oblatis his Domino sacrificiis delentur: idcirco, et passio ejus in his commemoranda est: qua redempti sumus, et sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostiis delectabitur, et placabitur Dominus, et peccata dimittet indulgentia [ingentia]. (*De cons., dist.* 2, *c. Nihil in sacrificiis.*) Nihil enim in sacrificiis majus esse potest, quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, et pura mente consummanda est. Et sicut potior est cæteris, ita potius excoli et venerari debet.

CAP. 16. — *Quæ species ad altare non ad sacrificium, sed ad benedictionem simplicem offerantur. Ex canone apostolorum, cap.* 4.

Offerre non licet aliquid ad altare præter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et fabas, et thymiamata ad incensum, tempore quo sacra celebratur oblatio.

(65) Idem habetur supra, cap. 11.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 17. — *De eodem. Ex decreto Melchiadis papæ, cap.* 1.

Hæ species quas non licet offerre super altare, juxta c nstitutionem apostolorum, eorumque successorum, ad domum sacerdotum deferantur, et a sacerdotibus benedicantur, et simplici benedictione benedicta, demum a populis sumantur. Fabæ tantum et uvæ, spicæ novæ, oleum, et odoramenta ad incensum, et cætera quæ apostoli constituerunt, super altare offerantur.

CAP. 18. — *Nihil in sacrificio præter quæ Dominus statuit, offerendum. Ex canone Apostolorum, cap.* 3.

Si quis episcopus aut presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est mel aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem faciens, deponatur.

CAP. 19. — *Ut presbyteri vas mundum habeant, ubi corpus Dominicum diligentia recondatur. Ex concilio Turonico, cap.* 4.

Omnis presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Domini cum diligentia recondatur, ad viaticum recedentibus de sæculo. Quæ tantum sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo : Corpus, et sanguis Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum, et vitam æternam. Semperque sit super altare obserata, propter mures et nefarios homines, et de septimo in septimum mutetur semper, id est a presbytero illa sumatur, et alia quæ eadem die consecrata est in loco ejus subrogetur, ne forte diutius observata, mucida, quod absit! fiat.

CAP. 20. — *Ut presbyter semper Eucharistiam propter infirmos habeat paratam. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 5.

(*De cons., dist.* 2, *c. Presbyter.*) Presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

CAP. 21. — *Tanta in altari holocausta offerenda, quanto populo sufficere possint, et quod remanserit, cum timore, et tremore, magna diligentia clericorum, sumendum. Ex epistola Clementis papæ (epist. II ad Jacob., fratrem Domini.)*

(*De cons., dist.* 2, *c. Tribus gradibus.*) Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod remanserit, in crastinum non reservetur, sed cum timore, et tremore, clericorum diligentia consumatur. Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario reficta sunt sumunt, non statim ad communes cibos sumendos conveniant, ne putent sanctæ portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum emittitur. Si ergo mane Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri qui eam sumpserunt, et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam. Sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta.

CAP. 22. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 4.

Illud etiam annectendum videtur, ut oblata quæ in altari offeruntur, de Sabbato in Sabbatum semper innoventur; quia panes propositionis, qui super mensam Domini ponebantur a Sabbato in Sabbatum semper mutabantur, ne diu servati mucidi fiant, et ut quidam sæviunt [sentiunt], igni concrementur. Quod si aliquis diabolo instigante hoc facere præsumpserit, anathema sit.

CAP. 23. — *Ut præsente et præcipiente presbytero, diaconus populum communicet. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 38.

(*Distinct.* 93, *c. Diaconi.*) Ut diaconus præsente presbytero eucharistiam corporis Christi, populo, si necessitas cogit, jussus eroget.

CAP. 24. — *Quod discretio magna esse debeat in perceptione corporis et sanguinis Domini. Ex epistola Clementis papæ (Epist. II ad Jacob., fratrem Domini).*

In perceptione corporis et sanguinis Dominici magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim ne, si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Si vero indiscrete accipiatur, timendum est illud quod ait Apostolus : *Qui manducat et bibit corpus et sanguinem Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Juxta ejusdem vero Apostoli vocem : *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*ibid.*) : ut videlicet abstinens aliquantis diebus ab operibus carnis, et purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum, exemplo David, qui nisi confessus fuisset se abstinuisse ab opere conjugali ab heri, et nudius tertius, nequaquam panes propositionum a sacerdote accepisset (*I Reg.* XXI).

CAP. 25. — *De quotidiana perceptione corporis et sanguinis Domini. Ex dictis Augustini (lib. De eccles. dogm., c.* 53).

(*De cons., dist.* 2, *c. Quotidie.*) Quotidie eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen diebus Dominicis communicandum hortor. (*Lib.* IV *Sententiarum, dist.* 12, § *h.*) Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Domini misericordia accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant.

CAP. 26. — *De eadem re. Ex dictis ejusdem (Aug. epist.* 118 *ead., dist.* 2) *Ad Januarium.*

Dixerit quispiam non quotidie accipiendam eucharistiam, alius affirmet quotidie. Faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam se alteri præposuit Zachæus et ille centurie, cum alter eorum gaudens in domo sua susceperit Dominum (*Luc.* XIX); alter dixerit : *Domine, non*

Introdusă în format electronic de Google

sum dignus ut intres sub tectum meum (*Matth.* VIII). Ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo; ambo peccatis miseri; ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat; sic in ore cujusque Christiani sacramentum illud quomodo sumatur æstimandum.

CAP. 27. — *De laicis, ut si non amplius, saltem ter in anno communicent. Ex epistola Fabiani papæ, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 2, *c. Etsi non frequentius.*) Et si non frequentius saltem in anno ter homines communicent (nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur), in Pascha videlicet, et Pentecoste, et Natali Domini.

CAP. 28. — *De eucharistia, ut qui semper peccant, semper accipere debeant. Ex dictis Cypriani et aliorum sanctorum Patrum.*

(*In serm. Cœnæ Domini; lib.* IV *De sacram., cap.* 6.) *Sanctus Cyprianus dixit:* Eucharistia quotidie ad cibum salutis accipitur. *Sanctus Ambrosius dixit:* Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper accipere medicinam. *Sanctus Hilarius dixit:* Si non tanta sunt peccata, ut excommunicetur quis, non debet a medicina corporis Domini separari. Unde timendum est ne diu abstractus a Christi corpore alienus remaneat a salute. Nam manifestum est vivere, qui corpus attingunt Christi, ipso Domino dicente: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui enim jam peccare quievit, communicare non desinat.

CAP. 29. — *Quod in singulis diebus Dominicis in Quadragesima fideles communicandi sint. Ex decretis Silverii papæ, cap.* 3.

Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, et præter illos qui in publica pœnitentia sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt: et in Cœna Domini, in vigilia Paschæ, et in die Resurrectionis Domini, et in Pentecoste; et in Natali Domini, penitus ab omnibus communicandum est.

CAP. 30. — *Ut in Cœna Domini eucharistiæ perceptio non negligatur. Ex decretis Soteris papæ, cap.* 5.

(*De const., dist.* 2, *c. In Cœna.*) In Cœna Domini a quibusdam perceptio eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat: cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis Dominici sacramenta, reconcilientur.

CAP. 31. — *De histrionibus, si communionem cum cæteris fidelibus accipere debeant. Ex epistola sancti Cypriani ad Eucratium* (10 *lib.* I *Epistolarum*).

(*De const., dist.* 2, *c. Cyprianus.*) Cyprianus Eucratio confratri salutem. Pro dilectione tua vere-

A cundia mutua consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione illo, qui apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat et magister et doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat; an talis debeat communicare nobiscum. Puto ego nec majestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur.

CAP. 32. — *Quandiu unusquisque ante sacram communionem ab uxore abstinere debeat. Ex concilio Eliberitano.*

(*De cons., dist.* 2, *c. Omnis homo.*) Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere
B debet tres, aut quatuor, aut septem dies.

CAP. 33. — *Ut inter Catholicos non connumeretur qui in Pascha, Pentecoste et Natali Domini non communicaverit. Ex concilio Agathensi, cap.* 18.

(*De cons., dist.* 2, *c. Sæculares.*) Sæculares qui Natali Domini, Pascha et Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

CAP. 34. — *Ut oblatio altaris singulis diebus Dominicis fiat. Ex decretis Fabiani papæ, cap.* 5.

Decrevimus ut in omnibus Dominicis diebus, oblatio altaris ab omnibus viris vel mulieribus fiat, tam panis quam vini, ut per has immolationes a peccatorum suorum fascibus liberentur.

CAP. 35. — *De eodem. Ex decretis ejusdem, cap.* 10.

Oblationem quoque et panem in ecclesia facere
C jugiter admoneatur populus Christianus, quia in ipsa oblatione sibi et suis magnum remedium est animarum, et ipsa vera pace, unanimitas et concordia demonstratur.

CAP. 36. — *De diaconibus quod presbyteris communionem dare non debent. Ex concilio Nicæno, cap.* 18.

(*Dist.* 93, *c. Perrenit ad sanctum.*) Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus diaconi presbyteris gratiam sacræ communionis porrigant, quod nulla regula tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus accipiant. Nec non et illud innotuit, quod quidam diaconi ante episcopos sacram oblationem contingant. Hæc igitur
D omnia rescecntur, et in sua diaconi mensura permaneant, scientes quod episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut episcopo aut presbytero eis porrigente. Sed nec sedere in medio presbyterorum diacono liceat, quia si hoc fiat, præter regulam et ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debebit.

CAP. 37. — *De eulogiis a populo presbyteris dandis. Ex decretis Pii papæ, cap.* 4.

Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, et consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presby

Introdusă în format electronic de Google

ter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post missarum solemnia qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni Dominico die, et in diebus festis inde accipiant, et illa unde eulogias presbyter daturus est, antea his verbis benedicat. *Oratio simplex eulogiæ.* Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem, tua sancta et spirituali benedictione, ut sit omnibus salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum panem vitæ, qui de cœlo descendit, et dat vitam et salutem mundo, et tecum vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAP. 38. — *De pane qui offerendus est. Ex decretis Aniceti papæ, cap.* 3.

Panes quos Deo sacrificium offertis, aut a vobismetipsis, aut a vestris pueris coram vobis, nitide ac studiose fiant, et diligenter observentur : ut panis, et vinum, et aqua sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiose tractentur, et nihil in eis vile, nihil non probatum inveniatur, juxta illud quod ait Scriptura : *Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite* (*II Paral.* XIX).

CAP. 39. — *De presbyteris qui corpus Dominicum ad deferendum infirmis, mulieribus tradunt. Ex concilio Remensi, cap.* 2.

(*De cons., dist.* 2, *c. Pervenit.*) Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri in tantum parvipendunt divina mysteria, ut laico aut feminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis; et quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur. Quod quam sit horribile, quamque detestabile omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimodis presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.

CAP. 40. — *Ut defunctis eucharistia non detur. Ex concilio Carthaginensi* III, *cap.* 6.

Item placuit, ut corporibus defunctorum eucharistia non detur. Scriptum est enim : *Accipite et comedite* (*Matth.* XXVI). Cadavera autem nec accipere possunt nec edere. Et nec jam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia.

CAP. 41. — *Ut oblationes in majoribus festis æquanimiter fiant. Ex concilio Matisconensi* II, *cap.* 4.

In synodo Matisconensi decretum est ut, in omnibus diebus Dominicis aliisque festivitatibus, ab omnibus oblatio qui ad missam convenerint utriusque sexus offeratur in ecclesia; singulis singulas oblationes offerentibus, finita missa a presbytero oblationes accipiantur. Omnis autem qui hanc diffinitionem per inobedientiam evacuare præsumpserit, anathemate percellatur.

CAP. 42. — *Ut solis ministris altaris super altare communicare liceat. Ex concilio Laodicensi, cap.* 19.

Solis autem ministris sacro ordini deditis ad altare accedere et communicare liceat.

CAP. 43. — *Ut nullus infra presbyterum ordinatus, rem a presbytero consecratam in altari porrigat. Ex decretis Silvestri papæ, cap.* 7.

Nullus acolythorum, vel subdiaconorum rem consecratam a presbytero jam aliis porrigat, quia aliud est minister, aliud assistens, nisi tantum supportet quod ei sacerdos imposuerit ore suo benedictum.

CAP. 44. — *Ut presbyter illitteratus missam non celebret. Ex decretis Fabiani papæ, cap.* 10.

Sacrificium non est accipiendum de manu sacerdotis, qui orationes, vel lectiones, et reliquas observationes in missa secundum ritum implere non potest.

CAP. 45. — *De illis qui post aliquam degustationem, sacrificium acceperint. Ex decretis Eutychiani papæ, cap.* 2.

Qui acceperint sacrificium post cibum, aut post parvissimam aliquam refectionem, nisi pro viatico, pueri tres dies, majores septimanam, clerici viginti dies pœniteant.

CAP. 46. — *Pro unius oblatione alterius non spernendum. Ex decretis Eugenii papæ, cap.* 17.

Presbyter pro unius oblatione alterius non spernat.

CAP. 47. — *Ut dissidentium fratrum oblationes non recipiantur. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 93.

(*Dis.* 90, *c. Oblationes.*) Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in azophylacio recipiantur.

CAP. 48. — *Quod refutanda sunt dona eorum qui pauperes opprimunt. Ex eodem concilio, cap.* 93.

(*Dis.* 90, *c. Eorum qui.*) Eorum qui pauperes opprimunt dona a sacerdotibus refutanda sunt.

CAP. 49. — *De presbyteris immolantibus. Ex concilio Ancyrano, cap.* 1.

(*Dis.* 50, *c. Presbyteros qui.*) Presbyteros immolantes et iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerunt, nec ante parentes et affectantes atque suadentes ut æstimarent quidem tormentis aptari, sed his tantum visu et habitu subjici, hos placuit quidem honorem retinere propriæ sedis; offerre autem, aut alloqui populum, aut omnino sacerdotalibus fungi officiis non licere.

CAP. 50. — *De diaconibus immolantibus. Ex eodem concilio, cap.* 2.

(*Dis.* 50, *c. Presbyteros qui.*) Diaconi similiter qui immolaverunt, honorem quidem habeant; cessent vero ab omni sacro ministerio, sive a pane sive a calice offerendo. Quod si quidam episcoporum conscii sunt laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere, penes ipsos erit potestas.

CAP. 51. — *Interrogatio Augustini Anglorum episcopi de presbyteris, quibus dormientibus solet nonnunquam semen effluere.*

(*Dist.* 6, *c. Testamentum*; *lib. epist.* XII, *cap.* 11.) Si post illusionem quæ per somnium solet con-

Introdusă în format electronic de Google

tingere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare?

Cap. 52. — *Responsio Gregorii papæ de eadem re.*

Hunc quidem, testamentum veteris legis, sicut superiori capitulo jam diximus, pollutum dicit, et nisi lotum aqua etiam usque ad vesperam, intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens, sub eodem intellectu accipiet, quem præfati sumus: quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat, et nisi prius tentationes recesserint, reum se quasi usque ad vesperum cognoscat. Sed est in eadem illusione necessaria valde discretio, qua subtiliter pensari debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Nam aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate evenerit, omnino hæc illusio timenda non est, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi corporis Christi, vel missarum solemnia celebrandi. Et cum fortasse aut festus dies exigit exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco eodem deest, ipse si necessitas compulit, mutatis vestibus cantet. Nam si adsunt alii qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohiberi non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet; si tamen dormientis mentem turpitudo non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur ut eorum animus etiam in somno corporis positus, turpibus imaginibus [imaginationibus] non fœdetur. Qua in re ostenditur mens rea non tuo, vel suo judicio libera, cum se etsi dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens; propter talem pollutionem sacro mysterio eo die abstinere oportet. (*Ead. dist., c. Sed pensandum est.*) Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, vel quod majus est peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, quia cum primam culpam serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, ut, inter suggestionem, delectationem atque consensum, judex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggesserit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur peccatum omnino A perpetratum non est. Cum vero delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensum ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione ergo peccati initium [semen], in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe contingit ut hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat, et cum caro delectari sine animo nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquomodo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat nec consentiat; et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde et ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: B *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Si autem captivus erat, minime pugnabat: quapropter et captivus erat et captivus non erat, et pugnabat [repugnabat]. Igitur legi mentis ejus, lex quæ in membris est repugnabat. Si autem pugnabat, captivus non erat. Itaque est homo (ut ita dixerim) et captivus et liber; liber, ex justitia quam diligit; captivus, ex delectatione quam portat invitus.

Cap. 53. — *De presbyteris villanis ne in civitate offerre audeant. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 15.

Presbyteri ruris in ecclesia civitatis, episcopo præsente vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, et ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. C

Cap. 54. — *De eadem re. Ex decretis Soteris papæ, cap.* 54.

Presbyteri qui conregionales non sunt, in ecclesiis præsentibus episcopis, vel presbyteris civitatis, offerre non poterunt, nec panem dare in oratione, aut calicem bibere. Quod si absentes sunt civitatis sacerdotes, et fuerint ivitati in orationem, soli possunt dare.

Cap. 55. — *De illo qui per ebrietatem eucharistiam evomuerit. Ex Pœnitentiali Bedæ presbyteri.*

(*De const. dist.* 2, *c. Si per ebriet.*) Si quis per ebrietatem, vel voracitatem, eucharistiam evomuerit, quadraginta dies pœniteat, si laicus; clerici vel monachi, seu diaconi et presbyteri, septuaginta; episcopi, nonaginta. Si pro infirmitatis causa evomuerint, septem dies pœniteant. D

Cap. 56. — *De hoc, si aliquid de calice sacri sanguinis stillaverit. Ex decretis Pii papæ, cap.* 3

(*De cons. dist.* 2, *c. Si per negligentiam.*) Si vero per negligentiam de calice Domini aliquid stillaverit in terram, lingua lambetur, et tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur locus, corradetur, et igne consumetur, et cinis intra altare condatur, et sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tres dies pœniteat. Si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor dies pœniteat; si usque ad tertium, novem dies teat; si usque

Introdusă în format electronic de Google

ad quartum, viginti dies pœniteat; et linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice supposito, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur.

CAP. 57. — *De illo qui vomuerit sacrificium, et a canibus consumitur. Ex Pœnitent. Theodori.*

(*De cons. dist.* 2, *c. Qui non bene.*) Qui evomuerit sacrificium, et a canibus consumitur, annum unum pœniteat; sin autem, quadraginta dies pœniteat. Si in die quando communicaverit sacrificium evomuerit, si ante mediam noctem, tres superpositiones faciat, si post mediam noctem, duas; si post matutinum, unam.

CAP. 58. — *De eodem. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si vero sacrificium evomuerit, quadraginta dies pœniteat. Si in ignem projecit, centum psalmos cantet. Si vero canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui evomuit, pœniteat.

CAP. 59. — *De eucharistia inveterata. Ex III concilio Arelatensi, cap.* 5.

Omne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, et cinis juxta altare sepeliendus.

CAP. 60. — *De illis qui non bene custodiunt corpus et sanguinem Domini. Ex eodem, cap.* 6.

Qui non bene custodierit sacrificium, et mus vel aliquod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars ejus ceciderit et inventa non fuerit, triginta dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de calice, quando offertur, sex dies pœniteat, aut si abundantius, septem dies pœniteat. Qui autem perfundit dum solemnitas missæ celebratur, quadraginta dies pœniteat. Si vero celebrata missa, presbyter neglexerit accipere sacrificium, similiter quadraginta dies pœniteat. Et qui accipit sacrificium pollutus nocturno tempore, septem dies pœniteat. Diaconus si obliviscens orationem [oblationem] offerre, donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, ut in eo vermis consumptus sit, et ad nihilum devenerit, tres quadragesimas cum pane et aqua pœniteat. Si integrum inventum fuerit, in eo vermis comburatur: et cinis sub altare recondatur: et qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam solvat. Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium, viginti dies explentur jejunio, conglutinatum vero septem dies qui pierserit, pœniteat.

CAP. 61. — *De eadem re. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si ceciderit sacrificium de manibus offerentis terra tenus ut non conculcetur, omne quodcunque inventum fuerit in loco in quo ceciderit comburatur, et cinis, ut supra, abscondatur, et cui acciderit medium annum pœniteat: si vero sacrificium inventum fuerit, locus scopis mundetur, et stramen, ut supra, igni detur, et cinis, ut supra, recondatur, et sacerdos viginti dies pœniteat.

CAP. 62. — *De muliere quæ peperit, ut communicet si voluerit. Ex concilio Carthaginensi.*

Mulier enixa, si voluerit, communionem percipiat.

CAP. 63. — *Qui passionem Domini in precatione sacerdotum miscuerint. Ex pontificum decretis.*

Alexander passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando missæ celebrantur. Siricius constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Leo primus constituit, ut intra actionem sacrificii diceretur: Sanctum sacrificium, et cæt.

CAP. 64. — *De custodibus sacramentorum. Clemens in secunda ad Jacobum epistola.*

(*De cons., dist.* 2, *c. Tribus.*) Tribus gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est presbytero, diacono, et ministro, qui cum timore et tremore clericorum reliquias corporis Domini debent custodire fragmentorum.

CAP. 65. — *Sindonem sacram non esse vendendam. Item in eadem epist.*

(17 *q.* 4, *c. Si forte.*) Si forte quispiam presbyter sive diaconus sacrarii sindonem vel velum subtracta vendiderit, Judæi Scariotis similis æstimabitur.

CAP. 66. — *Quid faciendum sit de vestibus altaris inveteratis. Ibidem.*

(*De cons., dist.* 1, *c. Altaris palla.*) Altaris palla, cathedra, candelabrum, et velum si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur.

CAP. 67. — *Quod Deo perfecte sacrificantes, testes secum habere debent dum sacrificant: episcopus vero plures quam alii. Anacletus papa tertius a Petro in primo decretali suo.*

Deo perfecte sacrificantes, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in locis Deo sacratis, sacrificare probentur. Ait namque auctoritas legis divinæ: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus* (*Deut.* XII). (*De cons., dist.* 2, *c. Episcopus Deo sacrificans.*) Episcopus Deo sacrificans testes (ut præfixum est) secum habeat, et plures quam alius sacerdos. Sicut enim majoris honoris gradu fruitur, sic majoris testimonii incremento [incrementatione] indiget. In solemnioribus vero diebus, aut [quatuor, aut quinque, aut tres diaconos, qui ejus oculi dicuntur, et subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis a fronte et a tergo, et presbyteri e regione dextra lævaque contrito corde, et humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum a malis hominibus, et consensum ejus præbeant sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.

CAP. 68. — *Quod aqua cum vino misceri debeat in calice. Ex epistola* 1 *decretali Alexandri primi.*

Non debet, ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum, quia utrum-

Introdusă în format electronic de Google

que ex látere ejus in sua passione profluxisse legitur. *Item.* (*De cons., dist.* 2, *c. Nihil in sacrificiis.*) Nihil enim in sacrificiis majus esse potest quam corpus et sanguis Christi. Nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, et pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda, et sicut potior est cæteris, ita potius excoli et venerari debet. (*De const., dist.* 3, *c. Aquam sale.*) Aquam sale conspersam populis benedicimus : ut ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat (*Hebr.* IX) atque mundabat : multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Eliseum prophetam sterilitas aquæ sanata est (*II Reg.* IV) : quanto magis divinis precibus sacratus sterilitatem aufert humanarum rerum, et coinquinatos sanctificat atque purgat, et cætera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit et a phantasmatis versutiis homines defendit?

CAP. 69. — *Sacerdotes suis precibus peccata populi delere atque consumere. Ex secunda ejusdem decretali.*

(1, *q.* 1, *c. Ipsi sacerdotes.*) Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, et peccata populi comedunt (*Ose.* IV), quia suis precibus ea delent, atque consumunt : qui quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

CAP. 70. — *Sacra vasa non ab aliis quam a consecratis Domino hominibus esse tractanda. Sixtus a Petro papa* VI *in primo decretorum suorum : Omnibus in Christo dilectis fratribus.*

(*De const., dist.* 1, *c. In sancta hac apost.*) A nobis et reliquis episcopis, cæterisque Domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis quam a sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quæcunque sint, humanis usibus serviant, et ab aliis quam a Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo.

CAP. 71. — *Nullis aliis temporibus, nisi in Nativitate Domini, missam nocte celebrandam. Telesphorus septimus a Petro in decretali sua epistola.*

(*De consecr., dist.* 1, *c. Nocte sancta.*) Nocte vero sancta Nativitatis Domini salvatoris missas celebrent, et hymnum angelicum in eis solemniter decantent : quoniam et eadem nocte ab angelo enuntiatus est pastoribus (*Luc.* II). *Et infra. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*ibid.*). Reliquis vero temporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia in eadem hora et Dominus crucifixus est (*Luc.* XV), et Spiritus sanctus super apostolos legitur descendisse (*Act.* II).

CAP. 72. — *Sacratas Deo feminas, vel monachas, sacra vasa vel pallas altaris non debere contingere. Soterus papa undecimus a Petro, in secunda decretali sua epist.*

(23 *dist., c. Sacratas. Et infra, p.* 3, *c.* 26[illegible].) Sacratas Deo feminas, vel monachas, sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere, et incensum circa altaria deferre, perlatum est ad apostolicam sedem. Quæ omnia reprehensione et vituperatione plena esse, nulli recte sapientium dubium est. Quapropter hujus sanctæ sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus.

CAP. 73. — *Singulis annis in cœna Domini chrisma conficiendum esse. Fabianus papa* XVIII *a Petro in secundo suo decreto.*

(*De consecr., dist.* 3, *c. Litteris vestris.*) Litteris vestris inter cætera insertum invenimus, quosdam regionis vestræ episcopos a vestro nostroque ordine discrepare, et non per singulos annos in cœna Domini chrisma conficere. *Infra.* Errant vero qui talia excogitant, et mente vesana potius quam recta sentientes, hæc audent. *Item.* Sicut ipsius dici solemnitas per singulos annos celebranda est, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda, et fidelibus tradenda : quia novum sacramentum est per singulos annos in jam dicta die innovandum, et vetus in sanctis ecclesiis cremandum. Ita a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus.

CAP. 74. — *Vestimenta ecclesiastica quibus Domino serviturr sacra debere esse et honesta. Stephanus papa* XXII *a Petro, in decimo decreto suo* (*Ep.* 1, *c.* 5).

(*De cons., dist.* 1, *c. Vestimenta.*) Vestimenta ecclesiastica quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta : quibus in aliis usibus non debet frui, quam ecclesiasticis et Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio quæ Balthasar percussit (*Dan.* V), super hæc transgredientes, et talia præsumentes veniat divina, et corruere eos faciat ad imum.

CAP. 75. — *Quod non solum episcopis sed etiam presbyteris liceat infirmos oleo sancto inungere. Innocentius primus in prima sua decretali epist., cap.* 7

(*Dist.* 95, *c. Illud superfluum.*) Illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

CAP. 76. — *Missam nunquam nisi pro magna necessi-*

Introdusă în format electronic de Google

tate in locis non sacratis cantandam. Felix IV papa omnibus episcopis (ep. 1).

(*De cons., dist.* 1, *c. Sicut non alii.*) Satius est missam non cantare aut non audire, quam in his locis ubi fieri non oportet, nisi (ut sæpe dictum est) pro summa contingat necessitate, quando necessitas legem non habet. Unde scriptum est : *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus* (*Deut.* XII).

CAP. 77. — *De ordine præfationum secundum Romanum Ecclesiam. Pelagius II papa, epist.* 4.

Pelagius II, Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis episcopus, universis Galliarum atque Germaniarum episcopis. Cum in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum episcoporum sive cæterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, et de ecclesiasticis statutis, ut sunt ab apostolis et a sanctis Patribus tradita, diligentius tractaremus : supervenere litteræ vestræ, et ut magis essent auctoritivæ, etiam vivæ voces processerunt rogantes, ut ordinem præfationum quem sancta Romana Ecclesia hactenus haberet, nostris litteris vobis mandaremus. Tunc de vestra voluntate, et studio tam bono multum gavisi sumus, sacrum ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes (*De cons., dist.* 1, *c. Invenimus has ; sed titulo Gelasii*), invenimus has novem præfationes in sacro catalogo tantummodo receptas [recipiendas], quas longa retro vetustas in Romana Ecclesia hactenus servavit ; id est unam in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de natali Domini, quintam de apparitione Domini, sextam de apostolis, septimam de sancta Trinitate, octavam de sancta cruce, nonam de jejunio in quadragesima tantum dicendam. Has præfationes tenet et custodit sancta Romana Ecclesia, has tenendas vobis mandamus.

CAP. 78. — *Epistola Gregorii ad Januarium episcopum de messe cujusdam exarata* (*Lib.* VII *Registri, indictione* 2, *epist.* 1).

(*Dist.* 86, *c. Tanta.*) Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute pervenit, ut eam nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa jam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est, quod Dominico die, priusquam missarum solemnia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti, et post exarationem ejus, missarum solemnia celebrasti. Post solemnia etiam terminos possessionis illius eradicare minime timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes qui audiunt sciunt. *Item infra.* Et quidem pœnæ sententia in te fuerat jaculanda, sed quia simplicitatem tuam cum senectute novimus, interim tacemus. Eos vero, quorum consilio hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus, ita ut si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe, te quoque sollicite custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ ulterius, nec senectuti parcamus.

CAP. 79. — *Quod diaconi non debeant servire modulationi vocis.* (*Item lib.* IV *Regist., cap.* 88, *sive epist.* 44.)

(*Dist.* 92, *c. In sancta.*) In hac sancta Romana Ecclesia cui divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacrum altaris ministerium cantatores eligantur, et in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium, et eleemosynarum studium vacare congruebat. Unde fit plerumque ut ad sacrum ministerium, dum vox blanda quæritur, quæri congrua vita negligatur, et cantor minister Domini [Deum], moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituo ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque Evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit.

CAP. 80. — *Quod potior usus Ecclesiæ sit tenendus. Gregorius Augustino* (*Anglorum episc., cap.* 3).

(*Dist.* 12, *c. Novit.*) Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit esse nutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesia quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere poteris infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

CAP. 81. — *De numero missarum. Alexander papa.*

Sufficit sacerdoti missam unam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse sit. Nam quicunque pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium, una die præsumunt plures facere missas, non existimo evadere condemnationem.

CAP. 82. — *De non abjiciendis a populo presbyteris conjugatis. Responsio Nicolai I papæ ad consulta Bulgarorum ad fidem conversorum, cap.* 70.

(*Dist.* 28, *c. Consulendum.*) Consulendum decernitis utrum presbyterum habentem uxorem debeatis sustentare, et honorare, an a vobis projicere. In quo respondemus quoniam, licet ipsi sint valde reprehensibiles, vos tamen Deum convenit imitari, *qui solem suum* (ut Evangelium testatur) *oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*

Introdusă în format electronic de Google

(*Matth.* v). Dejicere vero eum a vobis ideo non debetis, quoniam nec Judam Dominus, cum esset mendax discipulus, de numero apostolorum dejecit. Verum de presbyteris, vobis qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita illorum quidquam investigandum, sed episcoporum judicio quidquid id sit reservandum est.

Cap. 83. — *Quod polluti sacerdotes non polluant divina sacramenta. Item titulo* 11, *cap.* 5.

Sciscitantibus vobis si a sacerdote qui sive deprehensus est in adulterio, sive de hac sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere necne, respondemus : Non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas et latrinas transiens, aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque sit sacerdos, quæ sancta sunt coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, usquequo episcoporum judicio reprobatur, communio percipienda est, quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt ; et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris subministrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepide Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides est enim quæ vincit hunc mundum (*I Joan.* v). Et quia non dantis meritum, sed accipientis fit, dicente beato Hieronymo : Ad credendum in omni anima baptismus est perfectus, et in omni sacerdote corpus est perfectum. Qui rursus sacræ Scripturæ concordans ait : *Priusquam audias, ne judicaveris quemquam* (*Eccli.* xi), atque ante probationem accusationis illatæ neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur reus est, qui convincitur criminosus.

Cap. 84. — *De Simoniacis. Ex decretis Paschalis* [*Pascasii*] *papæ, cap.* 18.

Fraternæ mortis incurrit crimen, quisquis potest et fratrem a morte minime defendit. Nos quoque qui excellentiæ vestræ summum crimen audivimus, summam reatus pœnam incurrimus si tacemus, Domino terribiliter attestante, quia profecto sanguinem fundit qui impietatem iniquorum tacendo dissimulat. Audivimus enim (quod valde miramur) quod sacri apud vos ordines pecuniis distrahuntur [*al.*, detrahuntur, *forte*, distribuuntur]. Dum quicunque tale aliquid attentaverint, omnino hæretici probentur, Spiritu sancto per Gregorium intimante, quia quisquis per pecunias ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus, promovetur. (*Greg.*, *lib.* iv, *in Regist.*, *cap.* 99.) Et ut hujus nostræ paginulæ non præsumptionis, sed timoris causam fuisse monstremus, beatus idem prosequitur : Quisquis contra Simoniacam et Neophytorum hæresim pro officii sui loco vehementer non arserit, cum eo se non dubitet habiturum portionem, qui prius commisit hoc periculosum flagitium [piaculare flagitium]. Quibus in verbis cum hæreticus ex Simoniaca et Neophytorum hæresi exprimatur, quod æterna morte dignissimum crimen sit, apertissime declaratur, divino oraculo per Augustinum protestante ac dicente : Firmissime tene et nullatenus dubites omnem hæreticum et schismaticum quamvis multas eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo et angelis ejus æterni ignis incendio mancipandum, nisi ante finem hujus vitæ, catholicæ Ecclesiæ fuerit incorporatus et redintegratus. (*Aug.*, *lib. De fide ad Petrum*, *cap.* 39.) Hinc est quod Dominus vendentes et ementes de templo ejecit (*Matth.* xxi). Dathan et Abiron ambientes terra deglutivit (*Num.* xvi). Simonemque tentantem Petrus damnavit (*Act.* viii), omnes in eo Simoniacos ecclesiasticis jaculis perpetuo anathemate condemnavit. Et turpe nimium est, ut plenissimo vigore jam confirmata Ecclesia tam ferali inimico succumbat, de quo in primordio suæ infantiæ tanta virtute triumphabat. Si quis autem objecerit non consecrationes emi, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut episcopus, aut abbas, tale aliquid sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum haberi provenit, nec trum vendere non derelinquit. Quam tamen objectionem sacer penitus canon exterminat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel regulæ subjectum, adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut mediatores quoque hujus sceleris anathematis mucrone incidat. Quid plura? Si anathematizati, et excommunicati, et ut vere hæretici, Simoniaci et Neophyti, numero sunt fidelium Ecclesiæ separati, quis non videat, quod hujusmodi sacerdotum vel clericorum missæ, et orationes Dominum super populum ad iracundiam provocent, quem placari talibus credunt? Scriptum est enim : *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* xiv), et veri sacrificii locus non est extra Ecclesiam catholicam. Unde et dicitur : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita* (*Tit.* iii). Quomodo ergo tales episcopos et abbates, vel reliquos clericos devitamus, si eorum missas audimus, cum quibus si vel simul oramus, excommunicationem subimus? Quos quidem sacerdotes esse, saltem credere, omnino errare est, cum Simoni dicat Petrus : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniis possidere* (*Act.* viii). Ubi cum dicitur *existimasti*, patet quod non pro eo quod fecerit, sed facere se posse crediderit condemnatur, cum tamen minus sit existimare quam credere, cum quidem hæreticum qualemcunque esse sit certa et indubitata damnatio. Quid valet Arianos, Sabellianos, Photinianos, impiosque Manichæos urbe pepulisse, si Simoniaca et Neophytorum hæresis, quæ ut beatus Gregorius dicit, ante omnes in sancta Ecclesia diabolica fraude subrepsit, quasi primam et maximam castitatem Ecclesiæ non solum corporali, sed animi pollutione contaminet? Igitur in Deum et propter Deum, ve-

Introdusă în format electronic de Google

stram excellentiam, et omnes fideles Christi rogamus et obtestamur, si habere in Christo partem cupitis, summopere instate, ut tam sæva pestis, quæ innumeros jam populos usquequaque sæviendo æterna morte damnavit, vestra auctoritate et exemplo penitus destruatur. Ut ulterius (quod absit!) in Spiritu sancto peccare, neque hic neque in futuro sæculo remittatur (*Matth.* XII).

CAP. 85. — *Quod hostia intincta non sit porrigenda. Ex decretis Julii papæ.*

(*Eadem habentur supra, c.* 11.) Illud quod pro complemento communionis quidam intinctam tradunt eucharistiam populis, non hoc prolatum Evangelio testimonium repererunt, ubi apostolis corpus et sanguinem suum Dominus commendavit. Seorsum enim panis, et seorsum calicis commendatio commemoratur. Nam intinctum panem aliis præbuisse Christum non legimus, excepto illo tantum discipulo quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet (*Joan.* XIII), non quod hujus sacramenti institutionem signaret.

CAP. 86. — *Quibus non sunt dandæ reliquiæ. Item ex 2 epistola Clementis papæ.*

(*De cons., dist.* 2, *c. Tribus.*) Præcipimus ne unquam extero Ecclesiæ, sive laico, de fragmentis oblationum Domini ad mensam ponatur. Unde scis tu qui passim sacrarii panes indignis impendis, unde nosti, si a mulieribus mundi sunt? Hinc et David ab Abimelech sacerdote interrogatus, cum panes sibi ad comedendum posceret, si mundus esset a muliere, cum se mundum a triduo profiteretur panes propositionis manducavit (*I Reg.* XXI).

CAP. 87. — *Non plus quam unam missam faciendam in die. Leo Dioscoro Alexandrino episcopo.*

Necesse est autem ut quædam populi pars sua devotione privetur, si unius tantum missæ servato more sacrificium offerre non possunt, nisi prima diei parte convenerint. Studiose ergo fraternitatem tuam familiariter admonemus, ut quod nostræ consuetudini, ex forma paternæ traditionis incedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis fide et actibus congruamus. Propter quod, remeante filio nostro Possidonio presbytero, hanc ad dilectionem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris professionibus atque actionibus frequenter interfuit, et toties ad nos missus, quid in omnibus apostolicæ sedis auctoritas teneret agnovit.

CAP. 88. — *Non esse committenda mysteria vexatis dæmone vel passione. Gelasius papa ejus nominis primus, cap.* 21.

(*Dist.* 33, *c. Usque adeo.*) Usque adeo sane comperimus illicita quæque prorumpere, ut dæmonibus aliisque passionibus irretitis mysteria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrerit, quis de sua ac fidelium salute confidat, ubi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet (pro quibus Christus mortuus est) scandalum generetur infirmis. Postremo si corpore sauciatum fortassis, aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permittit, quanto magis doni cœlestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente percussos?

CAP. 89. — *Non esse sumendum corpus Domini sine calice. Gelasius Majorico et Joanni episcopis.*

(*De cons., dist.* 2, *c. Comperimus.*) Comperimus autem quod quidam in eadem regione sumpta tantum corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdem mysterii, sine grandi sacrilegio non potest provenire.

CAP. 90. — *Nulli reprobo sacerdoti ad divini sacramenti mysteria accedendum esse. Gelasius Helpidio episcopo.*

(1, *q.* 1, *c. Sacrosancta.*) Sacrosancta religio quæ catholicam tenet [continet] disciplinam, tantam sibi reverentiam vindicat ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat pervenire. Nam quomodo ad divini mysterii consecrationem cœlestis Spiritus invocatus adveniet, si sacerdos, et qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?

CAP. 91. — *Omnia figura crucis Christi sanctificari. Stephanus papa Stiliano, Anastasio, Eusebio, Joanni, Paulo, episcopis*, etc.

Nunquid non omnia charismata sacerdotalis ministerii crucis figura perficiuntur? Nunquidne baptismatis unda nisi cruce sanctificata peccata relaxat? Et, ut cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotii gradus ascendit?

CAP. 92. — *Nihil pro communicandis fidelibus exigendum esse. Ex sexta synodo Constantinopolitana* III, *cap.* 25.

(1, *q.* 1, *c. Nullus episcopus.*) Nullus episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui sacram dispensat communionem, a percipiente gratiam communionis aliquod pretium exigat. Neque enim venditur gratia, neque pro pretio gratiam Spiritus sancti damus; sed dignis munere sine defraudatione participamus [participare concedimus]. Si quis vero eorum qui connumerantur in clero exegerit ab eo cui sacram communionem dispensat, aliquod pretium, deponetur, sicut imitator Simoniacæ fraudis.

CAP. 93. — *Sacramenta Christi Ecclesiæ semper veneranda esse, quamvis a malis ministris administrentur. Augustinus de unico baptismo (contra Donat. lib.* IV, *cap.* 4.)

Aliud est non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicite usurpare. Non ideo itaque non sunt sacramenta Christi, et Ecclesiæ, quia eis illicite utuntur, non hæretici solum, sed etiam omnes iniqui et impii; sed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa vero agnoscenda et veneranda sunt.

CAP. 94. — *Ibidem.*

Sicut autem urgeri videor cum mihi dicitur : Ergo hæreticus dimittit peccata; sic et ego urgeo, cum dico : Ergo qui cœlestia mandata non servat, avarus,

Introdusă în format electronic de Google

raptor, fenerator, invious, verbis sæculo non factis renuntians, dimittit peccata. Si per vim sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille : si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur. *Item* (*ibidem*). Sic in hæresi baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, non fit tamen templum Dei si ab hæresi non recesserit, quomodo neque in avaritia in eodem nomine baptizatus fit templum Dei, si ab avaritia non recedat, quæ est idolorum servitus? *Item*. (*Cap.* 5, *ejusd. lib. dist.* 8, *c. Frustra. Vide parte* 4, *c.* 235.) Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo sit major veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a sancto Spiritu revelatum. Hoc plane verum est, quia si ratio et veritas consuetudini suffragatur, nihil oportet firmius retineri. Forte in populo Dei stat juxta te avarus, raptor, inhians rebus alienis, quem nosti talem, et fidelis est, vel potius fidelis vocatur, non eum potes de ecclesia pellere. Non habes aliquem aditum, castigando, et corripiendo corrigere. Accessurus est tecum ad altare, noli timere, *unusquisque* proprium *onus portabit* (*Galat.* VI). *Item*. (*Aug. lib. De unico baptismo contra Petilianum cap.* 17.) Quomodo, inquit, ferrem quem novi malum? Nonne melius ipsum ferres, quam te foras efferres? Ecce quomodo ferres, attenderes Apostolum dicentem : *Unusquisque* proprium *onus portabit*, liberaret te ista sententia. Non enim cum illo communicares avaritiam, sed communicares cum illo Christi mensam. Et quid tibi obesset si cum illo communicares Christi mensam? apostolus dicit : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI) : *sibi*, non *tibi*. (*Aug. De verbis apostol. serm.* 68.) Sane si judex es, si judicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada. (11, *q.* 3, *c. Omnis Christianus.*) Omnis Christianus, dilectissimi, qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ tradi dicitur (*I Cor.* V). Quomodo? Scilicet quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus; ac per hoc quasi diabolo tradi dicitur, qui ab ecclesiastica communione removetur. Unde illos quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat.

CAP. 95. — *Non esse communicandum hypocritis et seductoribus populi. Bonifacius martyr Zachariæ papæ.*

(11, *q.* 3, *c. Antecessor.*) Antecessor enim prædecessoris vestri venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinavit, et ad prædicandum verbum Dei Germanicis gentibus misit, fidei sacramento me constrinxit ut canonicis et justis episcopis et presbyteris in verbo facto et consensu astipulator et adjutor fierem : hoc autem cum divina gratia implere studui; falsos autem sacerdotes hypocritas et seductores populorum, vel corrigerem ad viam salutis, vel declinarem et abstinerem a communione ipsorum, quod ex parte servavi, et ex parte custodire et implere non potui, sed spiritualiter implevi sacramentum, quia in consensum, et in consilium illorum non venit anima mea, corporaliter autem ab eis omnino abstinere non potui. Dum venissem ad principem Francorum, cogente Ecclesiarum necessitate, non tales ibi reperi quales volui, sed tamen in sancta communione corporis Christi illis non communicavi.

CAP. 96. — *Nulli esse detrimentum conversari cum seductoribus et pseudopresbyteris corpore, si non consenserit voluntate. Zacharias papa Bonifacio martyri.*

(11, *q.* 2, *c. Quod prædecessor.*) Quod prædecessor noster beatæ memoriæ Gregorius hujus sedis apostolicæ præsul, dum ad prædicandum verbum Evangelii tuam misisset fraternitatem in Germaniæ partibus et gentibus illis paganis, verbo pollicitationis illam voluit ante esse munitam, ita ut orthodoxos episcopos, presbyteros vel quoscunque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares, et eis communicares, quod et factum est : si quos vero seductores episcopos, aut pseudopresbyteros, vel quosque alios a recto fidei tramite deviantes reperisses, nulla tibi cum eis esset communio, quod te solo Deo solante [solatiante] usque ad præsens spiritualiter servasse confessus es. Vel si omnino propter principalem, et humanum favorem gentis Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter abstinere non valuisti, cogente necessitate Ecclesiarum Dei, et tamen in eorum consilio et consensu communionis anima tua non est coinquinata. Itaque propter hoc, quod cum eis conversatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo.

CAP. 97. — *Sacramentum quod offertur ab impiis, sibi obesse, non his pro quibus offertur. Augustinus, libro* II *contra epistolam Parmeniani, cap.* 5.

(1, *q.* 1, *c. Per Isaiam.*) Per Isaiam Dominus dicit : Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat; et qui ponit similaginem, quasi qui sanguinem porcinum; et qui offert thus, quasi qui benedicat idolo (*Isa.* LXVI). *Post pauca :* Quilibet ubilibet offert sacrificium tale, corde, vel factis, hæc ut audire mereatur, perniciem sibi infert, non illis bonis qui accipiunt ab eis sacramenta eadem, qui secundum prophetam Ezechielem gemunt et mœrent peccata et iniquitates (*Ezech.* IV), quæ fiunt in medio eorum, quamvis se non inde corporaliter separent. *Ibidem, cap.* 6. Sacrificia impiorum, eis ipsis oberunt, qui offerunt impie. Nam unum atque idem est sacrificium propter nomen Domini quod invocatur, et semper sanctum est, et tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Non ait aliis, sed sibi. *Et infra.* (*Cap.* 10 *ejusd. libri.*) Hoc pene in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus; quia scilicet omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus,

Introdusă în format electronic de Google

presunt tamen per eos digne sumentibus. *Ac infra.* (*Cap.* 11. *ejusd.*) Spiritus sanctus in Ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus sanctus, et ad ejus mercedem in salutem sempiternam, et eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est : *Spiritus sanctus disciplinæ fugiet fictum* (*Sap.* 1); deest quidem saluti ejus, ut auferat se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu : ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum. (*Cap.* 13 *ejusd.*) *Infra.* (1, *q.* 1, *c. Quod quidam.*) Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur : ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt; et si visum est esse, ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi : sed, sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra; quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis, quæ ubicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cum expedire Ecclesiæ judicatur, ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur; sed manent super eos, ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria. *Infra.* (*Paulo post in eodem c.*) De his qui ab Ecclesiæ catholicæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin et habeant et dare possint, et quin pernicioso habeant, perniciosoque tradant extra vinculum pacis. *Et infra.* (*Post aliquot versus.*) Neutri sacramento injuria facienda est. *Infra.* Sicut non recte habet qui ab unitate discedit, sed tamen habet, et ideo redeunti non redditur; sic etiam non recte dat, qui ab unitate discedit, sed tamen dat, et ideo quod ab eo accepit venienti ad unitatem non iteratur. *Infra.* Sicut redeunti non redditur, quod et foris habebat; sic venienti non repetendum est, quod foris acceperat. Unde consequenter intelligitur, perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in perversis hominibus et sceleratis, sive in eis qui intus sunt, sive in eis qui foris, impollutam atque inviolabilem permanere : sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad judicium. *Infra.* (*Cap.* 19 *ejusdem.*) Quoodo. Catholici non clarificant Dominum qui sacramenta ejus tam debita veneratione prosequuntur, ut ea si etiam ab indignis tractata fuerint, illis sua perversitate damnatis, illa intemerata sanctitate permanere demonstrentur. (*Aug. contra epistolam Parmeniani lib.* III, *c.* 2, 23.) *Infra.* (*Q.* 4, *c. Cum quisque.*) Cum quisque fratrum, id est Christianorum in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione de qua ipse (Paulus) alibi præcipit dicens, ut *inimicum eum* non existimetis, *sed corripite ut fratrem* (*II Thess.* III). *Infra.* (*Eodem cap.*) Quando ita cujusquam crimen notum est omnibus, et omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ.

Cap. 98. — *Aliorum immunditiam mundis obesse non posse. Augustinus contra Petilianum in dialogo* (*lib.* II *contra litteras Petiliani, cap.* 30).

(1, *q.* 1, *c. Dominus.*) Dominus declaravit in uno cœtu hominum eadem sacramenta sumentium, aliquorum immunditiam mundis obesse non posse. Item Petilianus dixit : Aut si quisquam carmina sacerdotis memorialiter teneat, nunquid inde sacerdos est, quod ore sacrilego carmen publicat sacerdotis?

Cap. 99. — *De eodem. Responsio Augustini.*

Ita istud dicis, quasi modo quæramus, quis sit verus sacerdos, et non quid sit verum baptisma. Ut enim quisque sit verus sacerdos, oportet ut non solo sacramento, sed justitia quoque induatur, sicut scriptum est : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* cxxxi). Qui autem solo sacramento sacerdos est, sicut fuit pontifex Caiphas persecutor unius et verissimi Sacerdotis, quamvis ipse non sit verax, quod dat tamen verum est, si non det suum, sed Dei. *Item paulo post.* Si ergo Apostolus, nescio cujus alienigenæ testimonium, quia verum comperit, etiam ipse attestatus est; cur nos apud quemlibet invenerimus quod Christi est, et verum est, etiam si ille apud quem invenitur, perversus et fallax est, non discernimus vitium quod homo habet, et veritatem, quam non suam, sed Dei habet : et dicimus : Sacramentum hoc verum est; sicut ille ait : Testimonium hoc verum est : nunquid ideo dicimus etiam, Ipse homo verax est, quia dicimus, Sacramentum hoc verum est? *Item eodem cap.* Vos autem necesse est, ut semper erretis quandiu propter hominum vitia, Dei sacramenta violatis, aut nos propter Dei sacramenta, quæ in vobis violare nolumus, etiam vestri schismatis sacrilegium assumere putatis. *Item.* (*Aug. c.* 35 *ejusd. libri.*) Baptismi ergo puritas, a puritate vel immunditia conscientiæ sive dantis, sive accipientis omnino distincta est. *Item.* (*Cap.* 47 *ejusdem.*) Memento sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. *Item.* (*Cap.* 48 *ejusdem.*) Si non habebat Saul sacramenti sanctitatem, quid in eo David venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Nam eum propter sacrosanctam unctionem et honoravit vivum, et vindicavit occisum : et quia vel panniculum ex ejus veste præscidit, percusso corde trepidavit. Ecce Saul non habebat innocentiam, et tamen habebat sanctitatem non vitæ suæ (nam hæc sine innocentia esse non potest), sed sacramenti Dei, quod et in malis hominibus sanctum est. *Item.* (*Cap.* 49 *ejusdem* 23, *q.* 5, *c. Tu dixisti.*) Tu dixisti, laqueo traditor

Introdusă în format electronic de Google

periit, laqueum talibus dereliquit. Hoc ad nos omnino non pertinet; neque enim veneramur nomine martyrum eos qui sibi collum ligaverunt. *Item.* (*Aug. cap.* 52, *lib.* II *contra litteras Petiliani.*) Nos dicimus tale cuique fieri sacrificium, qualis accedit, ut offerat, et qualis accedit ut sumat, et eos de sacrificiis talium manducare, qui ad illam tales accedunt quales et illi sunt. Itaque si offerat Deo malus, et accipiat inde bonus, tale cuique est, qualis quisque fuerit, quia et illud scriptum est : *Omnia munda mundis* (*Tit.* I). Per hanc sententiam veridicam et catholicam etiam vos optati sacrificio non estis polluti, si facta ejus displicebant vobis. Nam utique panis illius panis luctus erat, sub cujus iniquitatibus Africa tota lugebat, sed panem luctus omnibus vobis communem esse, omnium vestrum malum schismatis facit. *Item.* (*Cap.* 54 *ejusdem lib.*) Gratias Deo, quia tandem confessus es, posse valere invocatum nomen Christi ad aliorum salutem, etiamsi a peccatoribus invocetur. Hinc ergo intelligite cum Christi nomen invocatur, non obesse aliorum saluti aliena peccata.

CAP. 100. — *Quanta sit dignitas ordinis sacerdotalis. In libro quæstionum Veteris Testamenti, cap.* 11.

(1, *q.* 1, *c. Dictum est.*) Dictum est a Domino in Numeris ad Moysen et Aaron (*Num.* VI) : Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos, ut gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem dignitas sit ordinis sacerdotalis, hinc advertamus. Dictum est autem de nequissimo Caipha interfectore Salvatoris inter cætera (*Joan.* VI) : Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetavit. Per quod ostenditur Spiritum sanctum gratiarum, non personam sequi digni aut indigni, sed ordinem traditionis : ut quamvis aliquis boni meriti sit, non possit tamen benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut officium ministerii exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

CAP. 101. — *Quod separatus ab Ecclesia quamvis laudabiliter vivat, vitam habere non possit. Item in epistola concilii ad Donatistas.*

Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter vivere se æstimet, hoc solo scelere quod a Christianitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant peccata aliena : quia *unusquisque* in ea proprium *onus portabit*, sicut Apostolus ait (*Galat.* VI). Ergo communio malorum non maculat quemquam participatione sacramentorum, sed consensio factorum. Nam si in malis factis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam et personam suam, nec præjudicat alteri, quem in confessione mali operis socium non habet criminis.

A CAP. 102. — *Quod duobus modis non maculant mali cohabitantem, si non consentiat, et si redarguat. Idem De verb. Dom. serm.* 18.

A malis corde semper disjungimini ad tempus, caute corpore copulamini. (*Paulo post.*) Duobus modis non te maculat malus, si non consentias et si redarguas, hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis, vel approbationis adjungitur. (*Post aliquot versus*). Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis : neque negligentes, ut non arguatis : neque superbientes, ut insolenter [insultanter] arguatis.

CAP. 103. — *Quomodo intelligendum sit, Exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis. Ibidem.*

B *Recedite, exite inde*, et immundum ne tetigeritis (*Isa.* LII), sed cum tactu cordis, non corporis. Quid enim est tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem illorum, quantum pro uniuscujusque gradu atque persona salva pace fieri potest? Displicuit tibi quod quisquam peccaverit, non tetigisti immundum : redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam (si res exigit) congruam et quæ unitatem non violet, disciplinam, existi inde. Clamavit ista Moyses, clamavit Isaias, clamavit Jeremias, clamavit Ezechiel. Videamus si dimiserint populum Dei, et se ad gentes alias transtulerint. Quam multa et quam vehementer Jeremias increpavit in peccatores et sceleratos populi. Inter eos C tamen erat, unum cum illis templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat, in eadem sceleratorum hominum congregatione vivebat : sed clamando exibat inde. Hoc est ergo exire inde, hoc est immundum non tangere, et voluntate non consentire, et ore non parcere.

CAP. 104. — *Quid sit dicere verbum contra Spiritum sanctum. Item in sermone De verbis Domini.*

(*Serm.* 11, *sub finem.*) Ita dicitur verbum contra Spiritum sanctum, cum ex dispersione ad congregationem nunquam venitur, quæ ad remittenda peccata accepit Spiritum sanctum. Ad quam congregationem etiamsi per malum clericum, sed tamen catholicum, ministrum reprobum et fictum, aliquis accesserit corde non ficto, in ipso Spiritu D sancto accepit remissionem peccatorum : qui spiritus in Ecclesia hac etiam in isto tempore, quo velut area cum palea trituratur, sic operatur ut nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat.

CAP. 105. — *Dona Dei pervenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit per quem accipiunt qualis Judas fuit. Augustinus in expositione Psalmi* X.

(1, *q.* 1, *c. Christus.*) Christus quid fecit vobis, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primum Eucharistiam confectam manibus suis, et ore suo commendatam, sicut cæteris apostolis traderet (*Matth.* XXVI; *Joan.* XIV). Quid vobis fecit Christus, qui eumdem traditorem suum quem diabolum

Introdusă în format electronic de Google

nominavit, qui ante traditionem Domini nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere (*Joan.* VI), cum cæteris discipulis ad prædicandum regnum cœlorum misit (*Joan.* XII et XIII), nisi ut monstraret dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit per quem accipiunt, qualis Judas fuit?

CAP. 106. — *Non minus reum esse eum qui Verbum Dei negligenter audierit, quam eum qui corpus Christi ad terram sua negligentia cadere permiserit. Item August., lib. quinquaginta Homiliarum, hom.* 26.

(1, *q.* 1, *c. Interrogo.*) Interrogo vos, fratres et sorores, dicite mihi quid vobis plus esse videtur corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verum respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde nostro depereat, quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.

CAP. 107. — *Non posse rite offerri, nisi per sacerdotem justum et sanctum. Idem.*

(1, *q.* 1, *c. Neque potest rite.*) Neque enim id potest rite offerri, nisi per sacerdotem justum et sanctum, nec nisi ab eis accipiatur quod offertur pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certe omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium Deo volunt.

CAP. 108. — *Quod Deus odit et a se projicit festivitates hæreticorum. Hieronymus in Amos prophetam.*

(*In c.* V *Amos.* 24, *q.* 1, *c. Odi.*) *Odi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocaustomata et munera vestra, non accipiam, et vota pinguium vestrorum non respiciam.* Odit autem Deus, et non solum odit, sed projicit festivitates eorum, qui non celebrant festivitates Dei, sed suas. *Et post pauca.* Odit Deus sacrificia hæreticorum, et a se projicit, et quotiescunque sub nomine Dei fuerint congregati, detestatur fetorem eorum, et claudit nares suas. Odisse autem, et non odorari, et projicere, humana loquitur similitudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus agnoscamus. Et si holocausta obtulerent ut videantur jejunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscepit Dominus. Non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causasque dijudicat. Unde et vidua quæ in corbonam duo minuta miserat, omnibus a Salvatore præfertur (*Luc.* XXII), quia Dominus non ea quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium.

CAP. 109. — *Quod apud Deum non sententia sacerdotum, sed vita reorum quæritur. Item super Matthæum, cap.* 16.

Quæcunque ligaveritis super terram, et cætera. Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

CAP. 110. — *Quod sacerdotes sine macula accedere debent ad sacrificium. Item in Sophoniam, cap.* 3.

(1, *q.* 1, *c. Sacerdotes.*) Sacerdotes qui Eucharistiæ serviunt, et sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam: et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non sacerdotum merita, de quibus dicitur (*Lev.* XXI): Et sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.

CAP. 111. — *De Pascha et Quadragesima, quon odo celebranda sint. Beatus Augustinus in libro Responsionum ad Januarium.*

(*Epistol. num.* 119, *cap.* 15.) In Scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense novorum luna decima quarta usque ad vigesimam primam. Ex Evangelio tamen quia manifestum est quo etiam die Dominus crucifixus sit, et in sepultura fuerit, et resurrexit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per Patrum concilia, et orbi universo Christiano persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere. Quadragesima jejuniorum habet auctoritatem et in veteribus libris ex jejunio Moysi et Eliæ (*Reg.* XIX; *Exod.* X), et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege et prophetis (*Matth.* IV). In persona quippe Moysi lex, in persona Eliæ prophetæ accipiuntur. Inter quos in monte gloriosus apparuit Dominus, ut evidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus: Testimonium habens a lege et prophetis. In qua ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passioni? quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est hac continentia, ut ab ipsius mundi amicitia jejunetur, quæ utique fallaciter blandiri, et illecebrarum succos circumspargere, atque jacere non cessat.

CAP. 112. — *Quod homo jejunus sumere debet corpus Domini. Item Aug., epist.* 118, *ad Januarium.*

(*De cons. dist.* 1, *c. Liquido, et P. Lomb. lib.* IV, *dist.* 8, § *c.*) Liquido apparet quando primo acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit, et emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem,

Introdusă în format electronic de Google

ultimum hoc voluit infigere cordibus, et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset [mutasset]. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens (*I Corinth.* XI): Propter quod, *fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate : si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis :* statim subtexuit : *Cætera autem, cum venero,* ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla horarum diversitate variatur [morum varietate mutatur].

CAP. 113.—*Quod omnibus pro quibus fiunt non prosunt oblationes, et obsecrationes, sed his tantum quibus dum vivunt, comparantur ut prosint. Item ex libro pro Defunctis secundo*

(*August., lib. De cura pro mort. agend., cap.* 18.) Non æstimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus : quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantum pro quibus dum vivunt, comparatur, ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint et debeant pervenire. Melius enim semper erunt ista his quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt : diligentius tamen facit hoc quisque pro necessariis suis, quod pro illo fiat similiter a suis. Corpori autem humano quidquid impenditur non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundum affectum quo nemo unquam carnem suam odio habuit. Unde oportet, ut quam potest pro carne proximi curam gerat, cum ille inde recesserit qui gerebat : et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt? ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, et in æternitate mansuro impensum hujusmodi officium sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium. Quod vero quisque apud memorias martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.

CAP. 114.—*Toties communicandum esse presbytero, quoties missam in una die celebraverit. Ex concilio Toletano* XII, *cap.* 5.

(*De cons., dist.* 2, *c. Relatum est.*) Relatum est nobis quosdam ex sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia una die videntur offerre, sed in una die si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt, et in sola tantum extremi sacrificii oblatione, communionis sanctæ gratiam sumunt : quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce ait Apostolus : Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? (*I Cor.* X.) Certum est quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit, et se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privarit gratia communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale illud erit sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis et sanguinis Christi participem se præbeat.

CAP. 115. — *Nihil pro balsamo exigendum esse, cap.* 4.

Placuit ut parum balsami quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia a singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur, ne forte quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecunia voluit emere (*Act.* VIII), ita nos venundantes damnabiliter venundemur.

CAP. 116. — *Timendum esse, ne sicut in Heli, propter vitia sacerdotum, sanctuarium Dei destituatur. Idem in Epistola ad hominem qui se dicit pœnitentem in sæculo conversantem.*

Heli sacerdos sanctus fuit, sed habuit filios qui, ut in Hebræorum voluminibus legimus (*I Reg.* IV), fornicabantur cum mulieribus in tabernaculo Dei, et in similitudinem tui impudenter sibi Dei ministerium vindicabant. Unde et locus tabernaculi ipso subversus est, et propter vitia sacerdotum, Dei sanctuarium destitutum est, quanquam et ipse Heli dum est nimium lenis in filios, offendit Deum : tantamque habeat potestatem te episcopi tui justitia liberare, ut timendum sit ne propter te de solio suo corruens, pereat insanabilis. Oza levites arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, et percussus est (*II Reg.* VI). Quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es? Quanto episcopus qui te ordinavit probabilis est, tanto tu amplius detestandus, quod talem hominem fefellisti. Solemus mala nostra scire novissimi, ac liberorum, ac conjugum vitia, vicinis canentibus ignorare. Noverat te omnis Italia, universi ante altare Christi stare ingemiscebant, nec tu tam callidus eras, ut prudenter tua vitia celares, sic æstuabas, sic sudantem te, et lascivientem huc atque illuc rapiebat voluptas, ut quasi quosdam triumphos, palmamque vitiorum, de expletis libidinibus sublevares.

CAP. 117.—*Ut nullus presbyter absque sacerdotalibus vestimentis missam celebret. Ex concilio Remensi, cap.* 4.

(*Burchardus, lib.* II, *cap.* 50.) Ut nullus presbyter

Introdusă în format electronic de Google

absque amictu, alba et stola, et fanone, et casula, ullatenus præsumat missam celebrare, et hæc sacra vestimenta mundissima sint, et in nitido loco infra ecclesiam collocentur : nec unquam presbyter his indutus extra ecclesiam exeat, quia hoc divina lex prohibet.

CAP. 118.—*Ut omnis presbyter in sua ecclesia Dominicis diebus aquam benedicat. Ex concilio Nannetensi, cap.* 5.

Omnibus diebus Dominicis quisque presbyter in sua ecclesia ante missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase mundo, et tanto mysterio [ministerio] convenienti ; de aqua populus intrans ecclesiam aspergatur : et atrium ejusdem ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergatur, et pro animabus ibidem quiescentibus oret. Et qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, et per mansiones, et agros, et vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibos et potum suum, conspergat.

CAP. 119.—*Ut missæ peculiares in diebus solemnibus non fiant. Ex dictis Augustini.*

Et hoc attendendum est, ut missæ peculiares, quæ per dies solemnes a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur : quia pessimus usus est apud quosdam in Dominicis diebus, sive in quibuslibet festivitatibus mox missam celebrare, quamvis et si pro defunctis sit, cum audierit abscedat : et per totum diem a primo mane ebrietati et comessationi potius quam Deo deserviat. Admonendus est populus, ut ante publicum peractumque officium ad cibum non accedat, sed omnes publica ad sanctam matrem Ecclesiam missarum solemnia, et prædicationem audituri conveniant. Et ut sacerdotes missas celebrent hora tertia, ut populus a publicis solemnibus non abstrahatur. Sed et sacerdotes qui in circuitu urbis sunt, aut in eadem urbe, et populus (ut prædiximus) in unum ad publicam missarum celebrationem conveniant : exceptis Deo sacris feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii [clausis monasteriis] contineri

CAP. 120. — *Ut omnes presbyteri in diebus festis admoneant populos quas preces fundere debeant. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 8.

Oportet ut in diebus Dominicis vel festis post sermonem missarum intra solemnia habitum, plebem sacerdos admoneat, ut juxta apostolicam institutionem, omnes in commune pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro rege, et episcopis, et rectoribus Ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis qui in ipsa parochia lecto decumbant, pro nuper defunctis, in quibus singulatim precibus orationem Dominicam sub silentio dicat. Sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solemniter expleant. Post hæc sacra celebretur oblatio. Ait enim Apostolus : *Obsecro primum omnium fieri orationes*, etc. (*I Tim.* II.)

CAP. 121.—*Ut presbyteri plebes admoneant, ut bubulcos atque porcarios in principalibus festis ad missam venire permittant. Ex concilio Rothomag. cap.* 5.

(*Burchardus, lib.* II, *cap.* 71.) Admonere debent sacerdotes plebes subditas sibi, ut bubulcos, atque porcarios, et alios pastores vel aratores, qui in agris assidue commorantur, vel in silvis, et ideo more pecudum vivunt, in Dominicis et in aliis festis diebus saltem vel ad missam faciant vel permittant venire. Nam et hos Christus pretioso sanguine suo redemit. Quod si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum non elegit honoratiores atque nobiliores quosque, sed piscatores atque idiotas sibi discipulos ascivit, ut ostenderet in facto quod ipse verbis in Evangelio affirmat dicens : Quod hominibus est altum, abominabile est apud Deum (*Luc.* XVI). Et salva altiori intelligentia, nativitas nostri Redemptoris primo omnium pastoribus ab angelo nuntiatur (*Luc.* II).

CAP 122. — *De alterius presbyteri parochiano. Ex concilio Nannetensi, cap.* 19.

(16, *q.* 1, *c. Cunctis fidelibus.*) Ut Dominicis vel festis diebus presbyteri antequam missas celebrent plebem interrogent, si alterius parochianus in ecclesia sit qui, proprio contempto presbytero, ibi velit missam audire. Quem si invenerint, statim ab ecclesia ejiciant, et ad suam parochiam redire compellatur. Similiter interrogent si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant : et si inventi fuerint statim reconcilientur. Quod si noluerint pacem suscipere, ab ecclesia ejiciantur usquequo ad charitatem redeant. Non enim possumus munus vel oblatam ad altare offerre, nisi prius fratri reconciliemur. His ita peractis, sacerdotes missarum solemnia rite peragant.

CAP. 123.—*De ordinatis et reliquis fidelibus, quod sine licentia sui episcopi nihil agere debeant. Ex Epist. Clementis papæ cunctis fidelibus missa.*

Quapropter cunctis fidelibus et summopere omnibus presbyteris et diaconibus ac reliquis clericis attendendum est ut nihil absque licentia proprii episcopi agant. Non utique missas sine jussu ejus quisquam presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet, nec quidquam quod ad episcopum pertineat absque ejus permissu faciat. Similiter et reliqui populi, majores scilicet et minores, per ejus licentiam quidquid agendum est agant, nec sine ejus permissu a sua parochia abscedant, vel in ea adventantes morari præsumant. Animæ eorum ei creditæ sunt, ideo omnia ejus consilio agere debent, et eo inconsulto nihil. Quicunque obediunt ei, Deo obediunt : quicunque autem ei non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt.

CAP. 124. — *De sacerdotibus, si missarum tempore aliquis eventus ægritudinis accesserit. Ex concilio Toletano* VII, *cap.* 2.

(7, *q.* 1, *c. Nihil contra.*) Nihil contra ordinem statutum [ordinis statum] temeritatis ausu præsu-

Introdusă în format electronic de Google

matur, nec illa quæ summa veneratione censentur vel minimo præsumptionis tactu [actu] solvantur, cum ad hoc tantum fieri jussa sunt, nec interrupta noscuntur, nec languoris præventu, robore salutis natura privetur. Non solum ergo fragilitati consulitur humanæ, sed etiam sacris ministeriorum Dei providetur habere sollicitudinem. Censemus ergo convenire, ut cum a sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero ut alter expleat consecrationem officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quam aut incipientis aut consequentis complenda benedictione sacerdotis : quæ nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim omnes simus unum in Christo, nihil contrarium diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici indictum vel indultum est [individuum esse] sibi non ambigant : sed ut permissum est præcedentibus statim alii pro complemento succedant. Nec tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur. Nullus post cibum potumque sive quodlibet minimum sumptum missas facere, nullusque absque patentis proventu molestiæ minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

CAP. 125. — *De presbyteris qui dæmonibus variisque passionibus vexantur, quod illis sacra tractare non liceat. Ex decretis Pii papæ, cap.* 5.

(*Dist.* 33, *c. Communiter.*) Bene siquidem majorum regulis diffinitum est, ut dæmoniacis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto, consulto rationis adhibito, id communiter diffinimus, ut nullus de his qui aut in terra arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscusse se divinis ingerant sacramentis : exceptis illis qui corporum incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen et ipsi tandiu erunt ab officio suo, et ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incursu dæmonum alieni [liberati].

CAP. 126. — *De eadem re. Ex decretis Soteris papæ, cap.* 8.

(*De cons., dist.* 1, *c. Ut illud.*) Ut illud divini oraculi monentis singuli præcaveant quo scribitur : *Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem* (*Eccle.* IV). Summopere verendum est nobis et cavendum, ne horis illis atque temporibus quibus Deo psallitur, vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti, perniciosa passio, vel corporis quælibet valetudo occurrat, quæ aut corpus subito subrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro hujusmodi ergo casibus præcaventes necessarium duximus instruere, ut ubi temporis vel loci sive cleri copia suffragatur, habeat quisquis ille canens Deo atque sacrificans post se vicini solaminis adjutorem, ut si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus, et officium incœptum adimpleat.

CAP. 127. — *De presbyteris, ne soli missam celebrent. Ex eodem, cap.* 10.

(*De cons., dist.* 1, *c. Hoc quoque.*) Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter dicitur ab eo : Dominus vobiscum, et illud, in secretis : Orate pro me ; apertissime convenit, ut et ipsius respondeatur salutationi.

CAP. 128. — *De illis qui conjugati presbyteri oblationem spreverint. Ex concilio Agathensi.*

Si quis discernit presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, et ab ejus oblatione ideo se abstinet, anathema sit.

CAP. 129. — *Ut presbyteri communicent quotiescunque missas celebraverint. Ex concilio Rothomagensi cap.* 2.

Dictum est nobis quod quidam presbyteri celebrata missa detrectantes ipsi sumere divina mysteria quæ conscerarunt, calicem Domini mulierculis quæ ad missas offerunt, tradunt, vel quibusdam laicis qui judicare corpus Domini nesciunt, id est discernere inter cibum spiritualem atque carnalem. Quod quantum sit omni ecclesiasticæ religioni contrarium, pietas fidelium novit. Unde omnibus presbyteris interdicimus, ut nullus in posterum hoc facere præsumat, sed ipse cum reverentia sumat, et diacono, aut subdiacono ministris altaris colligenda tradat. Illud enim attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem laico aut feminæ eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os ejus cum his verbis ponat : Corpus Domini et sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum, et ad vitam æternam. Si quis hæc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contempsit, et quantum in ipso est inhonorat, ab altari removeatur.

CAP. 130. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10.

Auditum est aliquos presbyteros missam celebrare et non communicare omnino, quod in canonibus apostolorum interdictum esse legitur ; vel quomodo recte dicere possunt si non communicaverint : Sumpsimus, Domine, sacramenta, etc. *Ibidem, cap.* 11. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, et si rationabilis fuerit veniam consequatur, aut si non

Introdusă în format electronic de Google

dixerit communione privetur, tanquam qui populo causa læsionis exstiterit.

CAP. 131. — *Ut calix, et patena ex auro vel argento aut saltem ex stanno fiat, ex ære vero vel aurichalco nunquam. Ex concilio Remensi, cap.* 6.

(*Burchardus, lib.* III, *cap.* 96, *de cons. dist.* 1, *c. Ut calix.*) Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Nec causentur presbyteri, avaritia suadente, de paupertate vel impossibilitate, cum quarta pars ex omnibus quæ ad ecclesiam pertinent in fabricis ipsius ecclesiæ sit impendenda. Admonendus est etiam populus, ut aliquid in donariis Domini offerat, sicut ille antiquus populus sub Moyse in tabernaculo Domini fecisse legitur. Si quis autem tam pauper est, saltem stanneum calicem habeat, de ære autem, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut in vitreo calice præsumat cantare.

CAP. 132 — *De Observanda mensa Christi. Ex eodem, cap.* 5.

Observandum est ut mensa Christi, id est altare ubi corpus Dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces et vota populi in conspectu Dei a sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur : et mundissimis linteis et palliis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum sanctorum reliquiis, et quatuor evangelia. Expleta missa calix cum patena et sacramentorum liber, cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur.

CAP. 133. — *Ut corporale ex purissimo linteo sit, et nonius materiei. Ex eodem, cap.* 3.

Corporale super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo linteo sit : nec in eo alterius generis materia pretiosior aut vilior misceatur, et nunquam super altare maneat, nisi in tempore missæ, sed aut in sacrario cum libro ponatur, aut cum calice et patena in mundissimo loco recondatur, vel quando abluitur a sacerdote, diacono vel subdiacono, primo in ecclesia in loco et vase ad hoc præparato abluatur, eo quod ex Dominico corpore et sanguine infectum sit. Post hæc a lavandario in mundo loco ponatur.

CAP. 134. — *Ut sacrificium altaris non in serico vel tincto panno celebretur. Ex epistola Eusebii papæ, cap.* 51.

(*De cons., dist.* 1, *c. Consulto.*) Hic inter cætera prædicta consulto omnium statuimus ut sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto, quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit.

CAP. 135. — *Ut mulieres ad altare non accedant, et de officiis virorum se non intromittant. Ex concilio Laodicensi, cap.* 44.

Quod non oportet mulieres ingredi ad altare, et ea contingere quæ virorum officiis deputata sunt.

CAP. 136. — *De eadem re. Ex decretis Gelasii papæ ejus nominis primi, cap.* 28.

Nihilominus impatienter audivimus, tantum divinarum rerum subisse despectum, ut feminæ sacris altaribus ministrare ferantur, cunctaque non nisi virorum famulatui deputata, sexui cui non competit, exhiberi.

CAP. 137. — *Ut laici juxta altare non sedeant. Ex concilio Mogont., cap.* 13.

Ut laici secus altare quo sancta mysteria celebrantur inter clericos tam ad vigilias, quam ad missam, stare vel sedere penitus non præsumant, sed pars illa quæ cancellis ab altari dividitur, tantum psallentibus pateat clericis. Ad adorandum vero et communicandum laicis et feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

CAP. 138. — *De illis sacerdotibus qui in ecclesia dum evangelia leguntur, sedere præsumunt. Ex epistola Anastasii primi papæ episcopis Germaniæ ac Burgundiæ directa, cap.* 1.

Anastasius episcopus cunctis Germanicis et Burgundiæ regionis episcopis in Domino salutem. Exegit dilectio vestra, charissimi, ut ex auctoritate sedis apostolicæ vestris deberemus consultis respondere. Et quamvis non prolixe, sed succincte hoc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuo tamen si necesse fuerit, ob has et alias necessitates quasi ad caput, mittere charitative non dubitetis, quia vestras preces et nunc, et tunc acceptabiles habemus. Significatis enim quosdam sacerdotes in ecclesia quando Evangelia leguntur sedere, et Salvatoris Domini verba non stantes, sed sedentes audire : et hoc ex majorum traditione se accepisse narratur. Quod nullatenus deinceps fieri sinatis apostolica auctoritate mandamus; sed dum sancta Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri omnes non sedentes, sed venerabiliter in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent.

CAP. 139. — *Ut nullus calicem vel patenam vel vestimenta sacerdotalia in vadimonio tabernario præstare præsumat. Ex concilio Remensi, cap.* 11.

(*Burch. lib.* III, *cap.* 104.) Ut nullus presbyter præsumat calicem vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum ecclesiasticum tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico vel feminæ, in vadimonio dare, nisi justissima necessitate urgente; quia tanta est sanctitas sacri ministerii, ut, salva altioris mysterii intelligentia, etiam Dominus per prophetam prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed illa intra sancta dimittat a colloquio divino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum a sacris canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro mysterio nec ad contingendum immundis, quanto minus in vadimonium exhibere debet? Sicut Stephanus sanctus papa et martyr sanctum Hilarium in suis decretis docuit.

CAP. 140. — *Ex concilio Aurelianensi, cap.* 9.

Nullus sacerdos seu laicus calicem aut patenam

Introdusă în format electronic de Google

aut quælibet vasa sacra, et divino cultui mancipata ad alios suos usus retorquere præsumat. Nam quicunque de calice sacro aliquid aliud bibit præter Christi sanguinem qui in sacramento accipitur, et patenam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit.

CAP. 141. — *Quod licitum sit episcopis cum consilio cleri de thesauro ecclesiæ, suæ familiæ in necessitate subvenire. Ex concilio Aurelianensi, cap. 5.*

Licitum sit episcopis, præsentibus presbyteris et diaconibus, de thesauro ecclesiæ, familiæ et pauperibus ejusdem ecclesiæ secundum canonicam institutionem juxta quod indiguerint erogare.

CAP. 142. — *De coopertorio altaris, nullum corpus dum ad tumulum defertur tegendum esse. Ex concilio Aurelianensi, cap. 30.*

De opertorio Dominici corporis vel altaris, nunquam corpus dum ad tumulum evehitur, obtegatur, et sacro velamine dum corpora honorantur, altaria polluantur.

CAP. 143. — *Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur. Ex eodem, cap. 8.*

(*De cons., dist.* 1, *c. Ad nuptiarum.*) Nec ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur, ne [ut] dum improborum tactu vel pompa sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia sacri ministerii [mysterii] videantur indigna.

DECRETI PARS TERTIA

De Ecclesia, et de rebus ecclesiasticis, et earumdem reverentia et observatione.

CAP. 1. — *Ecclesiæ statum similem navi magnæ, quæ, per mare undosum, diversis e locis et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properantes. Clemens Petri successor apostoli ad Jacobum fratrem Domini Hierosolymitanum videlicet episcopum (epist. 1).*

Similis est omnis Ecclesiæ status navi magnæ, quæ, per pelagus undosum, diversis e locis et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis hujus Dominus ipse omnipotens, gubernator vero sit Christus. Tunc deinde proretæ officium episcopus impleat, presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant, hi qui catechizant nautologis conferantur, cpibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis. Ipsum quoque mare hic mundus habeatur, ventorum vero varietates et turbinum, diversis tentationibus conferantur : persecutiones, tribulationes, sive pericula, fluctibus exæquentur. Terreni vero spiritus, qui vel de torrentibus, vel de convallibus spirant, pseudoprophetarum, et seductorum, seu pravæ doctrinæ verba docentur. Promontoria vero et loca confragosa, hi qui in potestatibus sæculi sunt judices, et pericula minantur et mortes. Bitalassa vero loca quæ duplicibus undæ fallacis æstibus verberantur, dubiis mente, et de promissionum veritate nutantibus conferantur. Hypocritæ vero et dolosi, pyratis similes habeantur. Jam vero rapidus vortex, et tartarea Charybdis, et saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt quam peccata? Restat igitur ut hæc navis cursu prospero, tuta possit portum desideratæ urbis intrare, et ita Deo precem effundere ut navigantes mereantur audiri.

CAP. 2. — *Ut Ecclesia domusque Dei a populis honoretur, canibus autem pervia non sit. Ex concilio Remensi, cap. 2.*

Ut Ecclesia domusque Dei a populis juxta dignitatem honoretur, canibus autem pervia non sit. Sæcularia judicia, negotia, vel vaniloquia, in ea non exerceantur, quia domus Dei, domus orationis debet esse, non spelunca latronum (*Matth.* XXI), vel placita mulierum; nec inde exeant, donec complcatur benedictio.

CAP. 3. — *Quid sit Ecclesia. Ex decretis Julii papæ. cap. 5.*

(*Isidorus, lib.* 1 *De ecclesiast. off., cap.* 1.) Ecclesia, Græcum nomen est, quod in Latinum vertitur *convocatio*, propterea quod omnes ad se vocet. Catholica, id est universalis, ideo dicitur, quia per universum mundum est constituta, vel quoniam catholica, hoc est generalis, in eadem doctrina est, ad instructionem.

CAP. 4. — *Quare apostoli in Judæa prædia ad exstruendas ecclesias non colligerint. Ex decretis Melchiadis papæ, capite 8. De primitiva Ecclesia.*

(12, *q.* 1, *c. Futuram Ecclesiam.*) Nemo qui Scripturas divinas legit, ignorat quod in principio nascentis Ecclesiæ discipuli in unum congregati sunt cum multitudine credentium, quibus erat cor unum et anima una; quique vendentes prædia et possessiones suas, afferebant pretia, et dividebant singulis, prout cuique opus erat (*Act.* IV). Futuram namque Ecclesiam in gentibus apostoli prævidebant, maximeque quia Dominus illis prædixerat: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium* (*Marc.* XVI); vel quia expellendos a Judæa noverant se, et in gentibus dispergendos, Ecclesiamque congregandam ex

Introdusă în format electronic de Google

rudi populo, idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egenos. At vero cum inter turbines, et adversa mundi succresceret Ecclesia, adeo usque pervenit ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui pene totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent.

Cap. 5. — *Quod sacerdotes et cæteri fideles agros quos vendere solebant, decreverunt plus utilitatis conferre, si Ecclesiis traditi, de annuis reditibus fideles pascerent, quam si venderentur. Ex decretis Urbani papæ, cap.* 2.

(12. *q.* 1, *c. Videntes.*) Videntes autem sacerdotes, et Levitæ, atque reliqui fideles plus utilitatis posse afferre, si hæreditates et agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum, tam præsentibus quam futuris temporibus plura et elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipsorum, cœperunt prædia et agros quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere, et ex sumptibus eorum vivere.

Cap. 6. — *Quo tempore viri religiosi se ipsos Domino consecrarint, ædificantes basilicas in suis fundis. Ex decretis Melchiadis papæ, cap.* 12.

Ab illo tempore, et deinceps viri religiosi non solum possessiones et prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum martyrum, ac per civitates monasteria, in quibus cœtus Domino servientium conveniret. Denique reges, et præsides, ac magistratus non solum adjacentia tribuere, sed etiam ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes, qui nihil in mundo possidebant, ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque et Ecclesiæ ejus rite famulantibus, servisque illius supplementa, ut absque necessitate essent, tribuerentur.

Cap. 7. — *Quod Constantinus primus imperatorum fidem Christianam patenter adeptus, fabricandi ecclesias omnibus potestatem dederit. Ex eodem, cap.* 10.

Ex quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem in suo degentes imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandas ecclesias, et prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa et fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit, adeo ut sedem imperialem cui quique Romani principes præsidebant, relinqueret, et beato Petro suisque successoribus profutura concederet.

Cap. 8. — *Ut nullus ecclesiam ædificet, nisi ei episcopus locum designaverit, et ipse dotem paratam habeat. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 1, *c. Nemo ecclesiam.*) Nemo ecclesiam ædificet antequam civitatis episcopus veniat, et ibidem crucem figat publice, et atrium designet; et ante præfiniat qui ædificare vult, quod ad luminaria et ad custodiam, et stipendia custodum sufficiat, et ostensa donatione, sic domum ædificet Et postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem ecclesiæ sancta aqua conspergat.

Cap. 9. — *De illo qui in suo prædio ecclesiam ædificare desiderat. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 6.

Quicunque voluerit in sua proprietate ecclesiam ædificare, et consensum et voluntatem episcopi habebit, in cujus parochia fuerit, licitum sit. Verumtamen omnino prævidendum est episcopo, ut aliæ ecclesiæ antiquiores, propter novas, suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores ecclesias persolvatur.

Cap. 10. — *Quod omnes basilicæ constructæ in potestate ejus episcopi esse debeant, in cujus territorio sunt. Ex concilio Aurelianensi* I, *cap.* 19.

(6, *q.* 7, *c. Omnes basilicæ.*) Omnes basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priscorum canonum regulam, ut in ejus episcopi potestate, in cujus territorio positæ sunt, consistant.

Cap. 11. — *De ecclesiis et altaribus, ubi aliqua dubitatio de consecratione est, ut consecrentur. Ex eodem concil. cap.* 45.

(*De cons., dist.* 1, *c. Ecclesiæ.*) Ut ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt et de consecratione dubitatur, consecrentur, et superflua altaria destruantur.

Cap. 12. — *Ut ecclesiæ antiquitus constructæ, nec decimis nec aliquibus possessionibus priventur, ut novis tribuantur. Ex concilio Meldensi, cap.* 46.

Ut ecclesiæ antiquitus constructæ, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

Cap. 13. — *Quod denuo consecranda est ecclesia, si altare fuerit motum. Ex decretis Higinii papæ, cap.* 4.

(*De cons., dist.* 1, *c. Si motum.*) Si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia; si parietes mutantur et non altare, salibus tantum exorcizentur.

Cap. 14. — *Quod ecclesia denuo consecranda sit si homicidio vel adulterio fuerit polluta. Ex decretis ejusdem, cap.* 6.

(*De cons., dist.* 1, *c. Si homicidio*). Si homicidio vel adulterio ecclesia fuerit violata, diligentissime expurgetur, et denuo consecretur.

Cap. 15. — *Quod ecclesiam ubi paganus est sepultus non liceat consecrari, nisi eo ejecto. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 7.

(*De cons., dist.* 1, *c. Ecclesiam*). Ut ecclesiam ubi paganus est sepultus non liceat consecrari, neque missas in ea celebrari, sed jactari foras et mundari oportet.

Cap. 16. — *Ut n ecclesia in qua cadavera mortuorum sepeliuntur, altare non liceat consecrari : sed si prius consecratum fuit, missas in eo celebrari liceat. Ex concilio eodem, cap.* 6.

In Ecclesia in qua cadavera mortuorum sepeliuntur, sanctificare altare non liceat. Si autem consecratum prius fuit, missas licet celebrare in ea.

Cap. 17. — *Ut loca semel Deo dicata perpetuo sic permaneant. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 23.

(19, *q.* 3, *c. Quæ semel.*) Ut loca quæ semel Deo dicata sunt, aut monasteria fuerunt, maneant per-

Introdusă în format electronic de Google

petuo sic, nec possint ultra fieri sæcularia habitacula.

Cap. 18. — *Ne monasteria fiant clericorum habitacula. Ex decretis Gregorii papæ missis ad Joannem Ravennensem episcopum* (*lib.* IV, *in registro epistola* 1).

(18, *q.* 2, *c. Pervenit.*) Pervenit ad me quod in Ecclesiis fraternitatis tuæ, aliqua loca monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum facta sunt: dumque hi qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis præponi appetunt, et per eorum vitam monasteria destruuntur.

16, *q.* 1, *c. Nemo.*) Nemo etenim potest ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere, ut ipse districtionem monasterii teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum sit, emendare festinet : quia ego nullo modo patior ut loca sacra per clericorum ambitum destruantur.

Cap. 19. — *Ut loca dudum consecrata, et postea fœdata, reformentur. Ex concilio Aquisgrani habito, cap.* 6.

Placuit, ut loca jamdudum consecrata, et nunc spurcitiis fœdata, juxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

Cap. 20. — *Ut nullus aliud altare erigere præsumat, nisi quod ab episcopo consecratum est. Ex decretis Hormisdæ papæ, cap.* 10.

(*De cons., dist.* 1, *c. Ut nullus.*) Ut nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci, vel ejus misso sanctificatum est : ut sit discretio inter sacrum et non sacrum. Nec dedicationem fingat nisi sit : quod si fecerit, si clericus est degradetur ; si laicus , anathematizetur.

Cap. 21. — *Ut pavimentum domorum energumeni verrant. Ex concilio Carth.* IV, *cap.* 111.

Pavimentum domorum Dei energumeni verrant.

Cap. 22. — *Ut monasteria semel dedicata, et res eis collatæ, perpetuo sic permaneant. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 24.

Quæ semel dedicata sunt monasteria consilio episcoporum qui civitates tenent, manere sic placuit perpetuo monasteria : et res quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari debere, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula. Qui vero hæc fieri permiserint, canonum sententiis subjacebunt.

Cap. 23. — *Dotem ecclesiæ ad ordinationem et potestatem episcopi pertinere. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 5.

Multi contra canonum constituta sic ecclesias quas ædificaverunt postulant consecrari, ut dotem quam ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum, et præteritum displicet, et in futuro prohibetur : sed omnia secundum consuetudinem antiquam ad episcopi ordinationem et potestatem pertineant.

Cap. 24. — *Quod solemnitates dedicationum ecclesiarum singulis annis octo diebus sunt celebrandæ. Ex decretis Felicis papæ* (IV, *epist.* 1).

(*De cons., dist.* 1, *c. Solemnitates.*) Solemnitates vero dedicationum ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ, ipso Domino exemplum dante : qui ad festa dedicationis templi omnibus id faciendum dans formam, cum reliquis populis eamdem festivitatem celebraturus venit, sicut scriptum est : *Facta sunt encænia Hierosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis* (*Joan.* X). Quod autem octo dierum sint encænia celebranda, in libro Regum peracta dedicatione templi reperietis (*III Reg.* VIII, *II Paral.* VII). De ecclesiarum vero consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse sacrandas , nec talis trepidatio iterationem incurrit; quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum.

Cap. 25. — *De fabrica cujuslibet ecclesiæ si diruta fuerit instauranda, et si consecrationis solemnitas debeat iterari ubi sanctuaria non fuerint. Eutero fratri Vigilius papa, cap.* 4.

De fabrica cujuslibet ecclesiæ si diruta fuerit, instauranda, et si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in qua sanctuaria non fuerint, nihil judicamus officere, si per eam minime aqua exorcizata jactetur : quia consecrationem cujuslibet ecclesiæ, in qua Spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantum scimus esse missarum. Et ideo si qua sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cum in ea missarum celebrata fuerit solemnitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero sanctuaria quæ habebat ablata sunt, rursus eorum repositione, et missarum solemnitate reverentiam sanctificationis accipiet.

Cap. 26. — *Ut ecclesiæ destructæ non majores reædificentur, quam ex rebus ad eas pertinentibus instaurari possunt. Ex decretis Higinii papæ, cap.* 5.

Ut ecclesiæ destructæ ubi aut plures quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi providentia modus inveniatur, qualiter consistere possint.

Cap. 27. — *Quomodo terminandum sit, si contentio de terminatione duarum matricum ecclesiarum orta fuerit. Ex concilio apud Aquisgranum, cap.* 5.

Plures baptismales ecclesiæ una terminatione esse non possunt, sed una tantummodo cum subditis capellis, et si contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes utrarumque discernatur.

Cap. 28. — *Quod nulli regum vel cuiquam hominum liceat proprium monasterium cuiquam nisi alii ecclesiæ tradere : vel cum aliquo, nisi cum alia ecclesia commutare, vel pro aliquo commodo vendere. Ex decretis Silverii papæ, cap.* 1.

Nemini regum aut cuiquam hominum proprium liceat monasterium tradere, nisi ad aliud monasterium : vel commutare nisi cum alio monasterio, vel quocunque commodo vendere. Hoc etiam divina et apostolica atque canonica sub anathematis pœna sanxit auctoritas. Quod si factum fuerit non vale-

Introdusă în format electronic de Google

but, sed ipsum monasterium in pristinum reformetur statum.

Cap. 29. — *Quod non liceat episcopo vel abbati rem unius ecclesiæ alteri tradere, quamvis ambæ in potestate ejus sunt. Ex conc. Lugdunensi, cap.* 5.

Non liceat episcopo vel abbati terram ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ sint in ejus potestate. Tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu ambarum fiat.

Cap. 30. — *Quod altaria non sint chrismate ungenda, nisi lapidea, et quod ordinem metropolitanorum comprovinciales observare debent. Ex concilio Hipponensi, cap.* 10.

(*De cons., dist.* 1, *c. Altaria, et primo.*) Altaria si non sint lapidea, chrismatis unguine non consecrentur. Ad celebranda autem divina officia, ordinem quem metropolitani tenent, comprovinciales eorum observare debebunt.

Cap. 31. — *Quod non debet monasterium de loco in locum transferri sine consilio episcopi vel fratrum Ex decretis Bonifacii papæ, cap.* 5.

Si quis vult monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio episcopi et fratrum suorum : et dimittat presbyterum in priori loco ad ministeria ecclesiæ.

Cap. 32. — *Quod omnes basilicæ cum missa debent consecrari. Ex decretis Evaristi papæ, cap.* 4.

(*De cons., dist.* 1, *c. Omnes basilicæ.*) Omnes basilicæ cum missa debent semper consecrari.

Cap. 33. — *Ut nullum episcopus nec gentilem, nec hæreticum, nec Judæum prohibeat ingredi ecclesiam, quando verbum Dei annuntiatur populo. Ex concilio apud Valentiam, cap.* 16. (*Conc. Carth.* IV, *cap.* 14.)

(*De cons., dist.* (?) *c. Episcopus.*) Ut nullum episcopus prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad missam catechumenorum.

Cap. 34. — *Quod populus qui ad celebrandam missam convenerit non nisi ea finita et benedictione accepta discedere debet. Ex conc. Arelatensi, cap.* 1.

Item cum ad celebrandam missam in Dei nomine convenit populus, non ante discedat quam missæ solemnitas compleatur, et ubi episcopus defuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

Cap. 35. — *Quod tecta Ecclesiæ restaurare debent qui ecclesiasticum habent beneficium. Ex concilio Magontiensi, cap.* 42.

Quicunque beneficium ecclesiasticum habent, ad tecta ecclesiæ restauranda, vel ipsas ecclesias emendas omnino adjuvent, et numisma [nonam] et decimam reddant.

Cap. 36. — *Quomodo administrandæ sint ecclesiæ inter barbaros constitutæ. Ex concilio Constantinopolitano* I, *cap.* 4.

Ecclesias autem Dei in barbaris gentibus constitutas, gubernari et administrari oportet secundum consuetudinem quæ est a patribus observata.

Cap. 37. — *De ecclesiis Arianorum quod a Catholicis catholice consecrandæ sunt. Ex decretis Joannis papæ I episcopis Italiæ missis.*

Ecclesias vero Arianorum, ubicunque inveneritis, catholicas eas divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate : quia et nos quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione catholica, quam et pro regis Theoderici causa negotii suadente atque hortante Arianosque exstirpante piissimo atque Christianissimo Justino orthodoxo imperatore, quascunque illis in partibus eorum ecclesias reperire potuimus, catholicas eas, Domino opem ferente, consecravimus.

Cap. 38. — *Quid agendum sit de diœcesana ecclesia si destituta fuerit. Ex concilio Tarraconensi, cap.* 8.

Multorum casu experientia magistrante reperimus, nonnullas diœcesanas ecclesias destitutas. (10, *q. c. Decrevimus.*) Pro qua re id constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, et annis singulis ab episcopo diœceses visitentur : et si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur, quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab episcopis, ex principibus novimus statutum.

Cap. 39.— *De translatione Minturnensis ecclesiæ ad Formianam ecclesiam. Ex registro Gregorii ad Bacandam episcopum Formiensem.*

Et temporalis nos perurget necessitas, et imminutio exigit personarum, ut destitutis ecclesiis salubri ac provida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quam plebis destitutam desolatione cognovimus, tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ ecclesiæ, in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cuique fraternitas tua præsidet, adjungi debeat, et pium esse ac justissimum prævidentes, necessarium duximus consulentes tam desolationi loci illius, quam tuæ ecclesiæ paupertati, redditus supradictæ ecclesiæ Minturnensis, vel quidquid ei antiquo, modernoque jure vel privilegio potuit potestative qualibet ratione competere, ad tuæ ecclesiæ potestatem hac præcepti nostri auctoritate concedimus, ut a præsenti tempore, sicuti ex propria quippe ecclesia, debeas cogitare, eique competentia tua disponere, quatenus deinceps quod perire nunc usque potuit, pauperum ecclesiæ utilitatibus clerique proficiat.

Cap. 40.— *Picturas in ecclesia non esse adorandas, sed quod adorandum est, mentibus fidelium per eas ad memoriam revocandum. Ex concilio Eliberitano, cap.* 36.

(*De cons., dist.* 4, *c. Placuit.*) Placuit picturas in ecclesiis fieri non debere, ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.

Cap. 41.— *De eodem. Ex epist. Gregorii papæ Secundino servo Dei recluso.*

Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scripturam, hoc idiotis patet picturam cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt : unde et præcipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere tu qui inter gentes habitas attendere debueras, ne dum recto zelo incaute succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum in

Introdusă în format electronic de Google

ecclesiis, sed instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, sine dubio et ea quæ intendebas salubriter obtinere, et collectum gregem non dispergere, sed potius poteras congregare, ut pastoris intemeratum excelleret nomen, non culpa dispersoris incumberet.

CAP. 42.—*Ut non pro debito, episcopus de consecratione aliquod munus requirat. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 3.

Placuit, ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopus invitatur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirat : sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Attamen unusquisque episcopus meminerit, ut non prius dedicet ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ, et obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis est temeritas ista, si sine luminaribus vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt, quasi domus privata consecretur ecclesia.

CAP. 43.—*Quod non licet consecrari ecclesiam ubi cadavera infidelium mortuorum sepulta fuerint, nisi eis ejectis et parietibus rasis. Ex concilio Agrippinensi, cap.* 3.

Ecclesiam in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet. Sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, et rasis parietibus et lignis ejus loci, reædificetur. Si hæc consecrata prius fuit, missas in ea celebrare licet : si tamen fideles fuerint, qui in ea sunt sepulti.

CAP. 44.—*Ad quos usus verti debeant ligna dedicatæ ecclesiæ. Ex decretis Higinii papæ, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 1, *c. Ligna.*) Ligna ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterium fratribus ; in laicorum vero opera non debent admitti.

CAP. 45.—*Quid episcopo agendum sit si plures hæredes de una contenderint ecclesia. Ex conc. Triburiensi, c.* 20.

(16, *q.* 7, *c. Plures.*) Si plures hæredes contenderint de communi ecclesia, auferri jubeat episcopus reliquias sacras et ecclesiam claudi, donec communi consensu et consilio episcopi statuant inde presbyterum, et unde vivat.

Item Gregorius papa in decretis, cap. 5.

(16, *q.* 7, *c. Considerandum est.*) De ecclesiis quæ inter cohæredes sunt divisæ considerandum est, quatenus si secundum providentiam et admonitionem episcopi ipsi cohæredes eas voluerint tenere, et honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, in episcopi potestate maneat, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias inde auferre velit.

CAP. 46.—*De eadem re. Ex concilio Mediomatricensi, cap.* 11.

Perlatum est ad sanctam synodum, quod inter hæredes Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, et tanta per eamdem divisionem simultas oriatur, ut de uno altari quatuor partes fiant, et singulæ partes singulos habeant presbyteros. Quod sine discordia et simultate nullo modo fieri potest. Unde nobis visum est, quod hujuscemodi ecclesiæ inter hæredes dividi non debeant, et si in contentionem venerint, et simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit, præcipiatur ab episcopo civitatis, ut nullo modo ibi missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, et pari voto atque consilio ecclesia illa sacerdotem canonice habeat qui libere ibi ministerium suum peragere possit.

CAP. 47.—*Bonum esse parochianas ecclesias mere Romanæ Ecclesiæ ordinari et custodiri. Ex epist. Dionysii ad Severum episcopum.*

De ecclesiis ergo parochianis, unde apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem provinciam, ac providendæ sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam ut sequaris quod nos in Romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias vero singulas singulis presbyteris dedimus, et unicuique jus proprium habere statuimus : ita videlicet ut nullus alterius parochiæ terminos aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis sit contentus, et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, ut non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, charissime, te et omnes episcopos sequi convenit, et quod tibi scribitur omnibus quibuscunque potueris notum facias. ut non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.

CAP. 48. — *Ut unusquisque presbyter una ecclesia sit contentus. Ex concilio Remensi, cap.* 3.

Unusquisque presbyter ecclesia una ad quam ordinatus est contentus sit, et nullus in duabus ecclesiis ministrare præsumat.

CAP. 49. — *Ut una ecclesia inter plures presbyteros non dividatur. Ex eodem concilio, cap.* 9.

(21, *q.* 2, *c. Sicut in unaquaque.*) Sicut in unaquaque ecclesia presbyter debet esse, ita ipsa quæ sponsa vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum tantummodo habebit sacerdotem qui eam caste et sinceriter regat. Unde interdicimus, ut nullus præsumat ecclesiam inter duos vel plures dividere, quia Ecclesia Christi uxor et sponsa esse debet, non scortum, sicut Calixtus papa testatur (*epist.* 2, *c.* 3).

CAP. 50.— *Item ut unusquisque presbyter una sit ecclesia contentus. Ex eodem concilio, cap.* 10.

Statutum est unaquæque ecclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente episcopo permiserit.

CAP. 51.— *Item de eadem re. Ex concilio Nannetensi, cap.* 8.

Sicut enim episcopus non plus habere potest quam unam civitatem, et vir unam uxorem : ita presbyter unam tantum ecclesiam. Itaque nullus presbyter

Introdusă în format electronic de Google

habere præsumat duas ecclesias, si de statu suo gaudere desiderat.

Cap. 52.— *Quod nullus presbyter relicta sua ecclesia ad potiorem aspirare debet. Ex concilio Meldensi, cap.* 10.

(7, *q.* 1, *c. Si quis.*) Si quis de ordine sacerdotali, contemptu minoris ecclesiæ, ambitiose et improbe ad potiorem aspiraverit, canonica erga eum definitio conservetur, id est ut utraque careat.

Cap. 53. — *Quod sicut vivente viro uxor ejus alteri nubere non permittitur, sic vivente presbytero ecclesia sibi commissa ab altero judicari aut disponi non conceditur. Ex decretis Calixti papæ, cap.* 4.

(*Ib., c. Sicut alterius.*) Sicut alterius uxor nec a 'ulterari ab altero, nec judicari aut disponi, nisi a proprio viro eo vivente permittitur ; sic nec uxor episcopi vel presbyteri (quod ejus ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur) eo vivente ab altero dijudicari vel disponi, aut ejus concubitu perfrui permittitur. Unde ait Apostolus : *Alligata est uxor legi, quandiu vir ejus vivit : eo defuncto soluta est a lege viri* (*I Cor.* VII). Similiter et ecclesia, quæ uxor sacerdotis dicitur, eo vivente ei alligata est : eo defuncto nubat in Domino, id est regulariter. Si enim eo vivente alteri nupserit, adultera judicabitur.

Cap. 54.— *De ecclesiis vel sanctis noviter inventis. Ex concilio Agrippinensi, cap.* 5.

De ecclesiis seu sanctis noviter inventis, sine auctoritate inventoris, nisi episcopo probante, in ejus territorio minime venerentur, salva etiam de hoc et de omnibus ecclesiis canonica auctoritate.

Cap. 55.— *Quod presbyter de dotali manso nullum servitium facere debet, nisi ecclesiasticum. Ex concilio Wormat. cap.* 50.

(23, *q.* 8, *c. Mansus.*) Sancitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur, et presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel de hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum. Et si quid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

Cap. 56.— *Ut nullus mortalium de dotali manso, vel mancipiis, vel decimis, vel oblationibus fidelium, vel de redditibus qui ecclesiis collati fuerint, quemquam presbyterorum aliquem censum persolvere cogat. Ex concilio Meldensi, cap.* 8.

Juxta synodalia præcepta decrevimus, ut nullus mortalium de agro ecclesiastico et manso, et mancipiis, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit Ecclesiæ, neque de decimis et oblationibus fidelium quemquam presbyterorum aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis aut dignitatis sit, exinde quidquam subtrahat, et redditionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur.

Cap. 57.— *Ut nulla memoria martyrum probabiliter accipiatur, nisi ubi corpus aut reliquiæ certæ sunt, aut ubi origo alicujus habitationis vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Ex concilio Africano, cap.* 50.

(*De consec., dist.* 1, *c. Placuit.*) Item placuit ut altaria quæ passim per agros et per vias tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyris conditæ probantur, ab episcopis qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tantum admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter accipiatur, nisi aut ubi corpus aut reliquiæ certæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, et per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur altaria, omnino reprobentur.

Cap. 58.— *Ut martyrum dignitatem nullus profanus infamet. Ex concilio Carthaginensi* I, *cap.* 2.

[Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad passiva corpora, quæ sepulturæ tantum propter miserieordiam ecclesiasticam commendari mandatum est, redigat, ut aut insania præcipitatos, aut aliquo tali pacto aut alia ratione peccati discretos [disjunctos], non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrantur, martyrum nomine appellet. At si quis ad injuriam martyrum, claritati eorum adjungat infamiam, placet eos, si laici sunt, ad pœnitentiam redigi ; si autem clerici, post commonitionem et post cognitionem, honore privari.

Cap. 59. — *Ut missarum solemnia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, fiant. Ex concilio Triburiensi, cap.* 4.

(*De cons., dist.* 1, *c. Missarum et c. Concedimus.*) Missarum solemnia non ubicunque, sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, ut sicubi (quod nostris peccatis exigentibus per plurimum est factum) a Northmannis, et Flavis [Sclavis], et a Bulgaris, et a malis Christianis seu alio qualicunque modo ecclesiæ fuerint incensæ et combustæ, in capellis cum tabula consecrata, missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero positis, si ecclesia defuerit, ut sub dio, seu in tentoriis ; item si tabula consecrata altaris, cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia affuerint, missarum solemnia celebrare concedimus, aliter omnino interdicimus.

Cap. 60. — *Missam nisi ex magna necessitate, nonnisi in sacrato loco esse celebrandam. Ex decretis Felicis papæ IV omnibus episcopis directis* (IV, *epist.* 1, *c.* 1).

(*De cons., dist.* 1, *c. Consecrationem ; c. Tabernaculum.*) Scripta sanctitatis vestræ, quæ ad sedem apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad caput, ut inde reciperetis responsa, unde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi, et breviter vobis respondere curavi. De ecclesiarum enim consecratione, et

Introdusă în format electronic de Google

de missarum celebrationibus, non alicubi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota Novi et Veteris Testamenti præcepta. Tabernaculum vero Moysen Domino præcipiente fecisse, et sacrasse cum mensa, et altari ejus, et cæteris vasis et utensilibus, ad divinum cultum explendum legimus; et non solum divinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione Domino jubente perlinisse novimus (*Num.* VII). Qualiter autem hæc facta sunt, et quomodo ipsa sacra non alii quam sacerdotes unctione delibuti, Dominoque cum vestibus sanctis sacrati et Levitæ tractabant, ferebant, erigebant et deponebant, in ipsis institutionibus quæ jubente Domino per Moysen conscriptæ sunt, in lege Domini reperitur (*Lev.* VIII). Qualiter ergo regum piissimus David amplificaverit cultum Dei, et templum Domini ædificare voluit (*II Reg.* VII), sed propter multum sanguinem quem effuderat prohibitus est, et ipse collegerat expensas (*I Par.* XXII); Salomon quoque, filius ejus, ipsum quod ipse facere optaverat, jubente et auxiliante Domino perfecit, et templum cum altari et reliquis ad divinum cultum peragendum, consecravit, in libro Regum legitur (*III Reg. per. totum*).

CAP. 61. — *De eadem re. Ex epistola Felicis papæ quarti diversis episcopis missa.*

(*Ibidem.*) Judæi ergo loca in quibus sacrificabant Domino divinis habebant supplicationibus consecrata, nec in aliis quam Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Judæi qui umbræ legis deserviebant, hoc faciebant, multo magis quibus veritas patefacta est, et *gratia et veritas per Jesum Christum data est* (*Joan.* I), templa Domino ædificare, et prout melius possumus ornare, eaque divinis precibus, et sanctis unctionibus suis cum altaribus et vasis, vestibus quoque et reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote et solemniter sacrare, et non in aliis locis quam Deo sacratis ab episcopis, et non a chorepiscopis, qui sæpe prohibiti sunt, nisi, ut prædictum est, summa exigente necessitate, missas celebrare nec sacrificia Domino offerre debemus. (*De cons., dist.* 1, *c. Sicut non alii.*) Et hoc cum summa necessitas agere compulerit, non in domibus, quia in sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt, sed in tabernaculis, divinis precibus a pontificibus dedicatis, et in mensis Domino sacratis, et sacra unctione a pontificibus delibutis, pro summa, ut præfixum est, necessitate, et non pro libitu cujusquam et pigritia agatur. Sanctius [Satius] est enim missam non cantare aut non audire quam in his locis ubi fieri non oportet, nisi ut sæpe dictum est, pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas legem non habet. Unde scriptum est : *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in omni loco quem elegerit Dominus Deus tuus* (*Deut.* XII). Et in Exodo legitur : *Vos vidistis quia de cœlo locutus sum vobis. Non facietis deos argenteos, neque deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, et offeretis super illud holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves in omni loco in quo fuerit memoria nominis mei* (*Exod.* XX). Et sicut non alii quam Domino sacrati sacerdotes debent missas cantare, nec sacrificia super altare offerre; sic nec in aliis quam in præfatis Domino sacratis locis missas cantare, aut sacrificia offerre licet [licebit]. Sic autem legitur in concilio Laodicensi capitulo vigesimo sexto. Quod si hi qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis quam in domibus exorcisare non possunt, multo magis majoris gradus ministeria, nisi ab eis qui ad eos gradus sunt sacrati, quibus fungi debent, vel officia agi vel sacrificia offerri non licet. Quod autem, ut paulo superius prælibatum est : oblationes in domibus offerri non debent ; in eodem concilio capitulo 58, prohibitum habetur ita. (*dist.* 69, *Non oportet.*) Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis vel presbyteris.

CAP. 62. — *Item de eadem re. Ex decretis Clementis papæ* (*epist.* 3), *cap.* 32.

(*De cons., dist.* 1, *c. Hic ergo, id est.*) Hic ergo, hoc est, in præsenti vita positos, oportet vos agnoscere voluntatem et præceptum Dei, ubi agendi et sacrificandi sit locus, quoniam in aliis locis sacrificare, et missas celebrare non licet, nisi in his quibus proprius episcopus jusserit, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecrati fuerint [consecratus fuerit]. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec rite celebranda, docente Novo et Veteri Testamento. Hæc apostoli a Domino acceperunt, et nobis tradiderunt ; hæc nos docemus, vobisque et omnibus absque reprehensione tenere, et docere, quibus agendum est, mandamus.

CAP. 63. — *Item de eodem. Ex concilio Laodicensi, cap.* 58.

Quod non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis, vel presbyteris.

CAP. 64. — *Item de eodem. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 4.

Audivimus quod quidam laici in domibus propriis præcipiant presbyteris suis missas celebrare, ut inter canum discursus, et scortorum greges sanctitatis mysteria polluantur magis quam consecrentur. Quapropter præcipimus, ut nullus presbyter extra ecclesiam præsumat missam cantare, nisi forte itineris necessitas exposcat in tentorio, aut sub dio [divo] in loco nitido, et longe ab omni immunditia remoto, missas permittimus celebrare, et hæc nullatenus sine tabula consecrata.

CAP. 65. — *Quod ante horam diei tertiam missæ non sint celebrandæ. Ex epistola Telesphori papæ, cap.* 6.

Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ; quia eadem hora et Dominus crucifixus est, et super apostolos sanctus Spiritus descendisse legitur, excepta nocte Nativitatis.

CAP. 66. — *Quod singulis diebus missas in memoriam fidelium defunctorum liceat celebrare. Ex concilio Cabilonensi* II, *cap.* 39.

(*De cons., dist.* 1, *c. Visum præterea nobis.*) Visum præterea nobis est ut in omnibus missarum solemni

Introdusă în format electronic de Google

tatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus, et pro quibuslibet necessitatibus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet quin pro animabus fidelium preces Domino in missarum solemnibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet Ecclesia, ut missarum solemnibus et aliis precibus, Domino spiritus quiescentium commendentur, dicente beato Augustino (*l. De cura pro mortuis agenda, c. 4*) : Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana et catholica societate laudamus. Defunctis etiam tantis hominibus, eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia memoriam, ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.

Cap. 67. — *Quod missa mortuorum pro omnibus Christianis sit cantanda. Ex dictis Dionysii Areopagitæ.*

Dionysius Areopagita dicit, blasphemias Deo facere, qui missas offert pro malo homine. *Augustinus dicit*, pro omnibus Christianis esse faciendum quia vel eis proficit, aut offerentibus proderit.

Cap. 68. — *Ut sicut missarum institutiones in metropoli, sic in omnibus comprovincialibus ecclesiis fiant. Ex concilio Gerundensi, cap. primo.*

(*De cons., dist. 2, c. Institutiones.*) Ut institutiones missarum, sicut in metropolitana ecclesia fiunt, ita in Dei nomine in omnibus comprovincialibus ecclesiis, tam ipsius missæ ordo, quam psallendi vel ministrandi consuetudo servetur.

Cap. 69. — *Ut preces et præfationes quæ in concilio probatæ non fuerint, non celebrentur. Ex concilio Africano, cap. 64. (Sub Bonifacio I, et Cælestino I, c. 70.)*

Placuit etiam hoc, ut preces quæ probatæ fuerint in concilio sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino contra fidem proferantur, sed quæcunque cum prudentioribus fuerint collatæ [collectæ] dicantur.

Cap. 70. — *Ut nullus presbyter solus missam audeat celebrare. Ex concilio Nannetensi, cap. 30.*

(17, *q. 4, c. Definivit.*) Definivit sanctum concilium, ut nullus presbyter solus præsumat missam celebrare [cantare]. Cui enim dicit : *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, aut *Gratias agamus Domino Deo nostro*, cum nullus sit qui respondeat; aut, in canone, *Et omnium circumstantium*, cum nemo adsit. Aut quem invitat ad orationem, cum dicit *Oremus*, cum nullus sit qui secum oret ? Aut ergo ista penitus reticenda sunt, et non solum non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret (quisquis ille est) illam terribilem sententiam : Si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de libro vitæ, aut si hæc muris et parietibus insusurraverit, ridiculosum erit. Quapropter illa periculosa superstitio, maxime a monasteriis monachorum exterminanda est. Provideant autem prælati ut presbyteri in cœnobiis et in aliis ecclesiis cooperatores habeant in celebratione missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.

Cap. 71. — *Ut in ecclesia nil aliud agatur, nisi ad quod facta est. Ex dictis sancti Benedicti (cap. 52 suæ regulæ).*

(*Dist. 42, c. Oratorium.*) Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quidquam aliud geratur aut condatur quam quod ministeriis convenit.

Cap. 72. — *De eadem re. Ex dictis sancti Augustini.*

In oratorio præter orandi psallendique Deo cultum, penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter impensa concordent.

Cap. 73. — *Item de eadem re. Ex concilio Laodicensi, cap. 28.*

(*Dist. 42, c. Non oportet.*) Quod non oporteat in domiciliis divinis, id est in ecclesiis, agapes fieri, et intra domum Domini comedere, et accubitus sternere.

Cap. 74. — *Ut nullus in ecclesia tabernas constituat. Ex concilio Carthaginensi, cap. 28.*

Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitii necessitate illic reficiantur : populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.

Cap. 75. — *De eodem. Ex concilio Turonensi,*

Perlatum est ad sanctam synodum, quod quidam presbyteri in ecclesiis sibi commissis tabernas (quod nefas est) constituunt, ibique per caupones vinum vendant, aut vendere permittant : et ubi tantummodo orationes et verbum divinum, Deique laus debuerat resonare, ibi comessationes et ebrietates fiunt, ibi risus, et plausus, et verba turpia, ibi rixæ et contentiones resultent. Quod quam sit Deo contrarium, Dominus Jesus demonstrat : qui cum venisset in templum, vendentes et ementes, et nummularios sedentes, facto funiculo, omnes ejecit de templo (*Joan.* II). Si enim ea quæ licite vendi videbantur in templo, et ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domini, ipse foras ejecit : quid putas de tam pestifera præsumptione et Dei contemptu fiet ? Et si non solum sacerdotibus, sed etiam omnibus clericis præcipitur ne tabernas ingrediantur : quis audire potest, ut ecclesiæ Dei tabernæ fiant ? Itaque interdicit per omnia synodus, ne hoc in posterum ullatenus fiat. Quod si factum fuerit, presbyter deponatur, laici communione privati ab ecclesia quam dehonestaverunt, expellantur. *De eadem re ex eodem concilio, cap.* 3. Si enim domus Dei *domus orationis* (*Matth.* XXI) vocatur, hoc debet esse quod dicitur, nec ibi aliud debet geri aut recondi. Ubi enim corpus Domini consecratur, ubi angelorum præsentia non dubitatur adesse, ubi sanctorum reliquiæ reconditæ venerantur, nec quidquam inhonestum appareat, quod oculos ad oraculum venientium offendat, ne quid videatur ibi quod ad lucrum temporale pertineat, sed omnia sancta, omnia munda, et tantummodo ad ecclesiasticum ministerium pertinentia.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 76. — *Quod unicuique fidelium licet oratorium in domo sua habere, missas autem ibi non licet celebrare. Ex concilio Aurel., cap.* 3.

(*De cons., dist.* 1, *c. Unicuique.*) Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, et ibi orare, missas autem ibi celebrare non licet.

Cap. 77. — *Canticum luxuriosum circa ecclesias et atria omnino prohibendum est. Ex concilio Magun-tiensi* I, *cap.* 48.

Canticum turpe atque luxuriosum circa ecclesias, atque in atriis ecclesiæ omnino contradicimus, quod ubique vitandum est.

Cap. 78. — *Sanctorum reliquias in oratoriis villaribus sine præsentia clerici parochiani, non esse ponendas. Ex concilio Epaunensi, cap.* 25.

Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericum cujusque parochiæ vicinum esse contingat, qui sacris pignoribus [cineribus] psallendi frequentia famuletur.

Cap. 79. — *Sedes episcoporum ad securiora loca propter diversas necessitates posse transferri. Ex registro Gregorii papæ, ad Joannem Bellitranensem episcopum* (*l.* II, *epist.* 11).

(17, *q.* 1, *c. Temporis.*) Temporum qualitas admonet episcopum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus ejusdem diœceseos loca transponere, quo et habitatores securius degere, et barbaricum possit periculum facilius declinari. Propterea te Joannem fratrem coepiscopumque nostrum Bellitranensis civitatis, sedemque tuam, in loco qui appellatur Renati ad sanctum Andream apostolum præcipimus exinde transmigrare; quatenus, et ab hostilitatis incursu liberior existere valeas; et illic consuetudinem solemnium festorum disponas.

Cap. 80. — *Tribus de causis loca sanctorum transmutanda esse. Divus Augustinus.*

(*De cons., dist.* 1, *c. Tribus ex causis.*) Tribus causis loca sanctorum transmutanda sunt. Primo cum necessitas persecutorum loca eorum gravaverit. Secundo cum difficultas locorum fuerit. Tertio cum malorum societate gravantur.

Cap. 81. — *Quod in translatione martyrum honor cum eis transmigrat. D. Hieronymus.*

Notandum cum transferuntur aliqui de martyribus, cum his honor commigrat; aliis vero transmutatis honor in locis eorum esse non cessat.

Cap. 82. — *Quod sanguis martyrum consecrat locum, non locus sanguinem. Ex dictis Augustini.*

Sanguis martyrum consecrat locum, non locus sanguinem. Si aliquis dixit : Mea est ecclesia, dices illi quod in Cantico legitur : *Una est columba mea, et unus dilectus meus* (*Cant.* VI), et dices illi : Apertum est, filium occidi in sinu matris et nutricis suæ ; tamen scias nutricem tantum pollutam esse pro hac pollutione consecratam, filium autem mortuum esse.

Cap. 83. — *Unde dicta sit basilica. Isidorus.*

Basileon Græcorum rex erat. Hinc etenim basilica, regalis, quia in primis temporibus reges tantum sepeliebantur in ea. Ideo nomen sortita est. Nam illis temporibus cæteri homines sive igne combusti, sive acervo lapidum sepulti sunt.

Cap. 84. — *De illis qui domum Dei contemptibilem faciunt. Ex concilio Gangrensi, cap.* 5.

(*Dist.* 30, *c. Si quis docet.*) Si quis docet domum Dei contemptibilem esse, et conventus qui in ea celebrantur, anathema sit.

Cap. 85. — *Quid faciendum sit episcopo qui ecclesiam per sæculares potestates obtinuerit. Ex canone apostolorum, cap.* 31.

(16, *q.* 7, *Si quis episcopus.*) Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.

Cap. 86. — *Quid agendum sit de presbytero, qui alium presbyterum de ecclesia ad quam legitime ordinatus est, per pecuniam abstulerit. Ex concilio Magun-tiensi secundo, cap.* 5.

Quicunque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, quando contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, et qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit, omnimodis deponatur.

Cap. 87. — *Ut laici presbyteros de ecclesiis non ejiciant. Ex eodem conc., cap.* 29.

Ut laici presbyteros non ejiciant de ecclesiis, neque constituant sine consensu episcoporum suorum.

Cap. 88. — *Ut nulli absque consensu episcopi liceat presbytero ecclesiam dare vel auferre. Ex concilio Cabilonensi* II, *cap.* 42.

(16, *q.* 7, *c. Inventum est.*) Inventum est quod multi arbitrii sui temeritate, et (quod est gravius) ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet, absque consensu episcoporum suorum ecclesias dant, vel auferunt. Unde oportet ut canonica regula servata, nullus absque consensu episcopi cuilibet presbytero ecclesiam det. Quam si juste adeptus fuerit, hanc nonnisi culpa gravi, et coram episcopo canonica severitate amittat.

Cap. 89. — *Ut nullus a presbytero propter commendationem ecclesiæ munus aliquod exigat. Ex concilio Magun-tiensi* II, *cap.* 30.

Ut nullus omnino munera exigat a presbyteris propter commendationem ecclesiæ.

Cap. 90. — *Quod deponendus est presbyter qui alicui vel clerico vel laico pro investitura ecclesiæ aliquid dederit. Ex conc. Rothomag., cap.* 5.

Sancitum est atque omnibus modis prohibitum, ut si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse, aut aliquam [aliam] pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri ecclesiam vacantem pretio redimat : pro hac cupiditate seu rapina, seu præsumptione, turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.

Cap. 91. — *Ut presbyteri per parochias feminas admoneant ut ad altaria linteamina præparent. Ex concilio Remensi, cap.* 4.

Ut presbyteri per plebes suas feminis, prædicent ut linteamina in altaria præparent.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 92. — *Ut episcopi prævideant quem honorem presbyteri pro ecclesiis dominis suis debeant. Ex concilio Arelatensi, cap.* 3.

Ut episcopi prævideant, quem honorem presbyteri pro ecclesiis dominis suis debeant.

Cap. 93. — *Ut nullus presbyter ad introitum ecclesiæ pretia donet. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10.

Ut nullus presbyter ad introitum ecclesiæ xenia donet.

Cap. 94. — *Quod prædia quæ presbyter emerit ecclesiæ esse debent, ad quam nihil habens accessit. Ex concilio Remensi, cap.* 6.

Investigandum est, si nihil patrimonii habens presbyter quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint, quoniam ecclesiæ ad quam de nihil habenti promotus est, esse debent, juxta canonicam auctoritatem.

Cap. 95. — *De eadem re. Ex concilio Agathensi, cap.* 54.

(12, *q.* 4, *c. Presbyter.*) Presbyter cum diœcesim tenet, de his quæ emerit ad ecclesiæ nomen scripturam faciat, ut ab ejus quam tenet ecclesiæ ordinatione non discedat.

Cap. 96. — *Ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicunque clerici prædia, quæ comparaverint, postquam ad aliquam ecclesiam titulati sunt, ecclesiæ relinquere debeant; de his autem quæ jure hæreditario, vel aliquorum largitione habuerint ad voluntatem suam disvonant. Ex conc. Carthag.* III, *cap.* 49.

(12, *q.* 3, *c. Placuit.*) Placuit ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicunque clerici qui nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus vel clericatus sui, agros vel quæcunque prædia sui nominis comparant tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi ad ecclesiam ad quam titulati sunt, eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propria liberalitate alicujus, vel successione cognationis, aliquid evenerit, faciant inde quod velint. *De eadem re. Ex eodem cap.* 48. Ut unusquisque presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit, propriæ ecclesiæ relinquat. *De eadem re. Ex conc. Toletano.* Cæterum presbyter, si post ordinationem aliquid acquisierit, illud observandum est quod in canonibus de consecratis et nihil habentibus constitutum est. *Ex conc. Remensi, cap.* 10. Inquirendum est si aliquis presbyterorum de reditibus ecclesiæ vel oblationibus ac votis fidelium alio nomine res comparaverit, et ibi structuras fecerit, vel quæ ad ecclesiam pertinent ibidem collocaverit, et mulierum frequentationem inibi fieri permiserit, vel (quod turpius est) tales mulieres ibidem habuerit, quæ lanificium suum exerceant, et curam domus agant, et in eadem presbyter frequenter veniens manserit, et contra decreta canonum hoc malum agat, quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine presbyter fœnus exercere debet, multo minus fraudem facere de facultatibus ecclesiasticis, quando hoc sacrilegium est, et pars criminis [par crimen] A Judæ sit, qui sacras oblationes asportabat et furabatur.

Cap. 97. — *Parochias unicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas, perpetua firmitate inconvulsas permanere debere. Gelas. Max. et Eus. episcopis.*

(16, *q.* 3, *c. Licet regulis.*) Licet regulis contineatur antiquis, parochias unicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas, nulla posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente ubique universalis confusio nasceretur : tamen etiam decretis nostris ante non multum temporis destinatis, omnia jussimus quæ taliter fuerant invasa restitui. Sed quia temeritas pervadentium, legem sibi putat posse generari : si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat, ea quæ inter fratrem et coepiscopum nostrum Constantium Camiscanæ ecclesiæ sacerdotem, et directos ab Anconitano pontifice decrevimus, per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cognitionibus, quæ sit sequenda perscripsimus. Nulla igitur præsumptione statum parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia neque negligentia pontificis, neque temporalis objectio, quæ per incuriam forte generatur, nec ignavia faciente consensus, nec subripiente supplicatione præceptio divellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad generationem atque consignationem plebs devota convenit.

C Cap. 98. — *De compositione sacrilegii, et quot modis sacrilegium fieri possit. Joannes octavus in libro Gothicæ legis.*

Joannes episcopus servus servorum Dei omnibus episcopis, comitibus, vicecomitibus, centenariis, judicibus catholicis, in Hispania et Gothia, et provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, salutem et apostolicam benedictionem. Noveritis, dilectissimi filii, quia nos pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ jussimus congregari synodale concilium, apud urbem Trecas, ubi sedentibus nobis in corona, venit ante præsentiam nostram filius noster Sineboldus sanctæ primæ sedis Narbonensis episcopus, cum suis suffraganeis episcopis, et detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de sacrilegiis, et in eisdem legibus scriptum, ut causæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a judicibus illius patriæ, atque ita jus sanctæ Ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ, et Hispaniæ provinciis. Unde nostra serenitas cum præscriptis episcopis inspectis legibus Romanis ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Justiniano imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcepimus esse tenendam, quæ a Carolo est constituta pio principe, de compositione sacrilegii, videlicet in triginta libras argenti examinati : id est, sexcentorum solidorum summam argenti purissimi; ideoque quisquis inventus fuerit reus sacrilegii, istam leniorem compositionem emendet ipsis episcopis vel ab

Introdusă în format electronic de Google

batibus sive personis, ad quos querimonia sacrilegii juste pertinuerit, et si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tandiu excommunicationi subjaceat, usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum psalmis et hymnis non deferatur ad sepulturam; et præcipimus, ut in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex. *Huc usque lex papæ.* Sacrilegium enim committitur, si quis infregerit ecclesiam, vel triginta ecclesiasticos passus qui in circuitu ecclesiæ fuerint: vel in domibus quæ infra prædictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo vel auferendo, seu qui injuriam vel ablationem rerum intulerit, clericis arma non ferentibus vel monachis, sive Deo devotis hominibus, ecclesiasticis personis. Non enim capellæ quæ infra ambitum murorum castellorum sunt, mittuntur, vel ponuntur in hac observatione. Similiter etiam sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro. Non sacrum vero de non sacro, quia non potest computari in crimine sacrilegii, secundum mundanarum legum censuram debet emendari, vel secundum morem patriæ.

CAP. 99. — *De duobus episcopis altercantibus de parochia cujusdam basilicæ, et quod tricennalis quieta possessio omnem objectionem excludat.*

(16, *q.* 3, *c. Inter memoratos.*) Inter memoratos fratres nostros Fulgentium Astigitanum et Honorium Cordubensem episcopum discursio agitata est propter parochiam basilicæ cujusdam, quam horum alter Celtasensem asseruit. Et quia inter utrasque partes hactenus limitis actio vindicata est, cujus quamvis vetusta retentione nullum juris præjudicium afferret: ideoque ne in dubium ultra inter eos nostra devocaretur sententia, prolatis canonibus, synodalia decreta perlecta sunt: quorum auctoritas præmonet ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos usurpet alienos. Ob hoc placuit inter alternas partes inspectionis viros mittendos, ita ut diœcesis possidentis (si tamen basilicam, veri signi limes provisus monstraverit) ecclesiæ cujus est jus retentionis, sit æternum dominium. Quod et si limes legitimus eamdem basilicam non concludit, et tamen longi temporis probatur objecta præscriptio, appellatio præsentis episcopi non valebit, quia illi tricennalis objectio silentium imponit. Hoc etiam et sæcularium principum edicta præcipiunt et præsulum Romanorum decrevit auctoritas. Si vero infra metas tricennalis temporis extra alios terminos basilicæ injusta retentio reperitur, repetentis episcopi juri sine mora restituetur.

CAP. 100. — *Quid immunitatis nomine comprehendatur, et quæ sit infractæ immunitatis compositio. Ex libro Capitulorum.*

Pervenit ad nos quod a quibusdam temeratoribus dicatur non plus immunitatis nomine complecti, quam claustra monasterii: cætera vero quamvis ad easdem ecclesias vel monasteria pertineant, extra A immunitatem esse. Propter hoc volumus atque decernimus, ut omnes intelligant non solum claustra monasterii vel Ecclesiæ, atque castitia ecclesiarum sub immunitatis defensione, consistere, verum etiam domus, et villas, et septa villarum, et piscatoria manufacta: et quidquid fossis aut sepibus, vel etiam alio clausarum genere nomine præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Et quidquid infra hujusmodi munimenta ad jus earumdem ecclesiarum vel monasteriorum pertinentia, a quolibet homine nocendi, vel damnum inferendi causa, spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta judicatur. Quod vero in agros, et campos, et silvas, quæ sine laborationibus sunt, et nullo modo munitione cinguntur, casu (sicut fieri solet) a quibuslibet B hominibus aliquod damnum factum fuerit, quamvis idem ager, aut campus, vel silva ad ecclesiam vel monasterium præceptum immunitatis habentem pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta judicatur: et ideo non sexcentorum solidorum compositione, sed secundum legem quæ in eodem loco tenetur is multandus est, qui scandalum vel damnum in tali loco fecisse convictus fuerit.

CAP. 101. — *Nullum pretium pro loco sepulturæ aliquo modo exigendum esse. Gregorius Januario episcopo Sardiniæ* (*lib.* VII *Registri, epist.* 55).

(13, *q.* 2, *c. Quæsta.*) Prave nimis et procul est a sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium, et nos postquam Deo C auctore ad episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra omnino vetuimus: et pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus, memores quia dum Abraham a filiis Ephron, hoc est a filiis Seor, sepulcrum pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus (*Gen.* XXIII). Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? unde ne hoc avaritiæ vitium, vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius, vel proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte quid D offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi omnino prohibemus: ne quod valde irreligiosum est, aut venalis (quod absit) Ecclesia dicatur, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quolibet modo compendium quærere.

CAP. 102. — *Ne laici presbyteros ab ecclesiis ad quas denominati sunt, expellere audeant. Carolo regi Leo tertius.*

Contra sanctorum Patrum censuras videtur existere, si sæcularis homo vel laicus, presbyteros ab ecclesiis in quibus tempore ordinationis eorum denominati, vel introducti fuerunt, nitatur expellere.

CAP. 103. — *Quod non liceat presbyteris, contempto*

Introdusă în format electronic de Google

episcopo, se ab ecclesiis suis segregare, et alias privatim vivere. Ex concilio Antiocheno, cap. 5.

Si quis presbyter aut diaconus, contempto episcopo seipsum ab ecclesia segregaverit, et privatim apud se collectis populis altare erigere ausus fuerit; et nihilominus episcopo suo exhortante, et semel, et iterum revocante inobediens exstiterit, hic modis omnibus deponendus est, nec aliquando consequi curationem aut proprium honorem recipere speret. Quod si etiam perseveraverit perturbans cunctam Ecclesiam, per potestatem quæ foris est, tanquam seditiosum corripi oportet.

Cap. 104. — *De confiniis cœmeteriorum, id est quot passus habere debeant. Nicolaus papa, omnibus episcopis.*

(17, *q.* 4, *c. Sicut antiquitus.*) De confiniis cœmeteriorum sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus : ita ut major ecclesia per circuitum sexaginta passus habeat : capellæ vero vel minores ecclesiæ triginta. Qui autem confinium eorum confringere tentaverit, aut personam hominis vel bona ejus inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit, quousque emendet, et quod rapuerat reddat, excommunicetur.

Cap. 105. — *Non oportere subdiaconos sacrarium ingredi et contingere vasa Dominica, cap.* 21.

Quoniam non oportet subdiaconos licentiam habere in secretarium sive sacrarium quod Græci diaconion vocant, ingredi, et contingere vasa Dominica.

Cap. 106.—*Quod oporteat parochias rusticanas infra terminum ejus episcopi permanere, qui eas per triginta annos gubernavit. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 16.

(16, *q.* 3, *c. Per singulas.*) Per singulas ecclesias rusticanas parochias sive possessiones manere immobiles apud eos qui eas retinent episcopos, decrevimus : et maxime, qui eas sine violentia jam per triginta annos tenentes gubernaverunt, Si vero intra triginta annos facta fuerit, aut fiat de his altercatio, licere eis qui se dixerint læsos, propter eas movere apud synodum provinciæ certamen. Si quis vero se putat a proprio metropolitano gravari, apud primatem diœcesecos, vel apud Constantinopolitanæ civitatis sedem, agat judicium, sicut dictum est. Si vero quælibet civitas per auctoritatem imperialem renovata est, aut si renovetur in posterum civilibus et publicis ordinationibus etiam ecclesiarum parochianarum, sequatur ordinatio.

Cap. 107. — *De his qui ad ecclesiam pro reatibus suis confugiunt, quod non sunt abstrahendi, nec de ecclesia vel de ecclesiasticis officinis, vel de atrio, vel de domo episcopi, vel a claustro : nec alicui reconsignari debent, nisi accepta securitate de morte et debilitate.*

(*Conc. Aurelian.* I, *cap.* 3, 17, *q.* 4, *c. Id constituimus.*) In synodo Aurelianensi prima sub Clodoveo rege in qua sederunt episcopi viginti quatuor de his qui ad ecclesiam pro reatibus suis fugiunt, id constitutum est observandum, quod antiqui canones decreverunt, et lex Romana constituit : ut ab ecclesiæ atriis, vel a domo episcopi, vel a claustro, quia hæc pro immunitate habentur, eos abstrahere omnino non liceat, sed nec alteri consignare, nisi ad evangelia datis sacramentis de morte, et debilitate, et omni pœnarum genere sint securi : ita ut ei cui reus fuerit criminosus consignatus, de satisfactione conveniat. Quod si quis sacramenta sua convictus fuerit violasse, reus perjurii, non solum a communione ecclesiæ, vel omnium clericorum, verum etiam a catholicorum convivio separetur. Quod si is cui reus est, noluerit sibi intentione faciente componi, et ipse reus de ecclesia actus timore discesserit, ab ecclesiæ clericis non requiratur.

Cap. 108. — *De raptore qui cum rapta ad ecclesiam confugerit. Ex eodem, cap.* 4.

(36, *q.* 1, *c. De raptoribus.*) De raptoribus autem *f*eminarum id constituendum esse censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit, et feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, et parentibus reddatur: et raptor, mortis vel pœnarum impunitate concessa, liberam habeat eundi facultatem. Si vero parentes mulieris ecclesiasticis viris obedire noluerint, excommunicentur.

Cap. 109. — *De servo qui pro qualibet culpa a domino suo ad ecclesiam confugerit. Ex eodem, cap.* 5.

(17, *q.* 4, *c. Id constituimus.*) Servus qui ad ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si a domino pro commissa culpa ecclesiasticum sacramentum susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur. Et postquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus, si aliquid pro eadem culpa qui accusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu Ecclesiæ, et prævaricatione [privatione] fidei, a communione, vel convivio catholicorum, sicut superius comprehensum est, extraneus habeatur. Si vero servus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramentum domini sui clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

Cap. 110. — *De eadem re. Ex concilio Chalcedon., cap.* 5.

Similiter in Matiscensi synodo decretum est, ut hi qui fugiunt suos inimicos, aut in ecclesiam, aut in atrium ecclesiæ, aut in domum episcopi, aut in claustrum regularium, non inde abstrahantur, nisi prius supra sacra securitate accepta a persecutoribus, de morte, de debilitate, et omni pœnarum genere sint securi : etiam si servi sint illorum qui persequuntur eos, ita ut ei cui rei criminosi fuerint, de satisfactione conveniat. Quod si is qui super sacra prius juraverat, convictus fuerit juramentum violasse, reus perjurii a communione privetur quousque satisfaciat.

Cap. 111. — *Item de eodem. Ex concilio apud Theodonis villam, cap* 11

(17, *q.* 4, *c. Reum ad ecclesiam.*) Servum confugientem ad ecclesiam, seu in atrium ecclesiæ, aut in officinas regularium fratrum, vel in curtem, aut in domum episcopi, quia hæc in antiquis canonibus pro immunitate tenentur, nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, et

Introdusă în format electronic de Google

honor Dei et sanctorum ejus præ omnibus conservetur : sed rectores ecclesiarum pacem et vitam, et membra ejus cum juramento obtinere studeant, tamen legitime componat quidquid inique fecerat, et si insecutor magistris Ecclesiæ obedire noluerit canonice constringatur.

CAP. 112. — *Item de eadem re. Ex concilio Arausico, cap.* 5.

Eos qui ad ecclesiam confugerint tradi non debere, sed loci reverentia, et intercessione defendi. Si quis autem clericorum mancipia, pro suis mancipiis ad ecclesiam confugientibus, crediderit occupare : per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur.

CAP. 113 — *De immunitate ecclesiæ. Ex concilio Triburiensi, cap.* 6.

(17, *q.* 4, *c. Si quis in atrio.*) Si quis in ecclesiæ atrio pugnam committit, aut homicidium facit, quidquid pro immunitate violata emendandum est, altario solvatur, cujuscunque fuerit ecclesia illa.

CAP. 114. — *De fugientibus ad ecclesiam. Ex concilio Mediomatricis, cap.* 2.

(17, *q.* 4, *c. Si quis contumax.*) Si quis contumax vel superbus timorem cleri, vel reverentiam ecclesiarum non habuerit, et fugientem servum suum, vel quem persecutus fuerit, de atrio ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo ecclesiæ adhærentibus, per vim abstraxerit : pro immunitate DCCCC solidos episcopo componat : et ipse publica pœnitentia juxta judicium episcopi multetur, ut sit honor Dei et reverentia sanctorum, et Ecclesia Dei semper invicta permaneat.

CAP. 115. — *Quod servi fugientes dominos suos ad ecclesiam, intercessionem debent quærere, non latebras. Gelasius* [*Gregorius*] *Bonifacio episcopo.*

(17, *q.* 4, *c. Metuentes.*) Metuentes famuli dominos, si ad ecclesiæ septa confugerint, intercessionem debent quærere, non latebras : ne hæc ipsa præsumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius enim noster vir spectabilis Petrus queritur servum suum in ecclesia Sancti Clementis diutius commorari, cui cum deputasset sacramenta præstari, illum egredi nulla ratione voluisse. Et ideo directos supradicti hominis de præsenti cum eo quem elegerit, esse mittendos, qui cum de impunitate ejus sacramenta præbuerint, eum statim facies ad dominum suum modis omnibus remeare : aut si in hac pertinacia forte perstiterit, post sacramentum sibi præstitum, reddatur invitus.

CAP. 116. — *De eodem. Idem Petro subdiacono Campaniæ.*

Mancipia si qua in monasterium Sancti Severini, vel in aliam ecclesiam de civitate refugerint, mox ut ad notitiam tuam pervenerit, nullo modo ea illic inmorari permittas : sed intra civitatem in ecclesiam revocentur, et si justam contra dominos suos querelam habuerint, congrua ordinatione de ecclesia exire necesse est : si vero venialem culpam commiserint, dominis suis, accepto de venia sacramento, sine mora reddantur.

CAP. 117. — *Ut nullus clericorum servum vel discipulum suum ab ecclesia extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Ex Ilerdensi concilio, cap.* 8.

(17, *q.* 4, *c. Nullus clericorum.*) Nullus clericorum servum aut discipulum suum ad ecclesiam fugientem, extrahere audeat, vel flagellare præsumat : quod si fecerit, donec digne pœniteat, a loco cui honorem non dedit, segregetur.

CAP. 118. — *Ne quis mancipia clericorum pro suis ad ecclesiam profugis occupare audeat. Ex concilio Arausicano, cap.* 6.

Si quis mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, districtissima damnatione per omnes ecclesias feriatur. *Ex Codicum libro* VI, *cap.* 1, *titulo* 4. Quicunque fugitivum servum in domo vel in agro, inscio domino ejus, susceperit, cum compari alio, vel viginti solidis reddat.

CAP. 119. — *Ut episcopi eos indignos accessu ecclesiæ judicent, qui eas violaverint. Gelasius Epiphanio episcopo.*

Ad episcopos cæteros direximus jussionem ut eos qui ecclesias violasse perhibentur, accessu earum judicent esse non dignos.

CAP. 120. — *De eadem re. Gelasius Victori Constantino, Martirio, Felicissimo, Sereno et Timotheo episcopis.*

(17, *q.* 4, *c. Frater et coepiscopus.*) Frater et coepiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggessit, Benenatum et Maurum Beneventanæ municipes civitatis, in contumeliam religionis acerba nimis et plectibili contumacia prosiluisse : qui confugientem ad ecclesiæ septa curialem suum, ne illic quidem tutum, aut de injuria securum esse siverunt, ausi irruptione temerariæ mentis admittere, quod nec potestatibus quidem vel principibus unquam licuit perpetrare, ut hominem in sanctuariis constitutum, captata sacerdotis absentia, reluctantem reclamantemque violenter abstraherent ; quos quantum nobis sua suggestione patefecit, merito indignos esse sacra communione judicavit. Et si revera tanti facinoris constat admissum, nostra etiam auctoritas in hac parte consentit. Nec enim ad supplicandum jure debet admitti, ubi admittere sacrilegium non dubitavit. Nullus etenim intra limina tantæ venerationi deputata utrumque sibi licere existimet, pro suæ voluntatis arbitrio, ut et humilitatem sibi vindicet et furorem. Et ideo, fratres charissimi, supra dictos, si manifesta reos facit conquestio, ab omnibus parochiarum vestrarum ecclesiis nostræ præceptionis auctoritate prohibete : ut non solum hi, qui in injuriam sanctorum locorum prosiluisse probabuntur, merito consequantur pro facti sui qualitate vindictam, verum etiam cæteri a tali præsumptione ultionis istius timore revocentur.

CAP. 121. — *Item de eadem re. Ex concilio Toletano, cap.* 12 (*Tolet.* XII *cap.* 10).

(17, *q.* 4, *c. Definivit.*) Pro his qui quolibet metu vel terrore ecclesiam appetunt, consentiente pariter

Introdusă în format electronic de Google

et jubente Domino nostro Ervigio rege, hoc sanctum concilium definivit: ut nullus audeat confugientes ad ecclesiam residentes inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis vel damni seu spoliationis residentibus in loco sancto, inferre: sed esse potius his ipsis qui ecclesiam petunt per omnia licitum in triginta passus ab ecclesiæ januis progredi, in quibus triginta passibus uniuscujusque ecclesiæ in toto circuitu reverentia defendantur [defendatur], sic tamen ut hi qui confugiunt ad eam in extraneis, vel longe separatis ab ecclesiæ domibus, nullo modo abscedant, sed in hoc triginta passuum numero, absque domorum extranearum receptaculo progredientes, aditum obtinebunt, ut ad inquisitæ naturæ usum debitis exeant locis, et nullo teneantur eventu necessitudinis qui se Dominicis defendendos commiserint claustris. Si quis autem hoc decretum violare tentaverit, ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, et severitatis regiæ feriatur sententia. Ipsos tamen qui ad ecclesiam confugium fecerunt, si juxta priscorum canonum instituta, hi qui eos repetunt sacramenta reddiderint, et sacerdos ecclesiæ ipsius ab ecclesiæ non abstraxerit foribus, aut fuga talium si evenerit, sacerdoti quærenda est, aut damnorum sententia secundum electionem principis hujusmodi sacerdotibus irroganda.

Cap. 122. — *Interdictio communionis facta in Bonifacium episcopum, nisi cito ecclesiæ restituat quem inde rapuit. Beati Augustini ad Bonifacium epistola* (*ep.* 187).

(17, *q.* 4, *c. Miror.*) Dilectissimo et spectabili viro filio Bonifacio Augustinus episcopus. Miror quomodo tam subito fidei murum aries ruperit inimici. Novi enim qua religione semper sis Ecclesiam Dei veneratus. Quo instigante facinore [facere ausus es?] hominem de Ecclesia rapuisti? Tuus si de tuo amico forte præsumeret, fugitivus, posset procul dubio intercessoris causa veniam promereri. Ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, Nabuchodonosor regem intende qui causa superbiæ in bovem est ex homine commutatus (*Daniel.* IV). Non ut confundam te hæc scribo, sed ut filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti. Oblatio vero domus tuæ a clericis ne suscipiatur interdixi [indixi]. Communionemque tibi interdico, donec peracta pro ausibus vel errore a me definita tibimet pœnitentia, et tempore condonato pro hoc facto, corde contrito et humiliato dignum offeras sacrificium Deo.

Cap. 123. — *Quod reus ad ecclesiam fugiens accepta securitate mortis et debilitatis, quæ inique gessit, legitime componere debeat. Ex libro capitulorum* (*l.* V, *c.* 90).

(17, *q.* 4, *c. Reum ad ecclesiam.*) Reum ad ecclesiam fugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor ecclesiarum conservetur: sed rectores pacem ei et vitam et membra obtinere studeant; tamen legitime componat quod inique fecit.

Cap. 124. — *Qui monasterium infringunt, et inde aliquid subtrahunt, sublatum nonies componere debeant, et immunitatem tripliciter. Ex decretis Joannis papæ, cap.* 10.

Ut hi qui monasteria, et loca Deo sacrata et ecclesias infringunt et deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, damnum nonies componant, et immunitatem tripliciter, et velut sacrilegi canonicæ sententiæ subjugentur.

Cap. 125. — *De his qui domum Dei contemptibilem ducunt. Ex Moguntiensi concilio, cap.* 7.

(*Dist.* 30, *c. Communione.*) Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem, et possessiones Deo sacratas, atque in honorem Dei sub regiæ immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetraverit, quasi invasor et violator ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei vivi, a communione omnium fidelium abscidatur.

Cap. 126. — *De excommunicatione eorum. Ex concilio Arausicano.*

(11, *q.* 3, *c. Canonica instituta.*) Canonica instituta et sanctorum Patrum exempla sequentes, ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei et judicio sancti Spiritus, a gremio sanctæ matris Ecclesiæ, et a consortio totius Christianitatis eliminamus quousque resipiscant, et ecclesiæ satisfaciant.

Cap. 127. — *De pœnitentia eorum qui ecclesias incendunt. Ex decretis Julii papæ.*

(17, *q.* 4, *c. Si quis.*) Si quis ecclesiam igne comburit, quindecim annos pœniteat, et eam sedule restituat, et pretium suum pauperibus distribuat.

Cap. 128. — *De ministris altaris. Ex Laodicensi concilio, cap.* 21.

(*Dist.* 42, *c. Non oportet.*) Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos ad agapen vocatos partes tollere, propter injuriam quæ ex hac occasione ecclesiastico ordini poterit deputari.

Cap. 129. — *Quod presbyteri parochiani dum ordinantur, libellum officialem a sacerdote suo accipere debeant. Ex Toletano concilio* IV, *cap.* 26.

(*Dist.* 38, *c. Quando presbyteri.*) Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a sacerdote suo accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis sacramentis offendant: ut quando ad litanias, vel ad concilium venerint, rationem suo episcopo reddant, qualiter susceptum officium celebrent vel baptizent.

Cap. 130. — *Presbyteros aut diaconos quando per parochias constituuntur, professionem episcopo suo facere oportere. Ex concilio Toletano* IV, *cap.* 26.

(*Dist.* 28, *c. Quando presbyteri.*) Quando presbyteri aut diaconi per parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub Dei timore, ut dum eos tali professione obligaverit, sanctam disciplinam retineant.

Cap. 131. — *Ut quicunque episcopus diœcesim alterius per triginta annos sine aliqua interpellatione*

Introdusă în format electronic de Google

possederit, eam teneat. Ex concilio Toletano IV, *cap.* 33.

(16, *q.* 3, *c. Quicunque.*) Quicunque episcopus alterius episcopi diœcesim annos triginta sine aliqua interpellatione possederit, eam teneat; quia secundum jus legis ejus videtur esse diœcesis, et admittenda non est contra eum actio reposcendi, sed hoc intra unam parochiam, extra vero nullo modo, ne dum diœcesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

CAP. 132. — *De exactione ecclesiarum Galatiæ provinciæ. Ex Toletano concilio, cap.* 4.

Non amplius quam duos solidos unusquisque episcoporum privatæ provinciæ, per singulas diœceses, vel singulas ecclesias, juxta synodum Bracarensem annua illatione sibi exspectet inferri : monasteriorum tamen basilicis ab hac solutionis expensione sejunctis. Cum vero episcopus diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius quam una die per unamquamque remorandi licentiam habeat. Quicunque vero pontificum eorumdem aliter quam decernimus agendum præsumpserit, correctioni procul dubio canonum subjacebit, tanquam constitutionum synodalium transgressor, et priscorum Patrum edicti corruptor.

CAP. 133. — *Ne dum parochias suas peragrant episcopi, tyrannidem exerceant, sed cum charitate stipendia exigant. Ex Cabilonensi concilio* II, *cap.* 24.

(10, *q.* 3, *c. Cavendum est.*) Cavendum sane est, ne cum episcopi parochias suas peragrant, quamdam non solum erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant : nec (quod absit) non cum charitate, sed cum quadam jactantiæ temeritate : nec cum gratiarum actione, sed cum quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. Observandum etiam modis omnibus est, ut si quando eis peragrandæ parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum potius, quam deprædandis et spoliandis hominibus et scandalizandis fratribus, operam dent; et si quando eis ad peragendum ministerium suum a fratribus aut a subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere observare debent, ne quem scandalizent aut gravent. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut et verbi Dei prædicator ubi sumptus proprii desunt, a fratribus accipiat ; et iidem fratres illius potentia non graventur, exemplo apostoli Pauli qui ne quem gravaret, arte et manibus victum quærebat (*II Thess.* III).

CAP. 134. — *Quod archidiaconi super presbyteros parochianos nullam dominationem tyrannicam exercere debent. Ibidem, cap.* 15.

(*Dist.* 94, *c. Dictum est.*) Dictum est etiam quod in plerisque locis archidiaconi super presbyteros parochianos quamdam exercent dominationem, et ab eis exigant censum : quod magis ad tyrannidem quam ad rectitudinis fortitudinem pertinet. Si enim, juxta apostoli sententiam, episcopi non debent esse dominatores in clero, sed forma facti gregis ex animo (*I Petr.* V); multo minus isti hoc agere debent, sed contenti sint regularibus disciplinis, et teneant propriam mensuram, et quod eis ab episcopis injungitur, hoc per parochiam exercere studeant, nihil per cupiditatem et avaritiam præsumentes.

CAP. 135. — *Quod jurejurando in contentione obtinere debet, qui possessor rei inventus fuerit. Gelasius Justo episcopo.*

(16, *q.* 3, *c. Dilectio.*) Dilectio tua quæsita omnium fideliter rerum veritate, si de spatiis quibus memoratur orta contentio, definitio dudum certa processit, intemerata servetur : alioquin si nihil unquam constiterit terminatum, nunc de perscriptione temporum, si qua pars dissidet [fidit], præbeat sacramentum; ut tamen quæ hactenus possedisse perhibetur, jusjurandum sinatur offerre.

CAP. 136. — *De episcopis Siciliæ, quid de parochianis suis exigere debeant. Pelagius Cresconio illustri.*

(10, *q.* 3, *c. Illud te modis.*) Illud te modis omnibus volumus custodire, ne quis episcoporum Siciliæ de parochiis ad se pertinentibus nomine cathedratici, amplius quam duos solidos præsumat accipere, neque compellere presbyteros aut clerum parochiarum suarum supra vires suas eis convivia præparare.

CAP. 137. — *Ut clerus qui ab episcopo suo pergravatur, querimoniam ad metropolitanum deferat. Ex Toletano concilio* III, *cap.* 20.

(10, *q.* 3, *c. Quia cognovimus.*) Quia cognovimus episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire, et dum scriptum sit : Forma estote gregi, non ut dominantes in clero (*I Petr.* V), exactiones diœcesi suæ vel damna infligant ; ideoque censemus, excepto, quod veterum constitutiones a parochiis habere jubent episcopos, ut alia quæ illis huc usque præsumpta sunt, denegentur : hoc est, neque in angariis presbyteri aut diacones, neque in aliquibus fatigentur indictionibus, ne videamur in Ecclesia Dei exactores potius quam Dei pontifices nominari. Hi vero clerici tam locales quam diœcesani, qui se ab episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad metropolitanum deferre non differant, et metropolitanus non moretur ejusmodi præsumptiones coercere.

CAP. 138. — *Ut non liceat judicibus clericos vel servos ecclesiæ in suis angariis occupare, cap.* 21.

(12, *q.* 2, *c. Ecclesiarum.*) Ecclesiarum servos, et episcoporum omnium vel clericorum a judicibus vel actoribus publicis in diversis angariis fatigari dolemus : propter quod omne consilium a pietate gloriosissimi Domini nostri Jesu poposcit, ut tales deinceps ausus inhibeat, sed servi supradictorum officiorum in eorum usibus vel ecclesiæ laborent. Si qui vero judicum aut actorum, clericum aut servum clerici vel ecclesiæ, in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, a communione ecclesia-

Introdusă în format electronic de Google

ctica cui impedimentum facit, efficiatur extraneus.

Cap. 139. — *Vitam communem inter omnes Christianos vigere debere, maxime inter eos qui in sortem Domini electi sunt : et quod fideles primo pretium, deinde prædia sua ad sustentationem communiter viventium contulerint. Urbanus in primo decretali suo omnibus Christianis.*

(12, *q.* 1, *c. Scimus vos.*) Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, et adhuc Dei gratia viget, et maxime inter eos qui in sorte Domini electi sunt, id est clericos, sicut in Actibus apostolorum legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri; et gratia magna erat in omnibus illis; neque enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Joseph autem qui cognominatus est Barsabas ab apostolis (quod est interpretatum* filius consolationis) *levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, et attulit pretium, et posuit ante pedes apostolorum* (*Act.* IV), etc. Videntes autem summi sacerdotes atque levitæ, et reliqui fideles plus utilitatis posse afferre, si hæreditates et agros quos vendebant, ecclesiis quibus præsidebant episcopi traderent, eo quod de sumptibus eorum, tam præsentibus quam futuris temporibus plura et elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio eorum, cœperunt prædia et agros quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere, et ex sumptibus eorum vivere. Ipsæ vero res in ditione singularum parochiarum episcoporum, qui locum tenent apostolorum, erant, et sunt usque adhuc, et futuris semper debent esse temporibus. E quibus episcopi et fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res, fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus quam ecclesiasticis, et prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem (quod absit) secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat (*Act.* V), et reus sacrilegii efficiatur, sicut illi fecerunt, qui prædictarum rerum pretia fraudaverunt. Memoratis augmentationibus ac cultibus in tantum Ecclesiæ quibus episcopi præsident, Domino adminiculante creverunt, et tantis maxima pars earum abundat rebus, ut nullus sit in eis communem vitam degens, indigens, sed omnia necessaria ab episcopo suisque ministris percipit : ideo ut si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur.

Cap. 140. — *Qui res ecclesiarum et oblationes fidelium abstulerit, in patrem Dominum, et matrem Ecclesiam peccat, et ideo a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ pellendus est. Lucius I papa in primo decreto suo, omnibus episcopis tam Gallis, quam Hispanis.*

(6, *q.* 1, *c. Sapiens non est*). Sapiens non est omnis qui nocet. Res quoque ecclesiarum nostrarum et oblationes fidelium, quas significastis a quibusdam irruentibus vexari, nobisque et ecclesiis nostris auferri, indubitanter maximum est peccatum, testante Scriptura quæ ait (12, *q.* 2, *c. Qui abstulerit*) : *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, et dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est* (*Prov.* XXVIII) Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, et mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter generavit. *Item.* Hæc fieri prophetæ, hæc apostoli, hæc successores eorum, et omnium catholicorum patrum vetant decreta, et tales præsumptiones sacrilegia esse dijudicant. (17, *q.* 4, *c. Omnes raptores.*) Quorum nos sequentes exempla', omnes tales præsumptores, et Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, una vobiscum a liminibus sanctæ matris ecclesiæ anathematizatos, apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Et non solum eos, sed omnes consentientes eis : quia *non solum qui faciunt*, rei judicantur, *sed etiam qui facientibus consentiunt* (*Rom.* I). Par enim pœna et agentes, et consentientes comprehendit.

Cap. 141. — *Pro necessitate temporum diligenti consideratione temperanda esse decreta Patrum. Ex generalibus decretis Gelasii papæ, cap.* 1 (*ep.* 1).

(1, *q.* 7, *c. Necessaria rerum.*) Necessaria rerum dispositione [dispensatione] constringimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri : ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus.

Cap. 142. — *Ut cum nulla magna necessitas urget, instituta Patrum inconvulsa permaneant. Idem cap.* 2.

(*Dist.* 55, *c. Priscis.*) Priscis igitur pro sua reverentia manentibus institutis quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri : eatenus ecclesiis quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usque adeo despoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam instituendi quam promovendi clericalis obsequii, sic spatia dispensanda concedimus.

Cap. 143. — *De examinando eo qui ad clericale munus accedit. Idem cap.* 3.

(*Dist.* 77, *c. Si quis de.*) Ut si quis etiam de religioso proposito, et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedit, in primis ejus

Introdusă în format electronic de Google

vita præteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam fortasse non habuerit uxorem, nec a marito relictam [rejectam] sortitus ostenditur.

Cap. 144. — *Jure sibi vindicari, quidquid tricennanali lege concluditur. Idem.*

(*Idem habetur infra c.* 147.) Gelasius Romanæ Ecclesiæ episcopus fratribus qui in Sicilia sunt constituti. Illud etiam annecti placuit, ut si (quod absit) facultates Ecclesiæ nec non et diœceses ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis lex concludit. Quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quos legum tempus exclusit.

Cap. 145. — *Captivos redimendos de rebus ecclesiasticis. Gregorius Demetrio* [*Demetriano*] *et Valeriano clericis Firmianis* (*lib.* VII *registri*, *epist.* 14).

(12, *q.* 2, *c. Sacrorum.*) Sacrorum canonum instituta, et legalis permittit auctoritas, licite res ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi. Et ideo quia edocti a vobis sumus, annos fere decem et octo virum reverendissimum quemdam Fabium episcopum Ecclesiæ Firmianæ pro redemptione vestra, ac patris vestri Passivi fratris et coepiscopi nostri, tunc vero clerici, nec non matris vestræ libras argenti undecim eadem ecclesia hostibus impendisse, atque vos ex hoc quamdam habere formidinem, ne hoc quod datum est a vobis quolibet tempore repetatur. Hujus præcepti auctoritate suspicionem vestram prævidimus auferendam, constituentes nullam vos exinde, hæredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere, nec a quoquam vobis aliquam objici quæstionem.

Cap. 146. — *De non repetenda possessione per quadraginta annos ab alio possessa. Gregorius Petro subdiacono.*

(16, *q.* 4, *c. Volumus accedentem.*) Si monasterium sancti Theodori, fines de quibus causatio mota est, inconcussis quadraginta annis, possedisse repereris, nullam deinceps, etiamsi quid Romanæ Ecclesiæ competere potuit, patiaris sustinere calumniam, sed quietem eorum modis omnibus procura.

Cap. 147. — *Episcopos facultatem ecclesiarum administrare debere, viduis, pupillis, pauperibus et clericorum stipendia distribuere : sibi vero nihil inde vindicare, nisi quod ad proprios usus tricennaria lege pertinet.* (*Gelasius, ep.* 2 *ad Siculos, c.* 1.)

Gelasius Romanæ Ecclesiæ episcopus, dilectissimis et in Christo unanimi charitate connexis fratribus episcopis qui in Sicilia sunt constituti. (16, *q.* 3, *cap. Præsulum.*) Quomodo præsulum nostrorum auctoritas emanavit, ut facultates ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem : ita tamen ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, nec non et clericorum stipendia distribuere debeant, hoc eis statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut sicut antea diximus peregrinorum atque captivorum largitores esse possint. Illud quoque adnecti placuit, ut si (quod absit) facultates ecclesiæ et diœceses ab aliquibus possideantur epicopis, jure sibi vindicent, quod tricennaria lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legem tempus exclusit.

Cap. 148. — *Nullo obstaculo ante tribunal Christi muniri, qui substantiam ad usus pauperum derelictam contra fas dispergit : et quod anathemate feriatur, quicunque res ecclesiæ confiscare, vel competere, vel periculosa, aut sæva infestatione pervadere præsumpserit. De* VI. *syn Symmachi papæ.*

Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. (19, *q.* 1, *c. In canonibus.*) Similiter et hoc ad omnium ecclesiarum notitiam vestra cunctorum exhortatione, et judicio, censemus pervenire, et ab omnibus firmiter teneri, quia episcoporum res ecclesiæ esse non dubitantur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, pervasores rerum memoratarum, prædicta canonum districtione feriantur : ut qui moribus propriis ac nulla conscientiæ castigatione corriguntur, saltem ecclesiasticæ, et canonicæ vindictæ perfodiantur aculeis. Generaliter vero quicunque res ecclesiasticas confiscare, aut competere, aut pervadere periculosa aut sæva infestatione præsumpserit, nisi se citissime per ecclesiæ de qua agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter et hi qui res Ecclesiæ jussu vel largitione principum, vel quorumdam potentum, aut quadam invasione, aut tyrannica potestate retinuerint, et filiis vel hæredibus suis, ut a quibusdam jam factum audivimus, quasi hæreditarias reliquerint, nisi cito res Dei admoniti a pontifice, agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes chartarum, quam defensores rerum creditarum, ut præceptum est, judicemur.

Cap. 149. — *De pervasoribus rerum alienarum. Joannes papa Zachariæ archiepiscopo.*

(12, *q.* 2, *c. In antiquis.*) Est etiam in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, ut qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde et in Evangelio scriptum est : *Quod si aliquid defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX). Et in legibus sæculi cautum habetur : Qui rem subripit alienam illi cujus res direpta est, in undecuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege divina legitur : *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, et dicit omnis populus : Amen* (*Deut.* XXVII). Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua damnatione.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 150. — *De his qui ecclesiastica privilegia calcare contendunt. Gelasius Majorico, Sereno et Joanni episcopis.*

(12, *q.* 2, *c. Qui et humanis.*) Qui et humanis legibus in civili damnatione calcatis, et reverentia religionis abjecta, vel ecclesiastica privilegia calcare contendunt, vel ubilibet in pauperum prosilire dispendium, nec hujusmodi saltem commoniti convictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, omnino divini muneris sunt participatione privandi, ut hujus perceptione careant, quod sacras leges habuere despectui

CAP. 151. — *Quod eptscopo nullo commento liceat res ecclesiæ alienare et quod privilegia omni ratione integra convenit servari. Gelasius Justino archidiacono, et Fausto defensori.*

(12, *q.* 2, *c. Vulteranæ.*) Volatoranæ [Wulteranæ] Ecclesiæ actus vel patrimonium, quod hactenus comperimus destitutum, vel post damnationem Eucharisti quo fuerat depravante dispersum, curæ vestræ decrevimus esse delegandum, ut diligentia, qua vos pro ecclesiæ utilitatibus existimamus esse vigilantes, prædia culturæ restituatis antiquæ : revocetis si qua sunt vendita aut donata mancipia, possessiones etiam quæ ab Eumatio et Oppilione episcopis vel cæteris quovis jure videritis teneri (quia contra constituta synodi, ab episcopo prædia alienari nullo potuerunt commento), nihilominus revocentur. Sit emptoribus ad eum recursus, qui præsumpsit aliquid de Ecclesiæ rebus illicita venditione distrahere : ita ut pensiones annuas ad pontificem deferatis, cui privilegia sua integra convenit omni ratione servari, ut ejus dispensatione portiones proveniant consuetæ : ita ut portionem quartam quæ ad eos pertinet, sua pontifex ordinatione distribuat, prout cujusque locum meritumque cognoscit. Pariter etiam ex fidelium oblatione faciendum, ut quartam clericis eroget, pro consideratione suæ electionis, antistes : fabricarum etiam portio episcopo sciente et disponente, vestra erogatione pendatur, quatenus nihil penitus in detrimentum alicujus rei patiamini generari. Si quod vero in Ecclesiæ vestræ damnum, aut in his quæ sunt præceptionis nostræ prohibita, pontificem vestrum videritis admittere, mox nostris auribus relatione signate, ut quid fieri debeat censeamus. Decimas justo ordine non tantum nobis, sed majoribus visum est, plebibusque tantum ubi sacrosancta dantur baptismata, deberi.

CAP. 152. — *De rebus quæ semel Deo consecratæ et contributæ sunt, quod nullorum principum concessione invadendæ et diripiendæ sunt. Nicolaus Adoni Viennensi archiepiscopo.*

(12, *q.* 2, *c. De rebus.*) De rebus quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum, a quibusdam invaduntur atque diripiuntur : sancimus, ut prius consulto principe ad resecandum præsumptivam factionem, et cognoscendum, utrum illius sit concessio, an invasoris præsumptio. Quod si principis inordinata fuerit largitio, ipse sit princeps pro emendatione redarguendus.

CAP. 153. — *De rebus Ecclesiæ sine consultu Metropolitani episcopi non alienandis. Ex Carthaginensi concilio* V, *cap.* 8.

(17, *q.* 4, *c. Nullus.*) Placuit etiam, ut rem Ecclesiæ nemo vendat. Quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati ecclesiæ, ut cum statuto numero episcoporum utrum faciendum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas ecclesiæ, ut non possit ante consulere; saltem post factum curiositatem habeat, et vicinis episcopis hoc ante indicare, et ad concilium referre has ecclesiæ necessitates. Quod si non fecerit, reus concilii venditor teneatur.

CAP. 154. — *De manumissis, et per testamentum ecclesiæ commendatis. Ex Arausico concilio* I, *cap.* 7.

(*Dist.* 87, *c. Eos qui.*) In ecclesia manumissos, et per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem, vel obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coercebitur.

CAP. 155. — *Quod hi qui oblationes defunctorum retinent, et ecclesiis reddere morantur, quasi necatores egentium Dei judicio deputantur. Ex Vasensi concilio* I, *cap.* 4.

(13, *q.* 2, *c. Qui oblationes.*) Qui oblationes defunctorum retinent, et ecclesiis tradere demorantur, ut infideles, sunt ab ecclesia abjiciendi; quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc pietatis divinæ exacerbationem, quia et fideles de corpore recedentes votorum plenitudine, et pauperes consolatu alimoniæ, et necessaria sustentatione fraudantur : hi enim tales quasi egentium necatores judicio Dei digni habiti sunt. Unde et quidam patrum hoc scriptis suis inseruit, congruente sententia qua ait : Amico quidpiam rapere furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegium. (*Hieron. ep. ad Nepotianum.*)

CAP. 156. — *De clericis qui documenta quibus possessio ecclesiæ firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis tradere præsumpserint. Ex Agathensi concilio, cap.* 26.

(12, *q.* 2, *c. Si quis.*) Si quis de clericis documenta quibus ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere damnabili et punienda obstinatione præsumpserit, quidquid per absentiam documentorum damni ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, et communione privetur. Hi etiam qui in damno ecclesiæ impie sollicitati a traditoribus aliquid susceperint, superiori sententia teneantur.

CAP. 157. — *Ut de monachis nullus monasterium novum nisi permittente episcopo fundare præsumat. Ibidem, cap.* 27.

(18, *q.* (?), *c. De monachis.*) Ut de monachis monasterium novum, nisi episcopo aut permittente aut probante nullus incipere aut fundare præsumat. (16, *q.*

Introdusă în format electronic de Google

1, *c. Monachi vagantes.*) Monachi etiam vagantes, ad officium clericatus, nisi eis testimonium abbas suus dederit, nec in civitatibus nec in parochiis ordinentur. (20, *q.* 4, *c. Monachum.*) Monachum, nisi abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, nullus abbas suscipere aut retinere præsumat; sed ubicunque fuerit abbati suo auctoritate canonum revocetur. Si enim necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et voluntate abbatis præsumat episcopus.

Cap. 158. — *Ut monasteria puellarum longius a monasterio monachorum collocentur. Ibidem, cap.* 28.

(18, *q.* 2, *c. Monasteria.*) Monasteria puellarum longius a monasterio monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur.

Cap. 159. — *Ut libertos legitime factos ecclesia si necesse fuerit tueatur. Ibidem, cap.* 29.

(*Dist.* 87, *c. Libertos.*) Libertos a dominis suis legitime factos ecclesia si necessitas exegerit tueatur. Quod si quis ante audientiam pervadere aut exspoliare præsumpserit, ab ecclesia repellatur.

Cap. 160.— *Ut episcopus licentiam habeat distrahendi terrulas, et vineolas exiguas, ecclesiæ minus utiles. Ibidem, cap.* 45.

(12, *q.* 1, *c. Terrulas.*) Terrulas aut vineolas exiguas ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas, episcopus sine concilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.

Cap. 161. — *Presbyteri aut diaconi non audeant res ecclesiæ sibi creditas commutare, vel vendere, si autem fecerint honore suo depositi, de proprio illud restituant. Ibidem, cap.* 49.

(12, *q.* 2, *c. Diaconi.*) Diaconi vel presbyteri in parochia constituti, de rebus ecclesiæ sibi creditis, nihil audeant commutare, vel vendere, quia res Deo sacratæ esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiæ sibi commissæ, ut superius comprehensum est, alienare præsumant. Quod si fecerint cuncti in concilio, et ab honore depositi, de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt præsumpsisse. (12, *q.* 2, *c. Si quis qualibet.*) Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstulisse, tunc demum istud stare licebit, libertos tamen quos sacerdotes vel diaconi de ecclesia sibi commissa se facere voluerint, actus ecclesiæ persequi jubemus. Quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

Cap. 162. — *Quidquid presbyteri de possessione parochiarum distraxerint, et in comparante et in vendente irritum habendum. Ibidem, cap.* 53.

(12, *q.* 2, *c. Quidquid parochiarum.*) Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici juris possessione dixtraxerit, inane habeatur et vacuum, venditione comparantis et actione vendentis.

Cap. 163. — *De venditionibus quas abbates facere præsumunt. Ibidem, cap.* 56.

(17, *q.* 4, *c. In venditionibus.*) De venditionibus quas abbates facere præsumunt, hæc forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur. Mancipia vero monachis donata, ab abbate non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis dono [otio] potiantur.

Cap. 164. — *Unum abbatem duobus monasteriis non præficiendum, cap.* 57.

(21, *q.* 1, *c. Unum.*) Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.

Cap. 165. — *Cellulas novas monachorum, sine notitia episcopi non instituendas. Ibidem, cap.* 58.

(18, *q.* 2, *c. Cellulas.*) Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque episcopi notitia, prohibemus institui.

Cap. 166. — *Ut clerici res ecclesiarum diuturna possessione juri proprio non subscribant. Ibidem, cap.* 59.

(16, *q.* 3, *c. Clerici quilibet.*) Clerici quilibet quantacunque diuturnitate temporis, Ecclesiæ [*al.*, de Eccl.] remuneratione aliqua possederint, in jus proprium præscriptione temporis non vocentur [revoc.], dummodo pateat ecclesiæ rem fuisse; ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas, aut precatorias cum ordinati sunt facere debuisse, aut diu retentas facultates, in jus proprietatis suæ posse transcribere.

Cap. 167. — *Ut liceat episcopo reditus ecclesiæ suæ, qui eam non multum gravent, ad usus regulariter viventium, peregrinorum, et egenorum assignare. Ex Toletano tertio concilio, cap.* 3.

(12, *q.* 2, *c. Sine exceptione.*) Hæc sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit res alienare ecclesiæ, quoniam et antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid vero quod utilitatem non gravet ecclesiæ, pro suffragio monachorum, vel ecclesiis ad parochiam suam pertinentium dederint, firmum maneat. Peregrinorum, vel clericorum, et egenorum necessitati, salvo jure ecclesiæ, præstare, permittuntur pro tempore, quæ potuerint.

Cap. 168. — *Ut episcopis liceat unam de parochianis ecclesiis in monasterium dedicare. Ex concilio Toletano* III, *cap.* 4.

(12, *q.* 2, *c. Si episcopus.*) Si episcopus unam de parochianis ecclesiis suis in monasterium dedicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi. Qui etiam, si de rebus ecclesiæ pro eorum substantia aliquid quod detrimentum ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donaverit, sit stabile : rei enim bonæ statuendæ sanctum concilium dat consensum.

Cap. 169. — *Ut presbyteri, vel quibuscunque res ecclesiæ commissæ sunt, quæcunque tempore suæ administrationis emerunt, ecclesiæ per chartam assignare debeant. E Toletano concilio* IX, *cap.* 4.

(12, *q.* 4, *c. Sacerdotes.*) Sacerdotes, vel quicunque illi sunt, quibus ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quæcunque administrationis suæ tempore emerint, si de rebus propriis vel vile vel parum ha-

Introdusă în format electronic de Google

huerint, ad ecclesiæ nomen cui præsunt, chartarum conficere instrumenta procurent. Non enim convenit ut ecclesia, quæ suscepit externum, efficiat in alieno divitem, et in suo retineat fraudatorem.

Cap. 170.—*Si episcopus monasterium facere, vel parochianam ecclesiam ditare voluerit, licere ei quadragesimam partem de rebus ecclesiæ, vel centesimam ibidem conferre. Ex concilio Tolet. cap. 5.*

(12, *q.* 2, *c. Bonæ rei.*) Bonæ rei dare consultum et præsentis habetur vitæ subsidium, et æternæ remunerationis exspectare cernitur præmium. Quisquis itaque episcoporum in parochia sua monasterium construere forte voluerit, et hoc rebus ecclesiæ cui præsidet ditaverit, non amplius ibidem quam quadragesimam partem dare debebit, ut hac temperantiæ æquitate servata, et cui tribuit competens subsidium conferat: et cui tollit damna gravia non infligat. Ad ecclesiam vero quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam suis magnificare voluerit scripturis, non amplius quam centesimam partem census ecclesiæ cui præsidet ibidem conferre licebit; ea tamen cautela servata, ut unam tantummodo quæ placuerit ex his duabus remunerationem assumat.

Cap. 171. — *Ut episcopus de ea parte quæ sibi de parochianis ecclesiis debetur, tertiam partem vel eidem ecclesiæ vel altari si placet, conferre possit. Ex eod. conc., cap.* 6.

(12, *q.* 3, *c. Episcopus si partem.*) Cum præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus parochialium ecclesiarum pars episcopo conferatur, opportune tamen duximus decernendum, ut si episcopus tertiam, quam de rebus eisdem sanctione pariter sibi debitam novit, aut ipsi ecclesiæ cujus res esse patebit, aut alteri ecclesiæ quam elegit conferre decreverit, et licitum maneat, et irrevocabile robur ejus sententia ferat.

Cap. 172. — *Ut episcopus qui res ecclesiæ vendiderit, et eas de suo restituat, et judicio episcoporum tanquam furti aut latrocinii reus a suo honore privetur. Ex concilio Martini papæ, cap.* 14

(10, *q.* 2, *c. Si quis episcopus.*) Si quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut forte ubi presbyter non est, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, et in judicio episcoporum dejiciatur auditus, et tanquam furti aut latrocinii reus suo privetur honore.

Cap. 173. — *Quid agendum sit de presbyteris, si inventi fuerint de ministeriis ecclesiæ aliquid venundasse. Ex eodem, cap.* 17.

(10, *q.* 2, *c. Si quis presbyter.*) Si quis presbyter, aut diaconus inventus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiæ venundasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non haberi. In judicio tamen episcopi dimittendus est, si dignus in suo recipi debeat gradu, quia multoties hoc ipsum quod de sacrosancto altario contaminatum est, in episcopi potestate dimissum est.

Cap. 174. — *De dotibus et decimis ecclesiæ. Ex Hispalensi concilio.*

Ut unicuique ecclesiæ mansus integer absque ullo servitio attribuatur. Omnes primitias et decimas tam de pecoribus quam de frugibus, dives simul et pauper ecclesiis suis recte offerant. Dicit enim Dominus per prophetam: *Apportate omnem decimam in horreo meo, ut cibus sit servientibus in domo mea* (*Malach.* III). Omnis rusticus et artifex quisque de negotio justam decimationem faciat. Sicut enim Dominus omnia dedit, ita de omnibus decimam exigit; ut de fructibus agri, ita de nutrimento omni; ut de apibus, ita de melle; ut de agnis, ita de velleribus et caseis; ut de porcellis, ita de capris, de bubus et equis; ut de minoribus, ita de majoribus exigimus et cæteris. Si quis autem hæc omnia non decimaverit, prædo Dei est, et fur, et latro, et maledicta quæ intulit Dominus Cain non recte dividenti congeruntur. De his vero omnibus nullus sit qui de sacerdotibus requirat censum, vel aliquod servitium præter ecclesiasticum.

Cap. 175. — *De censu a presbytero non dando. Ex Parisiensi concilio.*

Ut secundum canonicam auctoritatem et constitutionem domini imperatoris Ludovici, de agro ecclesiastico et manso, de mancipiis quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit ecclesiæ, neque de decimis et oblationibus fidelium cuiquam presbytero aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis vel dignitatis, exinde quidquam subtrahat, aut redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur, et regia potestate dare cogatur.

Cap. 176. — *Culpam esse thesaurum ecclesiæ redemptioni captivorum præponere. Gregorius ad dominum* [*Bonum*] *episcopum Messanensem* (*lib.* VI, *epist.* 35).

(12, *q.* 2, *c. Sicut omnino.*) Sicut omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria venundare; sic iterum est culpa, imminente hujusmodi necessitate, res maxime desolatæ ecclesiæ, captivis suis præponere, et in eorum redemptione cessare.

Cap. 177. — *Ut nullus ejus donum suscipiat, qui exhæredato filio hæredem facere vult ecclesiam. August. In sermone secundo De vita clericorum* (*ad fratres in eremo*).

(17, *q.* 4, *c. Quicunque.*) Quicunque vult exhæredato filio hæredem facere ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum; imo, Deo propitio, neminem inveniat. Quam laudabile factum sancti et venerandi episcopi Aurelii Carthaginensis? quomodo implevit omnium qui sciunt os laudibus Dei? Quidam enim cum filios non haberet neque speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit ecclesiæ. Nati sunt illi filii, et reddidit episcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.

Cap. 178. — *Ibidem, de eadem re.*

(13, *q.* 2, *c. Si quis irasc.*) Si quis irascitur filio suo, et moriens exhæredat eum, si viveret non eum placarem? non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus

Introdusă în format electronic de Google

appeto hæreditatem? Sed plane si faciat, quod sæpe hortatus sum. Unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat, et suscipio.

Cap. 179. — *Res terrenas a nullo recte possideri, nisi vel jure divino, vel humano. Idem in epistola ad Vincentium* (*epist.* 48).

(23, *q.* 7, *c. Quicunque.*) Quicunque vos ex occasione legis hujus imperialis, non dilectione corrigendi, sed inimicandi odio persequitur, displicet nobis. Et, quamvis res quæcunque terrena non recte a quoquam possideri possit, nisi vel jure divino (quo cuncta justorum sunt) vel jure humano (quod in potestate est regum terræ), ideoque res falso appelletis vestras, quas nec juste possidetis, et secundum leges terrenorum regum amittere jussi estis; frustraque dicatis, nos in eis congregandis laboravimus, cum scriptum legatis : Labores impiorum justi edent (*Sap.* x) : sed tamen quisquis ex occasione hujus legis quam reges terræ Christo servientes ad emendandam impietatem vestram promulgaverunt, res vestras cupide appetit, displicet nobis. Quisquis denique ipsas res pauperum vel basilicas congregationum, quas sub nomine ecclesiæ tenebatis (quæ omnino non debentur, nisi ei ecclesiæ, quæ vera Christi Ecclesia est), non per justitiam, sed per avaritiam tenet, displicet nobis. Quisquis pro aliquo flagitio vel facinore projectum a nobis ita suscipit, sicut suscipiuntur qui (excepto errore quo a nobis separamini) sine crimine apud vos vixerunt, displicet nobis. Sed nec facile ista monstratis, et si monstretis nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus; neque propter paleam, relinquimus aream Domini; neque propter pisces malos, rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine segregandos deserimus gregem Domini; neque propter vasa facta in contumeliam migramus a domo Domini.

Cap. 180. — *Quod ecclesia aurum habeat, non ut servet, sed ut eroget, et in necessitatibus subveniat. Ambrosius in libro De officiis, libro* II, *cap.* 28.

(12, *q.* 2, *c. Aurum ecclesia habet.*) Aurum ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget et subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerunt? Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam sacrilegus contaminat atque asportat hostis? Nonne dicturus est Dominus : Cur passus es tot inopes fame mori? Et certe habebas aurum, unde ministrasses alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium, nec redempti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut vasa viventium servares, quam metallorum, his non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui, ne templo Dei ornatus deesset. Responderet : Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacrorum, redemptio captivorum est. Et vere illa sunt vasa pretiosa quæ redimunt animas a morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est. *Et post pauca.* In his tribus generibus vasa ecclesiæ, etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus est ut de ecclesia mystici poculi forma non exeat, nec ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo primum intra ecclesiam quæsita sunt vasa, quæ initiata non essent, deinde comminuta, postremo conflata, per minutas erogationes dispensata egentibus, captivorum quecque pretiis profecerunt. Quod si desunt nova, et quæ nequaquam initiata videantur, in hujusmodi quos supra dixi usus, omnia arbitror pie posse converti.

Cap. 181. — *De privilegiis ecclesiarum. Ex Tullensi concilio.*

Sunt forte tales, qui privilegia de locis Deo dicatis sanctorum manibus confirmata parvipendentes, sibi quia volunt, non quia possunt excommunicationes usurpatoribus rerum, et facultatum ecclesiasticarum a sanctis Domini intentatas alleviant, dicentes se pro hoc illata damnatione, id est anathematis vinculo non teneri. De quibus sanctus Gregorius in epistola ad Theotistam patriciam dicit : « Ipsi, inquit, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. » Contra quos diutius disputandum non est; quia per omnia despiciendi et anathematizandi sunt, et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur.

Cap. 182. — *De rerum ecclesiasticarum invasoribus. Sententia Symmachi papæ* (*In synodo Romana* VI).

(12, *q.* 2, *c. Indigne.*) Indigne ad altare Domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas audet invadere, aut injuste possidere, aut iniqua seu injusta defensione in eis perdurat. Debet tamen esse provisio, ut vinctam admonitio præcedat, et res usurpatas injuste qui abstulit, aut injuste ablatas retinet, æquitate patrocinante legibus restituat. Quod si neglexerit, et necessitas compulerit, demum prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. Valde enim iniquum est et ingens sacrilegium, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenit, id est Christianis et Deum timentibus hominibus, in aliud transferri vel converti. Propterea qui hæc non præviderit, et aliter quam scriptum est, prædia ecclesiis tradita petierit, vel acceperit, aut possederit, nisi se cito correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, sitque accipienti, et danti, et possidenti anathema; et institutæ pœnæ contubernium assiduum, nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta dispergit.

Cap. 183. — *Quid agendum sit de œconomo, qui res*

Introdusă în format electronic de Google

ecclesiæ vel ipse alienaverit, vel respiciens alienantem episcopum non prohibuerit. Constitutio septima, cap. 1. *(Justinianus imperator novella constitutione* 7.*)*

Nullus sub Romana ditione constitutam ecclesiam vel xenodochium, vel ptochotrophium, vel nosocomium, vel orphanotrophium, vel gerontocomium, vel brephotrophium, vel monasterium tam monachorum, quam sanctimonialium archimandritam habens vel archimandritissam, infestare audeat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive hortum, sive rusticum mancipium, vel panes civiles, neque creditoribus specialis hypotheticæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet venditionem, donationem, permutationem, emphiteuseos perpetuum contractum, sed omnes omnino sacerdotes hujusmodi alienatione abstineant; pœnas timentes quas Leonina constitutio minatur, id est ut is quidem qui comparavit rem loci venerabilis reddat ei cujus et ante fuerat, scilicet cum fructibus aliisque emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt : œconomo autem ecclesiæ præstare omne lucrum quod ex hujusmodi prohibita alienatione senserit; vel si ecclesiam damno affecerit, ita ut in posterum œconomus non sit, non solum autem ipse, sed successores ejus teneantur, sive ipse œconomus alienaverit, sive respiciens alienantem episcopum non prohibuerit, et multo magis consenserit; tabellionem autem qui talia interdicta instrumenta conscripsit, perpetuo exsilio tradi oportet.

Cap. 184. — *Quod principi per commutationem cum ecclesia contrahere liceat, cap.* 2

(Justinianus, ibidem.) Si princeps voluerit rem immobilem sancto loco præstare, et accipere ab eo aliam rem immobilem, et eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere.

Cap. 185. — *Ut is, qui immobilem rem ecclesiæ comparavit, vel ab aliquo accepit, cum omnibus emolumentis ejus, quæ in medio tempore facta sunt, eam restituat : sed et aliud tantum, quantum accepit pœnæ nomine venerabili loco componat, et quod nulli liceat nisi principi cum ecclesia commutare, et si creditor rem immobilem ecclesiæ ad corporalem acceperit detentionem, primo quidem sortem quam dedit cum usuris amittat, deinde ipsam rem cum suis emolumentis venerabili loco restituat, cap.* 5.

(Justinianus, ibidem.) Si quis contra saluberrima jura præsentis constitutionis rem immobilem loci venerabilis comparaverit, primum quidem rei æstimationem amittat, et rem quam illicite emerit, restituat cum omnibus emolumentis ejus, quæ in medio tempore facta sunt, et omnia lucro ecclesiæ, vel alterius loci venerabilis cedant, et nullam habeat ipse contra ecclesias actionem, sed tantum adversus œconomos, vel alias venditorum personas ex empto judicium moveat. Nam venditorum patrimonia emptori subjecta esse æquum est, etiamsi venditio contra præsentem legem rei immobilis ad venerabilem locum pertinentis contracta sit. Alioquin si donatio facta fuerit, tunc is qui liberalitatem interdictam accepit, non solum ipsam rem cum fructibus suis et causis venerabili loco constituat, sed etiam aliud quantum accepit pœnæ nomine præstet sanctissimo loco, cujus res donata fuerit ab his, qui res ejus administrant. Sin autem titulo permutationis rem loci venerabilis capiat aliquis, tunc et rem quam accepit reddat, et quam ipse dedit amittat : actione scilicet adversus personas et patrimonia eorum conservanda, quæ cum eo contraxerunt, excepto videlicet principe, cui secundum præfatam superius divisionem, permutationem facere rerum immobilium cum sacrosanctis locis permissum est. Sin autem pignus creditor ad corporalem detentionem acceperit, et res immobilis sit quæ pertinet ad ecclesiam, vel ad alia venerabilia loca, veluti domus, vel pratum, vel ager, vel hortus, vel panes civiles, vel mancipia rusticana : nam ea quoque veluti membra immobilium rerum sunt. Si quis horum aliquid pignoris nomine corporaliter acceperit, prius quidem neque sortem quam dedit, neque usuras quas forte stipulatus est exigat; deinde etiam ipsam rem cum suis emolumentis venerabili loco restituat. Sed et in hoc casu adversus œconomum, vel alios administratores venerabilium locorum actionibus creditori competentibus, omnia enim quæ diximus etiam in mulierum monasteriis vel ascetriis obtinere oportet.

Cap. 186. — *Ut mutuam pecuniam venerabilis locus capiat, si qua necessaria et inexcusabilis causa immineat, cap.* 6.

(Justinianus, ibidem.) Si qua necessaria causa et inexcusabilis imminet, ut mutuam pecuniam capiat venerabilis locus, liceat œconomis etiam res immobiles obligare pignoris jure, tamen ut corporaliter creditoribus non tradantur.

Cap. 187. — *Qua pœna coercendus sit, qui sancta vasa, vel sacra dona, contra legem vel pigneraverit, vel distraxerit, vel conflaverit, vel quocunque modo alienaverit, cap.* 8.

(Justinianus, eadem nov. const. 7.) Eisdem pœnis coerceri oportet etiam illum, qui sancta vasa, sive sacra dona contra legem vel pigneraverit, vel distraxerit, vel conflaverit, vel quocunque modo alienaverit, excepta videlicet captivorum redemptione.

Cap. 188. — *Quod nulli liceat per pragmaticam sanctionem aliquid capere de ecclesiis, aliisque venerabilibus locis, sive res sint mobiles vel immobiles, cap.* 9.

(Justin., eadem nov. const. 7.) Nulli liceat per pragmaticam sanctionem aliquid capere, quæ sacrosanctis ecclesiis, aliisque venerabilibus locis competunt, scilicet et si immobiles sint, vel mobiles quidem, sed alienari non possunt. Sin autem quæstor magnificus tale descriptum dictaverit, vel cæteri magistratus intimatione pragmaticæ formæ receperit, unusquisque quinquaginta librarum auri pœna multetur. Sin autem religiosi episcopi tales pragmaticas sanctiones contempserint, sine periculo contempsisse cognoscant : nam, si receperint eas, etiam episcopatus honorem amissuros se non dubi-

Introdusă în format electronic de Google

tent. Nemini liceat in posterum cujusquam monasterii venditionem impiam vel donationem, vel permutationem contrahere, ubi et altare collocatum est, et sacræ missæ factæ et monachica conversatio. Sin autem aliquid tale fuerit admissum, et quod factum est pro infecto habeatur, et is qui accepit pretium amittat: et qui distraxerit, et rem et pretium reddat sacrosanctæ ecclesiæ, et venerabilibus monasteriis, quorum cura erat, ut alienatum contra leges monasterium rursus in pristinum statum reducerent. Nulli autem licentia sit nec titulo pignorum, nec hypothecarum sacrosanctum obligare monasterium. Nam et si tale aliquid admissum fuerit, refutari oportet, ut iterum in sanctissimo monasterio sacræ procedant missæ.

Cap. 189. — *Si venerabilis locus cum alio venerabili loco permutationem rerum immobilium facere voluerit, liceat, deliberato prius utriusque loci commodo, cap.* 10.

Si venerabilis locus cum alio venerabili loco, rerum immobilium permutationem facere voluerit; si ecclesia cum ecclesia, vel ptochium cum ptochio, vel ecclesia cum ptochio vel monasterio, vel ut simpliciter dixerim: Si venerabilis locus cum alio venerabili loco, rerum immobilium permutationem facere maluerit, hoeque fieri prosit utrique loco; liceat primatibus ejus permutare, decreto tamen prius celebrando apud locorum metropolitanos disceptatione procedente, ut ipsi deliberent an ambabus partibus prosit rerum immobilium permutatio.

Cap. 190. — *Quod non liceat ei qui ecclesiam ædificat, quos ipse voluerit clericos in ea disponere, sed quos episcopus dignos judicaverit. Constitutio* 49, *cap.* 2.

(*Justinianus imperator, nov. sua constitut.* 57.) Si quis ecclesiam ædificaverit, aut clericis annonam ex substantia sua dederit, non liceat ei quos voluerit clericos in eadem ecclesia facere; sed si voluerit, quosdam sibi consecrari, offerat eos beatissimo patriarchæ; et ille si viderit eos dignos, consecret; et si non probaverit, arbitrio suo rejiciat.

Cap. 191. — *Quod non liceat ei qui oratorium in domo sua habet, missas in eo sine jussu episcopi celebrare. Constitutio* 50, *cap.* 1.

(*Justin. imp., novella constit.* 58.) Si quis in domo sua oratorium habuerit, non audeat in eo facere sacras missas, nisi clericos catholicæ fidei habuerit, qui ei deputentur ex jussu religiosissimi episcopi civitatis, vel beatissimi patriarchæ. Si quis autem adversus ea fecerit, domus ipsius fisci juribus addicatur.

Cap. 192. — *Ut nullus ecclesiam vel oratorium ædificare audeat, nisi prius allocutus episcopum, expensam præfiniat, quæ ad luminaria, et custodiam oratorii, et alimoniam eorum qui ibi servituri sunt, sufficiat. Constitutio, cap.* 1.

(*Justin. imper., nov. sua constitut.* 67.) Nullus audeat ædificare ecclesiam vel oratorium antequam civitatis episcopus veniat, et vota faciens sanctissimam crucem infixerit publice in eodem loco procedens, et rem omnibus manifestam faciens: unusquisque ante ædificationem loquatur episcopo, et præfiniat modum quod ad luminaria sacro ministerio apta, et custodiam oratorii, et alimonias eorum qui ibi observant, sufficiat: et si hæc sufficientia visa fuerint, faciat prius donationem eorum, et postea domum ædificet. Sin autem quæ ab eo præfinita sunt non sufficiunt ad custodiendum oratorium, æquum est vetera oratoria quæ forte ruinam minantur reparare, cum arbitrio religiosissimi civitatis episcopi.

Cap. 193. — *Quod quidquid divini juris et sacrum est, in nullius sit bonis. Libro* II, *titulo primo.*

(*Justin. imperator, lib.* II *Institutionum, De rerum divis. et acquir. car. dom.*) Nullius autem sunt res sacræ, et religiosæ, et sanctæ. Quod enim divini juris est, id nullius in bonis est. Sacra enim sunt, quæ rite, et per pontifices Deo consecrata sunt, veluti ædes sacræ et dona, quæ rite ad ministerium Dei consecrata sunt: quæ etiam per nostram constitutionem alienari et obligari prohibemus, excepta causa redemptionis captivorum. *Item.* Sanctæ quoque res, veluti murus et portæ quodammodo divini juris sunt, et ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint.

Cap. 194. — *De jure divino, et jure humano. Aug. tract.* 6 *in primo cap. Joannis.*

(*Dist.* 8, *c. Quo jure.*) Quo jure defendis villas ecclesiæ? divino, an humano? Respondeant: Divinum jus in Scripturis habemus, humanum in legibus regum. Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino: *Domini est terra, et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Pauperes et divites Dominus de uno limo fecit (*Gen.* II), et pauperes et divites una terra supportat. Jure ergo humano dicitur, hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est. Jura ergo humana, jura imperatorum. Quare! Quia ipsa jura humana per imperatores, et reges sæculi Deus distribuit generi humano. *Post aliquot versus.* Tolle jura imperatorum, et quis audet dicere: Mea est villa illa, meus est iste servus, aut domus hæc mea est? Si autem ut teneantur ista ab hominibus regum jura fecerunt, vultis recitemus leges, ut gaudeatis? *Ac rursum.* Legantur leges, ubi manifeste præceperunt imperatores, eos qui propter Ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, ut nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed dicitis, quid nobis et imperatori? Sed (ut jam dixi) de jure humano agitur, et tamen Apostolus voluit serviri legibus, voluit honorari reges, et dixit regem reveremini (*I Petr.* II). Dicere noli, quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi et regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura renuntiasti humana, quibus possessiones possidentur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 195. — *Ut cuncta quæ Deo offeruntur consecrata habeantur. Ex Aurelianensi concilio, cap.* 7.

Omnia quæ Deo offeruntur consecrata habeantur, in vineis, terris, silvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus et reliquis possessionibus, et quæ ecclesiis, sine dubio Christo, qui sponsus est earum, offeruntur.

CAP. 196. — *Ut decima nullo modo negligatur. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 5.

(16, *q.* 7, *c. Omnes decimæ.*) Omnes decimæ terræ sive de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt, et illi sanctificantur. Boves, et oves, et capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur neque bonum neque malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, et quod mutat, et quod mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur. Sed quia multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel, et secundo, et tertio, si non emendaverint, anathematis vinculis constringantur, usque ad satisfactionem et emendationem congruam.

CAP. 197. — *De eodem. Ex concilio Moguntiensi, cap.* 58.

(16, *q.* 2, *c. Admonemus.*) Admonemus atque præcipimus ut decimas Deo omnino dare non negligatur, quas Deus ipse dari constituit, quia timendum est ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

CAP. 198. — *Quod episcopi et abbates decimas ae agris, et vineis quæ ad usum suum vel fratrum stipendium habent, ad parochianas ecclesias persolvere debeant. Ex conc. Cabillonensi* II, *cap.* 19.

(16, *q.* 1, *c. Questi sunt.*) Questi sunt præterea quidam sancti quod essent aliqui episcopi et abbates, qui decimas non sinerent dari ad ecclesias ubi illorum coloni missam audiunt. Proinde decrevit sacer iste conventus ut episcopi et abbates de agris et de vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad ecclesias deferri faciant. Familiæ vero ibidem decimas suas ferant, ubi infantes eorum baptizantur, et ubi per totum anni circulum missas audiunt.

CAP. 199. — *Decimas Deo et sacerdotibus dandas, et exemplo patrum Abraham, et Jacob, et auctoritate veteris et novæ legis, et multimoda ratione. Ex concilio Moguntiensi, cap.* 8.

(16, *q.* 7, *c. Decimas.*) Decimas Deo et sacerdotibus Dei dandas Abraham factis Jacob promissis insinuat. Deinde lex statuit, et omnes doctores sancti commemorant. Et profecto dignum erat ut Israelitæ decimas pecorum et frugum omnium et pecuniarum Domino darent, qui eos liberaverat a decem plagis quibus percussit Ægyptios, et in novissima plaga primogenita cunctorum disperdidit, gratiamque suis præstitit, ut impetratis pecuniis spoliarent Ægyptum. De quibus decimis, Augustinus doctor venerabilis dicit : Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus : Nempe meus est homo, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meus est solis calor ; et cum omnia mea sint, tu qui minus accommodas, solam decimam vix merebaris, sed reservo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam auferam novem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Cum itaque Judaicus populus præceptum decimarum tanta diligentia observaret, ut de quibusque minimis rebus, ruta et cimino, ut ipse Dominus testatur decimas daret, cur non majori studio plebs evangelica eamdem impleat jussionem, et cui major est numerus sacerdotum, et sincerior cultus sacramentorum? Ideo ergo dandæ sunt, ut hac devotione Dominus placatus, largius præstet quæ necessaria sunt, sicut superius ostendimus. Et ut sacerdotes ac ministri ecclesiæ cura et sollicitudine necessitatum corporalium, sine quibus hæc vita transigi non potest, relevati, liberiores fiant ad meditationem divinæ legis, et doctrinæ administrationem, atque spiritualis servitii voluntarium expletionem. Et ut munus populi in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non statuta canonica in sustentationem pauperum, et restaurationem ecclesiarum proficiant. Quatuor enim partes juxta canones debent fieri de fidelium oblationibus ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarum servetur.

CAP. 200. — *Item de decimis. Ex concilio Mediomatricis, cap.* 3. (*Maguntien. conc., cap.* 3.)

(16, *q.* 7, *c. Decimas.*) Decimas quas populus dare non vult, nisi quolibet munere, ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est ne fiat.

CAP. 201. — *Quod partes de decimis fieri debeant, et quota pars ad usum pertineat episcopi. Ex Agrippinensi conc., cap.* 6.

Item quod decima quæ a fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, et Deo ex integro reddenda. Cujus tertia pars secundum canonem Toletanum, episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantum singulis annis quartam partem juxta usum Romanorum pontificum, et observantiam sanctæ Romanæ ecclesiæ de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus inde repertus fuerit, sive clericus sive ille laicus sit, communione privabitur, et synodali censura judicabitur.

CAP. 202. — *Quod ea quæ ad ecclesiam offeruntur in terris, vineis, mancipiis, peculiis, ad dispositionem episcopi pertineant ; quæ vero ad altare offeruntur, duæ partes clericorum sint, tertia pars episcopis fideliter deferatur. Ex Toletano concilio.* (*Aurelianense* I, *c.* 17.)

(10, *q.* 1, *c. De his.*) De his quæ ad ecclesiam a parochianis offeruntur, in terris, in vineis, mancipiis, peculiis, antiquorum canonum instituta serventur, ut omnia in episcopi potestate consistant. De his autem quæ altaribus offeruntur, tertia pars fideliter episcopis deferatur, duæ clericis; decimæ autem secundum quosdam singulis annis tertia pars,

Introdusă în format electronic de Google

aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam episcopi recipiant.

Cap. 203. — *Quod partes, tam de reditibus, quam de oblationibus fidelium in unaquaque ecclesia faciendæ sint, et inter quos dividendæ. Gelasius ejus nominis primus in epist. ad episc. per Lucaniam et Brutiam, cap.* 29.

(12, *q.* 2, *c. Quatuor.*) Quatuor autem tam de reditibus, quam de oblationibus fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum est rationaliter decretum) convenit fieri portiones. Quarum una sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis est applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit, integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem : sic clericus ultra delegatam sibi summam, nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis restaurandis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio manifesta sanctorum; quia nefas est si, sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis orationibus se dispensasse monstraturus esse videatur; tamen juxta hoc quod scriptum est : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v), oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.

Cap. 204. — *De eadem re. Ex concilio Nannetensi, cap.* 6.

Instruendi sunt presbyteri pariterque admonendi, quatenus noverint decimas et oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum et hospitum et peregrinorum stipendia, et non quasi suis, sed quasi commendatis uti : de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, et nisi eas fideliter pauperibus, et his quibus jussi sunt administraverint, damna passuros. Qualiter vero dispensari debeant, canones sancti instituunt, scilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia presbyteris sive clericis exhibenda, quarta episcopo reservanda, ut quidquid exinde jusserit, prudenti consilio fiat.

Cap. 205. — *Ut terminari debeant contentiones inter Christianos ortæ. Ex decretis Marcellini papæ, cap.* 3.

Quæcunque ergo contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad ecclesiam deferantur, et ab ecclesiasticis viris terminentur; et si obedire noluerint, quousque obediant a liminibus sanctæ ecclesiæ excludantur.

Cap. 206. — *De his qui oblationes parentum, aut testamenta, vel quod ipsi donaverint ecclesiæ, retinere aut auferre conantur. Ex concilio Agathensi, cap.* 4.

(13, *q.* 2, *c. Clerici vel sæculares.*) Clerici etiam vel sæculares qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas retinere perstiterint, aut id quod ipsi donaverint ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum quousque reddant, ab ecclesiis excludantur.

Cap. 207. — *Quod Deum hæredem facere debemus. Sanctus Isidorus.*

Augustinus dicit in libro *De hæredibus :* « Noli sub imagine pietatis augere pecuniam, dicens : Filiis meis servo has res. Quare non potius servas illi, qui te ex nihilo fecit, qui te pascit, et filios reservat? Nonne melius Creatori tuo thesaurizabis quam filiis? » Ac rursum : « Qua fronte hæreditatem a Christo quæris, cum Christum tua hæreditate fraudaveris, » qui dixit : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (*Matth.* VI).

Cap. 208. — *De his qui oblationes defunctorum, aut negant, aut difficulter reddunt. Ex Valentino concilio, cap.* 4.

Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. *De eadem re. Ex decretis Urbani papæ, cap.* 4. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Deo offeruntur; non ergo debent in alios usus quam ecclesiasticos et prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium et pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Deo tradita : si quis autem, quod absit! secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut illi fecerunt qui pretia prædictarum rerum fraudabant, de quibus ita prædictis legit in apostolorum Actibus (*Act.* v).

Cap. 209. — *Ne quis oblationes ecclesiæ, extra ecclesiam dare vel accipere præsumat. Ex Gangrensi conc., cap.* 7.

Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.

Cap. 210. — *De ead. re. Ex eod. cap.* 8.

Si quis dederit vel acceperit oblata, præter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat et qui accipit, anathema sit.

Cap. 211. — *Ut omnes ecclesiæ cum dotibus suis, et decimis, et omnibus rebus suis, in potestate episcopi consistant. Ex Cabillonensi concilio, cap.* 1.

In sancto Cabillonensi concilio decretum est ut omnes ecclesiæ cum dotibus suis, et decimis, et omnibus rebus suis in episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant.

Cap. 212.— *Quod tricennalis possessio firma sit. Ex Toletano conc.* IV, *cap.* 34.

(16, *q.* 3, *c. Sicut diœcesim.*) Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii possessio conventum non amittit. Idcoque basilicæ quæ novæ conditæ fuerint, ad eum procul dubio

Introdusă în format electronic de Google

episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

Cap. 213. — *Ut nullus in ecclesia sepeliatur, nisi pie et juste vivendo, talem sibi defuncto locum acquisierit : et ut nullus in ecclesia antiquitus sepultus, nisi sit paganus inde ejiciatur, sed tumuli apparentes ad modum pavimenti demergantur. Ex Meldensi concilio, cap.* 9.

Antiquus in his regionibus in ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, et plerumque loca divino cultui mancipata, et ad offerendas Deo hostias præparata, cœmeteria sive polyandria facta sunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona aut sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo defuncto locum acquisivit. Corpora quæ in ecclesiis antiquitus sepulta sunt, nequaquam projiciantur nisi sint paganorum; sed tumuli qui apparent profundius in terra mittantur, et pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi vero tanta est multitudo cadaverum, ut hæc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, et in alio loco constituto, ubi religiose et pure Deo sacrificium offerri valeat.

Cap. 214. — *Quod sepultos in ecclesia, si peccata dimissa non sunt, sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat. Augustinus.*

Quibus peccata dimissa non sunt, a sacris locis post mortem adjuvari non possunt; quia quos peccata graviora deprimunt, si in sacris locis sepelire se faciunt, restat ut de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed culpa temeritatis accuset.

Cap. 215. — *Quod pro loco sepulturæ nihil exigendum sit, sed si quid proximi et amici defuncti pro redemptione animæ dare voluerint, cum charitate accipiendum. Ex Triburiensi concilio. cap.* 16.

(13, *q.* 2, *c. In ecclesiastico.*) In ecclesiastico libro namque scriptum est : *Mortuo non prohibeas gratiam* (*Eccli.* VII), *sciens quia omnes moriemur* (*Eccli.* VIII). Item omnia quæ de terra orta sunt, in terram convertentur (*Eccle.* III). Quid terra, terram vendis? Memento quod terra es, et in terram ibis, et quoniam tibi mors futura est, appropriat et non tardat. Recordare quia hominis non est terra, sed ut Psalmista commemorat : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, et debitam sepulturam denegare, nisi forte proximi et amici defuncti propter nomen et redemptionem animæ viri, gratis aliquid dare velint.

Cap. 216. — *Quod prodest sepeliri in ecclesia, cum gravia peccata non deprimunt, alioqui potius ad majorem cumulum damnationis, quam absolutionem fieri. Greg. quarto lib. Dialogorum, cap.* 50.

Cum [quos] graviora peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis si in ecclesiis sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorumque sepulturam aspiciunt, recordentur, et pro eis Domino preces fundant. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad damnationis cumulum majorem, eorum corpora in ecclesiis ponuntur. Quod melius ostendimus, si ea quæ diebus nostris gesta sunt breviter enarremus. Vir namque vitæ venerabilis, Felix Portuensis episcopus, in Sabinensi provincia ortus atque nutritus est. Qui quamdam sanctimonialem feminam in loco eodem fuisse testatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguæ procacitatem atque stultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta, atque in ecclesia sepulta est. Nocte autem eadem ejusdem ecclesiæ custos per revelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, et pars una illius igni cremabatur, pars autem altera intacta remansit. Cumque hoc surgens mane fratribus narraret, et locum vellet ostendere in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare apparuit in marmoribus, ac si illic eadem femina corporeo fuisset igne concremata. Ex qua re aperte datur intelligi, quia quibus peccata dimissa non fuerint, ad vitandum judicium sacris locis non valent post mortem adjuvari.

Cap. 217. — *De eadem re. Ibid., cap.* 52.

Joannes quoque vir magnificus in hac urbe locum præfectorum servans, cujus veritatis atque gravitatis sit novimus : qui mihi testatus est Valerianum patricium in civitate quæ Brixa dicitur fuisse defunctum. Cui ejusdem civitatis episcopus accepto pretio locum in ecclesia præbuit, in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet Valerianus usque ad ætatem decrepitam levis ac lubricus exstitit, modumque suis pravitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte qua sepultus est, beatus Faustinus martyr, in cujus ecclesia corpus ejus fuit humatum, custodi suo apparuit dicens : Vade et dic episcopo, projiciat hinc fetentes carnes quas hic posuit; quia si non fecerit, ipse die tricesimo morietur. Quam visionem custos episcopo timuit confiteri, et rursus admonitus declinavit. Die autem tricesimo ejusdem civitatis episcopus, cum vespertina hora sanus et incolumis ad lectum redisset, subita et inopinata morte defunctus est.

Cap. 218. — *De eadem re. Ibidem, cap.* 53.

Adest quoque in præsenti sæculo senex venerabilis, vel pater Venantius Lunensis episcopus, et magnificus Liberius vir nobilissimus atque veracissimus, qui se scire, suosque homines interfuisse testatur ei rei quam narrat in Genuensi urbe contigisse. (*Istud commemoratur in cons:, Triburi., cap.* 17.) Ibi namque (ut dicunt) Valentinus nomine, Mediolanensis Ecclesiæ defensor, defunctus est : vir valde lubricus et cunctis levitatibus occupatus, cujus corpus in ecclesia beati martyris Syri sepultum est. Nocte autem media, in eadem ecclesia factæ

Introdusă în format electronic de Google

sunt voces, ac si aliqui violenter ex ea repellerentur ac traherentur foras. Ad quas nimirum voces currebant custodes, et viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui ejusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, et eum ab ecclesia clamantem ac nimium vociferantem foras trahebant. Qui videlicet territi ad sua strata sunt reversi. Mane autem facto aperuerunt sepulcrum in quo idem Valentinus positus erat, ejusque corpus non invenerunt. Cumque intra ecclesiam quærerent ubi projectum esset, invenerunt eum in sepulcro alio positum ligatis adhuc pedibus, sicut de ecclesia fuit abstractum. Ex qua re, Petre, collige, quia hi quos peccata deprimunt gravia, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat etiam ut de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

CAP. 219. — *Ibidem, de eadem re, cap.* 54.

Nam quid quoque in hac urbe contigerit, tinctorum qui hic habitant multitudo testatur : quod cum quidam artis eorum primus defunctus fuisset, intra ecclesiam beati Januarii martyris, juxta portam sancti Laurentii a conjuge sua sepultus est. Sequenti autem nocte, ex sepultura eadem, audiente custode, ejus spiritus cœpit clamare : Ardeo, ardeo. Cum vero has diu voces emitteret, custos hoc ejus nuntiavit conjugi. Uxor vero illius eos qui diligenter inspicerent, ejusdem artis viros transmisit ad ecclesiam, volens agnoscere qualiter ejus corpus esset in sepulcro, de quo talia clamarent. Qui aperientes sepulcrum vestimenta quidem intacta repererunt (quæ nunc usque in eadem ecclesia pro ejusdem causæ testimonio servantur) : corpus vero illius omnino non invenerunt, ac si in eodem sepulcro positum minime fuisset. Ex qua re colligendum est, qua ultione anima ejus damnata sit, cujus et caro est ab ecclesia projecta. Quid igitur sepultis sacra loca prosunt, quando hi qui indigni sunt, ab eisdem sacris locis divinitus projiciuntur?

CAP. 220. — *Ut corpora defunctorum in ecclesia non sepeliantur, sed si necesse sit, deforis circa murum. Ex Bracarensi concilio* I, *cap.* 36.

Item placuit ut corpora defunctorum nullomodo intra basilicam sepeliantur, sed si necesse est deforis circa murum basilicæ sepeliantur. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent Galliæ civitates [manet civitates], ut nullo modo intra ambitum murorum civitatum cujuslibet defuncti corpus sit humatum, quanto magis venerabilium martyrum debet reverentia obtineri!

CAP. 221. — *De eadem re. Ex Meldensi concilio, cap.* 10.

Ut nemo quemlibet mortuum in ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem episcopus aut presbyter pro qualitate conversationis et vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat; nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulcro suo ejicere, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquo modo violare, sed unumquemque in loculo sibi a Deo parato atque concesso, adventum sui judicis præstolari concedat.

CAP. 222. — *Nihil pro sepeliendis corporibus exigendum. Ex Nannetensi concilio, cap.* 11 (*conc. Vasen., cap.* 5).

(13, *q.* 2, *c. Præcipiendum.*) Præcipiendum secundum canonum auctoritatem, ut de sepulcris, et hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, vivens jusserit ecclesiæ in cujus atrio sepelitur, de suis rebus aliquid tribuere, aut etiam post mortem illius quibus commissum est, cujus eleemosynam facere, de rebus illius aliud exigatur, sive ab illis qui locis et vicis præsunt. Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris ecclesiæ, intra ecclesiam vero, aut prope altare ubi corpus et sanguis Domini conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi.

CAP. 223. — *Quod conveniens sit, uxorem cum viro suo eodem sepulcro sepeliri. Hieronymus* (66).

(12, *q.* 2, *c. Ebron.*) Ebron dicitur esse civitas trium virorum, quia in ea sepulti sunt tres patriarchæ in spelunca duplici, cum tribus uxoribus suis, id est Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob et Lia, præter ipsum Adam et Evam uxorem ejus. Tobias dicit ad filium suum : *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies, et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus, et cum ipsa compleverit tempus, sepelies eam* juxta *me* (*Tob.* IV) in uno sepulcro.

CAP. 224. — *De eadem re. Idem.*

Quos conjungit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum ; quia una caro est ; et : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX).

CAP. 225. — *Item de ead. re. Augustinus.*

(13, *q.* 2, *c. Unaquæque.*) Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.

CAP. 226. — *Ut sepultura non separet eos quorum mens una fuit in Domino. Gregorius, cap.* 34, *lib.* II *Dialogorum.*

Soror sancti Benedicti sepulta est in sepulcro, quod ipse sibi paraverat, ut quorum mens una semper fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret. Ita in primo connubio conjuncti, quia una et eadem caro est, in uno sepulcro sepeliantur

CAP. 227. — *Ut non valeant precariæ vel commutationes viduatarum ecclesiarum. Ex concilio Belvacensi præsente Ludovico, cap.* 10.

Ut precariæ et communicationes, tempore viduatarum ecclesiarum factæ ab his, qui loca episcoporum occupaverant, rescindantur, et cum auctoritate ecclesiastica vel civili, si faciendæ sunt, fiant.

CAP. 228. — *De eadem re. Ex concilio eodem, cap.* 11.

(10, *q.* 2, *c. Precariæ a nemine.*) Precariæ a nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti dat ex proprio,

(66) In quæst. Hebr. in Genes. et de locis Hebraicis.

Introdusă în format electronic de Google

duplum accipiatur ex rebus ecclesiæ, in suo tantum qui dederunt nomine, si res proprias et ecclesiasticas usu fructuario tenere voluerint. Si autem res proprias ad præsens dimisit, ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare oportet, ut alienarum dispensatorem convenit, non propriarum largitorem.

Cap. 229. — *Idem de eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 12.

A nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo et sanctis ejus dicatis, cum ratio et usus obtineat neminem, cui non vult contra utilitatem et rationem præstitum de proprio facere beneficium.

Cap. 230. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 13.

(10, *q.* 2, *c. Precariæ.*) Ut precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem et auctoritatem renoventur.

Cap. 231. — *De donatione vel venditione vel commutatione rei ecclesiasticæ. Ex concilio Carth.* IV, *cap.* 32.

(12, *q.* 2, *c. Sine exceptione.*) Irrita erit episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque collaudatione, et subscriptione clericorum.

Cap. 232. — *De commutationibus ecclesiasticarum rerum. Ex Belvacensi concilio.*

(*Extra de rerum permut., c. Ut commutationes.*) Ut commutationes rerum ecclesiasticarum valde caveantur, et subtilissime, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur. Quæ autem inconsulte factæ sunt, juxta decretum canonicum Hilarii papæ, quas illicite decessor episcopus amiserit, vel ab aliis illicite commissæ sunt, ab eo qui successor est, emendentur.

Cap. 233. — *De eadem re. Ex Maticensi concilio, cap.* 4.

A sancta synodo decretum est, et imperialis auctoritas denuntiat, ne commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorum quælibet persona sine licentia et consensu religionis, præsumat facere.

Cap. 234. — *De commutatione ecclesiasticorum mancipiorum. Ex concilio apud Carisiacum* [*al.* Silvanectum], *cap.* 2.

Ne mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet, ut videlicet mancipia quæ pro ecclesiastico homine dabuntur, in ecclesiæ servitute permaneant, et ecclesiasticus homo qui commutatur, perpetua libertate fruatur. Quod enim semel Domino consecratum est, ad humanos usus jam transferri non potest. Ait enim lex : *Si quis mutaverit, et quod mutatum est sanctificabitur Domino* (*Levit.* XXVII).

Cap. 235. — *De eodem. Ex eodem concilio, cap.* 3.

(2, *q.* 2, *c. Injustum.*) Injustum videtur et impium, ut mancipia quæ fideles viri seu feminæ pro remedio animæ suæ Deo et sanctis ejus consecrarunt, cujuscunque muneris mancipio vel commutationis A commercio, iterum in sæcularium servitutem redigantur, cum auctoritas canonica servos fugitivos tantummodo distrahi permittat? et ideo omnes rectores ecclesiarum summopere caveant ne unius eleemosyna alterius peccatum fiat, et absurdum est ut ex ecclesiastica dignitate servus decedens humanæ obnoxius sit servituti.

Cap 236. — *De regularibus præceptis super precariis ecclesiasticis non admittendis. Ex concilio apud sanctum Medardum, cap.* 11.

Præcepta regalia super precariis ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit, quoniam præcepta in jure ecclesiastico firmare indignum judicatur : necesse est ut majestas regia nonnisi ab ecclesiastico rectore petatur, B id est ut custos ecclesiæ solertissime caveat ne sui ordinis et ecclesiasticæ commutationis forte immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quacunque assentatione fieri petat. Quod et si fecerit non audiatur. Si autem et obtinuerit, regali districtione, episcopali judicio idem rescindatur, et petitor injustus pro principis injusta suggestione digne corripiatur.

Cap. 237. — *De episcopo qui mancipium ecclesiæ manumitti desiderat. Ex concilio Toletano* IV, *cap.* 67.

(12, *q.* 2, *c. Episcopus qui.*) Episcopus qui mancipium juris ecclesiæ non retento ecclesiastico patrocinio manumitti desiderat, duos meriti ejusdem et peculii, coram concilio ecclesiæ cui præeminet, per commutationem subscribentibus sacerdotibus offe- C rat, ut rata et justa inveniatur definitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio condere poterit, quando eum quem libertati tradere disponit, jam juri proprio acquisivit. Hujusmodi autem liberto adversus ecclesiam cujus juris exstitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet ut stante commutatione in servitutem propriam ecclesiæ revocetur.

Cap. 238. — *Ut sacerdotibus qui res suas ecclesiæ relinquunt, aut aliqua prædia vel familias ecclesiæ conquirunt, liceat aliquos si placet de familia ejusdem ecclesiæ manumittere. Ex eodem conc. cap.* 68.

Consensus totius concilii definivit ut sacerdotibus qui aut res suas ecclesiæ relinquunt, aut nihil ha- D bentes aliqua tamen prædia aut familias ecclesiis suis conquirunt, liceat aliquos de familiis ejusdem ecclesiæ manumittere, juxta rei collatæ modum quem antiqui canones decreverunt, ita ut cum peculio et posteritate sua si ingenui sunt, sub patrocinio ecclesiæ maneant, utilitates injunctas sibi juxta quod potuerint, prosequentes.

Cap. 239. — *Ut presbyteri rem ecclesiæ vendere non præsumant. Ex Carthaginensi concilio* V, *cap.* 4.

(12, *q.* 2, *c. Placuit.*) Item placuit ut presbyteri non vendant rem ecclesiæ ubi sunt constituti nescientibus episcopis suis, quomodo et episcopis non liceat vendere prædia ecclesiæ ignorante concilio vel presbyteris suis. Non habenti ergo necessitatem, nec

Introdusă în format electronic de Google

episcopo liceat rem matris ecclesiæ ignorante concilio vel presbyteris, suis titulis usurpare.

Cap. 240. — *De eadem re. Ex Bracarensi concilio* I, *cap.* 17.

(*Dist.* 50, *c. Si quis presbyt.*) Si quis presbyter aut diaconus inventus fuerit de ministeriis ecclesiæ, ignorante concilio, aliquid vendidisse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiæ non haberi; in judicio tamen episcopi dimittendum sive dignus in suo recipi gradu.

Cap. 241. — *Quid agendum sit de episcopo qui res ecclesiæ vendiderit. Ex eodem concilio, cap.* 31.

(2, *q.* 3, *c. Placuit.*) Quicunque presbyter de jure tituli sui quolibet modo aurum, argentum vel gemmas, vestes quoque si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta aliquid in perpetuum alienare tentaverit donator, alienator ac venditor, honoris sui amissione multetur.

Cap. 242. — *De eadem re. Ex eod. concilio, cap.* 14.

(10, *q.* 2, *c. Si quis.*) Si quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut ubi forte non est presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, et in judicio episcoporum dejiciatur auditus, atque furti et latrocinii reus, suo privetur honore.

Cap. 243. — *Quod quantitas rei ecclesiasticæ sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparet fraudatori. Ex Tolet. conc. cap.* 33.

Omnis itaque rei ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparat fraudatori. Et ideo nullus sacerdotum vel ministrorum ex rebus ecclesiæ, quæ in quibuscunque locis a fidelibus largiuntur, aliquid auferat, et juri suo aut cathedræ propriæ unitati connectat. Verum ut hujus rei soliditas potior habeatur, propinquis ejus qui construxerunt vel ditaverunt ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut si sacerdotem vel ministrum aliquid ex rebus collatis præviderint defraudare, aut commonitionis honesta conventione compescant, aut talia episcopo aut judici corrigenda denuntient. Quod si talia episcopus agere tentat, metropolitano ejus hæc insinuare ne differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem præferre, non rapinam, non fraudem inferre, vel ingerere, non violentiam quamcunque, præsumere. Si quis hæc monita temerare præsumpserit, et male rapta cum confusione restituet, et excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

Cap. 244. — *De libertis qui ab ecclesiæ patrocinio discesserunt. Ex conc. Tol.* IV, *cap.* 70.

(12, *q.* 2, *c. Liberti.*) Liberti ecclesiæ qui a patrocinio ejus discedentes quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit; quia per inobedientiæ contemptum ingrati actione tenentur.

Cap. 245. — *De libertis ecclesiæ. Ibidem. cap.* 69.

(12, *q.* 2, *c. Liberti.*) Liberti ecclesiæ, quia nunquam moritur eorum matrona, a patrocinio ejusdem A nunquam discedant, nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreverunt. Et ne forte libertas eorum in futura prole non pateat, ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens sese ab ecclesiæ sanctæ patrocinio non subtrahat, necesse est ut tam iidem liberti, quam ab eis progeniti professionem episcopo suo faciant, per quam se ex familia ecclesiæ liberos esse fatentur ejusque patrocinium non relinquant, sed juxta virtutem suam obsequium ei vel obedientiam præbeant.

Cap. 246. — *De libertis qui a quibuscunque manumissi sunt. Ex eod. conc., cap.* 71.

(*Dist.* 87, *c. Liberti.*) Liberti a quibuscunque manumissi sunt, atque ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum Patrum constitue- B runt, sacerdotali defensione a cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.

Cap. 247. — *De manumissis in ecclesia. Ex Arausico concilio* I, *cap.* 7.

In ecclesia manumissos, vel per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem, vel in obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere [revocare] tentaverit, animadversione ecclesiastica coercebitur.

Cap. 248. — *De fugitivis ecclesiasticis servis. Ex Toletano concilio.*

Fugitivos etiam servos ecclesiasticos, domos suas aut familias deserentes, qui etiam si revocati fuerint, teneri non possint simili ratione, ab episcopo si voluerit, aut si illi ita meruerint, distrahantur.

Cap. 249. — *De episcopis qui nihil ecclesiæ suæ conferunt, et ex familia ecclesiæ liberos facere præsumunt. Ex eod. concilio.* C

Episcopi qui nihil ex proprio suo ecclesiæ Christi conferunt, liberos ex familiis ecclesiæ, ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium est enim, ut qui res suas ecclesiæ Christi non contulerit, damnum ecclesiæ inferat. Tales igitur libertos successor episcopi absque aliqua oppositione ad jus ecclesiæ revocabit.

Cap. 250. — *Quid in ecclesia legi debeat. Ex Aurelianensi conc., cap.* 3.

Nihil aliud in ecclesia legatur, aut cantetur, nisi quæ auctoritatis divinæ sunt, et Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa angelorum nomina D colant, sed ea tantum quæ prophetica, et evangelica docet Scriptura, id est Michael, Gabriel, Raphael

Cap. 251. — *Excommunicandos esse eos qui libros famosos in ecclesia legunt. Ex conc. Elibertino, cap.* 52.

Si qui inventi fuerint libros famosos et ignotos in ecclesia legere vel cantare, excommunicentur.

Cap. 252. — *De mulieribus quæ clam concipiunt. Ex Maticensi conc., cap.* 6.

In hoc sancto concilio decretum est ut unusquisque presbyter in sua plebe publice annuntiet, ut si aliqua femina clanculo corrupta conceperit, nequaquam filium aut filiam suam interficiat; sed quocunque prævalet ingenio ante januas ecclesiæ partum deportari ibique poni faciat, ut coram sacerdote in

Introdusă în format electronic de Google

crastinum delatus ab aliquo fideli suscipiatur, et enutriatur, et tali ex causa homicidii reatum, et quod majus est parricidium evadat. Nam, qui filium aut filiam interficit, parricida omnino destinetur.

CAP. 253. — *De infantibus in adulterio natis, et ad ecclesiam expositis. Ex Arelatensi* II *conc., cap.* 32.

Si expositus ante ecclesiam, cujuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam : ut si is qui collectus est intra decem dies quæsitus, agnitus non fuerit, securus habeat qui collegit. Sane qui post prædictum tempus calumniator exstiterit, ut homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.

CAP. 254. — *De eadem re. Ex Vasensi concilio, cap.* 9.

De expositis quia collata ab omnibus querela processit, eos non jam misericordiæ sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu, quamvis inflexa præceptis misericordiæ mens humana detrectet, id observandum est, ut secundum statuta fidelissimorum Augustorum, piissimorumque principum quisquis expositum colligit, ecclesiam contestetur, contestationem colligat. Nihilominus de altario Dominico die minister annuntiet, ut ecclesia sciat expositum esse collectum, ut intra dies decem, ab expositionis die expositum recipiat. Si quis se probaverit agnovisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia prout maluerit ad præsens tribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator exstiterit, homicida habendus est.

CAP. 255. — *Si sacerdotes oblationes fidelium, ab ecclesia auferunt, et in suos usus convertunt. Ex concilio Toletano* (*Tol.* IV), *cap.* 32.

Avaritia radix est cunctorum *malorum* (*I Tim.* VI), cujus sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi et martyrum, in parochiis episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt ; sacerdotes hæc auferunt, atque in usus suos convertunt. Inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia perdunt, inde basilicarum labentium ruinæ non reparantur, quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. (16, *q.* 1, *c. Constitutum est.*) Pro qua re constitutum est a præsenti concilio episcopos ita diœceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre, sed juxta priorum conciliorum auctoritatem tam de oblationibus quam de decimis, et de tributis ac frugibus tertiam consequantur. Quod si amplius quidpiam ab eis præsumptum fuerit, per concilium restaurentur, appellantibus ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam illi a sæculo discesserunt. (10, *q.* 1, *c. Noverint.*) Noverint autem conditores basilicarum in rebus quas eisdem basilicis conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere.

A CAP. 256. — *De quodam a dæmonio vexato. Greg. papa, cap.* 16, *lib.* II *Dialog.*

Ex eodem quoque tempore quidam Aquinensis Ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui a venerabili viro Constantio ejusdem Ecclesiæ antistite per multa fuit martyrum loca transmissus, ut sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, ut quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Jesu Christo Domino preces fudit, et antiq um hostem de obsesso homine protinus expulit cui sanato præcepit, dicens. Vade, et posthac carnem ne comedas, et ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas. Quacunque autem die sacrum ordinem temerare præsumpseris, B statim juri diaboli iterum mancipaberis. Discessit itaque clericus sanus, ac sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præcepit interim custodivit. Cum ergo post annos plurimos omnes priores illius de hac luce migrassent, et minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit. Quem mox is qui reliquit diabolus tenuit, eumque vexare quousque animam ejus excuteret, non cessavit.

CAP. 257. — *De rebus ecclesiæ quæ mortuo episcopo a presbyteris venditæ fuerint. Ex Ancyrano conc., cap.* 14.

De his quæ pertinent ad ecclesiam, quæ cum non adesset episcopus, presbyteri vendiderunt, placuit C rescisso contractu ad jura ecclesiastica revocari. In judicio autem erit episcopi, si constitutum pretium debeat recipi, nec ne, quia sæpe contingit rerum distractarum reditus ampliore summa quam accepto pretio reddi.

CAP. 258. — *De eo qui spernit oblatam presbyteri qui uxorem habuerit. Ex Gangrensi concilio, cap.* 4.

Quicunque discernit a presbytero qui uxorem habuerit, quia non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.

CAP. 259. — *Quod non permittantur ecclesiastici ad hæreticorum cœmeteria accedere. Ex Laodicensi concilio, cap.* 9.

Quod non permittantur ecclesiastici ad cœmeteria hæreticorum vel ad ea quæ ab eis appellantur martyria, orationis causa vel sanationis accedere ; D sed hujusmodi si fideles fuerint, certo tempore communione privari, pœnitentes autem et confitentes se deliquisse, convenit suscipi.

CAP. 260. — *Quod non oporteat ab hæreticis eulogias accipere. Ex eod. cap.* 32.

(1, *q.* 1, *c. Non oportet.*) Quod non oportet ab hæreticis eulogias accipere, quæ sunt maledictiones potius quam benedictiones.

CAP. 261. — *Quod nullus Christianus ad pseudomartyres ire debeat. Ex eodem concilio, cap.* 34.

Quod omnem Christianum non oporteat deserere martyres Christi, et ire ad pseudomartyres, id est hæreticorum, et ipsos quos constat hæreticos exstitisse : hi namque alienati sunt a Domino. Sint ergo anathema, qui ad tales accesserint.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 262. — *Quod non oporteat plebeios psalmos in ecclesia cantare. Ibid., cap.* 59.

Quod non oporteat plebeios psalmos in ecclesia cantare, nec libros præter canonem legi, sed sola sacra volumina Novi Testamenti, vel Veteris.

CAP. 263. — *De illis, qui conventus qui ad confessiones martyrum fiunt, abominantur. Ex Antiocheno concilio, cap.* 20.

Si quis superbiæ usus affectu, conventus abominatur qui ad confessiones martyrum celebrantur, et ministeria quæ in eis fiunt simul cum eorum memoriis exsecratur, anathema sit.

Ut energumenis in domo Dei sedentibus victus ab exorcistis administretur. Ex concilio Carthag. IV. *cap.* 92.

Energumenis in domo Dei sedentibus, victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.

CAP. 264. — *Ut sacra vasa non ab aliis quam a sacris viris tractentur. Ex decretis Sixti papæ.*

Cognoscat sapientia vestra, fratres charissimi, quia in hac sacra apostolica sede a nobis et reliquis episcopis, cæterisque Domini sacerdotibus staturum est, ut sacra vasa, non ab aliis, quam a sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quæcunque sunt, humanis usibus serviant, ut non ab aliis quam a Domino servientibus, eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo, et hi qui etiam non peccaverunt, mala patiantur, aut pereant, quia perit justus sæpissime pro impiis. Attendite ne talia in ecclesiis vestris permittatis deinceps fieri, ne grex pretiosissimo sanguine Christi redemptus, in præcipitium, quod absit, ruat.

CAP. 265. — *De sacris feminis, quæ sacra vasa et pallas altaris tractare præsumpserint. Ex epistola Soteris papæ.*

(*Dist.* 23, *c.* (?) *Idem supra, c.* 72.) Sacratas Deo feminas vel monachas sacra vasa, vel sacras [sacratas] pallas penes vos contingere, et incensum ponere, et circa altaria deferre, perlatum est ad apostolicam sedem. Quæ omnia reprehensione, et vituperatione plena esse nulli recte sapientium dubium est. Quapropter per hujus sanctæ sedis auctoritatem hæc omnia vobis resecare, funditus quantocitius poteritis censemus et ne pestis hæc latius divulgetur per omnes provincias, abstergi citissime mandamus.

CAP. 266. — *Quid faciendum sit de vasis sacris, de pallis altaris, et de velis ecclesiæ, si vetustate consumpta fuerint. Ex epist. Clementis papæ* (*epist.* 20).

(*De cons., dist.* 1, *c. Altaris palla.*) De vasis sane sacris quid gerendum, quidve inde faciendum sit: altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; quoniam non licet ea quæ in sanctuario fuerint, male tractari, sed incendio universa tradantur; cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, ubi nullus transitus habeatur, aut in pariete aut in fossis pavimentorum jactentur, ne ab introeuntium pedibus inquinentur. Pallas vero et velum quæ in sanctuario sordidata fuerint, diaconi cum humilibus ministri intra sanctuarium lavent, non ejicientes foras a sanctuario velamina Dominicæ mensæ, ne forte pulvis Dominici corporis male decidat sindone foris delata, et erit hoc operanti peccatum. Idcirco in sacrario ministris præcipimus cum diligentia custodire. Pallæ vero in alia pelvi laventur, vela in alia.

CAP. 267. — *Quod in oblatione corporis et sanguinis Domini incensum poni debeat. Ex Rothomagensi concilio, cap.* 2.

Ut tempore quo Evangelium legitur, finitoque offertorio, super oblationem incensum in mortem videlicet Redemptoris nostri ponatur decrevimus.

CAP. 268. — *Ut quoties basilicam ad quam itur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Ex epist. Leonis ad Dioscorum Alexandrinum, cap.* 2.

Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri ut cum solemnium festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et ad eamdem multitudo fidelium convenerit, quam recipere basilica una non possit, sacrificium indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem qui prius advenerint, videantur hi scilicet qui postmodum confluxerint, non recepti, cum plenum pietatis atque orationis opus sit, ut quoties basilicam aliquam iterum præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam populi pars sua devotione privetur, si unius tantum missæ more servato, sacrificium offerri non possit, nisi prima parte diei conveniant.

CAP. 269. — *Ut nullus presbyter titulum super titulum usurpare præsumat. Ex Nannetensi concilio.*

Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud seniorem sæcularem, nulla precatione vel aliquo xenio ecclesiam illam obtineat; quia titulus per se constans ante constitit: sed neque capellam, sine consultu episcopi: quod si fecerit definitam sententiam sibi prolatam suscipiat, sicuti de episcopo canonica decrevit auctoritas, ut si per ambitionem majorem civitatem appetierit, et illam perdat quam tenuit, et illam nequaquam obtineat, quam usurpare tentavit.

CAP. 270. — *Quid faciendum sit de altaribus in quibus sanctæ reliquiæ non inveniuntur. Ex Africano conc., cap.* 1.

Altaria in quibus sacra corpora, vel reliquiæ martyrum non esse probantur, ab ejusdem loci episcopo destruantur.

In altari quo missam episcopus celebravit, nulli presbytero die illo celebrandum. Ex concilio Urbico.

Ne in altari quo missam episcopus cantavit, presbyter eo die missam celebrare præsumat.

CAP. 271. — *Ut episcopus vel presbyter postquam missam incœperit et orationem dixerit, nisi passio aliqua interveniat, antequam ministerium adimpleat ab altario Dei nullo modo discedat. Zacharias papa, cap.* 9.

Ut episcopus aut presbyter, dum ingressus fuerit

Introdusă în format electronic de Google

ad missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione discedere, ut ab alio episcopo aut a presbytero suppleantur missarum solemnia, sed qui initium sumpsit, suppleat usque ad finem, quia scriptum est : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Si quis vero præsumpserit præter quod posuimus agere, a sacro corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi sit suspensus.

Cap. 272. — *Ut nullus episcopus vel presbyter ad celebranda missarum solemnia cum baculo ire, aut velato capite altari Dei assistere præsumat. Ex decretis ejusdem, cap.* 15.

(*De cons., dist.* 1, *c. Nullus.*) Ut nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad celebranda missarum solemnia præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere, quoniam et Apostolus prohibet viros velato capite orare in ecclesia (*I Cor.* xi), et si temere præsumpserit, excommunicetur.

Cap. 273. — *Ne corpora sanctorum transferantur de loco ad locum. Ex concilio* i *Maguntiensi, cap.* 51.

Deinceps vero corpora sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat, sine consilio principis vel episcoporum sanctæque synodi licentia.

Cap. 274. — *Quos mortuos in ecclesia sepelire liceat. Ex eodem, cap.* 52.

Nullus mortuus infrà ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi aut abbates aut digni presbyteri, vel fideles laici.

Cap. 275. — *Quod omnes fideles in ecclesia nihil agere debeant nisi orare. Ex* iii *Turonensi concilio, cap.* 38.

Sacerdotes debent fideles admonere, ut quando ad ecclesiam conveniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediantur : in qua etiam quandiu orationis causa morantur, nequaquam inter se proferant inanes confabulationes, sed tempore quo missarum solemnia celebrantur, non solum ab otiosis et inutilibus verbis, verum etiam et a perniciosis cogitationibus funditus abstinendum est.

Cap. 276. — *Quod divina clementia fixis in terra genibus exoranda sit, nisi in majoribus solemnitatibus. Ex eodem cap.* 37.

Sciendum est quod exceptis diebus Dominicis, et illis solemnitatibus, quibus sancta et universalis ecclesia ob recordationem Dominicæ Resurrectionis solet stando orare, fixis in terra genibus suppliciter clementiam nobis profuturam nostrorumque criminum indulgentiam deposcendum est. Cujus rei in Evangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum (*Matth.* xxvi). Sed Stephanum martyrem (*Act.* vii), et apostolum Paulum eadem fecisse, liber Actuum apostolorum testis est (*Act.* xx). Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne forte illi dicatur : *Quid superbis, terra et cinis* (*Eccle.* x).

Cap. 277. — *Quod non liceat mortuis osculum dare. Ex conc. Agathensi, cap.* 2.

Non liceat mortuis osculum dare, nec palliis quæ sacrificiis super altare ponuntur, corpora eorum involvere, vel super feretrum ponere.

Cap. 278. — *Ubi fideles sepeliri debeant. Ex conc. Triburiensi, cap.* 15.

Restat propter instantem, quæ nunc maxima occurrit, necessitatem, ubicunque facultas rerum et opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud ecclesiam ubi episcopi sedes est, celebrari. Si autem propter itineris longinquitatem aut adjacentem alicujus inopportunitatis difficultatem impossibile videatur, exspectet eum terra sepulturæ suæ, quo canonicorum aut monachorum sive sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, ut eorum orationibus judici suo commendatus occurrat, et remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si et hoc ineptum et difficile æstimetur ubi decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus.

Cap. 279. — *Ut sacerdotes ad tempus orationi vacent, antequam sacrificent. Ex decretis Innocentii papæ, cap.* 36.

Paulus ad Corinthios scribit dicens : *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* vi). Et si hoc laicis præcipit, multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge sacrificium est, semper debent ab hujusmodi consortio abstinere. Qui contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore, vel sacrificare forsitan usurpabit, aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* (*Tit.* i).

Cap. 280. — *De ecclesiis monachorum. Ex concilio Confluentiæ habito, cui interfuit Henricus et Carolus reges, cap.* 6.

Hocque statutum est, quatenus ecclesiæ quorumcunque monachorum, in singulis parochiis suorum episcoporum, ut decet divinitus subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis ecclesiasticæ curæ negotiis sollicite exhibeant, ipsi procul dubio monachi episcopis suis in omnibus obediant.

Cap. 281. — *De laicis qui proprias ecclesias habent. Ex eod. conc., cap.* 5.

Si laici capellas proprias habuerint, a ratione et auctoritate alienum habeatur, ut ipsi decimas accipiant, et inde canes aut genitarias suas pascant ; sed potius presbyteri ecclesiarum eas accipiant, et inde restaurationem exhibeant, et pro sancta ecclesia ac pro statu regni Dei misericordiam studiose implorent.

Cap. 282. — *De vasculis quibus sacra mysteria conficiuntur. Ex Triburiensi conc. cap.* 18, *cui interfuit rex Arnulphus.*

(*De cons., dist.* 1, *c. Vasa in quibus.*) Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria calices sunt et patenæ. De quibus Bonifacius martyr et episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit : Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zepherinus sextus

Introdusă în format electronic de Google

decimus Romanus episcopus patenis vitreis missas celebrari constituit. Tunc deinde Urbanus octavus decimus papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim, sicut in reliquis cultibus, magis ac magis per incrementum temporum decus succrevit ecclesiarum. Nostris enim temporibus qui servi patrisfamilias sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur, et amplificetur statuimus ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, inde irascatur Deus.

Cap. 283. — *De ecclesia a pluribus hæredibus possessa. Ex eod. conc., cap.* 32.

Quæcunque ecclesia a compluribus cohæredibus sit possessa, concordi unanimitate undique procuretur, ne propter aliquas disceptationes servitium Dei minuatur, et cura populi irreligiose agatur. Si vero contingat pro ea comparticipes dissidere, et sub nullo presbytero eam procurare, et propterea jurgia, et contentiones, tam inter ipsos, quam inter clericos incipiant frequentare; quia juxta Apostolum, *servos Dei non oportet litigare* (*II Tim.* II). Episcopus tollat inde reliquias, et submagna cura honorifice collocet eas, atque ejusdem ecclesiæ claudat ostia, et sub sigillo consignet ea, et sacrum mysterium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate, unum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, et populo Dei utiliter præesse.

Cap. 284. — *Ut hi qui suæ proprietatis loca alicubi dare voluerint, cognoscant decimam nusquam se tradere posse. Ex concilio apud Confluentiam, cap.* 8.

Si quis vero laicus vel clericus, seu utriusque sexus persona proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegaverit, decimationum proventum priori ecclesiæ legitime signatum, inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus ducatur, et ipse ad emendationem ecclesiastica coerceatur censura.

DECRETI PARS QUARTA

De observandis festivitatibus et jejuniis legitimis. De Scripturis canonicis, et consuetudinibus, et celebratione concilii.

Cap. 1.— *Quomodo intelligendum sit quod Apostolus ait : « Dies observatis et menses, et tempora, et annos, timeo ne sine causa laboraverim in vobis. » Ambrosius, in expositione Epistolæ ad Galatas, in cap.* IV

Dies observatis, et menses, et tempora, et annos (*Galat.* IV). Dies ergo observant, qui dicunt, ut puta, crastino proficiscendum non est, post crastinum enim non debet aliquid inchoari, et sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus perscrutantur lunæ dicentes, ut puta, septima luna instrumenta confici non debent; noua iterum luna, ut puta emptum servum domum duci non oportet : et per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora vero sic observant cum dicunt : Hodie veris initium est, festivitas est ; post cras Vulcanalia sunt. Posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt cum dicunt, Kalendis Januariis novus est annus quasi non quotidie anni impleantur. Sed ut Jani illius memoriam recolant bifrontis, hac superstitione utuntur, quæ longe debet esse a servis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligitur, ipso propitio nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum. Prospere enim potest cedere, quidquid simpliciter sub Dei devotione fit.

Cap. 2. — *Quod Pascha et Quadragesima a veteri lege trahunt auctoritatem, et quomodo Pascha nunc celebrandum. Beatus Augustinus in libro resp. ad Januarium* (*lib.* II, *c.* 15).

In Scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense novorum, luna 14 usque ad vigesimam primam (*Exod.* XII). Ex Evangelio tamen quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, et in sepultura fuerit, et resurrexerit (*Joan.* XIX), adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio, per Patrum concilia, et orbi universo Christiano persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere. Quadragesima jejuniorum habet auctoritatem, et in veteribus libris ex jejunio Moysi et Eliæ, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit (*Matth.* IV), demonstrans Evangelium non dissentire a lege et prophetis. In persona quippe Moysi lex (*Exod.* XXXIV), in persona Eliæ prophetæ accipiuntur (*III Reg.* XIX), inter quos in monte gloriosus apparuit (*Matth.* XVII), ut evidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens a lege et prophetis (*Act.* XXII). In qua ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passioni ? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, ut ab ipsius mundi amicitia jejunetur, quæ utique fallaciter blandiri, et illecebrarum fucos circumspargere atque jacere non cessat.

Cap. 3. — *Quod Pascha Dominica die celebrandum sit. Pius nonus* (*Pius I*) *a Petro papa omnibus ecclesiis in primo Decretalium suorum*

(*De consec., dist.* 3, *c. Nosse vos vol.*) Nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominico an-

Introdusă în format electronic de Google

nuis temporibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus, Hermes doctor fidei et scripturæ effulsit inter nos: licet nos eodem prædicto die celebraremus, et quidam inde dubitarent, ad corroborandas tamen animas eorum eidem Hermæ angelus Domini in habitu pastoris apparuit, et præcepit ei ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur tempore suo. Unde et vos apostolica auctoritate instruimus omnes eadem die servare debere, quia et nos eadem servamus; nec debetis a capite quoquomodo dissidere.

Cap. 4. — *De eodem. Victor* XIII *a Petro papa Theophilo episcopo et fratribus Alexandriæ positis, in primo decretali suo.*

(*De cons. dist.* 3, *c. Celebritatem.*) Celebritatem sanctæ Paschæ die Dominico agi debere, et prædecessores nostri jam statuerunt, et vos illud eadem die celebrare solemniter mandamus; quia non decet ut membra a capite discrepent, nec contra gerant.

Cap. 5.— *De solemnitate Inventionis sanctæ crucis. Eusebius papa, cap.* 4. (*epist.* 3.)

(*De cons., dist.* 3, *c. Crucis.*) Crucis Domini nostri Jesu Christi, quæ nuper nobis gubernacula sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenentibus, quinto Nonas Maii inventa est, in prædicto Kalendarum die. Inventionis festum vobis solemniter celebrare mandamus.

Cap. 6. — *De non prohibendo opere in Sabbato. Gregor., gratia Dei episcopus, dilectissimis suis civibus Romæ, lib.* XI *registri epist.* 3.

(*De cons., dist* 3, *c. Pervenit.*) Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua et sanctæ fidei contraria seminasse, ita ut die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerimus, qui veniens diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri? Quia enim mori se et resurgere simulat, haberi vult in veneratione Dominicum diem. Et quia populum judaizare compellet, ut exteriorem ritum legis revocet, et sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum. Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominicorum die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxu animi, et pro voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus.

Cap. 7. — *De his qui in Dominico die studiose jejunant. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 64.

(26, *q.* 7, *c. Sacerdos.*) Qui Dominico die studiose jejunat, non credatur Catholicus.

Cap. 8. — *De his qui ecclesia prætermissa ad spectacula pergunt. Ibidem, cap.* 88.

(*De cons., dist.* 1, *c. Qui die solem.*) Qui die solemni, prætermisso ecclesiæ conventu ad spectacula vadit, excommunicetur.

Cap 9. — *Ut solemnitates majores in ciritatibus celebrentur. Ex concilio Agathensi, cap.* 21.

(*De cons., dist.* 1, *c. Si quis.*) Si quis etiam extra parochias in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi missas teneat propter fatigationem familiæ, juxta ordinem permittimus. Pascha vero, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Ascensionem, Pentecosten, et Nativitatem sancti Joannis Baptistæ, et si qui maximi dies in festivitatibus habent ut, nonnisi in civitatibus, aut in parochils teneant. Clerici vero si qui in his festivitatibus, quas supra diximus, in oratoriis, (nisi jubente aut permittente episcopo) facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.

Cap. 10. — *De laicis qui solemnitatibus majoribus ad civitatem non occurrunt. Ex eodem conc. cap.* 62.

Ut cives qui superiorum solemnitatum, id est Paschæ, aut Natalis Domini vel Pentecostes festivitatibus, cum episcopis interesse neglexerint, in quibus civitatibus positos se accipiendæ communionis, vel benedictionis desiderio noverint: qui hoc facere neglexerint, triennio a communione priventur ecclesiæ.

Cap. 11. — *Ut litaniæ ante Ascensionem Domini celebrentur. Ex concilio Aurelianensi* I, *cap.* 29.

(*De cons., dist.* 3, *c. Rogationes.*) Rogationes, id est litaniæ, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut post missam triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur. per quod triduum servi et ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat, quo triduo omnes abstineant, et quadragesimalibus cibis utantur.

Cap. 12. — *Ut nullus civium festivitates majores in villa celebret. Ex eodem cap.* 27.

(*De cons., dist.* 3, *c. Nulli civium.*) Ut nulli civium Paschæ, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probatur tenuisse. Irreligiosa consuetudo est quam vulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit. Populi qui debent officia divina attendere, saltationibus turpibus invigilant, cantica non solum mala canentes, sed et religiosorum officiis perstrepentes. Hæc etenim ut ab omni Hispania depellantur, sacerdotum et judicum a concilio sancto curæ committitur.

Cap. 13. — *De Dominica die. Ex statutis Patrum*

Die autem Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi tantum hymnis, et psalmis; et canticis spiritualibus dies illa transeatur.

Cap. 14. — *Ut presbyteri plebibus annuntient dies qui feriandi sunt. Ex Lugdunensi concilio, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 3, *c. pronuntiandum.*) Pronuntiandum est, ut sciant tempore feriandi per annum, id est omnem Dominicam a vespera usque ad vesperam, ne judaismo capiantur. Feriandi vero per annum isti sunt dies: Natale Domini, sancti Stephani, sancti Joannis evangelistæ, Innocentium, sancti Silvestri, Octavæ Domini et Theophania, Purificatio sanctæ Mariæ, sanctum Pascha cum tota hebdomada; Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sancti dies Pentecostes, sancti Joannis Baptistæ, duodecim

Introdusă în format electronic de Google

apostolorum, maxime sanctorum Petri et Pauli, qui mundum sua prædicatione illuminaverunt, sancti Laurentii, Assumptio sanctæ Mariæ, Nativitas ejusdem, Dedicatio basilicæ sancti archangeli Michaelis, Dedicatio cujuscunque oratorii, et omnium sanctorum, et sancti Martini et illæ festivitates, quas singuli episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudaverint, quæ vicinis tamen circummorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquæ vero festivitates per annum non sunt cogendæ ad feriandum, nec prohibendæ. Indictum vero jejunium quando fuerit denuntiatum, ab omnibus observetur.

CAP. 15. — *Ut presbyteri cum festivitates annuntiant etiam jejuniorum et vigiliarum non obliviscantur. Ex concilio apud Compendium, cap.* 1.

Item presbyteri cum festivitates sacras populo annuntiant, etiam jejunium vigiliarum ubi esse debeat, eos omnimodo servare moneant.

CAP. 16. — *De observatione Dominicæ diei, et quod mercatus nec placitum in ea sit tenendum. Ex concilio Magunt.* I, *c.* 37.

Omnes dies Dominicos a vespera in vesperam omni veneratione et observatione decrevimus observare, et ab illicito opere abstinere, et ut mercatus minime in eis sit, nec placitum ubi aliquis ad mortem vel pœnam judicetur, nec sacramenta jurentur, nisi pro pace facienda.

CAP. 17. — *Item de eadem re. Ex concilio apud sanctum Medardum præsente Carolo imperatore, cap.* 5.

Statuimus quoque, secundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, vel metendo, vel fenum secando, vel sepem ponendo, vel in silvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec ad placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur.

CAP. 18. — *Ut in diebus Dominicis, et in diebus Pentecostes stantes oremus. Ex Niceno concilio* I, *cap.* 20.

(*De cons., dist.* 3, *c. Quoniam sunt.*) Quoniam sunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes, et in diebus Penteeostes, propterea est utique constitutum a sancta synodo, quoniam consona et conveniens per omnes ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem Domino vota reddamus.

CAP. 19. — *Ut uno die et tempore Pascha ubique celebretur. Ex Arelatensi concilio* I, *cap.* 1.

(*De cons., dist.* 3, *c. De observ.*) De observatione Paschæ Domini, ut uno die et tempore per omnem orbem, observetur, et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.

CAP. 20. — *Quæ opera Dominica die liceat fieri. Ex concilio apud Compendium, cap.* 6.

Tria carraria opera licet fieri in Dominica die, id est hostilicidia, carra, victualia, vel angaria, et si forte necesse sit, corpus cujuslibet duci ad sepulcrum.

CAP. 21. — *Item de observatione Dominicæ diei. Ex eod. conc. cap.* 7.

Feminæ opera textilia non faciant in die Dominico, non capulent vestimenta, vestitus non consuant, nec lanam carpant: non licet linum battere, aut vestimenta lavare: nec verveces tondere, ut omnibus modis honor et requies die Dominica persolvatur, sed ad missarum solemnia ubique conveniant, et laudent Dominum pro omnibus bonis quæ nobis in illa die conferre dignatus est.

CAP. 22. — *Item. Ex eodem concilio, cap.* 8.

Ut nullus episcoporum vel presbyterorum, vel clericorum die Dominica propositum cujuscunque causæ negotium audeat vindicare, nisi hoc tantum, ut Deo statuta solemnia peragantur.

CAP. 23. — *Nihil interesse quantum ciborum vel potus homo sumat, sed considerandum esse qua aviditate sumat, qua etiam facilitate, et serenitate animi ut si necesse sit his careat, Augustinus ex libro quæstionum evangelicarum.*

Quod Dominus dicit in Evangelio: *Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis* (*Matth.* XI), ostendit filios sapientiæ intelligere nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et temperantiam: per abundantiam non se corrumpendi atque opportune sumendi, vel non sumendi ea quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum est, neque quantum sumas multum interest, cum videamus aliorum stomachum citius saturari, et eos tamen illi ipsi parvo quo satiantur ardenter et intolerabiliter, et omnino turpiter inhiare; alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabiliter inopiam perpeti, et vel ante horam positas epulas, si id in tempore aut opus sit, aut necesse sit, cum tranquillitate aspicere, neque tangere. Magis ergo interest, non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ et pro suæ valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate et serenitate animi careat, cum his vel oportet vel etiam necesse est carere, ut illud in animo Christiani compleatur quod Apostolus dicit: *Scio et minus habere, scio et abundare, ubique et in omnibus imbutus sum et satiari et esurire, et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philip.* IV).

CAP. 24. — *Ut unusquisque cibo et potu non superstitiose, sed temperanter utatur, et metas consuetudinis bonorum inter quos conversatur, non excedat. Ex libro de doctrina Christiana, lib.* III, *cap.* 12.

Quisquis autem rebus prætereuntibus rectius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat,

Introdusă în format electronic de Google

aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. (*Post pauca.*) Quid ergo locis et temporibus personisque conveniat diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest ut sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum inardescat, et sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci (*Luc.* XXIV), quam lenticula more Esau nepotis Abraham (*Gen.* XXV), aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ quod vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus, non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi et modo appetendi, vel probandum est vel improbandum, quod facimus.

CAP. 25. — *Ut clerici septem hebdomadas ante Pascha a carne, et aliis dèliciis abstineant. Telesphorus VII, a Petro, in primo decreto suo omnibus episcopus.*

(*Dist.* 4, *c. Statuimus.*) Cognoscite a nobis, et cunctis episcopis in hac sancta et apostolica sede congregatis statutum esse; ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sorte Domini vocati a carne jejunent; quia sicut discreta debet esse vita clericorum a laicorum e conversatione, ita et in jejunio fieri debet discretio. Has ergo septem hebdomadas omnes clerici a carne, et deliciis jejunent, et hymnis, et vigiliis atque orationibus Domino inhærere die noctuque studeant.

CAP. 26. — *De jejunio Quatuor Temporum. Calixtus papa et martyr XV, a Petro Benedicto fratri suo et coepiscopo salutem.*

(*Dist.* 76, *c. Jejunium.*) Jejunium quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, convenientius nunc per Quatuor Tempora fieri decernimus: ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic et nos quaternum solemne agamus jejunium, per quatuor anni tempora.

CAP. 27. — *Dominica die non esse jejunandum. Melchiades papa XXVIII, a Petro, in primo decreto suo episcopis Hispaniarum* (*cap.* 3).

(*De cons., dist.* 3, *c. Jejunium Dominicæ.*) Jejunium Dominicæ diei, et quintæ feriæ nemo debet celebrare, ut inter jejunium Christianorum et gentilium, et veraciter credentium et infidelium atque hæreticorum vera et non falsa discretio habeatur.

CAP. 28. — *Quod rite omni Sabbato jejunetur. Innocentius I, Decentio Eugubino episcopo, cap.* 4.

(*De cons., dist.* 3, *c. Sabbato.*) Sabbato vero jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum, ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus, ac sicut sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quia inter tristitiam, et lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat apostolos biduo isto et in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse (*Joan.* XX). Quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio illius diei semper est celebranda. Quod si putant semel atque uno Sabbato jejunandum, ergo et Dominica et sexta feria semel in Pascha erit utique celebrandum.

CAP. 29. — *De Quadragesima. Gregorius Augustino Anglorum episcopo.*

(*Dist.* 4, *c. Denique sacerdotes.*) Denique sacerdotes, et diaconi, et reliqui omnes quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, a Quinquagesima propositum jejunandi suscipiant, quo et aliquid ad pensum sanctæ institutionis adjiciant, et eorum qui in laicali ordine consistunt observantiam, sicut loco ita et religione præcellant. De ipsa vero Dominica die hæsitamus quidnam dicendum sit, cum omnes laici et sæculares illa die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant, et nisi nova quadam aviditate usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se hujus sancti temporis observationem suscipere putant. Quod utique non rationi sed voluptati, imo cuidam cæcitati mentis ascribendum est. Unde nec a tali consuetudine averti possunt, et ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte pejores existant, si a tali consuetudine prohibeantur, ut enim ait Salomon: *Qui multum emungit, elicit sanguinem* (*Prov.* XXX). *Et post pauca.* Par autem est, ut qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementivam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo et ovis. *Et post pauca.* Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, ut hic ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Dumque a carne abstinet, nequaquam sibi sumptuosiora marinarum belluarum convivia paret. Vinum vero ita bibere permittimur, ut ebrietatem per omnia fugiamus. Alioquin restat, ut omnia quæ corpori libent similiter faciamus.

CAP. 30. — *De his qui carnem manducantes damnant. Ex Gangrensi concilio, cap.* 2.

(*Dist.* 30, *c. Si quis carnem.*) Si quis carnem manducantem ex fide cum religione præter sanguinem, et idolis immolatum, et suffocatum, crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, quod eas manducat, anathema sit.

CAP. 31. — *De temporibus jejuniorum. Ex Eliberitano concilio, cap.* 23.

Jejunia seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium, Julio et Augusto, et hoc ob eorumdem infirmitatem.

CAP. 32. — *Jejunia, quarta et sexta feria nisi ex magna necessitate non esse solvenda. Ex dictis sancti Apollonii* (*apud Palladium in ejus Vita*).

(*De cons., dist.* 3, *Jejunia sane.*) Jejunia vero legitima, id est quarta et sexta feria, non sunt solvenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit, quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitavit,

Introdusă în format electronic de Google

et sexta feria crucifixus est Salvator. Videbitur ergo qui in his diebus sine aliqua necessitate solverit statuta jejunia, vel cum tradente tradere Salvatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.

Cap. 33. — *De custodiendo jejunio. Ex concilio apud Salegonstath habito, cap.* 2.

De incerto autem jejunio Quatuor Temporum, hanc certitudinem statuimus, ut si Kalendis Martii in quarta feria sive antea evenerit, eadem hebdomada celebretur. Sin autem Kalendæ Martii in sexta feria, aut in quinta fuerint, aut in Sabbato distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Junii in quarta feria aut antea evenerint, in subsequente hebdomada celebretur jejunium. Et si in quinta, aut sexta feria, vel Sabbato contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit; sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes, quia vigiliam similiter et jejunium celebrare non convenit; et tunc propter solemnitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, et *Alleluia* cantetur, et *Flectamus genua* non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est ut, si Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint aut antea, jejunium in tertia hebdomada celebretur; et si in quinta, aut in sexta feria, aut Sabbato contigerit, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri vero illud observandum erit, ut proximo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium, quia si vigilia in Sabbato evenerit, simul vigiliam et jejunium celebrare non convenit.

Cap. 34. — *De observatione Quadragesimæ. Ex epistola Gregorii papæ, lib. quadraginta homiliarum, homil.* 16.

(*De cons., dist.* 5, *c. Quadragesima.*) Quadragesima summa observatione est observanda, ut jejunium in ea præter dies Dominicos qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni. A prima igitur Dominica Quadragesimæ, usque in Pascha Domini sex hebdomadæ computantur : quarum videlicet dies quadraginta duo. Ex quibus dum sex Dominici dies subtrahuntur abstinentiæ, non plus in abstinentia quam triginta et sex dies remanent. Verbi gratia : Si per trecentos sexaginta quinque dies annus dicitur, et nos per triginta sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus; et ut sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolluntur, id est quarta feria, quæ caput jejunii subnotatur, quinta feria sequens et sexta, et Sabbatum. Nisi quatuor istos dies superioribus triginta et sex adjunxerimus, quadraginta dies in abstinentia non habemus. Jubemur etiam ab omnipotente Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare. Quapropter ut omnis decima a nobis Deo rite persolvatur, tollamus decimam anni, et in ea peccata nostra confitendo, corrigendo nos, jejunando, vigilando, orando, eleemosynas dando abstergamus, et carnem nostram decimemus, ut ad sanctum Pascha securi pervenire possimus.

Cap. 35. — *De Quatuor Temporum jejunio. Ex Magunt. concilio* 1, *cap.* 34.

Constituimus ut Quatuor Tempora anni ab omnibus hominibus cum jejunio observentur, id est in Martio hebdomada prima, in Junio secunda, in Septembri tertia, in Decembri quarta, quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini; id est quarta, et sexta feria, et Sabbato, veniant omnes ad ecclesiam hora nona, cum litaniis ad missarum solemnia.

Cap. 36. — *Quo tempore ad missam pronuntiandum sit « Flectamus genua. » Ex Aurelianensi concilio, cap.* 13.

(*Dist.* 30, *c. Placuit, et c. Si quis presbyter.*) Ut presbyteri plebibus annuntient, quod in Quadragesima, et in jejunio Quatuor Temporum tantummodo ad missarum solemnia genua flectere debeant. In Dominicis contra diebus, vel cæteris festis a vespera usque ad vesperam non flectant genua, sed stantes incurvati orent : nec quisquam uno genu solo tenus impresso, orare præsumat (sicut Judæi irridentes Dominum in passione ejus fecisse leguntur), sed utraque genua in terram ponat. Ait enim Apostolus : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi* (*Ephes.* III).

Cap. 37. — *De illis qui indictum contempserint jejunium. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 35.

Si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, et observare cum cæteris Christianis noluerit, in Gangrensi concilio præcipitur, ut anathematizetur.

Cap. 38. — *De eadem re. Ex concilio Gangrensi, cap.* 19.

(*Dist.* 30, *c. Si quis.*) Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune jejunio, et ab ecclesia constituta, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

Cap. 39. — *De litania majore quomodo celebranda sit. Ex concilio Magunt., cap.* 33.

Placuit nobis ut litania major observanda sit a cunctis Christianis uno die, septimo Kalendarum Maii, sicut in Romana Ecclesia constitutum reperimus, et sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, non pretiosis vestibus induti, sed cinere aspersi et cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

Cap. 40. — *De jejunio rogationum. Ex Aurelianensi concilio, cap.* 6.

(*Eadem Burchard. lib.* XIII, *c.* 7.) Cum exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec illius flagelli aliquod remedium invenire possent, congregati traduntur Galliarum episcopi apud Viennam urbem, atque in commune statuerunt ut triduanum jejunium facerent. Cumque

Introdusă în format electronic de Google

Dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias ante Ascensionis Domini diem celebrarentur. Agamus et nos hos dies cum summa reverentia et devotione, cum abstinentia carnis et humilitate mentis et cordis, ut non solum visibilium luporum rabiem evadamus, sed ut invisibilium, id est spirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco et cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates et comessationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequáquam mulierculæ choros ducant, sed omnes in commune *Kyrie eleison* decantent, et cum contritione cordis Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conservatione frugum, et pro cæteris necessitatibus : dies enim sunt abstinentiæ, non lætitiæ.

Cap. 41.— *Ut in Cœna Domini, et in reliquis quadragesimæ diebus jejunium non solvatur. Ex Laodicensi conciliio, cap.* 50.

Quod non oporteat in Quadragesima in ultima septimana quintæ feriæ jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque omnem districto venerari jejunio.

Cap. 42.— *Ut in Sabbato sancto, jejunium ante noctis initium non solvatur. Ex Arausico concilio, cap.* 2.

(*Idem habetur l.* VII *capitularis regum, c.* 328.) Ut in Sabbato sancto, hoc est in vigilia Paschæ, jejunium ante noctis initium, nisi a parvulis aut infirmis non solvatur. Parasceve, et Sabbatum ad illos quadraginta dies respiciunt, nec divina mysteria his duobus diebus celebrentur. In canonibus quippe jubetur, biduo isto, id est Parasceve et Sabbato, sacramenta penitus non celebrari.

Cap. 43.— *Quod non oporteat in Quadragesima natalitia sanctorum celebrari. Ex Laodicensi concilio, cap.* 51.

(33, *q.* 4, *c. Non licet.*) Quod non oportet in Quadragesima natalitia martyrum celebrari, sed eorum sancta commemoratio in diebus Sabbatorum et Dominicorum fieri conveniat.

Cap. 44.— *Quod in diebus jejunii eleemosyna sit facienda. Ex Cabilonensi concilio, cap.* 5.

Diebus vero jejunii eleemosyna facienda est, et cibum sive potum quo quisque uti debuit, si jejunaverit, pauperibus eroget, quia jejunare, et cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis sed ciborum est incrementum.

Cap. 45.— *Ut in Quadragesima tempus prandii observetur. Ex eodem concilio Cabilonensi, cap.* 5.

(*De cons., dist.* 1, *c. Solent.*) Solent plures qui se jejunare putant in Quadragesima mox ut signum audierint, ad horam nonam manducare. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missam, et auditis missarum solemnibus et vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam venire non valeat æstimata vespertina hora, completa oratione sua, jejunium solvat.

Cap. 46.— *Quod in diebus jejuniorum nulla jurgia esse debeant. Ex concilio Liberii papæ, cap.* 4.

In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, et opere necessario persistendum. Arguit eos qui contentiones et lites Quadragesimæ tempore faciunt, et qui debita a debitoribus exigunt Dominus per prophetam dicens : *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie* (*Isai.* LVIII).

Cap. 47.— *Ut in sacris Quadragesimæ diebus conjugati a conjugio se abstineant. Ex eodem, cap* 5.

Abstinendum est enim sacratissimis Quadragesimæ diebus a conjugibus, et caste et pie vivendo in sanctificato corde et corpore isti dies transigantur, et sic perveniatur ad diem sanctum Paschæ; quia pene nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, et quod orationes, vigiliæ et eleemosynæ non commendant.

Cap. 48.— *Ut clerici qui a carnibus abstinent, non eas quasi abominales reputent. Ex Ancyrano concilio, cap.* 13.

Si qui in clero sunt presbyteri aut diaconi, et a carnibus abstinent, placuit eas quidem contingere, et ita si voluerint abstinere. Quod si in tantum eas abominantur, ut nec olera, quæ cum eis coquuntur existiment comedenda, tanquam non consentientes regulæ, ab ordine cessare debent.

Cap. 49.— *Ut jejunia a sacerdotibus constituta non facile solvantur. Ex decretis Eusebii papæ, cap.* 3.

(*De cons., dist.* 5, *c. Jejunia.*) Ut in Ecclesia a sacerdotibus jejunia constituta, sine necessitate rationabili non solvantur.

Cap. 50.— *De hoc, si evenerit pestilentia vel inæqualitas aeris. Ibidem, cap.* 2 (*ex decreto Liberii papæ*).

Si evenerit fames, aut pestilentia, aut inæqualitas aeris, vel alia qualiscunque tribulatio, statim jejuniis et eleemosynis, et obsecrationibus misericordia Domini deprecetur.

Cap. 51.— *Ut nullus in die Dominico pro abstinentia jejunet. Ex Gangrensi concilio, cap.* 13.

(*Dist.* 30, *c. Si quis tanquam.*) Si quis propter continentiam quæ putatur, aut propter contumaciam in die Dominica jejunat, anathema sit.

Cap. 52. — *De eadem re. Ex Turonico concilio, cap.* 57.

(*Dist.* 30, *c. Si quis presbyter.*) Si quis propter publicam pœnitentiam a sacerdote acceptam, aut pro aliqua necessitate die Dominica velut pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichæi, anathema sit.

Cap. 53.— *Ut placita sæcularia in diebus Dominicis et aliis præcipuis festivitatibus non fiant. Ex concilio apud Erphord habito iussu Henrici regis, cap.* 2.

(15, *q.* 4, *cap. Placita.*) Placita sæcularia Dominicis diebus, vel aliis præcipuis festis, seu etiam in

Introdusă în format electronic de Google

his dienus in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum canonicam constitutionem minime fieri decrevimus. Insuper sancta synodus decrevit, ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat sua auctoritate Christianos ad placitum bannire in supradictis diebus, id est septem dies ante Natale Domini usque in octavas Epiphaniæ, et a Quinquagesima usque in octavam Paschæ, et septem dies ante natalem sancti Joannis Baptistæ, quatenus eundi ad ecclesiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

Cap. 54.— *Quod jejunia a sacerdotibus constituta, absque ciborum luxuria observari debeant. August. sermone* 65.

(*De cons., dist.* 5, *c. Non dico.*) Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata jejunia, sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus.

Cap. 55.— *Et quotidianum jejunium non sit sine aliqua refectione. Ex dictis Pimenii eremitæ. Leguntur hæc in epist. Hieron. ad Eustochium de custodia virginitatis.*

(*De cons., dist.* 5, *c. Sint tibi quotidiana.*) Sint tibi quotidiana jejunia et refectio satietatem fugiens. Nihil [quid] enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur? si compensantur saturitate jejunia? Illico mens repleta torpescit, et irrigata terra corporis hujus spinas et carduos germinat.

Cap. 56.— *De eadem re. Hieronym. ad Nepotia. De vita clericorum*

Sint tibi jejunia pura, continuata, et moderata, id est quotidie esurire, et quotidie prandere.

Cap. 57.— *Quod jejunium curet vulnera relinquentis. Ex eodem loco.*

Noli, inquit Apostolus, *adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter infirmitates tuas* (*I Tim.* v): curat enim vulnera delinquentis, curatosque sanctificat jejunium.

Cap. 58.— *De quodam Alcibiade, qui sibi grave jejunii jugum imposuerat, et admonitus est a Domino, quod non recte faceret. Eusebius ecclesiasticæ historiæ libro* v, *cap.* 3.

Alcibiades quidam erat ex numero eorum, qui pro Christo vincti [sunt] tenebantur. Hic vitam satis arduam et austeram gerebat, nihil ciborum volens accipere, sed tantum pane et sale cum aqua utebatur. Cum vitæ hunc rigorem vellet etiam in carcere positus obtinere, Attalo cuidam servo Dei revelatum est, quia non recte faceret Alcibiades creaturis Dei, et vellet aliis formam scandali derelinquere. Quibus cognitis Alcibiades, cœpit omnia cum gratiarum actione percipere, quia quæ illi revelabat spiritus ut doceret, huic ut sequeretur idem spiritus persuadebat.

Cap. 59.— *Ne aliquis sibi sub obtentu religionis sine jussu episcopi sui vel presbyteri jejunium imponat. Ex concilio apud Erphord, cui interfuit Henricus rex.*

Ut nemo nisi consentiente episcopo proprio, aut ejus misso, jejunia sub obtentu religionis sibi imponat, unum præ aliis diem excipiendo, omnino interdicimus, quod et factum displicet, et in futurum fieri prohibemus, quia plus causa ariolandi esse dignoscitur, quam supplementum catholicæ legis.

Cap. 60.— *Ut nullus Christianus dum sancta loca pro reverentia petierit, alicujus publicæ potestatis banno ibidem constringatur. Ex eodem concilio.*

Præcipimus namque ut nullus Christianus pro reverentia ecclesiam petendo, alicujus publicæ potestatis banno ibidem constringatur : ne forte dum ad ecclesiam causa orationis properat, per bannum impediatur pro salute animæ suæ Domini misericordiam minus devote postulare.

Cap. 61.— *De ordine librorum Veteris Testamenti (Gelasius vava in concilio Romæ habito cum* 70 *episcopis.*

Genesis, lib. 1.
Exodi, lib. 1.
Levitici, lib. 1, etc.
Numeri,
Deuteronomii,
Jesu nave,
Judicum,
Regum, 4.
Ruth,
Paralipomenon 2.
Psalmorum, 150.
Salomonis 3
Job,
Tobiæ,
Esdræ,
Esther,
Judith,
Machabæorun..

De ordine vrovhetarum.

Isaiæ,
Jeremiæ, cum Cinoth, id est lamentationibus suis,
Ezechielis,
Danielis,
Oseæ,
Joel,
Amos,
Abdiæ,
Jonæ,
Micheæ
Naum,
Habacuc,
Sophoniæ,
Aggæi,
Zachariæ,
Malachiæ.

Cap. 62. — *De ordine librorum Novi Testamenti quos sancta Romana Ecclesia tenet; et universalis Ecclesia observat.*

Evangeliorum libri quatuor

Secundum Matthæum,
Secundum Marcum,
Secundum Lucam,

Introdusă în format electronic de Google

Secundum Joannem,
Actus apostolorum.

Epistolæ Pauli numero quatuordecim.

Ad Romanos,
Ad Corinthios, 2.
Ad Galatas,
Ad Ephesios,
Ad Philippenses,
Ad Colossenses
Ad Thessalonicenses, 2.
Ad Timothæum, 2.
Ad Titum,
Ad Philemonem,
Ad Hebræos,
Apocalypsis Joannis.

Ordo septem Epistolarum canonicarum.

Petri apostoli Epistolæ, 2.
Jacobi apostoli Epistola, 1.
Joannis apostoli Epistolæ, 3.
Judæ Zelotis Epistola, 1.

CAP. 63. — *Quando et quo tempore libri Veteris Novique Testamenti legendi sint.*

(*Dist.*, 15, *c. Sancta.*) In Septuagesima ponunt hepta [penta] chum, usque in quindecim dies ante Pascha. Quinta decima die ante Pascha ponunt Jeremiam usque in Cœnam Domini. In Cœna Domini legunt tres lectiones de lamentatione Jeremiæ : *Quomodo sedet sola civitas* (*Thren.* I), etc.; et tres de tractatu sancti Augustini in Psalmum LIV : *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris;* et tres de Apostolo, ubi ait ad Corinthios : *Convenientibus vobis in unum* (*I Cor.* XI). Secunda lectio sic incipit : *Similiter et calicem postquam cœnavit* (*ibid.*) Tertia : De spiritualibus autem, *nolumus vos ignorare, fratres* (*I Cor.* X). In Parasceve, tres lectiones de lamentationibus Jeremiæ (*Thren.* II); et tres de tractatu sancti Augustini in psalmum LXIII : *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor;* et tres de Apostolo, ubi ait in Epistola ad Hebræos : *Festinemus ingredi in illam requiem* (*Hebr.* IV), etc. Secunda : *Omnis namque pontifex* (*Hebr.* V). Tertia : *De quo grandis nobis sermo est* (*ibid.*). In Sabbato sancto tres lectiones de lamentatione Jeremiæ (*Thren.* III), et tres de tractatu S. August. in eumdem psalmum LXIII; et tres de Apostolo ubi ait, in Epist. ad Hebr. : *Christus assistens pontifex* (*Hebr.* IX), etc. Secunda lectio ubi ait : *Testamentum enim* (*ibid.*), etc. Tertia : *Umbram enim habens, lex futurorum bonorum* (*Hebr.* X). In Pascha Domini homilias ad ipsum diem pertinentes. Infra hebdomadam, homilias. In octava Paschæ ponunt Actus apostolorum, et Epistolas canonicas, et Apocalypsin, usque in octavas Pentecostes. In octava Pentecostes ponunt lib. Regum et Paralipomenon, usque in Kalendas Augusti. In Dominica prima Augusti ponunt Salomonem, usque in Kalendas Septembris; ex tunc ponunt Job, Tobiam, Judith, Esther, Esdram, usque in Kalendas Octobris. In Dominica prima mensis Octobris, ponunt Machabæorum libros usque in Kalendas Novembris. In A Dominica prima mensis Novembris ponunt Ezechiel, Daniel, et minores prophetas usque in Kalendas Decembris. In Dominica prima mensis Decembris ponunt Isaiam prophetam, usque in Nativitatem Domini. In vigilia natalis Domini, legunt primum de Isaia tres lectiones. Prima lectio : *Primo tempore alleviata est*, et cætera. Secunda : *Consolamini*. Tertia : *Consurge, consurge*. Deinde leguntur sermones vel homiliæ ad ipsum diem pertinentes. In natali S. Stephani, homilia de ipso die. In natali sancti Joannis similiter. In natali Innocentium similiter. In natali sancti Silvestri similiter. In octava Domini, homilia de ipso die. In Dominica prima post Nativitatem Domini, ponunt epistolas Pauli usque in Septuagesimam. In Epiphania lectiones tres de Isaia. Prima B lectio sic incipit : *Omnes sitientes*. Secunda : *Surge, illuminare*. Tertia : *Gaudens gaudebo;* deinde leguntur sermones vel homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

CAP. 64. — *De libris authenticis quos recipit Ecclesia præter illos qui in canone sunt. Ex decretis Gelasii papæ de libris authenticis, et apocryphis.*

(*Dist.* 15, *cap. Sancta Romana.*) Sancta Romana Ecclesia post illas Veteris vel Novi Testamenti quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet Scripturas. Sanctam synodum Nicænam 318 Patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus damnatus est. Sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit. Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi papæ Cœlestini, mediante Cyrillo Alexandrinæ civitatis episcopo, et Arcadio episcopo ab Italia destinato. Sanctam synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana hæresis, simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt. Sed et si qua sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, præter istorum quatuor auctoritatem, et custodienda et recipienda decrevimus.

Jam nunc subjiciendum de opusculis sanctorum D Patrum, quæ in Ecclesia catholica recipiuntur.

Opuscula beati Cypriani martyris, et Carthaginensis episcopi.

Item, opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi.

Item, opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi.

Item, opuscula beati Basilii Cappadoceni episcopi.

Item, opuscula beati Joannis Constantinopolitani episcopi.

Item, opuscula Theophili Alexandrini episcopi

Item, opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item, opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi.

Introdusă în format electronic de Google

Item, opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi.

Item, opuscula beati Augustini Hipponensis episcopi.

Item, opuscula beati Hieronymi presbyteri.

Item, opuscula beati Prosperi, viri religiosissimi.

Item, epistola Leonis papæ ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinata : cujus textum quispiam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item, opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum qui in nullo a sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviarunt, nec ab ejus fideli prædicatione [fide vel præd.] sejuncti sunt; sed ipsius communionis per gratiam Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus.

Item, decretales epistolas quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consolatione [consultatione] dederunt, venerabiliter suscipiendas.

Item, Gesta sanctorum martyrum quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita [ista] esse Catholicorum dubitet, et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui scripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus aut dictis [idiotis] superflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cujusdam Cyrici [Quirici] et Julitæ, sicut Georgii aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ : propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes martyres, et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur. Item, Vitas Patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis et omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item, Actus beati Silvestri apostolicæ sedis præsulis, licet ejus qui scripsit nomen ignoremus, a multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ. Item, scriptura de inventione crucis Dominicæ, et alia scriptura de inventione capitis beati Joannis Baptistæ novellæ quidem revelationes sunt, et nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus advenerint, beati apostoli Pauli sententia præcedat : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*1 Thess.* v). Item, Ruffinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, quasdam autem scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus, et non solum de Ruffino, sed etiam de universis quos vir sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit. Item, Origenis nonnulla opuscula quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. Item, Chronica Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem Historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum. Propter rerum tamen singularem notitiam, qui ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos. Item, Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias ordinavit historiam, miraque brevitate contexuit. Item venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude proferimus. Item, Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur. Cæterum quæ ab hæreticis conscripta vel prædicta sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Ecclesia Romana. E quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, et a Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

CAP. 65. — *De notitia librorum apocryphorum, qui a sanctis Patribus damnati sunt æterna damnatione.*

(*Dist.* 15, *cap. Sancta.*) In primis Ariminensem synodum a Constantio Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto ex tunc et nunc et usque in æternum confitemur esse damnatam. Item, itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libri octo [decem] apocryphum. Actus nomine Andreæ apostoli, apocryphi. Actus nomine Thomæ apostoli, apocryphi. Actus autem nomine Petri apostoli, apocryphi. Actus nomine Philippi apostoli, apocryphi. Evangelium nomine Thaddæi, apocryphum. Evangelium nomine Barnabæ, apocryphum. Evangelium Thomæ apostoli quo Manichæi utuntur, apocryphum. Evangelium nomine Bartholomæi apostoli, apocryphum. Evangelium nomine Andreæ apostoli, apocryphum. Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocrypha. Evangelia quæ falsavit Ysius [Esitius vel Hesychius], apocrypha. Liber de infantia Salvatoris, apocryphus. Liber de nativitate Salvatoris, et de sancta Maria, et de obstetrice Salvatoris, apocryphus. Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus. Libri omnes quos fecit Leutius discipulus diaboli, apocryphi. Liber, qui appellatur fundamentum, apocryphus. Liber, qui appellatur thesaurus, apocryphus. Liber, qui appellatur de filiabus Adæ vel Genesis, apocryphus. Centimetrum de Christo virgilianis compaginatum versibus, apocryphum. Liber, qui appellatur Actus Theclæ et Pauli apostoli, apocryphus. Liber, qui appellatur Nepotis, apocryphus. Liber proverbiorum ab hæreticis conscriptus, et sancti Sixti nomine signatus, apocryphus. Revelatio quæ appellatur Pauli apocrypha. Revelatio quæ appellatur Thomæ apo-

Introdusă în format electronic de Google

stoli, apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Stephani, apocrypha. Liber, qui vocatur transitus [trans., id est assumptio] S. Mariæ, apocryphus. Liber, qui appellatur pœnitentia Adæ, apocryphus. Liber Diogeniæ [Ogiæ], nomine Gigantis, qui post diluvium cum dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur, apocryphus. Liber, qui appellatur Testamentum Job, apocryphus. Liber, qui appellatur pœnitentia Origenis, apocryphus. Liber, qui appellatur pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus. Liber, qui appellatur pœnitentia Jamnis et Mambre, apocryphus. Liber, qui appellatur sortes apostolorum, apocryphus. Liber Lusam, apocryphus. Liber canonum apostolorum, apocryphus. Liber Physiologus ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine præsignatus, apocryphus. Historia Eusebii Pamphili, apocrypha. Opuscula Tertulliani sive Africani, apocrypha. Opuscula Postumiani et Galli, apocrypha. Opuscula Montani, Priscillæ et Maximillæ, apocrypha. Omnia opuscula Fausti Manichæi, apocrypha. Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha. Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum, apocrypha. Opuscula Victorini Pictaviensis, apocrypha. Opuscula Fausti Regiensis Galliarum, apocrypha. Opuscula Frumenti, apocrypha. Epistola Jesu ad Abagarum regem, apocrypha. Passio Cirici et Julitæ, apocrypha. Passio Georgii, apocrypha. Scripta quæ appellantur Salomonis contradictio, apocrypha. Phylacteria omnia, quæ non ab angelo, ut illi confingunt, sed magis a dæmone conscripta sunt, apocrypha. Hæc omnia et his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, et qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus sive Manichæus, Faustus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Calistus, Donatus, Eustathius, Jovinianus, Pelagius, Julianus et Laudensis [Celanensis], Cœlestinus, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Lampedius, Dioscorus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit. Acacius Constantinopolitanus cum suis consortibus, nec non et omnes hæreses, quas ipsi eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinemus, non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus, sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

CAP. 66.—*Consuetudinem servandam esse, quæ non est contra fidem catholicam. Ex epistola Pii papæ I (decret. 7).*

(*Dist.* 11, *c. Consuetudinem.*) Petistis enim per Hilarium chartularium nostrum a beatæ memoriæ decessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas beati Petri apostolorum principis ordinatione intus hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis nostræ consuetudinem laudamus, quæ tamen fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur.

CAP. 67. — *Ut ecclesiastica statuta ab apostolis et apostolicis magistris Ecclesiæ tradita, integra serventur, et nullus secundum quod sibi visum fuerit, sed secundum antiquam traditionem ea teneat. Ex decretis Innocentii papæ I, epist.* 1.

Innocentius Decentio episcopo Eugubino salutem. Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod ipsi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesiis non convenire, aut ab apostolis vel ab apostolicis viris contrarietatem inductam. (*Dist.* 11, *c. Quis enim nesciat.*) Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes? aut legant si in his provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur docuisse? Quod si non legunt quia nusquam inveniunt, oportet eos sequi quæ Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad urbem venisse, ac nobiscum in ecclesiam convenisse, et quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat cognovisse non dubium est. Quod sufficere arbitrarer ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si quod prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondimus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel eos qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut scire valeamus, qui sint qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam.

CAP. 68.—*Quod consuetudines ecclesiasticæ pro lege sint tenendæ. Augustinus epist.* 86 *ad Casulanum presbyterum.*

(*Dist.* 11, *c. In his rebus.*) In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, et instituta majorum pro lege tenenda sunt; et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 69. — *Item de observandis constitutionibus ecclesiasticis. Basilius lib. De Spiritu sancto, cap.* 27.

(*Dist.* 11, *c. Ecclesiasticarum.*) Ecclesiasticarum institutionum quasdam Scripturis, quasdam vero apostolica traditione per successiones in mysterio, traditas recepimus; quædam vero consuetudine roborata approbavit usus. Quibus par ritus, et idem utrisque pietatis debetur affectus, unde quis vel aliquantulum sacrarum expertus Scripturarum hæsitaverit? Si enim attentaverimus consuetudines Ecclesiæ, non per scripturas a Patribus traditas nihil æstimare, quantum religio detrimenti latura sit, dispicientibus liquido constabit. Quæ enim, ut inde ordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ vel trifariam digesta super calicem et panem prolixæ orationis, vel etiam consecrationis verba commendavit? Nam non modo quod in Evangelio continetur, vel ab Apostolo insertum est, in secretis dicimus, sed et alia perplura adjicimus, magnam quasi vim commendantia mysteriis. Quæ orientem versus nos orare litterarum forma docuit? Benedicemus fontem baptismatis oleo unctionis : huc accedit quod ter immergimus, quos baptizamus, oleo ungimus, verbis abrenuntiare Satanæ et angelis ejus informamus. Unde hæc, et alia in hunc modum non pauca, nisi tacita ac mystica traditione a Patribus ecclesiastico more reverentiori diligentia sunt in ministeriis observata silentio, quam publicata scripto?

Cap. 70.—*Ad quos recurrendum, cum sacræ Scripturæ auctoritas non occurrit. Ex decretis Innocentii papæ, cap.* 18.

(*Dist.* 20, *c. De quibus.*) De quibus causis [cum] nulla solvendi ligandique auctoritas in libris Veteris Testamenti, quatuor Evangeliorum, cum scriptis totis apostolorum appareat, ad divina recurre scripta Græca. Si nec in illis, ad catholicæ Ecclesiæ historias catholicas a doctoribus catholicis scriptas manum mitte. Si nec in illis, canones apostolicæ sedis intuere. Si nec in illis, sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quod si his omnibus inspectis, hujus quæstionis qualitas non lucide investigatur, seniores provinciæ congrega, et eos interroga. Facilius namque invenitur, quod a pluribus senioribus quæritur. Verus etiam repromissor Dominus ait : *Si duo ex vobis, vel tres conveniunt super terram in nomine meo, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo* (*Matth.* xviii).

Cap. 71.—*Quæ in canone inveniuntur firmiter tenenda, quæ vero in aliorum scriptis reperiuntur, diligenter esse consideranda. Augustinus in prologo lib.* iii *de Trinitate.*

(*Dist.* 9, *c. Noli meis.*) Noli meis litteris, quasi Scripturis canonicis deservire, sed in illis, et quod non credebas, cum inveneris incunctanter crede. In istis autem quod certum non habebas nisi certum intellexeris, noli firme tenere.

Cap. 72.—*Quorum Patrum scripta magis sint authentica. Leo quartus episcopis Britanniæ.*

(*Dist.* 20, *c. De libellis.*) De libellis et commentariis aliorum non convenit aliquos judicare, et sanctorum conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum canone, in illis quibus in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, id est apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Carthaginensium, Africanensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, et cum illis regulæ Romanorum pontificum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii, Hormisdæ et Gregorii junioris. Isti omnino sunt et per quos judicant episcopi, et per quos episcopi simul et clerici judicantur. Nam, si tale emerserit vel contigerit invisitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter sanctorum doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda, vel ad apostolicam sedem referatur de talibus. Quam ob causam luculentius et magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa quæ diximus sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulantur, sive sit episcopus, sive clericus, sive laicus, non indifferenter receperit, ipse convincitur nec catholicam et apostolicam fidem, nec sancta vera Christi Evangelia quatuor utiliter et efficaciter, et ad effectum [profectum] suum retinere vel credere.

Cap. 73.—*Augustinus dicit multa esse in opusculis suis, quæ culpari possunt. August. ad Vincentium Victorem, lib.* ii (*L.* iv *De anima et ejus origine, cap.* 1.

(*Dist.* 9, *c. Negare.*) Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio, et nulla temeritate culpari

Cap. 74.—*Scriptores canonicarum Scripturarum, et si non intelligantur, non tamen eos errasse credendum esse; alii vero scriptores si auctoritate vel ratione probaverint, quæ dicunt notanda esse. Augustinus, epist.* 19 *ad Hieronymum.*

(*Dist.* 9, *c. Ego solis.*) Ego solis eis scriptorum qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse aliquid firmissime credam. Aut si in eis aliquid offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum codicem esse, vel non esse assecutum interpretem quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

Cap. 75. —*Quod ea quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistant. Gelasius De vinculo anathematis.*

Ne forte, quod solent, hoc dicant. Quod si synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto admitti oportere, aut si ex parte repudia-

Introdusă în format electronic de Google

bilis est, firmam ex toto constare non posse cognoscant : igitur, quoniam illud secundum Scripturas sanctas traditionemque majorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ pro fidei communione, et veritate catholica et apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit, factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ sedes apostolica gerenda delegavit [*forte* deneg.], mox a vicariis sedis apostolicæ contradicta manifestum est, quæ sedes apostolica etiam petente Martiano principe nullatenus approbavit. Quæ præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius, nec se præsumpsisse professus est, et in apostolicæ sedis antistitis non negavit posita potestate. Quæ ideo, sicut dictum est, sedes apostolica non recipit, quia quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistunt [sustinet]. Quid enim, quia in libris sanctis quos utique veneramur et sequimur, quoniam quorumdam illic et profanitates esse feruntur, et scelera gesta narrantur, et ideo nobis pariter aut venerańda sunt aut sequenda, quia in illis sanctis libris et venerabilibus continentur?

Cap. 76. — *Constantinopolitanam synodum eam quæ contra Photium facta est non esse reciviendam. Joannes VIII patriarchæ Photino.*

Illam quæ contra Photium facta est Constantinopoli synodum irritam facimus et omnino delevimus, tum propter alia, tum quoniam Adrianus papa non subscripsit in ea.

Cap. 77. — *De eodem. Joannes vava avocrisariis suis.*

Diceti s quod illas synodos quæ contra Photium sub Adriano papa Romæ vel Constantinopoli sunt factæ, cassamus et de numero sanctarum synodorum delemus.

Cap. 78. — *Quo tempore sexta synodus facta sit. In prologo historiæ Anastasii bibliothecarii Romanæ Ecclesiæ.*

Frustra garriunt quidam dicentes post quatuor annos fuisse factas sextæ synodi capitulares, quæ diffamatæ sunt, formas. Item, ex ipsa chronica adnotatione patenter apparet, quod collectio a sancta universali sexta synodo usque ad deditas formas anni viginti et septem sint.

Cap. 79. — *Sergium papam propter quædam capitula extra ritum ecclesiasticum annexa, non subscripsisse synodo, quam Justinianus imperator in Regia urbe collegerat. Ex libro Pontificali.*

Sergii papæ temporibus Justinianus imperator, concilium in urbe Regia fieri jussit, in quo et legati sedis apostolicæ convenerunt, et decepti subscripserunt. Compellebat autem et ipsum subscribere, sed nullatenus acquievit pro eo quod quædam capitula extra ritum ecclesiasticum fuerant in eis annexa. Quæ quasi synodaliter definita, et in septima synodo conscripta, ac a tribus patriarchis, id est Constantinopolitano, Alexandrino et Antiocheno, vel cæteris præsulibus qui in tempore convenerant subscripta, manu imperiali confirmata, missis in locello quod cribro [crebro; *alias*, scebro] carnaliter vocatur, in hac Romana urbe ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum, Sergio pontifici, utpote capiti omnium sacerdotum direxit; qui beatissimus pontifex, ut dictum est, penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem tomos suscipere aut lectioni pandere passus est : porro eos ut invalidos respuit et rejecit, eligens ante mori quam novitatum erroribus consentiret. *Item.* Sub Joanne VII pro tomis quos antea sub domino Sergio apostolicæ sedis pontifice Romano Justinianus Augustus direxerat, in quibus capitula diversa Romanæ Ecclesiæ contraria scripta, duos metropolitas episcopos demandavit, dirigens per eos et sacram, per quam denominatum pontificem conjuravit ac adhortatus est, ut apostolicæ Ecclesiæ concilium congregaret, et quæ ei visa essent stabiliret, et quæque adversa renuendo cassaret.

Cap. 80. — *Quod Sardicense concilium Arianorum fuerit. Augustinus contra Cresconium grammaticum libro tertio.*

Disce quod nescis, Sardicense concilium Arianorum fuit. *Item libro quarto.* Sardicense concilium Arianorum fuit.

Cap. 81. — *Historiam Sozomeni ab apostolica sede recusari. Fulgentius Alexandrino et Anastasio Antiocheno episcopis.*

In historia Sozomeni de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes apostolica suscipere recusat, quando multa mentitur, et Theodorum inconsuete nimium laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ perhibet. Restat ergo ut si quis illam historiam recipit, synodo quæ piæ memoriæ Justiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat. Qui vero huic contradicere non valet, illam historiam necesse est ut repellat.

Cap. 82. — *Scripta Eusebii de temporum historia suscipienda. Augustinus de doctrina Christianorum libro* II, *cap.* 39.

Quod Eusebius fecit de temporum historia, propter divinorum librorum quæstiones quæ usum ejus flagitant, suscipimus.

Cap. 83. — *De quodam rege Edissenæ civitatis. Responsiones Adriani papæ contra objectiones quorumdam ad Agarum, cap.* 18.

Prædecessor noster sanctæ recordationis dominus Stephanus papa quondam sanctissimus, in supradicto concilio præsidens, inter plurima veridica testimonia per semetipsum asserens docuit ita. Sed nec illud est prætereundum, quod relatione fidelium de partibus orientis advenientium sæpe agnovimus : in quibus licet Evangelium sileat, tamen nequaquam in omnibus incredibile fidei meritum, et hoc affirmante ipso Evangelio : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quæ non scripta sunt in libro hoc* (*Joan.* XX). Denique fertur ab asserentibus,

Introdusă în format electronic de Google

quod Redemptor humani generis appropinquante die passionis cuidam regi Edessenæ civitatis desideranti corporaliter eum cernere, et ut persecutiones Judæorum aufugiens ad illum convolaret, et auditas miraculorum opiniones et sanitatum curationes illi et populo suo impertiret, respondisse : « Quod si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, per quam et desiderii tui fervorem refrigeres, et quod de me audivisti, impossibile nequaquam fieri existimes. Postquam tamen complevero ea quæ de me scripta sunt, dirigam tibi unum ex discipulis meis, qui tibi et populo tuo sanitates impertiat, et ad sublimitatem fidei vos perducat. »

Cap. 84. — *Soli ei libros hæreticorum legere concedendum esse, qui in Deo et in fide firmatus decipi nequit. Beda super parabolas Salomonis libro* I.

Soli ei conceditur hæreticorum libros legere, qui a Deo solidatus est in fide catholica, ut verborum dulcedine vel astutia nequeat ab ea segregari.

Cap. 85. — *Quod subtilitatem legentium turbat, qui eos a sæcularibus litteris legendis omnimodis prohibendos esse æstimat. Beda super Regum lib. II* (*cap.* IX).

(*Dist.* 37, *c. Turbat acumen.*) Turbat acumen legentium et deficere cogit, qui eos a legendis sæcularibus litteris omnimodis æstimat prohibendos, quibus ubilibet inventa utilia quasi sua sumere licet. Alioquin nec Moyses et Daniel sapientia vel litteris Ægyptiorum, Chaldæorumque se paterentur erudiri quorum tamen superstitiones simul et delicias adhorrebant : nec ipse magister gentium aliquot versus poetarum suis vel dictis indidisset, vel scriptis.

Cap. 86. — *Legibus imperatorum non in omnibus controversiis ecclesiasticis utendum esse. Nicolaus papa in concilio apud Convicinum* (*ep.* 52, *ad episcopos synodi Silvanectensis*).

(*Dist.* 10, *c. Lege imperat.*) Lege imperatorum non in omnibus ecclesiasticis controversiis utendum est, præsertim cum inveniuntur evangelicæ [ecclesiasticæ] ac canonicæ sanctioni aliquoties obviare. Lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

Cap. 87. — *Cypriani opuscula, Athanasii, Hilarii firma et in nullo convulsa. Hieronymus ad Lætam de institutione filiæ.*

Cypriani opuscula semper in manu teneat (filia tua), Athanasii epistolas, et Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillat. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quam sequatur.

Cap. 88. — *Libros catholicorum Patrum qui sanctorum vitam describunt non rejiciendos. Ex regula sancti Benedicti, cap.* 73.

Quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? nec non et collationes Patrum et instituta, et vitæ eorum, sed et regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi bene viventium et obedientium monachorum, instrumenta virtutum?

Cap. 89. — *Quod Hieronymus, et Gennadius ecclesiasticos scriptores in uno volumine comprehenderint. Isidorus Etymologiarum lib.* VI, *cap.* 7.

Hieronymus atque Gennadius ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes ordine prosecuti sunt, eorumque studia in uno voluminis indiculo comprehenderunt.

Cap. 90. — *De vilitate voluminum Dionysii Areopagitæ. Beda super Actus apostolorum.*

Dionysius Areopagita episcopus ordinatus Corinthiorum, rexit Ecclesiam gloriose, multaque ad utilitatem Ecclesiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenii sui volumina reliquit : cognomen a loco cui præerat accipiens, Areopagus.

Cap. 91. — *De discretione Regulæ sancti Benedicti. Gregorius Dialogorum libro* II, *cap.* 36.

Benedictus scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.

Cap. 92. — *Actio secunda Chalcedonensis concilii.*

Gloriosi judices dixerunt : Dominus noster imperator secundum canonicas Epistolas, et constitutiones sanctorum Patrum, Gregorii, Basilii, Hilarii, Athanasii, Ambrosii et Cyrilli credit, et nullo modo ab eorum fide recedit.

Cap. 93. — *Actio tertia.*

Gloriosi principes dixerunt : Piissimus imperator juxta constitutionem sanctorum trecentorum decem et octo Patrum, et confirmationem centum quinquaginta Patrum, et expositiones sanctorum Gregorii, Basilii, Hilarii, Athanasii, Ambrosii et Cyrilli credit, et ab eorum fide nullo modo recedit.

Cap. 94. — *De libris Gelasii. Ex libro Pontificali.*

Gelasius fecit libros quinque adversus Nestorium et Eutychen, fecit et tractatus in modum Ambrosii. Item, libros duos adversus Arium; fecit autem et sacramentorum præfationes, et orationes cauto sermone, et epistolas fidei elimato sermone multas.

Cap. 95. — *De libris Clementis, ibidem.*

Clemens fecit duas epistolas quæ catholicæ nominantur.

Cap. 96. — *De synodico libello Gregorii. Beda in Historia Anglorum, libro* II, *cap.* 1.

Libellum synodicum episcopis Italiæ de necessariis Ecclesiæ causis utilissimum Gregorius composuit.

Cap. 97. — *De quadraginta homiliis Gregorii. Gregorius episcopus in prologo quadraginta homeliarum.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Secundino coepiscopo. Inter sacra missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in ecclesia hac legi ex more solent, sancti Evangelii lectiones exposui quadraginta; et quarumdam quidem dictata expositio assistenti plebi est recitata per notarium,

Introdusă în format electronic de Google

quarumdam vero explanationem coram populo ipse locutus sum, atque ita, ut loquebar, excepta est.

Cap. 98. — *De dispositione earumdem. Ibidem.*

Easdem homilias eo quo dictæ sunt ordine in duobus codicibus ponere curavi, et priores quidem viginti quæ dictæ sunt, et posteriores totidem.

Cap. 99. — *Gesta quintæ synodi, die tertia.*

Sequimur per omnia sanctos Patres et doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum : et suscipimus omnia quæ de recta fide, et condemnatione hæreticorum exposuerunt, suscipimus autem et alios sanctos et orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque in finem vitæ suæ prædicaverunt.

Cap. 100. — *De confirmatione libelli Ennodii. Synodus e Symmachi papæ.*

Synodus dixit : Ea quæ in libello quem Ennodius nostra auctoritate conscripsit, sicut in nostra præsentia relecta sunt, ut propriis manibus roborentur, rogamus, atque ut in perpetuum conserventur, sicut prædictum est, vestra apostolica auctoritate firmentur. Symmachus respondit : Fiat.

Cap. 101. — *Quid idem Ennodius sentiat de auctoritate Romani pontificis. Nicolaus papa I Michaeli Augusto (ep. 2 vel 8).*

Sicut magnus Christi confessor Ennodius Ticinensis episcopus qui ab Hormisda apostolicæ memoriæ Constantinopolim missus, innumeras miserias a Græcorum vesania pro fide Christi et statu Ecclesiæ non semel pertulit, ex propheta de his meminit : *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea; aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam ?* (*Isai.* x.)

Cap. 102. — *Item de eodem. Joannes VIII, Berrario [Bercari] abbati.*

Absit a piis mentibus quid de Romani culminis pontifice sinistrum sentire, cum beato Ennodio confessore Ticinensis urbis antistite scribente doceamur quia Deus omnipotens aut claros ad tanta fastigia erigit, aut certe quos elegit illustrat.

Cap. 103. — *De commentario Rheticii Augustodunensis episcopi, in Canticum canticorum. Hieronymus in epist. ad Florentium, quæ incipit :* In ea mihi parte.

Ob hoc et ego obsecro, et tu ut petas plurimum quæso, ut tibi beati Rheticii Augustodunensis episcopi commentarium ad describendum largiatur, in quo Canticum canticorum sublimi ore disseruit.

Cap. 104. — *De Joanne Scoto, quod in quibusdam bene non senserit. Nicolaus Carolo regi majori.*

Relatum est apostolatui nostro quod opus beati Dionysii Areopagitæ quod de divinis nominibus vel cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, et nostro debuit judicio approbari, præsertim cum idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, et nobis præfatum opus sine ulla cunctatione mittat, quatenus, dum a nostri apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

Cap. 105. — *De canonibus apostolorum quid in eis recipiendum sit, quid non. Leo IX, contra epistolam Nicetæ abbatis de monasterio studii.*

(*Dist.* 16, *cap. Clementis.*) Clementis librum, id est Itinerarium Petri apostoli, et canones apostolorum numerarunt sancti Patres inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis orthodoxis adjungenda.

Cap. 106. — *Item de eodem. Sexta synodus, cap. 2. (Constan. in Trullo, c. 2.)*

(*Dist.* 16, *c. Placuit.*) Placuit huic sanctæ synodo ut amodo confirmata et rata sint canonum apostolorum 85 capitula.

Cap. 107. — *Canones apostolorum aliis conciliis præponendos. Ex præfatione Isidori in opus canonum.*

(*Ead. dist. eod. c.*) Isidorus mercator [peccator], servus Christi, conservo suo, et parenti fidei, in Domino salutem. Propter eorum auctoritatem cæteris conciliis præposuimus canones qui dicuntur apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam populares [plures] eos recipiunt, et sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas posuerunt constitutiones. *Item.* Primus ordo, ut prædictum est, de celebrando concilio insertus habetur, et postmodum canonum apostolorum ac primorum apostolicorum (id est, a sancto Clemente usque ad sanctum Silvestrum) decretorum atque diversorum conciliorum breviarium interpolatur sequens ordinem suum. *Item de eodem Zepherinus papa episcopis per Siciliam constitutis.* (*Dist.* 16, *c. Sexaginta*). Sexaginta apostoli sententias præfixerunt cum aliis quamplurimis episcopis, et servandas censuerunt.

Cap. 108. — *De 70 capitulis Nicæni concilii. Athanasius Alexandrinus Marco papæ.*

(*Dist.* 16, *c. Septuaginta*). Septuaginta Nicæni concilii capitula quæ de præfata synodo, jubente domino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli, quia sunt igne combusta, optamus, ut a sedis sanctæ Ecclesiæ vestræ auctoritate, percipere per præsentes legatos mereamur. *Item.* Præsentibus nobis, 80 in memorata synodo capitula tractata sunt, scilicet 40 a Græcis, Græca edita lingua, et 40 a Latinis, similiter Latina edita lingua. Sed visum est 318 episcopis, Spiritu sancto repletis in prædicto concilio congregatis, et maxime jam dicto Alexandro, et apostolicæ sedis apocrisiariis, ut decem capitula adunarentur aliis, atque congruis locis insererentur, et ad formam 70 discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum septuaginta tanti et tam excellentis concilii fierent capitula, quæ omnem Christianorum informarent orbem.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 109. — *Item de eodem. Marcus papa Athanasio, et omnibus Ægyptiorum episcopis.*

De capitulorum verorum Nicæni concilii exemplaribus, cui vos interfuisse litteris vestræ fraternitatis significastis, a nostris, qui una vobiscum interfuerunt diligentioribus requisivimus collocutionibus, qui ita, ut vestræ testatæ sunt litteræ, omnem nobis ordinem exposuerunt, et epistolam vestram per omnia veram esse testati sunt, non ut nos vestra ex parte aliquid sinistrum arbitraremur, sed quod nos et vos, illosque absque ulla in posterum titubatione unum sentire optaremus, et sancta Romana Ecclesia quæ semper immaculata mansit, et domino providente, et beato Petro opem ferente in futuro manebit, sine ulla hæreticorum insultatione, firma et immobilis omni tempore persisteret. Iis ita peractis, diligenter inquirentes in sancto nostræ et apostolicæ sedis servitio [scrinio], eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Silvestro sunt directa, septuaginta, sicut significastis, capitula illæsa invenimus.

Cap 110. — *Item de eodem epistola Isidori in capite canonum.*

Plura quam illa viginti capitula, quæ apud nos habentur Nicænæ synodi reperimus et in decretis Julii papæ 70 ejusdem synodi esse debere legimus.

Cap. 111. — *Item de eodem. Julius papa Eusebio, Tegneo* [*Theogonio*], *Theodoro, et Berlutho*; etc.

Sequuntur hæc ex prædicto concilio Nicæno capitula. Id est, 18, 19, 21, 23, 26, 27, 28, 30, 40, 41, 45, 47, 49, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 66.

Cap. 112. — *Quod nullum concilium vel præferre vel comparare se audeat Nicæno concilio. Leo Anatolio episcopo* (*ep.* 51).

Nulla sibimet de multiplicatione synodalia congregationis concilia blandiantur, neque trecentis illis octodecim episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se vel præferre audeat, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut sive per pauciores sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione divisum [diversum].

Cap. 113. — *Item de auctoritate Nicæni concilii.*

(*Post pauca.*) Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Ario, cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem sæculi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur.

Cap. 114. — *Item de auctoritate Nicæni, et Chalcedonensis concilii. Nicolaus papa Michaeli imperatori.*

Nos non numerosum tantum sanctorum episcoporum collegium Nicæni vel Chalcedonensis conciliorum, cæterorumque sanctorum Patrum synodicas constitutiones sequimur, sed illorum liberales veneramur, justas et divinitas sententias, et non tantum pro suorum multitudine observantur a nobis.

Cap. 115. — *De auctoritate quatuor conciliorum. Novellarum constitutione* 115, *cap.* 1.

Quatuor sanctorum conciliorum canones pro legibus habeantur.

Cap. 116. — *Quæ sint quatuor concilia. Gregorius clero et plebi Ravennæ, epist.* 2, *lib.* v.

Veneramur sanctam Nicænam synodum, in qua Arius; Constantinopolitanam, in qua Macedonius; Ephesinam primam, in qua Nestorius; et sanctam Chalcedonensem synodum, in qua idem Nestorius, Dioscorus atque Eutyches damnati sunt. Si quis autem contra harum quatuor synodorum fidem, et contra sanctæ memoriæ Leonis papæ tomum atque definitionem aliquid unquam loqui præsumit, anathema sit.

Cap. 117. — *Item de eodem, et de quinto concilio. Gregorius, epistol.* 24, *lib.* 1, *Joanni episcopo Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Hierosolymitano, et Anastasio patriarchæ Antiocheno a paribus.*

(*Dist.* 15, *c. Sicut sancti.*) Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque in quo Eunomii et Macedonii error convincitur, Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur, Chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscoriique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ atque actionis forma consistit. Quisquis soliditatem eorum non tenet, etiamsi lapis esse cernitur; tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam mediatoris Dei et hominum in duabus substantiis [subsistentiis] separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur; scripta quoque Theodore, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda concilia respuunt personas respuo; quas venerantur amplector, quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.

Cap. 118. — *Item de auctoritate quatuor conciliorum, et quinti. Gregorius Secundino servo Dei incluso.*

Quoties in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum, cum aliis generalibus synodis custodire fateantur, sicut et nos adversamur, et anathemate plectendos ducimus, si qui de fide ejusdem synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præsumunt. Nam synodus quæ post eam generaliter facta est, idcirco a nobis recipitur, quia ejusdem synodi

Introdusă în format electronic de Google

in omnibus sequens tenorem, illius auctoritatem custodit.

CAP. 119. — *Item de auctoritate quinti concilii. Beda de temporibus.*

Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit.

CAP. 120. — *De auctoritate sextæ synodi. Leo II Constantino Augusto.*

Legatos hujus apostolicæ sedis, matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, servos pietatis vestræ Theodorum et Georgium presbyteros, et Joannem diaconum, et Constantinum subdiaconum regionarium, cum aliis quæ a beatæ memoriæ prædecessore nostro Agathone papa ex præcepto serenitatis vestræ transmissa sunt, et divinas litteras vestras, et gesta sanctæ synodi cum gaudio multo exsultantes in Domino suscepimus. Cognovimus quando sancta et universalis synodus, quæ per gratiam Dei ex imperiali vestro præcepto nuper Constantinopoli congregata est, eadem quæ universalis synodus quæ in hac apostolica sede convenit, cui et humilitas nostra præfuit, sapuit et definivit de fide catholica. *Item.* Quoniam sicut dictum est, sancta sexta synodus rectæ fidei definitionem perfecte prædicavit, quam et apostolica sedes beati Petri cui, quamvis indigni, deservimus, reverenter suscepit, propterea et nos, per nostram constitutionem; adoranda hæc et apostolica sedes ea quæ in illa sunt constituta com probat et auctoritate beati Petri confirmat. Propterea sicut recipimus et firmiter prædicamus quinque sanctas et universales synodos, id est Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, itemque Constantinopolitanam, quas omnes Ecclesia Christi confirmat et sequitur, sic et hanc quæ nuper Constantinopoli sub serenitate vestra facta est, sicut eas sequentem et interpretantem simili veneratione suscipimus, et digne eis connumerari præcipimus.

CAP. 121.— *Actio quarta sextæ synodi. Petrus Nicomediæ episcopus dixit.*

(*Dist.* 16, *cap. Habeo librum.*) Habeo librum continentem canones sanctæ synodi sextæ. Patriarcha dixit : Quidam per ignorantiam scandalizantur pro canonibus istis dicentes : Nunquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo quoniam sancta synodus sexta sub Constantino congregata est, contra eos qui dicebant unam operationem et voluntatem in Christo. In qua sancti Patres illos ut hæreticos anathematizaverunt, et orthodoxam fidem explanaverunt, et soluta synodus est Constantini decimo quarto anno. Post quatuor vero aut quinque annos iidem sancti Patres congregati sunt, sub Justiniano filio Constantini, et prædictos canones promulgaverunt, ut nullus de eis dubitet. Qui enim sub Constantino in synodo fuerunt, iidem ipsi sub Justiniano istis canonibus subscripserunt. Oportebat enim ut A synodus universalis canones ecclesiasticos promulgaret. *Actio* 6, *tomo I, contra falsam 7 synodum.* Septima synodus, quomodo dicitur. quæ non concordat præcedentibus sex universalibus synodis? Omne quod septimum ponitur consequens debet habere cum rebus prænumeratis. Si vero in nullo rebus prænumeratis participat, nec eis connumerari potest. *Item.* Sancta sexta synodus, et universalis, post promulgatam ab ea definitionem contra Monothelitas, Constantino imperatore qui congregaverat eam, non multo post defuncto, et Justiniano filio ejus regnante pro eo, eadem sancta synodus divinitus inspirata, iterum Constantinopoli quarto aut quinto anno congregata est, et canones numero centum duos ad correptionem Ecclesiæ promulgavit.

CAP. 122. — *Item de auctoritate sextæ synodi. Adrianus papa Tarasio patriarchæ. Actio secunda synodi* VII.

(*Dist.* 16, *cap. Sextam syn.*) Sanctam sextam synodum recipio cum omnibus canonibus suis in quibus dicitur : In quibusdam picturis sanctarum imaginum agnus præcursoris digito ostensus depingitur, qui in typum gratiæ assumptus verum nobis per legem Moysi præmonstrat Agnum Jesum Christum Dominum nostrum. Antiquis igitur figuris et umbris ad veritatis præfigurationem Ecclesiæ sanctæ traditis valedicentes, gratiam et veritatem præferimus, et sicut plenitudinem legis recipimus. Verum igitur Agnum, qui Dominum nostrum Jesum Christum, secundum humanam imaginem effigiat, amodo pro veteri agno, in imaginibus depingi jubemus.

CAP. 123. — *Item de eodem. Epistola septimæ synodi ad Justinianum filium Constantini.*

Dist. 16, *c. Quoniam.*) — Quoniam sanctæ et universales synodi quinta sub Justiniano Augusto, sexta sub Constantino Patre tuo Augusto de mysterio fidei plenissime disputantes canones non fecerunt, sicut quatuor cæteræ universales synodi, propterea nos convenientes in hanc imperialem urbem, canones scripsimus.

CAP. 124. — *Item de confirmatione sextæ synodi. Ex libro Pontificali.*

Philippus hæreticus ad imperialem promotus est arcem, cujus et sanctam cum pravi dogmatis exsecratione suscepit sedem, apostolicæ sedis concilia respuit, hujus rei causa zelo fidei accensus omnis cœtus Romanæ urbis imaginem, quam Græci *pan* vocant, sex continentem sanctas et universales synodos, in ecclesia Beati Petri erexit. *Item.* Leo Junior suscepit sanctam sextam synodum, quæ per Dei providentiam nuper regia in urbe celebrata est, Græco eloquio scriptam, exsequente ac præsidente piissimo ac clementissimo magno principe Constantino.

CAP. 125. — *Item de eodem. Beda de temporibus, cap.* 65.

(*Dist.* 16, *c. Sexta*). — Sexta synodus universalis Constantinopoli celebrata est, et Græco sermone

Introdusă în format electronic de Google

conscripta, temporibus papæ Agathonis, exsequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium sum, simulque legatis apostolicæ sedis, et episcopis centum quinquaginta residentibus. Prima enim universalis synodus in Nicæna congregata est contra Arium, trecentorum et octodecim Patrum, temporibus Julii papæ sub Constantino principe. Secunda, in Constantinopoli, centum quinquaginta Patrum, contra Macedonium, et Eudoxium, temporibus Damasi papæ et Gratiani principis, quando Nectarius ejusdem urbis episcopus est ordinatus. Tertia, in Epheso, ducentorum Patrum contra Nestorium Augustæ urbis episcopum sub Theodosio magno principe, et papa Cœlestino. Quarta, in Chalcedone, sexcentorum et triginta Patrum sub Leone papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychen nefandissimorum præsulem monachorum. Quinta in Constantinopoli temporibus Vigilii papæ, sub Justiniano principe, contra Theodorum, et omnes hæreticos. Sexta de qua in præsenti diximus. *Item.* Constantinus imperator fecit picturas in porticu Sancti Petri, quæ acta sex sanctarum synodorum universalium continerent. Nam et hujusmodi picturas cum haberentur in urbe regia, Philippus jusserat auferri, statuitque populus Romanus ne hæretici imperatoris nomen in chartas aut figuram solidi susciperent. Unde nec ejus effigies in ecclesia introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum.

CAP. 126. — *Responsiones Adriani papæ contra objectiones quorumdam, ad Carolum, cap.* 35.

Sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxe statuens, ita constituit dicens : In quibusdam venerabilium imaginum picturis, agnus digito præcursoris monstratus designatur qui in signum relictus est gratiæ. *Et post pauca.* Secundum humanam figuram, et in imaginibus, et nunc pro veteri agno retitulari decernimus.

CAP. 127. — *De receptione septimæ synodi, cap.* 60.

Superius exaravimus septem divina dogmata synodi irreprehensibilia existentia, sicut præcipuorum sanctorum Patrum mirifice demonstrant opuscula. Nam si quis prædictæ synodi symbolo discrepare se dixerit, discrepare videtur sanctarum sex synodorum symbolo.

CAP. 128. — *De eodem. Item cap.* 30.

Ipsam septimam synodum suscipimus. Nam si eam minime recepissemus, ad suum pristinum vomitum erroris fuissent Græci reversi, qui pro tot millibus animarum Christianorum interitu habemus reddere rationem.

CAP. 129. — *De laude Theophani in prologo Historiæ Anastasii bibliothecarii Romanæ Ecclesiæ.*

Sufficere arbitror ad præconium Theophani chronographi, quod a sede approbatus sit apostolica, quando scilicet vicarii ejus una cum trecentis quinquaginta Patribus in Nicæna urbe secundo convenientes universalem synodum celebrarunt. Si quidem et laus ejus in eodem septimo concilio sancto reperitur.

CAP. 130. — *De secunda Nicæna synodo inter universales octava*

Constantinus cum Irene matre regnavit annos decem, mensibus duobus, diebus duobus. Horum anno nono facta est synodus Nicæna secunda trecentorum quinquaginta sanctorum Patrum.

CAP. 131. — *Item de eodem.*

Anno imperii Irenes et Constantini octavo, exiit Tharasius archiepiscopus sanctissimus Constantinopoleos, in Nicænam civitatem, et celebrata est sancta octava universalis synodus.

CAP. 132. — *De octo universalibus conciliis: Ex libro diurno professio Romani pontificis.*

(*Dist.* 16, *c. Sancta.*) Sancta VIII universalia concilia, id est I Nicænum, II Constantinopolitanum, III Ephesinum, IV Chalcedonense. Item, V Constantinopolitanum et VI. Item Nicænum VII. Octavum quoque Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutilata servare, et pari honore et veneratione digna habere, et quæ prædicarunt et statuerunt omnimodis sequi et prædicare, quæque condemnaverunt ore et corde condemnare profiteor.

CAP. 133. — *De commendatione Donati et Eugenii episcoporum. Joannes VIII, Neopolitanis. Salernitis et Amalfitanis* [*Melfitanis*].

Quia fidelibus, et mysterium Christianitatis scientibus loqui nos credimus; per sacrarum Scripturarum testimonia longius tendere devitantes, dilectioni vestræ Donatum venerabilem episcopum, cujus laus est in sancta synodo octava, et Eugenium religiosum presbyterum, dilectos fideles, et consiliarios nostros ecce dirigimus.

CAP. 134. — *Quæ concilia et quorum sanctorum Patrum opuscula sint authentica. Sexta synodus cap.* 2

(*Dist.* 16, *c. Quoniam sanctæ.*) Confirmamus sanctorum Patrum canones et synodos, id est Nicænam, Ancyranam, Neocæsariensem, Gangrensem, Antiochensem, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, Sardicensem, Carthaginensem, Constantinopolitanam sub Nectario. Et opuscula Theodosii [Theophili], qui fuit Alexandriæ archiepiscopus; quin etiam Dionysii archiepiscopi Alexandrinorum Megalopolis, Petri Alexandriæ archiepiscopi et martyris, Gregorii thaumaturgi Neocæsariensis episcopi, Athanasii Alexandriæ archiepiscopi, Basilii Cæsareæ Cappadociæ episcopi, Gregorii Nysseni episcopi, Gregorii theologi, Amphilochi Biconensis [Iconii] episcopi, Timothei Alexandrini archiepiscopi, Cyrilli ejusdem Alexandriæ archiepiscopi, Germani Constantinopolitani episcopi, Cypriani Carthaginensis episcopi, et synodum ejus.

CAP. 135. — *De auctoritate Sardicensis concilii. Nicolaus Photio*

(*Dist.* 16, *c. Quod dicitis.*) Quod dicitis neque Sardicense concilium neque decretalia vos habere pontificum sanctorum, vel recipere, non facile nobis

Introdusă în format electronic de Google

facultas credendi tribuitur: maxime cum Sardicense concilium quod penes vos in regionibus vestris actum est, et omnis Ecclesia recipit, qua ratione convenerit ut hæc sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret et, ut dignum est, non retineret?

Cap. 136. — *De auctoritate synodi apud Suessionis civitatem celebratæ. Benedictus papa III Hincmaro archiepiscopo (epist. 1).*

Synodi textum in momentis ventilantes intuitu, quam apud Suessionis civitatem tua beatitudo statuit celebrare, cum episcopis tuæ diœceseos et archiepiscopis Welenone Senonensi, et Amalrico Turonensi aliisque episcopis, ea quæ ad profectum sanctæ Ecclesiæ noscuntur piis auctoritatibus statuta sancitaque reperimus. *Item.* Diffinitiones fraternitatis tuæ, et cæterorum episcoporum quas in præsenti synodo, apostolicis canonicisque auctoritatibus, propriis digitis roborasti, ratas easdem apostolica in omnibus fore promulgamus auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. *Item.* Et ne quilibet contra eadem statuta canonica et decreta Romanorum pontificum, manus pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis interpositione nostra apostolica, et beati Petri apostolorum principis auctoritate prohibemus.

Cap. 137. — *Item de eodem. Nicolaus papa Hincmaro archiepiscopo. (In Appendice ad epistolas Nicolai I, epist. 6.)*

Synodum illam, quæ a te et venerabilibus episcopis et archiepiscopis in urbe Suessionis anno Incarnationis Dominicæ 853, indictione prima, quinto Kalendarum Maii fuerat celebrata, et a prædecessore nostro beatæ memoriæ Benedicto papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis pontifex illam confirmavit, ita et nos eam confirmatam, et irrefragabilem perpetuoque mansuram, apostolica auctoritate decernimus, salvo tamen Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio.

Cap. 138. — *Quod priora concilia per posteriora sæpe emendentur. Augustinus, De unico baptismo, lib. II (cap. 3).*

Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, et universum partibus semper optimo jure præponitur. *Item.* Ipsa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt; ipsaque plenaria sæpe priora a posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat, sine ullo typo sacrilegæ superbiæ.

Cap. 139. — *De auctoritate Mainardi episcopi et Joannis archiepiscopi. Alexander II episcopis et regi Dalmatarum.*

Notificamus omnia capitula quæ per confratres nostros venerabiles, Mainardum scilicet collateralem episcopum nostrum, et Joannem, archipræsulem nostrum, in Spolæto aliisque civitatibus sunt statuta, eadem in Romana synodo seriatim ea referente, a beatæ memoriæ prædecessore nostro Nicolao, apostolica auctoritate roborata, et sub anathematis interpositione roborata.

Cap. 140. — *De morte Petri apostoli. Ex oratione Ambrosii contra Auxentium de tradendis basilicis.*

Petrus, victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceretque castimoniam, excitavit animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt ut paulisper cederet; et quamvis esset cupidus passionis, tamen deprecatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instruendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muros egredi cœpit, et videns sibi in porta Christum occurrere urbemque ingredi ait: « Domine, quo venis? » Respondit Christus: « Venio iterum Romam crucifigi. » Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Christum enim non oportuerat iterum crucifigi, qui carnem passionis suscepta morte exuerat. *Quod enim mortuus est, semel mortuus est; quod autem vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI). Intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo, sponteque remeavit. Interrogantibusque Christianis, responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum

Cap. 141. — *Ut vitæ Patrum sine probabilibus auctoritatibus scriptæ minime legantur. Responsio Adriani papæ ad objectiones quorumdam ad Carolum imperatorem, cap. 17.*

Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minime in ecclesia leguntur. Nam ab orthodoxis titulatæ, et suscipiuntur et leguntur. Magis enim passiones sanctorum martyrum sacri canones censent, ut liceat eas etiam in ecclesia legi, cum anniversarii dies eorum celebrantur.

Cap. 142. — *Quomodo Origenes et alii hæretici sunt legendi. Hieronymus ad Tranquillinum.*

Ex parte ego sic Origenem propter eruditionem interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, et Novatum, Arnobium et Apollinarem, et nonnullos ecclesiasticos scriptores Græcos pariter et Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria.

Cap. 143. — *De auctoritate ecclesiasticæ historiæ Cassiodorus in prologo tripartitæ historiæ.*

Historiam ecclesiasticam quæ a cunctis Christianis valde necessaria comprobatur, a tribus Græcis auctoribus mirabiliter constat esse conscriptam, uno scilicet Theodoreto venerabili episcopo, et duobus disertissimis viris Sozomeno et Socrate, quos nos per Epiphanium scholasticum Latino condentes eloquio, necessarium duximus eorum dicta deflorata, in unius styli tractu Domino juvante perducere, et de tribus auctoribus unam facere editionem. *Item.* Legat intrepidus qui, Domino juvante, ad hæc opuscula venerit, multum utilitatis et notitiæ lucraturus, si quæ posita sunt per hos duodecim libros, memoriæ suæ sollicita mente crediderit.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 144. — *Quot epistolas Gregorius reliquerit. In Vita beati Gregorii papæ, libro quarto, cap. 71.*

Epistolarum tot libros in scrinio reliquit Gregorius, quot annos in episcopatu vixit. Unde decimum tertium librum epistolarum indictionis septimæ imperfectum reliquit, quoniam ad indictionis terminum non pervenit.

Cap. 145. — *De libro quem Hermes scripsit. Ex libro Pontificali.*

Sub Pii papæ episcopatu, Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur quod ei præcepit angelus Domini, cum venit ad eum in habitu pastoris, et præcepit ei ut pascha Domini die Dominico celebraretur.

Cap. 146. — *De pœnitentiali Theodori. Beda de temporibus.*

Theodorus archiepiscopus, et Adrianus abbas vir æque doctissimus, a Vitaliano papa missi Britanniam, plurimas Ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fecundarunt. E quibus Theodorus peccantium judicia, quantis scilicet annis pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat mirabiliter scripsit.

Cap. 147. — *De reprobatione synodi, in qua imagines sanctorum, et picturæ in ecclesiis damnatæ sunt. Leo nonus Michaeli patriarchæ.*

Recordamini illius nefandæ synodi, quam voluerunt vocari septimam nostri hæresiarchæ, quorum conspiratione ipsius Domini nostri Jesu Christi, et sanctorum reverendæ imagines aut flammis traditæ sunt, aut aquis submersæ, picturæ vero de parietibus basilicarum deletæ. Quibus quamvis restiterit Romanorum pontificum auctoritas, præ cunctis tamen sanctissimi papæ Nicolai ubivis prædicanda libertas, qui per legatos suos tam pro sacris imaginibus, quam pro depositione beati antistitis Ignatii, et substitutione Photii neophyti, ecclesiæ Sanctæ Sophiæ clausit, donec sanctæ sedis acquiesceret decretis.

Cap. 148. — *Item de eodem. Actio 9 Chalcedonensis concilii.*

Apocrisarii papæ dixerunt: Synodus non debet vocari, in qua tot nefanda facta sunt, propter quod videtur superfluum gesta ejus relegere. Si enim et ab apostolico papa omnia ejus evacuata sunt, manifestum est quod et beatissimus papa in communione receperit, et principatum Antiochenæ Ecclesiæ habere dignum duxerit. *Item.* Stephanus episcopus Ephesi dixit: Illa quæ in Ephesina synodo prima acta sunt, irrita fiant. Præterea quæ contra dominum Antiochenum episcopum facta sunt, pro eo quod ordinatio Maximi, qui pro eo in Antiochena Ecclesia episcopus factus est, a sanctissimo papa Leone, et ab universali synodo recepta sunt.

Cap. 149. — *De sepultura Joannis evangelistæ. Augustinus, super Joannem, partis secundæ tractatu* 124.

Creditur Joannes evangelista vivus dormire sub terra, quem tradunt, quod etiam in quibusdam scripturis, quamvis apocryphis, reperitur, quando sibi sepulcrum jussit fieri, incolumem fuisse præsentem, eoque effosso et diligentissime præparato, ibi se tanquam in lectulum collocasse, statimque esse defunctum.

Cap. 150. — *Quod plus martyres cum corpore jam surrexerint. Ex sermone sancti Ambrosii in natali martyrum, qui sic incipit: « Dignum et congruum. »*

Si martyres nondum liberati sunt ab inferis, liberati a peccatis. Hæc enim prima est resurrectio, peccatorum evasisse tenebras, lucem possidere Justitiæ. (*Hæc ibi non reperiuntur.*) Verumtamen etiam fortasse plurimi ex eisdem beatis martyribus cum Domino resurrectionem corporaliter vel consequuntur, vel fuerunt consecuti. Nam, sicut legimus prima resurrectionis festivitate, suscitante se Domino, multa sanctorum corpora suscitasse, vixisse, et introisse in sanctam civitatem (*Matth.* XXVII), cur non quotiescunque resurrectionis ejus festivitas celebratur, toties credimus resurgere etiam sanctos? Ubi enim votorum jugis est solemnitas, gratia jugis est et donorum. Sed fortasse quis dicat: Sepulcra clausa sunt, monumenta constructa sunt, quemadmodum inde prodire poterint? Ut taceamus, quia omnia possibilia sunt Deo, et quod clausis tumuli penetralibus possit spirituale corpus prodire, ut hæc omnia prætermittam, Joannis tamen apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit. Nam depositum corpus perdidit, non assumpsit. Hoc enim clausis tumuli foribus gratia resurrectionis ablatum est, ut constaret sepultura, nec inveniretur sepultus. Denique cum sacerdotes honorandi causa corpus inquirerent, reserato aditu, tumulus non potuit reddere quem suscepit.

Cap. 151. — *De non recipienda Vita Thomæ apostoli et aliorum. Augustinus contra Faustum, libro* II, *cap.* 2.

(67) Legunt scripturas apocryphas (Manichæi) nescio quibus sutoribus fabularum, sub apostolorum nomine scriptas, quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritate sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti homines et justi et docti qui tunc in vita erant, et examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent (67*). Ibi tamen legunt apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus, et prorsus incognitus, a quodam ministro palma percussum, imprecatum fuisse homini continuam sævamque vindictam. Nam, dum egressus fuisset ad fontem, ut inde aquam convivantibus ministraret, eum leo rugiens interemit, manumque ejus, qua caput apostoli levi ictu percusserat, a corpore evulsam, secundum vocem ejusdem apostoli id optantis atque imprecantis,

(67) Habet hoc August. contra Adimantum Manichæi discipulum, cap. 17, quanquam non iisdem omnino verbis.

(67*) Rursum in sermone Domini in monte, lib. I, cap. 38.

Introdusă în format electronic de Google

canis intulit mensis, in quibus discumbebat apostolus. *Item cap.* 4 (68). Quod beata Maria patrem habuerit ex tribu Levi, sacerdotem cuemdam nomine Joachim, canonicum non est.

Cap. 152. — *De libro qui est de transitu beatæ Mariæ apocrypho. Hieronymus ad Paulam et Eustochium.*

Si forte venerit illud apocryphum in manibus vestris de transitu beatæ Mariæ, dubia pro certis non recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore, studio legendi charius amplectuntur, præsertim ex his cum nihil aliud experiri potest pro certo, nisi quod hodie beata Virgo migravit a corpore. *Item.* Multi nostrorum dubitant utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit relicto corpore. Qualiter autem migraverit a corpore, aut a quibus personis sanctissimum corpus ejus ablatum fuerit, vel B ubi transpositum, utrumve resurrexerit, nescitur, quamvis nonnulli astruere velint eam jam resuscitatam et beata jam cum Christo immortalitate vestiri. Quod et de beato Joanne evangelista ejus ministro (cui virgini a Christo virgo commissa est) plurimi asseverant, quia in sepulcro ejus (ut fertur) nonnisi manna invenitur, quod et scaturire cernitur. Verumtamen quid horum verius censeatur, ambiguum est. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam aliud temere diffinire velimus auctoritate nostra, quod non probamus sicut et de his quos cum Domino, teste Evangelio, resurrexisse credimus (*Matth.* XXVII). Sed utrum redierint in terræ pulverem, certum non habemus, nisi quod legimus, quia multa corpora sanctorum C qui dormierant surrexerunt, et venerunt in sanctam civitatem Hierusalem, et apparuerunt multis. De quibus profecto nonnulli doctorum senserunt etiam, et in suis reliquerunt scriptis, quod jam in illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur enim quod veri Christi testes non essent, nisi et vera esset eorum resurrectio.

Cap. 153. — *Quod episcopi prohibere debent, ne libri apocryphi vel in publico vel in privato legantur. Leo Turibio episcopo.*

Curandum est et sacerdotali diligentia providendum, ut falsatos codices, et a vera et sincera veritate discordes in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ sunt, sed etiam penitus auferendæ, et ignibus concremandæ. *Item.* Si quis episcoporum apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum, quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.

Cap. 154. — *Quod excommunicandi sunt qui libros famosos legunt. Ex epistola Adriani papæ tradita Ingelranno, cap.* 62 (*conc. Eliber. cap.* 52).

(5, *q.* 1, *cap. Si qui inventi.*) Si qui inventi fuerint libros famosos legere, excommunicentur.

Cap. 155. — *Quam caute aliquando libri apocryphi legendi sint. Hieronymus ad Lætam, de institutione filiæ.*

Caveat omnia apocrypha : et si quando ea, non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, multaque in his admista vitiosa, et grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere.

Cap. 156. — *Ne aliquis in alterius famam scripturam vel verba confingat, nisi probare velit. Adrianus ad Ingelrannum., cap.* 49.

Qui in alterius famam in publico scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, et repertus, scripta non probaverit, flagelletur : et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris causam incurrere.

Cap. 157. — *Item de eodem. Capitulorum libro* VII, *cap.* 200.

Illi qui in alterius blasphemiam cantica composuerint, vel qui cantaverint ea, extra ordinem judicentur. Nam lex exsulari jubet eos qui libellos famosos excogitant aut proponunt. Notatur infamia quicunque, dum appellat judicem, convitium dixerit. Non tantum is qui maledictum aut convitium dixerit, famosus efficitur, sed et is cujus consilio factum esse patuerit.

Cap. 158. — *De anathematizandis eis qui libros catholicos falsaverunt. Actio* 13 *sextæ synodi.*

Præcipimus illos qui falsaverunt libros catholicos anathèmati subjici, et cum hæreticis anathematizari : et sermonem qui dicitur in me ad Vigilium, et libellos qui dicuntur Vigilii ad Justinianum et Theodoram, ut hereticorum adinventiones abjicimus.

Cap. 159. — *De damnando concilio quod factum est adversus sacras imagines. Actio* 2 *septimæ synodi, Adrianus papa Tharasio patriarchæ.*

Sanctitas vestra piis et triumphatoribus imperatoribus suggerat, quatenus falsum concilium illud quod factum est sine apostolica sede inordinabiliter, contra constitutionem venerabilium Patrum, adversus sacras imagines, anathematizetur coram apocrisiariis nostris.

Cap. 160. — *Ut episcopus gentilium libros non legat. Ex Carthaginensi concilio* IV, *cap.* 16.

(*Dist.* 37, *cap. Episcopus.*) Episcopus gentilium libros non legat; hæreticorum autem pro necessitate D et tempore.

Cap. 161. — *Item, de eodem. Gregorius, lib.* IX *registri, epist.* 48, *ad Desiderium episcopum Galliæ.*

(*Dist.* 86, *C. cum multa.*) Pervenit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere.

Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerant, in gemitum et tristitiam verteremus, quia se in uno ore cum Jovis laudibus laudes Christi non capiunt. Et quam grave nefandumque sit episcopum canere quod nec laico religioso conveniat, ipse considera.

Cap. 162. — *Quod auctores pueris, non presbyteris,*

(68) Id habetur c. 23 lib. contra Faustum Manichæum.

Introdusă în format electronic de Google

sunt legendi. Hieronymus Damaso, De prodigo filio, tomo III, epist. 146.

(*Dist.* 37, *cap. Sacerdotes.*) Sacerdotes Dei, omissis Evangeliis et prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus, et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.

Cap. 163. — *Item de eodem. Hieronymus ad Eustochium De virginitate.*

Quis consensus Christi cum Belial? Quid facit cum psalterio Horatius? Cum Evangelio Maro? Cum Apostolo Cicero?

Cap. 164. — *De eodem. Rabanus De pressuris ecclesiasticis, parte secunda.*

(*Dist.* 37, *cap. Legimus.*) Legimus de beato Hieronymo, quoniam cum librum legeret Ciceronis, ab angelo est correptus, eo quod Christianus vir paganorum intenderet figmentis

Cap. 165. — *De eodem. In Vita Gregorii, lib.* III, *cap.* 34.

Omnes omnino pontifices a lectione librorum gentilium Gregorius inhibebat.

Cap. 166. — *Item de Eodem. Hier. Super epistolam ad Ephesios, lib.* III, *in cap.* VI.

(*Dist.* 37, *c. Legant episc.*) *Educate*, ait Apostolus, filios *in disciplina et correctione Domini* (*Ephes.* VI). Legant episcopi atque presbyteri, qui filios suos sæcularibus litteris erudiunt et faciunt comœdias legere, et mimorum turpia scripta cantare, de ecclesiasticis forte sumptibus eruditos, et quod in corbonam pro peccato virgo vel vidua, vel quilibet pauper totam substantiam suam effundens obtulerat, hoc in Kalendarum strenam, et Saturnalium sportulam et Minervale munus grammaticus et orator, aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut in sordida scorta, convertit.

Cap. 167. — *Quare Christiani figmenta poetarum prohibeantur legere. Isidorus, Sententiarum libro* III, *cap.* 13.

(*Dist.* 37, *c. Ideo prohibetur.*) Ideo prohibetur Christianus legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem incitant ad incentiva libidinum. Non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius audiendo. *Item.* Cavendi sunt libri gentilium, et propter amorem sacrarum Scripturarum vitandi. Simplicioribus litteris non est præponendus succus grammaticæ artis. Meliores enim sunt communes litteræ, et simpliciores ad solam utilitatem legentium pertinentes. Illæ vero nequiores sunt, quæ ingerunt hominibus perniciosam mentis elationem. Meliores sunt grammatici quam hæretici. Hæretici enim haustum lethiferi succi hominibus persuadendo propinant. (*Dist.* 37, *c. Si quis artem.*) Grammaticorum autem doctrina potest etiam proficere ad vitam, dum fuerit in meliores usus assumpta.

Cap. 168. — *Quid sit lex honesta. Isidorus, Etymologiarum lib.* V, *cap.* 20.

(*Dist.* 4, *c. Erit autem lex.*) Erit lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque ne aliquid per obscuritatem in cautione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.

Cap. 169. — *Quod leges temporales postquam institutæ sunt, servandæ sint. August. De vera religione, cap.* 31.

(*Dist.* 4, *c. In istis.*) In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ et firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.

Cap. 170. — *De libro constitutionum Theodosii. Isidorus, Etymologiarum libro* V, *cap.* 1.

(*Dist.* 7, *c. Fuerunt autem hi.*) Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani et Hermogeniani, codicem factum institutionum, a Constantini temporibus sub proprio cujusque imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine Theodosianum vocavit.

Cap. 171. — *De libro quem appellant codicem Justiani, et de libro Pandectarum, et de eo quem appellant codicem Novellarum. Ex historia Longobardorum, libro* V, *cap.* 25.

Justinianus Augustus leges Romanorum, quarum prolixitas nimia erat et inutilis dissonantia, mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, idemque volumen codicem Justiniani appellari præcepit. Rursus singulorum magistratuum sive judicum leges, quæ usque ad duo millia pene libros erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque codicem Digestorum sive Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Institutionum libros in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur noviter composuit. Novas quoque leges quas ipse statuerat in unum volumen redactas, codicem Novellarum appellari sancivit.

Cap. 172. — *Item de libro Justiniani, quem vocant Novellas constitutiones. Ex historia Anastasii bibliothecarii Romanæ Ecclesiæ.*

Removit Justinianus Augustus contrarias leges, faciens singularem codicem, et vocans eum Novellas constitutiones, in quibus non permittit principem, in quibus præest, tenere possessionem, aut ædificare domum, aut hæreditari extraneam personam, nisi quis sibi cognitus cognatus existat.

Cap. 173. — *Quod constet esse legem quidquid imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit. Instit. libro* I, *titulo* 2.

Quodcunque imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. Hæc sunt quæ constitutiones appellantur. Plane ex his sunt quædam personales, quæ non ad exemplum trahuntur, quod non hoc princeps vult; nam quod alicui ob merita indulsit, vel si cui pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non transgreditur.

Cap. 174. — *De capitulis a Carolo legibus insertis. Præfatio libri quinti capitulorum.*

Præcedentes quatuor libelli nonnulla gloriosorum

Introdusă în format electronic de Google

Caroli atque Ludovici imperatorum continent capitula. *Item.* Illa quæ postmodum a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et Pippini et Caroli atque Ludovici didicimus, in jam dictis libellis minime inserta esse, pro Dei omnipotentis amore, et Sanctæ Dei Ecclesiæ ac servorum ejus, atque totius populi utilitate fideliter investigare curavimus, et in tribus subsequentibus libellis distincte cum suis coadunare, ac Ludovico, Lothario, atque Carolo nobilissimis regibus, filiis videlicet Ludovici imperatoris piissimi, habenda, et omnibus Christianorum fidelibus tradenda, scribere non distulimus. *Item.* His itaque peractis, est in fronte primi libelli posita Zachariæ papæ epistola omnibus episcopis ac reliquis ecclesiastici ordinis gradibus, et cunctis ducibus atque comitibus, omnibus Deum timentibus per Gallias et Francorum provincias constitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur synodales conventus quos sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis legatus Bonifacius Moguntiensis archiepiscopus, vice supradicti Zachariæ papæ, una cum Carolo magno Francorum duce, canonice tenuit, ut agnoscant omnes hæc prædictorum principum capitula maxime apostolica auctoritate fore firmata.

Cap. 175. — *De lege Anglorum ab Edelberto rege edita. Beda in Historia Anglorum, libro* II, *cap.* 5.

Inter cætera bona quæ genti suæ consulendo conferebat rex Edelbertus, etiam decreta illi judiciorum, juxta exempla Romanorum, cum consilio sapientium constituit, quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur, et observantur ab ea.

Cap. 176. — *De capitulis a Lothario Augusto legibus additis. Leo papa IV, Lothario Augusto.*

(*Dist.* 10, *c. De capitulis.*) De capitulis vel præceptis imperialibus vestris, nostrorumque etiam pontificum prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis et conservandis quanto valuimus et valemus propitio Christo, et nunc et in ævum conservaturos, modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.

Cap. 177. — *Leges Christianorum regum ab Ecclesiis recipiendas. Hincmarus Remensis episcopus in causa Lotharii regis et uxoris suæ.*

Sunt diversæ ut gentes, ita et earum leges, quas si Christiani sunt, in suis ordinibus quæ justa sunt decernentes, Ecclesia sua non rejicit.

Cap. 178. — *Quod faciendum est quidquid Deus jubet, etsi sit contra morem aut pactum quorumlibet. Augustinus, Confessionum lib.* III, *cap.* 8.

(*Dist.* 8, *cap. Quæ contra.*) Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate sunt vitanda, ut pactum inter se, gentis aut civitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est universo suo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, et si nunquam ibi factum est, tamen faciendum est; et si omissum, instaurandum est; et si statutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse unquam jusserat, et si non est contra societatem civitatis ejus, obtemperatur ei, imo contra societatem fit, si ei non obtemperaretur (generale quippe pactum est societatis humanæ obtemperare regibus suis), quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jusserit sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Cap. 179. — *Quod leges principum, et regulas vel admonitiones Patrum nulli liceat contemnere. Gelasius Ruffino et Aprilli episcopis.*

(*Dist.* 10, *c. Quis autem.*) Quis aut leges principum, aut Patrum regulas aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum?

Cap. 180. — *Item de eodem, Theodorico regi.*

Certum est, magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multo magis circa reverentiam beati Petri apostoli pro suæ felicitatis augmento velle servari.

Cap. 181. — *Quod imperiali censura castigandi sint qui leges contemnunt. Leo quartus Lothario Augusto.*

Habetis de hoc apud Deum retributionem non modicam, si antiquæ legis dogmata minime observantes, vestra imperiali censura pro viribus castigatis, atque corrigitis. *Item.* (*Dist.* 11, *cap. Vestram.*) Vestram flagitamus clementiam, ut sicut hactenus Romana lex viguit, absque universis procellis, et pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur propriumque vigorem obtineat.

Cap. 182. — *Item de eodem, Widoni comiti.*

Valde indignum est, futuris gentibus etiam contrarium tam gloriosam legem, quam multi retro custodierunt imperatores, nunc suam vim perdere, ac injuste damnari.

Cap. 183. — *Licere ecclesiasticis viris pro defensione sua leges terrenas assumere. August., cap.* 58 *lib.* II *contra litteras Petiliani.*

(*Dist.* 10, *c. Si in adjutor.*) Si in adjutorium vestrum, et terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriosos Romanum civem se esse testatur (*Act.* XXII).

Cap. 184. — *Legibus imperatorum obediendum esse. August. Bonifacio (epist.* 50).

Quicunque autem legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. (*Dist.* 9, *c. Imperatores.*) Quicunque ergo legibus imperatorum quæ contra veritatem Dei feruntur obtemperare non vult, acquirit grande præmium.

Cap. 185. — *Quod communione privari possunt qui legibus contradicunt. Gelasius Majorico (Joanni), Sereno et Bertuso.*

(12, *q.* 2, *c. Qui et divinis.*) Qui et humanis legibus in civili damnatione conculcatis, et reverentia reli-

Introdusă în format electronic de Google

gionis abjecta, vel ecclesiastica privilegia calcare contendunt, vel ubilibet in pauperum prosilire dispendium, nec hujusmodi saltem commoniti convicique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, merito divini muneris sunt participatione privandi, ut hujus perceptione careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui.

Cap. 186. — *Item de servandis legibus. Leo quartus Colorodo archiepiscopo et Bertuso.*

(25, *q.* 1, *cap. Ideo permittente.*) Ideo permittente Deo pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in sanctis canonibus, sive in mundanis legibus affixere, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quæ ipsi divino statuerunt consilio, intacta non servamus.

Cap. 187. — *Quod ecclesiastica jura legibus imperialibus non possunt dissolvi. Nicolaus papa episcopis in concilio apud Convicinum congregatis (ep. 52).*

(*Dist.* 10, *c. Lege imper.*) Imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi. Non quod imperatorum leges, quibus sæpe Ecclesia contra (circa) hæreticos utitur, sæpe contra tyrannos, atque contra pravos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas ; sed eas quidem evangelicis, apostolicis atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præjudicium asseramus.

Cap. 188. — *Quod Christiani imperatores pro æterna cita pontificibus indigent ; pontifices vero pro cursu temporalium rerum legibus imperatorum utuntur. Cyprianus Juliano. (Nicolaus papa II id habet in ep. ad Michaelem imperat.)*

(*Dist.* 10, *cap. Quoniam.*) Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit propria volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri, non humana superbia rursus in inferno demergi, ut etiam Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices, pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus, et ideo militans Deo minime se sæcularibus negotiis implicaret, ac vicissim ne ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotiis implicatus.

Cap. 189. — *Quod nulla persona privilegio utatur, ad fugiendos præsentis legis laqueos. Novellarum constitutionum lib.* IX, *cap.* 5.

Nulla persona privilegio aliquo utatur ad fugiendos præsentis legis laqueos, quamvis ecclesia sit vel xenion, vel oratorium, vel quivis alius locus qui pietatis causa colitur : id est, ejusdem juris est, sive fiscus, sive patrimonium, sive aliquis quivis divinus titulus pulsetur ; et multo magis si potentis hominis persona in judicium fuerit evocata, quamvis privilegium ex sacro oraculo prætendat.

Cap. 190. — *Quod convenit regem legibus divinis subjacere. Gelasius ad imperatorem Anastasium.*

Si quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus humanis excluse videantur obviare sententiæ, quo ore te decet, et convenit eis obedire affectu, qui prorogandis venerabilibus sunt attributa mysteriis ?

Cap. 191. — *Quod illa in legibus prævalent, quæ concordant cum ratione iuris et legum. Pelagius Joanni comiti.*

Dicenti sacras jussiones se habere præ manibus, respondimus, scire illum oportere quod ipse clementissimus princeps generalibus legibus constituerit, illa sacra uniuscujusque desiderio concessa prævalere, et effectui mancipari, quæ cum juris et legum ratione concordant. Ea vero quæ subreptione, vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium.

Cap. 192. — *Omnes lites secundum leges breviari. Novellarum constitutionum libro* VII, *cap.* 75.

Omnes lites secundum leges et constitutiones breviantur ; quamvis jussio nostra vel pragmatica sanctio contrarium statuerit.

Cap. 193. — *Secundum generales leges singulas causas finire debere. Constitutio* [101-105], *cap.* 1.

Nemo judicum sive in pecuniaria, sive criminali causa pragmaticam nostram timeat sanctionem, vel aliud cujusvis generis rescriptum, sive divinas jussiones, sive referendariorum depositiones, aut illustris magistratus præcepta : nam secundum generales leges finiri singulas causas jubemus, et prædictas ambitiones nullum sibi locum in judiciis vindicare.

Cap. 194. — *Quod diuturni mores consensu utentium approbati, legem imitantur. Institutionum lib.* I, *titulo* 2.

Ex non scripto jus venit quod usus probavit. Nam diuturni mores consensu utentium approbati legem imitantur. *Item.* Ea quæ sibi quæque civitas constituit sæpe mutari solent, vel tacito consensu principis [populi], vel alia postea lege data.

Cap. 195. — *Quod ea quæ universa custodit Ecclesia, et si non inveniantur scripta, vel ab apostolis vel ab apostolicis viris credantur tradita. Augustinus, De baptismo contra Donatistas, lib.* II (*cap.* 7).

Multa non inveniuntur in litteris apostolorum, neque in conciliis posterorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata credimus

Cap. 196. — *Nova non esse præsumenaa, nisi aliqua auctoritas faveat. Leo IV judici Sardiniæ.*

Nec mos, nec noviter introducta consuetudo nostræ Ecclesiæ, prædecessoribusque nostris fuit, contra sanctorum canonum nova vel inusitata præsumere. Quamobrem nos devotius volentes vestras petitiones suscipere, si in his nos sanctorum Patrum censura juvaret. Sed ideo quia synodicæ paginæ in hoc favore non videntur, nos tantam novitatem præsumere non possumus et ab illo rectissimo tramite deviare

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 197. — *Quod canonice tradita nulla novitate sunt commutanda. Ex libro Pontificum qui dicitur Diurnus.*

Nihil de traditione quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam et servatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum vere discipulus et sequipeda toto mentis meæ conamine quæ tradita canonice comperio, observare ac venerari profiteor.

Cap. 198. — *De eodem. Actio 7 contra falsam synodum.*

Omnes traditiones ecclesiasticas sive in scripto, sive sine scripto inviolabiliter custodimus. *Item.* Si quis omnem traditionem ecclesiasticam vel scriptam vel non scriptam violat, anathema sit.

Cap. 199. — *Ut ea quæ usus antiquitatis statuit, intemerata serventur. Gregorius Maurentio magistro militum, lib.* VII *registri, epist.* 70.

Omnino contristamur cur in Theodori defensionem veritas non permovit, ut et libere quid esset ratio discretis, et reservari quod longa sibi consuetudo jure vindicat, faceretis, quia grave nimis est contra veterem usum sacerdotes sibi quidpiam arripere. *Item.* Omnia quæ usus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata serventur.

Cap. 200. — *De eodem. Isidorus, Etymologiarum lib.* V, *cap.* 3.

(*Dist.* 1, *c. Mos est.*) Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta, *Item.* (*Ibid.*, *c. Consuetudo autem.*) Consuetudo autem est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, nec differt utrum scriptura an ratione consistat.

Cap. 201. — *Item de eodem. Codicum lib.* VIII, *cap.* 52, *titulo* 1.

(*Dist.* 12, *c. Consuetudo.*) Consuetudo præcedens, et ratio quæ consuetudinem suasit, tenenda est, et quidquid contra longam consuetudinem fiet, ad sollicitudinem suam revocabit præses provinciæ.

Cap. 202. — *Quod consuetudo non adeo valet, ut rationem vincat, vel legem. Titulo secundo.*

(*Dist.* 11, *c. Consuetudinis.*) Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.

Cap. 203. — *Malas consuetudines citissime esse evellendas. Nicolaus papa Igmaro Remensi archiepiscopo.*

Dist. 8, *c. Mala consuet.*) Mala consuetudo, quæ non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, quæ nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur, et incipiunt prævaricationes, et variæ præsumptiones celerrime non compressæ, pro legibus venerari et privilegiorum more perpetuo celebrari.

Cap. 204. — *Bonam consuetudinem, et si videatur obviare rationi non facile mutandam. Greg., epist.* 75, *lib.* I *registri, universis episcopis Numidiæ.*

(*Dist.* 12, *cap. Nos.*) Nos consuetudinem, quæ contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de primatibus constituendis(custodiendis) cæterisque capitulis, exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis curam gerere, non autem etiam illos antistites, quos catholica fides in Ecclesiæ sinu et docuit et genuit, ad obtinendi culmen primatus anteire.

Cap. 205. — *Ut communione privetur qui statuta Romanorum pontificum infregit. Idem, epist.* 7, *lib.* II, *Joanni Larisseo episcopo.*

Si contra hæc quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione vel subreptione venire tentaveris, sacra scias te communione privatum, nec eam te (excepto ultimo vitæ tuæ tempore) nisi cum concessa Romani pontificis decernimus jussione recipere.

Cap. 206. — *Omnia quæ nec conciliis episcoporum statuta sunt, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata, sed diversorum locorum diversis moribus irrationabiliter sunt variata, resecanda esse. Augustinus ad inquisitiones Januarii, epist.* 109, *cap.* 19 (*lib.* I, *c.* 19).

(*Dist.* 12, *cap. Omnia talia.*) Omnia talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec de conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum, diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse voluit liberam, quam servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiam si tempus libertatis non cognoverunt, legalibus tamen sacramentis non humanis præsumptionibus subjiciuntur.

Cap. 207. — *Quod usus auctoritati cedere debet. Isidorus, in Synonymis, lib.* II.

(*Dist.* 11, *cap. Usus.*) Usus auctoritati cedat, pravum usum lex et ratio vincat.

Cap. 208. — *De eodem. Augustinus, cap.* 6 *lib.* III *De baptismo contra Donatistas.*

(*Dist.* 8, *c. Veritate.*) Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. Plane respondeo (inquit August.). Quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere. *Item.* (*Ibid.*, *c.*8.)Nemo consuetudinem rationi et veritati præponat, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit.

Cap. 209. — *Quod multa ab apostolis creduntur tradita, quæ non sunt scripta Item lib.* V.

Consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 210. — *Quod non facile incipiendum, quod nec auctoritas principis, nec usus Ecclesiæ suadet. Leo quartus Lothario Augusto.* A

Mandastis ut privilegium et pallium Alteo episcopo præberemus. Unde poscimus ut vestra super hoc magnitudo non indignetur, quoniam quod ab ipso sanctissimo papa Gregorio usque ad hæc tempora nostra factum minime recordamur, facere non potuimus, neque præfixos Patrum terminos immutare. *Item.* Quod justa et sedula nos imitari consuetudo non præcipit, ita ab hoc veluti a magno nos præcipitio custodire oportet.

CAP. 211. — *Quod nulla consuetudine poterit impediri quidquid auctoritas apostolica sanxerit. Nicolaus I, epist. ad Michaelem imperatorem.*

(*Dist.* 11, *c. Consequens est.*) Consequens est ut quod ab hujus sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur. *Item.* De consuetudinibus quas nobis opponere visi estis, scribentes, per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obviare debemus, nil judicamus, vel eis resistimus. B

CAP. 212. — *Item de eodem. Ignaro Remensi archiepiscopo.*

(*Dist.* 12, *c. Ridiculum.*) Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur.

CAP. 213. — *Usum qui veritati contrarius est, abolendum esse. Gregorius VII, Wimundo Aversano episcopo* (*Aug. c.* 5 *et* 6 *lib.* III *De baptismo*). C

(*Dist.* 8, *c. Si consuetudinem.*) Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum fuerit quod Dominus dixit : *Ego sum veritas et vita* (*Joan.* XIV). Non ait : Ego sum consuetudo, sed, veritas. Et certe, ut beati Cypriani utamur sententia, quælibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati est omnino postponenda, et usus qui veritati est contrarius abolendus.

CAP. 214. — *Magistros qui liberales artes doceant per singulas ecclesias esse constituendos. Synodus Eugenii papæ, tempore Ludovici.*

(*Dist.* 37, *c. De quibusdam.*) De quibusdam locis ad nos refertur, non magistros, neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco universis episcopis, subjectisque plebibus, et aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia adhibeatur, ut magistri et doctores constituantur, qui studia litterarum, liberaliumque artium habentes dogmata, doceant, quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata. D

CAP. 215. — *Ad sacras Scripturas nulla admittenda mendacia. Augustinus epist.* 9, *quæ est ad Hieronymum.*

(*Dist.* 9, *c. Si ad Scripturas.*) Si ad Scripturas sanctas admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas?

CAP. 216. — *De eodem, epistola*, 8.

Mihi videtur exitiosissime credi aliquod in sacris libris esse mendacium, id est eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid in suis libris fuisse mentitos. Alia quæstio est utrum scriptorem sanctarum Scripturarum mentiri oportuerit; imo non alia vero, sed nulla quæstio est. Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla istorum librorum particula remanebit, quæ non ut unicuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima ad mentientis auctoris consilium, officiumque referatur.

CAP. 217. — *De cura pro mortuis habenda. Aug., lib. De cura pro mortuis, c.* 6.

Legimus in ecclesiastica Historia, quam Græce scripsit Eusebius, et in Latinam linguam vertit Ruffinus, martyrum corpora in Gallia canibus exposita, canumque reliquias, atque ossa mortuorum usque ad extremam consumptionem ignibus concremata, eosdemque cineres fluvio Rhodano, ne quid ad memoriam qualemcunque relinqueretur, inspersos

CAP. 218. — *Evangelium quod dicitur juxta Hebræos non esse apocryphum sed ecclesiasticum. Beda super Lucam, lib.* I, *cap.* 1

Evangelium quod dicitur juxta Hebræos, non inter apocryphas, sed inter ecclesiasticas numerandum historias : nam et ipsi sacræ Scripturæ interprete Hieronymo pleraque ex eo testimonia usurpare, et ipsum in Latinum Græcumque visum est transferre sermonem.

CAP. 219. — *Canonum contemptores excommunicandos esse. Urbanus II, Gerardo Tervanensi episcopo.*

Canonum contemptores excommunicandi sunt et damnandi, quandoquidem a sacris altaris mysteriis est removendus, qui sacris non vult obedire canonibus.

CAP. 220. — *Quod excommunicandus est qui Apocalypsim non receperit. Ex Toletano concilio* IV, *cap.* 17.

Si quis Apocalypsim deinceps non receperit, aut a Pascha usque ad Pentecosten tempore missarum in ecclesia non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit. *Et cap.* 18. Qui ne provehantur ad sacerdotium, et regulis canonum, necessario credimus esse inserendum.

CAP. 221. — *Actio octava sextæ synodi.*

Theophanius presbyter et abbas obtulit duas schedas, unam sancti Athanasii Alexandrini episcopi, et alteram sancti Augustini Hipponensis episcopi.

CAP. 222. — *Item de eodem. De libro* V *contra Julianum Pelagianistam.*

Sancta synodus dixit : Splendide, et vere Theophanius venerabilis presbyter prosecutus est in schedis sanctorum et mirabilium Patrum, etc. *Item* Rursum relecta est de eodem codicillo alia schedula sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi.

CAP. 223. — *Diversas pro loco et tempore in una fide*

Introdusă în format electronic de Google

consuetudines non obesse. Leo IX Michaeli imperatori Constantinopolitano.

(*Dist.* 12, *c. Scit sancta.*) Scit sancta Romana Ecclesia quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans uni Deo commendat omnes.

Cap. 224. — *Quod mater Christi omnem typhum carnalis nobilitatis exclusit. Augustinus, De catechizandis rudibus, cap.* 22.

Natus est (Christus) de matre quæ quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis exstinxit.

Cap. 225. — *Quod duo tantum libri Esdræ recipiuntur, Responsio Adriani papæ contra objectiones quorumdam, cap.* 23 (*cap.* 7).

In libro sancti Ambrosii secundo de Spiritu sancto, inter cætera Esdras nos docuit dicens in tertio libro (68*). Similiter nec in nostris codicibus qui ex Hebraica veritate translati sunt, susceptus est tertius liber Esdræ, nisi tantummodo duo.

Cap. 226. — *Quod inconvulsa virit antiquitas, cui sanctorum Patrum auctoritas suffragatur. Zosimus papa episcopis Narbonensis provinciæ.*

(25, *q.* 1, *c. Contra statuta.*) Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.

Cap. 227. — *Sanctam Scripturam canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, ita ut omnino de ea dubitari non possit; episcoporum vero litteras aliorum episcoporum auctoritate reprehendi licere. Augustinus, cap.* 3 *lib.* II *De baptismo contra Donatistas.*

(*Dist.* 9, *c. Quis nesciat.*) Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit utrum verum vel utrum rectum sit quidquid in ea scriptum constiterit esse? Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem doctioremque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est?

Cap. 228. *De auctoritate libri Sapientiæ. Augustinus ad Prosperum et Hilarium, De vita sanctorum* (*De prædest. sanctorum, c.* 14).

Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinæ auctoritatis audiri. *Item.* Qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet ut librum istum Sapientiæ ubi legitur : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius* (*Sap.* IV), omnibus tractoribus anteponant, quoniam sic [sibi] eum anteposuerunt etiam temporibus proximis apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt. *Item.* Liber Sapientiæ qui tanta numerositate annorum legi meruit in Ecclesia Christi, nullam pati debet injuriam, quoniam resistit eis qui pro meritis hominum falluntur.

Cap. 229. — *Quod in dialectica non placuit Deo salvare populum suum. Responsio Adriani papæ contra objectiones quorumdam ad Carolum, cap.* 49

(*Dist.* 37, *c. Omnem vim.*) Omnem vim inventorum [venenorum] suorum in dialectica disputantes ponunt [disputatione constituunt] hæretici, quæ philosophorum sententia diffinitur, non astruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica placuit Deo salvum facere populum suum; regnum enim Dei in simplicitate fidei est non in contentione sermonis.

Cap. 230. — *Quod contra leges accipitur, per leges dissolvitur. Joannes VIII Ludovico imperatori.*

(*Dist.* 10, *cap. Vides.*) Vides, fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.

Cap. 231. — *Quod non licet imperatori contra leges divinas aliquid agere. Sexta synodus* (69) *Symmachi papæ.*

(*Dist.* 10, *cap. Non licet.*) Non licet imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina præsumere, nec quidquam quod evangelicis, propheticis, apostolicisque regulis obviat, agere.

Cap. 232. — *Quot sint capitula Nicæni concilii. Stephanus Luythobio Moguntino episcopo.*

(*Dist.* 16, *c. Viginti.*) Capitula Nicæni concilii testimonio Athanasii, LXX in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus. E quibus viginti tantum in Ecclesia sancta Romana habentur, sed quo neglectu reliqua defecerint ambiguum est : arbitrantur enim plurimi ea Antiocheno inserta concilio.

Cap. 233. — *De re obscurissima non esse disputandum sine auctoritate divinarum Scripturarum. Augustinus in libro De baptismo parvulorum contra Donatistas.*

Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Cap. 234. — *Ut, manifestata veritate, consuetudo cedat. Ibidem, lib.* III, *cap.* 5.

(*Dist.* 8, *c. Qui contempta.*) Qui, contempta veritate, præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est, et malignus, quibus veritas revelatur; aut circa Deum ingratus est, inspiratione cujus Ecclesia ejus instruitur. *Item c.* 6. Nam Do-

(68*) Vide etiam in lib. De Tobia, cap. 20, et in libello De bono mortis, c. 10; producit testimonium ex IV lib. Esdræ.

(69) In 6 Synodo Romana tempore Theodorici regis.

Introdusă în format electronic de Google

minus in Evangelio: *Ego sum*, inquit, *veritas* (*Joan.* XIV). Non dixit: Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati. *Item c.* 7. Revelatione igitur facta veritatis cedat error veritati, quia et Petrus qui prius circumcidebat cessit Paulo veritatem prædicanti (*Galat.* II). *Item c.* 9. Igitur cum Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit.

CAP. 235. — *De eodem. Augustinus, cap.* 4 *lib.* IV *De baptismo* (*cap.* 5).

(*Dist.* 8, *c. Frustra.*) Frustra, inquit, quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Spiritu sancto revelatum. Hoc plane verum est, quia ratio et veritas consuetudini præponenda est; sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil firmius oportet retinere.

CAP. 236. — *Quod scripturæ episcoporum ab auctoritate canonis distinguendæ sunt. Augustinus, epistola* 48 *ad Vincentium.*

(*Dist.* 9, *cap. Noli frater.*) Habent etiam Scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, et ad quosdam verba perveniant. *Item, ioi.* Noli, frater, contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia, colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, sive nostrorum sicut Hilarii; sive, antequam pars Donati separaretur, ipsius unitatis, sicut Cypriani et Agrippini: primo, quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint quam veritas postulat. In eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere (*Philip.* III). Et si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelavit.

CAP. 237. — *Item de eodem. Epist. ad Fortunatianum episcopum Sircensem.*

Dist. 9, *c. Neque quorumlibet.*) Neque quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum quales volo esse intellectores meorum.

CAP. 238. — *Apostolicas sanctiones a Deo firmatas esse. Agatho papa omnibus episcopis.*

Sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.

CAP. 239. — *Quod particularis synodus ad generalem synodum judicandam congregari non possit. Pelagius Valeriano patricio inter cætera.*

(*Dist.* 17, *c. Nec licuit.*) Sic nec licuit aliquem [*forte*, aliquando], nec licebit particularem synodum ad judicandum, generalem synodum congregari. Sed quoties aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de hoc quod non intelligitur rationem, aut sponte hi qui salutem animæ suæ desiderant ad apostolicas sedes pro recipienda [percipienda] ratione conveniant, aut si forte sicut de talibus dictum est: *Peccator, cum venerit in profundum* malorum, *contemnit* (*Prov.* XVIII), ita obstinati et contumaces exstiterint, ut doceri non velint, eos ab eisdem apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquomodo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum canones per sæculares comprimi [opprimi] potestates.

CAP. 240. — *Non esse congregandam synodum episcoporum absque auctoritate Romanæ sedis. Marcellus papa* XXVIII *a Petro in secundo decretali suo.*

(*Dist.* 17, *cap. Synodum.*) Synodum episcoporum absque hujus sanctæ sedis auctoritate, quanquam quosdam episcopos possitis congregare, non potestis regulariter facere, neque illum episcopum qui hanc appellaverit sedem apostolicam damnare, antequam hinc sententia finitiva procedat. Nam, si sæculares in publicis judiciis libellis utuntur appellatoriis, quanto magis sacerdotibus hæc eadem agere licet qui super illos sunt? De quibus dictum est: *Ego, dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Et ideo nullus episcopus, nisi in legitima synodo, suo tempore apostolica aut regulari auctoritate convocata, super quibuslibet pulsatus criminibus audiatur vel judicetur, ne innocens damnetur, aut perdat communionem.

CAP. 241. — *Ut bina provincialia episcoporum concilia per annum celebrentur Leo papa I, epist.* 82.

(*Dist.* 18, *c. De conciliis.*) De conciliis autem episcopalibus, non aliud indicimus, quam sancti Patres salubriter ordinaverunt, ut scilicet bini conventus per singulos annos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci assolent judicetur: ac si forte inter ipsos qui præsunt, de majoribus peccatis, quod absit! causa nascitur, quæ provinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate: metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis Patribus nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram quidquid illud est cognitionem transferatur.

CAP. 242. — *Non esse rata concilia sine auctoritate apostolica. In quinta synodo Symmachi papæ.*

(*Dist.* 17, *cap. Concilia.*) Concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias quia præsentiam papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Legite insanissimi, aliquando, illis præter apostolici apicis sanctionem, aliquid constitutum, et non de majoribus negotiis ad consultationem si quid occurrit, præfatæ sedis arbitrio fuisse servatum.

CAP. 243. — *Item bis in anno celebranda esse episcoporum concilia. Ex concilio Chalcedonensi, actione decima quinta, cap.* 19.

(*Dist.* 8, *cap. Pervenit ad nostras.*) Pervenit ad nostras aures, quod in provinciis constituta episcoporum concilia minime celebrentur, et ex hoc pro-

Introdusă în format electronic de Google

batur, quod multæ, quæ correctione opus habeant, ecclesiasticæ res negligantur. Statuit igitur hæc sancta synodus secundum Patrum regulas bis in anno in unum convenire per singulas provincias episcopos, ubi singula quæ emerserint corrigantur. Qui vero noluerint convenire episcopi, constituti in suis civitatibus, et hoc maxime cum sui corporis sanitate consistentes, etiam omnibus aliis urgentibus, et inexcusabilibus negotiis liberi sunt, licere eos fraternæ charitatis admonitionibus corripi.

CAP. 244. — *Ut in ecclesiis Hispaniæ semel in anno propter paupertatem concilia fiant. Ex concilio Toletano* III, *cap.* 18.

Præcipit hæc sancta et universalis synodus ut, stante priorum auctoritate canonum, quæ bis in anno præcipit congregari concilia, consulta itineris longitudine et paupertate ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno in locum quem metropolitanus elegerit, episcopi congregentur : judices vero locorum, vel actores fiscalium patrimoniorum, ex decreto gloriosissimi Domini nostri simul cum sacerdotali concilio, aut vernali [autumnali] tempore, aut die Kalendarum Novembrium, in unum conveniant, ut discant quam pie et juste cum populis agere debeant, ne in angariis, aut in operationibus superfluis sive privatum onerent, sive fiscalem gravent. Sint enim perspectores [prosp.] episcopi, secundum regiam admonitionem, qualiter judices cum populis agant, ita ut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum auribus principum innotescant. Quod si correptos emendare nequiverint, et ab ecclesia et a communione suspendant. A sacerdote vero et senioribus deliberetur quid per provincias in suo detrimento præstare debeant judices, si ad concilium non venerint; concilium autem non solvatur nisi prius locum elegerint, quo succedenti tempore iterum ad concilium veniatur, ut jam non necesse habeat metropolitanus episcopus pro congregando concilio litteras destinare, si in priori concilio tempus omnibus denuntietur et locus.

CAP. 245. — *Quam reverenter et composite sacerdotes Domini in judiciis præsidere debent. Ex concilio Toletano* XI, *cap.* 1.

(5, *q.* 4, *c. In loco benedictionis.*) In loco benedictionis considentes Domini sacerdotes, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis vel risibus agi, et, quod est deterius, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis* enim, ut Apostolus ait, *putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Jac.* I). Cultum enim suum justitia perdit, quando silentia judicii obstrepentium turba confundit, dicente propheta : *Erit cultus justitiæ silentium* (*Isa.* LVIII). Debet ergo quidquid aut considentium consultationibus agitur, aut accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec judicum vigorem de tumultu enervent. Quicunque ergo in conventu concilii hæc quæ præmissa sunt violanda crediderit, et contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis vel risibus concilium perturbaverit, juxta divinæ legis edictum quo præcipitur : *Ejice derisorem et exibit cum eo jurgium* (*Prov.* XXII), cum omni dedecore de confessione abstractus a communi cœtu secedat, et trium dierum excommunicationis sententiam perferat.

CAP. 246. — *Incivit ordo qualiter ab episcopo synodus agatur.*

(70) Hora diei prima ante solis ortum ejiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus cunctis, ad unam januam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stabunt, et convenientes cardinales, sacerdotes pariter cum episcopo introibunt, et secundum ordinis sui tempus residebunt. Post hos ingrediantur et diaconi qui, corona facta in conspectu episcopi et sacerdotum, stent. Deinde forenses ingrediantur presbyteri, in ordine suo, procul ab aliis stantes, et ut jussi fuerint residentes. Ingrediantur quoque subdiaconi quos ad recitandum vel excipiendum congruus ordo requirit, obseratisque januis sedentes in diuturno silentio episcopi videlicet et sacerdotes, atque cor totum habentes ad Dominum, dicturus est archidiaconus : *Orate*; et tunc agatur litania. Statimque omnes incurventur tam episcopi quam presbyteri orantes diutius, tacite cum fletibus atque gemitibus. Tunc surgens episcopus cunctis adhuc incurvatis, hanc orationem palam fundat ad Dominum.

CAP. 247. — *Oratio ab episcopo in synodo dicenda.*

Adsumus, Domine; sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo spiritualiter aggregati. Veni ad nos, esto nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus ut, te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus, et suggestor, et effector judiciorum nostrorum qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat, sed junge nos tibi efficaciter solius gratiæ tuæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero, qualiter in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

CAP. 248. — *Quod Evangelium in synodo dicendum, et quæ capitula sint recitanda.*

Qua oratione finita, ab omnibus respondeatur : Amen. Rursumque dicat archidiaconus : Erigite vos.

(70) Desumpta ex concilio Salegonstadiensi. Vide Isidorum præfatione in collectionem canonum, et in principio conciliorum.

Introdusă în format electronic de Google

Confestim omnes surgant, et ab archidiacono legatur Evangelium : *Designavit Dominus Jesus* (*Luc.* x), etc. Quo perlecto, cum timore et disciplina tam episcopus quam cæteri [presbyteri] sedeant. Diaconus dalmatica indutus codicem canonum in medium proferens, capitula Nicæni concilii perlegat, ubi de fide catholica plenius tractatur, qualiter omnes Christicolæ unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate fiducialiter venerari, corde credere, ore confiteri, et incessanter excolere debeant : ubi satis aperte depromitur quomodo Pater et Filius et Spiritus sanctus veraciter unus sit Deus. Deinde legatur liber officiorum, ut scire valeant quo ordine in ecclesia cuncta peragantur officia. Post hæc autem perquirantur presbyteri qualiter energumenos exorcizare, qualiter scrutinia et aurium apertiones facere, vel eosdem baptizare debeant. Quibus expletis, taliter cunctos clericos alloquatur episcopus.

A

B

Cap. 249. — *Admonitio episcopi.*

Precibus itaque Deo præmissis, fraternitatem vestram, dilectissimi filii, cum pia exhortatione admoneo, et per divinum nomen obtestor, ut ea quæ nobis de Deo, et sacris ordinibus, vel sanctis moribus dicta fuerint, cum omni pietate suscipiatis, et cum summa reverentia perficere studeatis, quatenus, superna auxiliante gratia, ea quæ ad salutem nostram et Christiani populi nobis commissi pertinere videbuntur, diligenter et provide omnia tractemus, ne oves Domini nostri Jesu Christi nobis commissæ, licet indigne, ob nostram pereant negligentiam, pro quibus in die judicii rationem reddituri sumus. Deinde simili vos obtestatione conjuro vel obsecro, ut nullus vestrum in judicando, fratrem suum aut personam accipiat, ut [aut] quolibet favore vel munere pulsatus, a justo judicio scienter avertatur aut discedat, sed cum tota pietate fraternæ dilectionis, et cum Dei timore libenter nobiscum adhibeatis studium, quatenus per doctrinam et sacram admonitionem peccata, errores et pravitates filiorum nostrorum, quæ ante nos vel tempore nostro, instigante diabolo in civitate ista vel parochiis nostris perpetrata fuerint, Dei auxiliante misericordia, ad correctionis emendationem et bonorum exsecutionem perducere valeamus, et in extremo judicii die non de negligentiis et culpis a Domino sicut pigri et mali servi judicemur, sed de benefactis ac recte dispositis præmium æternæ beatitudinis recipere mereamur. Per Dominum, etc.

Cap. 250. — *De examinatione fidei et aliarum virtutum.*

Quibus taliter narratis, perscrutandi et inquirendi sunt cardinales, sacerdotes et levitæ, nec non et reliqui, videlicet de credulitate Trinitatis, et unitatis, id est de dilectione Dei et proximi; secundo de humilitate et castitate; tertio de jejunio et oratione; quarto de eleemosynarum largitate; quinto de officiis ecclesiasticis simul et omnibus cavendis vitiis et virtutibus adipiscendis.

Cap. 251. — *Finis concilii primæ diei.*

His itaque prima die synodali judicio deliberatis, surgens archidiaconus dicat : In nomine Domini nostri Jesu Christi eamus in pace. Tunc dicat episcopus benedictionem.

Cap. 252. — *Benedictio episcopi.*

Qui dispersos Israel congregat, ipse vos hic et ubique custodiat. Amen. Et non solum vos custodiat, sed ovium suarum idoneos custodes efficiat. Amen. Ut cum summo pastore Christo de gregum suorum pastione gaudeatis in cœlo. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui nos ante constitutionem mundi prædestinatos, et ante finem sæculi justificatos præscivit, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Cap. 253. — *Actio secundæ diei. Secunda vero die ingressis, simulque, ut supradictum est, omnibus incurvatis, hæc dicenda est ab episcopo oratio.*

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus, ut bonum quod a nobis a te requiritur, exsequamur, scilicet ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus, ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis. Tunc ab omnibus respondeatur : Amen. Surgentibusque illis legatur Evangelium : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v); vel : *Estote misericordes* (*Luc.* vi). Post hæc per ordinem, sicut prius, in suis resideant sedibus, quos deinde alloquatur episcopus. Quibus verbis secunda die peractis, perquirantur quæ in synodo necessaria sunt, ac diligenti cura pertractentur. Hora autem sexta vel nona expleta, iterum pronuntiet archidiaconus : In nomine Domini nostri Jesu Christi eamus in pace.

C

Cap. 254. — *Benedictio episcopi.*

Dominus mentis et linguæ corporalis et spiritualis det vobis incrementa gratiæ sacerdotalis. Amen. Atque vobis ad dexteram constitutis participium regni tribuat cœlestis. Amen. Quod ipse præstare dignetur qui nos ante, etc.

Cap. 255. — *Actio tertiæ diei. Tertia deinde die omnibus, sicut supradictum est, expletis, ecclesiæ ingressis, hanc item orationem ipsis incurvatis dicat episcopus.*

Ad te, Domine, interim clamosis vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu gratiæ tuæ solidati, præcones virtutis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Et respondeatur ab omnibus : Amen. Et surgentibus cunctis iterum legatur Evangelium : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* xi). Post hæc per ordinem resideant in sedibus suis, quos iterum alloquatur episcopus. His taliter prælibatis, cætera quæ in synodo sunt necessaria pertractentur. Quibus omnibus expletis, hanc orationem super cunctos clericos dicat episcopus.

D

Cap. 256. — *Oratio.*

Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffense possit tuæ voluntatis judicia expedire. Et ideo quia *imperfectum* nostrum *viderunt oculi tui* (*Psal.* cxxxviii), perfectioni deputa, quæ perfecto æquitatis fine a te concludere præoptamus. Te ita-

Introdusă în format electronic de Google

que in nostris principiis occursorem exoravimus, te quoque in hoc fine judiciorum nostrorum excessibus adesse precamur, scilicet ut ignorantiæ parcas, errori indulgeas, perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris. Et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia traxerit nos in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare. Ob hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac synodali celebritate attraximus, condonare ac remissibile facere digneris, ut qui soluturi sumus aggregatam synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter et transgressores veniam, et confitentes tibi consequamur remunerationem sempiternam. Amen.

A Cap. 257. — *Huic orationi oratio paterna adjungatur, cunctis interim incurvatis. Benedictio episcopi et finis concilii.*

Omnipotentis Dei Filius, qui est initium et finis complementum vobis tribuat charitatis. Amen. Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire synodi, absolutos vos faciat ab omni contagione delicti. Amen. Ut ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum sancti Spiritus, felici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illæsi. Amen. Quod ipse, etc. Quibus omnibus expletis, archidiaconus dicat : In nomine Domini nostri Jesu Christi eamus cum pace. Tunc omnes pariter surgant, et ad propria redeant cum pace.

DECRETI PARS QUINTA

De primatu Romanæ Ecclesiæ, et de jure primatum, et metropolitanorum, atque episcoporum ; et de ordinatione eorum ; et de sublimitate episcopali.

Cap. 1. — *Unde cæperit ordo sacerdotalis. Anacletus in secundo decretali suo (epist. 2. ad episc. Italiæ).*

(*Dist.* 21, *c. In Novo Testamento.*) In Novo Testamento, post Christum Dominum, a Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum : *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI). Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit a Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt. Ipsumque principem eorum esse voluerunt; qui etiam, jubente Domino, in toto orbe terrarum dispersi Evangelium prædicaverunt (*Matth.* XXVIII). Ipsis quoque decedentibus, in loco eorum surrexerunt episcopi, quorum ordinatio prætaxato fieri debet ordine et modo. Quos qui recipit et verba eorum, Dominum recipit; qui autem spernit eos, eum a quo missi sunt, et cujus funguntur legatione, spernit, et ipse indubitanter spernitur a Domino (*Luc.* X). Videntes autem ipsi apostoli messem esse multam, et operarios paucos, rogaverunt dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam (*ibid.*). Unde electi ab eis sunt septuaginta discipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum loco sunt constituti in Ecclesia. De quorum ordinatione et reliquorum ministrorum, supradixisse sufficiat.

Cap. 2. — *Quæ sit prima sedes. Anacletus in tertio decretali suo (epist. 3 ad omnes episcopos).*

(*Dist* 22, *c. Sacrosancta.*) Prima sedes est cœlesti beneficio Romana Ecclesia, quam, ut memoratum est, beatissimi Petrus et Paulus suo martyrio consecrarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam, quæ beati Petri nomine a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est, quia ipse et in Ægypto primum verbum veritatis directus a Petro, prædicavit, et gloriosum suscepit martyrium; cui successit venerabilis Abilius [Anianus et post hunc Abilius]. Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beati Petri apostoli habetur honorabilis, quia illic priusquam veniret Romam habitavit (*Act.* XI), et Ignatium episcopum constituit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est.

Cap. 3. — *De appellatione. Omnibus in Christo dilectis fratribus. Sixtus a Petro sextus in primo decretali suo (epist. 2, c. 2).*

(2, *q.* 6, *c. Si quis vestrum.*) Si quis vestrum pulsatus fuevit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam apostolicam appellet sedem, et ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem necesse ei evenerit, eamque minime appellare voluerit, et vocatus tamen ab hac sede fuerit, non renuat venire, sed confestim ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, et causas pro quibus vocatus est prudenter disponat, atque si necesse aliquid corrigere fuerit, cum his quos hic primum invenerit, corrigat. Ad ecclesiam tamen suam non prius revertatur, quam hinc litteris apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus sit, si fuerit unde. Et postquam domum reversus fuerit, cognoscant vicini sui qualiter hic suam aliorumque causam finierit, quatenus eam absque aliqua ambiguitate nuntiare et prædicare omnibus possit. Ab hac enim sancta sede, a sanctis apostolis tueri, defendi et liberari episcopi jussi sunt, ut sicut eorum dispo-

Introdusă în format electronic de Google

sitione, ordinante Domino, primitus sunt constituti ; sic hujus sanctæ sedis, cujus dispositioni eorum causas et judicia servaverunt, protectione, futuris temporibus sint ab omnibus adversitatibus [perversitatibus] semper liberi. Unde culpantur hi qui aliter circa fratres egerint, quam hujus sedis rectoribus placere cognoverint. His taliter consideratis, atque cum reliquis episcopis decretis tanquam omnium curam gerentes, propter sedis propriæ apicem decernimus, ut nemo pontificum aliquem suis rebus exspoliatum episcopum, aut a sede pulsum excommunicare aut judicare præsumat, quia non est privilegium quo exspoliari possit jam nudatus. Si quis autem aliter præsumpserit agere, sciat censuram hujus sedis cum omnibus membris suis sibi non deesse venturam.

CAP. 4. — *Item de eodem, et quod non licet diffiniri causam accusati episcopi inconsulto Romano pontifice. Victor papa XIII a Petro in primo decretali suo* (*ep.* 1, *c.* 3).

(3, *q.* 6, *c. Accusatus.*) Placuit ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur episcopus ; quoniam quanquam comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano pontifice permissum est. Et alibi in statutis apostolicis legitur (2, *q.* 6, *c. Si quis putav.*) : Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud patriarcham, vel primatem diœcesis, aut penes universalis apostolicæ Ecclesiæ judicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi apostolorum suorumque successorumque terminos transgredi, eorumque decreta violare.

CAP. 5. — *Quod sacerdotalis dignitas excellit imperialem. Gregorius Nazianzenus de ipsis imperatoribus loquitur* (*in oratione ad cives Nazianzenos*).

(*Dist.* 10, *cap. Suscipitisne.*) Suscipitisne libertatem verbi? Libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali vos subjecit potestati, atque istis tribunalibus subdidit? Dedit enim et nobis potestatem, dedit et principatum multo perfectiorem principatibus vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni ? si a terrenis cœlestia superentur ? si divinis præferantur humana ?

CAP. 6. — *Quod Petro Dominus inter discipulos primatum contulit, ut sic ad Ecclesiam diffunderetur. Beatissimus Leo papa I universis Viennensis provinciæ episcopis* (*ep.* 87).

(*Dist.* 19, *c. Ita Dominus.*) Ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit ut veritas, quæ antea legis et prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbes terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, et in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exsortem se ministerii [mysterii] intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate discedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominare dicendo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret. Hanc Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Domino, ut diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, et id quod accepit a veteribus, non sequendo.

CAP. 7. — *Quod imperatori non sit obediendum, si aliquid præcepit contra Deum. Augustinus in psalmos* (*Psal.* CXXIV, *ad versiculum* : *Quoniam non derelinquet virgam*).

(11, *q.* 3, *c. Imperatores.*) Julianus exstitit infidelis imperator, nonne exstitit apostata, iniquus idololatra ? Milites Christiani servierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi non agnoscebant, nisi illum qui in cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat : Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum a domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.

CAP. 8. — *Non posse quemquam superiorem ab his qui inferioris dignitatis, vel ordinis sunt judiciariis submitti diffinitionibus. Nicolaus dilecto filio Michaeli a Deo dilecto semper Augusto* (*ep.* 2, *vol.* 8).

(*Dist.* 21, *c. Nunc autem.*) Nunc autem divina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit ostendere vobis, si tamen audire velitis, non posse quemquam rite ab his qui inferioris dignitatis vel ordinis sunt, judicialibus submitti diffinitionibus. Si quidem tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum, Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est a paganis, ut templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret. Cujus rei gratia collecto numerosorum episcoporum concilio, et inquisitione facta, hoc se idem pontifex egisse confessus est, nullus tamen eorum proferre sententiam [in eum] ausus est, dum ei sæpissime omnes perhiberent : « Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio. Noli, aiunt, audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. » Et rursus : « Quoniam ex te (inquiunt) justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis (*Matth.* XII). » Et iterum dicunt : « Prima sedes non judicabitur a quoquam. » *Item in eadem.* Sed et cum quidam tempore quodam, contra Sixtum papam tentassent quædam mali [non

Introdusă în format electronic de Google

boni] rumoris objicere, et in consilio, cui et Valentinianus Augustus intererat, dictum fuisset non licere adversus pontificem dare sententiam, surrexit idem protinus imperator, et in arbitrio præfati pontificis tribuit judicare judicium suum. Etenim nullus pontificum minorum vel inferiorum urbium subactus judiciis invenitur. *Item in eadem.* (*Dist.* 21, *c. In tantum.*) In tantum autem hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint; quia ponens in cœlum os suum et lingua ejus transeunte super terram (*Psal.* LXXII), excommunicationem in sanctum papam Leonem dictavit: ita ut in sententia contra ipsum prolata hoc videantur memorare præcipue dicentes, quoniam secundus excessus [secundis excessibus] priorem iniquitate valde transcendit. Præsumpsit enim excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Nunquid inquisitionem legimus fuisse factam, utrum juste an injuste, Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset? Non plane, sed absque omni controversia hoc in eo multati [ulti] sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere injuriis [contumeliis], teste Anatolio Constantinopolitano præsule qui dicit: Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni.

CAP. 9. — *Romanam sedem de tota Ecclesia judicare, ipsam vero ad nullius commeare judicium. Gelasius I Fausto magistro fungenti legationis officio Constantinopoli* (*epist.* 4).

(9, *q.* 3, *c. Ipsi sunt canones.*) Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana rectaque suadenti parere diffugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt. In hac ipsa causa, Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes et cæteri non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii præferentes, sola sedis apostolicæ sunt auctoritate dejecti. *Post pauca.* (*Dist.* 22, *c. Qua traditione.*) Qua traditione majorum, apostolicam sedem in judicium vocant? An secundæ sedis antistites, et tertiæ, cæterique bene conscii sibi sacerdotes depelli debuerunt, et qui religionis exstitit inimicus, depelli non debuit? Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exsequantur. Cæterum isti qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt. Et Constantinopolitanæ episcopus civitatis, quæ utique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoveri?

CAP. 10. — *De eodem, in quinta synodo Symmachi papæ* (*in libro Ennodii de 4 et 5 synodis Romanis*).

(9, *q.* 3, *c. Aliorum.*) Aliorum forte hominum causas Deus voluit per omnes terminare, sed sedes istius præsulum suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.

CAP. 11. — *Quod vicarii Romanæ sedis non habeant plenitudinem apostolicæ potestatis. Gregorius IV Galliæ, Europæ, Germaniæ episcopis.*

Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra, quorum devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris. *Et post plura.* Nec pigeat forte, aut pudeat nostris obedire mandatis, aut apostolicæ sedis obsecundare præceptis, quia humilibus datur gratia, non superbis (*Jac.* IV). (*Dist.* 19, *cap. Nulli fas est*). Nam nulli fas est, vel velle, vel posse [velleve posse] transgredi apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram oportet sequi charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris sit a sancto ministerio; nec de ejus judicio postea quisquam curam habeat, quoniam jam damnatus a sancta et apostolica sede, hac auctoritate pro sua inobedientia atque præsumptione, a quoquam esse non dubitatur; quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus cui sanctæ Ecclesiæ fuerit commissa disciplina. qui non solum præfatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam alios ne præterirent, insinuare. Sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare apostolicis.

CAP. 12. — *Non esse convocandam generalem synodum sine præcepto papæ. Pelagius II papa episcopis Constantinopoli congregatis.*

Relatum est enim ad apostolicam sedem, Joannem Constantinopolitanum episcopum universalem se scribere, vosque ex hac præsumptione ad synodum convocasse generalem: cum generales synodos convocandi auctoritas apostolicæ beati Petri apostoli sedi singulari privilegio sit tradita, et nulla unquam synodus rata, quæ apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in prædicto vestro conventiculo, (quia synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis, ex auctoritate sancti Petri apostolorum principis, et Domini Salvatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi et solvendi ipse salvator dedit (*Matth.* XVI), quæ etiam potestas in successoribus ejus indubitanter transivit, præcipio omnia quæ ibi statuistis vana et cassata esse; ita ut deinceps nunquam appareant, nec ventilentur [sed mutilentur]. *Post pauca.* Quapropter charitas vestra

Introdusă în format electronic de Google

neminem unquam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.

CAP. 13. — *Quod solo Romano pontifici liceat de qualibet Ecclesia, si voluerit, clericum ordinare. Stephanus Walberto patriarchæ.*

Miramur prudentiam tuam Cumensi Ecclesiæ denegare consecrare pastorem, cum te jam ad hoc provocatum noveris apostolica exhortatione. Sic enim in ejus electione quod [*forte*, quid] tibi displicuit sacris canonibus interdictum, apologeticis litteris tuis respondere nobis debueras. Nunc vero iterato tibi scribimus, nolentes alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, licet apostolica prærogativa possimus de qualibet Ecclesia clericum ordinare. Desine jam cujuspiam zelo electum a clero et expetitum a populo Lintwardum [Litwardum] Cumensi Ecclesiæ antistitem protelare; quia si protelaveris, et eum consecrare toties monitus non maturaveris, cum ad nos venerit, procul dubio consecratus abibit, quia licet apostolica auctoritate id facere valeamus, tuo tamen incitamur exemplo, qui transgressis terminis tibi commissis, in Ecclesia Salonensi episcoporum ordinare ad indecentiam apostolicæ sedis præsumpsisti, quod quantæ prævaricationis sit ipse perpende.

CAP. 14.— *Quod delectio et consecratio Romani pontificis juste et canonice fieri debeat. Leo IV Lothario et Ludovico Augustis.*

(*Dist.* 63, *cap. Inter nos.*) Inter nos et vos pacti serie statutum est et confirmatum quod electio et consecratio futuri Romani pontificis nonnisi juste et canonice fieri debeat.

CAP. 15. — *In potestate papæ esse injuste damnatos vel excommunicatos restituere. Anastasius patriarcha Felici papæ (inter epist. Felicis I, ep. 1).*

(9, *q.* 3, *c. Fuit semper.*) Fuit semper vestræ apostolicæ sedi licentia injuste damnatos vel excommunicatos potestative sua auctoritate restituere, et sua eis omnia reddere, et illos qui eos condemnaverunt aut excommunicaverunt, apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris et anterioribus cognovimus actum temporibus. *Item.* (9, *q.* 3, *c. Antiquis.*) Antiquis regulis censitum [sancitum] est, ut quidquid quamvis in remotis aut in longinquo positis provinciis, super episcoporum querelis aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ sedis vestræ esset deductum, ut hujus auctoritate juxta quod fuisset pronuntiatio infirmaretur aut firmaretur.

CAP. 16. — *Quod in electione Romani pontificis legati imperatoris non sunt exspectandi. Gregorius II.*

(*Dist.* 63, *c. Adrianus.*) Cum Adrianus secundus ad Romanum pontificatum ab ecclesia Dei Genitricis dominæ nostræ, quæ dicitur ad Præsepe, traheretur ad Lateranense patriarchium, certatim a clero et proceribus et plebe deportatus est. Quod audientes missi Ludovici imperatoris moleste tulerunt et indignati, scilicet quod dum præsentes essent, non invitati fuerunt, nec optatæ a se futuri præsulis electioni interesse meruerunt. Qui accepta ratione, quod non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit, ne videlicet legatos principum in electionem Romanorum pontificum [præsulum] exspectandi mos per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem indignationem medullitus sedaverunt, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.

CAP. 17. — *Quod semper minor a majore benedictionem petere debeat. Nicolaus papa, Michaeli imperatori (epist. 2, vel 8).*

(*Dist.* 21, *c. Denique.*) Denique si in Epistola ad Hebræos legimus quod minor a majore benedicatur (*Hebr.* VII), restat profecto ut, exigente ratione, etiam maledicatur. Si quidem prænoscentes hæc periculosa tempora illi qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis tradiderunt consuetudinem, hodieque in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos majore suo non innuente consacerdote cuilibet rei benedicere nitatur; sed [si] et anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? Absit! De maledicis enim, non de benedicis dicit Apostolus, quia regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* VI). Sed per hoc innuitur quantæ censuræ freno inferiores quique ad suos judicandos præpositos coercendi sunt, si hi nec etiam benedicendi jus nullum penitus obtineant.

CAP. 18. — *Non esse attendendum quales sacerdotes sint, sed quid de Domino loquantur. Nicolaus papa Michaeli imperatori (ibid.).*

(1, *q.* 1, *c. Non quales.*) Non quales sacerdotes Domini, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere providendum, nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum qui sint, sed quid pro correctione ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos inferiores dicetis Scribis et Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, de quibus Dominus præcepit dicens : *Quæcunque dixerint vobis facite, secundum opera vero eorum nolite facere* (*Matth* XXIII). Ergo, imperator, considera si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius qui super cathedram Petri resident esse existimas obaudiendos?

CAP. 19.— *Quod apostolicæ sedis judicium a nemine sit retractandum. Item Nicolaus eidem.*

(9, *q.* 3, *c. Patet.*) Patet profecto sedis apostolicæ (cujus auctoritate major non est) judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, juxta quod Bonifacius papa Rufo et cæteris episcopis per Thessaliam constitutis scribens : « Nemo, ait, unquam apostolico culmini (de cujus judicio non licet retractare) manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. » Et beatus papa Gelasius : « Nec de ejus (id est Romanæ Ecclesiæ) canones unquam præceperunt judicare judicio, nec sententiam illius constituerunt oportere dissolvi, cujus potius

Introdusă în format electronic de Google

sequenda decreta mandaverunt. » Ergo de judicio Romani præsulis non retractando, quia nec mos exigit quod diximus comprobato, non negamus ejusdem sedis sententiam posse in melius commutari : cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, et temporum seu gravium necessitatum dispensatione quiddam ordinare decrevit ; quoniam et egregium Paulum apostolum quædam fecisse dispensatorie legimus, quæ postea reprobasse legitur. Quod tamen observandum est, quando illa Romana videlicet Ecclesia, discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quæ bene sunt definita retractare renuerit [voluerit].

Cap. 20. — *Quod « Gloria in excelsis, » ab episcopis in Cœna Domini dicendum sit. Idem Radulpho Bituricensi archiepiscopo* (*ep.* 19, *c.* 7).

(*De cons.*, *dist.* 1, *c. Porro « Gloria. »*) Porro *Gloria in excelsis Deo*, ab episcopis in Cœna Domini inter missarum solemnia more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti illis solis est licitum, quibus est ab apostolica sede permissum.

Cap. 21. —*De primatu Romanæ Ecclesiæ. Leo IV Carolo regi.*

(16, *q.* 6, *c. Si fortassis.*) Si fortasse (quod non credimus) apud vos inutiles judicamur, Ecclesia tamen, cui permittente Domino præsidemus, non inutilis ; sed caput principiumque omnium merito simul ab omnibus vocatur.

Cap. 22. — *Quod in præsentia legatorum imperatoris Leo papa causam suam examinari voluerit. Idem Nicolaus imperatori.*

(2, *q.* 7, *c. Nos si incompetenter.*) Nos si incompetenter aliquid egimus, et in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio ; quoniam si nos qui aliena debemus corrigere pejora committimus, certe non veritatis discipuli, sed, quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, ut tales ad hæc quæ diximus perquirenda, missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, et cuncta, quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria, diligenter exquirant ; et non tantum hæc sola, quæ superius diximus, quærimus, ut ex amussim exagitent, sed sive minora, sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit quod ex his indiscussum vel indefinitum remaneat.

Cap. 23. — *Quod nulli mortalium præsumendum est Romanum pontificem etiam graviter delinquentem redarguere. Ex Gestis Bonifacii martyris legati Romanæ Ecclesiæ.*

(*Dist.* 40, *c. Si papa.*) Si papa suæ et fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis et remissus in operibus suis, et insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi et omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso, plagis multis in æternum vapulaturos. Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos judicaturus ipse a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius, pro cujus perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum, ex illius incolumitate animadvertunt propensius pendere.

Cap. 24. — *Apostolatus principatum omnibus præferendum. Augustinus, cap.* 1 *lib.* II *De unico baptism. contra Donatistas.*

(2, *q.* 7, *c. Puto quod sine.*) Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus episcopus Petro apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum apostolatus principatu cuilibet episcopatui præferendum Sed etiamsi distat cathedrarum gratia, una tamen est martyrii gloria. *Ibidem paulo inferius.* Cum Petrus a Paulo posteriore corrigatur [corrigitur], et pacis atque unitatis vinculo custodito ad martyrium promovetur, quanto facilius et fortius quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius episcopi auctoritati, vel unius provinciæ concilio præferendum est.

Cap. 25. — *Nullum se a societate Petri segregare debere. Beda super Matthæum* (*homil. de festo Apost. Petri et Pauli*).

(24, *q.* 1, *c. Quicunque ab unitate.*) Quicunque ab unitate fidei vel societatis Petri apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi nec januam possunt cœlestis regni ingredi.

Cap. 26. — *Præfatio Nicæni concilii de primatu Romanæ sedis.*

Beatissimo Silvestro in urbe Roma apostolicæ sedis antistite. Augusto Constantino et Licinio Cæsare, consulatu Paulini et Juliani virorum clarissimorum, anno ab Alexandro millesimo trigesimo sexto [306], mense Junio XIII Kalendas Julii propter insurgentes hæreses fides catholica exposita est apud Nicænam Bithyniæ, quam sancta et reverendissima Romana complectitur et veneratur Ecclesia, quippe quam trecenti decem et octo Patres mediantibus Victore atque Vincentio religiosissimis Romanæ sedis presbyteris, inspirante Deo, ad obstruenda [destruenda] Arii venena protulerunt. (*Vide etiam Anacleti, ep.* 3.) Nam et nonnullæ regulæ subnexæ sunt, quas memorata suscipiens confirmavit Ecclesia. (*Dist.* 22, *c. Sacrosancta.*) Sciendum est sane ab omnibus Catholicis quoniam sancta Romana Ecclesia nullis synodis decretis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit beato Petro apostolo : ***Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ; et tibi dabo claves regni cœlorum ; et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque***

Introdusă în format electronic de Google

sáleris super terram, erunt soluta et in cælo (*Matth.* xvi). Adhibita est etiam societas in eadem urbe Romana beatissimi apostoli Pauli, vasis electionis, qui uno die unoque tempore gloriosa morte cum Petro, sub principe Nerone agonizans coronatus est, et ambo pariter sanctam ecclesiam Romanam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo eam sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum sanctorum omnium fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatissimus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens : *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis* (*Rom.* 1). Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimi apostoli Petrus atque Paulus suo martyrio dedicaverunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam, beati Petri nomine a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est : quia ipse et in Ægypto primus verbum veritatis directus a Petro prædicavit, et gloriosum susccpit martyrium, cui venerabilis successit Abilius [Anianus, et post hunc Abilius]. Tertia vero sedes apud Antiochiam, ejusdem beati Petri apostoli habetur honorabilis, quia illic priusquam Romam veniret, habitavit, et Ignatium episcopum constituit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Nam et Hierosolymitanus episcopus pro tanti loci reverentia, ab omnibus habetur honorabilis, maxime quoniam illic primus beatissimus Jacobus, qui dicebatur justus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo et Joanne apostolis episcopus est ordinatus. Itaque secundum antiquorum Patrum definitionem, sedes prima in Hierosolymis esse minime dicitur, ne forte ab infidelibus aut idiotis sedes Domini nostri Jesu Christi, quæ in cœlo est, in terra esse putaretur. Est enim sedes ejus cœlum, terra autem scabellum pedum ejus (*Isai.* LXVI), quoniam ipse est *per* quem *omnia facta sunt, et sine* quo *factum est nihil* (*Joan.* 1), *quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI). Apud Ephesum vero beatissimus Joannes apostolus et evangelista multo tempore post Domini resurrectionem et ascensionem in cœlo [Domini nostri Jesu Christi commoratus est, ibique etiam] Evangelium divina inspiratione conscripsit, atque requievit, et ob hoc episcopus Ephesinus pro tanti apostoli et evangelistæ memoria cæteris episcopis metropolitanis in synodis honorabiliorem obtinet sedem [locum].

CAP. 27. — *Quod legati Romani pontificis in causis episcoporum examinandis, fungantur auctoritate ejus a quo missi sunt. Ex concilio Sardicensi* I, *cap.* 7.

(2, *q.* 6, *c. Si quis episcopus.*) Osius episcopus dixit : Et hoc placuit, ut si episcopus accusatus fuerit, et omnes judicaverint episcopi congregati regionis illius, et de gradu suo dejecerint eum, si appellaverit qui dejectus videtur [est], et confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ episcopum, et voluerit se audiri, si justum putaverit ut renoveter examen, scribere his episcopis dignetur Romanus episcopus qui in finitima et propinqua [altera], vel qui in altera provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta veritatis fidem definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua monuerit episcopum Romanum, ut de latere suo presbyteros mittat, erit in potestate ipsius quid velit et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habeant etiam potestatem [auctoritatem] personæ illius, a quo destinati sunt, quod erit in ejus arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos comprovinciales, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo concilio suo judicaverit.

CAP. 28. — *Item quod legatus vice ejus fungitur a quo missus est. Ex concilio Carthaginensi* VI *cap.* 5.

Aurelius episcopus dixit : Proferatur commonitorium quod fratres et sacerdotes nostri Actis nuper allegaverunt, et cætera quæ acta sunt, vel quæ agenda sunt subsequantur. Daniel notarius recitavit commonitorium. Fratri Faustino, et filiis Philippo et Asello presbyteris, Zosimus episcopus : Vobis commissa negotia non latent. Vos ita, ut nostra, imo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite, maxime cum et hoc nostrum possitis habere mandatum, et verba canonum quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inscripsimus. Ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio Nicæno, cum de episcoporum appellatione decernerent.

CAP. 29. — *Quod episcoporum sententiæ apostolica auctoritate roborari debeant. Ex concilio eodem, c.* 5.

Faustinus episcopus, legatus Ecclesiæ Romanæ dixit : Nec vestra sanctitas præjudicat Ecclesiæ Romanæ, sive de hoc capitulo, sive de aliis ; quia dicere dignatus est frater noster et coepiscopus Alipius, dubios esse canones. Sed hæc ipsa ad sanctam ac beatissimum papam nostrum scribere dignemini, ut et ipse integros canones inquirens, cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit autem ut et ipse beatissimus episcopus urbis Romæ, sicuti vestra sanctitas apud se tractat, ita et ipse inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur, sed magis charitate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente, quid melius observari debeat. Aurelius episcopus dixit : Præter ista quæ præmisimus [prompsimus : *alias* promisimus] actis, necesse est ut etiam nostræ parvitatis [paternitatis] litteris sancto fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, singula quæ tractamus plenissime intimemus. Ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Universum concilium dixit : Placet.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 30. — *Quod dubia ad sedem Romanam perferenda sint. Item, cap.* 8.

Faustinus episcopus legatus Ecclesiæ Romanæ dixit : Adhuc secundum professionem sanctitatis vestræ, tam sancti Alipii, quam etiam fratris nostri Jocundi, aliqua firmari crédo, aliqua vero firmari debeant, cum jam in dubium ipsi canones venerint. Ergo placet et nobis, et beatitudini vestræ ad sanctum et venerabilem Ecclesiæ Romanæ Bonifacium episcopum vestra dignetur scribere sanctitas, ut et ipse quod sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, utrum et hoc constituendum sit, an reticendum, hoc est de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, justum est ut beatissimæ Romanæ sedis episcopus informari debeat, si tamen in approbatis canonibus hoc inveniri possit.

CAP. 31. — *Quod Romanæ sedis decreta tanquam regulæ canonum admittenda sunt. Alexander II Philippo regi Francorum.*

Ignorant miseri quod hujus sanctæ sedis decreta, ita pia fide a filiis matris Ecclesiæ accipienda sint et veneranda, ut tanquam regulæ canonum ab eisdem absque ullo scrupulo admittantur.

CAP. 32. — *De eodem. Hilarius papa Victorino, et cæteris episcopis.*

Christianorum principum lege decretum est, ut quidquid pro Ecclesiis eorumque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum, atque ipsius observantia disciplinæ in auferendis confusionibus apostolicæ sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi, tenaciterque reservari.

CAP. 33. — *Ut qui in decreta Romanorum pontificum commiserit, veniam sibi deinceps noverit negari. Nicolaus archiepiscopis per Gallias.*

(*Dist.* 19, *c. Si Romanorum pontificum.*) Si Romanorum pontificum [Romani pontificis] decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit inefficax habeatur; quanto potius quæ ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus, et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debentur honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus dispensatione vel discretione magistra, reverenter assumi; quanquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum pontificum in toto canonum codicis corpore descripta, cum ipsi ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, vel indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem sedis apostolicæ potestatis, et ad suorum augmentum privilegiorum, minus accepta esse perhibeant. *Item, ibidem.* Si ideo non esse decretales sanctorum pontificum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur ascriptæ, ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante ipsum fuit, vel post ipsum est aliquod institutum vel scriptum recipiendum est, eò quod in codice canonum non habetur ascriptum. Ergo doctrinas eorum et sanctiones quæ ab omni lingua venerantur, quia in codice canonum non habentur ascriptæ, de codicibus suis eradant. Ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Scilicet cur multum immoremur, cum nec ipsas divinas Scripturas Novi et Veteris Testamenti jam recipimus, si istos dixerimus non audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potius, quam ad resistendum semper sunt parati, aientes : Quod inter canones inveniatur capitulum sancti papæ Innocentii, cujus auctoritate doceatur a nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum. Quibus ad hæc referendum est, quoniam si Vetus Novumque Testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendum sancti Patris [papæ] Innocentii prolata videatur esse sententia (*Innoc. pap. I, epist.* 3 *ad Exuperium c. ult.*), restat nimirum quod decretales epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendæ, etsi non sint canonum codici compaginatæ; quoniam inter ipsos canones unum beati Leonis capitulum constat esse permistum (*Leo pap. I, epist.* 1, *c.* 5), quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari. Ait enim capitulo quinto suorum decretalium : Ne quid vero sit quod prætermissum forte a nobis credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo vero omnia decretalia constituta, nullum prætermisit quod non mandaverit esse custodiendum : et rursus, asserendo omnium decessorum nostrorum, nullum Romanorum pontificum qui ante se fuerunt excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil interest utrum sint omnia necne decretalia, seu apostolica constituta inter canones conciliorum immista, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, et illa eis intersint quæ firmitatem his quæ desunt, et vigorem suum assignent, præsertim cum synodalia gesta, inter quæ ipsi canones constituti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo papæ Leoni et facundissimus in decretis suis papa Gelasius (*I, cum* 70 *episcopis statuit*) ita inquiens : « Decretales epistolas quas beatissimi papæ diversis temporibus, ab urbe Roma, pro diversorum Patrum consultatione dederunt, constituimus venerabiliter suscipiendas. » In quo notandum quia non dixit : « Decretales epistolas quæ inter canones habentur, nec tantum quas moderni

Introdusă în format electronic de Google

pontifices ediderunt; sed quas beatissimi papæ diversis temporibus, ab urbe Roma dederunt. » Dictis autem diversis temporibus, et illa tempora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant. His ita divina favente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter illa decreta, quæ in codice canonum habentur sedis apostolicæ præsulum, et ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur: cum omnia omniumque suorum decessorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter fore suscipiendas, et custodiendas, eximios præsules scilicet Leonem et Gelasium mandasse probavimus.

Cap. 34. — *Quod nulli liceat vel addere aliquid vel demere de decretis pontificum. Adrianus papa synodo apud Trecas.*

Si sedis apostolicæ præsul, vel ipsius decreta detestationi vel abdicationi habentur, si nullius nostrum [vestrum] vel nomen vel institutum firmum, aut stabile permanere valebit; quin potius et dogmatibus, quæ de sancta et individua Trinitate a præsulibus sedis apostolicæ promulgantur, nonnulla fieri possunt detrimenta, si præcedentium quorumque et maxime primæ sedis pontificum statuta, vel ulli (quod dici nefas est, quin et ipso auditu prorsus horrendum) a consequentibus quibusque, imo et inferioribus, additioni cuidam vel damnationi subjiciantur, vel impiæ temeritatis ausu saltem soli derogationi prolantur.

Cap. 35. — *Quod qui decreta Romanorum pontificum violaverit anathema sit. Ex concilio Leonis papæ IV, episcoporum* 72, *cap.* 5.

Si quis dogmata, sanctiones, interdicta vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Cap. 36. — *Quod scelus idololatriæ incurrit, qui sedi apostolicæ obedire noluerit. Ex decretis Gregorii papæ VII.*

Qui apostolicæ sedis saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, teste Samuele (*I Reg.* xv), et beato Gregorio astruente (*in Job*, *l.* xxxv, *c.* 10). Peccatum enim ariolandi est non obedire, et scelus idololatriæ nolle acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit.

Cap. 37. — *Constitutiones contra canones et decreta pontificum, nullius momenti esse. Hilarius papa synodo præsidens ait (in synodo Romana, c.* 1).

(25, *q.* 1, *c. Nulli fas sit.*) Nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare.

Cap. 38. — *De eodem. Epistola Adriani papæ tradita Ingelranno Mediomatrice urbis episcopo, cap.* 38.

(*Dist.* 10, *cap. Constitutiones ubi ad Felicem papam refertur.*) Constitutiones contra canones et decreta præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sint momenti.

Cap. 39. — *Quod alienus sit a divinis et pontificalibus officiis, qui præceptis noluerit obedire apostolicis. Hormisda papa dixit.*

Nemo mihi aliena contra canones, contra auctoritatem sedis apostolicæ, vel contra trecentorum decem et octo Patrum objiciat, quia quidquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum sanctum locutum fuisse credimus, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.

Cap. 40. — *Quod beati Petri sedes caput est omnium Ecclesiarum, et omnes decretis ejus assentire debent. Adrianus papa ex actione secunda septimæ synodi.*

Sanctitas vestra piis et triumphatoribus imperatoribus suggerat, quatenus falsum concilium illud quod factum est sine apostolica sede inordinabiliter contra constitutionem venerabilium Patrum adversus sacras imagines, anathematizetur coram apocrisiariis nostris. *Item.* Beati Petri sedes per universum orbem principatum tenens refulget, et caput omnium Ecclesiarum Dei existit. Unde ipse beatus apostolus Petrus ex præcepto Domini pascens Ecclesiam nihil defecit (*Joan.* xxi), sed tenuit semper et tenet principatum, per quem si adhæret sanctitas vestra apostolico throno, qui est caput omnium Ecclesiarum Dei, ejusque sacrum et orthodoxum ordinem incorruptibiliter et inviolabiliter servare studet, sicut orthodoxa et Deicola existens, hoc primum sacrificium omnipotenti Deo offerat, et vice mea ante piissimorum vestigia imperatorum proclilat, et terribile judicium Dei in conspectu eorum proponat, quatenus venerabiles iconas in antiquum statum restitui præcipiant, observantes traditiones hujus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Item.* Apocrisiarii papæ dixerunt: Dicat nobis sanctissimus Tharasius patriarcha, si consentit litteris sanctissimi papæ. Tharasius patriarcha dixit: Paulus apostolus, quem *lux circumfulsit de cælo* (*Act.* ix), qui genuit nos per Evangelium suum, cum Romanis scriberet; dixit de fide illorum: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Rom.* i). Tale testimonium sequi necessarium est et contradicere non est consilium. Quid ergo Adrianus Roma senioris antistes, cum sit eorum particeps, quibus Apostolus testimonium perhibet, piis imperatoribus et nostræ mediocritati scripsit? Confessi sumus, et confitemur, et confitebimur, et sentimus, et corroboramus litteras suas. *Item.* Apocrisiarii papæ dixerunt: Dicat nobis sancta synodus, si recipiat litteras sanctissimi papæ. Sancta synodus dixit: Sequimur, et recipimus, et consentimus. Joannes intercessor orientalium diœcesecon dixit: Nunc gaudium ma-

Introdusă în format electronic de Google

gnum factum est, in lectione sanctarum litterarum sanctissimi papæ Adriani, ad serenissimos imperatores nostros, et ad beatissimum patriarcham Tharasium. *Item.* Constantinus episcopus Cypri dixit : Omnibus modis epistolæ Adriani papæ, quæ missa est ad nos et nostros imperatores et illi quæ missa est ad patriarcham Tharasium consentio, et ita confiteor, et cum fide hac ante tribunal Christi assistam.

CAP. 41. — *De damnatione septimæ synodi, quia sine Romana auctoritate acta est. Actione sexta tomo primo, contra falsam synodum septimam.*

Quomodo magna et universalis est synodus, quam nec receperunt, neque consonaverunt cæterarum Ecclesiarum antistites, sed et anathemati tradiderunt? Non habuit cooperatorem Romanum pontificem, aut sacerdotes qui cum eo sunt, neque per canonicam epistolam sicut lex est in synodis; sed neque consentientes habuit orientales patriarchas, id est Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum et archiepiscopos qui cum eis sunt.

CAP. 42. — *Quod apostolica sedes a via apostolicæ prædicationis non deviaverit, nec hæreticorum novitatibus deciderit. Ex actione quarta sextæ synodi.*

Agatho papa Constantino, Heraclio, Tiberio Augustis. Apostolica Ecclesia hæc per gratiam Omnipotentis, a via apostolicæ traditionis nullatenus deviasse ostenditur, neque hæreticorum novitatibus adversata decidit, sed sicut a principio Christianæ fidei accepit a dominis et principibus suis, sine mutatio ne usque in finem manebit, juxta Domini et Salvatoris nostri divinam promissionem, dicentis : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Intelligat ergo serenitas vestra, quoniam Dominus, qui fidem Petri non defecturam promisit ipsum fratres confirmaturum prædixit. Quod apostolicos sacerdotes parvitatis meæ prædecessores confidenter semper fecisse omnibus notum est, quos et humilitas mea quamvis inæqualis et minima propter assumptum ex divina virtute ministerium sequi desiderat,

CAP. 43. — *Quod litteris Romani pontificis concilia auctorizentur. Ex actione secundæ synodi Ephesinæ.*

Cyrillus episcopus Alexandriæ dixit : Suscepta epistola sanctissimi et per omnia beatissimi sanctæ sedis et apostolicæ Ecclesiæ Romanorum episcopi Cœlestini, cum competenti honore relegatur sancto concilio. Siricius notarius sanctæ catholicæ urbis Romæ Latine legit. *Item.* Omnes reverendissimi episcopi petierunt interpretari epistolam et legi. Philippus presbyter apostolicæ sedis legatus dixit : Satisfactum est consuetudini, ut litteræ Apostolicæ sedis in primis Latine legerentur, nunc vero similiter quoniam vestra expetit beatitudo, ut etiam Græce legantur, necessarium est desiderio vestræ satisfieri sanctitatis, quam agere curavimus, ut Latina locutio Græce transferatur.

CAP. 44. — *Quod sicut cardine totum regitur ostium, ita a Petro et successoribus ejus totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Leo IX Michaeli patriarchæ Constantinopolitano* (*epist.* 1, *c.* 10).

A sede principis apostolorum Petri, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata *Item.* Romanæ Ecclesiæ facitis præjudicium, de quo nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere judicium : beatissimo et apostolico pontifice Silvestro divinitus decernente, spiritualique ejus filio Constantino religiosissimo Augusto, cum universa synodo Nicæna approbante ac subscribente, ut summa sedes a nemine judicetur, inviolabiliter et inconcusse sibi conservato illo privilegio, quod idem princeps quarto baptismatis sui die devotus contulit pontifici Romano scilicet, ut in toto orbe terrarum sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes judices [judicem] regem. Quam sanctorum Patrum reverendam omni mundo sententiam, sicut veraciter divina inspiratione, non humana æstimatione promulgatam, amplexæ reliquæ universales synodi, id est Constantinopolitana prima, consensu pii Augusti et religiosi majoris Theodosii; Ephesina prior, sub juniore Theodosio filio Arcadii; Chalcedonensis, sub imperio divæ memoriæ Martiani : secunda Constantinopolitana, in præsentia Augusti Justiniani; item tertia Constantinopolitana, rogatu et consensu junioris Constantini, unanimi voluntate concordique verbo et scripto confirmavere sanctam Romanam et apostolicam sedem post Dominum Jesum caput esse omnium ecclesiarum Dei, et hoc debere credi, confiteri et scribi ab omnibus veneratoribus Nicæni concilii. Cujus statutorum usque ad unum iota contemptoribus, districtum anathema cautum est a quinque præfatis et cunctis sanctorum Patrum synodis subsequentibus. *Item.* Dolemus quia præjudicium faciendo summæ sedi, de qua nec judicium facere licet cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus sanctorum omnium conciliorum. *Item.* Apicem cœlestis dignitatis in beato Petro et in ejus vicariis prudentissimus terrenæ monarchiæ princeps Constantinus intima consideratione veritus, cunctos usque in finem sæculi successores eidem apostolo in Romana sede pontifices per beatum Silvestrum, non solum imperiali potestate et dignitate, verum etiam insulis et ministris adornavit imperialibus, valde indignum fore arbitratus, terreno imperio subdi, quos divina majestas præfecit cœlesti. *Item.* Recordamini illius nefandæ synodi, quam voluerunt vocari septimam vestri hæresiarchæ, quorum conspiratione ipsius Domini nostri Jesu Christi, et sanctorum reverendæ imagines aut flammis traditæ sunt, aut aquis submersæ, picturæ vero ex parietibus basilicarum deletæ. Quibus quamvis semper restiterit Romanorum pontificum auctoritas, præ cunctis tamen sanctis-

Introdusă în format electronic de Google

simi papæ Nicolai ubivis prædicanda libertas, qui per legatos suos, tam pro sacris imaginibus, quam pro depositione beati antistitis Ignatii, et substitutione Photii neophyti ecclesiam Sanctæ Sophiæ clausit, donec sedis apostolicæ acquiesceret decretis. *Item.* Cum nullo divino vel humano privilegio honorabilior seu clarior aliis Ecclesiis Constantinopolitana existat ecclesia, et Antiochena atque Alexandrina ob reverentiam principis apostolorum inter alias retentent dignitatis jura; tamen pia mater, Romana scilicet Ecclesia, nolens dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot synodis curavit decernere, ut salva principalium et apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut civitates regiæ, quamvis Justinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere, ut post Romanum papam sedeat Constantinopolitanæ præsul Ecclesiæ. *Item.* Scit sancta Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans uni Deo commendet omnes. *Item.* Absit, ut religiosi principes et orthodoxi atque Christianissima et Deo devota civitas vos in errore vestro audiendos putent, quos potius ad unitatis bonum terrore potestatis cogere debent. *Item.* Romanæ Ecclesiæ sedes per Petrum super petram ædificata, nec hactenus deficiet in sæcula, Christo Domino rogante pro ea, sicut ipse testatur : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa et indeficiente fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio regendam, et in fundamento universalis Ecclesiæ confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui evidenter hæc ipsa veritatis verba impugnat; quia sicut cardine totum regitur ostium, ita et a Petro et successoribus ejus totius Ecclesiæ disponitur emolumentum; et sicut cardo immobilis permanens ducit ostium, sic Petrus et successores ejus liberum de omni Ecclesia habent judicium; cum nemo eorum debeat movere statum. Unde clerici ejus dicuntur cardinales, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes. *Item.* Quicunque sacerdotes, etsi dispares sunt merito, pares sunt tamen officio. Non potest denegari merito quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotium, si majus aut minus fieret, seu variaretur secundum humanorum varietatem meritorum. Qua de re, fratres, utinam non ad judicium nostrum dicamus. Tales profecto sumus, qualis Petrus, et non sumus qualis Petrus, quia et idem sumus officio, et non idem merito; et quotiescunque lac et lanam, stipendium scilicet et honorificentiam ab ovibus Dei exigimus, nulla meriti nostri ibi fit commemoratio, sed officio nostro debita recompensatio quæritur, ac sic meritum Petri non habentes, officium autem Petri exsequentes officio nostro debitos reposcimus honores. *Item.* Beatissimus prædecessor noster Gregorius dixit : Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat, quia ex cathedra ejus, cui auctore Deo qualescunque præsidemus, debita sibi jura nostrum officium reclamat. Frequenter enim solet evenire quod dicimus, ut persona potens despectum suum habeat. Cumque per eum suis vel extraneis aliqua mandat, non despicitur persona servi missi, quia in corde servatur reverentia Domini mittentis. *Item.* Quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel privilegia evacuare, seu imminuere nititur, non hic unius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis submersionem et interitum machinatur.

CAP. 45. — *Quod Romana Ecclesia inter omnes primum locum obtinet, Alexandrina vero et Antiochena secundum. Nicolaus vava I Michaeli Augusto* (*epist.* 2, *vel* 8).

Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum quia consensum Romani pontificis non habuerunt, valitudinem perdiderunt. *Item, paulo post.* Alexandrinam ecclesiam suam fecerunt sancti apostoli Petrus et Paulus, per beatum scilicet Marcum unius horum filium et discipulum. Hæreditas quippe filii in postestate parentis existit, et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali et Ecclesiam Antiochenam jam suam, quæ sicut beatus papa dicit Innocentius (*epist.* 21), urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista suscepit quæ [quin] beatum Petrum apud se consummatum gauderet. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias omnium Ecclesiarum solliciti[illegible]lo beatorum principum apostolorum Petri et Pauli procul dubio moderamen exspectat. Pro quibus Patribus nos divinitus incremento gratiæ ministrato nati sumus filii, et constituti (licet indigni, licet eis longe meritis impares) principes super omnem terram, et super universam Ecclesiam. *Item, post multa.* Porro ne dicatis nos præter Ecclesiæ legem Ignatium vel Photium Romam venire sanxisse, scitote nos antiqui Patris, et prædecessoris nostri Julii in hoc esse secutos exemplum; qui, juxta quod in epistola sua reperitur, his qui convenerant Antiochiæ hoc præcepisse dignoscitur, et Theodoretus historiographus his hoc ipsum verbis ostendit (Ecclesiasticæ suæ, historiæ, lib. II, c. 3. Tripartitæ autem Hist. lib. IV, c. 6) : Verum, inquiens, Eusebius ejusque consortes, calumnias in Athanasium factas, Julio Romano pontifici destinaverunt. Qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. Ille continuo vocatione facta [evocatione suscepta] venit. Quod si ad hoc dicitis : Ille quidem vocavit, sed ipsi venire contempserunt; audite sequentia, et videbitis utrum in laudem aut vituperium ista sit illis reputata contentio [*forte*, contemptio]. Subjunxit enim idem historio-

Introdusă în format electronic de Google

graphus, dicens : Calumniarum vero sarcinatores Romam quidem profecti non sunt, scientes facile posse suum capi mendacium. Ne ergo dicatis nos præter Ecclesiæ legem præfatos Romam venire sanxisse, quoniam sicut ab historiographo ecce audistis, beatus Julius et accusatum et accusatores Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. Sed ille, qui bonam conscientiam gerebat, nihil reluctans venit; illi vero qui malam, contempserunt, scientes procul dubio, sicut ibi legitur, facile suum capi posse mendacium.

Cap. 46. — *Quod sicut Petro concessum est a Domino ut aliis apostolis præemineret, ita ejus sedi. Ex decretis Melchiadis papæ, cap.* 2, *Hispaniæ episcopis directis.*

Atque hoc privilegium Dominus beato clavigero Petro sua vice solummodo commisit (*Matth.* XVI), quod ejus juste prærogativum successit sedi futuris hæreditandum atque tenendum temporibus, quoniam et inter beatissimos apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licet cunctorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est ut aliis præemineret, et eorum quæ ad querelam venirent, causas et interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posteri eorum cuncta sibi vindicarent, sed semper causæ majores, sicut sunt episcoporum, et potiorum curæ negotiorum, ad unam beati Petri principis apostolorum sedem confluerent, ut inde suscipiant finem judiciorum, unde acceperunt initium institutionum, ne quandoque a suo discreparent capite.

Cap. 47. — *De potestate et discretione doctorum. In prima epistola Clementis papæ, verba Petri de Clemente.*

Trado ipsi Clementi a Domino traditam mihi potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscunque decreverit in terris, hoc decretum sit in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, et solvet quod oportet [expedit] solvi, tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam noverit. Ipsum ergo audite, scientes quia quicunque contristaverit doctorem veritatis, peccat in Christum, et Patrem omnium exacerbat Deum.

Cap. 48. — *Quod apud Dominum non sententia sacerdotum, sed vita requiratur. Hieronymus lib.* III, *in* XVI *cap. Matthæi.*

Quæcunque ligaveritis super terram, etc. Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur : cum apud Dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

Cap. 49. — *Exemplum constituti Constantini imperatoris de insignibus imperialibus Ecclesiæ concessis.*

(*Dist.* 96, *c. Constantinus.*) Ex testamento constituti nostri concedimus ipsis sanctis apostolis dominis meis beatissimis Petro et Paulo, et per eos etiam beato Silvestro patri nostro, summo pontifici et universali urbis Romæ papæ, et omnibus ejus successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur, atque præcellit palatiis. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, nec non et superhumerale, videlicet lorum quo imperiale circumdari assolet collum, verum etiam chlamydem purpuream atque tunicam coccineam, et omnia imperialia indumenta : sed et dignitatem imperialium præsidentium, equum conferentes etiam, et imperialia [*Gratianus sic habet* imperialem præsidentium equitum, conferentes ei etiam imperialia, etc.] sceptra, simulque cuncta signa, atque banda et diversa ornamenta imperialia, et omnem processionem imperialis culminis, et gloriam potestatis nostræ. Viris etiam reverendissimis clericis, in diversis ordinibus eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus, illud culmen singularis potentiæ et præcellentiæ habere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est, patricios atque consules effici, nec non et cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari, et sicut imperialis exstat decorata militia, ita et clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus. *Et paulo post.* Ipse beatissimus papa super coronam clericatus quam gerit, ad gloriam beati Petri omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. Phrygium vero candido nitore splendidum, resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, et tenentes frenum equi ipsius, pro reverentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes ejus successores singulariter uti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas gloriæ potentia [gloria et potentia] decoretur, ecce tam palatium nostrum (ut prælatum est) quam Romæ urbis et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates sæpe fato beatissimo pontifici Patri nostro Silvestro universali papæ contradentes, atque relinquentes ei, vel successoribus suis pontificum potestati, et ditioni firma imperialis censura [Successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura. *Isidorus in conciliis ms.*], per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum, decernimus disponendum, atque juri sanctæ Ecclesiæ Romanæ concedimus permanendum [permansurum]. Unde congruum perspeximus nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, et in Byzantii provincia, in loco optimo [Byzantiæ provinciæ optimo, etc.] nomini nostro civitatem ædificari, et nostrum illic constitui imperium, quoniam ubi principatus sacerdotum, et Christianæ religionis caput ab impe-

Introdusă în format electronic de Google

ratore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic terrenus imperator habeat potestatem.

Cap. 50. — *De eo si quis ab apostolico falsam detulerit epistolam. Ex capitulis Caroli Magni imperatoris (conc. Tribur., cap. 3).*

(*Dist.* 19, *c. In memoriam.*) In memoriam beati Petri apostoli honoremus sanctam Romanam et apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humanitas, et licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, feramus et pia devotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet, sive sit presbyter, sive diaconus aliquam perturbationem machinando, et nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab apostolica sede detulisse epistolam, vel aliud quod inde non venerit; salva fide, et integra circa apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex romana statuat definire, ut et is corrigatur, et cæteris modus imponatur.

Cap. 51. — *Pactum constitutionis imperatoris Ludovici primi cum Romanis pontificibus.*

(*Dist.* 63, *c. Ego Ludovicus.*) Ego Ludovicus imperator Augustus, statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi apostolorum, et per te vicario tuo domino Paschali summo pontifici, et successoribus ejus in perpetuum, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate, et ditione tenuistis et disposuistis civitatem Romanam, cum ducatu suo, et suburbanis atque viculis omnibus, et territoriis ejus, montanis et maritimis littoribus et portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis [villis *legit Gratianus*] in Tusciæ partibus. *Item.* Quando divina vocatione hujus sacratissimæ sedis pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex regno nostro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Romam aut publice aut privatim veniendi, vel electionem faciendi, nullusque in civitatibus vel territoriis ad Ecclesiæ beati Petri apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præsumat; sed liceat Romanis cum omni veneratione, et sine qualibet perturbatione, honorificam suo pontifici exhibere sepulturam, et eum quem divina inspiratione, et beati Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque concordia, sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint, sine qualibet ambiguitate vel contradictione more canonico consecrare. Et dum consecratus fuerit, legati ad nos, vel ad successores nostros reges Francorum dirigantur, qui inter nos et illum amicitiam, et charitatem ac pacem socient.

Cap. 52. — *Constitutum primi Henrici, et primi Ottonis cum Romanis pont.*

(*Dist.* 63, *cap. Constitutum.*) Ut nullus missorum nostrorum, cujuscunque impeditionis argumentum componere, in electione Romani pontificis audeat, omnino prohibemus. *Item, Ibidem.* In electione Romanorum pontificum neque liber neque servus ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis quos ad hanc electionem, per constitutionem sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem præsumpserit, exsilio tradatur.

Cap. 53. — *In quibus civitatibus sint primates vel patriarchæ. Anacletus papa in secundo decretali suo.*

(*Dist.* 99, *cap. Provinciæ.*) Provinciæ autem multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt maxima ex parte, et postea ab apostolis et beato Clemente prædecessore nostro ipsa divisio est renovata. Et in capite provinciarum [renovata est in capite provinciarum, etc.], ubi dudum primates leges erant sæculi, ac prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel injustiis suis, ipsosque appellabant quotiescunque opus erat, sicut in lege eorum præceptum [scriptum] erat. Ipsis quoque in civitatibus vel locis nostris patriarchas, vel primates qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ et ecclesiasticæ poni, et esse jusserunt, ad quos episcopi (si necesse fuerit) confugerent, eosque appellarent: et ipsi primatum nomine fruerentur, et non alii. Reliquæ vero metropolitanæ civitates quæ minores judices habebant (licet majores comitibus [comitatibus] essent) haberent metropolitanos suos, qui prædictis juste obedirent primatibus, sicut et in legibus sæculi ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum aut archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulæ metropoles civitates, suas provincias habeant, et suos metropolitanos habere debeant episcopos, sicut prius metropolitanos habebant judices sæculares, primates tamen ut præfixum est, et tunc et nunc habere jussæ sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniant, ut ibidem quibus necesse fuerit releventur, et juste restituantur, et hi qui injuste opprimuntur juste reformentur atque fulciantur, episcoporumque causæ et summorum negotiorum judicia, salva apostolicæ sedis auctoritate, justissime terminentur.

Cap. 54. — *Qui sint primates. Anitius (Anicetus) papa episcopis Galliæ.*

(*Dist.* 99, *cap. Nulli archiepiscopi.*) Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos apostoli, et successores apostolorum, regulariter patriarchas et primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps

Introdusă în format electronic de Google

ad fidem convertatur, cui necesse sit, propter eorum multitudinem primatem constitui. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur. (9, *q.* 3, *c. Si autem aliquis.*) Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit, et sine omnium provincialium præsentia vel consilio episcoporum aut eorum, aut alias causas nisi eas tantum, quæ ad propriam suam pertinent parochiam agere aut eos gravare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnium episcoporum judicia terminare præcepta sunt, ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, ut cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem grave ad hanc apostolicam sedem ejus causam deferre fuerit, tunc ad ejus primatem causa deferatur, et penes ipsum hujus sanctæ sedis auctoritate judicetur. Similiter, si aliquis episcoporum proprium metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem diœceseos, aut apud hanc apostolicam sedem audiatur.

Cap. 55. — *Quod inimici accusatores esse non possunt. Nicolaus papa Michaeli Augusto* (*epist.* 2, *vel.* 8).

Placuit sanctæ synodo episcoporum qui Constantinopolim concurrerunt, ne sine discussione admittantur accusatores, nec omnibus præcipiatur accusationes facere, contra dispensatores Ecclesiarum. Veniamus ad sanctam Chalcedonensem synodum, et quid nobis de Athanasio Perrenorum referat episcopo audiamus. Is enim antistes tertio evocatus ad synodum, quia non occurrit, a patriarcha suo canonice condemnatus exstiterat. Sed solum, quia cum vocaretur ad synodum, quod inimicus esset ipse qui judicabat, clamavit a sancta Chalcedonensi synodo ad causas illatas sibi examinandus reservatur et, nisi denuo convinceretur, recipere ecclesiam propriam judicatur. Quod si Athanasius a patriarcha suo depositus, quia de inimicitia ejus conquestus est, iterato ad judicium renovandum dirigitur, et nisi manifesta sibi officiant crimina, suæ reddi Ecclesiæ præcipitur : quanto magis Ignatius, qui non a patriarcha, sed ipse potius existens patriarcha, minime debuit Ecclesia propria inimicis et suspectis judicibus decernentibus exspoliari? Quod quamvis factum sit, multo magis quam Athanasius, inimicorum soluto judicio, sua debuerat ab Ecclesia recipi. Veniat et facundissimus noster papa Gelasius, hæreticorum expugnator fortissimus, et quod de Constantinopolitanis episcopis, more solito tunc ægrotantibus dixit, etiam nobis nunc edisserat. Quæro, inquit, ab his, judicium quod prætendunt, ubi possit agitari? an apud ipsos, ut iidem inimici testes sint et judices? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia. Quod si judicio, ubi iidem sunt inimici qui judices, nec humana debent committi negotia [judicia]; quanto minus divina, id est ecclesiastica? Qui sapiens est intelligat. Et revera hinc Justinianus imperator piis [pius] legibus suis promulgasse dignoscitur, dicens : Liceat ei qui suspectum judicem habet [putat], antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale est suspectorum judicum insidias declinare et inimicorum judicium velle fugere. Hinc sanctus Joannes os aureum concilii contra se congregati renuit intrare collegium. (*Joannes Chrysostom. epist.* 19, *c.* 2.)

Cap. 56. — *De jure primatum. Nicolaus Radulphe Bituricensi archiepiscopo.*

(9, *q.* 3, *c. Conquestus.*) Conquestus est apostolatui nostro frater Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tui disponas, cum hoc neque antiquitas (cui Patres sanxere reverentiam) habeat, et auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis quas apud se terminare non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensari voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus; ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam, vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

Cap. 57. — *Quod papa primæ sedis episcopus vocandus est. Ex conc. Africano, cap.* 5 (*conc. Carth.* III, *cap.* 26).

(*Dist.* 99, *cap. Primæ sedis.*) Ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus.

Cap. 58. — *Quod bipertitus sit ordo sacerdotum. Ex epist. Anacleti papæ tertia, missa omnibus episcopis et cæteris sacerdotibus* (*cap.* 1).

Sacerdotum, fratres, ordo bipertitus est, et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari. Scitis autem apostolos a Domino esse electos et constitutos, et postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpit crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta eligi præcepit discipulos (*Luc.* x). Episcopi vero apostolorum, presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent (*Dist.* 8, *cap. Episcopi non in*). Episcopi autem non in castellis aut in modicis civitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella, et per modicas civitates atque villas debent ab episcopis ordinari et poni, singuli tamen per singulos titulos suos. Amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec apostoli docuerunt.

Cap. 59. — *Ut non laici, nec neophyti, nec bigami, nec viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinen-*

Introdusă în format electronic de Google

tur episcopi. Ex decretis Leonis papæ I (ep. 82, c. 3).

In civitatibus, quarum pastores obierint, de subsfituendis episcopis hæc forma servetur, ut is qui ordinandus est, etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundæ conjugis s't maritus, sed aut qui unam quidem habeat vel habuerit, et quam sibi virginem copulaverit. Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Cap. 60. — *Ut dum episcopus eligitur, si contradictores habuerit, quinque episcopi ad examinandos eos conveniant. Ex concilio Africano, cap.* 17 *(et in conc. Carth.* III, *c.* 40).

Sed et illud est statuendum, ut quando ad eligendum episcopum convenerimus, si qua contradictio fuerit oborta (quia talia facta sunt apud nos) non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est, tres episcopi, sed postulentur ad numerum supra dictorum (si haberi possint) unus vel duo in eadem plebe cui ordinandus est, et discutiantur [duo vel tres : et in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur, etc.] primo personæ contradicentium; postremo etiam illa quæ objiciuntur pertractentur. Et cum purgatus fuerit, sub conspectu publico ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignitatis responsione. Ab universis episcopis dictum est : Satis placet.

Cap. 61. — *Ut nemo episcopus ordinetur nolente clero et populo. Ex decretis Cœlestini papæ, cap.* 18 *(epist.* 2 *ad episc. Galliæ, cap.* 5).

(*Dist.* 61, *cap. Nullus.*) Nullus invitis detur episcopus; cleri, plebis et ordinis consensus et desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de Ecclesiis alienis merito præferantur. Habeat ergo unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia peregit ætatem. In aliena stipendia alius minime obrepat, nec alii debitam, alter sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægravari, et quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare : qui etsi non debitum episcopatus præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium.

Cap. 62. — *Quod prius examinari debeant qui episcopi sunt ordinandi. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 1.

(*Dist.* 23, *cap. Qui episcopus.*) Qui episcopus ordinandus est, ante examinetur si natura prudens est, si docilis [docibilis], si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper sui negotii cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus. Et ante omnia fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum confirmans, totamque in Trinitate Deitatem coessentialem, et consubstantialem, et coæternam, et coomnipotentem prædicans, singulamque in Trinitate personam [si singulas quasque in Trinitate personas] plenum Deum, et totas tres personas unum Deum, si incarnationem divinam, non in Patre neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, et animam humanam rationabilem, simul in eo utramque naturam, id est hominis et Dei : una persona, unus filius, unus Christus, unus Dominus creator omnium [creaturarum], quæ sunt, et auctor, et rector, et Deus cum Patre et Spiritu sancto : qui passus sit vera [sit pro salute nostra vera, etc.] carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione, et vera animæ resumptione, in qua veniet judicare vivos et mortuos. Quærendum est etiam ab eo, si Novi et Veteris Testamenti, id est legis, et prophetarum, et apostolorum unum eumdemque credat auctorem Deum; si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium suum factus sit malus. Quærendum etiam ab eo, si credat hujus quam gestamus, et non alterius carnis resurrectionem; si credat judicium futurum, et recepturos singulos pro his quæ in carne [hac carne] gesserunt, vel pœnas vel præmia; si nuptias improbet; si secunda matrimonia non condemnet; si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet; si in baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntarie admissa sunt, dimittantur; si extra Ecclesiam catholicam nullus salvetur. Cum in omnibus his examinatus, pleniterque instructus repertus fuerit, tunc ordinetur episcopus.

Cap. 63.—*Ut episcopi diligentissime probentur priusquam ordinentur. Ex conc. Aurelianensi, cap.* 7 [12].

Ut episcopi, judicio metropolitanorum, et eorum episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem, ii videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei quam rectæ conversationis exemplo.

Cap. 64. — *Quod populo non liceat sacerdotum electiones per se facere. Ex concilio Bracar. cap.* 1.

(*Dist.* 63, *c. Non licet.*) Non licet populo electionem facere per se eorum qui ad sacerdotium provehantur [promoventur], sed in judicio episcoporum esse debet, ut ipsi cum qui ordinandus est probent, si in sermone, et fide, et spirituali vita edoctus sit.

Cap. 65. — *Quod non habeantur episcopi, quos nec clerus, nec populus elegerit, nec comprovinciales episcopi consecrarint. Leo Rustico Narbonensi episcopo, epistola* 90.

(*Dist.* 62, *c. Nulla ratio.*) Nulla ratio sinit, ut in-

Introdusă în format electronic de Google

ter episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Unde, cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum quod non docetur fuisse collatum? (1, *q.* 1, *c. Si qui clerici.*) Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum cum consensu et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent, aliter autem vana habenda est consecratio, quia nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

Cap. 66. — *Quod nullus ordinandus est episcopus nisi ex conventione. Ex Aurelianensi concilio, cap.* 2.

Nullus ordinandus est episcopus, nisi convocatis clericis et paræcianis, et in unum consentientibus.

Cap. 67. — *Quod canes magis, quam principes nominentur, qui assumpto regimine superbiunt. Origenes.*

Quidam assumpta Ecclesia et rebus divinis, elevantur, et cunctos fastu superbiæ parvipendunt, hi canes magis, quam principes nominantur.

Cap. 68. — *Item de superbientibus episcopis. Ex dictis Gregorii et Pauli apostoli.*

Humilis debet episcopus esse, gradum enim mansuetudinis accepit, non superbiæ, Paulus dicit : Decet hujusmodi hominem mansuetum esse, non elatum, non superbum (*Tit.* I).

Cap. 69. — *Quod ordinationes episcoporum apostolica auctoritate a cunctis comprovincialibus fieri debeant. Ex epistola secunda Anacleti papæ scripta episcopis Italiæ.*

(*Dist.* 64, *c. Ordinationes.*) Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus qui in eadem fuerint provincia, sunt celebrandæ. Qui simul convenientes scrutinium diligenter agant, jejuniumque convenientibus precibus celebrent, et manus cum sanctis Evangeliis quæ prædicaturi sunt imponentes, Dominica die hora tertia orantes, sacraque unctione exemplo prophetarum et regum, capita eorum (more apostolorum et Mosis) ungentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cujus virtus invisibilis sancto est chrismati permista, hoc ritu solemnem celebrent ordinationem. Quod si omnes simul convenire minime potuerint, assensum tamen suis precibus et scriptis præbeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint. Porro et Hierosolymitanorum primus archiepiscopus, beatus Jacobus, qui justus dicebatur, et secundum carnem Domini nuncupatus est frater a Petro, Jacobo et Joanne apostolis est ordinatus, successoribus videlicet formam dantes eorum, ut minus quam a tribus episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, nullatenus ordinetur, et cum communi voto ordinatio celebretur.

Cap. 70. — *Ne laicus fiat episcopus ante* 30 *annos, vel ante anni conversionem. Ex concilio Arelatensi* III, *sub finem cap.* 1.

Episcopatus vero vel presbyterii honorem nullus laicus ante anni conversionem, vel ante triginta annos accipiat.

Cap. 71. — *De laicis non temere faciendos episcopos. Ex concilio Sardicensi, cap.* 13.

(*Dist* 61, *c. Osius episcopus.*) Osius episcopus dixit : Et hoc necessarium arbitror ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante lectoris munere, et officio diaconi aut presbyteri fuerit perfunctus, et ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt ubique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia. Et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur; quia conveniens non est, nec ratio vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur, aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret denuntiasse et prohibuisse videatur (*I Tim.* III); sed hi quorum per longum tempus, examinata sit vita, et merita fuerint comprobata.

Cap. 72. — *Quod per gradus ecclesiasticos ad episcopatus debeat officium perveniri. Ex decretis Cœlestini papæ Galliarum episcopis missis (epist.* 9 *ad epist. Galliæ, cap.* 3).

(*Dist.* 59, *c. Ordinatos.*) Ordinatos vero quosdam, fratres charissimi, episcopos qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta, hujus usurpatione, qui se hæc recognoscit fecisse, didicimus : cum ad episcopatum his gradibus, quibus frequentissime cautum est, debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis ad majora firmentur. Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit. Omnis vitæ institutio, hac ad id quo tendit, se ratione confirmat. Qui minime litteris operam dederit, præceptor esse non potest litterarum. Qui non per singula stipendia creverit, ad meritum stipendii ordinem non potest pervenire. Solum sacerdotium inter ista, rogo, vilius est, quod facilius tribuitur, cum difficilius impleatur. *Item de eodem. Ex Beneventana synodo Urbani papæ, capitulo primo.* (*Dist.* 60, *c. Nullus in episcopatum.*) Nullus in episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatus et presbyteratus : hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse ; super his solis præceptum apostoli habemus (*I Tim.* III). Subdiacones vero, quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime, si tamen spectatæ sint religionis et scientiæ, quod ipsum sine Rom. pontificum vel metropolitani licentia non fiat.

Cap. 73. — *Ut laicam communionem non accipiat qui per ambitionem episcopatum acceperit. Ex conc. Sardicensi, cap.* 2.

Osius episcopus dixit : etiam si talis aliquis exstiterit temerarius, ut fortassis talem excusationem

Introdusă în format electronic de Google

afferens, asseveret quia litteras populi acceperit, A cum manifestum sit potius potuisse plures præmio et mercede corrumpi eorum, qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, et ipsum petere viderentur episcopum, omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita ut ne laicam in fine communionem talis accipiat. Si vobis omnibus placet, statuite. Synodus respondit : Placet.

Cap. 74. — *Quod episcopus esse non possit qui nesciente metropolitano consecratus fuerit. Ex concilio Arelatensi.* II, *cap.* 6.

Illud autem ante omnia claret, quod eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcodus, juxta magnam synodum esse episcopum non debere.

Cap. 75. — *Ne episcopi per Simoniacam heresim regiminis locum obtineant. Ex Meldensi concilio,* B *cap.* 43.

(1, *q.* 7, *c. Carendum.*) Cavendum, et summopere est præcavendum, ac per virtutem sanguinis Christi interdicendum episcopis, et regibus, et omnibus sublimioribus potestatibus atque cunctis fautoribus et electoribus quorumcunque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per Simoniacam hæresim regiminis locum obtineat, quacunque fautione, calliditate, promissione, seu commoditate, aut donatione per se, aut per submissam personam, cum Spiritus sanctus inter cætera documenta per os dicat Gregorii (*epist.* 110 *lib.* VII) : Cur non videtur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur qui ad hoc ut fiat hæreticus ordinatur ? Item. Quisquis contra hanc Simoniacam et neophytorum hæresim vehementer pro officii sui consideratione non arserit, cum Simone mago se non dubitet habere portionem, qui primus commisit hoc piaculare flagitium. Et alibi (*epist.* 51, *seu c.* 95, *l.* IV) : Quisquis hoc pretio studet accipere, non esse sacerdos, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Et alibi (*epist.* 9) : Dolens, inquit, dico, gemens denuntio, quia sacerdotium quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non potuit.

Cap. 76. — *De his qui pretio sacram mercati sunt dignitatem. Ex epistola Gelasii papæ* (*ep.* 9, *c.* 26).

(1, *q.* 1, *c. Quos constiterit.*) Quos constiterit indignos meritos, sacram mercatos esse pretio dignitatem (*Act.* VIII), convictos oportet arceri, quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit.

Cap. 77. — *De eadem re. Ex epistola Hormisdæ papæ* (*cap.* 25, *c.* 2).

Hoc itaque ad priora conjungimus, ne benedictio per impositionem manus, quæ a Deo esse creditur, pretio comparetur, quia Simon Magus Spiritum sanctum volens pretio mercari apostoli Petri fuit detestatione percussus.

Cap. 78. — *Item de eadem re. Ex canone Apostolorum, cap.* 30 [29].

Si quis episcopus aut presbyter, aut abbas [diaconus] per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipse et ordinator ejus, et a communione sancta modis omnibus abscidatur, et sit anathema, sicut Simon Magus a Petro.

Cap. 79. — *Erga Simoniacos nullam misericordiam servandam. Nicolaus junior synodos præsidens in Constantinopolitana ecclesia dixit.*

(1, *q.* 1, *c. Erga Simoniacos.*) Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed juxta canonum sanctiones, et sanctorum Patrum decreta eos omnino damnamus, ac deponendos eos apostolica auctoritate sancimus. *Item.* De cætero, si quis in posterum ab eo quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator et consecratus non disparem damnationis sententiam subeat, sed et uterque depositus pœnitentiam agat, et privatus a propria dignitate persistat.

Cap. 80. — *Quod si Romanus pontifex Simoniace, et sine consensu cardinalium intrusus fuerit, ab eis excommunicandus, et humano etiam judicio a sede pellendus sit. Ibid, cap.* 2.

Si quis pecunia aut gratia humana, aut populari seu militari tumultu, sine concordi et canonica electione et benedictione cardinalium, episcoporum ac deinde sequentium ordinum religiosorum, apostolicæ sedi fuerit inthronizatus, non papa vel apostolicus, sed apostaticus habeatur : liceatque cardinalibus, episcopis cum religiosis et Deum timentibus clericis et laicis invasorem, etiam cum anathemate et humano auxilio et studio a sede apostolica repellere, et quem dignum judicaverint præponere. Quod si hoc intra urbem perficere nequiverint, nostra auctoritate extra urbem congregati in loco quo eis placuerit, eligant quem digniorem et utiliorem apostolicæ sedi perspexerint, concessa ei auctoritate regendi et disponendi res ad utilitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, secundum quod ei melius videbitur, juxta qualitatem temporis, quasi jam omnino inthronizatus sit.

Cap. 81. — *Qualiter judicandi sint qui Simoniace ordines acceperint. Ex decretis Gregorii papæ VII, cap.* 11.

(1, *q.* 1, *c. Ordinationes.*) Ordinationes quæ intervenientia pretio vel precibus, vel obsequio ea intentione impenso alicui personæ, vel quæ non communi consensu cleri et populi secundum canonicas sanctiones fiunt, et ab his ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, falsas esse dijudicamus; quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium intrant, id est per Christum, sed ut ipsa Veritas testatur, fures sunt et latrones (*Joan.* X).

Cap. 82. — *Quod ordinatores Simoniacorum simul cum ipsis damnandi sunt. Ex Toletano conc.* VI, *cap.* 4.

Quicunque Simonis imitator, Simoniacæ quoque hæresis exstiterit sectator, ut ecclesiasticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, sed munerum impensione conquirat, et per oblata munera capiat, quibus hanc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendat : talis inventus, sacrorum apices ordinum nullo modo adipisci permittatur ; sed et si adeptus fuerit, communione priva-

Introdusă în format electronic de Google

tus cum ordinationibus suis propriorum bonorum amissione damnetur.

Cap. 83. — *Ut qui Simoniace a Simoniacis munera acceperint, si clerici fuerint honoris amissione multentur, si laici anathemate damnentur. Ex Tolet. concilio* VIII, *cap.* 3.

(1, *q.* 1, *c. Reperiuntur.*) Quicunque propter accipiendam sacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque a participatione Christi corporis et sanguinis alienum, ex quo illum constat exsecrabile Christo perpetrasse flagitium. Quod si aliquis exstiterit qui accuset, ille qui hunc ordinem munerum fuerit datione lucratus, et suscepti honoris gradu privetur, et in monasterio sub perenni pœnitentia religetur; illi vero qui pro causa hac munerum acceptores extiterint, si clerici fuerint, honoris amissione multentur, si vero laici, anathemate perpetuo condemnentur.

Cap. 84. — *Quid episcopus vovere debeat ordines accepturus. Ex Tolet. concilio* IX, *cap.* 10.

Unusquisque qui ad ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui innodatione promittat, ut fidem catholicam sinceri cordis devotione custodiens, juste et pie vivere debeat, et in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem atque obsequii reverentiam præeminenti sibi unicuique dependat.

Cap. 85. — *Ut nullus pro gradu sacerdotii conferendo, nec antea, nec post munus sine periculo exigat. Ex Bracarensi concilio* III, *cap.* 7.

(1, *q.* 1, *c. Qui per pecuniam.*) Quicunque pro conferendo cuiquam sacerdotii gradu, aut munus quodcunque, aut promissiones muneris antequam ordinetur acceperit, vel etiam postquam ordinatus fuerit, in aliquo se pro hoc ipso præsumpserit munerari, sive ille qui dederit, sive qui acceperit, juxta sententiam Chalcedonensis concilii gradus sui periculum sustinebit (*cap.* 2).

Cap. 86. — *Quod Simonia alia ab obsequio, alia a manu, alia a lingua sit. Gregorius in codice quadraginta homiliarum., hom.* 4.

(1, *q.* 1, *c. Sunt nonnulli.*) Columbas vendere, est impositionem manus, qua Spiritus sanctus datur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, sed tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt (*Matth.* x), quia de impenso officio sanctitatis, nummum favoris expetunt. Unde bene eum virum justum describeret propheta, ait : *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII) : Neque enim dicit : *Qui excutit manus suas a munere*, sed adjunxit, *ab omni*. Quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia; munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, A tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

Cap. 87. — *Quod columbas vendunt, qui manus impositionem ad pretium distribuunt. Ibidem homilia.*

Nonnullos vestrum cum præmiis ordinationes facere cognovimus, spiritualem gratiam vendere, et de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit, quod vox Dominica præcipiens dicit : *Gratis accepistis, gratis date ?* (*Matth.* x.) Cur non ante mentis oculos revocatis quod templum Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit, et nummulariorum effudit æs? B (*Matth.* XXI.) Qui namque sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt (*Joan.* II), nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium datur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est enim quod sacri canones Simoniacam hæresim damnant, et eos a sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritualem gratiam vendunt, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur.

C

Cap. 88. — *De eadem re. Homilia* 39.

(1, *q.* 3, *c. Vendentes.*) Vendentes et ementes de templo eliminat Christus, quia vel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Dei emere nituntur, damnat. *Item, ibidem* In templo vendentes sunt, qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur. Justitiam enim vendere est, hanc pro præmii acceptione servare. Ementes vero in templo sunt, qui dum hoc quod justum est proximo persolvere nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato patronis pretio [præmio] emunt peccatum.

Cap. 89. — *De episcopo Simoniace ordinato. Gregorius Maximino* [*Maximo*] *præsumptori Ecclesiæ Salonitanæ* (*lib.* V *regist., epist.* 3).

D Pervenit ad nos, quod per Simoniacam hæresim fueris ordinatus, sed et alia de te multa hic dicta sunt, de quibus unum quam maxime fuit, propter quod necesse habuimus, summopere per scripta nostra prohibere, ne missarum solemnia celebrare debuisses.

Cap. 90. — *Ut dignus vita et moribus ad sacros ordines eligatur Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum* (*lib.* VII *regist., epist.* 5).

Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter invigilet, ut nullum qui sub vestro regno est, ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis jure patiatur accedere, sed ille ad episcopatus vel alterius sacri

Introdusă în format electronic de Google

ordinis officium eligatur, quem dignum vita et mores ostenderint

Cap. 91. — *Ut nullus sacros ordines emat, nec aliquis ex laico habitu ad regimen Ecclesiæ perveniat. Gregorius Syagrio, Betherio, Virgilio, et Desiderio episcopis aparibus* (*lib.* VII *regist., epist.* 3).

Fraternitatem vestram (auctore Deo) volumus synodum congregare, atque in ea reverendissimo fratre nostro Aregio [Syagrio] coepiscopo, et dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus (sicut prædiximus) sunt adversa, districte sub anathematis interpositione damnentur, id est ut nullus pro adipiscendis ordinibus ecclesiasticis dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere; neque ex laico habitu quisquam repente audeat ad locum sacri regiminis pervenire; neque ut aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi quæ sacris canonibus sunt permissæ.

Cap. 92. — *De Simoniaca pravitate exstirpanda. Gregorius Theodorico regi Francorum* (*lib.* IX *registri, epist.* 53).

Iterata vos pro vestra mercede adhortatione pulsamus, ut congregari synodum jubeatis, et sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia, et Simoniacæ hæreseos pravitatem, episcoporum omnium definitione damnari, atque a vestri regni amputari finibus faciatis.

Cap. 93. — *De eodem. Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum* (*lib.* IX *registri, epist.* 57).

Synodum congregari præcipite, et peccatum Simoniacæ hæreseos de regno vestro inter alia quæ supra scripsimus, definitione concilii studiosius prohibete.

Cap. 94. — *Item de eodem. Gregorius Clotario regi Francorum* (*lib.* IX *regist., epist.* 55).

Quia Simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgens apostolorum est auctoritate damnata, petimus ut pro mercede vestra synodum congregari faciatis, quatenus omnium sacerdotum definitione compressa et radicitus amputata, nullas illic vires de cætero in periculum animarum inveniat, nec ulterius sub qualibet occasione permittatur exsurgere.

Cap. 95. — *Quod episcopus Simoniace ordinatus aurum dedit, et animam perdidit; ordinans autem pecuniam accepit, lepram dedit. Ambrosius in pastorali suo* (*lib. De dignit. sacerdotali, cap.* 5).

(1, *q.* 1, *c. Cum ordinaretur.*) Quod dedit episcopus cum ordinaretur aurum fuit; et quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum. Interrogo tamen fratrem et coepiscopum nostrum, quia et ego episcopus sum, et cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te. Hæc gratia cui tali vocabulo nuncupatur? Respondit : Cur, inquis? Ut reor, quod gratis datur, ideo gratia vocatur. Ergo si gratis gratia datur, et auro non æstimatur, a te cur gratia pecuniis comparatur? Respondit : Non, inquit, mihi daretur, si pecunia non emeretur; nec episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo, ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam cum ordinareris non accepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et ideo, frater, si gratiam non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Nam et ad discipulos suos Dominus ait : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x). Cur ergo gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere? Nam, ut video, aurum dans perdidisti, et sanctam gratiam non acquisisti.

Cap. 96. — *De eodem. Ambrosius officiorum libro primo* (*de dignitate sacerdotali, cap.* 5).

Si percunctari fideliter velis Simoniacos, quis eos fecerit sacerdotes, respondebunt mox et dicent : Ab archiepiscopo sum nuper episcopus ordinatus, centumque ei solidos dedi, ut episcopalem gratiam consequi meruissem. Quos si minime dedissem episcopus hodie non essem. Unde melius volui, mi domine, aurum de sacello minuere [invehere], quam tantum [totum] sacerdotium perdere. Aurum dedi, et episcopatum comparavi : quos tamen solidos, si vixero, recepturum me illico iterum non diffido. Ordino presbyterum, consecro diaconum, et aurum accipio. Nam et de aliis nihilominus ordinibus pecuniæ quæstum flagitare confido. Ecce et aurum quod dedi, in meo sacello recepi, et episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit : nam propter pecunias spiritualiter leprosum ordinavit. *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII), quia donum Spiritus sancti gratiæ pretio comparasti, et commercium miserabile in animarum exitium peregisti. Et nescii homines, et indocti inordinationibus eorum clamant, et dicunt : Dignus est, justus est, conscientia misera, indignus, injustus est dicit [Dignus es, et justus es, et conscientia misera. Indignus es, et injustus es, dicit, etc.]. Pronuntiat enim episcopus hic [hujusmodi] ad populum, dicens : Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur magnus episcopus, et divinis obtutibus inspicitur magnus leprosus.

Cap. 97. — *Item de eodem. Beda in libro homiliarum* 70 (*ad cap.* 2 *Joannis*).

(1, *q.* 3, *c. Non solum.*) Non solum venditores sunt columbarum, et domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo pretium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Domino largiente percepere, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causa retributionis exercent, contra illud apostoli Petri, qui loquitur, quasi sermones Dei : *Qui ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum* (*I Petr.* IV). Quicunque ergo tales sunt, si nolunt

Introdusă în format electronic de Google

veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis.

Cap. 98. — *Quibus in locis episcopi, quibus presbyteri esse debeant. Anacletus in tertio decretali suo omnibus episcopis* (*supra c.* 58).

Episcopi apostolorum, presbyteri vero 72 discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis, neque in modicis civitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella et modicas civitates atque villas debent ab episcopis ordinari et poni, singuli tamen per singulos titulos suos. Et episcopus non ab uno, sed a pluribus debet episcopis ordinari et, ut dictum est, non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen episcopi, sed ad honorabilem urbem titulandus et denominandus est. Presbyter vero ad qualemcunque locum ecclesiæ in eo constitutæ est præficiendus.

Cap. 99. — *Irritam esse sententiam archiepiscopi sine assensu coepiscoporum. Higinius papa a Petro apostolo octavus in* 1 *decretali suo. omnibus episcopis* (*cap.* 2).

(9, *q.* 3, *c. Salvo.*) Salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas reorum, quia irritæ erunt aliter actæ quam in conspectu eorum omnium ventilatæ, et ipse, si fecerit, coerceatur a fratribus. (*Cap.* 2.) (2, *q.* 7, *c. Criminationes.*) Criminationes majorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis publicis docuerint omni se suspicione carere et inimicitia, atque irreprehensibilem fidem ac conversationem ducere.

Cap. 100. — *Ut nullus metropolitanus alterius diœcesani parochianum præsumat excommunicare, vel etiquid de eo agere sine concilio vel judicio episcopi sui. Calixtus papa a Petro* XV, *Benedicto fratri et coepiscopo* (*epist.* 2 *episc. Galliæ, c.* 3).

(9, *q.* 3, *c. Nullus primas.*) Nullus primas vel metropolitanus diœcesani ecclesiam vel parochiam, vel aliquem de ejus parochia præsumat excommunicare, vel judicare, aliquidve agere absque ejus concilio vel judicio, sed hoc observet, quod ab apostolis ac Patribus, et prædecessoribus nostris est statutum et a nobis confirmatum.

Cap. 101. — *Irritum esse quod facit archiepiscopus de alterius parochia sine ejus voluntate. Idem, ibidem.*

Si quis vero metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consensu [consilio] et voluntate omnium comprovincialium episcoporum, extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, et quod egerit irritum habeatur, et vacuum; sed si quid [quidquid] de comprovincialium causis episcoporum, eorumque ecclesiarum et clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx). Et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Matth.* xxiii), et reliqua. Similiter et ipsi comprovinciales episcopi cum ejus consilio (nisi quantum ad proprias pertinet parochias) agant juxta sanctorum constituta Patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula. Nullus primas, nullus metropolitanus, nullusque reliquorum episcoporum alterius adeat civitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, et alterius episcopi parochiam super cujusquam [ejus] dispositione, nisi vocatus ab eo cujus juris esse dignoscitur, ut quidquam ibi disponat vel ordinet, aut judicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter præsumpserit damnabitur, et non solum ille, sed et cooperantes, et consentientes illi, quia sicut ordinatio, ita ejus [eis] et judicatio, et aliarum rerum dispositio, prohibetur. Nam qui ordinare non poterit, quomodo judicabit? Nullatenus procul dubio judicabit, aut judicare poterit. Quoniam sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel judicari, aut disponi nisi a proprio viro eo vivente permittitur, sicut nec uxor episcopi (quæ ejus Ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur) eo vivente, absque ejus judicio et voluntate, alteri judicari [judicio et voluntate alterius judicari, etc.] vel disponi, aut ejus concubitu frui, id est, ordinatione ullatenus conceditur.

Cap. 102. — *Quod nullus nisi per gradus ecclesiasticos ad summum sacerdotium pervenire debeat. Zosimus episcopus urbis Romæ Hesychio episcopo Salonitano, cap.* 1 (*ep.* 1, *c.* 1).

(*Dist.* 36 *et* 59, *c. Qui ecclesiast.*) Hoc autem specialiter, et sub prædecessoribus nostris, et nuper a nobis interdictum constat litteris ad Gallias, Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiarior est ista præsumptio, quamvis nec Africa super hac [hoc] admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra Patrum præcepta, quia ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus, et temporum approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium, aspirare præsumeret, et non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam ordinatores ejus carerent eo ordine, quem contra præcepta Patrum crediderant præsumendum.

Cap. 103. — *Ut si quis episcopus majorem sedem ambierit, et suam perdat, et illam non obtineat. Leo Anastasio Thessalonicensi episcopo* (*epist.* 84, *cap.* 2).

Si quis episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacunque ratione [occasione] transtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit et propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis ergo terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 104. — *Ut nullus episcopus sibi eligat successorem. Hilarius papa synodo præsidens dixit, cap.* 5 (*in concilio Romano*).

Præterea, fratres, nova et inaudita (sicut ad nos missis de Hispaniis epistolis sub certa relatione pervenit) in quibusdam locis perversitatum semina subinde nascuntur. Denique nonnulli episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium, et credunt sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatorio aut testamentario jure posse dimitti. Nam plerique sacerdotes in mortis confinio constituti, locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, scilicet ut non legitima exspectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit existimatis [æstimate]. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter Ecclesiis auferamus.

CAP. 105. — *Quod non sit principatus per ambitum vel seditionem occupandus, et quod non sit episcopo manus imponenda, nisi diligenter examinato. Leo papa universis episcopis per Africam constitutis* (*epist.* 87, *cap.* 1).

Necessarium fuit ut dolorem cordis nostri, quo pro Dominicorum gregum periculis æstuamus, datis nunc ad vos litteris promeremus, mirantes tantum apud vos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque, et longe extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium et gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populo, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum; et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipso tamen initii sui est perniciosus exemplo, et difficile est ut bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio. Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterque curandum est ut in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, quanto magis elaborandum est ut, in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. Ubi est illa beati Pauli apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, et inde [proinde] unicuique nostrum dicitur : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*I Tim.* v). Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum qui rectum tenet [sectatur] in eligendo sacerdote judicium, ita gravi semetipsum afficit damno qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cujusquam persona prætermittendum est quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus qui fuerit contra divinæ præcepta legis collatus. (*Paulo post*) Merito Patrum beatorum venerabiles sanctiones, cum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis, usque ad perfectiores annos, per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita perhiberet. Nec potest de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci præmium debetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire, et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quam diligens, et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, et cœlestium dignitatum, ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur, et his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescii, et totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt accipere [habere] principium, cum valde iniquum sit, et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, et rudes præferantur emeritis!

CAP. 106. — *Ne in ordinandis episcopis sanctorum Patrum statuta negligantur. De superiori epistola ad episcopos Africæ* (*cap.* 2)

Superest, fratres, ut concorditer [concordi obedientia] salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus pareatis, et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari. Quæ enim certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa post ultione plectamus, in eos specialius et propensius commovendi, qui in episcopis ordinandis sanctorum Patrum statuta neglexerint, et quos refutare debuerint, consecrarint.

CAP. 107. — *Quod qui indignos ordinant, jus debeant amittere consecrandi, ibidem* (*eodem cap.*).

Unde episcopi qui talem consecraverint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiam si aliquomodo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen jus ulterius non habebunt, nec unquam ei sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio, immerito præstiterunt. Illud sane quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non quibuslibet locis, neque quibuscunque castellis, et ubi ante non fuerunt episcopi consecrentur, cum ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, presbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis, et frequentioribus civitatibus

Introdusă în format electronic de Google

oporteat præsidere, ne quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis, et possessionibus, vel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium.

Cap. 108. — *De Simoniaca hæresi eradicanda, et de episcopo alterius gratia non faciendo. Gregorius universis episcopis per Helladiam provinciam constitutis (lib. IV regist., epistola 56).*

(1, *q.* 1, *c. Quibusdam.*) Quibusdam narrantibus agnovi quod in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum, cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI). Columbas enim vendere est, de Spiritu sancto quem Deus omnipotens consubstantialem per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo (ut prædixi) malo jam innuitur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis propagatur cum augmento, nam ipse quoque cum ad sacrum ordinem præmiis perducatur jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare, quod emit. Et ubi est quod scriptum est : *Gratis accepistis, gratis date?* (*Matth.* X.) Et cum prima contra sanctam Ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem pretio quis ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat? Ideoque hortamur ut vestrum nullus denuo hoc fieri patiatur. Sed neque gratia alicujus, neque supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promovere, nisi eum quem vitæ et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit ; nam, si aliter factum denuo senserimus, districta et canonica illud noverit ultione compesci.

Cap. 109. — *Ut nihil accipiatur pro ordinatione vel pallio vel chartis, cujus supra.*

Antiquam Patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem invenit simulatio, appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis vero hujus epistolam notarius scribit, sicut episcopum non decet manum suam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum vendere. Pro ordinatione ergo, et pro pallio, chartis atque pastello, eumdem qui ordinandus est, vel qui ordinatus est, aliqua dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, si quis aliquid commodi appellatione exigere, vel petere forte præsumpserit, in districto omnipotentis Dei examine, reatui subjacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus ac petitus, post acceptas chartas et pallium, offerre aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam gerit, quæ ex ambientis petitione non processit.

Cap. 110. — *De eodem. Greg. Theodorico et Theodeberto regibus Francorum (lib. VII regist., epist. 116.)*

Qua de re ut magnum omnipotenti Deo munus valeatis offerre, synodum congregari præcipite, in qua sicut fratribus coepiscopis nostris mandavimus, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro ecclesiastico ordine aliquid unquam dare, vel aliquid accipere.

Cap. 111. — *Quod nullum opus Simoniaci valeat, et quod iram Dei super populum potius provocat quam placat. Ibidem paulo post initium.*

(1, *q.* 1, *c. Fertur Simoniaca.*) Fertur Simoniaca hæresis (quæ prima contra Dei ecclesiam diabolica supplantatione subrepsit, et in ipso ortu suo zelo apostolicæ ultionis percussa, atque damnata est) in regni vestri finibus dominari, cum in sacerdotio fides sit eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante, qui ait : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honores tanti sacramenti convincitur obtinere per præmium ? *Et post pauca.* Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale vulnus infligitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum vestrorum episcoporum culpa (quorum magis intercessionibus juvari debuerat) prægravatur. Si enim dignus is sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nihil sibi defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat, et dum vitia honor remunerat, in locum ultoris is fortasse qui fuerat ulciscendus adducitur, atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius judicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostium feriendum exposuit ? Aut qualem fructum producturus est, cui gravi peste radix infecta est : Major ergo calamitas metuenda est forte locis illis, ubi tales intercessores adducuntur ad locum regiminis, qui iram Dei provocant, quam per semetipsos populis placare debuerant.

Cap. 112. — *Item de Simoniacis. Gregorius Etherio [Betherio], Siagrio, Virgilio et Desiderio, episcopis Galliarum (lib. VII regist., epist. 110.)*

Dum non attenditur, quod divina voce dicitur [præcipitur]. *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X), agitur ut crescat et geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis scilicet et vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam, cur non perpenditur, cur non cavetur, quia illi benedictio in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur ? *Item, ibidem.* Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex

Introdusă în format electronic de Google

illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut bene dispenset, gravatur potius, quam adjuvetur.

CAP. 113. — *Non esse ordinandum episcopum sine consensu metropolitani. Innocentius Victricio Rothomagensi episcopo (epist. 2, c. 1,)*

Primum, ut extra conscientiam metropolitani episcopi, nullus audeat ordinare episcopum. Integrum enim est judicium quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec unus episcopus ordinare præsumat episcopum, ne furtivum præstitum beneficium videatur. Hoc enim et synodus Nicæna constituit atque definivit.

CAP. 114. — *De eodem. Hilarius papa Ascanio, et aliis episcopis Tarraconensis provinciæ (cap. 4.)*

Hoc autem primum juxta eorumdem regulas Patrum volumus custodiri, ut nullus præter notitiam atque consensum fratris nostri Ascanii aliquatenus consecretur antistes ; quia hoc vetus ordo tenuit, hoc trecentorum decem et octo sanctorum Patrum definivit auctoritas. Cui quisquis obvias tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultarit.

CAP. 115. — *De Simoniacis cunctis ab ordine et dignitate removendis. Leo IV episcopis Britanniæ (ep. 2, c. 1.)*

(1, *q.* 7, *c. Requiritis de his.*) Requiritis de his qui turpissimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimescunt, et sui acta improba temeritate Simonis hæresi conjungentes : utrum possint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem et sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem convictis, et qui tam detestabile nefas (quod jam multis est damnatum conciliis) peregisse noscuntur, nulla pœnitentia possumus subvenire, et tot spiritualibus Patribus obviare, sed in illorum Patrum me sententia convenire omnibus certum sit.

CAP. 116. — *Quomodo, aut quot testibus damnandus sit episcopus. Idem.*

(2, *q.* 4, *c. Nullam damnationem.*) Nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certe probata sententia per 72 idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester tradidit et Romana sancta tenere videtur Ecclesia. Et si inter eos quos damnandos esse dixerint homines, fuerit episcopus qui suam causam in præsentia Romanæ sedis episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam præsumat dare sententiam, sed omnino eum audire decernimus.

CAP. 117. — *Qualiter episcopi debeant ordinari. Ex conc. Nicæno, cap. 4.*

Episcopum oportet ab omnibus episcopis, si fieri potest, qui sunt in provincia ejus, ordinari. Si vero hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longitudine certe tres episcopi debent in unum esse congregari, ita ut etiam cæterorum qui absentes sunt, consensum litteris teneant, et ita faciant ordinationem : potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum episcopum.

CAP. 118. — *Cui periculo subjaceat episcopus vel aliquis de clero per pecuniam ordinatus, vel ad aliquos honores promotus. Ex Chalcedonensi conc. cap. 2.*

(1, *q.* 1, *c.* 1. *Si quis episcopus.*) Si quis episcoporum accepta pecunia ordinationem fecerit, et sub pretium deduxerit impretiabilem gratia, atque ordinaverit per pecuniam episcopum, sive chorepiscopum, sive presbyterum, sive diaconum, aut quemcunque alium qui connumeratur inter clericos, aut accepta pecunia ordinaverit œconomum, id est defensorem, sive paramonarium : quicunque hoc meditatus fuerit, si convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum, et qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat ex hujusmodi mercimonio et creatione probrosa profectum, sed sit alienus et dignitatis et sollicitudinis ejus, quam per pecunias intravit ; sed et ille qui tam turpibus et illicitis intercessor apparuit, siquidem clericus fuerit, de proprio gradu decidat ; si vero laicus sive monachus fuerit, anathema sit.

CAP. 119. — *Quid agendum sit de episcopo, qui ecclesiam per sæcularem potestatem obtinuerit. Ex canone apostolorum, cap. 31.*

(18, *q.* 7, *c. Si quis episcopus.*) Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, et segregentur omnes qui illi communicant.

CAP. 120. — *De eodem. Septima synodus, cap. 3.*

(*Dist.* 63, *cap. Omnis electio.*) Omnis electio episcopi vel presbyteri, aut diaconi a principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quæ dicit : Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, et segregentur omnes qui illi communicant.

CAP. 121. — *De eo qui per pecuniam manus impositionem dedit vel accepit. Synodus septima, cap. 20.*

Omnis episcopus, vel presbyter, aut diaconus convictus quod per pecuniam manus impositionem dederit vel acceperit, a sacerdotio et gradu decidat. Fortassis autem dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus de peccato, et Deus ignoscit illud. Ita est, quia omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, et indulget per pœnitentiam peccata quæque patrata. *Item.* (1, *q.* 1, *c. Qui per pecunias.*) Qui per pecunias quemquam consecraverit, vel consecratus est, alienus est a sacerdotio.

CAP. 122. — *Nullum principum, vel potestatum laicorum, electioni episcoporum se inserere violenter debere, et si fecerint quid de eis agendum sit. Octava synodus cap. 11.*

Promotiones et consecrationes episcoporum concordans prioribus conciliis, clericorum electione ac decreto, et episcoporum collegio fieri hæc sancta et universalis synodus definivit, et statuit atque jure promulgavit neminem laicorum principum vel potentium semet ingerere [inserere] electioni vel pro-

Introdusă în format electronic de Google

motioni patriarchæ, vel metropolitani, aut cujuslibet episcopi, ne videlicet inordinata et incongrua hinc fiat contentio vel confusio, præsertim cum nullam in talibus potestatem, quemquam potestativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat. Sed silere et attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis. Si vero quis laicorum ad concertandum et coöperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujusmodi, cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se asciscentibus. Taliter enim dignum pastorem sibi regula iter ad suam Ecclesia salutem promovet. Quisquis autem sæcularium principum, vel potentum, vel alterius dignitatis laicus, adversus communem ac consonantem, atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat, quod Ecclesia de electione et ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit.

Cap. 123. — *De eodem. Canones apud Parisios sub Ludovico rege.*

(*Conc. Parisiens.* 1, *c*, 8.) Quia in aliquibus consuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit juxta antiquam consuetudinem, ut decreta canonum serventur. Nullus civibus invitis ordinetur episcopus, nisi quem populi et clericorum electio plenissima quæsierit voluntate. Non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel episcoporum comprovincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, a comprovincialibus loci ipsius episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt. Si quis de comprovincialibus recipere eum contra interdicta præsumpserit, sit a fratribus omnibus segregatus, et ab ipsorum omnium charitate semotus. Nam de antea ct's ordinationibus pontificum ita convenit observari, ut metropolitanus [metropolis] cum suis comprovincialibus episcopis, vel quos vicinos episcopos eligere voluerit, in loco ubi convenerit, juxta antiqua statuta canonum, omnia communi consilio et sententia decernant [decernantur].

Cap. 124. — *Qualiter consecrentur episcopi. Ex quarto Carthaginensi concilio, cap.* 2.

(*Dist.* 23, *c. Episcopus cum.*) Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput et super cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes qui adsunt episcopi, manibus suis caput ejus tangant.

Cap. 125. — *De episcopo vel clero in alium locum non transferendo. Ex eodem concilio, cap.* 27.

(7, *q.* 1, *c. Episcopus de loco.*) Ut episcopus de loco ignobili ad nobilem perambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si id utilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto (per sententiam) in præsentia synodi transferatur, nihilominus alio in locum ejus episcopo subrogato. Inferioris vero gradus sacerdotes vel alii clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare.

Cap. 126. — *Ne quidquam præmii pro divinis sacramentis accipiatur. Ex Toletano concilio* XI, *cap.* 8.

(1, *q.* 1, *c. Quidquid invisibilis.*) Quidquid invisibilis gratiæ collatione tribuitur, nunquam quæstu, vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet, dicente Domino : *Quod gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x). Et ideo quicunque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum pretia quælibet, vel præmia, nisi voluntarie oblata, pro hujusmodi oblatione [ambitione] susceperit, equidem si, sciente loci episcopo, tale quidquam a subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, pro eo quod in scientia mala conticuit, et correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam eodem nesciente, quodcunque da supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit, si presbyter est, trium mensium excommunicatioûe plectatur ; si diaconus, duobus, subdiaconus vero vel clericus his cupiditatibus serviens, et competenti pœna et debita excommunicatione plectendus est.

Cap. 127. — *Qua sententia feriendi sint qui Simoniace ad episcopatum eliguntur, vel electi Simoniace ordinantur. Ex eodem conc. cap.* 9.

Multæ super hoc capitulo Patrum sententiæ manaverunt, scilicet ne impretiabilem sancti Spiritus gratiam donis vel muneribus quis æstimet comparandam. Sed (quod non sine gravi dolore dicendum est) quanto hæc frequenti decretorum est præceptione prohibita, tanto a nobis fraudibus cognoscitur iterata, dum hi qui tali pretio mercari nituntur gratiam, suæ ordinationis tempora præveniunt munere, aut post acceptum honorem, promissis suis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo ut horum et similium argumentorum deinceps amputetur occasio, hæc sancta synodus definivit ut, cum quisque pontificale culmen ante Domini altare percepturus accesserit, et actime astringatur, quod pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cujuslibet præmii collationem, vel aliquando dedisset, vel aliquando in futurum dare procuret. Sicque aut mundus ab hoc contagio, prælationis consecrationem accipiat, aut publicato hoc sceleré manifeste denudatus, coram Ecclesia ad honorem quem mercari voluit, non accedat. Illos tamen, quos deinceps post prælationem per præmium ordinatos fuisse patuerit, sub definitis pœnitentiæ legibus, ut vere Simoniacos ab Ecclesia separandos esse censemus, id est, ut duorum annorum spatio exsilio relegati, et digna satisfactione vel excommunicationis sententia coerciti, honoris gradum quem præmiis emerant, lacrymis conquirere et reparare intendant; ut si digna eos satisfactio pœnitentiæ tempore invenerit, non tantum communioni [commendarerit, peracto indictæ pœnitentiæ tempore,

Introdusă în format electronic de Google

non tantum, etc,] sed et loco et totius ordinis officiis, a quibus separati fuerant, restaurandi sunt.

Cap. 128. — *Ne episcopus per pecuniam aliquem ordinet. Ex* II *Bracarensi concilio, cap.* 3.

(1, *q.* 1, *c. Placuit* II *de.*) Placuit ut de ordinatione clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed sicut scriptum est: Quod gratis Deo donante acceperint, gratis dent (*Matth.* x.) Non aliquo pretio gratia, et impositio manuum venundetur, quia antiqua definitio Patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti et accipienti, propterea quia multi aliquando multis sceleribus obruti, et sancto altari indigne ministrantes non ob testimonium bonorum actuum, sed profusione munerum obtinent. Oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium clericos ordinare.

Cap. 129. — *Non esse faciendum episcopum præmio, vel personarum patrocinio. Gregorius Antonio subdiacono, registri lib.* II, *epist.* 22, *sive cap.* 61.

(8, *q.* 2, *c. Illud quidem.*) Illud quidem præ omnibus curæ tibi sit ut, in hac electione, nec datio quibuscunque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant. Nam si quorumdam patrocinio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire reverentia exigente compellitur, sicque fit ut et res illius minuantur ecclesiæ, et ordo ecclesiasticus non servetur. Talem ergo te imminente [admonente], debent personam eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deserviat, sed vita et moribus decorata tanto ordine digna valeat inveniri.

Cap. 130. — *Ut nullus privatum commodum, sed commune quærat in electione episcopi. Idem ad clerum Mediolanensem* (*epist.* 29, *sive c.* 68).

(8, *q.* 2, *c. Dilectissimi.*) Dilectissimi filii, officii nostri censura commoniti, suademus, ut in suscipiendi antistitis causa, nullus vestrum neglecta utilitate communi, suo lucro proficiat, ne si quisquam propria commoda appetit, frivola æstimatione fallatur, quia nec libero judicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat. Pensantes ergo quæ cunctis expediunt ei quem vobis divina gratia prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete. Judicari namque a vobis ultra non debet semel prælatus, sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est

Cap. 131. — *Quid in primitiva Ecclesia, et quid nunc, neophytus vocetur. Idem Virgilio Arelatensi episcopo* (*lib.* IV *regist.*, *epist.* 50).

(*Dist.* 48, *c. Sicut.*) Cum ad sacros ordines Paulus apostolus neophytum venire prohibeat (*I Tim.* II), sciendum nobis est quia, sicut tunc neophytus vocabatur qui adhuc noviter erat plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc novus est in sancta conversatione. Scimus autem quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiant, nisi a novitatis suæ humore siccentur; ne si ante pondera quam solidentur accipiant, cuncta[m] simul fabricam ad terram deponant.

Cap. 132. — *Quod inexpiabilis sit culpa venditi mysterii. Ambrosius* (*l.* IV. *In* IV, *c. Lucæ, titulo. De confirmatione ejusdem, exemplo Elisæi et Naaman.*)

Accepisti pecuniam, et possidebis ex ea agrum, et vineas, et oliveta, et greges, et lepra Naaman applicabit (*IV Reg.* v) se in te [adhærebit tibi], et semini tuo usque in æternum. Vides quia facto auctoris successio damnatur hæredis. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii, et gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros (*Deuter.* XXIII.) Denique Moabitæ, et cæteri non intrabunt in Ecclesiam Dei usque in tertiam et quartam progeniem, tandiu videlicet (ut simplicius interpretemur) donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cum illi, qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse multati, profecto durior videtur esse sententia, qua Giezi semen usque in æternum pro cupiditate habendi prophetica auctoritate damnatur, præsertim cum Dominus noster Jesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum, nisi ut vitiorum magis quam generis semen intelligas. Sicut enim qui filii promissionis sunt, existimantur in semen bonum, ita etiam qui filii erroris sunt, existimantur in semen malum. Nam et Judæi ex patre diabolo sunt (*Joan.* VIII), non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident, et male quæsita mercede non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt, æterno supplicio et brevi fructu.

Cap. 133. — *Quod solius nefas ambitus severissime damnetur. Gregorius ad Maximum* [*Maximianum*] *præsumptorem in Salona, cap.* 20.

(*Lib.* III *registri, epist. seu cap.* 20.) Licet cætera cujuspiam talia vitæ sint merita, ut nihil sit quod ex his sacerdotalibus valeat ordinationibus obviare, tamen solius nefas ambitus severissima canonum districtione damnatur.

Cap. 134. — *Quod non sit consecratio ab excommunicatis celebranda. Idem in eodem cap.*

Cognoscimus [Cognovimus] itaque quod, vel subrepta vel simulata piissimorum principum jussione, dum vita dignus non fueris, te ad sacerdotii ordinem cunctis venerabilem proripuisse. Quod nos ideo sine ulla hæsitatione credimus, quia vitam ætatemque tuam non habemus incognitam, ac deinde quia serenissimi Domini imperatoris animum non ignoramus, quod se in causis sacerdotalibus miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis gravetur. Additur inauditum nefas, quod post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione tua ordinantiumque te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus cæteroque clero, manu militari diceris ad medium deductus. Quam rem nos consecrationem dicere nullomodo possumus, quia ab excommunicatis est celebrata. Quia igitur sine ullius exempli

Introdusă în format electronic de Google

forma sic tali tantamque sacerdotii dignitatem, ut usque dum Dominicis vel responsalis nostri cognoverimus apicibus, quod non subreptitia, sed vera fueris jussione ordinatus, nullatenus tu ordinatoresque tui attrectare quidquam præsumatis sacerdotalis officii, nec usque ad rescriptum nostrum, ad cultum vos sacri altaris accedere.

CAP. 135. — *Quod non oporteat ordinationes episcoporum diu differri. Ex Chalcedonensi concilio cap.* 25.

(*Dist.* 75, *cap. Quoniam quidam.*) Quoniam quidam metropolitanorum (quantum comperimus [sicut ad nos perlatum est]) negligunt commissos sibi greges, et ordinationes episcoporum facere differunt, placuit sanctæ synodo, intra tres menses ordinationes episcoporum celebrari, nisi forte necessitas inexcusabilis coegerit tempus dilationis extendi [protelari]. Quod si hoc minime fecerit, correctioni ecclesiasticæ subjacebit. Verumtamen reditus Ecclesiæ viduatæ penes œconomum ejusdem ecclesiæ integri reserventur.

CAP. 136. — *Ut archiepiscopus infra tres menses pallium suum ab apostolica sede accipiat, vel dignitate sua careat. Ex decretis Pelagii papæ, cap.* 1.

(*Dist.* 100, *c. Quoniam quidam.*) Quoniam quidam metropolitanorum fidem suam, secundum priscam consuetudinem, sanctæ sedi apostolicæ exponere detrectantes, usum pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur, placuit ut quisquis metropolitanus ultra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate, sitque licentia metropolitanis aliis, post secundam et tertiam commonitionem, viduatis Ecclesiis, cum consilio Romani pontificis ordinando episcopo subvenire. Si vero consecrandi episcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi, neque alicubi consecrationis donum percipiat, imo metropolitani sui judicio cedat.

CAP. 137. — *Quomodo quis debeat a vicinis provincia episcopis ordinari. Ex concilio Sardicensi, cap.* 5.

(*Dist.* 65, *c. Si forte.*) Osius episcopus dixit: Si contigerit in una provincia, in qua plurimi fuerint episcopi cæteris necessariis rebus occupati, extra provinciam unum forte remanere episcopum, et populi convenerint, episcopi vicinæ provinciæ debent illum prius convenire episcopum, qui in ea provincia moratur, et ostendere quod populi petant sibi rectorem, et hoc justum esse, ut et ipsi veniant, et cum ipso ordinent episcopum. Quod si conventus litteris tacuerit et dissimulaverit, nihilque rescripserit satisfaciendum esse populis, veniant ex vicina provincia episcopi, et ordinent episcopum.

A CAP. 138. — *Ut episcopus non consecretur sine tribus episcopis. Ex concilio Arelatensi* II, *cap.* 5.

Nullus episcopus sine metropolitani permissu, nec metropolitanus sine tribus episcopis comprovincialibus præsumat episcopum ordinare, ita ut alii comprovinciales episcopi admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua fuerit dubitatio, majori numero metropolitanus in electione consentiat.

CAP. 139. — *De eodem, et ut archiepiscopus ab omnibus comprovincialibus ordinetur, si fieri potest. Ex epist. Aniceti papæ Ecclesiis Galliæ directa.*

De ordinationibus episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim aliis in scriptis prædecessoris nostri Anacleti (*epist.* 2) quædam jam decreta reperimus [*Volumen conciliorum sic habet :* Olim in B sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam jam, etc.]. Scimus enim beatissimum Jacobum, qui dicebatur justus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo, et Joanne apostolis Hierosolymis episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus apostolis tantus vir fuit ordinatus, patet profecto eos formam, instituente Domino, tradidisse non minus quam a tribus episcopis, episcopum ordinari debere. Sed crescente numero episcoporum, nisi intervenerit necessitas, debent etiam plures augeri. Si autem archiepiscopus obierit, et alter ordinandus archiepiscopus fuerit, omnes ejusdem provinciæ episcopi ad sedem metropolitanam veniant, ut ab omnibus episcopis eligatur et ordinetur. Oportet autem ut ipse qui illis omnibus præesse debet, ab C illis omnibus eligatur et ordinetur. Reliqui vero comprovinciales episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus a tribus, jussu archiepiscopi, consecrari possunt episcopis. Sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est elegerit, et cuncti pariter consecraverint pontificem [pontifices]. Et licet istud, necessitate cogente, concessum sit, illud tamen quod de archiepiscopi consecratione prædictum est atque præceptum, ut omnes videlicet suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet, quia qui illis præest, ab omnibus episcopis quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit D ejus secus acta ordinatio.

CAP. 140. — *De episcopo qui alium violenter ordinavit episcopum. Ex epistola Simplicii papæ missa Joanni Ravennati episcopo.*

Si quid esses intuitus a l normam ecclesiasticæ disciplinæ, vel si quid apud te sacerdotalis modestiæ teneretur, nunquam plectibiles perpetrarentur excessus. A quibus si nullo te paternarum regularum poteras continere præcepto, saltem sanctæ memoriæ prædecessoris tui fueras revocandus exemplo, qui cum faciendo presbyterum minus deliquisset, invitum, senserat tamen dignum pro tali usurpatione judicium. Ubi ista didicisti quæ in fratrem, et coepiscopum nostrum Gregorium, non electione, sed invidia perpetrasti? Quem inexcusabili violentia per-

Introdusă în format electronic de Google

trahi ad te passus es atque vexari, ut ei honorem tantum non pro animi tranquillitate, sed pro amentia sicut dicendum est, irrogares. Neque enim talia fieri potuissent sanitate consilii. Nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod dignum est. Nam privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate

CAP. 141. — *De objectione ejus quem duo præsumpserint ordinare episcopi. Ex concilio Arausico* I, *cap.* 21.

(*Dist.* 64, *c. De objectione.*) De objectione ejus, quem duo præsumpserint ordinare episcopi, in nostris provinciis placuit de præsumptoribus, ut sicubi contigerit duos episcopos tertium consecrare, et ipse et auctores damnabuntur, quo cautius ea quæ sunt antiquitus statuta, serventur.

CAP. 142. — *De non ordinandis episcopis per vicos et modicas civitates. Ex concilio Sardicensi, cap.* 6.

Licentia vero danda non est ordinandi episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter, quia non est necesse ibi fieri episcopum, ne vilescat nomen episcopi et auctoritas. Non debent ex alia provincia invitati facere episcopum, nisi aut in his civitatibus quæ episcopos habuerunt, aut si qua talis, aut tam populosa est civitas, quæ mereatur habere episcopum. Si omnibus placet? Synodus respondit : Placet.

CAP. 143 — *De eadem re. Leonis papæ* (*cap.* 2, *epist.* 87 *ad episc. Africanos.*)

Illud sane quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuscunque castellis, et ubi antea non fuerunt episcopi consecrentur, cum ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, presbyterorum cura sufficiat; episcopalia autem gubernacula, non nisi majoribus civitatibus oportet præsidere. Namque sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt ne viculis et possessionibus vel obscuris, vel solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium, et honor cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat.

CAP. 144. — *De Wamba rege Hispanorum, qui contra canones in quadam villula episcopatum fecerat, quomodo adnullatum sit. Ex* XII *concilio Toletano, cap.* 4.

Majoribus institutis contraire, et sanctorum Patrum decreta convellere, quid aliud est quam vinculum societatis Christi abrumpere, et usurpatæ præceptionis [præsumptionis] licentia, statum Ecclesiæ dissipare? Prosequente igitur venerabili et sanctissimo viro fratre nostro Stephano, Emeritensis sedis episcopo, res novellæ præsumptionis usurpatione sese intulit pertractanda, tanto communionis nostræ judicio convellenda, quanto et pravitatis vestræ noscitur ausu perpetrata. Dixit enim violentia principali se impulsum fuisse, ut in monasterio villulæ, in qua venerabile corpus sanctissimi Pigmenii [Pinevii] confessoris debito quiescit honore, novam episcopalis honoris ordinationem efficeret. Et ideo quia indiscreto et facillimo assensu, injustis Wambæ principis jussionibus parens novam et injustam illic pontificalis sedis prælationem induxit, ubi canonica institutio id fieri omnimoda ratione refellit, prædictus idem vir prostratus humi, medicamine nostri præcepti, et sibi dari veniam petit, et quid potissimum fieri oporteat de persona ejus qui illic ordinatus fuerat, nostri oris sententia decerni poposcit. Sed quia veraciter, imo communiter noveramus prædictum principem consilio levitatis agentem, non solum præcepisse, ut in prædicto loco aliquis episcopus fieret, sed etiam ita eum obstinationibus definisse, ut in suburbio Toletano in ecclesia Prætoriensi sanctorum Petri et Pauli episcopum ordinaret, nec non et in aliis vicis vel villulis similiter faceret, ideo pro tam insolenti hujusmodi exstirpationis licentia, quidquid de hac re canonum instituta haberent, in medium proferri præcepimus. Tunc hæc ordine constituto [in ordine constituta] *perlecta* sunt. In primis ex Epistola Pauli, ubi Tito discipulo suo, ut episcopos per civitates constituere deberet præcepit (*Tit.* I). Item ex concilio Nicæno titulo octavo [26, si ut fere fit, capita Sardicensis concilii addantur Nicæno], ubi inter cætera præcipitur, ut in civitate una non videantur duo episcopi esse. Item ex concilio Laodiceno titulo 7, ubi dicitur : Non oportet in vicis, et in viculis, vel in villulis episcopos ordinari, etc. (*Conc. Carth.* II). (16, *q.* 1, *cap. Felix ep.*) Item ex concilio Africæ secundo, titulo 5, ubi Felix episcopus Solensitanus [Selemselitanus, *alias* Selambinitanus] dixit : Etiam, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, ut diœceses quæ nunquam episcopos habuerunt, non habeant, diœcesis vero quæ aliquando habuerit, habeat proprium. Secundum hanc autem prosecutionem, sanctitatis vestræ est æstimare quæ fieri debeant. Genedius episcopus dixit : Si placet insinuatio fratris, et coepiscopi nostri Felicis ab omnibus confirmetur. Ab omnibus episcopis dictum est : Placet. (*Conc. Carth.* III ; 16, *q.* 1, *c. Multis conciliis.*) Item ex concilio Africæ tertio, titulo 42, ubi dicitur ut non accipiat alterum episcopum plebs, quæ in diœcesi semper subjacuit. Epigonius enim episcopus inter cætera sic dixit : Hoc dico, non debere rectorem accipere eam plebem quæ in diœcesi semper subjacuit, nec unquam proprium episcopum habuit. Quapropter si universo sanctissimo cœtui placet, hoc quod præfatus [prosecutus] sum, confirmetur. Aurelius episcopus dixit : Fratris et consacerdotis nostri prosecutioni non obsisto, sed hoc me et fecisse et facturum esse profiteor. Item ex concilio Sardicensi, ubi inter cætera præcipitur : Licentia passim danda non est. Si enim subito aut vicus aliquis, aut modica civitas, cui satis est unus presbyter, voluerit sibi episcopum ordinari, ad hoc ut vilescat nomen episcopi, et auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati, facere episcopum in quibus locis antea non fuit. Item de sententia eorum qui hujusmodi ordinationes faciunt, vel de his qui contra hæc canonum in-

Introdusă în format electronic de Google

stituta ordinantur, ex concilio Tauritano titulo secundo, ubi dicit : Gestorum quoque seriem [serie] conscribi placuit ad perpetem disciplinam, quæ circa Octavium, Ursionem, Remigium, ad Trefæ [ac Triferium] episcopum synodus sancta decrevit, qui in usurpationem quamdam de ordinatione sacerdotum ad invidiam vocabantur, quod ita his videtur indultum ut de cætero hac auctoritate commoniti nihil usurpare conentur. Siquidem se ab hac causa tali excusatione defenderint, qua dicerent prius se non esse conventos. Proinde judicavit synodus sancta, ut si quis ex hoc fecerit contra instituta majorum, sciat is qui ordinatus fuerit sacerdotis se honore privandum, et ille qui ordinaverit auctoritatem se in ordinationibus, vel in conciliis minime retenturum. Non solum autem circa memoratum episcopum hæc sententia prævalebit, sed et circa omnes simili errore deceptos, qui ordinationes hujusmodi perpetrarunt. His ergo fortissimis regulis effectum pii opponentes in commuui definitione elegimus, ut in loco villulæ supradictæ deinceps sedes episcopalis non maneat, neque illic episcopus ultra constituendus existat. Hic tamen Convildus qui contra majorum decreta illic videtur institutus fuisse episcopus, nulla canonum erit ad condemnationem sui sententia ulciscendus, quia non ambitione, sed principis impulsione constitit ordinatus. Ideo hoc illi remedium humanitatis concedimus, ut in sedem aliam decedentis cujuslibet episcopi traducatur [trausferatur], et prædictus locus sub monastica deinceps institutione mansurus, non episcopali ultra privilegio fretus, sed sub abbatis regimine sicut hucusque fuit, erit modis omnibus mancipandus. Jam vero [de cætero] decreto generale ponentes [ponamus] edictum : Si quis contra canonum interdicta venire conatus fuerit, ut in locis illis episcopum eligat fieri, ubi episcopus nunquam fuit, anathema in conspectu Dei omnipotentis [anathema sit in conspectu Dei omnipotentis] incurrat. Et insuper tam ordinator quam ordinatus gradum sui honoris perdat, qui non solum antiquorum Patrum decreta, sed apostolica ausus est convellere instituta.

Cap. 145. — *Ut plebs quæ nunquam habuit episcopum, nisi ex consensu non habeat. Ex concilio Africano, cap.* 61 (*sub Bonifac. et Cœlest., c.* 65).

Placuit et illud, ut plebes quæ nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario uniuscujusque provinciæ et primati [primatus], atque consensu ejus ad cujus diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant.

Cap. 146. — *Ut nequaquam in duos metropolitanos provincia dividatur. Ex Chalcedonensi conc., cap.* 12

Pervenit ad nos quod quidam præter ecclesiastica statuta facientes convolarunt ad potestates, et per pragmaticam formam in duo unam provinciam diviserunt, ita ut ex hoc facto duo metropolitani esse videantur in una provincia. Statuit sancta synodus A de reliquo nihil ab episcopis tale tentari, alioquin qui hoc adnisus fuerit, amissioni gradus proprii subjacebit. Quæcunque vero civitates litteris imperialibus metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodo perfruantur, et qui Ecclesiam ejus gubernat episcopus, salvis scilicet veræ metropoli privilegiis suis [*Editio secunda sic habet :* Privilegio metropolitani episcopi jure proprio reservato].

Cap. 147. — *De illis qui non sunt recepti ab his ad quos sunt ordinati. Ex Ancyrano concilio, c.* 17.

(*Dist.* 92, *c. Si qui episcopi.*) Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parœcia in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parœcias, et vim præsulibus earum inferre, seditiones adversus B eos excitando, hos abjici placuit. Quod si voluerint in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commoverint ibidem constitutis episcopis, presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles [nobiles].

Cap. 148. — *De episcopo qui Ecclesiam ad quam ordinatus est adire neglexerit. Ex conc. Antioch., cap.* 17.

(*Dist.* 92, *c. Si quis.*) Si quis episcopus per manus impositionem episcopatum acceperit, et sibi commissum ministerium subire neglexerit, nec acquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione privari, donec acceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integra decreverit C ejusdem provinciæ synodus sacerdotum.

Cap. 149. — *De episcopo qui non susceperit officium sibi commissum. Ex concilio Arelatensi, c.* 16.

Si quis episcopus non susceperit officium sibi commissum, hic communione privetur, quoadusque consentiat, obedientiæ se commendans. Si vero perrexerit, nec receptus fuerit, non pro malitia populi, ipse quidem maneat episcopus, clerici vero civitatis communione priventur, quod in erudiendo inobedientes populos diligentes non fuerint [quod erudiendis inobedientes populis non fuerint].

Cap. 150.— *De episcopo vacante qui ecclesiam vacantem invaserit. Ex concilio Antiocheno, cap.* 16.

(*Dist.* 92, *c. Si quis.*) Si quis episcopus vacans in Ecclesiam non habentem episcopum subripiens D populos, sine consilio integri ordinis irruerit, etiamsi populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab Ecclesia esse oportet. Integrum autem et perfectum concilium dicimus illud, cui metropolitanus episcopus interfuerit.

Cap. 151.— *De episcopo ordinato per contentionem populi. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10 (*cap.* 10 *lib. Martini Brach. ex synodis Græcorum*).

Si quis ordinatus episcopus, per contentionem populi, aut pro aliqua ratione, et non pro sua culpa in parœcia, quæ ei data fuerat, receptus non fuerit, hunc oportet honorem sacerdotii tantummodo contingere, ita ut de rebus Ecclesiæ, in quam venit, sibi nihil præsumat. Sustineat autem quidquid de eo sanctum concilium judicaverit.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 152. *De his qui promoventur ad episcopatum et non recipiuntur. Ex Antiocheno conc., cap.* 18.

(*Dist.* 92, *c. Si quis episcop.*) Si quis episcopus ordinatus ad parœciam minime, cui electus est, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam : hic et honoris sit et ministerii particeps, dummodo nihil molestus Ecclesiæ rebus assistat, ubi ministrare cognoscitur; quem etiam observare conveniet quidquid synodus perfecta provinciæ judicando decreverit.

Cap. 153.—*Quod auctoritas generalium conciliorum congregandorum apostolicæ sedi privata potestate commissa sit. Isidorus cap.* 8.

Synodorum vero congregandarum auctoritas apostolicæ sedi privata commissa est potestate, nec ullam synodum generalem ratam esse legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata, vel fulta. Hæc auctoritas testatur canonica, hæc historia ecclesiastica roborat, hæc sancti Patres confirmant.

Cap. 154.— *De synodis, quo tempore sint habendæ. Ex concilio Antiocheno, cap.* 20.

(*Dist.* 18, *cap. Propter ecclesiasticas causas.*) Propter utilitates ecclesiasticas et absolutiones earum rerum quæ dubitationem controversiamque recipiunt, optime placuit ut per singulas quasque provincias, bis in anno episcoporum concilia celebrentur. Semel quidem, post tertiam septimanam festi paschalis, ita ut in quarta septimana quæ consequitur, id est medio temporis inter Pascha et Pentecosten conveniat synodus, metropolitano comprovinciales episcopos admonente. Secunda vero synodus fiat Idibus Octobris, id est quinto decimo die mensis Octobris, quem Hyperberetæum Græci nominant. In ipsis autem conciliis adsint presbyteri et diaconi, et omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. Nullis licet celebrare apud se concilia, præter eos, quibus metropolitana jura videntur esse commissa.

Cap. 155.— *De synodo congreganda. Ex concilio Arvernensi, cap.* 21 [16].

Peractis omnibus quæ ad correptionem nostri ordinis in hoc concilio promulgata sunt, placuit definire, ut omni anno ad peragendum celebritatem concilii in metropolitana sede, tempore quo principis vel metropolitani electio definierit, devotis semper animorum studiis conferamus; nec quibuslibet requisitis occasionibus dissentiamus, sed in præparato die quo indictum fuerit, adunatis in metropolitana sede omnibus provinciæ pontificibus, concilium Deo præsule celebretur. Quisquis autem episcoporum (excepta inevitabili causa, vel necessitate) de peragendo se concilio absentaverit, per unius anni spatium erit communione plectendus. Quod si deinceps absque celebratione concilii unius anni metas transierit, omnium in communione pontificum ejusdem provinciæ sententiam obnoxius retinebit, id est ut si nulla se impediente principis potestate, vel infirmitate, aut inevitabili causa, sed solius propriæ voluntatis libitu, sese ad celebrandum concilium non collegerit.

Cap. 156.—*De archiepiscopo qui tempore pacis ultra biennium synodum annuntiare neglexerit. Ex concilio Meldensi, cap.* 3.

Quod si intra biennium divinitus temporum tranquillitate concessa, monentibus [admonitis] comprovincialibus, a metropolitano synodus indicta non fuerit, et metropolitanus ipse provocationes tardaverit, anno integro missam facere non præsumat. Quod si et vocati et non corporali infirmitate detenti, adesse sua abusione despexerint, simili sententiæ, subjacebunt.

Cap. 157.—*De episcopis ad synodum vocatis, si venire contemnant. Ex concilio Laodicensi, cap.* 40.

(*Dist.* 18, *c. Non oportet.*) Quod non oporteat episcopos ad synodum vocatos omnino contemnere, sed protinus ire, et docere vel discere ea quæ ad correctionem Ecclesiæ vel reliquarum pertinent rerum. Seipsum vero accusabit, qui contempserit, nisi forte per ægritudinem ire non possit.

Cap. 158.—*Quales epistolæ a metropolitano sint dirigendæ. Ex concilio Tarraconensi, cap.* 15

(*Dist.* 18, *c. Si episcopus.*) Epistolæ tales per fratres sunt a metropolitano dirigendæ, ut non solum de cathedralibus ecclesiæ presbyteris, verum etiam de diœcesanis ad concilium trahant, et aliquos de filiis Ecclesiæ sæcularium secum adducere studeant.

Cap. 159.—*Quibus ex causis episcopi ad synodum vocati abesse possint. Ex concilio Agathensi, cap.* 35.

Si metropolitanus episcopus ad comprovinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem alicujus fratris, aut ad synodum invitet, postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad constitutam diem adesse non differant. Quod si defuerint, sicut prisca canonum præcepit auctoritas, usque ad proximam synodum charitate fratrum, et Ecclesiæ communione priventur.

Cap. 160.—*De episcopo qui in synodo adesse neglexerit. Ex conc. Spalensi, cap.* 10 (*cap.* 19, *conc. Arelaten.* 11).

(*Dist.* 18, *c. Si quis autem.*) Si quis autem episcoporum synodo adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam concilium dissolvatur crediderit deserendum, alienum se a fratrum communione agnoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

Cap. 161.— *De episcopis, qui per infirmitatem ad synodum venire non poterunt. Ex decretis Felicis papæ, capitulo* 11.

(5, *q.* 3, *c. Si ægrotans.*) Quod si ægrotans fuerit episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat, susceperus salva fidei veritate quidquid synodus statuerit.

Cap. 162.— *De episcopis ad synodum vocatis, et venire, vel missos suos mittere dedignantibus. De synodo ad Altheim habito, cap.* 11.

Placuit sanctæ synodo episcopos, qui vocati de

Introdusă în format electronic de Google

Saxonia ad sanctum concilium non venerunt, nec secundum canones sacros missos suos vel vicarios direxerunt, gravi increpatione objurgare, et pro culpa inobedientiæ increpare. Unde iterum eos fraterna charitate ad condictum concilium invitamus et vocamus. Quod si et hoc (quod non optamus) pro nihilo duxerint, justamque rationem inobedientiæ suæ detrectaverint; apostolica auctoritate interdicit eis sanctus Petrus, et sancti Petri papæ missus, una cum sancta synodo missas celebrare, quoadusque Romam veniant, et coram papa [et] sancta Ecclesia dignam reddiderint rationem.

Cap. 163.— *Concilium universale nonnisi necessitate faciendum. Ex concilio Africano, cap.* 42 (*cap.* 62).

Placuit ut non sit ultra fatigandis fratribus universalis necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est si totius Africæ undecunque ad hanc sedem de hac re datæ litteræ fuerint, congregandam esse synodum in ea provincia, ubi opportunitas persuaserit. Causæ autem quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur.

Cap. 164.— *Ut episcopi posteriores se prioribus suis non præferant. Ex epistola Lucii papæ occidentalibus missa.*

Episcopi vero per singulas provincias observent, ne posteriores se prioribus suis præferant, nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agant, sed omnes de communibus eorum causis consonam sententiam proferant et determinent, quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec ecclesiasticæ reputabuntur.

Cap. 165.— *Ut episcopi sui ordinis tempus observent, alter alteri honorem præbens. Ex concilio Cabilonensi, cap.* 6.

(*Dist.* 18, *cap. Placuit.*) Item placuit ut conservato metropolitani episcopi primatu, cæteri episcoporum secundum suæ ordinationis tempus alius alii sedendi [sedenti] deferat locum, qui posterius ordinati sunt prioribus se non audeant anteferre.

Cap. 166.— *Ut episcopi posterius ordinati prioribus suis anteferre se non audeant. Ex concilio Africano, cap.* 53 (*et conc. Milevit., cap.* 13).

Valentinianus episcopus dixit : Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea quæ præterito tempore in Ecclesia Carthaginensi gesta sunt, et subscriptionibus fratrum firmata claruerunt, etiam nos servaturos esse profiteor. Sed illic scimus inviolate semper mansisse ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere, sed officiis charitatis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus gratanter semper acciperetur.

Cap. 167.— *De rebus dubiis in conciliis episcoporum emergentibus. Ex epistola Bonifacii papæ ad episcopos Galliæ.*

(6, *q.* 4, *c. Si inter episcopos.*) Si inter episcopos ejusdem concilii dubitatio emerserit de ecclesiastico jure vel de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in concilio considerans rem videlicet dijudicet, et si non acquiescat utraque pars judicatis, tunc primas regionis inter ipsos audiatur, et quod ecclesiasticis canonibus et legibus nostris consentaneum sit, hoc definiat; et nulla pars calculo ejus contradicere valeat.

Cap. 168.— *Ut episcopi in synodo residentes quæ ad commendationem* [*emendationem*] *vitæ pertinent primum emendent. Ex concilio Avernensi, cap.* 1.

In primis placuit ut quoties secundum statuta Patrum sancta synodus congregatur, nullus episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia, pertinent, fiant.

Cap. 169.— *De metropolitano, si comprovincialem episcopum in sua causa audire distulerit. Ex decretis Alexandri papæ.*

Si metropolitanus a quocunque comprovinciali episcopo [bis] fuerit in causa propria appellatus, et eum audire distulerit, in proxima synodo negotii sui habebit licentiam exercendi, et quidquid propter justitiam a comprovincialibus suis fuerit statutum, debet custodiri.

Cap. 170.— *Ut episcopi justa judicia semper dijudicent. Ex conc. Remensi, cap.* 19.

Ut episcopi et judices discernant judicia, quia sunt quædam judicanda modo, quædam Dei judicio reservanda. Scriptum est : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo* (*I Cor.* IV). Et illius memores sint : *In quo judicio judicaveritis, judicabimini* et vos (*Matth.* VII).

Cap. 171.— *Ut canonum statuta ab omnibus rite custodiantur, et nullus ex suo sensu judicare præsumat. Ex concilio Meldensi, cap.* 11.

Canonum statuta sine præjudicio ab omnibus rite custodiantur, et nemo in actionibus vel in judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam vel prædicandis divinis Scripturis, sanctorum catholicorum Patrum et probatissimorum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut dicit beatus Hieronymus, fidei veritas non vacillat (*epist. ad Lætam, de inst. filiæ*).

Cap. 172. — *De dissidentibus episcopis. Ex Carthaginensi conc.* IV, *c.* 25.

(*Dist.* 90 *c. Dissidentes.*) Dissidentes episcopos, si non timor Dei, vel synodus reconciliet.

Cap. 173. — *Ut nullus episcopus plebes alienas usurpet. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 19.

Placuit ut a nullo episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diœcesim collegam suum.

Cap. 174. — *Ut nullus metropolitanus vel primas aliquid agat de clericis vel parœciis comprovincialium episcoporum, nec de causis eorum, sine eorum consilio omnium. Ex epistola Calixti papæ episcopis per Gallias constitutis missa.*

De cætero, fratres, salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt aliter actæ quam in conspectu eorum omnium ventilatæ. Et si ipse fecerit, coerceatur a fratribus.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 175. — *De diœcesi per triginta annos possessa. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 23 (*conc. Tolet.* IV, *cap.* 33).

(16, *q.* 3, *c. Quicunque episcopus.*) Quicunque episcopus alterius episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quamvis [quia], secundum jus legis, ejus judicatur [videtur] esse diœcesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi, sed hoc intra unam parochiam [provinciam], extra vero nullo modo, ne dum diœcesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

Cap. 176. — *Ut episcopi qui negligunt loca sua, a vicinis episcopis ut se corrigant, admoneantur. Ex concilio Africano, cap.* 75 (*con. Afric. can.* 88, *et Milev. c.* 24).

(16, *q.* 3, *c. Placuit.*) Item placuit ut quicunque episcopi negligunt loca ad suam cathedram pertinentia in catholicam unitatem lucrari, conveniantur a diligentibus Deum vicinis episcopis, ut id agere non morentur. Quod si intra sex menses a die conventionis non effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineant, et ita sane, ut si ille ad quem pertinuisse videbantur probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, ut impune ibi sint, et diligentiam suam præventam, ut eo modo ejus cura sollicitior vetaretur, cum hoc judices episcopi cognoverint, suæ cathedræ loca restituant. Sane si episcopi inter quos causa versatur diversarum sunt provinciarum, ille primus dijudicet in cujus provincia est locus de quo contenditur. Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur aut tres, et si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum.

Cap. 177. — *De episcopis qui contendunt de parochiis. Ex eodem cap.* 71 (*c.* 87, *et Milev. c.* 21).

(16, *q.* 6, *c. Placuit.*) Placuit, ut quicunque episcopi plebes quas ad suam cathedram æstimant pertinere non ita repetunt, ut causas suas episcopis judicantibus agant, sed si alio renitente [retinente] irruerint, sive volentibus sine nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque hoc jam fecerunt, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, inde ille discedat, quem constiterit prætermissis judiciis ecclesiasticis irruisse. Nec sibi quisquam blandiatur, si a primate, ut retineat, litteras impetrarit. Sed sive habeat litteras, sive non habeat, conveniat eum qui tenet, et ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacifice tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos judices causa finiatur, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.

Cap. 178. — *Ut in altera parochia clericus alterius diœcesis nullatenus ordinetur. Ex concilio Antiocheno, cap.* 22.

(9, *q.* 2, *c. Episcoporum non debere.*) Episcopus alienam civitatem, quæ non est illi subjecta, non adeat; nec ad possessionem accedat quæ ad eum non pertinet, nec ordinationem ibi facere præsumat, nisi forte cum concilio et voluntate regionis episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita ejus sit ordinatio, et ipse coerceatur a synodo.

Cap. 179. — *Ut nullo modo de una parœcia ad aliam episcopus transeat. Ex eodem cap.* 21.

(7, *q.* 1, *c. Episcopum de diœcesi.*) Episcopus ab alia parœcia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus a populis, nec ab episcopis necessitate compulsus. Maneat autem in Ecclesia quam primitus a Deo sortitus est, nec inde transmigret, secundum pristinum terminum de hac re constitutum.

Cap. 180. — *De præsumptione alienæ diœcesis. Ex epistola Bonifacii papæ.*

Si quis episcopus non rogatus de alia provincia in aliam venerit, præsumptione irruens ad ordinationem et constitutionem clericorum, et ad ea quæ ad illum non pertinent importunus existat, vacua sint et inania omnia quæ ab eo fuerint constituta. Ipse autem increpatione digna excommunicetur, et abominetur a sancto concilio.

Cap. 181. — *Ut ab episcopis aliena parœcia minime pervadatur. Ex canonibus apostolorum, titulo* 14 (*et Nicæni conc. cap.* 15, *et Antioch., cap.* 21.)

Episcopo non licere alienam parœciam propria relicta pervadere, licet cogatur a plurimis, nisi forte quævis cum rationabilis causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, et in causa religionis aliquid profecto prospicere, et hoc non a semetipso pertentet, sed multorum episcoporum judicio, et maxima supplicatione perficiat.

Cap. 182. — *De eadem re, et causa ejus. Ex epistola* II *Evaristi papæ fratribus per Egyptum directa, cap.* 4.

Sacerdotes vero vice Christi legatione funguntur in Ecclesia, et sicut ei sua conjuncta est sponsa, id est, Ecclesia, sic episcopis junguntur Ecclesiæ, unicuique pro portione sua. Et sicut vir non debet uxorem suam negligere, sed diligere, et caste custodire, et amare atque prudenter regere, ita et episcopus debet Ecclesiam suam. Et velut uxor quæ sub manu est viri obedire debet viro suo, eumque amare et diligere, potius etiam Ecclesia episcopo suo in omnibus obedire, eumque amare et diligere ut animam suam debet, quia illud fit carnaliter, istud spiritualiter. Et sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat ad quam consecratus est, absque inevitabili necessitate, et apostolica vel regulari immutatione, et alteri se ambitus causa conjungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri (vivente eo) se matrimonio societ, et eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed, juxta Apostolum, aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta (*I Cor.* VII), ita Ecclesiæ non licet dimittere virum [episcopum] suum, aut ab eo segregari, ut alterum eo vivente accipiat, sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est, ne alte-

Introdusă în format electronic de Google

rum episcopo suo vivente accipiat, ut fornicationis aut adulterii crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si se alteri episcopo junxerit, aut super se alterum episcopum addiderit, aut esse fecerit vel desideraverit, per acerrimam pœnitentiam, aut suo reconcilietur episcopo, aut innupta permaneat.

CAP. 183. — *De licita mutatione episcoporum causa communis utilitatis. Ex epistola Anteri papæ episcopis per Beticam atque Toletanam provincias constitutis missa, cap.* 14.

(7, *q.* 1, *c. Mutationes.*) De mutatione ergo episcoporum, unde sanctam sedem apostolicam consulere voluistis, scitote etiam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cujusquam aut dominatione. Petrus sanctus magister [noster] et princeps apostolorum de Antiochia, utilitatis causa, translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva civitate apostolica auctoritate translatus est Alexandriam (71). Similiter Felix de civitate in qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam, aut necessitate aliorum, hortatu et consilio potiorum; nec transfertur de minori civitate ad majorem, qui hoc non ambitu vel propriæ voluntate facit; sed aut vi propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci vel populi non superbe, sed humiliter, ab aliis translatus, et inthronizatus est, quia homo videt in facie, Deus autem in corde (*I Reg.* XVI). Et Dominus per Prophetam loquitur dicens: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII). Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem. Non mutat civitatem, qui non sua sponte, sed consilio et electione aliorum mutat. Non ergo migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ causa sponte dimittit suam: sed (ut jam dictum est) aut pulsus a sua, aut necessitate coactus, vel electione vel exhortatione sacerdotum et populorum translatus est ad alteram civitatem. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos et reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas aut necessitas exposcerit, supradicto modo et mutare, et inthronizare potestatem habent.

CAP. 184. — *Quod non licet episcopo relicta sua civitate ad aliam transire. Ex canone* 6 *apostolorum.*

(*Dist.* 28, *c. Si quis docuerit.*) Episcopus autem uxorem propriam nequaquam sub obtenu religionis abjiciat; si vero rejecerit, excommunicetur; sed si perseveraverit, dejiciatur.

CAP. 185. — *De eadem re. Ex concilio Sardicensi, cap.* 1.

Osius episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Manifesta enim est causa, pro qua re hoc facere tentat, cum nullus in hac re inventus est episcopus qui de majori civitate ad minorem transiret. Unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari, et ambitioni servire, ut dominationes agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies severius et austerius judicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi: Placet.

CAP. 186. — *Quod liceat episcopo, si in Ecclesia persecutionem sustinuerit, ad aliam confugere. Ex decretis Calixti papæ per Galliam episcopis missis.*

Si quis episcopus persecutus in sua fuerit Ecclesia, fugiendum est illi ad alteram, eique sociandum [solatiandum, *alias* associandus], dicente Domino: Si persecuti vos fuerint *in* una *civitate*, *fugite in aliam* (*Matth.* X). Si autem utilitatis causa fuerit mutandum, non per se hoc agat, sed fratribus invitantibus, et auctoritate hujus sanctæ sedis faciat, non ambitus causa, sed utilitatis.

CAP. 187. — *De episcopo qui principalem ecclesiæ suæ cathedram neglexerit. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 6.

Ut non liceat episcopo principalem cathedram suæ parœciæ negligere, et aliam ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

CAP. 188. — *De eadem re diligentius. Ex concilio Sardicensi, cap.* 15.

(72) Osius episcopus dixit quia nihil prætermitti oportet. Sunt quidam fratres et coepiscopi qui non in ea civitate resident, in qua videntur esse episcopi constituti, quo vel parvam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia habere noscuntur, vel affectione proximorum, quibus indulgeant. Hactenus permitti eis oportet ut accedant ad possessiones suas, et disponant, vel ordinent fructum laboris sui, ut post quatuor dominicos dies, id est, post tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius fundis morentur, aut si est proxima civitas in qua est presbyter, nisi ad ecclesiam videantur facere diem Dominicum, illuc accedant, ut neque res domesticæ per absentiam eorum detrimentum sustineant, et ut non frequenter veniendo ad civitatem in qua episcopus moratur, suspicionem jactantiæ et ambitionis evadant. Universi dixerunt placere sibi.

CAP. 189. — *Ut episcopus singulis annis parœciam suam circumeat. Ex concilio Spalensi, cap.* 4.

Ut singulis annis quisque episcopus parœciam suam circumeat, populumque confirmet ac doceat, et ea quæ vitanda sunt prohibeat, et ea quæ agenda sunt utiliter agere studeat.

CAP. 190. — *De episcopis qui raro aut nunquam per se plebes sibi commissas visitant. Ex concilio Metdensi, cap.* 5.

Ut episcopi, qui plebes sibi creditas aut raro aut nunquam per seipsos visitant, juxta ordinem evangelicum, et apostolicum atque ecclesiasticum, cum

(71) Qua de re plura vide apud Socratem Historiæ ecclesiasticæ, lib. VII, cap. 36.

(72) Videndus est textus Græcus, cap. ib., quod interpres sententiam non sit assecutus.

Introdusă în format electronic de Google

Dominus Ezechieli dicat : *Speculatorem dedi te domui Israel, et audies ex ore meo verbum, et annunties eis ex me*, etc. (*Ezech.* III), a comprovincialibus episcopis acrius coerceantur [corripiantur].

CAP. 191. — *Ut episcopi presbyteros suos de ministeriis eorum diligenter discutiant. Ex concilio Bracarensi, cap.* 2 (*conc. Brac.* II, *cap.* 1).

(10, *q.* 1, *c. Placuit omnibus episcopis.*) Placuit nobis atque convenit ut episcopi per singulas ecclesias et diœceses euntes, primum discutiant clericos quomodo ordinem teneant baptismi, vel missarum, et qualiter quæque officia in ecclesia peragant, et si recte quidem invenerint, Deo gratias; si vero minime, docere debent ignaros.

CAP. 192. — *Ut episcopi cum paucis paræcias suas circumeant. Ex concilio Toletano, cap.* 5.

Cum episcopus suam diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, nec amplius quam una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat.

CAP. 193. — *Si episcopus paræciam suam visitare nequiverit, viros probabilis vitæ pro se mittat. Ex eodem, cap.* 6.

Quod si episcopus languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, visitationem diœceseos explere nequiverit, presbyteros probabilis vitæ, aut diaconos mittat, qui redditus basilicarum et reparationes, et ministrantium vitam inquirant.

CAP. 194. — *Qualem ministrum juxta se episcopus habere debeat. Ex concilio Meldensi, cap.* 3.

Ut quisquis [*forte*, quisque] episcopus talem juxta se pro viribus habere decertet, qui juxta sincerissimum et purissimum sensum catholicorum Patrum, fide et observatione mandatorum Dei, seu et prædicationis doctrina, presbyteros plebium assidue instruat, et informet, ne domus Dei vivi (quæ est ecclesia) sine lucerna verbi divini remaneat. Sed et eisdem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores et conversatio reprehensibilis contemptibilem reddat. Hinc est quod cum Moyses, querelam in conspectu Dei poneret, non se posse portare tantum onus quod ei fuerat impositum, audivit a Domino : *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint, ac magistri; et auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris* (*Num.* XI). Quid in Moyse nisi summum sacerdotium? quid in septuaginta viris, nisi presbyteros accipimus? Quod autem Dominus aufert de spiritu Moysi, traditque eis, patenter ostendit quia hi qui ab episcopo in conspectu Dei vocati sunt, ut secum onus populi sustentent, eadem velle et impertito sibi honore totis viribus cooperari debent. Hoc enim significat, quod non alium, sed ejusdem Moysi spiritum accipiunt.

CAP. 195. — *Ne episcopus laicum sibi ponat vicarium. Ex concilio Bracarensi, cap.* 9.

Nova actione didicimus quosdam ex nostro collegio, contra mores ecclesiasticos, laicos habere in rebus divinis constitutos œconomos. Proinde pariter tractantes, elegimus ut unusquisque nostrum, secundum Chalcedonensium Patrum decreta, œconomum ex proprio clero sibi constituat. Indecorum est namque laicum esse vicarium episcopi, et sæculares in ecclesia judicare. In uno enim eodemque officio non debet dispar esse professio. Quod etiam in lege divina prohibetur, dicente Moyse : *Non arabis in bove simul et asino* (*Deut.* XXII), quod est, homines diversæ professionis officio uno non sociabis. Unde oportet nos et divinis libris, et sanctorum Patrum obedire præceptis, constituentes ut hi qui administrationibus ecclesiæ pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione, nec habitu, nec cohærere et conjungi possunt, quibus studia et vota diversa sunt. Si quis autem episcopus [post] ecclesiasticam rem ad laicalem procurationem administrandam elegerit, aut sine testimonio œconomi gubernandam crediderit, verum et contemptor canonum et fraudator ecclesiasticarum rerum, non solum Christo de rebus pauperum judicabitur reus, sed etiam ex concilio manebit obnoxius.

CAP. 196. — *Ut in circuitione episcopi omnes qui sunt in paræcia matricum ecclesiarum, exceptis infirmis, ad synodum ejus venire debeant. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 11.

Cum episcopus suam diœcesim circuit, archidiaconus vel archipresbyter eum præire debet, uno aut duobus diebus ad [per] paræcias quas visitaturus est, et convocata plebe, annuntiare debet proprii pastoris adventum, et ut omnes exceptis infirmis ad ejus synodum die denominata imprætermisse occurrant, et omnimodis ex auctoritate sanctorum canonum præcipere, et minaciter denuntiare debet, quod si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio a communione Christiana sit repellendus. Deinde adscitis secum presbyteris qui in illo loco servitium debent exhibere episcopo, quidquid de minoribus et levioribus causis corrigere potest, emendare satagat, ut pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut sibi immorari amplius necesse sit ibi, quam expensa sufficiat. Ait enim dominus ad Moysen de hujusmodi cooperatoribus : *Ut tecum*, inquit, *sustentent onus populi, et non tu solus graveris* (*Num.* XI). Et beatus Joannes Baptista adventum Domini præcucurrit prædicando dicens : *Pœnitentiam agite*, etc. (*Matth.* III); et idem : *Parate viam Domini* (*ibid.*). Siquidem episcopus vicem Christi agere videtur, et ideo cum gaudio et timore, et summa reverentia, a plebibus sibi subjectis suscipiendus est, ut illis cum laude dicatur, quod Apostolus discipulis dicit : *Testimonium*, inquit, *vobis perhibeo, quod ita suscepistis me, sicut angelum Dei, sicut Dominum nostrum Jesum* (*Galat.* IV).

CAP. 197. — *Ut episcopi libros gentilium non legant. Ex conc. Carth.* IV, *cap.* 16.

(*Dist.* 37, *c. Episcopus gentilium*) Ut episcopi libros gentilium non legant, hæreticorum autem pro necessitate et tempore.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 198. — *Ut episcopi prout vulgus intelligere possit, secundum proprietatem communis linguæ illorum prædicationem temperent. Ex concilio Remensi, cap.* 11 (*cap.* 15).

Ut episcopi sermones et homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem communis linguæ, prædicare studeant.

Cap. 199. — *Reprehensio episcopi in pulpito paganos libros exponentis. Ex registro Gregorii ad Desiderium episcopum, cap.* 180 (*Lib.* IX, *epist.* 48).

(*Dist.* 86, *cap. Cum multa.*) Cum multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata, ita cordi nostro est nata lætitia, ut negare ea quæ sibi fraternitas vestra concedenda poposcerat minime pateremur. Sed post hæc venit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam, et illa difficiliora quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerant in gemitum et tristitiam verteremus, quia in uno ore cum Jovis laudibus Christi laudes esse non possunt. Et quam grave nefandumque sit episcopos canere quod nec laico religioso conveniat, considera. Et quamvis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodum veniens, hac de re subtiliter requisitus, negaverit atque vos conatus fuerit excusare, de nostro tamen adhuc animo non recessit, quia quantum exsecrabile est hoc de sacerdote narrari, tanto utrum ita necne sit, districta et veraci oportet satisfactione cognosci. Unde, si fieri potest, hæc evidenter quæ ad nos perlata sunt inquirere satagemus, ut si falsa esse claruerit, neque nugis et sæcularibus litteris studere constiterit, et Deo nostro gratias agamus, qui cor vestrum maculari blasphemiis nefandorum laudibus non permisit, et de concedendis quæ poscitis securi jam et sine aliqua dubitatione tractemus.

Cap. 200. — *Quantum discrimen immineat pastoribus qui veritatem Christi prædicare negligunt. Ex decretis Marci papæ episc. Ægyp. missis.*

Væ enim erit nobis, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Jesu Christi, quam apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummulariis jubemur, id est Christianos populos imbuere et docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cum de commissis nobis animabus, et de officio suscepto, rationem justus judex Christus Deus noster districtam exegerit?

Cap. 201. — *Quod episcopum sine intermissione oporteat Ecclesiam suam docere et amare. Ex decretis Evaristi papæ fratribus per Ægyptum missis.*

Episcopum vero oportet opportune atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eamque prudenter regere et amare, ut a vitiis se abstineat, ut salutem consequi possit æternam : et illa cum tanta reverentia ejus doctrinam possit suscipere, eumque et diligere, ut legatum Dei et præconem veritatis; quia, testante Veritate, *Quodcunque* ligaverit *super terram, erit ligatum et in cælis ; et quodcunque* solverit *super terram erit solutum et in cælis* (*Matth.* XVI).

Cap. 202. — *De ignorantia omnibus maxime sacerdotibus vitanda. Ex concilio Toletano, cap.* 5 (*Tol.* IV, *c.* 24).

(*Dist.* 38, *cap. Ignorantia mater.*) Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sancta Scriptura admonet, Paulo apostolo dicente ad Timotheum : *Intende lectioni et exhortationi* (*I Tim.* IV). Doctores enim semper se in his permanere sciant. Igitur sacerdotes Scripturas sanctas et canones meditentur, ut omne opus in prædicatione et doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Cap. 203. — *Ut episcopus dissidentes concordare compellat. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 26.

(*Dist.* 90, *c. Studendum est.*) Studendum est episcopo ut dissidentes fratres, sive clericos, sive laicos, ad pacem magis quam ad judicium hortetur.

Cap. 204. — *Ut in die Dominico rerum dijudicationes non fiant ab episcopo. Ex concil. Spalensi, cap.* 2.

Ut nullus episcopus, vel infra positus, die Dominico causas judicare præsumat.

Cap. 205. — *De domestica et interiori conversatione episcoporum. Ex concilio Aurel. cap.* 5.

Decrevit sancta synodus domesticam et interiorem episcopi conversationem totius reprehensionis atque suspicionis impenetrabilem fieri debere ut, juxta Apostolum, provideamus *bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (*II Cor.* VIII). Oportet igitur ut in cubiculo episcopi et secretioribus quibuslibet obsequiis sinceræ opinionis sacerdotes et clerici assistant, qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem episcopum suum jugiter attendant, ejusque sanctæ conversationis testes, imitatores et ad Dei gloriam prædicationis existant.

Cap. 206. — *Ut episcopus quasi hospes se continere debeat. Ex dictis Augustini*

Episcopus quasi hospes fieri debet, et privatam domum non habeat, sed quasi hospes fieri debet, ut Christus ait : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Luc.* IX).

Cap. 207. — *Ut episcopi frequenter missas celebrent. Ex conc. Arausic., cap.* 3

Statuimus ut non tantum Dominicis diebus, et præcipuis festivitatibus episcopi missas celebrent, sed, cum possibile fuerit, quotidiana quæque sacramenta [sacrificia] frequentent, nec fastidiant.

Cap. 208. — *Ne episcopus pretio corruptus alterius clericum ordinare præsumat. Ex concilio Nannetensi, c.* 1.

Omnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdicimus, ut nullus, cujuscunque munere aut favore

Introdusă în format electronic de Google

corruptus, clericum alterius parœciæ latenter ac furtive ad ordinationem subintroducere præsumat. Quod si fecerit, juxta Chalcedonense decretum, is qui mediator exstitit, si clericus, proprio gradu decidat, si laicus aut monachus, anathematizetur.

CAP. 209. — *De eadem re. Ex concilio Parisiensi, cap.* 22.

Episcopus non constituat presoyteros aut diaconos alteri subjectos episcopo, nisi forte consilio et voluntate ipsius. Si quis autem talc aliquid agere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio, et ipse coerceatur a synodo.

CAP. 210. — *Ut nullus episcopus in alterius episcopi parœcia ad promotionem ministerii accedere præsumat. Ex concilio Antiocheno, cap.* 13.

(9, *q.* 2, *c. Nullum episcopum.*) Nullus episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, et ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum præbere videantur nonnulli, nisi litteris tam metropolitani, quam cæterorum episcoporum, qui cum eo sunt, rogatus adveniat, et sic ad actionem ordinationis accedat. Si vero, nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus et ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant, ipse vero incompositi motus sui et irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus a sancto concilio.

CAP. 211. — *Ne episcopus alterius Ecclesiæ clericum audacter invadere audeat. Ex concilio Nicæno, cap.* 17.

Si quis episcopus clericum ad alium locum pertinentem audacter invadere et in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente episcopo a quo discessit, ordinatio hujusmodi irrita comprobetur.

CAP. 212. — *De non præsumendis illicitis ordinationibus. Ex epistola Simplicii papæ missa Equitio, Florentino et Severo episcopis, cap.* 1.

Relatio nos vestræ dilectionis instruxit, et gestorum series plenius intimavit, Gaudentium Osiniensis Ecclesiæ sacerdotem, contra statuta canonum ac nostra præcepta, ordinationes illicitas perpetrasse, quarum illi totam penitus auferri præcipimus potestatem. Scripsimus enim ad Severum fratrem et coepiscopum nostrum, ut, si necesse fuerit, ipse in supradicta Ecclesia, consideratis Patrum regulis, hoc fungatur officio, quo ille abusus esse convictus est, ut hi qui illicite ab eodem sint provecti, ab ecclesiasticis ministeriis sint remoti.

CAP. 213. — *De depositione eorum qui ab episcopo suo solum manus impositionem, et ab alio presbytero reliquam ordinum benedictionem susceperunt. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 5.

Ad cognitionem nostri examinis Gabrenensis diaconi relatu pervenit, de quibusdam [tribus] ipsius Ecclesiæ clericis, quod dum unus ad presbyterii, duo ad levitarum ministerium consecrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum suam super hos tantum posuisse, et presbyterum quemdam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus judicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione præventus. Sed quia ille examini divino relictus est, humano judicio accusari non potest; his qui supersunt, et ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne sibi licentiam talis usurpatio faciat, decrevimus ut gradu sacerdotis, vel levitici ordinis quem perverse adepti sunt, depositi, æquo judicio abjiciantur. Tales enim merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti.

CAP. 214. — *Ut non valeat sententia episcopi, nisi clericorum suorum præsentia firmetur. Ex eodem conc. cap.* 23 (*conc. Carth.* IV, *cap.* 32).

(12, *q.* 2, *c. Sine exceptione.*) Irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum suorum præsentia confirmetur.

CAP. 215. — *Ut episcopus secundum redditus ecclesiarum numerum clericorum faciat. Et concilio Spalensi, cap.* 1.

Ne passim episcopus multitudinem clericorum faciat, sed secundum meritum vel redditus ecclesiarum numerum moderetur.

CAP. 216. — *De episcopis peregrinis. Ex conc. Arelatensi.* I, *cap.* 20.

De episcopis peregrinis qui in urbem solent venire, quos veraciter episcopos scimus esse, placuit eis locum dari ut offerant.

CAP. 217. — *Ut episcopi levitate vagantes, ad propria redire cogantur. Ex Registro Gregorii ad Syagrium episcopum Augustodunensem, cap.* 122. (*Lib.* VII, *ep.* 119, *seu cap.* 117.)

Cum sacerdotis dignitas eminere videatur, ita quisquis ea ordinatus [ornatus] est, cunctis se imitandum debet ostendere, ut exemplo sui nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subjectorum. Nam si actus dissentiant a nomine, quanto pontificatus ipse plus erigit, tanto magis abjicit [addicit]. Itaque Mennatem episcopum quemdam, qui illuc de diœcesi nostræ ordinationis [diœcesi Romanæ Ecclesiæ nostra ordinatione, etc.,] profectus est, in tanta se levitate didicimus exhibere, ut et nobis de eo major sit verecundia, et illi episcopatus nomen non sit honori, sed oneri. Quod quia pudoris nobis est de eo illa cognoscere, quæ in aliarum provinciarum omnino reprehendimus sacerdotibus, fraternitas vestra eum illic immorari amplius non permittat, sed ad nos quantocius reverti compellat, ac magis inventa per omnia occasione transmittat, ut sub ea qua dignum est observantia refrenatus, sæculares mores ad sacerdotalem studeat convertere gravitatem. Nam satis noxium atque perniciosum est ut imitatione ipsius qui ædificari debuerant destruantur, in qua re non solum ille culpabilis, sed etiam qui non restiterit invenitur. Nam consentire videtur erranti, qui corrigenda, ut resecari debeant, non occurrit. Quia vero quidam Theodorus episcopus de diœcesi reverendissimi fratris nostri Constantii Mediolanensis Ecclesiæ

Introdusă în format electronic de Google

episcopi, disciplinam (ut dicitur) evitans, illuc venisse firmatur, hortamur, ut et isto diligentius requisito, ad episcopum suum vestra fraternitas transmittat. Et quia sicut legitur, *Qui abjicit disciplinam, infelix est* (*Sap.* III), nulla eum illic excusatione patiamini retinere, quatenus ex his qui levitatis eorum vitio possunt decipi, liberentur, et de ipsis habere mercedem, ne hac stultitia pereant, valeatis.

CAP. 218. — *Quandiu episcopus in aliena civitate morari debeat. Ex concilio Sardicensi, cap.* 14.

Osius episcopus dixit : Et hoc quoque statuere debetis, ut ex alia civitate cum venerit episcopus ad aliam civitatem, et, ambitioni magis quam devotioni serviens, voluerit in alia civitate multo tempore residere, forte enim evenit episcopum loci non esse tam instructum neque tam doctum, is vero qui advenit incipiat contemnere eum, et frequenter facere sermonem, ut dehonestet et infirmet ejus personam, ita ut hac occasione non dubitet relinquere assignatam sibi Ecclesiam et transeat ad alienam... Diffinite igitur tempora, quia et non recipi episcopum inhumanum est, et si diutius resideat, perniciosum est. Hoc ergo ne fiat, providendum est. Memini autem superiori concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea in qua commoratur civitate, quatuor Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si hæc circa laicos constituta sunt, multo magis episcopum nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas quæ detineat, ut amplius a supradicto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Universi dixerunt placere sibi.

CAP. 219. — *De suscipiendis episcopis qui persecutionem patiuntur. Ex eodem cap.* 21.

Osius episcopus dixit : Suggerente fratre et coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit, ut si aliquis vim perpessus est, et inique expulsus; pro disciplina et catholica confessione, vel pro defensione veritatis effugiens pericula, innocens et devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quandiu redire possit, aut injuria ejus remedium acceperit, quia durum est eum qui persecutionem patitur non recipi, etiam et larga benevolentia, et humanitas ei est exhibenda. Omnis synodus dixit : Universa quæ constituta sunt, catholica Ecclesia universo orbe diffusa custodiat. Et subscripserunt omnes qui convenerant.

CAP. 220. — *De illis qui se dicunt episcopos esse. Conc. Remensi, cap.* 43 (*concil. Cabillonensi, cap.* 43).

Sunt in quibusdam locis Scoti, et alii erronei qui se dicunt episcopos esse, et multos negligentes absque licentia dominorum suorum sive magistrorum suorum presbyteros et diaconos ordinant. Quorum ordinationem, quia plerumque incidit hæresim [*forte* hæresis] et multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus.

CAP. 221. — *Qualiter peregrini episcopi suscipiendi sunt. Ex Registro Gregorii, universis episcopis per Illyricum dilectis, cap.* 42 (*l.* I, *ep.* 43.)

Jovinus excellentissimus vir, filius noster, per Illyricum scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, a se, sacris apicibus destinatis, jussum fuisse episcopos, quos e propriis locis hostilis furor expulerat, ad eos episcopos qui nunc quoque in locis propriis degunt, pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ esse jungendos, et licet ad hæc fraternitatem vestram jussio principalis admoneat, habemus tamen majus horum mandatum æterni Principis, quo ad hæc terribilius peragenda compellimur, ut non dico fratres et coepiscopos nostros, sed etiam ipsos quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem et cœlesti primitus Principi obedientes existere, et imperialibus etiam jussionibus consentire, quatenus fratres coepiscoposque nostros, quos et captivitatis et diversarum necessitatum angustiæ comprimunt, debeatis consolandos conveniendosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere, non quidem ad communionem episcopalis throni et dignitatem, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim et proximum in Deo et Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tantum eos vestris solatiis continere summopere hortamur.

CAP. 222. — *Episcopos vel presbyteros ignotos ante probationem in ministerium non admittendos. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 23 [68].

Statuimus secundum canonicam cautelam omnes undecunque supervenientes ignotos episcopos vel presbyteros, ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admittere.

CAP. 223. — *Ut episcopus hostilitate compulsus, ad aliam vacantem transeat Ecclesiam. Ex registro Gregorii ad Angelum episcopum* (*lib.* II, *c.* 25, *ad Joannem Squilatinum episc.*).

(7, *q.* 1, *c. Pastoralis officii.*) Pastoralis officii cura nos admonet destitutis Ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem Dominicum sollicitudine pastorali debeant gubernare. Propterea te Joannem ab hostibus captivatum Lisitanæ civitatis episcopum, in Squilatina Ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut et susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas, et licet a tua hoste imminente depulsus sis, alienam, quæ pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare, ita tamen, ut si civitatem illam ab hostibus liberam effectam, Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, in eam in qua prius ordinatus es Ecclesiam revertaris. Sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac in qua et a nobis incardinatus es Ecclesia debeas permanere.

CAP. 224. — *De episcopis, quod omnes homines juri*

Introdusă în format electronic de Google

eis obédire debeant. Ex decretis Clementis papæ, cap. 15 (*ep.* 1, *longe ante finem*).

Omnes principes terræ, et cunctos homines episcopis obedire, et capita sua submittere, eorumque adjutores existere Petrus præcipiebat, ut omnes pariter fideles et cooperatores legis Dei monstrarentur, ne de eis dicatur : *Confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te, et erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos et non invenies, viros rebelles tuos. Erunt quasi non sint, et veluti consumptio hominis bellantis adversum te.* (*Isa.* XLI). (11, *q.* 3, *c. Si autem vobis contraveniunt*). Omnes ergo qui eis contraeunt, ita damnatos et infames usque ad satisfactionem monstrabat, et nisi converterentur, a liminibus ecclesiæ alienos esse præcipiebat.

Cap. 225. — *Quod episcopi claves sint Ecclesiæ. Ex ejusdem decretis, cap.* 37 (*ibid., post medium*).

Sanctam ergo Ecclesiam immaculatam omnes servare debere evangelizabat, cujus claves episcopos esse dicebat. Ipsi enim habent potestatem claudere cœlum, et aperire portas ejus, quia claves cœli facti sunt. Admonebat autem eos neminem nocere debere, quia oculi Domini sunt, et qui eos tangit, quasi qui tangit pupillam oculi ejus (*Zach.* II). Et quanta pœna dignus sit qui eos scandalizat, ipsum Dominum docuisse dicebat ubi ait : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII).

Cap. 226. — *Quod episcopos Dominus ad glorificandum se elegerit. Ex eodem, cap.* 29 (*ibid., longe ante finem*).

Ad glorificandum se, et divina mandata seminanda et evangelizanda, episcopos Dominus elegit, et non ut prohibeantur aut perturbentur aiebat, quoniam qui eos lædit eum lædit cujus legatione funguntur. Prædicare eos assidue et mandata Domini sine intermissione annuntiare rogabat. Opera eorum bona coram hominibus demonstrare, et conscientiam bonam coram Deo habere insinuabat.

Cap. 227. — *De episcopis quod se invicem diligere debeant. Ex eodem cap.* 30 (*ibid., post medium*).

Episcopos ergo vice apostolorum regere, Dominum docuisse dicebat, et reliquorum discipulorum vicem tenere presbyteros debere insinuabat, et si quis aliquem ex his scandalizaret, gravissimam pœnam inferri debere prædicabat. Cunctos se invicem diligere et adjuvare debere, et neminem ab adjutorio fratris se subtrahere instruebat.

Cap. 228. — *Nec episcopus alium episcopum conculcet. Ex concilio Arelatensi primo, cap.* 17.

Ut nullus episcopus alium conculcet, eumque calumniare vel injuriare præsumat. Quod si fecerit gradus sui periculo subjacebit.

Cap. 229. — *De episcopis qui se a fratrum adjutorio subtraxerint. Ex decretis Alexandri papæ omnibus episcopis missis, cap.* 22 (*epist.* 2).

Qui autem ex vestro collegio fugerit [fuerit], et ab auxilio vestro se subtraxerit, magis schismaticus quam sacerdos esse probabitur. *Ecce*, inquit Propheta, *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII)! Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum se solatio subtrahunt, et, quod deterius est, qui fratribus insidias ponunt, aut laqueos præparant. *Item post pauca.* Nos ergo qui discipuli Domini et dici esse cupimus, portare crucem Domini et compati fratribus debemus, et non quascunque eis insidias aut foveas præparare, quia talionem recipiet [meretur], qui fratribus foveam parat. *Nolite errare*, fratres, quia *Deus non irridetur* (*Gal.* VI). Hujus rei gratia Dominus vobis commisit Ecclesiam suam, ut pro omnibus laboretis et cunctis oppressis opem ferre non negligatis. Unde et Dominus per prophetam loquitur, dicens : Hæc dicit Dominus : *Judicate mane judicium, et eruite vi oppressos de manu calumniantis, ne forte egrediatur, quasi ignis, indignatio mea et succendatur, et non sit qui exstinguat* (*Jer.* XXI). Vos ergo qui in summa specula a Domino constituti estis, attendere eos et opprimere oportet qui inter fratres seditiones et scandala excitant, ne simul cum eis pereatis.

Cap. 230. — *De episcopis qui se canino dente corroserint. Ex ejusdem ad eosdem, cap.* 13 (*eadem epistola, paulo ante*).

Si vero (quod absit!) discordes fueritis, et canino dente vos derodere cœperitis, non solum eos non superabitis, sed et vobis ipsis nocebitis, atque ab eis superabimini, et nocenter forte peribitis.

Cap. 231. — *De episcopis qui fratribus nocere desiderant. Ex decretis Bonifacii papæ.*

Sicut omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo est, ita omnis qui odit proximum suum ex diabolo est; dilectione enim sola discernitur quis ex quo genitus approbetur, dicente Joanne : In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. *Omnis qui non facit justitiam et non diligit fratrem suum, non est ex Deo. Quoniam hæc est annuntiatio quam ab initio audistis : Ut diligamus alterutrum* (*I Joan.* III). Et post paululum : *Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* (*ibid.*). Ecce homicida esse probabiliter declaratur, qui a fraterna societate dividitur. Nam et si manus non moveat ad occidendum, pro eo tamen quia munitus est [immitis, *al.*, nititur] ad nocendum, jam a Deo homicida tenetur. Vivit ille, et iste jam interfector convincitur. Cum his igitur præceptis beatus apostolus Paulus consona prædicatione concordat dicens : *Non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV) : et *Nolite locum dare diabolo* (*Ibid*). Item. Relatæ nobis sunt quorumdam sacerdotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, ut non solum illos ab ira occasus solis non revocet, sed ne annosa quidem transactio temporum, ad bonum charitatis inclinet; quippe in quorum cordibus idem sol justitiæ Christus occubuit, ut ad lumen charitatis [veritatis] redire vix possint. Horum igitur et similium discordantium fratrum oblationes, juxta antiquam cano-

Introdusă în format electronic de Google

num definitionem, nullo modo recipiendas esse censemus, personis tamen discordantium in speciali definitione præcipimus, ut antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Dei audeat, vel gratiam sanctæ communionis percipiat, sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quo discordiæ servierunt. Quod si unus eorum alio contemnente, ad satisfactionem charitatis cucurrerit, ex eo tempore jam pacificus intra ecclesiam recipietur, ex quo ad concordiam festinasse convincitur, sententia tamen superiori servata, ut tempus quod in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ satisfactione persolvat.

CAP. 232. — *Ut episcopi a solo Domino sint judicandi. Ex decretis Clementis papæ, cap.* 38.

Episcopos autem a solo Domino judicandos aut removendos, et non ab aliis esse dicebat, quia sui sunt, et non alterius. Et quis est qui alterius judicet servum : Nam si ista non patiuntur homines, nec Deus cœlorum [deorum], et Dominus dominantium hæc ullatenus patitur. Unde et prophetas sibi testes esse dicebat, per quos Dominus loquitur dicens : *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum elegi te in camino paupertatis. Propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo* (*Isai.* XLVIII).

CAP. 233. — *Nimis timendum esse et prævidendum, ne offendantur episcopi. Ex decretis Evaristi papæ fratribus per Ægyptum missis, cap.* 6.

Nimis timenda est, fratres, hæc sententia, et prævidendum est vobis, ne offendatis eos qui tantam a Domino habent potestatem, et ideo potius obediendi, diligendi, et non detrahendi vel lacerandi aut ejiciendi sunt, sed portandi et amandi, ipso dicente Domino : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X). Ideo hæc vobis, et omnibus fidelibus scribimus, fratres, ut ab his caveatis, et posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis, quoniam injuria episcoporum ad Christum pertinet, cujus vice funguntur.

CAP. 234. — *Ne criminatio ovium contra episcopum suum recipiatur. Ex prima epistola Calixti papæ.*

Calixtus episcopus Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ, Benedicto fratri et coepiscopo, salutem in Christo. Criminationes contra doctorem nemo suscipiat, quia non oportet filios patres reprehendere, nec servos dominos lacerare. Filii ergo doctorum sunt omnes quos instruunt, et sicut filii patres carnales, sic et hi patres debent diligere spirituales. Non enim bene vivunt qui non recte credunt, aut patres reprehendunt, vel detrahunt suis. Doctores ergo qui et Patres vocantur, magis portandi quam reprehendendi sunt, nisi in recta fide erraverint. Nullus ergo doctorum per scripta accusetur, nec nisi fideli et legitimo qui etiam irreprehensibilem vitam ac conversationem ducat, accusatori respondeat, quia indignum est ut doctor stulto et indocto atque reprehensibiliter viventi, respondeat, juxta stultitiam suam, dicente Scriptura : *Non respondeas stulto juxta stultitiam suam* (*Prov.* XXVI). Non bene vivit qui non recte credit. Nihil mali vult, qui fidelis est. Si quis fidelis est, videat ne falsa loquatur, aut cuiquam insidias ponat. Fidelis homo semper fideliter agit, et infidelis callide insidiatur, atque fideles et pie ac juste viventes perdere nititur, quia similis similem sibi quærit. Infidelis vero homo mortuus est in corpore vivente, econtra sermones fidelis hominis vitam custodiunt auditorum. Doctorem enim catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo errori implicari, ita nulla oportet machinatione aut cupiditate violari, dicente Scriptura sancta : *Post concupiscentias tuas ne eas, et a voluntate tua avertaris* (*Eccli.* XVIII).

CAP. 235. — *Quod injustum judicium jussu regis vel episcopi, vel alicujus potentis factum, irritum habeatur. Item idem* (*paulo post*).

Quidquid irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia. Nulli imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti licet aliquid contra mandata divina præsumere. Injustum ergo judicium et definitio injusta, regio metu aut jussu, aut cujuscunque episcopi aut potentis, a judicibus ordinata vel acta, non valeat. Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere vel augere, male loquendo, nisi etiam eas exstinguere bene loquendo studuerit. Melior est in malis factis humilis confessio quam in bonis superba gloriatio.

CAP. 236. — *Ne aliquis alterius terminos usurpet, nec alterius parœcianum judicet aut excommunicet. Item in secundo decretali suo.*

Nemo alterius terminos usurpet, nec alterius parœcianum judicare aut excommunicare præsumat, quia talis dijudicatio aut excommunicatio vel damnatio nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius judicis nisi sui, sententia tenebitur aut damnabitur. Unde Dominus loquitur dicens : *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII).

CAP. 237. — *Qui non debeant recipi ad accusationem, et testimonium contra episcopos. Anacletus papa tertius a Petro, in primo decretali suo, omnibus episcopis.*

Beatus prædecessor noster Clemens, vir apostolicus, et Spiritu Dei plenus, una cum reliquis sanctis collegis suis statuit, dicens : Accusandi vel testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis vel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerint. Transgressor enim sponte legis suæ, ejusque violatores apostatæ nominantur. Omnis enim apostata refutandus est ante reversionem suam, nec in accusationem recte agentium, aut testimonium recipiendus [suscipiendus]. Scimus autem multos ob id infestare doctores, ut eos perdant et propriæ voluntatis placita adimpleant, non propterea tamen doctores, in quantum vires suppetunt, a recta æmulatione et bona intentione recedere debent, scientes quia *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V). Nihil est autem illo pastore miserius qui luporum laudibus gloriatur; quibus si pla-

Introdusă în format electronic de Google

cere voluerit atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. Nullus ergo pastorum placere lupis et gregibus ovium potest. Deo enim perfecte sacrificantes non debent vexari, sed portari, consolari atque ab omnibus venerari.

CAP. 238. — *De eodem expressius. Idem, in secundo decretali suo, episcopis Italiæ.*

(2, *q.* 7, *c. Accusatio.*) Accusatio eorum quoque, super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis et probatissimis viris, qui et suspicionibus et sceleribus careant, fieri debet, quia Dominus sacri sui corporis tractatores a vilibus et reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes a templo ejecit. Unde liquet quod summi sacerdotes, id est episcopi, a Deo sunt judicandi, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab hominibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per scipsum, et non per alium vendentes et ementes ejecit de templo sacerdotes (*Matth.* XXI). Nullus enim, ut reor, inter nos invenitur qui velit servum suum ab alio quam a se judicari. Quod si præsumptum fuerit, aut multo indignatione ipse irascitur, aut potius vindictam quærit super eum. Unde et Dominus ait per prophetam : Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II) *Et paulo post.* Si detractores quorumcunque graviter judicantur, et in perditionis laqueum cadunt, multo magis laceratores et detractores atque accusatores famulorum Dei damnantur, et in barathrum, nisi se correxerint et per eorum satisfactionem condignam egerint pœnitentiam, indubitanter vadunt et vindicibus flammis exuruntur. Hæc et alia periculosa considerantes apostoli statuerunt ne facile commoverentur, aut lacerarentur, vel accusarentur columnæ sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ apostoli et successores eorum non immerito dicuntur. Sed si quis adversus eos vel Ecclesias eorum commotus fuerit aut causas habuerit, prius ad eos recurrat charitatis studio, aut familiari colloquio, ea sanent commoti quæ sananda sunt, et charitative emendent quæ juste emendenda cognoverint. Si autem aliqui eos prius quam hoc egerint lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, et minime absolvantur antequam per satisfactionem, ut jam dictum est, condignam egerint pœnitentiam, quoniam injuria eorum ad Christum pertinet, cujus legatione funguntur. *Item.* Ejectionem quoque, ut supra memoratum est, summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit; licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset.

CAP. 239. — *Quod accusatores et testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt. Idem in tertio decretali suo.*

(3, *q.* 5, *c. Accusatores.*) Accusatores et testes esse non possunt, qui ante hesternum diem aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi se ulcisci velint. Inoffensus ergo accusatorum et testium affectus quærendus est, et non suspectus. *Et paulo inferius.* Deteriores quippe sunt qui præpositorum vitam moresque corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque corrumpunt. Sententia quippe Cham filii Noe damnantur, qui suorum præpositorum culpam produnt, ceu Cham qui verenda patris non operuit, sed deridenda monstravit (*Gen.* IX). Pastor Ecclesiæ si a fide exorbitaverit, erit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quam distringendus; quia rectores Ecclesiæ a Deo judicandi sunt, sicut ait Propheta : *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Psal.* LXXXI). *Item.* Tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles sunt [apparuerint], ab ecclesia separentur.

CAP. 240. — *Quod a plebe vel a vulgaribus hominibus non sit arguendus vel accusandus episcopus. Evaristus papa episcopis Africæ* (*epist.* 2).

(2, *q.* 7, *c. Non est a plebe.*) Non est itaque a plebe aut a vulgaribus hominibus arguendus vel accusandus episcopus, licet sit inordinatus; quia pro meritis subditorum disponitur vita rectorum. Unde, si qui sunt vituperatores aut accusatores episcoporum, vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a judicibus Ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur æstimationis suspicio vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quove merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia vel odio, vel cupiditate ista præsumpserint. *Et paulo post.* (2, *q.* 7, *c. Deus omnipotens.*) Deus omnipotens ut nos a præcipitante sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomorum noluit audita judicare, priusquam manifeste agnosceret quæ dicebantur. Unde ipse ait : *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII). Deus omnipotens cui nihil absconditum est, sed omnia ei manifesta sunt, etiam antequam fiant, non ob aliud hæc et alia multa quæ hic prolixitatem vitantes non inseruimus, per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, nec præcipites in discutiendis et judicandis negotiis essemus.

CAP. 241. — *De extorta confessione. Alexander papa quintus a Petro in primo decretali suo omnibus episcopis misso.*

Si sacerdotibus vel actoribus Ecclesiæ quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut [velut] se liberare possent quocunque ab eis conscriptæ vel laboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium vel nocumentum valere censemus, neque ullam eis infamiam aut calumniam, aut a suis sequestrationem bonis unquam auctore Deo, et sanctis apostolis eorumque successoribus sustinere permittimus. *Paulo post.* Confessio enim in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet : omnis enim confessio quæ fit ex necessitate, fides non est. Confessio ergo in

Introdusă în format electronic de Google

tribus non extorqueri, sed debet sponte proferri [profiteri] : pessimum est enim de suspicione aut extorta confessione quemquam judicare, cum magis inspector cordis sit Dominus quam operis. *Paulo post.* Non potest autem humano condemnari examine, quem Dominus suo reservavit judicio. Si omnia namque in hoc sæculo vindicata essent, locum divina judicia non haberent. *Et paulo post.* Pejus malum non esse existimo, quam Christianos suis invidere sacerdotibus.

CAP. 242. — *Quo ordine adeundi sint primates vel alii judices. Idem.*

Si quis erga episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam justam habere crediderit, non prius primates aut alios adeat judices, quam ipsos a quibus se læsum existimat conveniat familiariter, non semel, sed sæpissime ut ab eis aut justitiam suam accipiat, aut excusationem. Si autem secus egerit, ab ipsis et ab aliis communione privetur, tanquam apostolorum Patrumque aliorum contemptor.

CAP. 243. — *Quod nec oves pastorem suum reprehendere, nec plebs episcopum accusare, nec vulgus eum debeat arguere. Pius papa (I) IX a Petro omnibus Ecclesiis.*

(6, *q.* 1, *c. Oves pastorem.*) Oves pastorem suum non reprehendant, plebs episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat, quia *non est discipulus super magistrum* (*Matth.* x). Episcopi a Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam a subditis aut a pravæ vitæ hominibus non sunt arguendi, aut accusandi, aut lacerandi. *Et in sequentibus.* Nemo bonum faciens alteri verbo aut facto nocere vult. Quanto minus in suspicionem debet venire fidelis homo, ut dicat aut faciat ea quæ pati non vult? Quia omnis suspicio est potius repellenda, quam approbanda vel recipienda. *Item idem in secundo decretali suo.* (17, *q.* 4, *cap. Sicut qui Ecclesiam.*) Sicut qui Ecclesiam Dei vastat, ejusque prædia et donaria exspoliat et invadit, sit sacrilegus; sic et ille qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit, et sacrilegus judicatur. Et sicut peccatum quod in Deum committitur gravius est quam quod in hominem, sic gravius est sacrilegium agere quam fornicari. *Paulo post.* (11, *q.* 1, *c. Si quis sacerd.*) Si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum suo episcopo inobediens fuerit, aut ei insidias paraverit, aut contumeliam aut calumniam, et convinci potuerit, mox curiæ tradatur, et recipiat quod inique gessit.

CAP. 244. — *De incertis judiciis vitandis, et quod nec vera sint credenda, nisi certis indiciis probata, et judiciario ordine publicata. Victor papa fratribus Alexandriæ positis (ep. 1, c. 2).*

Audivimus apud vos vestrosque diversa judicia fieri, et incerta judicari. Incerta, charissimi, nullatenus judicemus, quoadusque veniat Dominus qui latentia producet in lucem *et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). Quia quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. *Item. Paulo post.* (*Hæc habentur supra c.* 4.) Placuit ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet, et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos ejus retractari negotium procuret, et dum iterato judicio pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quanquam comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano pontifice permissum est. Et alibi in statutis legitur Apostolicis (*epist.* 1 *Clementis*) : Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari apud patriarcham vel primatem diœceseos, aut penes universalis apostolicæ Ecclesiæ judicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi apostolorum suorumque decessorum [successorum] terminos transgredi, eorumque decreta violari.

CAP. 245. — *Quomodo judicandus sit episcopus, et quot testibus convincendus. Zephyrinus XIV a Petro, in primo decretali suo, omnibus episcopis per Siciliam.*

(2, *q.* 1, *c. Primates accusatum.*) Patriarchæ vel primates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant finitivam quam apostolica fulti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes. Qui minori non sint numero quam illi discipuli fuerunt, quos Dominus in adjumentum apostolorum eligere præcepit, id est 72. (3, *q.* 4, *c. Detractores.*) Detractores quoque qui divina auctoritate eradicandi sunt, et auctores [*al.*, actores] inimicorum ab episcopali submovemus accusatione vel testimonio. Nec summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat, neque in re dubia certa judicetur sententia, nec ullum judicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. (3, *q.* 9, *c. Absens vero.*) Absens vero nemo judicetur, quia et divinæ et humanæ hoc prohibent leges. Accusatores autem eorum omni careant suspicione, quia columnas suas Dominus firmiter stare voluit, non a quibuslibet agitari. Nullum namque eorum sententia a suo judice non dicta constringat, quia et leges sæculi idipsum fieri præcipiunt. (5, *q.* 4, *c. Duodecim.*) Duodecim enim judices quilibet episcopus accusatus si necesse fuerit eligat, a quibus ejus causa juste judicetur. Nec prius audiatur, aut excommunicetur vel judicetur, quam ipsi per se eligantur, et regulariter vocato ad suorum primo conventum episcoporum, per eos ejus causa juste audiatur et rationabiliter discernatur. Finis vero ejus causæ ad sedem apostolicam deferatur, ut ibidem determinetur.

CAP. 246. — *Quod spoliati episcopi respondere non debeant, nisi res ablatæ prius eis restituantur. Idem in secundo decretali suo fratribus per Ægyptum.*

Nuntiatum est sedi apostolicæ per apocrisiarios vestros, quosdam fratrum nostrorum episcoporum videlicet ab ecclesiis et sedibus propriis pelli, sua-

Introdusă în format electronic de Google

que eis auferri supellectilia, et sic nudos et exspoliatos ad judicia vocari. Quod omni ratione caret: cum constituta apostolorum eorumque successorum, et præcepta imperatorum, ac constitutiones legum idipsum prohibeant, ac apostolicæ sedis auctoritas idipsum fieri vetet. Præceptum est ergo in antiquis statutis, episcopos ejectos, atque suis rebus exspoliatos ecclesias proprias recipere, et primo sua omnia eis reddi, et tum demum si quis eos juste accusare voluerit, æquo periculo facere, judices esse decernentes, episcopos recta facientes [sapientes] et in ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur, nec prius eos respondere debere, quam omnia sua eis et ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.

CAP. 247. — *Injuste condemnatos oportere restitui. Sixtus papa* XXIII *a Petro, in secundo decretali suo fratribus per Hispaniam.*

(2, *q.* 3, *c. Fratres quos.*) Fratres quos timore terreno injuste damnastis, scitote a nobis juste esse restitutos. Quibus ex auctoritate sancti Petri, apostolica auctoritate omnia quæ eis ablata sunt integerrime reddi præcipimus, si non vultis et vos et principes vestri a collegio nostro et membris ecclesiæ separari. Justo enim judicio Dei plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequuntur, conceditur, ut qui Spiritu Dei juvantur et agantur fiant per laborum exercitia clariores. Illi tamen qui hoc agunt nullatenus evadunt pœnam; quia, ut ait Dominus: *Væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII). *Item. Paulo post.* Incerta non judicemus quousquque veniat Dominus, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). Et quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. Nullus ergo humano potest condemnari examine, quem Deus suo judicio reservavit. Hæc omnia summopere sunt præcavenda, ne præsumptores esse videamur. Et accusatio episcoporum non est facile recipienda, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii* (*Exod.* XXIII); et Apostolus inquit: Adversus presbyterum inscriptionem non esse recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus (*I Tim.* V). Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus sunt præcavenda, quanto magis de episcopis.

CAP. 248. — *Quod episcopus accusantium propositionibus non respondeat, nec ad concilium veniat, nisi res ablatæ prius restituantur, et quales esse debeant accusatores. Felix episcopus, episcopis Galliæ in secundo decretali suo.*

(3, *q.* 2, *c. Si episcopus suis fuerit.*) Si suis fuerit episcopus aut Ecclesiæ rebus sibi commissæ exspoliatus aut, quod absit! quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus! a sede propria ejectus, aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonice ante in pristino statu restituatur, cum omni privilegio sui honoris, et sua omnia quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerunt, legibus redintegrentur, nec convocari nec judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate minime tamen judicandus, advenire sponte elegerit. Nullatenus ergo a quoquam cogatur antequam integerrime omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio legali ordine redintegrentur: Præsul vero cum omni honore statui pristino reddatur, et ipse dispositis ordinatisque libere ac secure diu suis rebus, tunc regulariter infra quatuor aut quinque, aut septem menses, juxta quod possibilitas ei fuerit, et non ante convocatus, ad tempus, in concilio legitimo, et canonico, veniat ad causam, et, si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat. *Item.* Quod si ex utraque parte ad causam dicendam convenerint (quia unus absque altero audiri non debet) quærendum est in judicio cujus sint conversationis et fidei, atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant, quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis et rectæ fidei viri, hi videlicet qui omni suspicione careant, et bonæ vitæ æstimatione clareant, neque infames existant. (3, *q.* 10, *c. Si accusatorum.*) Quod si accusatorum personæ in judicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, non tamen criminales vel ecclesiasticas voluerint. (3, *q.* 7, *c. Infamis persona.*) Infamis enim persona, nec procurator potest esse, nec cognitor. (3, *q.* 9, *c. Absente adversario.*) Absente vero adversario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia a judice dicta, ullam obtinebit firmitatem. (3, *q.* 9, *c. Absens per alium.*) Neque absens per alium accusare vel accusari poterit, nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis, ad quem fuerit appellatum, id est ut actor semper rei forum sequatur. (2, *q.* 6, *c. Si quis judicem.*) Si quis autem judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. (3, *q.* 6, *c. Peregrina.*) Peregrina vero judicia generali actione prohibemus, quia indignum est ut ab externis judicetur, qui comprovinciales et a se electos debet habere judices.

CAP. 249. — *Quod episcopi ad concilium vocati non debeant venire, nisi tanto tempore super sederint, quanto tempore vel ecclesiis vel rebus suis spoliati sunt. Eusebius papa in secundo decretali suo, fratribus per Alexandriam et Ægyptum.*

(2, *q.* 2, *c. In scripturis.*) In scripturis vestris reperimus quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicione, et aliquos ex certa ratione, et idcirco quosdam suis esse rebus exspoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos; quos sciatis nec ad synodum comprovincialem, nec ad generalem posse convocari, nec in aliquo judicari, antequam cuncta quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur. (3, *q.* 2, *c. Prius ergo.*) Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, et ecclesias quæ sibi sub-

Introdusă în format electronic de Google

latæ sunt, cum omni privilegio suo restitui, et postmodum non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum exspoliati vel pulsi esse videntur, antequam ad synodum convocentur, et ab omnibus quisque suæ provinciæ episcopis audiatur. Nam nec convocari ad causam, nec judicari potest exspoliatus, vel expulsus, quia non est privilegium quo exspoliari possit jam nudatus, unde et antiquitus decretum est omnes possessiones, et omnia sibi sublata, atque fructus cunctos, ante litem contestatam perceptor vel primas possessori restituat. *Item.* (12, *q.* 2, *c. In antiquis.*) Est in antiquis Ecclesiæ statutis decretum ut qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde et in Evangelio scriptum est : Quod *si aliquid defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX). Et in legibus sæcularibus cautum habetur : Qui rem subripit alienam, illi cujus res direpta est in undecuplum quæ sublata sunt restituat.

Cap. 250. — *Episcopos ab ovibus suis non reprehendendos, nisi in fide erraverint. Ex epist. Anacleti papæ scripta omnibus sacerdotibus Christi, cap.* 1 (*epist.* 3).

Doctor autem vel pastor Ecclesiæ, si a fide exorbitaverit, erit a fidelibus corrigendus; sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quam distringendus, quia rectores Ecclesiarum a Domino sunt judicandi, sicut ait Propheta : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Psal.* LXXXI). Unde oportet unumquemque fidelem, si viderit aut cognoverit plebes suas adversus pastorem suum tumescere, aut cleri [clerum, *al.*, contra clerum] detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus exstirpare, prudenterque corrigere satagat, nec eis in quibuscunque negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint, antequam suo reconcilientur doctori, præsumat, quoniam tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes, summam debent habere curam, de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut, si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.

Cap. 251.— *De eadem re. Ex decretis Clementis papæ* (*epist.* 1).

Ipsi autem episcopi si exorbitaverint, ab istis non sunt reprehendendi vel arguendi, sed portandi, nisi in fide erraverint. Hi ergo super hos sunt, non illi super istos, quoniam major a minore non argui nec judicari potest. Nullus se extollat erga doctores ac magistros suos, quia discipulus super magistrum esse (*Matth.* x) non potest, nec debet; nullus velit dici sanctus antequam sit; sed prius sit, ut verius dicatur. Præcepta Domini doctorumque ac magistrorum facta quotidie adimplere, et in Christi nomine pro inimicis orare oportet.

Cap. 252.— *De eadem re. Ex epistola Eusebii papæ, cap.* 20 (*Anacletus, ep.* 3, *c.* 5).

Necesse enim est ut rectores a subditis timeantur, et ab ipsis corrigantur, ut humana formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. (6, *q.* 1, *c. Deteriores.*) Deteriores quippe sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Ipsi quidem ea quæ extra nos, licet nostra sint, auferunt; nostri vero detractores, et morum nostrorum corruptores, sive qui adversum nos armantur, proprie nos ipsos decipiunt, et ideo juste infames sunt, et merito ab ecclesia extorres fiunt.

Cap. 253. — *Quod infames sunt qui prælatorum vitam corripiunt, et conversationi detrahunt. Ex decretis Caii papæ, cap.* 7 (*Euseb. epist.* 2, *ad epis. Alexandriæ*).

Oves vero quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenus accusare possunt, quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quanquam recte reprehendenda videantur.

Cap. 254. — *De non reprehendendis episcopis. Ex decretis Evaristi papæ omnibus per Ægyptum fratribus missis, cap.* 18.

(3, *q.* 2, *c. Audivimus.*) Audivimus enim quosdam a vobis infamatos et dilaceratos episcopos et a civitatibus propriis pulsos, (quia [qui] alibi episcopi constitui non possunt, nisi in civitatibus non minimis) et alios in eis ipsis viventibus constitutos. Ideo hæc vobis scribimus, ut sciatis hæc fieri non licere, sed proprios revocari, et integerrime restitui debere. Illos vero qui adulterina fœditate suas sponsas (quas et uxores eorum præfixo tenore esse intelligimus) tenent, ejici, ut adulteros atque infames fieri, eosque ab ecclesiasticis honoribus arceri jubemus. Si autem adversus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit, et auctoritate hujus sanctæ sedis terminandum.

Cap. 255. — *De infamatis et dilaceratis episcopis, et a civitatibus propriis expulsis, sine Romana auctoritate. Ex decretis Stephani papæ omnibus episcopis, cap.* 65 (*ep.* 2, *c.* 1).

Nullus enim episcoporum, dum suis fuerit rebus exspoliatus, aut a sede propria pro qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut a quoquam ei potest crimen objici, priusquam integerrime restauretur, et omnia, quæ ei ablata quocunque sunt ingenio, legibus redintegrentur, et ipse sedi propriæ et pristino statui regulariter reddatur, ita ut omnes possessiones, et cuncta sibi prædia injuste sublata, atque fructus omnes ante conceptam accusationem primates, et synodus episcopo de quo agitur, funditus restituant, quia hoc non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges fieri prohibent. Neque aliquis eorum aut ecclesiarum actor [auctor] vel defensor ad aliquos prius accusari debet, quam ipse charitative bis aut ter ab eis, qui se læsos æstimant, vel eos pro aliquibus erratibus corripere cupiunt, conveniatur, ut ab eis aut familiarem emendationem, aut justam percipiat excusationem. Quod qui præsumpserit, liminibus arceatur Ecclesiæ, usque ad condignam satisfactionem.

Cap. 256. — *Ut episcopus non dijudicetur qui suis*

Introdusă în format electronic de Google

rebus est spoliatus. Ex decretis Felicis papæ episcopis per Ægyptum missis, cap. 10.

(2, *q.* 2, *c. Nullus episcop.*) Nullus enim episcopus qui suis est rebus exspoliatus, aut a sede propria vi aut terrore pulsus, antequam omnia sibi ablata legibus restituantur, et ipse pacifice annum vel plus suis fruatur honoribus, sedique propriæ sit regulariter restitutus, juxta canonicam institutionem accusari, vocari, judicari, aut damnari potest.

Cap. 257. — *Ut episcopi criminati libere apostolicam sedem appellent, et quod non possunt sine Romano pontifice vel ejus vicario judicari. Ex decretis Julii papæ orientalibus episcopis missis, cap.* 18. (*Sixtus II, id habet, ep.* 1.)

(2, *q.* 6, *c. Omnes episcopi.*) Ut omnes episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem, atque ad eam, quasi ad matrem, confugiant, ut ab ea (sicut semper fuit) pie fulciantur, defendantur et liberentur. Cujus dispositioni omnes majores et ecclesiasticas causas, et episcoporum judicia, antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit, quoniam culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint quam ejusdem sedis papæ fieri placuerit. Placuit ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus, licenter appellet et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos, ejus negotium retractari procuret. Et dum iterato judicio pontifex suam causam agit, nullus alius in ejus loco subrogetur, ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quanquam comprovincialibus episcopis, accusati causam pontificis liceat scrutari, non tamen definiri inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo, non ab alio aliquo quam ab ipso dictum sit Domino : *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). (2, *q.* 6, *c. Si quis putaverit.*) Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem diœcesecos aut penes apostolicæ universalis Ecclesiæ papam [sedem] judicetur. Accusationes quas leges sæculi non asciscunt, et nos unanimiter submovemus, ne fiat indistricta probatione impietas, cum recta sit judicii in lectione sententia. Si quis erga episcopum vel actores [auctores] Ecclesiæ se proprium habere crediderit negotium, non prius adeat judices quam ad eos recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio moniti ea sanare debeant quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit communione privetur. Nemo pontificum deinceps aliquem episcopum suis exspoliatum rebus, aut a sede pulsum excommunicare præsumat, quia non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus. Pari tenore decernimus non credi accusatori, qui absente adversario causam suggerit, ante utriusque partis discussionem, nec accusatores vel testes suscipi, qui non sunt idonei. Placuit, si accusatus vel damnatus episcopus appellaverit Romanum pontificem, id statuendum, quod ipse juste censuerit. Et omnes qui adversus Patres armantur infames esse censemus, neque eos qui cum inimicis morantur ad accusationem vel testimonium recipiendos. Placuit ut semper in accusationem clericorum primo persona, fides, vita et conversatio blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est, nec eis omnino est credendum qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt, quoniam tales facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo et corrigenda, neque accusationibus suspectis, vel de inimicorum domibus prodeuntibus credendum.

Cap. 258. — *Quod causa pulsati episcopi per episcopos judices judicanda sit. Ex concilio Spalensi, cap.* 8 (*Spal.* 1).

Si quis episcopus a quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos judices causa judicetur [finiatur], sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu elegerint.

Cap. 259. — *Quod episcopos judices non liceat quemquam provocare. Item ex eodem concilio, cap.* 9.

Judices autem episcopos, quos communi consensu elegerint, non liceat quemquam provocare. Et quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet episcoporum donec obtemperet.

Cap. 260. — *Ut episcopi comprovinciales peregrina judicia non patiantur. Ex decretis Fabiani papæ Hilario episcopo missis, cap.* 26 (*epist.* 3, *c.* 2).

(3, *q.* 6, *c. Peregrina judicia.*) Peregrina vero judicia salva in omnibus apostolica auctoritate generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab exteris judicetur qui provinciales et a se lectos debet habere judices, nisi fuerit appellatum. Unde oportet si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur qui sunt in provincia, episcopis, quia non oportet accusatum, alibi quam in suo foro audiri.

Cap. 261. — *Ut episcopus criminatus, si judicem suspectum habuerit, libere sedem apostolicam appellet. Ex decretis ejusdem, ad eumdem episcopum.*

(2, *q.* 6, *c. Liceat et c. Si quis.*) Si quis vero episcopus judicem suspectum habuerit, et viderit se gravari, libere sedem appellet apostolicam : appellantem autem non habeat afflictio ulla aut detentionis [deceptionis] injuriosæ custodia, sed liceat appellatori vitiatam causam, appellationis remedio sublevare; liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem in supplicium sententia destinarit.

Cap. 262. — *A quot episcopis episcopus vel presbyter vel diaconus sint audiendi. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 12 (*Carth.* II *sub Siricio, c.* 10).

(15, *q.* 7, *c. Felix episc.*) Felix episcopus dixit (3, *q.* 8, *c. Suggero*) : Suggero secundum statuta

Introdusă în format electronic de Google

veterum conciliorum, ut si quis episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, et fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine maneat, a duodecim episcopis, et presbyter a septem episcopis, cum proprio suo episcopo audiatur, et diaconus a tribus.

Cap. 263. — *De episcopo, si comprovinciales in ejus examinatione dissenserint. Ex concilio Antiocheno, cap.* 14 (*Ant.* I *sub Julio I*).

Si quis episcopus de certis criminibus dijudicatur, et contingat de eo comprovinciales episcopos dissidere, cum judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur : propter hujus ambiguitatis absolutionem, sanctæ synodo placuit ut metropolitanus episcopus a vicina provincia judices alios convocet qui controversiam tollant; et ut per eos simul et comprovinciales episcopos quod justum visum fuerit approbetur.

Cap. 264. — *Ut episcopis, vel alicui in ordinibus posito, nullus laicus crimen imponere* [*intendere*] *audeat. Ex decretis Silvestri papæ, cap.* 1 (*in epilogo conc. Rom.* II *sub Silvestro*).

(2, *q.* 7, *c. Nullus laicus.*) In consensu et subscriptione omnium constitutum est ut nullus laicus episcopo vel alicui in ordinibus posito, crimen aliquod possit inferre. Et ut presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, nec lector adversus exorcistam, nec ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnetur præsul nisi in septuaginta duobus idoneis testibus.

Cap. 265. — *Quod episcopi accusatorum episcoporum judices esse debeant. Ex decretis Damasi papæ, cap.* 3.

Accusatorum episcoporum judices esse decernimus episcopos sapientes juste et recte viventes.

Cap. 266. — *De legitima vocatione episcopi accusati. Ex epistola ejusdem ad Stephanum et ad concilium Africæ* (*ep.* 4, *c.* 4).

(5, *q.* 2, *c. Vocatio ad synodum.*) Vocatio ad synodum juxta decreta Patrum canonica, ejus qui impetitur, rationabilibus scriptis per spatium fieri debet congruum, atque canonicum; quia nisi canonice vocatus fuerit et suo tempore et canonica ordinatione, licet ad conventum quacunque necessitate venerit, nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus, quoniam nec sæculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis divinæ?

Cap. 267. — *Ut primates de accusato episcopo, non ante sententiam proferant damnationis, quam aut reum se ipse confiteatur, aut canonice per innocentes testes convincatur. Ex epistola Felicis papæ Paterno episcopo missa, cap.* 4 (*Felix I, epist.* 1).

(2, *q.* 1, *c. Primates.*) Primates quoque accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quam apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et canonice examinatos testes regulariter convincatur : aliter censemus irritam esse et injustam episcoporum damnationem, et idcirco a synodo retractandam, ita ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.

Cap. 268. — *Qualiter primas, et ubi sit faciendus. Ex registro Gregorii ad Gennadium patricium et exarchum Africæ* (*l.* I, *ep.* 73).

Concilium vero catholicorum episcoporum admoneri præcipitur, ut primatem non ex ordine loci postpositis vitæ meritis faciat, quoniam apud Dominum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse vero primas non passim sicut moris est, per villas, sed in una, juxta eorum electionem, civitate resideat.

Cap. 269. — *Ut episcopi singularum gentium sciant quis inter eos sit primus. Ex epistola Anacleti papæ omnibus episcopis* (*ep.* 3, *c.* 3).

(*Dist.* 22, *c. Sacrosancta.*) Beati etiam apostoli inter se statuerunt, ut episcopi singularum scirent gentium quis eos primus esset, quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam inter beatos apostolos quædam fuit discretio. Et licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessus est primatus. Et ipsi inter se voluerunt, ut reliquis omnibus præesset apostolis Cephas, id est, ut Petrus principatum teneret apostolatus, quia et eamdem formam suis successoribus et reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Et non solum hoc in Novo Testamento constitutum, sed etiam in Veteri Testamento fuit. Unde scriptum est : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* (*Psal.* XCVIII), id est, primi inter eos fuerunt. Et quamvis ita sit ordinatum, nemo tamen quod suum est quærat, sed quod alterius, unde ait beatus Paulus apostolus : *Unusquisque placeat proximo suo in bonum, ad ædificationem* (*Rom.* XV). Et sicut ipse Salvator suis ait apostolis : *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Matth.* XX; *Marc.* X) : et reliqua.

Cap. 270. — *Ut episcopus accusatus communione non privetur, nisi statuta die venire noluerit. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 8 (*Carth.* III, *c.* 7).

(4, *q.* 5, *c. Quisquis primates.*) Aurelius episcopus dixit : Quisquis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator, nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, electorum judicio, die statuta, litteris evocatus, minime occurrerit, hoc est infra spatium mensis ex ea die, qua eum litteras accepisse constiterit. Quod si aliquas veræ [veras] necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem, integram habeat facultatem. Verum post mensem secundum [tandiu] non communicet, donec examinetur [purgetur]. Si autem ad concilium universale infra anni spatium occurrere noluerit, ut vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parœcia communicet : accusator autem ejus, si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur; si vero aliquando defuerit subtrahens se, restituto in communione episcopo,

Introdusă în format electronic de Google

ipse, removeatur a communione accusator; ita tamen, ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem constitutum occurrere non voluisse, sed non potuisse probaverit. Illud vero placuit, ut cum agere cœperit in episcoporum judicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen ecclesiasticas, asserere voluerit.

CAP. 271. — *De Maximo episcopo variis criminibus infamato, et ad synodum sæpius vocato, qui venire et se excusare neglexerat. Ex secunda epist. Bonifacii papæ, ad episcopos Galliæ.*

Bonifacius episcopus, Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Severo, Valerio, Juliano, Castorio, Leontio, Constantino, Joanni, Montano, Marino [Mauritio], et cæteris episcopis per Gallias, et per septem provincias constitutis. Valentinæ nos clerici civitatis adierunt, proponentes libellum et crimina, quæ Maximum, teste tota provincia, asserunt commisisse. Delegata toties cognitione illum constituta semper subterfugisse judicia, nec confisum conscientia festinasse, ut si esset innocens examinatis omnibus purgaretur, quæ toties decreta ex vestrarum [nostrarum] quoque chartarum instructione cognovimus. Qui econtrario probavit de se illa quæ dicta sunt, quia [cui] ad ea confutanda, cum essent innumera, a decessoribus meis provincialis est delegata cognitio. Conventus etiam dicitur evitasse, et adesse minime voluisse. Et nullus dubitat quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur, qui est innocens, quærit. Sed astuta cavillatio eorum, qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium : nec prodest [proderit] illi toties latuisse, toties subterfugisse, quem sui actus et commissa, quocunque fugerit, ea quæ objiciuntur illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem jam dignam pro ejus accusatis in nostro judicio actibus, qui cognitionem et decretum judicium sæpe declinando credidit illudendum, dare sententiam. Quam ne aliquis præcoquam forsitan judicaret, et sibi (qui absens est, licet sit quæsitus) a nobis reservatum esse nihil diceret, maluimus intercapedine temporis data, differri, cum hoc etiam ejus accusatores assererent, de cujus [quorum] intentionibus et moribus sit decretum [securum], Maximum tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto judicio præsentaret. Quem Manichæorum involutum caligine, arguunt turpi secta olim ita eum ne possit abluere, animum sordidasse : in probationem objectæ rei gesta synodalia proferentes, et commissis involutum undique flagitiis, nullum eum sanitatis habuisse respectum quem furore suo et insana temeritate ad sæcularium quoque judicum tribunalia subditum quæstioni, quod in vili persona turpissimum est, objiciunt pervenisse, et homicidii damnatum asserunt, gestis prolatis in medium. Et hunc talem post tanta taliaque commissa episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vindicare, inpropriæ civitatis infamiam nimiis doloribus conqueruntur, et sanctum nomen vindicando sibi velle polluere. Ideoque, fratres charissimi, quia hic audiendus præsentare se noluit, ne convictus forsitan ab accusantibus se clericis, possit digna tandem aliquando, præsentatus episcopali judicio, pronuntiationis congruæ feriri sententia (quanquam illi, cum hæc docta fuerint, sciamus hujus nominis esse jacturam, qui pudorem nunquam habuisse sacerdotii perhibetur, et locum suum ne modico quidem tempore custodisse) dilationem dedimus, et decrevimus, vestrum [vestram] debere intra provinciam esse judicium, et congregari synodum ante diem Kalendarum Novembrium, ut si adesse voluerit, præsens si confidit, ad objecta respondeat : si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est eum confiteri de crimine, qui indulto et toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque professione [pro confess.] procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provinciales litteras dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio. Quidquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra (ut condecet) necesse est auctoritate firmetur.

CAP. 272. — *De episcopo criminato qui ad synodum vocatus, venire contempserit. De synodo apud Altheim* [*Alcheum*] *habita, cap.* 10.

Richuvinum episcopum, qui contra sanctorum canonum sanctiones Strazburgensem Ecclesiam invasit, quem ad sanctam synodum per litteras nostras invitavimus, et venire contemnens nec vicarium suum misit, auctoritate sancti Petri ego Joannes vicarius apostolici, ex præcepto sanctæ synodi injungendo vocamus iterum et præcipimus quatenus ad concilium, id est, Moguntiæ indictum a metropolitano suo episcopo ad præsentiam venerabilis Herigeri archiepiscopi et confratrum suorum veniat, suæ inobedientiæ et perversitatis ibidem justam rationem redditurus. Sin autem negligenter et hoc agere parvipenderit, abstineat se a proprio gradu, donec Romam veniens coram domino papa et sancta Ecclesia reddat rationem.

CAP. 273. — *Qui sint primates, qui metropolitani. Ex cap. Nicæni concilii, quæ addita sunt a Felice papa.*

Primates illi et non alii sunt quam qui in Nicæna synodo sunt constituti. Reliqui vero qui metropoles tenent sedes, archiepiscopi vocantur et non primates, salva in omnibus apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, et postea a sanctis Patribus roborata.

CAP. 274. — *Quod neganda sit accusatis criminandi licentia priusquam se crimine quo premuntur, exue-*

Introdusă în format electronic de Google

rint. Ex decretis Stephani papæ, omnibus episcopis missis, cap. 11 (*Steph. I, ep.* 2, *c.* 7).

(3, *q.* 11, *c. Neganda est.*) Quod neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur exuerint; quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicati sunt, nisi se prius probaverint innocentes, quoniam periculosa est, et admitti non debet rei adversus quemcunque professio. Familiares vero et sponte confessi atque sceleribus irretiti non debent admitti; nec hi qui hesterna die, aut perendie [pridie], aut ante fuerunt inimici.

Cap. 275. — *De criminationibus adversus doctores non suscipiendis. Ex decretis Eusebii papæ, cap.* 17.

Et licet hæc possint generaliter dicta sufficere ut vel declinemus errata, vel custodiamus catholica, ab apostolis tamen eorumque successoribus novimus constitutum, criminationes adversus doctores non debere suscipi, nec peregrina judicia fieri, nec quemquam alterius judicis quam sui sententia debere constringi.

Cap. 276. — *De eadem re. Ex concilio Spalensi, cap.* 3.

Accusatores adversus doctorem nemo suscipiat, quia non potest humano condemnari examine, quem Dominus suo judicio reservavit.

Cap. 277. — *Ut nemo accuset episcopum apud sæculares. Ex epistola Felicis papæ ad Ægyptios missa, c.* 1.

Ut nemo episcopum penes sæculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

Cap. 278. — *De eadem re. Ex epistola Bonifacii papæ ad episcopos Galliæ.*

(11, *q.* 1, *c. Nullus episcopus.*) Nullus episcopus neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis judicem sive civilem sive militarem producatur, vel exhibeatur. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.

Cap. 279. — *Ut non accusetur episcopus a criminosis. Ex epistola Felicis papæ supradictis episcopis missa, cap.* 18.

Quoties episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores qui juste et canonice recipi debeant, synodo legitima in suo tempore congregata, ab omnibus canonice audiatur qui sunt in provincia episcopis. Quod si legitimi non fuerint accusatores qui juste et canonice recipi debeant, non fatigetur episcopus, quia sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum, nec illi qui throni Dei vocantur, pravorum hominum insidiis turbari, sed libere Christo Domino famulari (*Dan.* VII).

Cap. 280. — *Ut nullus episcopus extra suam provinciam ad judicium invitetur. Ex decretis Julii papæ, orientalibus episcopis missis, c.* 18 (*ep.* 3, *c.* 17).

Nullus episcopus extra suam provinciam ad judicium devocetur, sed vocato eo canonice in loco omnibus congruo, tempore synodali ab omnibus comprovincialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent senten-

A tiam. Quia si hoc minoribus tam de clericis quam de laicis concessum est, quanto magis de episcopis servari convenit? Nam si ipse metropolitanum aut judices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud primatem diœceseos, aut apud Romanæ sedis pontificem judicetur.

Cap. 281. — *Infra quot dies appellandus est. Excerpta de legibus Theodosianis, quas interpretatur Paulus, cap.* 35.

(2, *q.* 6, *c. Propter superfluam.*) Propter superfluam appellatorum licentiam, ne in retractandis vel revocandis sententiis liberum habere arbitrium viderentur, et tempora appellationis, et pœnæ constitutæ sunt, ut quicunque apud judicem qui causam ejus audivit, appellaverit, et ad alium judicem provocare
B voluerit, infra [intra] quinque dies appellet, et in his ipsis quinque diebus, ad judicem ad quem provocaverit, sine aliqua dissimulatione perveniat, et ipse dies quo accepit litteras, in his quinque diebus specialiter computetur. Quod si longius iter sit, exceptis his quinque diebus, spatium dierum quo iter agi possit, computetur.

Cap. 282. — *De accipiendis litteris appellationis, cap.* 36.

(2, *q.* 6, *c. Ab eo.*) Ab eo autem a quo appellatum est ad eum qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgo epistola appellatur, quarum postulatio et acceptatio intra quintum diem ex officio facienda est. Ista jam superius sub titulo de cautionibus et pœnis appellationum in
C terpretata est, qui intra tempora præstituta dimissorias non postulaverint, vel acceperint, vel reddiderint, rescriptione ab agendo submoveantur, et pœnam appellationis ferre cogantur.

Cap. 283. — *Quæ appellatio sit accipienda, quæ non, cap.* 37.

(2, *q.* 6, *c. Quicunque.*) Quicunque non confidentia justæ causæ, sed causa afferendæ moræ, ne contra eum sententia proferatur, appellaverit, vel si de facto suo confessus ne addicatur, appellare voluerit, hujusmodi appellationes non recipiuntur.

Cap. 284. — *Quid agendum sit de possessione appellantis, cap.* 38.

(2, *q.* 6, *c. Quoties.*) Quoties post auditam causam judicii possessor appellat, fructus possessionis de
D qua agitur, dum secundæ audientiæ eventus dubius est, merito sequestrantur. Nam, si petitor appellaverit, hoc ab eo non potest postulari, quia non potest sequestrari quod non habet. Si propter prædia urbana, vel mancipia appellatur, pensiones eorum, vel mercedes vecturarum [vecturæ] etiam si de navi agatur, deponi solent.

Cap. 285. — *Ut injuste appellans adversario sumptus quos sibi expenderit, quadrupliciter restituat, cap.* 39.

(2, *q.* 6, *c. Omnimodo.*) Omnimodo puniendum [prohandum] est, ut quoties injusta appellatio pronuntiatur, sumptus quos dum sequeretur adversarius impendit, reddere cogatur non simplos, sed quadruplos.

Cap. 286. — *Quod ante inscriptionem nemo crimi-*

Introdusă în format electronic de Google

nosus inveniatur, de libro nono earumdem legum.

Ante inscriptionem nemo efficiatur criminosus. Nam, inscriptione per ordinem facta, tunc a judice suscipiendus est reus, et custodiæ cum accusatore tradendus est : ea tamen ratione, ut tam accusati quam accusatoris dignitas æstimetur, et unumquemque ante discussionem ita judex faciat custodiri, ut eorum natalis aut dignitas patiuntur. Sane hi qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint a judice non credantur; quia jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus eum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est.

Cap. 287. — *Quæ induciæ accusatis episcopis sint dandæ. Ex epist. decretali Damasi* (*ep.* 4, *c.* 8).

(3, *q.* 3, *c. Induciæ accusatis.*) Induciæ accusatis in criminalibus episcopis sex mensium, vel eo amplius concedendæ sunt; quoniam et laicis hoc permissum nullus sæcularibus disciplinis imbutus ignorat, quanto magis sacerdotibus, qui superiores eis esse non dubitantur?

Cap. 288. — *Quod de se confesso in alieno crimine non sit credendum. Dionysius Severo coeviscopo* (*epist.* 2).

(15, *q.* 3, *c. Nemini præterquam.*) Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, quoniam ejus omnisque rei professio periculosa est, et admitti non debet. Similiter alieni erroris socium, vel a sui voluntarie propositi tramite recedentem, aut sacris Patrum regulis et constitutionibus inobedientem, suscipere non possumus, nec debemus.

Cap. 289. — *De accusatoribus et testibus episcoporum qui sint recipiendi, qui non. Ex dec. Calixti papæ episcopis per Galliam constitutis, cap.* 17 (*ep.* 2, *c.* 5).

Omnes ergo qui in recta fide suspecti sunt, in accusatione sacerdotum et eorum super quorum fide non hæsitatur minime recipiantur, et in testimonio dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum vocem de quorum fide dubitatur, nec eis omnimodo esse credendum qui rectam fidem ignorant. (2, *q.* 7, *c. Quærendum est; et in Carthag.* IV, *c.* 96.) Quærendum est ergo in judicio cujus sit conversationis, ac fidei is qui accusat et is qui accusatur, quoniam hi qui non sunt rectæ fidei ac conversationis, quorum vita est accusabilis, non permittuntur eos accusare, quorum fides, vita et libertas noscitur, neque viles personæ in eorum recipiantur accusationem. (3, *q.* 8, *c. Accusatorum.*) Rimandæ sunt accusatorum enucleatim personæ, quæ sine scripto difficile, per scriptum autem nunquam recipiantur; quia per scripturam nullus accusare, vel accusari potest, sed propria voce, et præsente eo quem accusare voluerit, suam quisque agat accusationem, nec absente eo quem accusare voluerit, quisquam accusator credatur. (3, *q.* 9, *c. Testes.*) Similiter testes per quamcunque scripturam testimonium non dicant, nec de aliis causis vel negotiis testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Accusatores vero consanguinei adversus eos testimonium non dicant, nec eorum familiares, vel de domibus eorum prodeuntes, sed si voluerint et invicem consenserint, inter se parentes tantum testificentur, et non in alios. Nec accusatores vel testes suspecti recipiantur, quia propinquatis et familiaritatis ac dominationis affectio, veritatem impedire solet.

Cap. 290. — *De eadem re. Ex decretis Damasi papæ Stephano, et universis episcopis Africæ missis, cap.* 17 [10] (*ep.* 4, *c.* 3).

(2, *q.* 7, *c. Testes absque ulla.*) Accusatores autem episcoporum, et testes super quibus rogitastis, absque ulla infamia, aut suspicione, vel manifesta macula, et vera fide pleniter instructi esse debent, et tales quales ad sacerdotium eligere jubet divina auctoritas, quoniam sacerdotes ut antiquorum tradit auctoritas, criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eumdem non debent, nec possunt provehi honorem.

Cap. 291. — *Quæ sint infames personæ. Ex epistola Stephani papæ ad Hilarium* (*ep.* 1, *c.* 1).

(6, *q.* 1, *c. Infames.*) Infames autem eas esse decimus personas, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui Christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos et omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulcrorum quoque violatores, et apostolorum atque successorum eorum atque sanctorum Patrum religiosa statuta libenter violantes, et omnes qui adversus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur, similiter et incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates ecclesiæ abstrahunt injuste, et qui fratres calumniantur aut accusant et non probant, vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab ecclesia expulsos, et omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant; hos vero non ad sacros ordines licet promovere, nec servos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamos, nec eos qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem, vel intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur. Hi omnes nec ad sacros gradus debent provehi; nec isti, nec liberti, nec suspecti, neque rectam fidem, vel dignam conversationem non habentes summos possunt accusare sacerdotes.

Cap. 292. — *Quod absque auctoritate Romani pontificis nullus episcopus damnari possit. Ex decretis Felicis papæ episcopis per Galliam missis, cap.* 9 (*Felix* I, *epist.* 2).

Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendet, et eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos primates causa ejus canonice deferatur, qui in congruo loco infra ipsam provinciam

Introdusă în format electronic de Google

empore congruo, id est, aut vernali [autumnali], aut æstivo, concilium regulariter convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ episcopis inibi audiatur, quo et ipse regulariter convocatus, si cum, aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debet, quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est quam audientia rogetur. Quod, si quomodo præsumptum fuerit, statuerunt ut antequam proprius locus et sua omnia ei legibus redintegrentur, nullatenus a quoquam accusetur aut crimineter, et nisi sponte elegerit, cuiquam pro talibus respondeat. Sed postquam, ut præfixum est, restitutus fuerit, et sua omnia ei legibus redintegrata sunt, dispositis ordinatisque suis, magnum spatium tractandi causam ei concedatur, et postea si necesse fuerit, regulariter vocatus veniat ad causam, et si juste visum fuerit, accusantium propositionibus, sustentatione fratrum, respondeat. Nulla enim permittit ratio, dum ad tempus ejus bona, vel ecclesiæ res ab æmulis, aut a quibuscunque detinentur, ut aliquid illi objici debeat, nec quidquam potest ei quolibet modo majorum vel minorum objici, dum ecclesiis vel rebus aut potestatibus caret suis. *Item ex epistola Julii papæ orientalibus episcopis missa* (*ep.* 1, *c.* 4). Si quis ab hodierna die et deinceps episcopum præter hujus sanctæ sedis sententiam damnare aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, et proprio carere perpetim honore, eosque qui absque hujus sanctæ sedis sententia sunt damnati vel ejecti, hujus sanctæ sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, et in propriis restitui sedibus, quoniam et prius a tempore scilicet apostolorum hæc sanctæ huic sedi concessa sunt, et postea in memorata Nicæna synodo, propter pravorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones et insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus roborata, ut magis singuli provideant ne talia audeant perpetrare.

Cap. 293. — *Ut per scripta nullius accusatio suscipiatur eo absente qui accusatur. Ex epistola* 2 *Stephani papæ cunctis episcopis missa, cap.* 4.

(2, *q.* 8, *c. Per scripta.*) Per scripta enim nullius accusatio accusatoris, eo qui accusatur absente, suscipiatur, sed propria voce (si legitima et condigna accusatoris persona fuerit), præsente videlicet eo quem accusare desiderat, quia nullus absens aut accusari potest aut accusare. Nullus tamen præfati ordinis vir aut accusari potest, aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter a suo primate vocatus sit, locumque defendendi aut inquirendi accipiat ad abluenda crimina.

Cap. 294. — *Ut difficiliores causæ ad apicem Romanæ sedis referantur, ut apostolico judicio terminentur. Ex epistola Anacleti papæ omnibus episcopis missa.*

Si quæ vero causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus sedis sanctæ apicem, quasi ad caput referte, ut apostolico terminentur judicio, quia sic A Deum velle, et ab eo ita esse constitutum ante dictis terminis declaratur. Hæc vero apostolica sedes, cardo et caput facta est a Domino, et non ab alio constituta, et sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.

Cap. 295. — *Quod omnes episcopi possint appellare Romanam sedem in necessitatibus. Ex decretis Calixti papæ, Stephano Africæ missis.*

Quam omnes appellare si necesse fuerit, et ejus fulciri auxilio oportet. Nam (ut nostis) synodum sine ejus auctoritate fieri non est canonicum, nec episcopus nisi in canonica [legitima] synodo, et suo tempore apostolica vocatione congregata definite damnari potest, neque ulla unquam concilia rata leB guntur, quæ non fulta fuerint apostolica auctoritate.

Cap. 296. — *De inductis criminatorum episcoporum quales esse debeant. Ex epist. Felicis papæ fratribus per Ægyptum missa, c.* 15 (*Felix, ep.* 2, 1, *c.* 20).

(3, *q.* 3, *c. De induciis.*) De induciis vero episcoporum super quibus consuluistis, diversas a Patribus regulas invenimus constitutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, et suas præparandas responsiones, et testes confirmandos, et consilia episcoporum atque amicorum quærenda, annum et sex menses mandaverunt concedi; quidam autem annum, in quo plurimi concordant; minus vero quam sex menses non reperi, quia et laicis hæc indulta sunt, quanto magis Domini sacerdotibus! Nam et a nostris antecessoribus atque reliquis sanctis Patribus, multoties inhibitum est ne quis Domini sacerdotes detractionibus, non ex radice charitatis prolatis, vexet. Quiescite, inquiunt, et nolite persequi eos qui Deo perfecte ministrant, quorum orationibus et terrena bella sedantur, et recedentium a Deo angelorum pelluntur incursus, quique omnes dæmones corruptores [*al.* qui corrupti sunt] precum assiduitate, confundunt. Induciæ namque non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, ut accusati se præparare, universosque communicatores in provinciis positos convenire, et testes præparare atque contra insidiatores se pleniter armare possint. (*ib. c.* 21.) Judices enim et accusatores tales esse debent, qui omni careant D suspicione, et ex charitatis radice suam desiderent promere sententiam.

Cap. 297. — *Quid agendum sit de episcopo qui causam suam in synodo agere renuerit. Ex concilio Africæ, cap.* 54 (*sub Cœlestino et Bonifacio*).

De Quodvultdeo etiam Centuriensi, quoniam adversarius illius cum se petisset introduci ad concilium nostrum, interrogatus utrum cum eo vellet apud episcopos experiri, primo promiserat et alia die respondit hoc sibi non placere, atque discessit, placuit omnibus episcopis ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec causa ejus qualem potuerit terminum sumat. Nam adimi ei episcopatus antequam causæ ejus exitus appareret, nulli Christiano videri jure potuit.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 298. — *Judicium episcopi qui pro crimine depositus ab officio, postea episcopium more prædonis invadit. Ex registro Gregorii ad Joannem episcopum primæ Justinianæ (lib. x registr., ep. 33).*

(Quando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda sunt, augentur excessibus, ita major est delinquentibus adhibenda correptio, ut et ipsi facinus suum pœna saltem vindicante cognoscant, et alios ab illicitis ecclesiasticæ tuitionis timor inhibeat. (2, *q.* 7, *cap. Lator.*) Dilectissimus itaque lator præsentium Nemesion ad nos veniens, indicavit (sicut et gestorum exemplaria, quæ hæc detulit, continebant) Paulum Declanenæ [Deaclinæ, *alias* Doclevenæ] civitatis episcopum inter alia mala, in corporali crimine [corporale crimen] lapsum, a suis fuisse clericis accusatum : atque habita cognitione, ita (quod sine dolore dicere non possumus) claruisse, atque insuper postquam convictus est, etiam libellum illum in quo ea, de quibus accusatus fuerat, vera esse confessus est obtulisse. Qua de re sententia illum episcopali depositum, et se ejus loco cum fraternitatis vestræ consensu esse episcopum judicavimus ordinatum. Sed nunc eumdem Paulum cum auxilio sæcularium judicum venientem episcopum more prædonis ingressum, ablatisque violenter rebus ecclesiæ ab eo se projectum, et ad summam injuriam, ac necem pene perductum cognovimus. Et quoniam tantæ nequitiæ pravitas, nec dissimulanda, nec leviter arguenda est, fraternitas vestra hæc omnia diligenter curet addicere. Et si ita se (ut docti sumus) veritas habet, prædictum Paulum districta faciat exsecutione [excusatione] compelli, ut quodcunque abstulit omni mora vel excusatione cessante restituat. Si vero nihil ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse, quamvis grave et iniquum fuit, ut non a vobis, vel a metropolitano ejus hoc petierit, sed ausu temerario manu præsumeret agere, verumtamen si quid proprium tulit, sub fraternitatis vestræ debet examinatione constare, si verum est. Sed et illud diligenter quærendum est, si quid male de rebus dilapidavit ecclesiæ, ut ex eo quod nunc abstulit, hoc reformare, ac satisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentaverit, quousque omne quod dilapidavit, vel de substantia tulit ecclesiæ, restituat, in monasterium mittendus est, ut saltem coactus reddat quod male auferre non timuit. Quod si forte (quod non credimus) post depositionem suam inverecunda, ac insana mente [inverecunde ac mente perversa] aliquid de episcopatu loqui, atque rursum ad hoc per quaslibet personas aspirare præsumptive tentaverit [qualibet aspirare præsumptione tentaverit, etc.], fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnimodo vigor accendat, atque Dominici corporis et sanguinis communione privatum in monasterium eum usque ad diem obitus sui, ad agendam pœnitentiam, curet retrudendum, quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emendare, quas magis ad interitum animæ suæ nequiter augere desiderat. Supra scriptus autem dilectissimus frater noster Nemesion in suo loco et episcopatus officio procul dubio reformetur, et ne denuo hac de re inquietudinem ac molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse est, quia hoc non solum ad hujus munitionem, verum ad aliorum constat emendationem proficere, ut pravorum hominum præsumptio nil de cætero contra sacrorum canonum statuta vel ecclesiasticam disciplinam, nullo modo audeat attentare.

CAP. 299. — *Cur sancti apostoli eorumque successores difficilem esse voluerint accusationem episcoporum [sacerdotum]. Ex decretis Fabiani papæ orientalibus fratribus missis, cap.* 19 (*ep.* 2, *c.* 2).

Talia cogitantes sancti apostoli eorumque successores Spiritu Dei repleti, homines malos prævidentes, et simplices considerantes, difficile aut nunquam voluerunt esse accusationem sacerdotum, ne a malis potuissent averti, aut submoveri, quia si hoc facile concederetur, sæcularibus et malis hominibus, aut nullus aut vix perpauci remanerent, quoniam semper fuit, et est, et (quod pejus est) nimis viget, ut mali bonos persequantur, et carnales spiritualibus infestent. Ideirco, ut prædictum est, statuerunt ne accusarentur, aut si aliter fieri non posset, perdifficilis fieret eorum accusatio, et a quibus, ut prædictum est, non præsumeretur, neque a propriis sedibus aut ecclesiis episcopi ejicerentur.

CAP. 300. — *De episcopo expulso, si ausus fuerit ingredi civitatem. Ex epistola Bonifacii papæ ad episcopos Galliæ (l. in decretis, c.* 6).

Si episcopus expulsus ausus fuerit ingredi civitatem qua expulsus est, vel exire de loco in quo degere jussus est, jubemus eum in monasterium in alia provincia constitutum tradi, ut qui in sacerdotio peccavit, degens in monasterio corrigatur.

CAP. 301. — *Ut episcopis, qui se virentibus successores eligere desiderant. Ex concilio Antiocheno, c.* 23 (*sub Julio*).

(8, *q.* 1, *c. Episcopo non licere.*) Episcopo non licere per se successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi constitutum. Servetur autem jus ecclesiasticum, id continens oportere non aliter fieri, nisi cum synodo et judicio episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent cum qui dignus exstiterit, promovere.

CAP. 302. — *Ut episcopo vivente nullus superordinetur. Ex concilio Arvernensi, c.* 13 (*in fragmentis conc. Arver.* II, *sub Vigilio, capitulo* 2).

Ut nullus vivente episcopo alius superponatur, aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in ejus loco, quem capitalis culpa dejecerit.

CAP. 303. — *Quod non liceat episcopo successorem eligere. Ex concilio Spalensi, c.* 9 (*Spal.* I, *in fragmentis, c.* 8).

Episcopo non licet ante finem vitæ alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem usurpare tentaverit, constitutio illa irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio et judicio episcoporum, qui post exitum prædecessoris potestatem habent dignum eligere.

CAP. 304. — *Ut pro ægritudine episcopi nullus alius succedat. Ex Registro Gregorii papæ ad Anatolium*

Introdusă în format electronic de Google

Constantinopolitanum diaconum (*lib.* IX *Regist.*, *epist.* 41).

(7, *q.* 1, *c. Scripsit mihi.*) Scripsit mihi dilectio tua, reverendissimo [piissimum dominum nostrum reverentissimo, etc.] fratri meo Joanni primæ Justinianæ episcopo pro ægritudine capitis quam patitur, episcopum præcipere succedi, ne fortasse dum episcopi jura eadem civitas non habeat, quod absit ! ab hoste depereat. Hæc quidem canones nusquam præcipiunt, ut pro ægritudine episcopi episcopus succedat et omnino injustum est ut, si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus. Sed suggerendum est ut, si quis [is qui est] in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur qui possit ejus curam agere omnem, et locum illius in regimine Ecclesiæ ipso non disposito conservare, ut neque B Deus omnipotens offendatur, neque civitas neglecta esse inveniatur.

CAP. 305. — *Ut episcopo assidua infirmitate capitis laborante, et diu gravato alter subrogetur. Ex registro Gregorii, c.* 239 (*l.* VII, *indict.* 2, *c.* 50).

(7, *q.* 1, *c. Qualiter ordinati.*) Qualiter ordinati a nobis sacerdotibus corporali (quia notum est) impediente molestia, Ariminensis Ecclesia pastorali hactenus ac sacerdotali sit regimine destituta, dudum fraternitas vestra cognovit. Quem dudum habitatorem loci illius permoti præorbus, sæpius hortati sumus, ut si de eadem capitis, qua detinebatur, molestia melioratum se esse sentiret, ad suam, auxiliante Deo, reverteretur Ecclesiam. Qui datis induciis in hoc quadriennio exspectatur. Quem dum vos clerici vel cives illic venientes, nos quoque precibus arguentes [urgentes], instantius hortaremur ut, si valeret, cum eis auxiliante Domino, remearet, datis scriptis nos supplicatione petiit ut, quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadem qua detinetur molestia assurgere nullatenus possit, Ecclesiæ ipsi ordinare deberemus episcopum. Unde quia cunctarum Ecclesiarum injuncta nos sollicitudinis cura constringit, ne diutius gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus, et hujus ex suæ impossibilitatis renuntiatione compulsi, jussum est a nobis eidem Ariminensi Ecclesiæ debere episcopum ordinari, et datis ex more præceptis clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ non destitimus D admonere, quatenus ad eligendum sibi antistitem concordi provisione concurrant. Hortamur ergo ut fraternitas vestra eum quem in uno consensu omnes elegerint (sicut et ipsi a nobis poposcisse noscuntur) ad se faciat evocari. Quem cauta ex omnibus examinatione discutite, et si ea in eo quæ in textu eptatici morte multata sunt, minime [heptateuchi continentur, minime, etc.] fuerint Domino opitulante reperta, atque fidelium personarum relatione, ejus quoque vobis vita placuerit, ad nos eum cum decreta pagina vestra [decreti vestri pagina], addita quoque testificationis epistola, destinate, quatenus ejusdem a nobis Ecclesiæ, disponente Domino consecretur antistes.

CAP. 306. — *De episcopo, qui per infirmitatem in hebetudinem mentis inciderit. Ex concilio Aurasic., c.* 2.

Ut si quis episcopus in infirmitatem aut aliquam hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea quæ episcopis operari conveniunt, presbyterum agere non permittat, sed episcopum qui vicinus est vocet, cui quæ in Ecclesia agenda fuerint, imponat.

CAP. 307. — *Item de episcopo qui propter dolorem capitis sæpe amentiam incurrit, quod alter ei subrogandus et ipse de rebus Ecclesiæ sit procurandus. Ex registro Gregorii ad Eleuterium* [*Etherium*] *episcopum* (*lib.* II *Regist.*, *ep.* 7).

(7, *q.* 1, *c. Quamvis triste.*) Quamvis triste sit nobis valde quod loquimur, atque fraterna nos compassio potius arguat [aggravat], quam aliquid de auditis definire permittat, suscepti tamen sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos Ecclesiis cura prospicere, et ne qua earum possit utilitas deperire, quid fieri debeat, Deo auctore disponere. Pervenit ergo ad nos, quibusdam referentibus, quemdam episcopum ita passionem capitis incurrisse ut quod mente alienata agere soleat, gemitus et fletus audire sit. Ne ergo languente pastore, grex (quod absit!) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant, cauta nos necesse est provisione tractare. Et ideo quia viventem episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus nisi [*deest in origin.* nisi] recusante C eo nulla sinit ratio ordinari. Sed si intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione, non se ulterius ad hoc ministerium intellectum habere, nec ad alia officia subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere, alium suo loco expetat ordinandum. Quo facto omnium solemniter electione alter qui dignus fuerit, episcopus ordinetur, sic tamen ut quousque eumdem episcopum in hoc sæculo vita detinuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. Enimvero si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vinculo restringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, et maturum atque efficacem se in omnibus exhibere; qui etiam episcopo, qui nunc ægrotat, superstes, loco ejus debeat consecrari.

CAP. 308. — *Ut sacerdotes Domini, sicut vulgus facere solet, jurare non præsumant, nec compellantur. Ex decretis Cornelii papæ* (*epist.* 2).

(2, *q.* 4, *c. Sacramentum.*) Sacramentum hactenus ab episcopis et reliquis ordinibus exigi, nisi pro recta fide, minime cognovimus, nec sponte eos jurasse reperimus. Summopere ergo sanctus Jacobus apostolus prohibens sacramentum, loquitur dicens : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non, ut non sub judicium decidatis* (*Jac.* V).

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 309. — *De episcopo sinistro rumore asperso, per sacramentum purgato et absoluto. Ex registro Gregorii papæ ad Justinum imperat.* [*prætorem apud Gratianum, presbyterum habet Gregorius*] (*lib.* II, *indict.* X, *ep.* 23, 2).

(*Q.* 5, *c. Habet hoc.*) Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione sibi resistentes [Deo sibi resistente] decipere non valet, opinionem eorum, falsa ad præsens simulando, dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre et coepiscopo nostro, sinister rumor asperserat, utrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri: et nullam in eo, de his quæ fuerant dicta, culpam invenimus. Sed, ne quid videretur omissum nostro potuisse [quod nostro potuisset] cordi dubium remanere, ad B. Petri sacratissimum corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. Quibus præstistis magna sumus exsultatione gavisi, quod hujuscemodi innocentia [hujusmodi experimento innocentia, etc.] ejus evidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni charitate suscipiat, et reverentiam ei qualem sacerdoti decet, exhibeat, ne ulla remaneat [ne qua in cordibus remaneat] de his quem jam sunt purgata dubietas. Sed ita suprascripto vos episcopo devotissime oportet in omnibus adhærere, ut congrue decenterque Deum in ejus persona (cujus minister est) videamini honorare.

CAP. 310. — *Correptio episcopi qui concubinam habuerit. Ex registro Gregorii ad Andream episcopum Tarentinum* (*lib.* II, *Regist.*, *indict.* II *epist.* 44).

Tribunal æterni judicis securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, digna eum modo pœnitentia placare contendit. (*Dist.* 33, *c. Habuisse.*) Habuisse te siquidem concubinam manifesta veritate comperimus, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium, hoc tuæ conscientiæ eligimus committendum. Qua de re, si in sacro ordine constitutus, ejus te permistione recolis esse maculatum, sacerdotii honore deposito ad administrandum nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, et Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si hujusmodi sceleris conscius, in eo quo es ordine celans veritatem, permanere volueris. Unde iterum adhortamur, ut si te deceptum hostis antiqui calliditate cognoscis, competenti eum dum licet pœnitentia superare festines, ne cum eo particeps (quod non optamus) in die judicii deputeris. Si vero hujus reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est quo es, ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de matriculis contra ordinem sacerdotii cædi crudeliter fustibus deputasti, quam licet post octo menses exinde minime arbitremur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione missarum statuimus abstinere, in quibus ab officio te suspensum fiere convenit, quod fecisti. Nam valde dignum est ut, postquam A te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non provocant, saltem correctionis medicina compellat.

CAP. 311. — *De episcopo per sacramenta purgato et absoluto. Ex registro Gregorii ad Brunichildam reginam Francorum* (*lib.* II *Regist.*, *ep.* 8).

(2, *q.* 5, *c. Mennam.*) Mennam vero reverendissimum fratrem coepiscopumque nostrum, postquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo invenimus eum esse culpabilem, qui insuper ad sacratissimum corpus beati Petri apostoli sub jurejurando satisfaciens, ab his quæ objecta ejus opinioni fuerant se monstravit alienum; reverti illum purgatum absolutumque permisimus, quia sicut dignum erat, ut si in aliquo reus existeret, culpam in eo ca- B nonice puniremus, ita dignum non fuit, ut eum adjuvante innocentia, diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus.

CAP. 312. — *Qualiter senex episcopus corripiendus sit, et mali consiliarii ejus excommunicandi. Ex eodem registro ad Januarium episcopum Caralitanum* (*lib.* VII *Regist.*, *indict.* II, *epist.* 1).

Prædicator omnipotentis Dei Paulus apostolus dicit: *Seniorem ne increpaveris* (*I Tim.* V). Sed hæc ejus regula tunc in eo servanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: *Laqueus juvenum omnes vos* (*Isai.* XLII). Et rursum propheta dicit: C *Peccator centum annorum maledictus est* (*Isai.* LXV). Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute pervenit, ut eam nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa jam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est, quod Dominico die priusquam missarum solemnia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti, et post exarationem ejus missarum solemnia celebrasti; post missarum solemnia etiam terminos possessionis illius eradicare minime timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes qui audiunt sciunt. Dubii autem de tanta hac perversitate fueramus, sed filius noster Cyriacus abbas a nobis requisitus, dum esset choralis, id est regionarius, ita se cognovisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur aliquando, *resipisce senex* (ἀπὸ τῆς Χωρᾶς), atque a tanta levitate morum D et operum perversitate compescere. Quanto enim morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ sententia in te fuerat jaculanda, sed quia simplicitatem tuam cum senectute novimus, interim tacemus. Eos vero quorum consiliis hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus, ita ut si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe. Te quoque sollicite custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ ulterius, nec senectuti parcamus.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 313. — *De purgationis Leonis papæ* III.

(2, *q.* 4, *c. Auditum est.*) Auditum est, fratres charissimi, et divulgatum per multa loca qualiter homines mali adversus me insurrexerunt, et debilitare voluerunt, et posuerunt super me gravia crimina, propter quam causam iste clementissimus ac serenissimus dominus rex Carolus una cum sacerdotibus et optimatibus suis istam pervenit ad urbem. Quam ob rem ego [Leo] pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ a nemine judicatus, neque coactus, sed spontanea mea voluntate purifico me in conspectu vestro coram Deo, et angelis ejus, qui conscientiam meam novit, et beato Petro principe apostolorum, in cujus conspectu consistimus, quia istas criminosas et sceleratas res, quas illi mihi objiciunt, neque perpetravi, neque perpetrare jussi. Testis est mihi Deus in cujus judicium venturi sumus, et in cujus conspectu consistimus. Et hoc propter suspiciones malas tollendas mea spontanea voluntate facio, non quasi in canonibus inventum sit, aut quasi ego hanc consuetudinem, aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis, nec non et fratribus et coepiscopis nostris imponam, sed ut melius a vobis abscidatis rebelles cogitationes.

Cap. 314. — *Quod seipsum damnat quisquis ecclesiastico ordine excommunicatus fuerit, et communicare præsumpserit. Ex Africano concilio, c.* 29.

(11, *q.* 3, *c. Placuit universo.*) Item placuit universo concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus quilibet, sive clericus, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

Cap. 315. — *De ordinatis si aliquis illorum percussor exstiterit. Ex Toletano concilio, cap.* 6.

(23, *q.* 8, *c. His a quibus.*) His a quibus Domini sacramenta tractantur, judicium sanguinis agitare non licet, et ideo magnopere talis excessus prohibendus est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitari, aut quod morte plectendum est sententia propria judicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid perpetraverit, et concessi ordinis honore privetur et loco, et sub perpetuæ damnationis religetur ergastulo: cui tamen communio exeunti de hac vita, non est neganda propter Domini misericordiam.

Cap. 316. — *Ne episcopus sua manu aliquem cædat. Ex decretis Bonifacii papæ (id legitur post conc. Agath. ex Gratia).*

(*Dist.* 86, *c. Non liceat.*) Non liceat episcopo manibus suis aliquem cædere, hoc enim alienum a sacerdote esse debet.

Cap. 317. — *De episcopo qui seipsum et sibi commissos corrigere neglexerit. Gregorius (Augustin.).*

(2, *q.* 7, *c. Qui nec.*) Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec A crimen filiorum correxit, canis impudicus magis dicendus est quam episcopus.

Cap. 318. — *Quod bonus pastor subditos lavat a crimine. Hieronymus.*

Ut lixivia per cinerem humidum fluens lavat, et non lavatur; ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lavat sorde peccatorum.

Cap. 319. — *Quod malum pastorem oves fugiunt. Ex dictis Augustini.*

Sicut fugiunt oves vocem pastoris, quem non cognoscunt, et deserta petunt, ita malos pastores ovilia.

Cap. 320. — *De eo qui nobilitatem Dei a se ejicit. Gregorius (hom.* 9 *in Ezech., lib.* 1).

(*Dist.* 40, *c. Adam.*) Adam primus homo pro peccato de paradiso ejectus est, hoc est, qui nobilitatem Dei a se projecit nobilitate loci privetur

Cap. 321. — *Quod non sint omnes filii sanctorum qui tenent loca sanctorum. Ex dictis Hieronymi (epistola ad Heliodorum).*

(*Dist.* 40, *c. Non est facile.*) Non facile est stare in loco Petri et Pauli, et tenere cathedram regentium cum Christo, quia hinc dicitur, non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Cap. 322. — *Quod nullus ex genere, vel ex loco gloriari debet. Gregorius.*

(*Dist.* 40, *c. Nos qui.*) Nos qui præsumus, non ex locorum nec generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate.

Cap. 323. — *De sacerdotibus qui ovibus suis mala præbent exempla. Augustinus.*

(*Dist.* 83, *c. Nemo quippe.*) Nemo quippe amplius in ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis et sacerdotii habet. Delinquentem hunc namque redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reverentia ordinis peccator honoratur.

Cap. 324. — *Ut tantum curam ecclesiasticarum rerum episcopi habeant. Ex canonibus apostolorum, cap.* 39.

Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam gerat episcopus, et ea, velut Deo contemplante, dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione ecclesiæ negotia deprædentur.

Cap. 325. — *Ne usu pallii metropolitanus præsumptive utatur. Ex decretis Honorii papæ, cap.* 3.

Quicunque metropolitanorum per plateas, vel in litaniis uti pallio præsumpserit, et non tantum in præcipuis festivitatibus et ab apostolica sede indictis temporibus ad missarum solummodo solemnia careat illo honore, et ut beatus papa Gregorius ad Joannem Panormi episcopum ait, quia grave jugum atque vinculum cervicis, non pro ecclesiastica, sed pro quadam sæculari dignitate defendat, permissa qua abutitur careat dignitate, quia

Introdusă în format electronic de Google

jure privilegium meretur amittere, qui audacter usurpat illicita.

Cap. 326. — *Quod episcopus de rebus ecclesiæ suæ nisi prius commutet, testamentare non possit. Ex concilio Agathensi, cap.* 6 (*cap.* 51).

(12, *q.* 5, *c. Si episcopus condito.*) Si quis episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantum de juris proprii facultatibus suppleverit.

Cap. 327. — *Ne episcopus res ecclesiæ parentibus suis indiscrete tribuat. Ex Spalensi concilio, cap.* 10.

Ut episcopi in rebus ecclesiæ circa propinquos suos exponendam reprehensionem caveant, et ut discretionis modum teneant.

Cap. 328. — *De eadem re. Ex eodem concilio,* [*cap.* 5.

Quoniam multi episcoporum amore propinquorum suorum, de rebus sibi commendatis, suo aut quolibet amicorum nomine, prædia et mancipia emunt, et ut propinquorum suorum jus cedant statuunt, et ob hoc jura ecclesiastica convelluntur, et ministerium sacerdotale fuscatur, imo a subditis detrahitur et contemnitur, placuit omnibus ut deinceps hoc genus avaritiæ caveatur, fixumque abhinc et perpetuo mansurum esse decrevimus, ut episcopus res sui juris, quas ante episcopatum aut certe in episcopatu hæreditaria successione acquisivit, secundum canonicam auctoritatem quidquid vult faciat, et cui vult conferat : postquam autem episcopus factus est, quascunque res de facultatibus ecclesiæ, aut suo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum, sed in ecclesiæ cui præest jura deveniant.

Cap. 329. — *Ne episcopus de rebus viduatæ Ecclesiæ quidquam alienare præsumat. Ex decretis Martini papæ, cap.* 20.

(10, *q.* 3, *c. Si quis episcop.*) Si quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut ubi forte non est presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ restaurare cogatur, et in judicio episcoporum dejiciatur, et tanquam furti et latrocinii reus suo privetur honore.

Cap. 330. — *De sacerdotibus qui ad exsequias episcopi venire contemnunt. Ex concilio Toletano* VIII, *cap.* 2 (*Tolet.* VII, *cap.* 3).

Ea quæ competunt honestati, contigit sæpe quorumdam desidia non impleri. Proinde quia notum est quæ dignitas in exsequiis morientis episcopi ex canonibus conservetur, traditione moris antiqui hoc tantum adjicimus, ut si quis sacerdotum secundum statuta Valentini concilii (*cap.* 4) ad humanda defuncti episcopi membra venire commonitus, pigra voluntate distulerit, appellantibus clericis obeuntis episcopi apud synodum, sive metropolitanum episcopum, tempore anni unius nec faciendi missam nec communicandi habeat omnimodo licentiam. Presbyteri autem sive cæteri clerici, quibus major honoris locus apud eamdem ecclesiam fuerit, cujus sacerdos obierit, si omni sollicitudine pro exsequiis jam mortui, aut continuo antistitis morituri, ad commovendum vicinum episcopum tardi inveniantur, aut per quamcunque molestiam animi id negligere videantur [comprobentur], totius anni spatio ad pœnitentiam monasteriis deputentur.

Cap. 331. — *Ut quod episcopo pro redemptione animarum datur, ecclesiæ relinquatur. Ex concilio Agathensi, cap.* 6.

(12, *q.* 3, *c. Pontifices.*) Pontificibus vero, quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat donatur aliquid, vel cum ecclesia [extraneis aliquid, aut cum ecclesia, etc.], aut sequestratim dimittitur aut donatur, quia hoc ille qui donat pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre, non quasi suum, sed quasi dimissum in facultates ecclesiæ computetur; quia justum est, ut sicut sacerdos habet, quod ecclesiæ dimissum est, ita et ecclesia habeat quod relinquitur a sacerdote.

Cap. 332. — *Ut nullus episcopus sine concilio aliorum episcoporum et principis, in hostem ire debeat. Capitulum Caroli imperatoris.*

Carolus Dei gratia rex Francorum, et devotus sanctæ Ecclesiæ defensor atque adjutor in omnibus apostolicæ sedis. Hortatu omnium fidelium nostrorum, maxime episcoporum ac reliquorum sacerdotum consulto, servis Dei omnibus per omnia armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum, et in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodo qui propter divinum ministerium, missarum solemnia scilicet adimplenda, et sanctorum patrocinia portanda allecti sunt, id est unum vel duos episcopos cum capellanis presbyteris, et unusquisque princeps unum presbyterum secum habeat, qui peccata confitentibus, indicere possit pœnitentiam.

Cap. 333. — *De eodem. Item ejusdem.*

Secunda vice propter ampliorem observantiam apostolica auctoritate et multorum episcoporum admonitione instructi, sanctorum quoque canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nostrum nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres episcopi tantum, electione cunctorum propter benedictionem, prædicationem populique reconciliationem, et cum illis electi sacerdotes, qui bene populis pœnitentiam dare, missas celebrare, et infirmorum curam gerere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere sciant : et hoc maxime providere, ne sine viatico quis de sæculo recedat.

Cap. 334. — *Item de eadem re. Nicolaus ad Carolum imperatorem.*

(23, *q.* 8, *c. Reprehensibile.*) Reprehensibile valde esse constat, quod subintulisti, dicendo majorem partem omnium episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, ob idque episcopi impediantur venire; cum

Introdusă în format electronic de Google

militibus [militum] Christi sit Christo servire : militibus vero sæculi sæculo [milites vero sæculi serviant sæculo], sicut scriptum est : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus (II Tim. II).* Quod si sæculi milites militiæ student, quid ad episcopos, et milites Christi, nisi ut vacent orationibus ?

CAP. 335. — *De accusatis episcopis, qualiter ad concilium vocari debeant. Ex dec. Fel. P., cap.* 3.

(5, *q.* 2, *c. Si primates.*) Si primates accusatores episcoporum cum eis pacificari familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad synodum canonice convocatam, non infra angusta tempora, canonice convocent, priusquam eis per scripta significent quod eis opponitur, ut ad responsionem præparati adveniant. Nam si aut vi, aut timore ejecti, aut suis rebus exspoliati fuerint, nec canonice ad synodum vocari possunt, nec respondere æmulis debent, antequam canonice restituantur, et sua omnia eis legaliter reddantur.

CAP. 336. — *Quod papa vivente, nulli alium eo inconsulto eligere liceat. Ex decretis Symmachi papæ, c.* 3 (*ex syn. Symm. pap.*).

Si quis presbyter, aut diaconus, aut clericus, papa incolumi et eo inconsulto, subscriptionem pro Romano pontificatu commendare, aut pitacia promittere, aut sacramentum præbere tentaverit, aut aliquod suffragium polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate et communione privetur.

CAP. 337. — *De sessione episcopi. Ex concilio Carthaginensi (Carth. IV, cap.* 35).

(*Dist.* 59, *c. Episcopus in ecclesia.*) In ecclesia in consessu presbyterorum episcopus sublimior sedeat.

CAP. 338. — *De ordinatione episcopi. Ex dictis Theodoti archiepiscopi.*

In ordinatione episcopi, ipse qui ordinat missam celebrare debet, et qui ordinatur similiter.

CAP. 339. — *Quæ sacerdotes Domini declinare debeant. Ex conc. Turonensi, cap.* 7.

Quæcunque ad aurium et ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, ut de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus, omnes sacerdotes Domini se abstinere debent ; quia per aurium oculorumque illecebras vitiorum turba ad animum ingredi solet : histrionum quoque turpium et obscenorum insolentias jocorum, ipsi animo effugere cæterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.

CAP. 340. — *Ne episcopi propter suam quietem a civitatibus suis diu absint. Ex concilio apud sanctum Medardum, præsente Carolo imp., cap.* 5.

Providendum est ne episcopi propter suam quietem ad remotiora loca secedentes et suum ministerium negligentes, proprias deserant civitates, sed aut parœchias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum filiis degant. Presbyteros etiam sibi commissos doctrina, castitate et sobrietate, atque hospitalitate secundum suum ministerium ordinari compellant.

CAP. 341. — *De episcopis, qui non visitatis parœchiis pretium servitutis requirunt. Ex conc. apud Tiburias habito, præsente Arnulfo rege, cap.* 26.

(10, *q.* 1, *c. Relata est.*) Relata est coram sancta synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam episcopi, nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum parœchias circuire, qui tamen exigant ut mansiones quibus in profectione uti debuerant, alio pretio redimant qui parare debent : quæ duplex infamia et negligentia, et avaritia sanctæ synodo horrori fuit magno, et statuerunt ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, et ut sollicitiores sint episcopi de suis gregibus visitandis.

CAP. 342. — *De purgatione episcoporum. Ex concilio apud Altheim, præsente Conrardo rege, cap.* 16.

Statuimus propter Dei dilectionem, et proximi, et fidelium honorem catholicorum, et præcipue ob multitudinum scandala eruenda et funditus exstirpanda, et perturbationes quæ noviter exortæ sunt et oriuntur, nec non ut omnes sciant, nos episcopos tales Dei misericordia nequaquam fuisse quales dicimur, exemplum S. Leonis papæ, qui super quatuor Evangelia jurans coram populo se purgavit, sequi et imitari, salva tamen auctoritate canonica.

CAP. 343. — *De eo qui ex monacho factus fuerit episcopus. Ex eodem comm., c.* 36.

(18, *q.* 1, *c. Statutum est.*) Statutum et rationabiliter secundum sanctos Patres a synodo est confirmatum, ut monachus, quem canonica electio a jugo regulari [regulæ] monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat. Sed quidquid acquisierat, vel habere jussus fuerat monasterio relinquat, et abbatis sui qui fuerat, secundum regulam Sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare ad quod sanctificatur et titulatur secundum sanctos canones, quod acquirere poterit, restituat.

CAP. 344. — *De illo qui de aliqua hæresi infamatur, quod in sacro conventu formulam istius libelli recitare debeat. Ex epistola Cyrilli ad Joannem Antiochenum.*

Ego nomine N. hac scriptura quam manu mea perscripsi, profiteor, sequens sanctum judicium Patrum Nicænæ synodi trecentorum decem et octo, vel Chalcedonensis synodi universale concilium, cujus definitionem sedes apostolica confirmavit, quod etiam beatissimi papæ Leonis epistola ad sanctæ memoriæ Flavianum Constantinopolitanæ urbis episcopum data, prædicatione lucidissimæ veritatis exposuit : confiteor unum eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum, unigenitum Dei Patris, perfectum, eumdem in divinitate [deitate], eumdem in humanitate, Deum verum et hominem verum, ipsum eumdemque ex anima rationali et

Introdusă în format electronic de Google

carne, consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanam rationem, in omnibus similem nobis absque peccato : ante sæcula quidem de Patre genitum secundum divinitatem, in novissimis vero diebus eumdem propter nos, et propter nostram salutem de Virgine Maria natum, quæ eumdem Deum peperit secundum humanitatem unum eumdemque Christum, Filium Dei Dominum unigenitum in duabus naturis, inconfuse, inconvertibiliter, individue et inseparabiliter cognitum, nequaquam naturarum differentia sublata propter unitionem, sed potius salva manente proprietate utriusque naturæ, in unam non in duas concurrisse personas, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum verum Dominum Jesum Christum, sicut olim prophetæ de eo, vel ipse nos Christus per semetipsum Dominus erudivit. Qui autem ita non sentiunt, cum Nestorio et Eutiche, vel eorum sectatoribus æterno anathemate dignos esse pronuntio.

Cap. 345. — *Quales debeant ad sacerdotii officium venire. Ex decretis Damasi papæ, cap.* 8.

Didicimus etiam licenter et libere inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad præfatas dignitates, prout cuique libuerit, aspirare : quod non tantum illis qui ad hæc immoderata ambitione perveniunt, quantum metropolitanis specialiter pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus non obsistunt, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt. Et ut taceamus quod altius suspicamur, ubi illud est quod Deus noster data per Moysen lege constituit, dicens : *Sacerdotes mei semel nubant* (*Levit.* XXI). Et alio loco : *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem* (*I Tim.* III). Quod secutus Apostolus ex persecutore prædicator, unius uxoris virum, tam sacerdotem quam diaconum fieri debere mandavit.

Cap. 346. — *Ut metropolitani sua jura servent. Leo Anast. Thessalonic. episc., cap.* 2 (*epist.* 84).

(25, *q.* 2, *c. Igitur secundum.*) Igitur secundum sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus ; ita ut a regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.

Cap. 347. — *Ut nullus invitus ordinetur episcopus. Ibidem, cap.* 5.

(*Dist.* 63, *c. Si forte.*) Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille modis omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularint, ita ut si in aliam fortasse personam partium se vota diviserint, metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus et studiis juvatur et meritis tantum ut nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne plebs invita episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere, quem voluit.

Cap. 348. — *Ut personam consecrandi episcopi primas quoque sua auctoritate confirmet. Ibidem, cap.* 6.

(*Dist.* 65, *c. De persona.*) De persona igitur consecrandi episcopi, et de cleri plebisque consensu, metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provincia bene placuit scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas, quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus Domini sui diu desit cura pastorum. Metropolitano vero defuncto, cum in loco ejus alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex presbyteris ejusdem ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur. De cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cum quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut enim justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi.

Cap. 349. — *Quod primates et metropolitani, a Romana Ecclesia sint vocati in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Greg.*

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Galliam, Europam, Germaniam et per universas provincias constitutis, Gregorius servus servorum Dei. (2, *q.* 6, *c. Decreto.*) Decreto nostro mandamus, ut si aliquis (quod non optamus) suorum æmulorum Ædricum Cenomanicæ Ecclesiæ episcopum accusare damnabiliter attentaverit, liceat illi post auditionem primatum diœceseos (si necesse fuerit) nos appellare, et nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante legatos nostros e latere missos juxta Patrum decreta suas exsequi [exercere] atque finire actiones, nullusque illum ante hæc judicet aut damnare præsumat. (*Supra, c.* 11.) Sed si quid, quod absit ! grave intolerandumque ei objectum fuerit, nostra erit exspectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, ejusque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejus Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate, quæ vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra quorum devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris, et det operam ut non cujusquam præsumptione circa memoratum fratrem nostrum, vestra provisione vel successorum vestrorum, si ipse superstes fuerit, aliter quam hic insertum est, fiat ullo modo. Nam nulli fas est vel velle, vel posse transgredi apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire mandatis [decretis], nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto fiat ministerio. Non de ejus judicio quisquam postea

Introdusă în format electronic de Google

curam habeat ; quoniam jam damnatus a sancta et apostolica Ecclesia, ac auctoritate, sua de inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur ; quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum prælatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne præterirent insinuare. Sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare apostolicis.

Cap. 350. — *Quod pro quiete contemplationis non est fugiendus locus regiminis. Idem ad Syriacum episcopum Constantinopolitanum (lib. VI regist., c. 169, ep. 5).*

(8, *q.* 1, *c. In scriptis.*) In scriptis autem vestris requiem vos magnopere quæsisse narratis. Sed per hoc ad pastoralem sollicitudinem venisse congrue ostenditis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus, et sicut scriptum est : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* v). Et rursum idem egregius prædicator dicit : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei* [al. *Deo*], *qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* (*II Cor.* v). Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Simon Joannis, amas me ? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Ex quibus verbis colligitur, quia si is qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit Pastorem summum se minime amare. Si enim Unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium, de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum ; nos quid dicturi sumus, si secretum præponimus utilitati proximorum ? Quies itaque nobis et ex corde appetenda est, et tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam, sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita, si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est animo subire.

Cap. 351. — *Ut episcopus pro propria injuria non excommunicet. Gregorius Januario episcopo Calaritano (lib. II regist., cap. 34).*

23, *q.* 4. *Inter querelas.*) Isidorus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quamobrem factum fuerit, dum a clerico tuo qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi quod te injuriaverat, factum cognovimus. Quæ res nos vehementer afflixit ; quia si ita est, nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam mentem te habere [te habere conversationem] significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis invexisti. Unde de cætero esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas.

Cap. 352. — *Episcopo infirmante, nisi de hac vita migraverit, alter non substituatur, ne commissi talenti pulchritudo deleatur. Nicolaus Alvino Jovanensi* [*Januensi*] *episcopo.*

(7, *q.* 1, *c. Pontifices qui.*) Pontifices, qui aliqua occupantur infirmitate vel ægritudine, abjiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sunt sacerdotes expleant. In his vero quæ eis præsumere non licet, vicinorum usque ad recuperandam sanitatem episcoporum, auxilia subrogentur ; et hoc cum cautelæ studio peragatur, ne per necessitatis occasionem præsumptionis pullulet ambitio. Episcopi vero qui Dominici gregis susceperunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamine eorum salubriter augeatur et triplicetur.

Cap. 353. — *Quod episcopus vel clericus nullo modo venationi debeat insistere. Idem ad eumdem.*

(*Dist.* 34, *c. Quorumdam relatione.*) Quorumdam relatione fidelium auribus nostris intimatum est quod Lanfredus episcopus, qui et juvenis esse dicitur, venationi sit deditus. Quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo genere duntaxat Germanos et Gallos irreverentes [reverentes] implicat. Verum iste si ita est, ut audivimus, merito juvenis dicitur, qui juvenilibus desideriis occupatus, nulla senum gravitate constringitur. *Item.* O miseram vitam hominum, et maxime sacerdotum ! qui, dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, et quos capere oportet homines, capiunt aves et bestias ; qui, dum moribus student animantium, vitam suarum amittunt animarum. O infelicem vitam super omnem vitam ! Nam, in quo magis quisque carnalis apparet, quam in tali vita ? Venatorum enim vita nil præter carnes capit, in qua dum quisque permansit nunquam probatus est. Nam, ut beatus dixit Hieronymus, venatorem nunquam legimus sanctum. Væ hujusmodi præsulibus, qui, dum debent Petrum, Andream, Jacobum et Joannem, quibus a Domino dictum est : *Venite post me, faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV ; *Marc.* I), ad imitationem suam eligere, quorum et discipuli sunt, magis Nemrod et Ismaelem, atque Esau reprobos imitantur, qui hujusmodi adinventionibus incubuisse referuntur (*Gen.* X, XXI, XXV). Nihilominus autem de hoc episcopo relatum est apostolatui nostro quod cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem, et ob id mala fama ei orta sit. Pro qua re a sanctitate sua cæterisque coepiscopis suis commonitus ac correptus est, sed nullatenus emendatus. Quæ res in hoc maxime displicet, et magis ac magis de se deteriorem reddit opinionem. In quo beatitudini tuæ et coepiscoporum suorum rationibus non obedit, et per inobedientiam in culpam protoplasti relabitur. Oportet ergo fraternitatem tuam, synodale cum episcopis et suffraganeis tuis convocare concilium, et hunc salutaribus eloquiis episcopum convenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere quatenus et ab omnium bestiarum et volucrum venatione penitus alienus existat, atque immoderata filiæ suæ familiaritate semetipsum omnimodo coerceat. Quod si parere con-

Introdusă în format electronic de Google

tempserit, et tam pro venationis declinatione quam pro immoderata filiæ suæ vitanda conversatione, vobis admonentibus obedire distulerit, a vestro collegio excommunicatus abscedat. Quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, a ministerio cessare debebit.

Cap. 354. — *Quod omnis metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ pro pallio debet Romam mittere, vel ire. Joannes VIII, ex concilio* III, *apud Ravennam.*

Quisquis metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ab apostolica sede, nulla inevitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat dignitate, ita ut tandiu episcopali illi sedi cedat, omnique consecrandi licentia careat, quandiu in exponenda fide, et in expetendo pallio priscum morem contempserit.

Cap. 355. — *Qualiter honorandi sunt veri sacerdotes, cum Dominus falsos honoraverit. Cyprianus Rogatiano (lib.* III, *cap.* 9).

(*Dist.* 93, *c. Dominus noster.*) Dominus noster Jesus Christus rex, et judex, et sacerdos servavit honorem malis sacerdotibus usque ad suam passionem, in qua sacerdotem appellavit, quem sciebat esse sacrilegum, et cum alapam accepisset, et ei diceretur (*Joan.* XVIII) : *Sic respondes pontifici?* nihil contumeliose locutus est in personam pontificis, sed magis innocentiam suam tuitus est, dicens : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo* (*ibid.*), ut nos ejus humilitatis haberemus exemplum, et docuit sacerdotes veros legitime et plene honorari, dum circa falsos sacerdotes ipse talis exstitit.

Cap. 356. — *Quod singulæ Ecclesiæ singulos debent habere prælatos. Hieronymus Rustico monacho.*

(7, *q.* 1, *c. In apibus.*) In apibus princeps unus est; grues unum sequuntur ordine litterato. Imperator unus, judex unus provinciæ. Roma, ut condita est, duos fratres simul reges habere non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Esau et Jacob bella gesserunt (*Gen.* XXV). Singuli Ecclesiarum episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.

Cap. 357. — *Ut in Treverensi urbe et Coloniensi nullus inconsulto Romano pontifice eligatur. Nicolaus Lothario regi.*

Porro quia relatum est nobis quod quicunque ad episcopatum in regno tuo promovendus est, non nisi faventem tibi permittas eligi, idcirco apostolica auctoritate sub divini judicii obtestatione injungimus tibi, ut in Treverensi urbe, et in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro fiat apostolatui.

Cap. 358. — *De professione fidei. Pelagius Childeberto regi.*

(25, *q.* 1, *c. Satagendum.*) Satagendum est ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse Scripturæ sanctæ præcipiunt. Veniens autem Ruffinus vir magnificus excellentiæ vestræ legatus, confidenter a nobis (ut decuit) postulavit, quatenus vobis aut beatæ recordationis papæ Leonis domum a nobis per omnia conservari significare debuissemus, aut propriis verbis nostræ confessionem fidei destinare; et primam quidem petitionis ejus partem quia facilior fuit, mox ut dixit, implevimus, neque in omnibus præsulis tomum pro catholicæ fidei assertione conscriptum Deo propitio custodire, manus nostræ ad vos professione signavimus. Ut autem nullius deinceps (quod absit!) suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem quam memoratus vir illustris Ruffinus admonuit facere [*al.* facere maturavi], scilicet propriis verbis confessionem fidei quam tenemus, exponens [exposui].

Cap. 359. — *Quod post primum per electionem consecratum episcopum, secundus esse non possit. Cyprianus in epistola sua ad Romanos* (*l.* IV, *epist.* 2, *ad Antonianum*).

(7, *q.* 1, *c. Factus est.*) Factus est Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum consensu, cum nemo episcopus inibi factus esset, cum gradus cathedræ vacaret. Quo occupato et omnium vestrum consensu firmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, omnimodis necesse est ut ecclesiasticam non habeat ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet per consensum, unitatem. Post primum secundus esse non potest. Quisquis enim post unum, qui per electionem consecratus est, esse voluerit, tam non secundus ille, sed nullus est.

Cap. 360. — *Quod Ecclesiæ contradicit qui episcopo contradicit. Cyprianus ad Papianum* (*l.* IV, *epist.* 9, *ad Florentium Papianum*).

(7, *q.* 1, *c. Scire debes.*) Scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica una est, scissa non sit, neque divisa.

Cap. 361. — *De unitate Ecclesiæ. Cyprianus.*

Petri unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?

Cap. 362. — *Quid agendum sit de episcopo, vel quocunque clerico, qui post depositionem communicare præsumpserit. Ex concilio Antiocheno, cap.* 4.

(11, *q.* 4, *c. Si quis episcopus.*) Si quis episcopus a synodo fuerit depositus, vel presbyter, vel diaconus a proprio episcopo condemnatus, et præsumpserit sacerdotii seu sacri ministerii quidpiam, non ei amplius liceat, neque in alia synodo spem restitutionis habere, neque assertionis alicujus locum,

Introdusă în format electronic de Google

sed et communicantes ei abjici omnes ab ecclesia, et maxime si postquam cognoverunt sententiam adversus eum fuisse prolatam, ei contumaciter communicaverint.

CAP. 363. — *Ne episcopus in aliquem, etiam sibi confessum, dicat quod probare non possit. Ex concilio Carthaginensi* VI, *cap.* 5

Item placuit, ut si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum atque ille neget, non putet ad injuriam suam episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quandiu excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.

CAP. 364. — *De eodem. Ex concilio Vasensi* I, *cap.* 8.

6, *q.* 2, *c. Si tantum episcopus.*) Quod si tantum episcopus alieni sceleris se conscium novit, quandiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret. Qui, si correptus, pertinacior fuerit, et se communioni publicæ ingesserit, etiam si episcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probatione deficiat, indemnatus, licet ab his qui nihil sciunt, secedere ad tempus pro persona majoris auctoritatis, jubeatur, illo, quandiu probari nihil potest in commune omnium præterquam ejus qui eum reum judicat, permanente.

CAP. 365. — *Qua ætate diaconi consecrandi sint. Ex eodem concilio, cap.* 16 (*conc. Agat.*).

(*C.* 16, *Dist.* 77, *c. Episcopus.*) Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quam viginti et quinque annorum penitus non committat. Sane si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postea quam pariter conversi fuerint ordinentur.

CAP. 366. — *Ut episcopi, presbyteri et levitæ canes ad venandum et accipitres non habeant, ex concilio Agathensi, cap.* 55.

(*Dist.* 34, *c. Episcopum.*) Episcopis, presbyteris, diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac voluntate [voluptate] repertus [detectus *al.*, detentus] fuerit : si episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat; presbyter, duobus mensibus se abstineat ; diaconus vero ab omni officio et communione cessabit.

CAP. 367. — *Quid agendum sit de episcopo vel cujuscunque ordinis clerico a gradibus suis injuste dejecto. Ex Toletano concilio* (IV), *cap.* 28 (25).

(11, *q.* 3, *c. Episcopus, presbyter.*) Episcopus, presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus in sancta [secunda] synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, annulum et baculum ; si presbyter, orarium et planetam [*al.* platenam]; si diaconus, orarium et albam, si subdiaconus, patenam et calicem; sic et reliqui gradus, eam reparationem sui accipiant, quam, cum ordinarentur, perceperant.

CAP. 368. — *Quod rectores Ecclesiarum magis sint exspectandi et corrigendi quam statim judicandi. Gregorius universis episcopis per Galliam, Europam, Germaniam constitutis* (1).

(*Dist.* 45, *c. Licet plerumque.*) Licet plerumque accidant sacerdotibus quæ sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus exhortatio quam commotio, plus charitas quam potestas, cum nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato vivat. Nam si Dominus statim post trinam negationem (*Matth.* XXVI), beatum Petrum præceptorem nostrum apostolum judicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset. Exspectandi ergo magis sunt atque corrigendi rectores Ecclesiæ quam statim absque nostro consulto judicandi, cum majora negotia et difficiliores causarum exitus sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditi, et totius mundi reverentia consecrati, jubeant sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere nostroque moderamine finiri. Unde necesse est hæc et alia quæque negotia ecclesiastica post multarum experimenta causarum, sollicitius perspici, et diligentius præcaveri, quatenus per spiritum charitatis et pacis omnis materies scandalorum, et præsumptio invidorum, atque oppressio simplicium fratrum de ecclesiis Domini auferantur. Et sicut non vult quisquam fratrum se aliorum judicio prægravari, ita non audeat alii inferre quod sibi non vult fieri.

CAP. 369. — *Ut nullus episcopus cogatur ad sæculare judicium venire, et de pœna ejus qui episcopum ad judicium sæculare venire coegerit. De libro constitutionum, cap.* 6.

Nullus episcoporum cogatur ad judicium venire dicendi causa, sed judex apud episcopum mittat suos ministros, ut propositis sanctis Evangeliis quod scit episcopus dicat secundum quod sacerdotibus honestum est. *Ex eodem cap.* 7. (11, *q.* 1, *c. Nullus episcopus, sed sub titulo Marcelli papæ.*) Nullus episcopus neque pro civili neque pro criminali causa apud quemvis judicem sive civilem, sive militarem producatur, vel exhibeatur, nisi imperialis jussio processerit. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissione cinguli et XX librarum auri condemnatione plectatur, ut istæ viginti libræ ecclesiæ addicantur, cujus episcopus produci vel exhiberi jussus est. Litis autem exsecutor post cinguli amissionem tormentis subjiciatur et in equuleo mittatur.

CAP. 370. — *Ne episcopus aleator, nec aliquis clericus, nec ludorum spectator fiat. Ibidem, cap.* 9.

Neque episcopus, neque presbyter, neque diaco-

(75) Pleraque horum leguntur epist., 81 Leonis pap. I, ad Anast. Thessal. episc., c. 1.

Introdusă în format electronic de Google

nus, neque subdiaconus, neque lector, neque alius cujuscunque religiosi consortii vel habitus constitutus, tabolizare audeat, vel socius ludentium fieri, vel spectator, vel in quocunque spectaculo spectandi causa venire. Ac si quis contra hæc fecerit, per tres annos a sacro ministerio prohibeatur.

Cap. 371. — *Ut nullus excommunicetur, antequam causa excommunicationis ejus probetur. Ibid., c.* 11.

(2. *q.* 1, *c. Nemo episcopus.*) Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus eam excommunicaverit aliquem, ille qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat; is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum abstineat tempus quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut quod injuste fecit, ipse juste patiatur.

Cap. 372. — *Ut episcopus omni scientia legis divinæ sit instructus. Synodi* VII *cap.* 2.

Quoniam psallentes repromittimus Deo : *In justificationibus meditabor, non obliviscar sermones tuos* (*Psal.* CXVIII) : omnes quidem christianos observare saluberrimum est, sed præcipue hos qui ecclesiasticam consecuti fuerint dignitatem. Unde diffinimus, omnem qui ad episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus psalterium nosse : ut ex hoc etiam omnis clerus qui sub eo fuerit ita moveatur et imbuatur. Inquiratur autem diligenter a metropolitano, si in promptu habeat legem legere, scrutabiliter et non transitorie, tam sacros canones et sanctum Evangelium, quam divini apostoli librum, et omnem divinam Scripturam; atque secundum mandata conversari, et docere populum sibi commissum : substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera divinarum Scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quod si disceptaverit, et ita libenter facere et docere minime spoponderit, nullatenus consecretur. Ait enim per prophetam Deus : *Tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Ose.* IV).

Cap. 373. — *Quod semel in anno concilia episcoporum debeant celebrari, et non bis. Ibid., cap.* 6.

(*Dist.* 18, *c. Quoniam quidem.*) Quandoquidem regula est quæ dicit bis in anno per singulas provincias oportere fieri per conventum episcoporum regulares inquisitiones, propter fatigationem, et ut opportune habeantur, ad iter agendum, hi qui congregandi sunt, diffinierunt sextæ synodi sancti Patres, omni excusatione remota, modis omnibus semel in anno fieri et depravata corrigi. Hunc canonem et nos renovamus, et si quisquam princeps inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur. Si quis vero metropolitanorum hoc neglexerit agere absque necessitate, vel vi, seu aliqua rationabili causa, occasione, canonicis pœnis subjaceat. Dum autem synodus agitur super canonicis et evangelicis negotiis, oportet congregatos episcopos in meditatione et sollicitudine fieri custodiendorum divinorum et vivificorum Domini mandatorum. *In custodiendis* enim *illis retributio multa* (*Psal.* XVIII); quia et *lucerna mandatum; lex* autem *lux, et via vitæ arguti̇o, et disciplina est* (*Prov.* VI); et : *Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal.* XVIII). Porro non habeat metropolitanus licentiam ex his, quæ defert episcopus secum, sive jumentum, sive aliquam speciem expetendi. Quod si hoc egisse conjunctus fuerit, solvat quadruplum.

Cap. 374. — *De œconomis per singulas ecclesias constituendis. Ibid., cap.* 11.

(9, *q.* 3, *c. Cum simus.*) Cum simus debitores omnes sacras regulas custodire, eam quæ dixit in una quaque ecclesia œconomus esse, modis omnibus inviolabilem conservare debemus, et siquidem unusquisque metropolitanus in sua ecclesia constituerit œconomum, bene utique; sin autem ex auctoritate propria Constantinopoleos episcopis licentia est præponendi œconomos in ejus ecclesia, similiter et metropolitanis, si episcopi qui sub ipsis sunt non sategerint œconomos statuere in suis ecclesiis. Idipsum autem servandum est etiam in monasteriis.

Cap. 375. — *Ne episcopus vel abbas alicui principum, vel parentibus suis fundum ecclesiæ largiatur. Ibid., cap.* 12.

Si quis episcopus vel abbas inventus fuerit, de salariis episcopi, sive monasteriis transferre quidquam in principum manus, vel etiam aliquid personæ alicui conferre, irritum sit quod datum esse constiterit, secundum canonem sanctorum apostolorum qui dicit : Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus habeat sollicitudinem, ut dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non licere autem fraudare ei quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur, sed non sub horum occasione quæ sunt ecclesiæ defraudentur. Quod si excusationem prætenderint, damnum facere, et nihil ad profectum agrum existere; nec sic principibus qui loca per illa sunt, tribuatur ager ille vel locus, sed clericis vel agricultoribus. Quod si calliditate usus fuerit, et a colono vel clerico emerit princeps agrum, etiam sic irrita sit venditio, et restituatur in episcopio vel in monasterio, et episcopus vel abbas hoc faciens abjiciatur, episcopus quidem ab episcopio, abbas autem a monasterio, tanquam qui dispergit male, quæ non collegit [colligit].

Cap. 376. — *Quod abbati in proprio tantum monasterio lectorem liceat facere. Ibid., c.* 14.

(*Dist.* 69, *cap. Quoniam videmus.*) Quia ordo debet in consecrationem custodiri, omnibus modis liquet, et cum diligentia conservare sacerdotum [sacerdotii] promotiones, Deo est prorsus acceptum. Et quoniam videmus sine manus impositione, a parvula ætate quosdam tonsuram clerici accipientes, nondumque, ab episcopo manus impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legentes, præcipimus amodo id minime fieri. Idipsum

Introdusă în format electronic de Google

quoque observandum est etiam inter monachos. Lectoris autem, manus impositione licentia est unicuique abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, si duntaxat eidem abbati manus impositio facta noscatur ab episcopo, secundum morem præficiendorum abbatum, dum constet illum esse presbyterum. Simili modo secundum antiquam consuetudinem chorepiscopum præceptione episcopi oportet promovere lectores.

CAP. 377. — *Ut episcopi vel clerici fulgidis et claris vestibus non ornentur. Ibid., cap.* 16.

(21, *q.* 4, *c. Omnis jactantia.*) Omnis jactantia et ornatura corporalis aliena est a sacro ordine. Eos ergo episcopos vel clericos, qui se fulgidis et claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint epitimio tradantur; similiter et eos qui unguentis inunguntur. Quoniam vero radice amaritudinis exorta conterminatio facta est in Ecclesia catholica Christianos calumniantium hæresis [Κριστιανος κατηγόρων αἵρεσις] : et hi qui hanc receperunt non solum imaginarias picturas [τὰς εἰκονικὰς ζωγραφήσεις] abominati sunt, sed etiam omnem reverentiam repulerunt, eos qui pie ac religiose vivunt offendentes, ac per hoc completur in eis quod scriptum est : *Abominatio est peccatori Dei cultus* (*Prov.* XV). Igitur si inventi fuerint deridentes eos qui vilibus et religiosis vestimentis amicti sunt, per epitimium [διὰ πειμίου] corrigantur. Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri ac vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebant variorum colorum ornamenta in summitatibus vestimentorum : audierant enim ex Deisona lingua : *Quia qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* (*Matth.* XI).

CAP. 378. — *Nullam dignitatem sæcularem, sed nec imperialem, honori vel dignitati episcopali posse adæquari. Ex epist. Greg. ad Herimannum Metensem episc.*

(*Dist.* 96, *c. Quis dubitet.*) Quis dubitet sacerdotes Christi regum et principum, omniumque fidelium patres et magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo se credit non solum in terra, sed etiam in cœlis ligari posse et solvi? Hæc, sicut beatus Gregorius in epistola ad Mauritium imperatorem directa commemorat, Constantinus magnus imperator, omnium regum et principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta Nicæna sydono post omnes episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam supra eos dare præsumpsit; sed illos etiam dominos vocans, non suo debere subesse judicio, verum ad illorum pendere se arbitrium judicavit. Supradicto quoque Anastasio prælibatus papa Gelasius persuadens ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur injuriam, subintulit dicens (*Dist.* 96, *Duo sunt*) : « Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas videlicet sacra pontificum et regalis potestas; in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem (1). » Et paucis interpositis ait : « Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio; non illos ad tuam velle redigi voluntatem. » Talibus ergo institutis, talibusque fulti auctoritatibus plerique pontificum, alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Arcadium imperatorem, quia consensit ut sanctus Joannes Chrisostomus a sede sua pelleretur, excommunicavit. Alius item Romanus pontifex regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, et Pippinum Caroli imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate agit sancta Ecclesia, cum milites absolvit a vinculo juramenti, quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et B. Ambrosius, licet sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ episcopus, pro culpa quæ ab aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium magnum imperatorem excommunicans, ab ecclesia exclusit. Qui etiam in suis scriptis ostendit quod aurum non jam pretiosius sit plumbo, quam regia potestate sit altior sacerdotalis, hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens (*De dignitate sacerdotali, cap.* 2): « Honor, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextera, se credant communiri. » Et post pauca (*ibid., cap.* 3) : « Hæc cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis inveniri. » Nonne, sicut ait B. Gregorius, recordandæ memoriæ Vigilius papa contra Theodoram tunc Augustam damnationis protulit [promulgavit] sententiam? Sic quoque Charibertus Parisiorum rex, cum Gothergam [*al.* Ingobergam] legitimam uxorem suam reliquisset, et duas sorores Meroflidem et Marcovevam in uxores duxisset, a beato Germano Parisiorum episcopo excommunicatus est. Et cum resipiscere nollet, non multo post divino judicio ipse defunctus est.

(1) Habetur hæc epistola Gelasii ad Anastasium Augustum tomo II Conc

Introdusă în format electronic de Google

DECRETI PARS SEXTA.

De clericorum conversatione, et ordinatione, et correctione, et causis.

Cap. 1.—*Unde clericus dicatur. Ex epist. Hieronymi A ad Nepotianum.*

(12, *q.* 1, *c. Clericus; Isidorus, lib.* II *Off. eccl., c.* 1.) Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis diffinitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros Græce, Latine sors appellatur, propterea clerici vocantur, quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars, clericorum est. Et quia [*al.*, qui autem] vel ipse pars Domini est, vel Domini partem habet, talem se exhibere debet ut ipse possideat Dominum, et ipse possideatur a Domino. Qui possidet Dominum, et cum Propheta dicit : *Pars mea Dominus* (*Psal.* XV, LXXII), nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi B gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus (*Psal.* CIV), nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita et sacerdos vivo de decimis, et altari deserviens, altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, et repetens iterum iterumque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quam quando clericus esse cœpisti, et dicatur tibi : Clericatus eorum non proderit eis.

Cap. 2.—*Quod duo sint genera clericorum. Ex dictis beati Isidori de generibus clericorum.*

(*Eccl. offic., l.* II, *c.* 5.) Duo sunt genera clericorum, unum ecclesiasticorum sub regimine episcopali degentium; alterum acephalorum, id est sine capite, quem sequantur ignorantium. Hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio retentat divina, sed solutos atque oberrantes, sola turpis vita complectitur et vaga. Qui quidem nullum [quique dum nullum, etc.] metuentes, explendæ voluptatis suæ licentiam consectantur, quasi animalia bruta libertate ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, neque equi, neque homines, mistumque (ut ait poeta) genus prolesque biformis (Virg., *Æn.* VI). Quorum quidem sordida atque infami numerositate satis superque nostra pars occidua polluitur [pollet].

Cap. 3. — *Quod clericis præcipue convenit Deum diligere et proximum, et de conversatione et officio eorum. Epilogus et regula clericorum breviter collecta.*

Legalibus interea institutis et evangelicis saluberrimis monemur præceptis ut Dominum nostrum totis præcordiis diligamus, et proximos tanquam nosipsos (*Deut.* VI; *Levit.* XIX; *Matth.* XXII; *Marc.* XII), et cætera. Si igitur ab omnibus fidelibus his salutiferis præceptis totis nisibus est favendum, quanto magis ab his qui divinis cultibus mancipati sunt, et aliis exemplo virtutum condimentum esse debent! Proinde oportet ut primo omnium Dominum Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, tota virtute, et proximos tanquam seipsos, et nosse quia in his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ. Non occidant, neque fratrem oderint, quia, ut ait Apostolus : *Qui fratrem suum odit, homicida est* (*I Joan.* III). Non adulterent, non faciant furtum, non concupiscant rem alienam, non falsum testimonium dicant, et quod sibi nolunt fieri, alteri non faciant. Non sint superbi, aut tumidi, non detractionibus assueti, non ebrietati servientes, non luxuria enervati, non iracundia turbidi, non quibuslibet aliis vitiis substrati, non vaniloqui, non invidi, non somnolenti, non pigri, non murmuratores, non susurrones, non violenti, non multum edaces. Fraudes et dolositates caveant, usuris nequaquam inserviant, non jurent, ne forte pejerent [perjurent], malum pro malo non reddant. Cum in se aliquid boni viderint, Deo; et malum cum viderint, sibi deputent. Discordiam fugiant, et quos noverint discordes [invenerint C discordantes], ad charitatis concordiam revocent, et juxta Psalmistæ vocem, declinent a malo, et faciant bonum (*Psal.* XXXVI). Attendant et Apostolum prohibentem : *Non*, inquit, *in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII). Animadvertant etiam quod ab his vitiis ab Apostolo prohibitis omnium vitiorum seges emergat, et quod horum morborum mater superbia sit. Oportet etiam ut animam corpusque suum ab omni inquinamento carnis et spiritus custodiant, *ut*, juxta Apostolum, *integer spiritus* eorum, *et anima et corpus sine querela in adventu Domini Jesu Christi servetur* (*I Thess.* V). Sobrie, et juste, et pie vivant. Sæcularia negotia prorsus abjiD ciant, quia, juxta eumdem Apostolum : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II). Jejunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentem consolentur, amori

Introdusă în format electronic de Google

Christi nihil præponant, charitatem non derelinquant, pacem, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant. Diem judicii timeant, vitam æternam spiritualiter concupiscant. Spem suam Deo committant : proprio episcopo in omnibus secundum canonicam institutionem obtemperent, magistros suos non temere reprehendant. Postremo in doctrinis spiritualibus operam dent, lectionibus, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, et cæterorum bonorum operum exercitiis jugiter incumbant. In dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant. In refectorio pariter reficiantur, quotidie ad collationem veniant. Mox, ut signum datum fuerit, ad ecclesiam omnes festinate veniant, et horas canonicas non negligenter, sed cum omni religione pariter celebrent. Ecclesiam non pompatice, sed reverenter ingrediantur. In choro cum baculis non stent. Vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione et veneratione divinæ servitutis opus peragant, scientes angelorum præsentiam semper illic adesse. E claustris nonnisi per licentiam egrediantur. Egressi irreprehensibiliter vivant, ut ab his qui foris sunt bonum testimonium habeant, et religionem ac propositum suum actibus illicitis nequaquam maculent. Sed potius omnes quibus se conjunxerint, sale sapientiæ et bonorum operum exemplis condiant. Contubernia feminarum nullatenus appetant, non vanis oculis, aut petulanti tumidoque gestu ac dissolutis renibus incedant. Non spectaculis, non pompis sæcularibus intersint, non aleæ, non quibuslibet venationibus inserviant. Apostoli namque instructi documento, quo ait : *Non in veste pretiosa* (*I Tim.* II), nequaquam pretiosis delectentur vestibus. Caveant summopere ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi a priore constitutum fuerit, et opportunitas temporis dictaverit. Intra claustra positi non otio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certe magistrorum pareant jussionibus, ne otio torpentes ab Apostolo audiant : *Qui non vult operari, nec manducet* (*II Thess.* III). Seniores spiritualiter juniores diligant ; juniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores minus doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum charitate ædificent. Neque hi qui nobilitate generis, aut virtutum donis pollent, cæteris se tumide superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi charitatis officio serviant. Quibus etiam in refectorio comedentibus, et religiosissime silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, et castigent. Pueros et adolescentes negligentes verborum disciplinis corrigant. Singuli secundum capacitatem suam diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in collegio canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat. Tales quippe esse, imo taliter conversari decet omnes, qui divinis officiis se manciparunt. Quapropter studeant hæc breviter collecta sedula meditatione perlegere et memoriæ commendare, et adjuvante divina gratia, juxta vires adimplere, quo facilius et liberius majora a sanctis Patribus edita, exsequi valeant. Vocatione ergo qua vocati sunt, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, ambulent, quatenus divinis jussionibus obtemperantes, ad Christum, in cujus sorte esse noscuntur, qui via, veritas et vita est (*Joan* XIV), eo opitulante, pervenire mereantur.

Cap. 4.—*De tonsura clericorum. Isidorus in libro ecclesiasticorum officiorum* (*lib.* II, *c.* 4).

Tonsuræ ecclesiasticæ usus a Nazaræis (ni fallor) exortus est, qui prius crine servato, denuo post vitæ magnæ continentiam devotione completa [devotionem continentia completa, etc.], caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponere jubebantur (*Num.* VI), scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab apostolis introductus est, ut hi qui in divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine preciso innoventur. Hoc quippe et Ezechieli prophetæ jubetur, dicente Domino : *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, et duces per caput tuum, et barbam* (*Ezech.* V). Videlicet quia et ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deserviebat. Hoc et Nazaræos illos Priscillam et Aquilam in Actibus apostolorum primum fecisse legimus (*Act.* XVIII). Paulum quoque apostolum, et quosdam discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu imitandi exstiterunt (*Act.* XXI). Est autem in clericis tonsura, signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo in religione vitia recensentur, et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus, ut comis rudibus enitescamus, *exspoliantes nos*, juxta Apostolum, *veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum qui renovatur in agnitionem Dei* (*Colos.* III). Quam renuvationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero de tonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurea [aurei] est circuli, quæ regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, ut impleatur etiam quadam corporis similitudine, quod scriptum est, Petro apostolo perdocente : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II). Quæritur autem cur, sicut apud antiquos Nazaræos, non ante coma nutritur, et sic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, advertant quid sit inter illud propheticum velamentum, et hanc Evangelii revelationem, de qua dicit Apostolus : *Cum transieris ad Christum, auferetur velamen* (*II Cor.* III). Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi, et aspectum populi Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam et Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde

Introdusă în format electronic de Google

jam non oportet, ut velentur crinibus eorum capita, qui Domino consecrantur (*I Cor.* XI) : sed tantum ut revelentur, quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum est.

CAP. 5. — *I. De ostiariis. Idem* (*lib.* II, *c.* 14).

Ostiarii sunt, qui in Veteri Testamento janitores templi vocabantur ; qui præerant portis templi Hierusalem, quique ordinati, per vices suas omnia interiora templi vel exteriora custodiebant (*I Par.* IX; XXIII; XXXV). Hi denique inter sanctum et iniquum discernentes, eos tantum in ecclesia qui sunt fideles, recipiunt. Intrare enim templum nisi per eos non possumus [possunt]. Habent enim potestatem tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos.

CAP. 6. — *II. De lectoribus. Idem* (*lib.* II, *c.* 11).

Lectorum ordo formam et initium a prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII). Isti quippe dum ordinantur, primum de eorum conversatione episcopus verbum facit ad populum, deinde coram plebe tradit eis codicem apicum divinorum, ad Dei verbum annuntiandum. Qui autem ad hujusmodi provehitur gradum, iste erit doctrina et libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, ita ut distinctionibus sententiarum intelligat ubi finiatur junctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus vim [*al.*, usum] pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes sensumque promoveat, discernendo genera pronuntiationum, atque exprimendo proprios sententiarum affectus, modo indicantis voce, modo dolentis [jubentis], modo increpantis, modo exhortantis, sive his similia, secundum genus propriæ pronuntiationis, in quo magis [maxime] illa ambigua sententiarum adhibenda cognitio est. Multa enim sunt in Scripturis, quæ nisi proprio modo pronuntientur, in contrariam recidunt sententiam : sicuti est : *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat?* (*Rom.* VIII.) Quod si quasi confirmative, non servato genere pronuntiationis suæ, dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceret : Deusne qui justificat? Subauditur [ut subaudiatur], non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiæ ingenium, quo proprie singula convenienterque pronuntientur. Propterea et accentuum vim oportet lectorem scire, ut noverit in qua syllaba vox protendatur pronuntiantis. Plerumque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, et solent irridere nos imperitiæ hi qui videntur habere notitiam, detrahentes et jurantes penitus nos nescire quod dicimus. Porro vox lectoris simplex erit, clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena virili succo, agrestem et subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis, non fracta vel tenera, nihilque femineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie. Auribus enim et cordi consulere debet lector, non oculis, ne potius ex seipso eos spectatores magis, quam auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronuntiandi causa præcipuam curam vocis habuisse, ut exaudiri in tumultu possent. Unde et dudum lectores præcones vel proclamatores vocabantur.

CAP. 7. — *III. De exorcistis. Idem* (*lib.* II, *c.* 13).

In primo ordine et ministerio ecclesiæ esse exorcistas, secundum officia quæ in templo Salomonis erant disposita, quæque posterius sunt ab Esdra dispertita invenimus (*I Esdr.* II, III), eosque quos Esdras actores [auctores] memorat templi, eos nunc esse exorcistas in Ecclesia Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores templi, servorum Salomonis filii qui actum templi totius sub cura sua haberent, aut sacris oblationibus [actionibus] deservirent. Et cum fuissent ex ordine et ministerio templi, longe fuerunt ab officio altaris Dei ; quia nec psalmistis nec ostiariis, nec sacrorum servis, attingere licebat munera altaris, nisi tantummodo levitis. Quid ergo est? Nullam aliam curam habebant actores templi, nisi ad sarta tecta sarcienda [reficienda], ut quæcunque fuissent vexata in ædificatione templi, aut dilapsa, per eosdem actores de thesauris Dominicis reficerentur atque excolerentur. Ergo actores templi exorcistæ sunt in templo [populo] Dei. Quomodo enim actor prudens et bonus scit, quis sit Domini sui census, et omnis substantiæ modus, et redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia, sic et exorcista redigit in sua diligentia totius regni Domini secreta, ut memoriæ mandet de Scripturarum sacramentis, unde exerceat, scilicet donum quod illi est a Spiritu sancto concessum, secundum Apostoli præconium. Exorcistas enim memorat Apostolus, cum dicit : *Nunquid omnes donationes habent sanationum* (*I Cor.* XII). Illi enim cum ordinantur, sicut ait Canon (*conc. Carth.* IV), accipiant de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos.

CAP. 8. — *IV. De acolythis* (75). *Idem.*

(*L.* VII, *c.* 12. *Et in conc. Aquisgran.*) Acolythi Græce, Latine ceroferarii dicuntur, a deportandis cereis, quando legendum est evangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, et deportantur, non ad effugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I).

CAP. 9. — *V. De subdiaconibus. Idem* (*lib.* II, *c.* 10).

Subdiaconi qui apud Græcos hypodiaconi vocita t-

(75) Non reperitur hoc caput in exemplaribus Isidori excusis ; sed etymolog.

Introdusă în format electronic de Google

tur, in Esdra inveniuntur appellanturque ibi Nathinæi (*I Esd.* II, VII, VIII), id est, in humilitate Domino servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael [Nathanei], qui in Evangelio Joannis divina proditione commonitus (*Joan.* I), Salvatorem meruit confiteri, quique etiam ad primum Divinitatis indicium fidelis enituit, pretestante Domino ac dicente: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*ibid.*). Denique isti oblationes in templo Domini suscipiunt a populis. Isti obediunt officiis levitarum, isti quoque vasa corporis et sanguinis Christi diaconibus ad altaria Domini offerunt. De quibus quidem placuit Patribus, ut qui sacra mysteria contrectant, casti et continentes sint ab uxoribus, et ab omni carnali immunditia liberi, juxta quod illis propheta dicente jubetur : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Hi igitur cum ordinantur, sicut sacerdotes et levitæ, manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantum et calicem de manu episcopi, et ab archidiacono scyphum aquæ cum aqua, manile [aquamanili] et manutergium accipiunt.

CAP. 10. — *VI. De diaconis. Ibidem* (*lib.* II, *c.* 8).

Diaconorum ordo a tribu Levi accepit exordium. Præcepit enim Dominus Moysi ut, post ordinationem Aaron sacerdotis et filiorum ejus, Levi [rursus Levi, etc.] tribus in divini cultus ministerio ordinarentur, et consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, et servirent pro Israel coram Aaron et filiis ejus in tabernaculo Dei, excubantes in templo Dei die ac nocte, ipsique gestarent arcam et tabernaculum, et omnia vasa ejus, et in circuitu tabernaculi castra ipsi constituerent, et in promovendo tabernaculo ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti quinque annis et supra, in tabernaculo illis servire mandatum est (*Num.* I *et* III). Quam regulam sancti Patres, et in Novo Testamento constituerunt in Evangelio autem primordia eorum, in Actibus apostolorum ita leguntur : *Convocantes autem duodecim apostoli multitudinem discipulorum dixerunt : Non placet nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Quid ergo est fratres? *Considerate ex vobis viros boni testimonii septem, plenos spiritu sapientiæ* [*Spiritu sancto et sapientia*], *quos constituamus in hanc rem : nos vero erimus orationi et ministerio sermonis instantes. Et placuit hic sermo coram multitudine, et elegerunt statim Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto, Philippum et Prochorum, Nicanorem et Timonem, Parmenam et Nicolaum advenam Antiochensem. Hos statuerunt ante apostolos : et cum orassent, imposuerunt illis manus, verbumque Dei crescebat, et multiplicabatur numerus credentium* (*Act.* VI). Ex hinc jam decreverunt apostoli, vel successores apostolorum, ut per omnes Ecclesias septem diacones, qui sublimiori gradu cæteris, proxime circa aram Christi quasi columnæ altaris assisterent, et non sine aliquo septenarii numeri mysterio. Hi enim sunt, quos in Apocalypsi legimus, septem angeli tuba canentes. Hi sunt septem candelabra aurea; hi voces tonitruorum (*Apoc.* VIII). Ipsi enim clara voce in modum præconis, admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendis genibus, sive in psallendo, sive lectiones audiendo. Ipsi etiam ut aures habeamus ad Dominum clamant, ipsi quoque evangelizant. Sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam, sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro sacramenti dispensatio est. Ille orare, hic psallere mandat. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a diaconibus. Levitæ inferunt oblationes in altaria; Levitæ componunt mensam Domini; Levitæ operiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum quæ operiuntur a Levitis, ne videant qui videre non debent, et sumant qui servare non possunt. Qui propterea altario albis induti assistunt, ut cœlestem vitam habeant, candidique ad hostias et immaculati accedant, mundi scilicet corpore et incorrupti pudore. Tales enim decet Dominum habere ministros qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potius eminentia castitatis splendeant. Quales enim diaconi ordinentur Paulus apostolus plenissime scribit ad Timotheum (*I Tim.* III). Nam, cum præmisisset de sacerdotum electione, continuo subjunxit : Diaconi similiter irreprehensibiles, hoc est sine macula, sicut episcopi; *Pudici* utique, id est, a libidine continentes; *non bilingues*, scilicet ne conturbent habentes pacem; *non multo vino dediti :* quia ubi ebrietas, ibi libido dominatur et furor; *non turpe lucrum sectantes*, ne de cœlesti mysterio lucra terrena sectentur. Est quoque et turpis lucri appetitus, plus de præsentibus quam de futuris cogitare. Post hæc subjecit : *Hi autem probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes.* Hi utique, sicut episcopi, ante ordinationem probari debent, si digni sint, et sic postea ministrare.

CAP. 11. — *VII. De presbyteris. Ibidem* (*lib.* II, *c.* 7).

Presbyterorum ordo exordium sumpsit (ut dictum est) a filiis Aaron. Qui enim sacerdotes vocabantur in Veteri Testamento, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri. Et qui nuncupabantur principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur *seniores*, quia seniores ætate Græci presbyteros vocant. His enim, sicut episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiæ Christi, et in confectione divini corporis et sanguinis consortes cum episcopis sunt. Similiter et in doctrina populorum, et in officio prædicandi. Ad solam auctoritatem summi sacerdotii clericorum ordinatio et consecratio reservata est, ne a multis disciplina Ecclesiæ vindicata concordiam solveret, et scandala generaret. Nam Paulus apostolus eosdem presbyteros, ut vere sacerdotes sub nomine episcoporum ita asseverat, loquens ad Titum: *Hujus*, inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presby'e-*

Introdusă în format electronic de Google

ros, quemadmodum ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse (*Tit.* I). Qua sententia ostendit etiam presbyteros sub episcoporum nomine taxari. Unde ad Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi scribens (*I Tim.* III), de presbyteris omnino tacuit, quia eos in episcoporum nomine comprehendit. Secundus enim primo [*al.* et pene] conjunctus gradus est, sicut et ad Philippenses, episcopis et diaconibus, scribit (*Philip.* I), cum una civitas plures episcopos habere non possit. Et in Actibus apostolorum presbyteros Ecclesiæ, iturus Hierosolymam congregavit, quibus inter cætera, ait : Videte gregem, in quo vos Spiritus sanctus episcopos ordinavit (*Act.* XX). Unde etiam tales in Ecclesia presbyteros constituendos esse sicut episcopos et Apostolus ad Titum loquitur (*Tit.* I), et canones ipsi testantur; presbyteros autem merito et sapientia dici, non ætate (*Anacletus, Ep.* 2, *c.* 2). Nam et Moysi præcipitur, ut eligat presbyteros (*Num.* XI). Unde in Proverbiis dicitur : Gloria senum canities (*Prov.* XX). Quæ est hæc canities? Haud dubium quin sapientia, de qua scriptum est : Canities hominum prudentia est (*Sap.* IV). Cumque nongentos et amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legerimus (*Gen.* V), nullus alius primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham (*Gen.* XLIII), qui multo paucioribus annis vixisse convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Quod si ita est, mirum [miror] cur insipientes constituuntur.

CAP. 12. — *Qualiter debeant ordinari presbyteri. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 3, *cui interfuit Augustinus.*

(*Dist.* 23, *cap. Presbyter.*) Presbyter, cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant.

CAP. 13. — *Qualiter ordinandi sint diaconi. Ibidem, cap.* 4.

(*Dist.* 23, *cap. Diaconus.*) Diaconus, cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

CAP. 14. — *De ordinatione subdiaconorum. Ibidem, cap.* 5.

(*Dist.* 23, *cap. Subdiaconus.*) Subdiaconus, cum ordinatur (quia manus impositionem non accipit) patenam de manu episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, manile et manutergium.

CAP. 15. — *De ordinatione acolythorum, cap.* 6.

(*Dist.* 23, *c. Acolythus.*) Acolythus, cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat ; sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendendas eccle-A siæ luminaria mancipari. Accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.

CAP. 16. — *De ordinatione exorcistarum, cap.* 7.

(*Dist.* 23, *c. Exorcista.*) Exorcista, cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo : Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.

CAP. 17. — *De ordinatione lectorum, cap.* 8.

(*Dist.* 23, *c. Lector.*) Lector, cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam atque ingenium. Post hæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens : Accipe et esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint.

CAP. 18. — *De ordinatione ostiariorum, cap.* 9.

(*Dist.* 23, *c. Ostiarius.*) Ostiarius, cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradit ei episcopus claves ecclesiæ de altario, dicens ei : Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ istis clavibus recluduntur.

CAP. 19. — *Qualiter psalmista ordinetur, cap.* 10.

(*Dist.* 23, *c. Psalmista.*) Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi, sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero : Vide ut quod ore cantas, corde credas ; et quod corde credis, operibus probes.

CAP. 20. — *Qualiter ecclesiastica officia ordinentur, et in omnibus gradibus quid ad quemque pertineat. Epistola Isidori Hispalensis episcopi ad Ludefredum Cordubensem episcopum directa.*

(*Dist.* 25, *c. Perlectis.*) Perlectis sanctitatis tuæ litteris gavisus sum quod optatam salutem tuam earum relatu cognovi. De his autem quæ in consequentibus insinuare eloquii tui sermo studuit, gratias ago Deo quod sollicitudinem officii pastoralis impendis, qualiterque ecclesiastica officia ordinentur perquiris. Et licet omnia prudentiæ tuæ sint cognita, tamen, quia affectu fraterno me consulis, ex parte qua valeo expediam, et de omnibus Ecclesiæ gradibus quid ad quemque pertineat eloquar. Ad ostiarium namque pertinent claves ecclesiæ, ut claudat et aperiat templum Dei, et omnia quæ sunt intus extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos et infideles excipiat. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcizando imponere. Ad acolythum pertinet præparatio luminariorum in sacrario. Ipse cereum portat, ipse suggesta [*al.* vasa sug.] pro eucharistia, calicis [calices subdiaconis] præparat. Ad psalmistam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, laudes, sacrificium [*al.* laudis sacrif.], responsoria, et quidquid pertinet ad cantandi peritiam. Ad lectorem pertinet lectiones pronuntiare, et ea quæ prophetæ vaticina-

Introdusă în format electronic de Google

verunt populis prædicare. Ad subdiaconum pertinet calicem et patenam ad altare Christi deferre, et levitis tradere eisque ministrare ; urceolum quoque cum aqua, manile et manutergium tenere, episcopoque presbytero, et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, et ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena et calice ; oblationes quoque inferre et disponere in altari, componere etiam mensam Domini atque vestire, crucem ferre, et prædicare evangelium, et apostolum [*forte* epistolam]. Nam sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconibus Novum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum et recitatio nominum. Ipse prænonet aures habere ad Dominum, ipse hortatur orare, ipse clamat, et pacem ipse annuntiat. Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, et benedicere dona Dei. Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris et confectio chrismatis. Ipse prædicta officia et ordines ecclesiasticos distribuit, ipse sacras virgines benedicit. Et dum præcessit unusquisque in singulis, ipse tamen præordinator est in cunctis. Hi sunt ordines et ministeria clericorum, quæ tamen auctoritate pontificali in archidiaconi cura, et primicerii ac thesaurarii sollicitudine dividuntur. Archidiaconus enim imperat subdiaconis et levitis, ad quem pertinent ista ministeria, ordinatio vestiendi altaris a levitis, cura incensi, et sacrificii necessaria sollicitudo, quis Levitarum apostolum (*Gratianus*, epistolam] et evangelium legat, quis preces dicat seu responsorium in Dominicis diebus aut solemnitatem decantet. Sollicitudo quoque parochiarum et ordinatio et jurgia ad ejus pertinent curam ; pro reparandis diœcesanis basilicis, ipse suggerit sacerdoti. Ipse inquirit parochias cum jussione episcopi, et ornamenta, vel res basilicarum vel parochiarum : gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo idem refert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit, et episcopo defert, et clericis partes proprias idem distribuit. Ab archidiacono nuntiantur episcopo excessus diaconorum. Ipse denuntiat sacerdoti in sacrario jejuniorum dies atque solemnitatum, et ab ipso publice in ecclesia prædicantur [prædicatur]. Quando vero archidiaconus absens est, vicem ejus diaconus sequens adimplet. Archipresbyter se esse sub archidiacono, ejusque præceptis sicut episcopi sui obedire sciat, et quod specialiter ad ejus ministerium pertinet, super omnes presbyteros in ordine positos curam gerere, et assidue in Ecclesia stare, et quando episcopi sui absentia contigerit, ipse vice ejus missarum solemnia celebret, et collectas dicat, vel cui ipse injunxerit. Ad primicerium pertinent acolythi, exorcistæ, psalmistæ atque lectores, signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitæ honestate, et officium cantandi [officii meditandi], et peragendi sollicite lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, et responsoria, quis clericorum dicere debeat ; ordo quoque et modus psallendi in choro pro solemnitate et tempore, ordinatio quoque pro luminaribus deportandis. Si quid etiam necessarium est, pro reparatione basilicarum, quæ sunt in urbe, ipse denuntiet sacerdoti. Epistolas episcopi pro diebus jejuniorum parochianis per ostiarios ipse dirigat. Clericos quos delinquere cognoscit ipse distringat : quos vero emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat. Basilicarios ipse constituat, et matriculas ipse disponat. Quando autem primicerius absens est, ea quæ prædicta sunt ipse exquirat, qui ei aut lege est proximus, aut eruditione his explendis certus Ad thesaurarium pertinet ostiarii basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, præparatio luminariorum in sacrificio et sacrificii [*al.* sacrario et sacrificiis.]

Cap. 21.—*Qualiter ordinandi ab episcopo examinandi sint. Ex concilio Nannetensi, cap.* 3 [*cap.* 6].

(*Dist.* 24, *c. Quando episcopus.*) Episcopus quando ordinationes facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem evocandi sunt, ad civitatem una cum presbyteris [*al.* archipresb.] qui eos repræsentare debent. Et tunc episcopus a latere suo eligere debet sacerdotes, et alios prudentes viros gnaros legis divinæ, et exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene litterati, si in lege Domini instructi, diligenter investigent. Ante omnia si fidem catholicam firmiter teneant, et verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem, quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti a vero devient, ut in dignum et minus idoneum, ad sacros gradus suscipiendos episcopi manus applicent. Quod si fecerint, et ille qui indigne accesserit ab altari removebitur, et illi qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati, ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies examinentur, et sic Sabbato qui probati inventi sunt, episcopo repræsententur.

Cap. 22. — *Quæ presbyteri necessario discere et scire debeant. Ex dictis Augustini.*

Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est liber sacramentorum, lectionarius, baptisterium, computus, canon pœnitentialis, psalterium, homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, et singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit sacerdotis nomen in eo vix constabit, quia valde periculosæ sunt minæ evangelicæ quibus dicitur : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* xv).

Cap. 23. — *De ordinationibus presbyterorum ac diaconorum. Ex epistola* 2 *Zepherini papæ, fratribus per Ægyptum missa, cap.* 10 [23].

(*Dist.*, 75, *c. Ordinationes.*) Ordinationes vero

Introdusă în format electronic de Google

presbyterorum, diaconorum [et levitarum], tempore congruo et multis coram positis [astantibus] solemniter agite, et probabiles ac doctos viros ad hoc constituite [ad hoc opus provehite], ut de illorum societate et adjumento plurimum gaudeatis.

CAP. 24. — *Quod ordinationes fieri non debeant, nisi in loco certo et religioso. Ex concilio Meldensi, cap.* 6 [52].

Si qui ordinari petunt, nullatenus ordinentur, nisi in loco certo et religioso, vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita et conversatione atque doctrina illorum, certitudo possit agnosci.

CAP. 25. — *Quod Abraham primus appellatus sit presbyter, et cur presbyter nominetur. Ex epistola Anacleti papæ omnibus episcopis in Italia constitutis, cap.* 22, *epist.* 2, *c.* 2.

(*Dist.* 84, *c. Porro et Moysi.*) Porro et Moysi præcipitur ut eligat presbyteros, id est seniores (*Num.* XII). Unde et in Proverbiis dicitur : Gloria senum canities (*Prov.* XX). Hæc vero canities sapientiam designat, de qua scriptum est : Canities hominum prudentia est (*Sap.* IV). Cumque nongentos et amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legimus (*Gen.* V), nullus alius primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham (*Gen.* XLIII), qui multo paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Initium enim sacerdotii Aaron fuit (*Exod.* XXIX), licet Melchisedech prior obtulit sacrificium Deo (*Gen.* XIV), et posthæc [post hunc] Abraham, Isaac, et Jacob. Sed hi spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt.

CAP. 26. — *Quod nulli ordinandi sint, nisi alicubi attitulati sint. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 6 (*actione* XV).

(*Dist.* 70, *c. Neminem.*) Nullum absolute ordinari debere presbyterum, aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter Ecclesiæ, civitatis, aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii cui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit synodus irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.

CAP. 27. — *Quod non oporteat ordinationes celebrari sub aspectu audientium. Ex concilio Laodicensi, c.* 4.

Quod non oporteat ordinationes sub audientium aspectu celebrari (76).

CAP. 28. — *Quod electione turbarum sacerdos promovendus non est. Ex eodem, c.* 13.

(*Dist.* 63, *c. Non est permittendum.*) Quod non sit permittendum turbis, electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi.

CAP. 29. — *Quod episcopum vel presbyterum ante* 30, *et diaconos ante* 25 *annos ordinari non licet. Ex eodem c.* 14 (*conc. Agat., c.* 17.)

(*Dist.* 77, *c. Episcopus.*) Episcopum vel presbyterum, ante triginta annos, id est antequam ad viri perfectionem [perfecti ætatem] perveniat, et diaconos ante 25 nullus metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem (quod aliquoties evenit) aliquo errore detineantur [culpentur].

CAP. 30. — *De eadem re. Ex decretis Fabiani papæ Orientalibus missis.*

(*Dist.* 78, *c. Si quis.*) Si quis triginta ætatis suæ non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus; quia et ipse Dominus triginta annorum baptizatus est, et sic cœpit docere (*Luc.* III). Non oportet ergo eum qui ordinandus est, usque ad hanc ætatem legitimam consecrari.

CAP. 31. — *Quod ante viginti quinque annos diaconi non sint ordinandi. Ex Carthaginensi concilio, c.* 20 (*Carth.* III, *c.* 4).

(*Dist.* 77, *c. Placuit.*) Placuit ut ante 25 annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, et ut lector populum non salutet.

CAP. 32. — *De eadem re. Ex concilio Toletano* IV, *c.* 20.

(*Dist.* 77, *c. In veteri lege, num.* 8.) In veteri lege ab anno 25 levitæ in tabernaculo servire præcipiuntur; cujus auctoritatem in canonibus sancti Patres secuti sunt. Nos et divinæ legis, et conciliorum præcepti immemores, infantes et pueros levitas facimus, ante legitimam ætatem, et ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat a nobis, et divinæ legis, et canonum admonemur sententiis, sed 25 annorum diaconi ordinentur, ita ut secundum apostolicum præceptum probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes (*I Tim.* III).

CAP. 33. — *De presbyteris sine examine provectis. Ex concilio Nicæno, c.* 9.

(*Dist.* 81, *c. Si qui sine.*) Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, id est, cum discuterentur peccata sua confessi sunt, et homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia.

CAP. 34. — *De clericis qui medicorum incisione claudi efficiuntur. Ex concilio Hilerdensi, c.* 20 (*habetur in fragmentis hujus concilii*).

(*Dist.* 55, *c. Si quis.*) Si quis in infirmitate positus clericus, in medicorum incisione claudus efficitur, promoveri eum ad sacros ordines non denegamus.

CAP. 35. — *De illis qui invident fratrum provectionibus. Ex conc. Africano, c.* 54 (*conc. Carth.*, IV, *c.* 54).

(*Dist.* 46, *c. Clericus invidens.*) Clericus invidens, fratrum provectionibus, donec in vitio est, non promoveatur

CAP. 36. — *Ut seditionarii non ordinentur. Ex eodem, c.* 67.

(*Dist.* 46, *c. Seditionarios.*) Seditionarios nunquam ordinandos clericos decernimus, sicut nec usurarios, nec injuriarum suarum ultores.

(76) De catechumenis sentit, quos audientes vocat.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 37. — *Quod illitteratus, et aliquo membro imminutus provehi non debeat. Ex epistola Gelasii papæ, c.* 16 (*epist.* 9 *universis episcopis per Lucaniam, cap.* 18).

Illiteratos quoque, aut in aliqua parte corporis imminutos nullus præsumat ad clerum provehere; quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, et vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt (*Levit.* XXI). Similiter qui seipsos abscindunt.

Cap. 38. — *De bonis illorum qui a propriis dominis libertate donantur. Ex concilio Toletano, c.* 2.

De rebus vero illorum vel peculiari, qui a dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos promoveri debeant, statutum est, ut in potestate dominorum consistat, quidquid ante libertatem habuerunt, utrum illis concedere voluerint, an sibi retinere.

Cap. 39. — *De filiis concubinarum. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10 (*Aurel.* III, *c.* 9).

De his qui ex concubinis filios habent, et uxores legitimas post habuerint, et defunctis uxoribus sibi concubinas publice sociant: id observandum censuimus, ut sicut eos qui jam clerici per ignorantiam ordinati sunt, non removemus, jam statuimus ne ulterius ordinentur

Cap. 40. — *Ut dæmonibus similibusque passionibus irretiti sacra non tractent. Ex epistola Gelasii papæ, c.* 21 (*epist. universis episc. per Lucaniam, cap.* 21).

(*Dist.* 33, *c. Usque adeo.*) Usque adeo sane comperimus illicita quæque prorumpere, ut dæmonibus [dæmonialis] similibusque passionibus irretitis, mysteria sacrosancta tractanda tribuantur. *Et post pauca.* Si corpore sauciatum aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permisit (*Levit.* XXI), quanto magis doni cœlestis dispensatores esse non convenit (quod est deterius) mente perculsos.

Cap. 41. — *Ut nulli de servili conditione nisi prius liberi facti ordinentur. Ex concilio Triburiensi, cap.* 5.

(*Cap.* 29, *dist.* 54, *c. Nulli.*) Ut nulli de servili conditione ad sacros ordines promoveantur, nisi prius a dominis propriis legitimam libertatem consequantur. Cujus libertatis charta ante ordinationem in ambone publice legatur, et si nullus contradixerit, rite consecrabuntur. Porro servus non canonice consecratus postquam de gradu deciderit, ejus conditionis sit, cujus fuerat ante gradum.

Cap. 42. — *Ut qui ab episcopis suis promoveri contemnunt, nec cum illis remaneant ubi volunt. Ex concilio Carthaginensi.*

(*Cap.* 31, *dist.* 74, *c. Si qui.*) Si qui clerici ab episcopis suis promoveri contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerunt. *Ex eodem concilio, cap.* 31. (*Dist* 74, *c. Placuit.*) Placuit ut quicunque clerici vel diaconi pro necessitatibus ecclesiasticarum rerum non obtemperaverint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ecclesia sua promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.

Cap. 43. — *De eadem re. Ex registro Gelasii papæ.*

Qui proficere noluerunt, suis reddantur inferioribus posteriores, ipsaque commoda presbyteri propensius quam diaconi consequantur, ut hac saltem ratione constricti et honorem quem fugiunt, appetere nitantur et quæstum.

Cap. 44. — *Quod presbyteri septuaginta discipulorum typum gerant. Anacletus papa in secundo decretali suo* (*ep.* 2, *c.* 2).

Electi ab apostolis sunt septuaginta duo discipuli (*Luc.* X), quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum loco sunt constituti in Ecclesia, de quorum ordinatione, et reliquorum ministrorum supra dixisse sufficiat.

Cap. 45. — *Quod quanto digniores sunt sacerdotes, tanto facilius exaudiantur. Alexander in secundo decretali suo.*

(1, *q.* 1, *c. Ipsi sacerdotes.*) Ipsi sacerdotes pro populo interpellant et peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur.

Cap. 46. — *Ne clericus comam nutriat. Anicius papa* (*Anicetus* IV *ep. Galliæ*).

(*Dist.* 23, *c. Prohibete.*) Prohibete, fratres, per universarum regionum vestrarum Ecclesias, ut clerici, juxta Apostolum (*I Cor.* XI), comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.

Cap. 47. — *Quales et qualiter ordinandi sint sacerdotes. Zephyrinus papa in primo decretali suo* (*vide supra, c.* 25).

Ordinationes vero presbyterorum et levitarum tempore congruo et multis coram astantibus solemniter agite, et probabiles ac doctos viros ad hoc opus provehite, ut de eorum societate et adjumento plurimum gaudeatis. Ponite indesinenter corda vestra in virtute Dei, et enarrate hæc, et cætera divina verba in progenies alteras, *quoniam hic est Deus Deus noster in æternum, et ipse reget nos in sæcula* (*Psal.* XLVII).

Cap. 48. — *De lapsis et eorum reparatione. Calixtus papa Benedicto episcopo* (*epist.* 2 *ad omnes Galliarum episc., c.* 5).

Si quis lapsus quoquomodo fuerit, portemus eum, et fraterno corripiamus affectu, sicut ait beatus Apostolus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI). Porro sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, et tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, sed tamen apostolus permansit. Et Dominus per prophetam peccantibus pollicetur dicens: *Peccator in quacunque die conversus ingemuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor* (*Ezech.* XVIII). Errant enim qui putant sacerdotes post lapsum si condignam egerint pœnitentiam Domino ministrare non posse, et suis honoribus

Introdusă în format electronic de Google

frui, si bonam deinceps vitam duxerint, et suum sacerdotium condigne custodierint. Et ipsi qui hoc putant, non solum errant, sed etiam traditas Ecclesiæ claves despicere videntur, de quibus dictum est: *Quæcunque solveritis in terra erunt soluta et in cælo* (*Matth.* XVIII). Alioquin hæc sententia aut Domini non est, aut vera est. Nos vero indubitanter tam Domini sacerdotes, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per prophetam : *Nunquid qui cadit non adjicaet ut resurgat, et qui aversus est non revertetur* (*Jer.* VIII). Et alibi : *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Et propheta David pœnitentiam agens dicit : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (*Psal.* L). Ipse namque post pœnitentiam et alios docuit, et sacrificium Deo obtulit, dans exemplum doctoribus sanctæ Ecclesiæ si lapsi fuerint, et condignam pœnitentiam Deo gesserint utrumque facere posse. Docuit enim quando dixit : *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*ibid.*). Et sacrificium Deo pro se obtulit, dum dicebat : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*ibid.*).

CAP. 49. — *Non prohibendam esse misericordiam. Idem* (*eadem epist. sub finem*).

Sententiam, fratres, quæ misericordiam vetat, non solum tenere, sed et audire refugite ; quia potior est misericordia omnibus holocautomatibus et sacrificiis (*Ose.* VI).

CAP. 50. — *De clericis incontinentibus. Siricius papa Himerio Tarrac. episc.* (*epist.* 1, *c.* 7.)

(*Dist.* 82, *c. Plurimos sacerdotes.*) Plurimos sacerdotes Christi atque levitas post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac præsumptione [præscriptione] defendere : quia in veteri lege sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa (*Levit.* XXI). Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat quod in lege Moysi passim sacris ordinibus a Deo nostro laxata sunt frena luxuriæ, cur eos quibus commitebantur Sancta sanctorum prænonet dicens: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester ?* (*Levit.* XX.) Cur etiam procul a domibus suis, anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt sacerdotes ? (*I Par.* XXIV ; *Luc.* I.) Hae videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus expleto deservitionis suæ tempore, uxoris [*al.* uxorius] usus solius successionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Levi quisquam ad Dei ministerium præceptus est admitti. *Item. Paulo post :* Quia aliquanti de quibus loquimur (ut tua sanctitas retulit) ignorantia lapsos se esse deflent, his hac conditione, misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti [dejecti] sunt quandiu vixerint officio perseverent, si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Hi vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur, et sibi asserunt veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet episcopus presbyter atque diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum ; quia ferro necesse est abscindantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

CAP. 51. — *Ut clericus qui secundam uxorem duxerit deponatur, cap.* 11.

(*Dist.* 84, *c. Quisquis clericus.*) Quisquis sane clericus aut viduam aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudetur, laica tantum sibi communione concessa. Quam ita demum poterit possidere, si nihil postea propter quod hanc perdat, admittat.

CAP. 52. — *Quæ feminæ cum clericis habitare possint, cap.* 12.

(*Dist.* 81, *c. Feminas.*) Feminas vero alias non esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem synodus Nicæna permisit.

CAP. 53. — *De monachorum promotione, cap.* 13.

(16, *q.* 1, *c. Monachos quoque.*) Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus.

CAP. 54. — *Ne pœnitens fiat clericus, cap.* 14.

(*Dist.* 50, *c. Illud quoque.*) Illud quoque nos parfuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci.

CAP. 55. — *Ut si laicus viduam duxerit, clericus non fiat. Innocentius papa I Victorino* [*Victricio*] *episcopo* (*ep.* 2, *c.* 5).

(*Dist.* 34, *c. Si viduam licet.*) Ut is qui viduam licet laicus uxorem duxerit, seu ante baptismum, sive post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.

CAP. 56. — *De eadem re, cap.* 6.

Nec is qui secundam duxerit uxorem clericus fiat, quia scriptum est : *Unius uxoris virum* (*I Tim.* III) ; et iterum : Sacerdotes mei semel nubant

CAP. 57. — *De incontinentia sacerdotum vel levitarum. Ex epistola ejusdem ad Exuperium Tolosanum episcopum* (*ep.* 3, *c.* 1).

(*Dist.* 82, *c. Preposuisti.*) Proposuisti quid de his observari debeat, quos in diaconii ministerio, aut in officio presbyterii positos, incontinentes esse aut

Introdusă în format electronic de Google

fuisse generati filii prodiderunt. De his et divinarum legum est disciplina, et beatæ recordationis viri, Siricii episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico privarentur, nec admitterentur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

CAP. 58. — *Quod si volens partem sibi corporis abscideriт clericus esse non possit, nolens autem possit. Ex epist. ejusdem ad Felicem episc. Nucerinum* (*ep.* 4, *c.* 1).

Innocentius Felici episcopo Nucerino salutem. (*Dist.* 55, *c. Qui partem.*) Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones præcipiunt et clericos fieri, et si in clero fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere, quod scilicet, et alii id facere dubitari non possit. In istis vero casus veniam meruit.

CAP. 59. — *Quod non admittantur ad clerum ab hæreticis ordinati. Item cujus supra* (*epist.* 22, *c.* 3).

Innocentius Rufo, et Eusebio, et cæteris episcopis Macedonibus. (1, *q.* 1, *c. Ventum est.*) Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem : cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus consecuta est, sine cicatrice esse non poterit, atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere nos posse decernimus. Nam si, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit (*Levit.* XV), quomodo ei tribuetur quod munditia ac puritas consuevit accipere? Sed econtra asseritur cum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse; quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, et verum est certe, quia quod non habuit dare non potuit. Damnationem utique, quam habuit per pravam manus impositionem, dedit. Et qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum. At dicitur vera ac justa legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium quod a vitioso fuerat injectum (*Levit.* IV).

CAP. 60. — *Quod in ordinationibus crimina non auferuntur, cap.* 4.

Ibidem continuo. Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri : nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. Sed nostræ lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.

CAP. 61. — *Quod in ecclesia peccatum populi inultum solet præteriri, capitulo sexto.*

Pervideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse, et advertite quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam ecclesias constitutas non posse præsumere. (1, *q.* 7, *c.* 1 *Quoties a populis.*) Sed, ut sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Priora ergo dico dimittenda Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum.

CAP. 62. — *Ut quicunque contra formas canonum ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur, cap.* 3 (*ep.* 23, *c.* 3).

Innocentius universis episcopis in Tolosana synodo constitutis. Si quis adversus formas canonum ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverit, una cum ordinatoribus suis, ipso in quo inventi fuerint ordine et honore priventur. Et quamvis dilectioni vestræ, fratres charissimi, regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundum quas ordines faciendos esse per sententiam decernimus, tamen aliquam partem quæ de ordinationibus est provisa, inserendam putavi : ut secundum eam ordinationes in posterum celebrandas esse sciamus, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quæ sunt prohibita digerantur.

CAP. 63. — *De Nicæno concilio in quo prædicta prohibentur. Idem* (*ibid.*, *c.* 4).

Prohibendum est de curialibus aliquem ad ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post baptismum vel coronati fuerunt, vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint, et editiones publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne idem qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis (quod frequenter videmus accidere) reposcantur, quæ omnia rationabiliter prohibita, oportet modis omnibus custodiri

CAP. 64. — *Ut nullus episcoporum servum alterius ad clericatus officium promovere præsumat. Leo papa omnibus episcopis per Campaniam et Picenum* (*Leo I, epist.* 1, *cap.* 1).

(*Dist.* 54, *c. Admittuntur passim.*) Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur, et qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii (tanquam servilis vilitas hunc honorem jure capiat) provehuntur, et probari posse Deo creditur, qui Domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod est sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur, et dominorum quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. Ab his itaque, fratres charissimi, omnes vestræ provinciæ abstineant sacerdotes, et non tantum ab his, sed ab aliis etiam, qui aut originali [*al.* origini] aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari nisi

Introdusă în format electronic de Google

forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a castris Dominicis, quibus nomen ejus ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

CAP. 65. — *Quod usuras non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici, cap.* 2 [3].

(14, *q.* 4, *c. Nec hoc.*) Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam, et fenore velle ditescere. Quod nos, ut non dicamus eos qui sunt in clericali officio constituti, sed et in laicos cadere qui Christianos se dici cupiunt, condolemus quod vindicari acrius in eos qui fuerint confutati, decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

CAP. 66. — *Ut clericus nec suo nec alieno nomine fœnus exerceat, cap.* 3 [4].

(*Dist.* 46, *c. Sicut non suo.*) Illud etiam duximus præmonendum, ut sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fenus attentet. Indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Fenus autem hoc solum aspicere et exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, a Domino [ab eod.] qui multipliciter et in perpetuum mansura retribuit, recipere valeamus.

CAP. 67. — *Quomodo presbyteri vel diaconi in crimine lapsi reconciliari debeant. Leo Rustico Narbonensi episcopo, cap.* 2 (*epist.* 92).

(*Dist.* 50, *c. Alienum est.*) Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut diaconii fuerint gradu consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? (*Levit.* IV.) Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio [successio vel concessio], ubi si illis satisfactio fuerit digna, sit etiam fructuosa.

CAP. 68. — *Quod diaconibus eadem lex continentiæ est quæ episcopis et presbyteris, cap.* 3.

(*Dist.* 31, *c. Lex continentiæ.*) Lex continentiæ eadem est altaris ministris quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici sive lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere (*I Cor.* VII), quo et salva sit charitas connubiorum, et cessent opera nuptiarum.

CAP. 69. — *Ut nullus alienum clericum sollicitet invito episcopo suo, cap.* 9 (*ep.* 84).

(19, *q.* 2, *c. Alienum clericum.*) Alienum clericum invito episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte explacito charitatis, id inter dantem et accipientem conveniat. Nam gravis injuriæ reus est, qui de fratris ecclesia, id quod est utilius aut pretiosius, audet vel allicere vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad ecclesiam suam metropolitanus redire compellat. Si autem longius recessit, sui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

CAP. 70. — *Quod mane Dominico continuato jejunio Sabbati possit fieri ordinatio. Epistola Leonis ad Dioscorum Alexandrinum episc.* (*ep.* 81, *c.* 1).

Leo Dioscoro episcopo Alexandrino. (*Dist.* 75, *c. Quod presbyteris.*) Quod a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque voluimus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejusque noctis quæ in prima Sabbati lucescit, exordia consecrandi eligantur, in quibus his qui consecrandi sunt jejunis, et a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt: quod ad diem Resurrectionis (sicut etiam in Pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est.

CAP. 71. — *Ut in die Resurrectionis sacerdotalis et levitica fiat ordinatio. Ad eumdem (ibidem).*

(*Dist.* 75, *c. Quod die.*) Quod die Dominico ordinationes sacerdotum celebrantur non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica novimus venire doctrina Scriptura manifestante, quod cum apostoli Paulum et Barnabam, ex Spiritus sancti præcepto ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus (*Act.* XIII), ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam, per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris, ut his qui consecrandi sunt nunquam benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur. Cui a vespere Sabbati initium constat ascribi, et tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata ut quidquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi et mors interitum, et vita accepit principium.

CAP. 72. — *Quid plus habeant episcopi quam chorepiscopi vel presbyteri. Item ejusdem* (*epist.* 88).

Leo Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis episcopus universis Germaniarum atque Galliarum regionum episcopis. Quamvis cum episcopis plurima chorepiscopis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis, et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverit sicut presbyterorum et diaconorum, ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec ecclesias vel altaria consecrare permittimus, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel

Introdusă în format electronic de Google

conversis de hæresi Paracletum Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc etenim omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exemplum et formam LXX discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris, qui eamdem gestant figuram, quoniam quamquam consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis deberi summis pontificibus auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc et discretio graduum, et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere, aut signare, nec pœnitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo jubente, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere, aut salutare, nec plebem utique exhortari.

CAP. 73. — *Quod priorem dignitatem amittit, qui quod non accepit usurpat. Ex decretis Silverii papæ* (*epist.* 1, *ad Verg. episcop.*).

(25, *q.* 2, *c. Sic decet.*) Sic decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia servari catholica, ut quod habuit amittat, qui improbabili temeritate quod non accepit, usurpaverit [assumpserit].

CAP. 74. — *Ordinationes non esse faciendas, nisi in jejunio Quatuor Temporum. Ex decretis Gelasii papæ, c.* 13 (*epist.* 9 *ad episc. per Lucaniam, c.* 13).

(*Dist.* 75, *c. Ordinationes.*) Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam Quadragesimalis initii, ac medianæ Quadragesimæ die Sabbati, jejunia circa vesperam noverint celebranda [hebdomadæ et Sabbati jejunio circa vesperam, ipsas ordinationes noverint celebrandas] nec cujuslibet utilitatis causa seu presbyterum seu diaconum his præferre, qui ante ipsos fuerint ordinati.

CAP. 75. — *Ne illitteratus, vel membro imminutus ad clerum promoveatur. Ex eodem, c.* 18.

Illitteratos quoque et nonnulla parte corporis imminutos, sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium, quod simul antiqua traditio, et apostolicæ sedis vetus forma non recepit : quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, et vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt (*Lev.* XXI). Itaque de cætero modis omnibus hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum.

CAP. 76. — *De ministris incontinentibus. Gregorius civibus Romæ.*

(*Dist.* 81, *c. Oportet.*) Oportet sacerdotes, ad quorum curam Dei populus commissus est, cum magna animi constantia vigilare super Dominicas oves, ut lupinis morsibus, id est, diaboli stimulis non lanientur. Neque enim hoc silere debeo (quod cum grandi animi tristitia dico) sacerdotes cum feminis habitare conspicio, quod nefarium est dicere et audire, et contra sanctorum canonum sancita. Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt. Ideoque admonendi sunt ut non antiqui hostis decipiantur fraude, quatenus, juxta Apostoli vocem : *Non vituperetur ministerium nostrum* (*II Cor.* VI). Cavere enim nos oportet, fratres, ab illicitis, ut mundas valeamus ad Dominum levare manus (*I Tim.* II). Scriptum est enim : *Sancti estote quia ego sanctus sum* (*Lev.* XX). Si quis vero præsumpserit aliter agere, sacerdotii sui honore privetur. Unde omnino cavendum est, fratres, ne fallamus populum, et impleatur in nobis prophetæ dictum : Sacerdotes mei contaminant sancta, et reprobant legem (*Soph.* III). Quos et alius propheta increpat dicens : *Vos, o sacerdotes qui fallitis nomen meum, et dixistis : In qua re fallimus nomen tuum ?* (*Mal.* I.) Quibus responsum est : *Offerentes ad altare meum panes pollutos. Non mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et sacrificium non accipiam de manibus vestris*, quia polluti estis (*ibid.*).

CAP. 77. — *De vitanda familiaritate mulierum. Idem in registro* (*lib.* VII, *indict.* 2, *ep.* 39).

(*Dist.* 81, *c. Legitur. Possid. in Vita B. Aug.*) Legitur quod B. Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens : « Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. » Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio.

CAP. 78. — *De non reparandis lapsis. Idem ad Januarium episcopum Caralitanum* (*lib.* III, *ep.* 26).

(*Dist.* 50, *c. Pervenit.*) Pervenit etiam ad nos, quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante pœnitentiam ad ministerii sui officium revocari ; quod omnino prohibemus, et in hac re sacratissimi quoque canones contradicunt. Qui ergo post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat ut ad altaris ministerium ulterius non accedat.

CAP. 79. — *De eodem. Idem Constantino Mediolanensi episcopo* (*lib.* IV, *ep.* 17).

Jobinum [Jovinum] de portu Veneris quodam diaconum et abbatem suo decrevimus privandum officio, atque ut alter in loco ejus debeat ordinari scripsimus. Similiter et tres subdiaconos, quos fraternitas vestra lapsos innotuit, a suo semper vacare, ac decernimus esse privatos officio, quibus nihil aliud nisi inter laicos sacra est præbenda communio.

CAP. 80. — *Idem de eodem. Ad eumdem* (*ibidem ; principium est epistolæ*).

(*Dist.* 50, *c. Si lapsis.*) Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. *Et post pauca.* Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur esse vindicta.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 81. — *Cum quibus feminis sacerdotes possint habitare. Idem Symmacho defensori* (*lib.* I, *ep.* 50).

(*Dist.* 81, *c. Volumus.*) Volumus ut sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, excepta duntaxat matre vel sorore, vel uxore quæ caste regenda est.

Cap. 82. — *Non fieri debere reordinationes. Idem Joanni episcopo Ravennati* (*l.* II, *indict.* 10, *ep.* 32).

Illud quod dicitis, ut ille qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est. (*Dist.* 68, *cap. Sicut semel.*) Sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non debet iterum consecrari. Sed si quis cum levi forsitan culpa ad sacerdotium venit, pro culpa indici pœnitentia debet, et tamen ordo servari.

Cap. 83. — *De presbytero qui post depositionem sacrificare præsumpserit. Idem Venantio Lunensi episcopo* (*lib.* IV, *ep.* 5).

(*Dist.* 50, *c. Accedens.*) Accedens ad Gorgonam insulam fraternitas vestra discutiat, id quod ad nos de Saturnino presbytero [ex presbyt.] est perlatum. Pervenit namque ad nos quia, postquam pro crimine lapsus sui a sacerdotii ordine est dejectus, ad explendum presbyterii ministerium præsumpsit accedere, et omnipotenti Deo hostias immolare. Quod si ita factum fraternitas vestra repererit, eum sacri corporis et sanguinis Dominici participatione privatum in pœnitentiam redigat, ita ut usque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, et viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat. Sin autem eum talem pœnitentiam agere fraternitas tua cognoverit ut ei juste ad recipiendam communionem inter laicos, et ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.

Cap. 84. — *Quod quæ fuit uxor legitima diaconi non possit nubere alteri. Idem Joanni episcopo Panormitano* (*lib.* II, *ep.* 62).

Itaque pervenit ad nos Fantinum [Fotinum] defensorem ultionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quod (quantum dicitur) relictam cujusdam diaconi, tempore quo conductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iste conjugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec illam virginem ad eum venisse, denique nec religiosam vestem mutasse, postquam ille in ordine sacro promotus est, adjiciens et priusquam ad diaconatum veniret, et postea, prava illam opinione vixisse : ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cum Dei (sicut decet) timore, causam hanc subtili omnino investigatione perquiras, et si in conjugio diaconi mulierem de qua agitur fuisse constiterit, et suprascriptus lator memorato defensori et rectori patrimonii [patrimonasterii] ad vindictam modis omnibus tradatur, et cum competenti emendatione hi qui male sociati sunt disjungantur. Si vero in ejus conjugio non fuerit, memoratum Fantinum, ex nostro mandato commonere te volumus, ut ei facere nihil præsumat, nec falsa illium accusatio apud eum in aliquo prægravet.

Cap. 85. — *Quomodo lapsi possint restitui. Idem ad Secundinum servum Dei inclusum* (*lib.* VII, *ind.* 2, *ep.* 54).

(*Dist.* 50, *c. Quia sanctitas tua.*) Sanctitas tua hoc a nobis requisivit ut tibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi, dum dicis de hoc canones diversos te legisse, diversasque sententias, alias resurgendi, alias nequaquam. Nam nos generaliter a synodo Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quæ ipsam sequentes in cunctis sententiis unanimes concordant. Nos ergo præcedentes Patres sequimur, qui auctore Deo a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes usque in quartum altaris ministrum, hanc formam servandam cognoscimus, ut quem minorem major præcedit, sicut est major honore ita sit in crimine; et quem major sequitur culpa, major ei implicetur vindicta, et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, et fructum ejus non colligere ? Aut domum construere, et non illic habitare? Post dignam enim satisfactionem credimus lapsum posse redire ad honorem, Propheta dicente : *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat ?* (*Psal.* XL.) *Et qui aversus est, non revertetur ?* (*Jer.* VIII.) Idem peccatori ait : In quacunque die conversus ingemueris tunc salvus eris (*Ezech.* XVIII). Unde Psalmista ait : *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua* (*Psal.* L), etc. Alienam quippe rex et propheta rapuisse se uxorem tremefactus expavit. Et Propheta indicante flagitium suum, et pœnitentiam agens, addit : *Redde mihi lætitiam Salutaris tui* (*ibid.*), etc. Si enim ipse dignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret ? Ait enim : *Docebo iniquos vias tuas* (*ibid.*). Dum enim peccata sua perspexit per pœnitentiam mundata, non dubitavit prædicando castigare [*al.* curare] aliena. Et sic sacrificium de semetipso offerre Deo studuit cum dixit: *Sacrificium Deo* (*ibid.*), etc. Ad hæc ista sufficerent, sed omnis sententia quo plus sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). De hoc, peccantibus dicitur : Peccator, in quacunque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in oblivionem tradentur. Si enim Redemptor noster qui peccatores non perdere, sed justificare venit (*Luc.* IX), in oblivione delicta peccantium derelinquit : quis hominum condemnanda reservet, cum dicit Apostolus : *Si Deus justificat, quis est qui condemnet ?* (*Rom.* VIII.) Ad fontem misericordiæ recurrentes evangelicam proferamus sententiam. *Gaudeo*, inquit, *super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV) : et ovem perditam nonaginta novem non errantibus relictis, in humero reportavit.

Introdusă în format electronic de Google

ad ovile (*ibid.*). Si ovis errans post inventionem ad ovile humero reportatur, cur lapsus post pœnitentiam ad ministerium non revocetur? Quid est ergo gravius aut carnale delictum admittere (sine quo pauci inveniuntur) aut Dei Filium jurejurando negare ? In quo peccato [*al.* verbo] ipsum principem apostolorum beatum Petrum (ad cujus nunc corpus indigni sedemus) lapsum esse cognoscimus. Sed post negationem pœnitentia secuta est, et post pœnitentiam misericordia data est quia illum ab apostolatu non dejecit, quem ante seipsum negaturum esse prædixit. Tibi hæc, fili charissime, dicta sufficiant, ut illum quem conspicis delicta fletu diluere, non dubites in conspectu divinitatis misericordiam consequi, quia nullum peccantem reversum despicit, qui peccatores suo sanguine redimere venit.

CAP. 86. — *Quid agendum sit de clericis incontinentibus. Idem Augustino episcopo (responsione ad secundam August. interrogationem).*

(*Dist.* 32, *c. Si qui sunt clerici.*) Si qui sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere. Quia et de eisdem Patribus, de quibus præfati sumus, novimus scriptum, quod dividebatur singulis prout cuique opus erat (*Act.* IV). De eorum quoque [ergo] stipendio cogitandum atque providendum est, et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis et cor, et linguam, et corpus Deo auctore conservent.

CAP. 87. — *Ut incontinens presbyter non ministret. Clemens in secunda epist.*

Ad Dominica autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem conjuges suas noverint. Quod si post ordinationem ministro contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portationem accedat ; sed aquam tantum sacerdotum manibus porrigat, ostia [*al.* nec aquam sacerdotibus porr. ad manus. Os.] forinsecus claudat, minora gestet officia, urceum sane ad altare suggerat [*al.* sive calicem ad altare non sufferat].

CAP. 88. — *De non distrahendis a presbytero ecclesiæ ornamentis. Item ejusdem.*

(17, *q.* 4, *c. Si forte.*) Si forte quispiam presbyter sive diaconus sacrarii sindonem vel velum subtracta vendiderit, Judæ similis æstimabitur Iscariotis. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, noverit se supradicti Judæ suscepturum pœnam.

CAP. 89. — *De vitanda familiaritate feminarum. Idem ejusdem.*

(*Dist.* 81, *c. Clericus solus.*) Clericus vero solus ad feminæ tabernaculum non accedat, nec properet sine majoris natu jussione. Nec presbyter solus cum sola adjungatur, sed duobus adductis testibus visitet infirmam; nec solus cum sola femina fabulas misceat ; nec archidiaconus, nec diaconus sub prætextu humilitatis vel officii frequenter domicilia matronarum, aut forte per clericos aut domesticos ejus matronæ mandent secreti aliquid. Si cognitum fuerit, et ille deponatur, et illa a liminibus arceatur ecclesiæ. Sed si forte aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur. Et si talis est, ad quam debeat ire pro interventu, ipse pergat. Sin autem, de latere suo dirigat cum duobus aut tribus qui hoc debeant sanare.

CAP. 90. — *Nihil agendum clericis absque licentia episcopi sui. Item ejusdem (epist.* 5).

(16, *q.* 1, *c. Cunctis fidelibus.*) Cunctis fidelibus, et summopere omnibus presbyteris et diaconibus, ac reliquis clericis attendendum est, ut nihil absque episcopi proprii licentia agant. Non utique missas sine ejus jussu quisque presbyterorum in sua parœcia agat, non baptizet, nec quidquam absque ejus permissu faciat. Similiter et reliqui populi majores scilicet et minores per ejus licentiam quidquid agendum est, agant; nec sine ejus permissu a sua parœcia abscedant, vel in ea adventantes morari præsumant. Animæ enim eorum ei creditæ sunt, ideo omnia ejus consilio agere debent, et eo inconsulto nihil.

CAP. 91. — *Quomodo ad sacros ordines ascendendum sit. Siricius papa Himerio Tarraconensi episcopo (epist.* 1, *c.* 9).

(*Dist.* 77, *c. Quicunque itaque.*) Quicunque se ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ usque ad trigesimum [*al.*, vigesimum] ætatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum et ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione percepit, uxore contentus, acolythus et subdiaconus esse debebit ; posteaque ad diaconii gradum, si se ipse primitus continentia præeunte dignum probaverit, accedat. Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue presbyteratum consequatur. Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ et fidei ejus fuerit approbata.

CAP. 92. — *Quomodo laicus sit provehendus. Idem (ibid., c.* 10).

Qui vero jam ætate grandævus melioris propositi conversatione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen unam habuisse vel habere, et hanc virginem accepisse constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconatum, si per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde jam accessu temporum presbyterio vel episcopatui, si eum plebis ac cleri evocaverit electio, non immerito societur.

CAP. 93. — *Non sedendum quando legitur Evangelium. Anastasius papa cunctis Germanicis (Anast. I, epist.* 1, *c.* 1).

Significatis enim quosdam sacerdotes in ecclesia

Introdusă în format electronic de Google

quando legitur Evangelium sedere, et Domini et Salvatoris verba non stantes, sed sedentes audire, et hoc ex majorum traditione se accepisse narrant. (*De cons. dist.* 1, *c. Apostolica.*) Quod nullatenus fieri deinceps sinatis, apostolica auctoritate mandamus, sed dum sancta Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri [omnes præsentes] fideles non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent.

CAP. 94. — *De castitate sacerdotum et levitarum. Innocentius Victricio et Rothomagens. episcopo* (*epist.* 2, *c.* 9).

(*Dist.* 31, *c. Tenere debet.*) Præterea quod dignum, quod pudicum, quod honestum est tenere Ecclesia omnino debet, ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non misceantur; quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim : *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Levit.* XX, XXI). Nam priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus (*Luc.* I), quia et ex alia tribu et præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere (*Num.* XVIII); quanto magis hi sacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, aut a baptismatis officio vacent?

CAP. 95. — *Non repellendos omnes laicos a clericatu. Idem Exuperio Tolosano episcopo* (*epist.* 4, *c.* 3, *Felici Nuceriano episcopo*).

De laicis vero religio tua consuluit, quos canones ordinari prohibent. Certum est quidem hoc et regulas ecclesiasticas continere, sed non ita difficultum est, ut de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci et non fieri possunt. (*Dist.* 51, *c. Designata sunt.*) Sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt, id est si quis fidelis militaverit, si quis fidelis causas egerit, hoc est postulaverit, si quis fidelis administraverit. De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam et si inveniantur hujusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad curiam repetuntur cavendum ab his est, propter tribulationem quæ sæpe de his ecclesiæ provenit. Laici vero qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut clericis juncti sint, aut monasteriis ex quo baptizati sunt adhæserint, si non concubinam, non pellicem noverint, sed in omnibus operibus bonis vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem [partem] assumi; ita sane ut in eis tempora a majoribus constituta serventur, ne cito quilibet lector cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat.

CAP. 96. — *De presbyteris filios generantibus. Idem Maximo et Severo episcopis* (*epist.* 5).

(*Dist.* 81, *c. Maximilianus.*) Eos presbyteros qui in presbyterio filios procrearunt jubebitis in medio collocari, discussisque objectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convicti fuerint, a sacerdotali removeantur officio, quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur a ministerio quod vivendo illicite polluerunt. Miramur autem hæc eorum dissimulare episcopos, ut aut cohibere [*al.* convivere], aut nescire esse illicita, judicentur.

CAP. 97. — *De revertentibus ab hæresi. Idem Januario* [al. *Juliano*] *episcopo Aquileiensi* [*Leo I, ep.* 1].

(1, *q.* 7, *c. Saluberrimum.*) Saluberrimum, et spiritualis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive presbyteri, sive diaconi, vel subdiaconi, aut cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem quam pridem amiserant, rursum reverti ambiunt, prius errores suos et ipsos auctores erroris a se damnatos, sine ambiguitate fateantur; et sensibus pravis etiam peremptis, nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrum talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.

CAP. 98. — *De castitate ministrorum. Item Anastasio episcopo Thessalio* (*ep.* 84, *c.* 3 *et* 4).

(*Dist.* 32, *c. Omnium sacerdotium*). Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendum tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur; ut et qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo vel secundo, tertiove servandum est, ne aut levitico, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a voluptate luxuriæ [uxoria] necdum refrenasse detegitur?

CAP. 99. — *Ne diaconi baptizent sine episcopo vel presbytero. Gelasius universis episcopis per Lucaniam* (*epist.* 9, *c.* 9).

Diaconos quoque propriam constituimus mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus, nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ prioribus ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non præsumant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat, quod et laicis Christianis facere

Introdusă în format electronic de Google

plerumque conceditur. Hos non in presbyterio residere cum divina celebrantur, vel ecclesiasticus celebratur [*al.* habetur] quicunque tractatus, sacrique corporis prorogationem [*al.*, prærog.], sub conspectu episcopi vel presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.

Cap. 100. — *De non recipiendis servis ad clerum. Idem Gelasius* (*ibid.*, *c.* 16).

(*Dist.* 54, *c. Generalis.*) Generalis etiam querelæ vitanda præsumptio est, qua propemodum causantur universi passim servos et originarios dominorum jura possessionemque fugientes, sub religiosæ conversationis obtentu, vel ad monasteria sese conferre, vel ad ecclesiasticum famulatum conniventibus quoque præsulibus indifferenter admitti. Quæ modis omnibus est amovenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti, præcipue cum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione fuscari conveniat dignitatem, cogaturque pro statu militantium sibi, conditioneque jurgari, aut videri (quod absit) obnoxia. Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbyter, vel diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, hujusmodi personas apud se tenentes, non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiasticæ servituti, vel religiosis congregationibus putaverit applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum subscriptionis testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas, periculum se honoris proprii non ambigant communionisque subituros, si super hac re cujusquam verax nos querela pulsaverit. Magnis quippe studiis, secundum beatum Apostolum, præcavendum est, ne fides et disciplina Domini blasphemetur (*Rom.* II; *II Petr.* II).

Cap. 101. — *De baptizatis in ægritudine. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 12.

(*Dist* 57, *c. Si quis in ægritudine.*) Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

Cap. 102. — *Ne presbyter diaconum aut presbyterum ordinet. Ex concilio Spatensi* II, *c.* 5.

(*Dist.* 23, *c. Quorumdam.*) Quinto judicio ad agnitionem nostri examinis [nostram Aniani] Gabrensis diaconi relatu deductum est, de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis, quorum dum unus ad presbyterium, duo ad levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur super eos manum suam tantum posuisse, et presbyter quidam illis, contra ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus judicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione præventus. Sed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accusari non potest, hi qui supersunt, et ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decrevimus ut a gradu sacerdotali vel levitici ordinis, quem perverse adepti sunt depositi, æquo judicio abjiciantur. Tales enim merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti.

Cap. 103. — *Quod non debeant presbyteri ecclesias consecrare vel altaria erigere. Ex eodem concilio, cap.* 7.

Septimo examine relatum est nobis venerandissimum quondam Agapium, Cordubensis urbis episcopum, frequenter presbyteros vel chorepiscopos (qui tamen juxta canones unum sunt) destinasse, qui absente pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse virum, ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, et statim a sæculari militia in sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne ultra talis a nobis licentia usurpetur communi sententia statuendum oportuit, scientes quia sicut presbytero vel chorepiscopo illicita consecratio est altaris, ita et constitutio. In divinis enim litteris præcipiente Domino, solus Moyses [Aaron] in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit utique (*Exod.* XL), quia summus sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* (*Psal.* XCVIII).

Cap. 104. — *De servis super interdictum dominorum ordinatis. Gelasius Rufino et Aprili episcopis.*

(*Dist.* 54, *c. Quis aut.*) Quis enim aut leges principum, aut Patrum regulas, aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum? Actores siquidem filiæ nostræ, illustris et magnificæ feminæ Maximæ petitorii nobis insinuatione conquesti sunt Sylvestrum atque Candidum originarios suos, contra constitutiones quæ supradictæ sunt, etiam contradictione præeunte, a Lucerino pontifice diaconos ordinatos. Et ideo, fratres charissimi, tantæ prævaricationis excessus noveritis sagacius inquirendos. Et si constiterit querelam veritate fulciri, continuo qui contradictione præeunte non legitime sunt creati, a sacris officiis repellantur.

Cap. 105. — *De jurejurando possessoris. Gelasius Justo episcopo.*

Dilectio tua, quæsita omnium fideliter rerum veritate, si de spatiis quibus memoratur orta contentio, diffinitio dudum certa processit, intemerata servetur. Alioquin, si nihil unquam constiterit terminatum, nunc de præscriptione temporum, si qua pars fidit, præbeat sacramentum, ut tamen quæ hactenus possedisse probabitur. Jusjurandum sinatur offerre.

Cap. 106. — *Ne invitus aliquis ordinetur. Gelasius Victori episcopo.*

(*Dist.* 74, *c. Consuluit.*) Consuluit dilectio tua de suorum promotione clericorum, perhibens quod diaconi ad presbyterii gradum, quo Ecclesiam tuam commemoras indigere, venire detrectant. Quapropter quia invitos fieri ecclesiastica moderatio gravitasque non patitur, ut ex nolentibus sint [*al.* fiant]

Introdusă în format electronic de Google

volentes, ordinatio illa potest proficere, quia scilicet si quos habes vel in acolytis, vel in subdiaconibus maturioris ætatis, et quorum sit vita probabilis, hos, in presbyteratum studeas promovere.

CAP. 107. — *Quod sauciatus et debilitatus, in sacerdotio ordinem non amittat. Gelasius Palladio episcopo.*

(*Dist.* 55, *cap. Præcepta canonica.*) Præcepta canonum quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut ad sacerdotium debiles corpore non patiuntur venire, ita et si quis in eo actu fuerit constitutus, ac fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suæ sinceritatis accepit. Stephanus siquidem presbyter petitorio nobis deflevit oblato, quod haberet [habetur] in subditis, olim sibi ante plurimos annos collatam presbyterii dignitatem, quam revera immaculati corporis judicio suscepit, sed nuper propter provinciæ vastitatem, quam Thusciæ præ omnibus [vastitatem Thusciæ, quam præ omnibus provinciis] barbarorum feritas diversa sectantium, et ambiguitas invexit animorum, cum imminentes gladiose evadere fugæ præsidio niteretur, acutis sudibus occurrentia sibi septa transiliens, inferiores [*al.* inter] partes corporis inseruisse [*forte* insecuisse] suggessit, quæ vix adhibita curatione biennio potuisset abstergi. Et ideo, frater charissime, supradicto locum suum, dignitatemque restitue quatenus sacrosancta mysteria, sicut consuevit, exerceat. Neque enim convenit ob hoc auferri ante susceptum ordinem, in quo postmodum invalitudinem corporis casu probatur faciente collapsus.

CAP. 108. — *Ut qui a dominis suis manumissi sunt, post ordines ab hæredibus non repetantur. Gelasius Crispino et Sabino episcopis.*

(11, *q.* 1, *c. Sylvester.*) Sylvester et Faustinianus Ecclesiæ Grumentiæ clerici lacrymosa nobis insinuatione conquesti sunt, libertatem sibi Domini sui benignitate concessam, hæredum ejus oppressione pulsari, sibique in clericatus officio pene ab incunabulis servientibus, etiam manumissore vivente, in eodem actu nihilominus constitutis, divinis ministeriis impendere servitium non licere, cum (si petitionem veritas subsequatur) contra patris et auctoris sui factum venientibus, ut indignis hæreditas legibus auferatur, nec eis liceat hæreditatem capientibus contra auctoris sui prosilire judicium. Et ideo, fratres charissimi, quoniam se etiam ab archidiacono prædictæ Ecclesiæ queruntur oppressos, qui per eorum absentiam moderatoris judicium promisit eos esse secuturos, calcatis omnibus [rationibus] et quæ contra leges divinas et publicas pulsatis, forum suum putavit auferri, in vestro judicio, quæso, ille qui [*al.*, quisquis ille est qui] clericum lacessit adveniat, ut Ecclesiæ jura quæ vetusti principes assidua sanctione firmarunt, impetitis clericis non negentur.

CAP. 109. — *De eo qui nepotem suum tutandum suscepit, et paternis bonis privavit. Gelasius Fortunato episcopo.*

(*Dist.* 87, *c. Irreligiosum.*) Irreligiosum prorsus et exsecrabile judicamus, si quisquam vel extraneos, in sua tuitione susceptos, non omni fide et tota animi sui educaverit sanctitate. Ac cum Olympius diaconus dilectionis tuæ, Felicis atque Olympii suggeratur avunculus, eosque parvulos tutelæ vice susceperit nutriendos, ultra latrocinium esse judicamus, quod eos bonisculis parentum (sicut asserunt) reliquit extorres, alia retinendo, alia contra leges et jura vendendo.

CAP. 110. — *Quod ad invocationem criminosi sacerdotis Spiritus sanctus non adveniat. Idem Helpidio episcopo.*

(1, *q.* 1, *c. Sacrosancta.*) Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reverentiam vindicat ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat pervenire. Nam quomodo ad divini mysterii consecrationem cœlestis Spiritus invocatus adveniet, si sacerdos et qui eum adesse deprecatur criminosis plenus actionibus reprobetur?

CAP. 111. — *Ut qui caret oculo, sacerdotii officium adipisci non possit. Pelagius Rufino episcopo.*

(*Dist.* 55, *c. Si evangelica.*) Illi cui erutus oculus est, non possunt juxta canones sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid ei prodest, quod oculum invitus amisit, cum nec volens quisquam oculum amisisse credendus est. Nec sacratissimos canones aliquem casum in amissionem oculi, ei [*hæc vox abest ab orig. et Grat.* qui ad sacerdotium adipiscendum non impediret, suis excepisse regulis invenimus, sed hoc tantum modo ad prohibitionem fecisse videmus Patribus, ut qui careret oculo, sacerdotii officium adipisci non possit. Sed nec illi ullatenus quasi in compensationem injuriæ, sacratus ordo concedi poterit, qui ad tantam sacerdotem proprium potuit iracundiam provocare, ut et ille officium in quo erat amitteret, et iste provectus sui perderet facultatem.

CAP. 112. — *Ut qui episcopum necessarium habent, concorditer eligant. Pelagius Tuliano episcopo Grumentino.*

(*Dist.* 63, *c. Litteras charitatis.*) Litteras charitatis tuæ suscepimus, quibus significas Latinum diaconum tuum ad episcopatum Ecclesiæ Marcellianensis a clero, et ab omnibus illic convenientibus postulari, de quo, jam ante hoc tempus, retinemus nobis a visitatore et quibusdam loci habitatoribus fuisse relatum. Sed nos credentes quia jam dimissoriam ipsius a tua charitate perceperint, scripsimus eum venire debere. Verum quia nunc consulis utrum nobis de persona ejus placeat, et a te debeat relaxari, ad nos nihil attinet, nisi ut qui sacerdotem necessarium habent, concorditer personam eligant, cui canones obviare non possint. Sed et nunc hoc dicimus, ut si eum omnes eligunt, et vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce et si potest ante diem sanctum festinet occurrere, ut vel Sabbato ipso nostis magnæ post baptismum, cum Dei gratia valeat ordinari. Alioquin necesse est eos usque ad quarti mensis jejunia sustinere

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 113. — *De eo qui uxorem duxit cum alio ante velatam. Pelagius Marcello episcopo Atoniensi.*

(*Dist.* 34, *c. Valentino.*) Valentino clerico, cui mulier cum alio ante velata non tamen ei nupta, sed virgo permanens, post mortem ejus, cum quo velata erat sponsa [sponso], conjugali est copula sociata, quia interim velamen accepit, nullum in promovendo generetur obstaculum, quia nihil est (quantum ad hunc articulum pertinet) quod ei de canonicis obviet institutis.

Cap. 114. — *Quod sacerdos homicida non potest in sacerdotio permanere. Joannes VIII. Cennemoco episcopo Venetiensi (Cenomantico Uticensi episcopo in fragmentis).*

(*Dist.* 50, *c. Miror minus.*) Miror minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare, imo (quod est pejus) nobis suadere velle ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque perversi sensus tale quid æstimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum cum omni [omnino] sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

Cap. 115. — *Idem, ad Ludovicum imperatorem, non consentiendum malis.*

(*Dist.* 10, *c. Vides.*) Vides, fili charissime, quia quod contra leges accipitur per leges dissolvi meretur. *Item.* (*Dist.* 86, *c. Facientis.*) Facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare. Scriptum quippe est : Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur (*Rom.* 1). Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere, nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes nec relinquit sibi locum deviandi, qui non percerit excedenti. Et primus innocentiæ gradus est, odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum, et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.

Cap. 116. — *Ne quis misso papæ contradicat Greg. II universis episcopis (epist. 4).*

Si quis vero (quod non optamus) adversando Bonifacio misso nostro, præpedire conatus fuerit laborem, aut contrarius exstiterit ministerio sibi credito, successorumque ejus eumdem laborem intrantium, ex divina sententia anathematis vinculo percellatur, ac perpetuæ damnationi subjaceat.

Cap. 117. — *De reordinandis presbyteris ab incognitis episcopis ordinatis. Gregorius III Bonifacio presbytero (epist. 5).*

(*Dist.* 68, *c. Presbyteri.*) Presbyteros quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri illi a quibus sunt ordinati, et dubium est fuisse episcopos, an non, qui eos ordinarunt, si bonæ actionis et catholici viri sunt presbyteri ipsi, et in ministerio Christo omnique lege sancta edocti, a Patre vel episcopo suo [*al.* apti, ab episc. *origin.*] benedictionem presbyteratus suscipiant, et consecrentur, et sic ministerio sacro fungantur.

Cap. 118. — *De licita promotione ejus cui digitus ab hostibus abscissus est. Stephanus Roberto Metensi episcopo.*

(*Dist.* 55, *c. Lator præsentium.*) Lator præsentium, Flavinus scilicet clericus, ad sanctam sedem apostolicam veniens, detulit a te nobis directam epistolam, qua indagare studuisti cum a Northmannis nuperrime captum sinistræ manus digitum haberet abscissum, sciscitans si ob hoc ad ecclesiasticum ordinem valeat promoveri, an non. Quod et nos reperientes, quia solertia tua magis super hoc sollicita a sede apostolica doceri flagitat, normam justitiæ semper sequi exoptans, studium tuæ sanctitatis merito collaudamus, reverentiam tuam, scire volentes, quoniam si ita est quod a Northmannis digitum ipsum habeat abscissum, ad promovendum (si alias dignus fuerit) nil ei nocebit, eo quod quid de his, qui a dominis vel medicis, sive a paganis non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus, quos eis obviare debere, si ita est, minime reperimus, monentes religionem tuam, ut circa illum ita peragat, quatenus et mercedem pro eo magnam incurrat, et desiderium istius canonica ei auctoritate in aliis non obviante, Deo adjuvante perficiat.

Cap. 119. — *De subdiacono, qui uxorem duxit post ordines. Stephanus Adoni Viennensi archiepiscopo (inter fragmenta epist. Nicolai I).*

Dist. 32, *c. De illo clerico.*) De illo clerico, Alvico nomine, quem per ordines ecclesiasticos, usque ad subdiaconatum vixisse dicitis, cur vestra auctoritate uxorem duxerit miramur, eo quod nulli unquam, exceptis illis quos ecclesiastica regula habere permittit uxorem, ducendi licentiam dederimus.

Cap. 120. — *Quod clericus si paganum occiderit promoveri non possit. Nicolaus Wilfredo Morinensis Ecclesiæ episcopo (in rescriptis Nicolai I collectis ex Gratiano, tit.* 12).

(*Dist.* 50, *c. Clericum.*) Clericum autem qui paganum occiderit non oportet ad gradum [honorem] majorem provehi, qui carere debet etiam acquisito; homicida enim est. Nam cum discreti sint milites sæculi a militibus Ecclesiæ, non convenit militem Ecclesiæ sæculo militare, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire. Denique sicut turpe ac perniciosum est laicum missas facere, sacramenta corporis et sanguinis Christi conficere, ita ridiculum est et inconveniens, clericum arma sustollere, et ad bella procedere, cum Paulus Apostolus dicat : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II). Ac si liquido versa vice dicat : Nemo militans mundo implicat se negotiis spiritualibus.

Cap. 121. — *Ne presbyteris et diaconis cum ordinantur manus chrismate inungantur. Idem Nicolaus Ra-*

Introdusă în format electronic de Google

dulpho Bituricensi archiepiscopo (Nicol. I, ep.19, cap. 3).

(*Dist.* 23, *c. Præterea.*) Sciscitaris utrum solis presbyteris, an et diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana, cui Deo auctore deservimus, Ecclesia neutris agitur. Sed et quia sit a novæ legis ministris actum, nusquam (nisi nos fallat oblivio) legimus. Ergo ad beati Innocentii papæ canonica decreta sanctitatem tuam transmittimus, et quæ tibi sint in consecrationibus, et ordinibus observanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum episcopum missæ, te affatim edocebunt.

CAP. 122.— *Quod nemo damnandus sit nisi sponte confessus, vel canonice convictus. Idem Salomoni Constantiensi episcopo.*

(15, *q.* 5, *c. Presbyter, vel diaconus.*) Presbyter, vel diaconus, quem asseris crimina nolle publice confiteri, sed velle cum sacramento defendere se, et tamen notum est episcopo esse scelus ab ipso perpetratum, non potest per aliquam pœnitentiam sacerdotali vel diaconali officio potiri. Sed mirandum, si ipse confessus non fuerit, quomodo notum possit esse episcopo scelus ab ipso perpetratum, nisi accusatore forte idoneo per testes idoneos approbante. Unde si examinante episcopo causam presbyteri vel diaconi, non fuerit per testium approbationem ille presbyter vel diaconus forte convictus, non est scelus episcopo legitime manifestatum, nisi presbyter vel diaconus sua sponte scelus ipsum confiteatur. Quod nisi fecerit, interim non videmus suo debere presbyterum vel diaconum officio privari. Sola ergo spontanea confessio, et canonicus numerus vel qualitas testium, decernentibus episcopis, et accusatore quod objecerat comprobante, clericum privat proprio gradu.

CAP. 123.— *Ne diaconus ante presbyterum sedeat. Canonum* VI *synodi c.* 7.

(*Dist.* 93, *c. Præcipimus.*) Præcipimus ne diaconus (quamvis in dignitate, hoc est in officio quolibet ecclesiastico sit) ante presbyterum sedeat, nisi cum vices habuerit proprii patriarchæ aut metropolitani pro aliquo capitulo. Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur. Si quis vero præsumpserit hoc tyrannice facere, a proprio gradu repulsus, ultimus omnium fiat in ordine suo.

CAP. 124.— *De irrecuperabiliter depositis, cap.* 10 [*cap.* 21].

Qui pro culpis suis irrecuperabiliter depositi sunt, et in locum laicorum redacti, si sponte sua convertantur ad Deum, peccato renuntiantes pro quo depositi sunt, et omnino se alienant ab eo, clericalem tonsuram non perdant. Si vero peccato adhæserint, quemadmodum laici comas dimittant, quia mundanam conversationem cœlesti vitæ præposuerunt.

CAP. 125.— *Ut servus nesciente domino suo non ordinetur. Ex concilio Aurelianensi, c.* 5 (*conc. Aur.* II, *c.* 10).

(*Dist.* 54, *c. Si servus.*) Servus si, absente domino aut nesciente, episcopo autem sciente quod servus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, episcopus eum domino duplici satisfactione compenset. Si vero episcopus eum servum nescierit, qui testimonium perhibet, aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitione teneantur obnoxii.

CAP. 126.— *De his qui libertatem ita consequuntur ut nullum sibi domini obsequium retentent. Ex concilio Toletano, cap.* 74 (*conc. Tol.* IV, *c.* 73).

(*Dist.* 54, *c. Quicunque.*) Quicunque libertatem a dominis suis ita percipiunt ut nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet, isti, si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem libere suscipiantur, quia directa manumissione absoluti esse noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus ad ecclesiasticum ordinem promovendi sunt, nequando voluerint eorum domini, fiant ex clericis servi.

CAP. 127.— *De servis ordinandis quomodo ingenui fieri debeant. Ex concilio Remensi, cap.* 1.

Auctoritas ecclesiastica patenter admonet, insuper et majestas regia canonicæ religioni assensum præbet, ut quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promovere Ecclesia quæque delegaverit, in præsentia sacerdotum canonicorum, simul et nobilium laicorum, ejus cui subjectus est subscriptione vel manumissione, sub libertatis testamento, solemniter roboretur.

CAP. 128. — *De eodem. Ex concilio Toletano (in fragmentis conc. Tolet.* I).

Debent autem suprascriptæ ingenuitatis chartæ non solum nomen illius qui has fieri rogat, sed etiam nomina sacerdotum et nobilium laicorum qui ibi fuerint, in ordine digesta, cum signis propria manu impressis continere. Nam sine horum astipulatione pagina auctoritate testium nudata pro nihilo deputatur. Oportet etiam ut locus, dies, annus, princeps, et indictiones in fine vel in margine adnotata habeantur in hunc modum. Actum in illa civitate, in domo Sancti Petri, Kalendis illis, anno Dominicæ Incarnationis illo, regnante illo rege, et præsidente in cathedra supradictæ civitatis episcopo illo vel in monasterio illo (*quatuor hæc verba non sunt in originali*), indictione illa, in Dei nomine feliciter. Amen. Ait enim Romana auctoritas : Quæcunque leges sine die et consule fuerint prolatæ, non valeant.

CAP. 129. — *Item de eodem. Ex eodem concilio (ibidem).*

Instruendi sunt præterea laici ut sciant quod nullatenus alio loco manumittere proprios possunt servos, quos dominicis castris aggregari decreverunt, nisi in sacrosancta Ecclesia ordine supranotato. Quomodo enim clerici extra sanctam Ecclesiam libertatem consequi possunt, qui a lege mundana extranei sunt? Et quibus interdicitur ne ad sæculare judicium procedant, quomodo sæculari judicio a jugo servitutis absolvuntur? Sed fortasse dicit

Introdusă în format electronic de Google

aliquis : Clericus fieri non permittitur, nisi ante susceptum clericatus officium, ingenuitate potiatur. Revera verum dicit : Et ideo quod infirmari vel vituperari potest, præcaveri debet.

Cap. 130. — *Item de eodem. Ex eodem concilio (ibidem).*

Non solum autem qui ad clericatus ordinem promovendi sunt in Ecclesia manumittendi sunt, verum etiam hi, quos quisque pro remedio animæ suæ emancipari vult, quia sic scriptum quippe est in pacto Francorum.

Cap. 131. — *Exemplar libertatis de proprio servo. Ex eodem concilio (ibidem).*

Qui debitum sibi nexum, atque competens relaxat servitium, præmium in futuro apud Dominum sibi provenire non dubitet. Quapropter ego, in Dei nomine, illum pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione in ecclesia Sancti Petri, vel illius sancti, sub præsentia episcopi vel sacerdotum ibi consistentium, ac nobilium laicorum, ante cornu altaris istius ecclesiæ, absolvo servum meum illum, per hanc chartam absolutionis, et ingenuitatis, ab omni vinculo servitutis, ita ut ab hac die, et deinceps ingenuus sit, et ingenuus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, aut procreatus. Eam pergat partem quam maluerit, vel quam ei auctoritas canonica permittit, et sicut alii ingenui vitam ducat ingenuam. Nulli autem hæredum meorum, ac prohæredum, nec cuiquam personæ alii quidquam debeat servitutis, vel libertatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt, vel pro cujus amore ipsum devotus ad ejus servitium obtuli. Peculiare vero suum quod Dominus ei dederit, vel deinceps, Deo auxiliante, assequi [*al.* laborare] potuerit, concessum in perpetuum habeat, ut inde faciat quidquid illi placuerit, secundum ecclesiasticas sanctiones. Si quis vero (quod futurum esse non credo) si ego ipse, aut aliquis de hæredibus meis, vel quælibet opposita persona, contra hanc ingenuitatis chartam venire tentaverit, aut eam quolibet modo infringere voluerit, inprimis iram Dei incurrat, et a liminibus sanctæ ecclesiæ extraneus efficiatur : et insuper qui litem intulit ; quadraginta [sexaginta] solidos persolvat, et quod repetit vindicare non valeat ; sed præsens ingenuitas mea vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, aut astipulatione subjuncta [*al.* subnixa] omni tempore maneat inconvulsa.

Cap. 132. — *De servorum ordinatione. Ex eodem concilio, cap. 32.*

(*Dist.* 54, *c. De servorum.*) De servorum ordinatione qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscrete promoventur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere : et statutum est ut nullus episcoporum deinceps, eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi prius a dominis propriis consecuti fuerint libertatem. Et si quilibet servus dominum suum fugiens aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est ut deponatur, et dominus ejus eum recipiat. Si vero avus aut pater ab alia patria in aliam migrans in eadem provincia filium genuerit, et ipse filius ibidem educatus ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, et utrum servus sit ignotum sit, et postea veniens dominus illius legibus eum acquisierit, sancitum est ut si dominus ei [ejus] libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si vero eum catena servitutis a castris Dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat ; quia juxta sacros canones vilis persona manens, sacerdotii dignitate fungi non potest.

Cap. 133. — *De ecclesiarum servis. Ex eodem concilio, cap. 33 (ibidem).*

De ecclesiarum vero servis communi sententia est decretum, ut archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem sequantur. Suffraganei autem illorum exemplar illius penes se habeant, et quandocunque de familia ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, tecoram sacerdotibus et omni clero ante cornu altaris (sicut in nostra auctoritate continetur) remota qualibet calliditate, libertatem consequatur, et tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur.

Cap. 134. — *Ut pœnitentes vel bigami non promoveantur. Ex concilio Arelatensi* III, *cap* 3.

(*Dist.* 55, *c. Nullus pœnitentem.*) Ut bigami vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad sacerdotium non promoveantur.

Cap. 135. — *De energumenis. Ex concilio Arausico, cap.* 6 (*Araus.* I).

Energumeni non solum assumendi non sunt ad ullum ordinem clericatus, sed etiam qui ordinati sunt, ab imposito officio repellendi sunt.

Cap. 136. — *Item ne pœnitentes ordinentur. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 77 (*Cart.* IV, *c.* 68).

(*Dist.* 50, *c. Ex pœnitentibus.*) Ex pœnitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a clero ; quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse in pœnitentia. Si autem sciens episcopus ordinaverit talem, etiam ab episcopatus sui, ordinandi duntaxat, potestate privetur.

Cap. 137. — *De actoribus et procuratoribus si ordinari debeant. Ex eodem concilio, cap.* 9.

Magnus episcopus Astuagensis dixit : Quid dilectioni vestræ videtur, procuratores et actores, etiam exsecutores pupillorum, si debeant ordinari ? Gratus episcopus dixit : Si post disposita universa et reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent et cum laude clericatus si postulatum fuerit, honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, ecclesia infamatur. Universi dixerunt : Recte omnia statuit sanctitas tua, ideoque ita nostra est quoque sententia.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 138. — *Item de pœnitentibus. Ex Toletano concilio* I, *cap.* 2.

(*Dist.* 50, *c. Placuit.*) Item placuit ut pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum, si necessitas aut usus exegerit inter ostiarios deputentur [et tunc deputentur]; vel inter lectores, ita ut Evangelia et Apostolum non legant. Si qui autem ante ordinati sunt, inter subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut sacra contingant. Eum vero pœnitentem dicimus, qui post baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio divino reconciliatus altario.

CAP. 139. — *Laicus, si secundam uxorem duxerit, clericus non fiat. Ex concilio Aureliensi, cap.* 8 (*Aurel.* III, *cap.* 9).

Si quis de laicis post uxorem aliam cujuscunque conditionis cognoverit mulierem, in clerum nullatenus admittatur.

CAP. 140. —*Ut nullus alterius parœcianum retinere præsumat. Ex decretis Adriani papæ, cap.* 15 (*inter* 80 *canones contra falsos accusatores episcoporum*).

Nullus episcopus alterius parœcianum præsumat retinere aut ordinare absque ejus voluntate, vel judicare; quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita et judicium; quoniam censemus nullum alterius judicis, nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit.

CAP. 141. — *Ut ab alio episcopo ordinatus in clero non maneat. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 4.

Ordinatus clericus ab alio episcopo, non deprecante vel consentiente suo, in clero non maneat.

CAP. 142. — *De quodam episcopo, qui alterius episcopi clericum eo nolente ordinaverat. Ex concilio Africano, cap.* 42 (*Carth.* III, *c.* 44).

Epigonius episcopus dixit : In multis conciliis hoc statutum est, et nunc confirmandum est a vestra prudentia, fratres charissimi [beatissimi] ut clericum alienum nullus sibi præripiat episcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit clericus. Dico autem Julianum, qui ingratus est Dei beneficiis, per meam parvitatem in se collatis, ita temerarium et audacem exstitisse, ut eum qui a me baptizatus est, cum esset puer egentissimus mihi ab eodem commendatus, cumque multis annis a me aleretur, atque incresceret, hunc (ut dixi) baptizatum esse in ecclesia mea, per manum parvitatis meæ constat : idem in diœcesi Mapaliensi lector esse cœperat, imo annis ferme duobus legerat, nescio quo contemptu [*al.* humilitatis meæ] immanissimo idem Julianus eum arripuit : quem dicit quasi proprium civem sui loci Vazaritani me inconsulto usurpare. Nam et diaconem illum ordinavit. Hoc si liceat, pateat hæc licentia a vobis, beatissimi fratres. Sin minus, tam impudens cohibeatur ne se misceat communioni cujusquam. Numidius episcopus dixit : Si non postulata neque consulta tua dignatione, id videtur fecisse Julianus, judicamus omnes inique factum atque indigne. Quapropter idem Julianus si non correxerit errorem A suum, et cum satisfactione eumdem clericum quem fuit ausus ordinare, revocaverit tuæ plebi, contra statuta concilii faciens, contumaciæ suæ separatus a nobis excipiet judicium. Epigonius episcopus dixit : Ætate pater, et ipse promotione antiquissimus vir laudabilis frater et collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

CAP. 143. — *Ne alienum clericum quis retineat. Ex concilio Carthaginensi, c.* 20 (*Carth.* III, *c.* 2).

(*Dist.* 72, *c. Clericum alienum.*) Ut clericum alienum non concedente proprio episcopo nemo audeat vel retinere, vel promovere in ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores, et psalmistæ et ostiarii retineant.

B CAP. 144. — *Ut nullus episcopus alienum clericum sine litteris episcopi sui suscipiat. Ex eodem concilio c.* 6 (*Carth.* I, *c.* 5).

(*Dist.* 71, *c. Privatus.*) Primatus episcopus Vegesilitanus dixit : Suggero sanctitati vestræ ut statuatis non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia episcopi ejus, de cujus plebe est. Gratus episcopus dixit : Hæc observantia pacem custodit. Nam et memini in sanctissimo concilio Sardicensi statutum (*c.* 16, 18, 19), ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed, si forte erit necessarius, petat a collega suo, et per consensum habeat.

C CAP. 145. — *De presbyteris et diaconibus qui sine litteris episcopi sui ambulant. Ex concilio Agathensi, c.* 5 (*cap.* 52).

Presbyter et diaconus, aut clericus si sine antistitis sui epistolis ambulant, communionem eis nullus impendat.

CAP. 146. — *De eodem. Ex concilio Laodicensi, c.* 41.

(*De cons., dist.* 5, *c. Non oportet.*) Quod non oporteat sacerdotem vel clericum sine litteris proficisci canonicis.

CAP. 147. — *Ut unusquisque presbyter cum ordinatur, litteras ab ordinatore suo accipiat. Ex concilio Milevitano, c.* 14.

Deinde placuit ut quicunque deinceps ab episcopis ordinantur, litteras accipiant ab ordinatoribus suis D manu eorum subscriptas, continentes annum Domini et diem [consulem et diem], ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

CAP. 148. — *Ut ordinatus in locis ad quæ ordinatus est, permaneat. Ex concilio Agathensi, c.* 2.

De his qui in quibusdam locis ordinati fuerint, ministri in ipsis locis perseverent.

CAP. 149. — *De presbytero, qui confessus fuerit ante ordinationem se peccasse. Ex concilio Cabilonensi, c.* 25 (*cap.* 25, *synod. Græca a Marti. episc. Brac. collectarum*).

(25, *q.* 8, *c. Si quis presbyter.*) Si quis presbyter ante ordinationem peccaverit, et post ordinationem peccata confessus fuerit quod ante erraverit, non offerat, sed tamen tantum pro religione nomen

Introdusă în format electronic de Google

presbyteri portet. Si autem non ipse confessus, sed ab alio publice convictus; nec hoc ipsum habeat, ut nomen presbyteri portet. Similiter et de diaconibus observandum est: ut si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconi retineat.

CAP. 150. — *De eadem re. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 13 [*cap.* 9].

(15, *q.* 8, *c. Qui admisit.*) Presbyter, si præoccupatus corporali peccato promoveatur, et confessus fuerit de se quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quod si de seipso confessus non fuerit, et argui manifeste nequiverit, potestatis suæ judicio relinquatur.

CAP. 151. — *De ministeriis presbyterorum, et quid eis commissum sit. Ex dictis Augustini.*

Vos presbyteri nosse debetis, et semper meminisse, quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus; pro his vero quos verbis et exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim a Domino dictum est: *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v). Quod si populus fidelis cibus est Dei, ejusdem cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum, et pene conjunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum summi pontificis Aaron, isti vero filiorum ejus. Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro unguine delibutas peccando polluatis, sed cordis et corporis munditiam conservantes plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his quibus præestis ducatum ad cœlestia regna prebeatis.

CAP. 152. — *Ut singuli presbyteri singulos clericos habeant. Ex concil. Nannetensi, cap.* 8.

Ut quisque presbyter qui plebem regit, clericum habeat qui secum cantet, et Epistolam et lectionem legat, et qui scholam possit tenere: et admoneat suos parœcianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

CAP. 153. — *De discutienda fide presbyterorum. Ex concilio Maticensi, cap.* 3.

Primo omnium discutienda est fides sacerdotum, qualiter credant, et alios credere doceant. Ibi exempla proponenda sunt, quatenus creatura Creator quantulumcunque possit intelligi.

CAP. 154. — *Quomodo vel quid presbyteri sibi commissos docere debeant. Ex dictis Augustini.*

Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes vestras. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas; qui vero nescit, saltem hoc quod notissimum habet plebibus dicat, ut declinent a malo et faciant bonum, inquirant pacem et sequantur eam. *Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* (*Psal.* XXXVI). *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII). Nullus ergo excusare se poterit, quod non habeat linguam unde aliquam possit ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout valet et potest, aut arguendo, vel obsecrando, vel increpando ab errore retrahat, et ad peragendum opus bonum hortetur.

CAP. 155. — *De eadem re. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 6.

In primis prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, qui omnia fecit, et unam esse Deitatem et substantiam, et majestatem in tribus personis Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

CAP. 156. — *Item de eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 2.

Item prædicandum est quomodo Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, pro salute humani generis passus, sepultus, tertia die resurrexit, et in cœlum ascendit, in fine mundi venturus judicare omnes homines secundum opera propria: quomodo impii cum diabolo in ignem æternum mittentur, justi cum Christo in vita æterna erunt.

CAP. 157. — *Item de eodem, cap.* 3.

Item prædicandum est quod omnes homines in propria carne resurgent.

CAP. 158. — *Ut omnis presbyter parœcianis suis Symbolum et orationem Dominicam insinuet. Ex concilio Remensi, cap.* 8.

Ut omnis presbyter omnibus parœcianis suis Symbolum et orationem Dominicam, aut ipse per se insinuet, aut aliis insinuandum injungat: ut cum ad confessionem tempore quadragesimali veniunt, hæc ab unoquoque memoriter sibi decantari faciat, nec ante sanctam communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronuntiare noverit. Siquidem sine horum scientia, nullus salvus esse poterit. In uno enim fides et credulitas Christiana continetur, in alio quid orare et petere a Deo debeamus exprimitur. Quod vero sine fide nemo possit esse salvus Dominus ostendit, cum dicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Matth.* XVI). Nullus autem credere potest quod nescit, nec audivit. Ait enim Paulus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* (*Rom.* X.) Nec sola sufficit fides in corde, nisi etiam verbis enuntietur, ut idem Apostolus testis est: *Corde enim*, inquit, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*ibid.*). Nullus autem de soliditate sensus vel tenuitate ingenii excusetur; quia hæc tam parva sunt, ut nemo tam hebes et barbarus sit qui hoc discere et verbis communibus pronuntiare non possit; tam magna, ut qui horum scientiam pleniter capere potuerit, sufficere sibi credatur ad salutem perpetuam. Illud etiam observandum ut nullus suscipiat infantem in baptismo a sacro fonte, antequam idem Symbolum et orationem Dominicam co-

Introdusă în format electronic de Google

ram populo [presbytero] decantent. Et tunc presbyter omnibus patrinis annuntiet, quod debitores sint suis filiolis cum ad intelligibilem ætatem venerint, hæc eadem insinuare.

CAP. 159. — *De eadem re. Ex concilio Cabilonensi, cap.* 3.

Jubendum est, ut oratio Dominica in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur, et Symbolum apostolorum in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur, tam Latine quam barbarice, ut quod ore confitentur, corde credant.

CAP. 160. — *De prædicanda dilectione Dei et proximi. Ex eodem, cap.* 5.

Item prædicandum est de dilectione Dei et proximi, de fide, et spe in Deo, de humilitate, patientia, castitate, benignitate, misericordia, de eleemosynis, de confessione ut fratribus ex corde remittatur, quia qui hæc et similia agunt, regnum Dei consequentur.

CAP. 161. — *De criminalibus peccatis. Ex eodem, cap.* 5.

Item prædicandum est, pro quibus criminibus homines cum diabolo deputantur, quæ Apostolus sic enumerat : *Fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Galat.* v). Et ideo hæc omnia cum omni studio prohibeantur.

CAP. 162. — *Ut de auditorio nullus egrediatur sacerdote verbum faciente. Ex concilio Carthaginensi IV, cap.* 24.

(*De cons., dist.* 1, *c. Sacerdote.*) Sacerdote in ecclesia verbum faciente, qui egressus de auditorio fuerit sine gravi necessitate [*hæc tria verba desunt in orig.*], excommunicetur.

CAP. 163. — *De eadem re. Ex canonibus apostolorum, cap.* 10.

(*De cons., dist.* 1, *c. Omnes fideles.*) Omnes fideles qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad ecclesiam, et Scripturas apostolorum et Evangelium audiunt, non autem perseverant in oratione usque dum missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.

CAP. 164. — *Item de eodem. Ex canone apostolorum.*

Omnes Christiani qui ingrediuntur in ecclesiam Dei, et Scripturas sacras audiunt, neque communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione sacræ communionis avertunt, hi de ecclesia removeantur, donec per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant.

CAP. 165. — *De precibus post allocutionem. Ex concilio Laodicensi, cap.* 19.

Quod oporteat seorsum primum post allocutionem episcoporum vel presbyterorum orationes super catechumenos celebrari, et postquam catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in pœnitentia preces fieri, his etiam accedentibus ad manum sacerdotis et discedentibus, tres orationes consummari fidelium, ita ut prima quidem sub silentio, secunda vero et tertia per exclamationes solitas expleantur. Et ita demum pacem sibi invicem dabunt. Et postea quam dederit episcopus presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent, et ita sancta celebrabitur oblatio.

CAP. 166. — *Quæ admoneri debeant presbyteri. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 4.

Ut sacerdotes admoneant populum, ut eleemosynam dent, et orationes faciant pro diversis plagis, quas assidue pro peccatis nostris patimur.

CAP. 167. — *Quomodo unusquisque orare debeat. Ex eodem, cap.* 6.

Item instruendus est populus, ut singulis diebus qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet et vespere, dicens Symbolum et orationem Dominicam, sive : Qui plasmasti me miserere mei, vel etiam : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII), et Deo gratias agens pro quotidianæ vitæ commeatibus, et quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, et a pecudibus segregare. His ita peractis et solo Deo creatore suo adorato, sanctos invocet, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur. Hæc faciant, quibus basilicæ locus prope est, in basilica ; qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in silvis, aut in agris ubicunque eos ipsa hora matutinalis vel vespertina invenerit, sic faciant, scientes Deum ubique præsentem esse, dicente Psalmista in omni loco dominationes ejus (*Psal.* CII).

CAP. 168. — *De filiis quomodo parentibus obedire deveant. Ex concilio apud Avernas, cap.* 6 [3].

Admonendi sunt fideles sanctæ Ecclesiæ Dei, ut filii et filiæ parentibus suis obedientiam exhibeant, dicente Domino : *Fili, honorifica patrem tuum.* Nam, ut ipsi parentes erga filios suos ac filias modeste se agant, admonendi sunt, dicente Apostolo : *Et vos parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros* (*Coloss.* 3). Nam et hoc dicendum est eis, ut si illi genitali affectu parcere velint injuriis filiorum, non hos impunitos Dominus sinit, nisi forte pœnitentiæ subjiciantur. Sed tamen levius est filiis parentum quælibet flagella suscipere, quam Dei iram incurrere.

CAP. 169. — *Ut ad salutationes sacerdotis in missa omnes respondeant. Ex concilio Aurelianensi.*

Item intimandum est, ut ad salutationes sacerdotales congruæ responsiones discantur, ubi non solum clerici et Deo dicati, sacerdoti responsiones offerant, sed omnis plebs consona voce devote respondere debet.

CAP. 170. — *Ne presbyter relicta ecclesia sua, per sancta loca discurrat. Ex dictis Augustini.*

Interdicendum est ut nullus ordinatus migret de sua parœcia ad aliam nec in limina apostolorum causa orationis, suæ ecclesiæ cura derelicta, nec ad palatium causa interpellandi. Quod si fecerit, nihil

Introdusă în format electronic de Google

valet hujusmodi aut ordinatio vel demigratio. Et hoc A omnibus denuntiandum, ut qui causa orationis ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, et sic proficiscantur, qui a proprio episcopo suo, aut a sacerdote ligandi aut solvendi sunt, non ab extraneo.

Cap. 171. — *Nihil agendum sine licentia episcopi. Ex epistola Clementis* (*epist.* 1, *ante finem*).

Nullum enim presbyterum in alicujus episcopi paroecia aliquid agere debere, absque ejus permissu docebat. Cunctos presbyteros propriis episcopis in omnibus absque mora obedientes, instituente Domino, esse debere docebat. Nullum aliena concupiscere aut praesumere quae eorum erant, sed unumquemque suis sibique commissis contentum esse docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere, nisi B quod sibi vult fieri, instruebat.

Cap. 172. — *Ne presbyteri relictis locis sibi commissis ad alia transeant. Ex concilio Arelatensi primo, cap.* 2.

De presbyteris aut diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, et ad alia loca se transferunt; placuit ut iisdem locis ministrent quibus praefixi sunt. Qui, si derelictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.

Cap. 173. — *Quod non liceat clericum in duarum civitatum simul conscribi ecclesiis. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 10, *actione* 15.

(21, *q.* 1, *c. Clericum duarum.*) Non licere clericum in duarum civitatum conscribi simul ecclesiis, sed in qua ab initio ordinatus est ministret; nec ad aliam confugiat, quasi potiorem, ob inanis gloriae cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debent ad suam ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, et ibi tantummodo ministrare.

Cap. 174. — *Ne quis ordinatus de civitate in civitatem transferatur. Ex concilio Nicaeno, cap.* 15 (*et Aquisgr., c.* 43).

(7, *q.* 1, *c. Non oportet.*) Propter multam perturbationem, seditionesque quae fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quae praeter regulam in quibusdam partibus videtur admissa; ita de civitate in civitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem post diffinitionem sancti et magni concilii tale quid agere tentaverit, et se hujusmodi negotio manciparit, hoc factum prorsus irritum ducatur, et restituatur Ecclesiae cui fuerit, episcopus aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

Cap. 175. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 17.

Quicunque temere aut periculose neque timorem Domini prae oculis habentes, nec agnoscentes ecclesiasticam regulam discedunt ab Ecclesia commissa presbyteri aut diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas paroecias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari.

Cap. 176. — *Ne presbyteri per diversa loca legati mittantur, dimissa cura animarum. Ex concilio Arelatensi, cap.* 3.

Statutum est ut presbyteri, sicut hactenus factum est, indiscrete per diversa non mittantur loca, nec ab episcopis nec ab aliis praelatis, nec etiam a laicis, ne forte propter eorum absentiam et animarum pericula fiant, et ecclesiarum in quibus constituti sunt negligant officia.

Cap. 177. — *Quod presbyteri assidue legere debeant et orare. Ex dictis Augustini.*

Presbyteri, oportet vos assiduitatem habere legendi et instantiam orandi, quia vita viri justi lectione instruitur, oratione ornatur, et assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi* (*Psal.* CXVIII). Haec sunt enim arma videlicet lectio et oratio, quibus diabolus expugnatur. Haec sunt instrumenta quibus aeterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur. Sed et si quando a lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animae. Et antiquus hostis quem a lectione sive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis qualiter et vos vivatis, et alios doceatis. Per usum orationis et vobis, et his quibus in charitate conjuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem et corporis macerationem, et vitiis alimenta negabitis et vestris necessitatibus subvenietis, et habebitis unde necessitatem patientibus porrigatis (*Ephes.* IV).

C Cap. 178. — *Ut presbyteri sine orariis non vadant. Ex conc. Maguntiensi* (*sub Leone III cap.* 28).

Presbyteri sine intermissione utantur orariis, propter differentiam sacerdotalis dignitatis.

Cap. 179. — *Ut clericus honesto artificio victum sibi quaerat. Ex concilio Africano* (*conc. Carth.* IV, *cap.* 51).

(*Dist.* 91, *cap. Clericus.*) Clericus quilibet [quantumlibet] verbo Dei eruditus, artificio honesto victum quaerat.

Cap. 180. — *De eadem re. Ex eodem, cap.* 52.

(*Dist.* 91, *c. Clericus victum.*) Clericus quilibet verbo Dei eruditus artificio vel agricultura, absque officii sui duntaxat detrimento, praeparet sibi victum et vestimentum.

D Cap. 181. — *De presbyteris quid matutinali officio expleto agere debeant. Ex concilio Nannetensi, cap.* 60.

(*Dist.* 91, *c. Presbyter mane.*) Presbyter mane, matutinali officio expleto pensum servitutis suae canendo primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat; ita tamen ut postea horis competentibus, et signis designantibus, justa possibilitatem, aut a se, aut a scholaribus publice compleantur. Deinde peractis horis, infirmis visitatis, si voluerit ad opus rurale exeat jejunus, ut iterum necessitatibus peregrinorum et hospitum, sive diversorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum succurrere possit, usque ad statutam horam, pro qualitate temporis et opportunitate.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 182. — *De eadem re. Ex dictis sancti Benedicti (Regulæ suæ cap. 16).*

Propheta dicente : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII), qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his dixit Propheta : *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*ibid.*). Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ.

CAP. 183. — *Ut presbyteri super eos solliciti sint quorum bonis participantur. Ex dictis Augustini.*

Admonendi sunt presbyteri ut perpendant quia quidquid a fidelibus datur, redemptio peccatorum est. Et ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magis timeant quod in Veteri Testamento de sacerdotibus dictum est : Iniquitatem populi eos debere portare (*Levit.* x ; *Num.* XVIII). Et ideo cum magno timore super eos solliciti sint, quorum bonis [donis] participantur, quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

CAP. 184. — *Ut presbyteri juxta ecclesiam hospitentur. Ex conc. Meldensi, cap. 5, (cap. 36).*

Ut presbyteri nullatenus ubicunque hospitari sinantur, aut aliquo modo ipsi præsumant, sed assidue omnes apud ecclesias suas esse studeant, propter sacra mysteria vel ministeria fidelibus exhibenda, nec etiam alibi habitare permittantur. Neque mulieres quamcunque habitationem [*al.* frequentationem] habeant in locis, in quibus presbyteri aliquem recursum habuerint. Quod si observare parvipenderint ita ut transgressores, et qui contra interdicta fecerint, judicentur.

CAP. 185. — *Ut presbyter si uxorem duxerit deponatur. Ex concilio Neocæsariensi, cap. 1.*

(*Dist.* 28, *cap. Presbyter si uxorem, cap.* 10.) Presbyter si uxorem acceperit ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, et ad pœnitentiam redigi. Simili modo etiam diaconus, si eidem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

CAP. 186. — *De eadem re. Ex consilio Nicæno, cap. 3.*

(*Dist.* 32, *c. Interdixit per omnia.*) Interdixit per omnia magna synodus non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt.

CAP. 187. — *De eodem. Ex decretis Syricii papæ, cap. 12 (epist. 1).*

(*Dist.* 18, *c. Feminas.*) Femmas vero non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinis causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit.

CAP. 188. — *Item de eodem. Ex decretis Syricii papæ, cap. 2 [cap. 3].*

Statutum est ab episcopis de presbyteris, qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, et propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur ; ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sanctorum canonum, canonica invectione feriantur.

CAP. 189. — *Cum quibus mulieribus presbytero habitare liceat. Ex concilio Agathensi, cap. 4 [cap. 10].*

Id etiam ad custodiendam vitam et famam nostra speciali ordinatione præcipimus, ut nullus clericorum extraneæ sit mulieri qualibet consolatione [*al.* collatione], aut familiaritate conjunctus ; et non solum in domum illius extranea mulier non accedat, *sed* nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantum, et sorore, et nepte, si habuerit, aut voluerit, liberam habeat vivendi potestatem : de quibus nominibus nefas est aliud quam natura constituit suspicari.

CAP. 190. — *Ut ancillæ a cellario fratrum removeantur. Ex conc. Remensi, cap. 4 (Agathens. 1).*

Ancillas vel libertas a cellario, vel a secreto ministerio, et ab eadem mansione in qua clericus manet, placuit removeri.

CAP. 191. — *Ut nullus clericorum cum extraneis feminis habeat familiaritatem. Ex concilio Turonico, cap. 6 (conc. Turon. 1, c. 3).*

Et quia diabolo nullum locum dare oportet (*Ephes.* IV), hoc præcipue custodiendum decernimus, ut nulli clericorum cum extraneis feminis habeant familiaritatem, nec ullum male loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant, quia frequenter per hanc indecentem occasionem contingit ut diabolus qui insidiatur sicut leo in cubili suo de ruinis servorum Dei insultet. Si quis vero clericus post interdictum episcopi sui his inhærere præsumpserit [illicitis familiaritatibus extranearum feminarum], a communione habeatur alienus

CAP. 192. — *De eadem re. Ex concilio Nannetensi, cap. 10 [cap. 3].*

Inhibendum, et modis omnibus interminandum est ut nullus sacerdos eas personas feminarum (sicut et in canone insertum continetur) de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat ; sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam, sororem, quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico aut in villa domum longe a presbyteri conversatione, et ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed hoc secundum auctoritatem canonum modis omnibus prohibendum ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.

CAP. 193. — *De incontinentibus clericis. Ex canonibus apostolorum, cap. 22.*

De presbyteris et diaconibus divinarum legum est disciplina, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico priventur, et ad tale

Introdusă în format electronic de Google

ministerium non recipiantur, quod sola continentia oportet impleri.

CAP. 194. — *De eadem re. Ex eisdem.*

Præterea quod dignum et pudicum, et honestum eos tenere Ecclesia omnino debet, ut sacerdotes et levitæ cum mulieribus non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Lev.* XI, XIX, XX).

CAP. 195. — *De clericis usuram exigentibus. Ex concilio Nannetensi* (*cap.* 195).

(*Apost. can.* 43, *dist.* 47, *c. Episcopus.*) Episcopus, presbyter, aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur.

CAP. 196. — *De eadem re. Ex concilio Nicæno* (*cap.* 17).

(*Dist.* 47, *c. Quoniam multi.*) Quoniam multi sub regula constituti avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinæ Scripturæ dicentis : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (*Psal.* XIV) : mutuum dantes centesimas exigunt, juste censuit sancta et magna synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc diffinitionem usuras accipiens, aut adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sexcupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia (*I Cor.* V), dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.

CAP. 197. — *Item de eadem re. Ex concilio Tarraconensi, cap.* 2 (*sub Hormisda*).

(14, *q.* 4, *c. Canonum.*) Quicunque esse voluerit in clero, emendi vilius et vænundandi carius studio non utatur. Quod certe si voluerit exercere, cohibeatur a clero.

CAP. 198. — *Item de eodem. Ex concilio Agatensi, cap.* 1 (*can.* 3, *c.* 16).

(14, *q.* 4, *c. Nullus.*) Item placuit, ut clericus si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eamdem speciem, quantum dederit accipiat.

CAP. 199. — *Ut presbyteri plebes sibi commissas ab usuris abstinere doceant. Ex concilio Aurelianensi* [*Arelatensi*], *cap.* 36.

Ut presbyteri a turpibus lucris et usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

CAP. 200. — *Quid sit usura. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 13 (*conc. Agat. cap.* 16).

(14, *q.* 3, *c. Usura est.*) Usura est ubi plus requiritur quam datur. Verbi gratia : si dedseris solidos decem, et amplius requisieris, vel dederis frumenti modium unum, et super aliquid exegeris.

CAP. 201. — *De eadem re. Ex decretis Julii papæ usurariis missis, cap.* 131.

(14, *q.* 4, *c. Quicunque.*) Quicunque enim tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum, et servat usque dum venundetur denariis quatuor aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

CAP. 202. — *Quod qualitas lucri, negotiantem aut excusat, aut arguit. Ex decretis Leonis papæ* (*Leo I, epist.* 90, *ad Rusticum episc.*)

(*De cons. dist.* 45, *c. Qualitas.*) Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negationis astringi, quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium, non intervenire peccatum.

CAP. 203. — *Ut nullus ecclesiastici ordinis, tabernas ingrediatur. Ex dictis Aug.*

Canonum statuta prohibent ut nullus ecclesiastici ordinis, sumendi cibi aut potus causa, nisi peregrinationis necessitate compulsus, tabernas ingrediatur [ingredi habeat]. Sed si aliquis hæc interdicta violaverit, ut sanctorum canonum contemptor, acerrimis corripiatur disciplinis.

CAP. 204. — *De eadem re. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 25 (*conc. Cart.* III, *cap* 27).

(*Dist.* 44, *c. Clerici edendi.*) Ut clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

CAP. 205. — *Item de eodem. Ex concilio Laodicensi, cap.* 24.

(*Dist.* 44, *c. Non oportet.*) Quod non oporteat sacro ministerio deditos a presbyteris usque ad diaconos, et reliquum ecclesiasticum ordinem, id est usque ad subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas, ostiarios et ex numero continentium et monachorum, ingredi tabernas.

CAP. 206. — *Ut quibus licentia nubendi non est, nuptias devitent. Ex epistola Leonis papæ.*

Quibus licentia uxores ducendi non est, alienarum nuptiarum evitent convivia.

CAP. 207. — *Ut presbyter bigami nuptiis non interesit. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 7.

(13, *q.*, *c. De his qui.*) Presbyterum in nuptiis bigami prandere non convenit, quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter convivium, talibus nuptiis possit præbere consensum?

CAP. 208. — *Ut presbyteri, et diaconi, et reliqui clerici nuptiarum evitent convivia. Ex dictis Augustini* (*conc. Veneti.* I, *c.* 11, *et Agat. c.* 39).

(*Dist.* 34, *c. Presbyteri.*) Presbyteri, diaconi, vel (subdiaconi, *orig.*) deinceps quibus ducendi uxores non est licitum, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, neque his cœtibus admisceantur ubi amatoria cantantur, et turpia carmina, aut obsceni motus corporum choris [*al.* choreis] et saltationibus efferuntur, ne auditus et obtutus sacris mysteriis [*al.* ministeriis] deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

CAP. 209. — *De eadem re. Ex decretis Martini papæ, cap.* 1 (*Bracar. cap.* 60).

Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel conviviis spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere et redire [*al.* recedere] inde.

CAP. 210. — *Ut nullus clericus in aliena civitate suscipiatur sine commendatitiis litteris. Ex canonibus apostolorum, cap.* 13.

Ut si quis clericus vel laicus ad alteram properat civitatem, et suscipitur præter commendatitias litteras,

Introdusă în format electronic de Google

et qui susceperit, et qui susceptus est communione privetur.

Cap. 211. — *De eadem re. Ex concilio Antiocheno, cap. 7 (Ant. 1, sub Julio).*

(*Dist.* 71, *c. Nullum absque.*) Nullus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur epistolis.

Cap. 212. — *Item de eodem. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 8.

In concilio Antiocheno, similiter et in Chalcedonensi præcipitur ut fugitivi clerici et peregrini a nullo suscipiantur, nec ordinentur, nisi cum commendatitiis litteris, et sui episcopi vel abbatis licentia.

Cap. 213. — *Ut clerici in aliena civitate non maneant, nisi causas eorum episcopus cognoverit. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 35 (*Cart.* III, *c.* 37).

Ut clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum justas episcopus loci, vel presbyteri locorum perviderint.

Cap. 214. — *Ne clerici vel monachi sine commendatitiis litteris vagentur. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 36 (*conc. Vene.* 1, *cap.* 5.

Clericis vel monachis sine litteris commendatitiis licentia non pateat evagandi.

Cap. 215. — *De eadem re. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 7 (*conc. Agath. cap.* 38.)

Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui, licentia non pateat evagandi. In monachis quoque præsentis sententiæ forma servetur

Cap. 216. — *Ut pauperibus exsulantibus pacificis tantum litteris subveniatur. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 11 (*actione* 15).

Omnes pauperes et indigentes auxilio, cum proficiscuntur, sub probatione epistolis vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decrevimus, et non commendatitiis litteris, propter quod commendatitias litteras honoratioribus tantummodo præstari personis conveniat.

Cap. 217. — *Quando clerici formatis litteris uti debeant. Ex conc. Meldensi, cap.* 2 (*sub Sergio II, cap.* 51).

Quincunque cum senioribus suis de aliis provinciis in aliam provinciam [ad nostras parochias *orig.*] veniunt, sine formata ministrare non permittantur; quam et si attulerint, et ministrare idonei inventi fuerint, instruantur quam religiose atque studiose sacrum ministerium peragant, et in quibus locis illud agere debeant [non deb., *orig*].

Cap. 218. — *Ne clerici vel monachi possessiones conducant, aut negotiis sæcularibus se misceant. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 3 (*actione* 15).

(*Dist.* 86, *c. Pervenit.*) Pervenit ad sanctam synodum quod quidam qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, et sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium parvipendentes, sæcularium vero discurrentes domos, et propter avaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. Decretum itaque est nec clericum, nec monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, præter ecclesiasticarum rerum sollicitudinem.

Cap. 219. — *Ut nullus laicus presbyterum villicatione implicare præsumat. Ex concilio Meldensi cap.* 6 (*cap.* 50).

Item jubendum est ut nemo laicorum presbyteros Ecclesiarum suarum turpi villicationi, et, secundum Apostolum, sæculari et inhonesta negotiatione implicare (*II Tim.* II), nec secum aliorsum contra auctoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quod si contra interdicta præsumpserit, excommunicetur.

Cap. 220. — *De illis presbyteris qui contra statuta canonum villici fiunt. Ex eodem concilio, cav.* 15 (*capitulor. l.* V, *c.* 173).

Similiter de illis presbyteris qui contra statuta canonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, et diversissimis modis usuris inserviunt : et aliorum domos inhoneste et impudice frequentant, et comessationibus et ebrietatibus deservire non erubescunt, et per diversos mercatus indiscrete discurrunt, observandum judicavimus ut abhinc districte severiterque coerceantur, ne per eorum illicitam et indecentem actionem, et ministerium sacerdotale vituperetur, et quibus debuerant esse in exemplum deveniant in scandalum [opprobrium *orig.*].

Cap. 221. — *Quod nec subdiaconis connubium carnale concedatur. Ex epistola Leonis papæ, cap.* 34 (*Leo I epist.* 84, *cap.* 4).

Nam, cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium [arbitr. *non est in originali*], ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut et qui habent sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares (*I Cor.* VII). Quod si in hoc ordine, qui quartus est a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut levitico [levitico ministerio], aut presbyterali honore, aut episcopali excellentiæ quisquam idoneus æstimetur, qui se a veluptate uxoria necdum frenasse deteg tur.

Cap. 222. — *De principibus qui solent illorum sacerdotes, ministeriales facere. Ex concilio Toletano* V, *cap.* 30 (*conc. Tol.* IV, *cap.* 30).

(23, *q.* 8, *c. Sæpe principes.*) Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios, sacerdotibus negotia sua committunt, et quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis exstiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

Cap. 223. — *De eo qui auribus principis suggestionem attulerit sine consensu episcopi. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 7.

Nicasius Evaristanus episcopus dixit : Credo

Introdusă în format electronic de Google

placere suggestorem abjici oportere, non solum a communione, verum et ab honore cujus particeps videtur existere, qui venerandi principis auribus molestiam tentaverit inferre, contra leges Ecclesiæ. Si igitur contra principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu et consilio metropolitani, et cæterorum episcoporum qui in eadem provincia commorantur; qui etiam proficiscentem suis sequantur epistolis. (*Aliter omnino habetur hoc caput in originali concilii Carthag.* I, *cap.* 6; *in ms. Victor. et apud Gratianum* 21, *q.* 3, *c. Credo, sic autem ibi* :) Nicasius episcopus Culusitanus dixit : Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, et displicere vobis ut qui serviunt Deo, et annexi sunt clero, accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum. Gratus episcopus dixit : Et apostolorum statuta sunt, qui dicunt : *nemo militans Deo*, ingerit [*implicat*] *se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II), proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum universi dixerunt : Hoc observamus.

Cap. 224. — *De presbytero deposito, si ministerium præsumpserit. Ex concilio Toletano, cap.* 6.

(77) Si quis presbyter ab episcopo suo fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus, et ipse per contemptum, et superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, et postea ab episcopo suo correptus incœpta præsumptione perduraverit, hic omnimodis excommunicetur, et ab Ecclesia expellatur. Et quicunque cum eo communicaverit, similiter se sciat excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, et feminis excommunicatis observandum est. Quod si aliquis ista omnia contempserit, et episcopus emendare non potuerit, regis judicio exsilio damnetur.

Cap. 225. — *De presbytero damnato qui imperatoris auribus molestus exstiterit. Ex concilio Antiocheno, c.* 12. (*Ant.* I, *sub Julio I*).

(21, *q.* 5, *c. Si quis a proprio*). Si quis a proprio episcopo presbyter, aut diaconus, aut a synodo fuerit episcopus forte damnatus et imperialibus auribus molestus exstiterit, oportet ad majus episcoporum converti concilium, et quæ putaverint habere justa plurimis episcopis suggerant, eorumque discussiones ac judicia præstolentur. Si vero hæc parvipendentes molesti fuerint imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus aperiri dijudicamus.

Cap. 226. — *De presbytero qui pravis exemplis mala de se suspicari permiserit. Ex concilio Agathensi, cap.* 4 (*in fragmentis, cap.* 3).

Si quis presbyter vitæ suæ negligens pravis exemplis mala de se suspicari permiserit, et populus ab episcopo juramento seu banno Christianitatis constrictus, infamiam ejus patefecerit, et certi accusatores criminis ejus defuerint, admoneatur primo seorsum ab episcopo, deinde sub duobus vel tribus testibus. Si non emendaverit, in conventu presbyterorum episcopus cum publica increpatione admoneat. Si vero neque sic se correxerit, ab officio suspendatur, usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. (2 *q.* 4, *c. Si legitimi.*) Si autem accusatores legitimi non fuerint, qui ejus crimina manifestis indiciis probare contenderint, et ipse negaverit, tunc ipse cum septem sociis suis ejusdem ordinis, si valet, a crimine semetipsum expurget. Diaconus vero si eodem crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus expurget.

Cap. 227. — *Quomodo controversia inter clericum et laicum exorta finiatur. Ex concilio Triburiensi. cap.* 21.

(2 *q.* 5, *c. Si quis presbyter.*) Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum aliquam habet querimoniæ controversiam, episcopo præcipiente sine personarum acceptione finiatur. Laicus per juramentum, si necesse sit, se expurget. Presbyter vero vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur; quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim per quam corpus et sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? Absit. Cum Dominus in Evangelio discipulis suis (quorum vicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia) dicat : *Nolite jurare omnino : sermo vester est, est, non non; quod autem his abundantius est, a malo est* (*Matth.* V).

Cap. 228. — *Ne clericus adversus clericum habens negotium, ad sæcularia recurrat judicia. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 9 (*actione* 15).

(1, *q.* 1, *c. Si clericus.*) Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum suum, et ad sæcularia percurrat judicia, sed prius actio ventiletur apud proprium episcopum; vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit.

Cap. 229. — *De presbyteris qui a plebibus suis infamantur, quomodo purgari debeant. Ex concilio Hilerdensi, cap.* 10 (*inter fragmenta*).

(2, *q.* 4, *c. Presbyter si a plebe.*) Si quis presbyter a plebe sibi commissa mala opinione informatus fuerit, et episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur [ab officio *in conc.*] presbyter usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Digna enim satisfactio est, si eis a quibus reus creditur, post factam [*al.* rectam] securitatem de imposito crimine, innocens esse manifestetur. Quod ita a nobis et a majoribus constitutum esse docetur. Sed sive secundum canones, sive ad arbitrium episcopi sibi collegas septem conjungat, et juret in sacro coram posito Evangelio, quod eum sancta Trinitas, et Christus Filius Dei qui illum fecit et docuit quod Evangelium continet : et sancti quatuor evangelistæ

(77) In codice Regio variat ordo, sed nos a Coloniensi non recessimus. Joan. Molin. variat etiam in ms. Victorino.

Introdusă în format electronic de Google

qui illud scripserunt, sic adjuvent quod ille prænominatam actionem ita non perpetrarit, sicut ei de illo oblatum est. Et in hac satisfactione purgatus, secure deinceps suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium Patrum sanctum papam Leonem in basilica sancti Petri apostoli, coram reverendissimo Cæsare Carolo, ac clero, et plebe ita fecisse commemorant, atque ita mox venerandum principem contra ejusdem sancti papæ adversarios, dignæ ultionis vindictam exercuisse.

CAP. 230. — *Quod nullus ordinatus ab episcopo suo damnatus, ab aliquo defensari debeat. Ex concilio Africano, cap. 29 (sub Bonif. et Cœlest.).*

(21, *q.* 5, *c. Si quis cujuslibet.*) Et illud petendum ut statuere dignentur, ut si quis cujuslibet honoris clericus *judicio episcopi quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab ecclesiis quibus præfuit, sive a quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ et honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant.

CAP. 231. — *De presbytero a populo accusato. Ex epist. Gregorii papæ (Greg. II, epist. 13, c. 3).*

(2, *q.* 4, *c. Presbyter.*) De presbytero vel quolibet [sacerdote] in clero a populo accusato, si certi non fuerint testes, qui crimini illato veritatem dicant, jusjurandum erit in medio, et illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda et aperta sunt omnia; sicque maneat in proprio gradu.

CAP. 232. — *De clericis convictis et confessis, si intra annum causam suam finire contempserint. Ex concilio Africano, cap. 46 (et conc. Carth. V, cap. 12).*

(11, *q.* 3, *c. Rursus.*) Rursum constitutum est ut aliquoties clerici convicti et confessi in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut insolentem exsultationem hæreticorum atque gentilium, si forte causæ suæ adesse voluerint, et innocentiam suam asserere, intra unum annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.

CAP. 233. — *Ut nullus ex ordinatis laico jurare præsumat. Ex concilio Remensi, cap. 5.*

(22, *q.* 5, *c. Nullus.*) Ut nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidquam supra sacrosancta Evangelia juret, sed simpliciter cum veritate et puritate dicat : Est est, non non. Sed, si est aliquid quod eis a laicis objiciatur ad episcopum in cujus territorio est, deferatur; et juxta id quod illi qui ejusdem sunt ordinis dijudicarint, aut corrigatur aut expurgetur.

CAP. 234. — *De presbytero si in aliquo criminali peccato deprehensus fuerit. Ex canonibus apostolorum, cap. 25.*

(*Dist.* 81, *c. Presbyter.*) Presbyter [Episcopus presb. *in orig.*] aut diaconus qui in fornicatione, aut perjurio, aut in furto, aut homicidio captus est, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura : Non judicat [hoc verbum non est in *orig.* οὐκ ἐκδικήσει. *Naum* I, *secundum aliam litteram apud LXX interp.*] Dominus bis in idipsum.

CAP. 235. — *De ordinatis, si aliquis illorum percussor exstiterit. Ex concilio Agathensi, cap. 3.*

Si quis aliquo ecclesiastico gradu sacratus percussor exstiterit, corripiatur acerrime. Si non emendaverit, deponatur.

CAP. 236. — *De presbyteris qui, suo vitio degradantur. Ex conc. Mogontiensi, cap. 60.*

(*Dist.* 81, *c. Dictum est.*) Dictum est nobis presbyteros propter suam negligentiam canonice degradatos, et sæculariter gradu amisso vivere, et pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Unde statuimus ut gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratia in monasterio aut canonico aut regulari mittantur. Si vero quid horum fieri causa quælibet prohibuerit, ubicunque sint pœnitentiam agere non desistant. Si autem amisso gradu sæculariter vivere voluerint, et pœnitentiam agere neglexerint, ab Ecclesiæ communione separentur.

CAP. 237. — *Quomodo restituendi sint qui injuste degradantur. Ex eodem conc., cap. 28 (Tol. IV, cap. 27).*

(11, *q.* 3, *c. Episcopus presbyter.*) Episcopus, presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, annulum, et baculum; si presbyter, orarium et planetam; si diaconus, orarium et albam; si subdiaconus, patenam et calicem. Sic et reliqui gradus in reparatione sui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperant.

CAP. 238. — *De clericis qui proprium episcopum contempserint. Ex concilio Antiocheno, cap. 5 (sub Julio I).*

Si quis presbyter aut diaconus episcopum proprium contemnens se ab Ecclesia sequestraverit, et seorsum colligens altare constituerit, et commonenti episcopo non acquieverit, nec consentire vel obedire voluerit, semel et iterum convocatus hic damnetur omnino, nec ultra remedium consequatur, quia suam non potest recipere dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare et sollicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur [castigetur].

CAP. 239. — *De presbytero, qui contra episcopum suum schisma fecerit. Ex concilio Carthaginensi, cap. 11 (alia versio, conc. Carth. II, cap. 8.*

(11, *q.* 3, *c. Si quis presbyter.*) Ab universis episcopis dictum est : Si quis presbyter ab episcopo suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod si non fecerit, sed superbia, quod absit! inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit; ac separatim, cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathe-

Introdusă în format electronic de Google

ma habeatur et locum amittat. Si querimoniam justam adversus episcopum non habuerit, inquirendum erit.

Cap. 240. — *De illis qui aliquem ex ordinatis falso crimine appetierint. Ex eodem cap.* 5 (*Annectitur conc. Carth.* III, *capitulo* 3).

(2, *q.* 3 *c. Si quis episcopum.*) Si quis episcopum, aut presbyterum, vel diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nonnisi in fine dandam ei esse communionem.

Cap. 241. — *Ut nullus clericorum alium nisi scripto criminetur. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10.

Illud præterea omni ecclesiastico ordini omnino observandum est, ut nullatenus aliquis præsumat in concilio vel synodali conventu aliquem confratrum accusatione pulsare, nisi prius ipsum accusationis crimen et litigationis causas litteris per ordinem comprehensas manu propria conscripserit [subscripserit], et episcopo vel sacræ synodo porrexerit, ut juste canonice litigantium controversiæ finiantur. Non enim licet, ut auctoritas Romana testatur, nisi inscriptione celebrata reum quemquam fieri, nec ad judicium exhiberi; quia, sicut convictum de crimine pœna constringit, ita et accusatorem, si non probaverit quod objecit.

Cap. 242. — *Ut nullus ex clero conductor privatorum fiat. Ex eodem cap.* 14 (*Carth.* III, *c.* 15).

(2, *q.* 3, *c. Placuit ut.*) Item placuit ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel clerici non sint conductores aut procuratores privatorum, neque ullo turpi et inhonesto negotio victum quærant, quia respicere debent scriptum esse: *Nemo, militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II).

Cap. 243. — *Ut clericus non habeatur qui intra civitatem manens ad quotidianum sacrificium non venerit. Ex concilio Toletano* I, *cap.* 5.

Presbyter, diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco in quo ecclesia est, aut in castello, aut in vico, vel in villa, si ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus non emendaverit.

Cap. 244. — *De eadem re. Ex concilio Venetico cap.* 5 (*Venet.* I, *c.* 14).

Clericus qui intra muros civitatis manet, qua die [et ea die] matutinis hymnis sine ægritudine defuerit, septem dies a communione habeatur extraneus, quia ministrum sacrorum eo tempore quo non potest ab officio suo ulla honesti necessitas occupare, fas non est a salubri cessare.

Cap. 245. — *Quod omnes sacerdotes doceri oporteat, ut cæteros instruant, et sibi proficiant. Ex epist. Anacleti papæ, cunctis fidelibus missa. cap.* 10 (*ep.* 2, *c.* 1).

Doceri ergo omnes oportet qui Domini sacerdotio funguntur, et ut cæteros instruant, et sibi proficiant. Scriptum enim est: *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII); et alibi: *Populus autem sciens Dominum suum obtinebit et faciet, et docti in populo docebunt multos* (*Dan.* XI). Ipsa enim Veritas per se infert, et dicit: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me* (*Matth.* XI; *Luc.* 7). Ille procul dubio scandalizatus est in Deum, qui recta [recte] non docet, et qui ejus scandalizat episcopum vel sacerdotem.

Cap. 246. — *Ut presbyteri singulis annis episcopo de ministerio suo rationem reddant. Ex concilio Mogontiensi a Richelpho* [*Riculfo*] *ejusdem sedis archiepiscopo habito, cap.* 10.

Unusquisque presbyter per singulos annos episcopo suo rationem ministerii sui reddat, tam de fide catholica, quam de baptismo atque omni ordine ministerii sui.

Cap. 247. — *Ut omnis presbyter sibi subditos fidem discere constringat. Ex concilio Gangrensi cap.* 5 (*Mogontiac.* I, *cap.*45).

Symbolum, quod est signaculum fidei, et orationem Dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum: volumusque ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione. Propterea dignum est, ut filios suos ducant ad scholam, sive ad monasterium, sive foras presbyteris, ut fidem catholicam recte discant, et orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Qui vero aliter non potuerint, vel in lingua sua hoc discant.

Cap. — 248. *Qualem professionem presbyteros aut diaconos episcopo suo facere oporteat. Ex concilio Toletano, cap.* 27 (*Toletan.* IV, 6).

(*Dist.* 28 *c. Quando presbyt.*) Quando presbyteri aut diaconi per parœcias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pie vivant, sub Dei timore, ut, dum eos talis professio alligat, vitæ sanctæ disciplinam teneant.

Cap. 249. — *Ne monachi vel laici qualicunque scientia instructi prædicare audeant. Ex epistola Leonis papæ* (*epist.* 63 *ad Theodoretum*).

De his vero quæ in sæpe dicto concilio illicita contra venerandos Nicænos canones præsumptione tentata sunt, ad fratrem et coepiscopum nostrum Antiochenæ sedis præsulem scripsimus, (6, *q.* 1, *c. adjicimus*) adjicientes et illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorumdam regionis [*al.* religionis] vestræ verbo mandastis per vicarios nostros, et hoc specialiter statuentes, ut præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus, sive ille sit laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur.

Cap. 250. — *Ut clerici ab episcopis suis canones discant. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 6 (*conc. Aurel.* IV, *c.* 6.)

Ut parœciani clerici a pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant, ne vel ipsi [ne rei ipsi, etc.] vel populi quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent se postmodum ignorasse.

Cap. 251. — *Quod nulli sacerdotum liceat canones ignorare. Ex epistola Cœlestini papæ, cap.* 20 (*Cœlest.* I, *ep.* 3, 1).

(*Dist.* 38, *cap. Nulli sacerdotum.*) Cœlestinus uni-

Introdusă în format electronic de Google

versis episcopis per Apuliam et Calabriam constitutis. Nulli sacerdoti liceat suos canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digne servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?

Cap. 252. — *Ut presbyteri, quando ad collectam veniunt, minime se inebriare præsumant. Ex concilio Nannetensi, cap.* 10.

(*Dist.* 44, *cap. Nullus presbyterorum.*) Ut nullus presbyterorum quando ad anniversarium diem XXX. aut VII. vel III. alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri convenerint, se inebriare nullatenus præsumat, nec precatus in amore sanctorum, vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus et risus inconditos et fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat, vel turpia joca, vel urso, vel tornatricibus ante se facere permittat [fieri patiatur]. Nec larvas dæmonum ante se ferri consentiat, quia hoc diabolicum est, et a sacris canonibus prohibitum.

Cap. 253. — *Quam religiose in convivio se presbyteri habere debeant. Ex eodem concilio, cap.* 11.

(*Dist.* 44, *cap. Quando veniunt.*) Quando autem convenerint presbyteri ad aliquod convivium, prior illorum versum ante mensam incipiat, et cibum benedicat, et tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, et per vices cibum et potum benedicant, et aliquis de illorum clericis aliquid de sancta Scriptura legat. Et post refectionem similiter sanctum hymnum dicant, ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV) ; et sic contineant se omnes presbyteri maxime in talibus locis, ut non vituperetur ministerium illorum.

Cap. 254. — *De eadem re, Ex eodem, cap.* 12.

Summopere etiam quisque presbyter caveat, sicut de statu suo vult gaudere, ut non quacunque occasione patrem suum aut alium quemlibet ad iram et ad rixam, quantominus ad pugnam, vel ad cædem aliquo verbo irritet seu provocet, nec provocatus ad hæc quisquam prosiliat, quia in talibus comessationibus et potationibus semper se immiscet diabolus.

Cap. 255. — *Item de eadem re. Ex eodem cap.* 13.

(*Dist.* 44, *cap. Quando presbyteri.*) Quando presbyteri per Kalendas simul conveniunt post peractum divinum ministerium [mysterium] ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, se quas ad prandium ibi ad tabulas resideant, ne per talia inhonesta convivia se invicem gravent, quia indecens est et onerosum. Sæpe etiam tarde ad ecclesiam redeuntes majus damnum de reprehensione conquirunt, (quod [et] de gravedine mutua contrahunt) quam lucrum ibi faciant. Nam de hujusmodi conventu Paulus Corinthios reprehendit, qui inconvenienter cœnam Dominicam manducare conveniebant (*I Cor* II). Sic et quid ad cœnam Dominicam, id est ad collationem verbi sub occasione conveniunt, et ex ingluvietate [veritate] ventris causa, conjunguntur, reprehensibiles coram Deo et hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, et singuli singulos bibere faciant, maxime ut ultra tertiam vicem poculum non contingant, et sic ad ecclesias redeant.

Cap. 256. — *Ne clerici nec religiosi laici ante horam tertiam convivia ineant. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 12.

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos nisi hymno dicto ecclesiæ panem sumere, et post cibum gratias auctori Deo referre.

Cap. 257. — *Ut presbyteri hospitales sint. Ex concilio Nannetensi, cap.* 3.

Ut curam hospitum, maxime pauperum atque debilium, orphanorum quoque atque peregrinorum habeat presbyter : hos quoque ad prandium suum quotidie juxta possibilitatem convocet, eisque hospitium tribuat.

Cap. 258. — *De eadem re. Ex eodem concilio cap.* 5.

Ut autem omnis rapinæ tollatur occasio, volumus ut presbyteri qui bonum exemplum charitatis omnibus ostendere debent, hospitales, existant juxta Dominicum et apostolicum præceptum, ut humanitatem præbeant iter facientibus, quia per hospitalitatem placuerunt quidam Deo angelis hospitio receptis (*Hebr.* XIII). Et Dominus in die judicii dicturus est electis : *Hospes eram et suscepistis me* (*Matth.* XXV). Et Job dicit : *Ostium meum semper viatori patuit* (*Job* XXXI)

Cap. 259. — *De eodem. Ex concilio apud Arrernas (adjungitur huic concilio).*

Placuit ut presbyteri suas plebes admoneant, ut ipsi hospitales sint, et nulli iter facienti mansionem denegent. Et ut omnis rapinæ occasio tollatur, nihil carius vendant transeuntibus nisi quantum [quanto] in mercato vendere possint. Quod si carius vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, et illius jussu cum humanitate eis vendant.

Cap. 260. — *Ut cibis sacerdotum semper divina lectio misceatur. Ex concilio Africano, cap.* 7 (*conc. Tol.* III, *cap.* 7).

(*Dist.* 44, *c. Pro reverentia.*) Pro reverentia Dei et sacerdotum, id universa sancta synodus statuit, ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio lectio divinarum Scripturarum misceatur. Per hoc enim et animæ ædificantur ad bonum, et fabulæ [non necessariæ, *orig.*] recenseri prohibetur.

Cap. 261. — *De clericis inter epulas cantantibus. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 62.

(22, *q.* 1, *cap. Clericum.*) Clerici inter epulas cantantes ab officio detrahendi sunt.

Cap. 262. — *De clericis scurrilibus. Ex eodem cap.* 80 (*ponitur post concilium Carth.* 3, *c.* 4).

(*Dist.* 46, *cap. Clericum.*) Si quis clericus aut

Introdusă în format electronic de Google

monachus scurrilia, jocularia, risumque moventia verba loquitur, acerrime corripiatur.

Cap. 263. — *De eadem re. Ex Carthag. cap.* 60.

Clericos scurriles et verbis turpibus jocundatores ab officio detrahendos.

Cap. 264. — *Ut clericus fidejussor non sit. De eodem cap.* 70.

(*Ex canon. apost., c.* 20.) Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur.

Cap. 265. — *Ne clericus comam vel barbam nutriat. Ex eodem cap.* 44.

Clericus nec comam nec barbam nutriat.

Cap. 266. — *Ne clericus per creaturam juret. Ex eodem cap.* 71.

(22, *q.* 1, *c. Clericum.*) Clericum per creaturam jurantem acerrime objurgandum ; si perstiterit in vitio, excommunicandum.

Cap. 267. — *De clericis adulatoribus. Ex eodem cap.* 56.

(*Dist.* 46, *c. Clericus qui adulationibus.*) Clericus qui adulationibus et proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

Cap. 268. — *Ne quis ex clero sine consensu episcopi ad imperatorem querimoniam deferat. Ex concilio Antiocheno, cap.* 11

(23, *q.* 8, *c. Si quis spiscopus.*) Si quis episcopus aut presbyter, aut quilibet regulæ subjectus Ecclesiæ, præter consilium et litteras episcoporum provinciæ et præcipue metropolitani, adierit imperatorem, hunc reprobari, et abjici oportere non solum a communione, verum et ab honore cujus particeps videtur existere : quia venerandi principis auribus molestiam tentavit inferre contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu et consilio metropolitani et et cæterorum episcoporum qui in eadem provincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

Cap. 269.— *Ut nullus ex clero se proclamet in synodo nisi scriptis. Ex concilio apud sanctum Medardum, cap.* 8 (*Suessione sub Leone* IV, *initio, cap.* 269).

Hincmarus archiepiscopus Remorum suis accusatoribus dixit : Quæ est vestra petitio, fratres? Misericordiam, inquiunt, petimus nobis a vestra paternitate impendi de ministratione ordinum ecclesiasticorum, ad quos a domino Ebbone quondam provecti, a vestra auctoritate suspensi sumus. Hincmarus archiepiscopus dixit : Habetis libellum reclamationis sive postulationis, sicut ecclesiastica se habet traditio? Illi autem responderunt se præ manibus nullum habere libellum. Hincmarus archiepiscopus dixit : Legum ecclesiasticarum consuetudo et auctoritas talis est, in causis gestorum, semper scripturam requirant, adeo ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen præcipiatur, et qui ad summum sacerdotium provehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur. Ordinatus autem a suis ordinatoribus litteras accipere jubetur. Qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libellari inscriptione recipitur aut dejicitur. Sed qui accusatur, vel aut recipitur qui excommunicatur, seu reconciliatur, per scripturam accusari vel reconciliari jubetur. Et sic in cæteris hujusmodi in tantum scriptura deposcitur, ut sicut beatus Gregorius (*regist. l.* II, *epist.* 54, *in fine*) in commonitorio ad Joannem defensorem ex Romanis legibus sumens (*codic. lib.* 7. *tit.* 44)) scribit : Sententia quæ sine scriptura [scripto] profertur nec nomen sententiæ habere non meretur. Quapropter fratres et filii, oportet vos secundum ecclesiasticam auctoritatem reclamationem vestram libelli serie allegare, eamque manibus vestris roboratam, synodo sacræ porrigere, ut convenienter et canonice vobis valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes, eique sua nomina subscribentes, porrexerunt Hincmaro archiepiscopo, qui tunc una cum Wenilone Senonensi [Muclone Senensi] archiepiscopo, et Amalrico [Almarico] Turonensi æque archiepiscopo, sub præsentia gloriosi regis Caroli synodo præsidebat.

Cap. 270.— *Ne presbyteri relictis paræciis suis ad alias migrent, nisi certis de causis. Ex concilio Cabilonensi, cap.* 41.

Presbyter proprio loco dimisso ad alium migrans nequaquam recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, et se innocenter vixisse in parœcia in qua ordinatus est sub testibus probaverit. Litteras etiam habebit, in quibus sint nomina episcopi et civitatis plumbo impressa. Quibus cognitis, et talibus inventis, quibus fides adhiberi possit, recipiatur.

Cap. 271.— *Ut accusatores clericorum si unum de objectis probare non potuerint, ad cætera non admittantur. Ex concilio Africano. cap.* 7. (*conc. Afric.* 97, *et Car.* 7, *cap.* 3).

(3, *q.* 10, *cap. Placuit.*) Item placuit ut quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerint probare non valuerint, ad cætera non admittantur.

Cap. 272. — *Quomodo episcopi, vel presbyteri de objecto crimine se expurgare debeant. Ex concilio Wormatiensi, cap.* 8 (*sub Adriano II, cap.* 10).

(2, *q.* 4. *cap. Si episcopo.*) Si episcopo aut presbytero causa criminalis, hoc est homicidium, adulterium, furtum et maleficium imputatum fuerit, pro singulis missam tractare [celebrare] debet, et secretam publice dicere, et communicare, et de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere. Quod si non fecerit, quinquennio a liminibus ecclesiæ extraneus habeatur.

Cap. 273. — *Ut clerici alienis judicibus non constringantur. Ex decretis Adriani papæ, c.* 38 (*inter canones* 80 *Adriani I ad Ingelramnum*).

In clericorum causa hujusmodi forma servetur, ut nequaquam eos sententia non a suo judice data constringat.

Cap. 274. — *Ut verberibus publice castigatus in exilium deputetur, qui alii crimen injuste intenderit quod non probaverit. Ex registro Gregorii ad Anthemium subdiaconum Campaniæ, cap.* 201 (*lib.* IX, *epist.* 66).

Cum fortius punienda sint crimina quæ insontibus maxime sacratis ordinibus ingeruntur, quam

Introdusă în format electronic de Google

sitis culpabiles omnes qui in causa Joannis diaconi resedistis, attendite, ut Hilarium [Hilarum] criminatorem ipsius nulla ex diffinitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus solus frater et coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam, si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius uni a multis rationabiliter suaderi quam multi ab uno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet ultione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eumdem Hilarium prius subdiaconii, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice castigatum, faciat in exsilium deportari, ut unius pœna multorum possit esse correctio.

Cap. 275. — *Ne ecclesiastici, sæculares potestates habere desiderent. Ex epistola Gregorii Secundino incluso directa.*

Certum namque est non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor ejus fidesque complaceret, et nisi eum anteactæ vitæ virtus et sollicitudo aptum esse monstraret. Si vero non aliis nisi hujusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum, ex istius bonæ rei comparatione colligitur. Sed verecundum nobis est dicere, et pudet, quia sacerdotes sibi ducatum arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.

Cap. 276. — *Ut pœnam accusati suscipiat, qui non potest probare quod intendit. Ex concilio Bracarensi, c. 8 (conc. Brac. II, c. 8).*

(2, *q.* 5, *c. Placuit.*) Placuit ut, si quis aliquem clericorum in accusatione fornicationis impetit, secundum præceptum apostoli Pauli, duo vel tria testimonia requirantur ab illo (*I Tim.* v). Quod si non potuerit datis testimoniis approbare quod dixit, accusationem [*al.* excommunicationem. *Origin.*] accusati accusator accipiat.

Cap. 277. — *Ut sicut laici clericos in sua accusatione in sæcularibus non recipiunt, ita nec ipsi in eorum accusatione recipiant. Ex concilio Aurelianensi, c. 5.*

Omnes episcopi in tertia sessione acclamaverunt: Sane dignum est ut sicut sacerdotes vel clericos in sua accusatione, vel sæcularibus judiciis laici non recipiunt, ita ipsi in sacerdotum vel clericorum accusationibus seu ecclesiasticis negotiis, nisi sponte collaudetur, non recipiantur. Quoniam inconveniens est ut hi qui hos respuunt, ab his recipiantur.

Cap. 278. — *Ut testimonium laici contra clericos nemo recipiat. Ex concilio Triburiensi. cap. 4.*

(11, *q.* 1, *c. Testimonium.*) Testimonium laici adversus clericum nemo suscipiat.

Cap. 279. — *De prædicatione presbyterorum. Ex eodem concilio, cui interfuit Arnulfus rex.*

Præcipimus vobis ut unusquisque vestrum super duas seu tres hebdomadas diebus Dominicis seu festivitatibus sanctorum, populum sibi commissum, doctrinis salutiferis ex sacra Scriptura sumptis, in ecclesia sibi commissa, post evangelium perlectum, instruere studeat, et jubeat illis, ut nullus de ecclesia exeat antequam a presbytero sive a diacono ultima laus, id est *Benedicamus Domino*, aut *Ite missa est* pronuntietur.

Cap. 280. — *De ordinatis, quot testibus discuti debeant, si accusati fuerint. Ex concilio Carthaginensi, c. 20 (con. Carth. III, c. 2).*

(15, *q.* 7, *c. Si autem presbyteri.*) Si qui presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis episcopus proprius legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tribus, ipsorum causas discutiat, eadem dierum et dilationum, et a communione remotionum, et discussione personarum, inter accusatores et eos qui accusantur forma servata. Reliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat.

Cap. 281. — *Substantia defuncti sacerdotis cujus esse debeat. Ex concilio Triburiensi, cap 23 cui interfuit Arnulfus rex.*

Sancto concilio allatum est quod quidam laici improbe agant contra presbyteros suos, ita ut de morientium presbyterorum substantia partes sibi vindicent, sicut de propriis servis. Interdicimus itaque canonica auctoritate, ne hoc ulterius fiat, sed, sicuti liberi facti sunt ad suscipiendum gradum et agendum divinum officium, ita nihil ab eis exigatur, præter divinum officium. De peculiari vero sacerdotum nihil sibi usurpent, sed totum dividatur in quatuor partes : una episcopo, alia altari, tertia pauperibus, quarta parentibus. Et si non sunt idonei parentes, episcopus eam recipiat, et in usum Ecclesiæ diligenter distribuat. Et si quis contra hoc facere præsumpserit, anathematizetur.

Cap. 282. — *De clericis qui sine testamento discesserunt. Ex eodem conc., c. 14.*

Si quicunque ex gradu ecclesiastico sine testamento et cognitione decesserit, hæreditas ejus ad Ecclesiam ubi servivit devolvatur. Similiter et de sanctimonialibus.

Cap. 283. — *De clericis qui laicalibus vestimentis induuntur. Ex eodem concilio, c. 27.*

Ut laicalibus vestimentis clerici non utantur, id est mantello vel coto, sive cappa, nec pretiosis et ineptis calciamentis, et aliis novitatum vanitatibus, sed religioso et decenti habitu induti incedant.

Cap. 284. — *De eadem re. Ex concilio Carthaginensi, cap. 44 (con. Carth. IV, cap. 45).*

(*Dist.* 42, *c. Clericus.*) Clericus professionem suam etiam habitu et incessu probet, et ideo nec in vestibus, nec calciamentis decorem quærat.

Cap. 285. — *De clericis qui otiose in nundinis deambulant. Ex eodem concilio, cap. 48 (ibidem).*

Clericus qui pro commodo aliquo in nundinis [qui non pro emendo aliquid in n. *orig.*], vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

Cap. 286. — *Ut nullus ex clero arma militaria portet. Ex concilio Meldensi, cap. 18 (sub Sergio II, c. 37).*

Introdusă în format electronic de Google

(23, *q.* 8, *c. Quicunque.*) Quicunque ex clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo et sæculo militare.

Cap. 287. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 9.

Omnimodis dicendum est presbyteris et diaconibus ut arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei quam in armis.

Cap. 288. — *Ne ecclesiasticæ personæ canes aut accipitres habeant. Ex concilio Meldensi, cap.* 8.

(*Dist.* 34, *c. Episcopum, presbyterum.*) Episcopum, presbyterum, aut diaconum canes ad venandum, aut accipitres, aut hujusmodi res habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluntate sæpius detectus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus a communione suspendatur; presbyter duobus mensibus; diaconus vero ab omni officio et communione suspendatur.

Cap. 289. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 3.

(*Dist.* 34, *c. Omnibus servis.*) Omnibus servis Dei venationes, et silvaticas vagationes cum canibus, et ut accipitres et falcones non habeant interdicimus.

Cap. 290. — *Ut clericos discordantes episcopus sua potestate conciliet. Ex concilio Africano, cap.* 59 (*con. Carth.* iv, *c.* 59).

(*Dist.* 90, *c. Discordantes.*) Discordantes clericos, episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat, inobedientes synodus per audientiam damnet.

Cap. 291. — *De clericis qui proruperint in mutuam cædem. Ex concilio Hilerdensi, cap.* 6 (*conc. Hilerdensi, c.* 11).

Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, a pontifice districtius vindicetur.

Cap. 292. — *De eadem re. Ex eodem, cap.* 7 (*inter fragmenta*).

Frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinam accipiat.

Cap. 293. — *Quod septem diaconi sufficiant in unaquaque Ecclesia. Ex epistola Fabiani papæ, cap.* 2 (*epist.* 1, *initio*).

Septem ergo diaconi sunt in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut a Patribus accepimus, qui per singulas hebdomadas et Dominicos dies atque festivitatum solemnia, cum subdiaconibus et acolytis ac sequentium ordinum ministris, injuncta sibi observent ministeria, et parati omni hora divinum officium sint, et quidquid eis injungitur peragendum. Similiter et vobis, prout opportunum fuerit, per singulas civitates est faciendum ut divinum absque ulla mora aut negligentia studiose ac solemniter agatur officium.

Cap. 294. — *De eadem re. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 14

(*Dist.* 93, *c. Diaconi septem*). Diaconi septem esse debent juxta regulam, licet et valde magna sit civitas. Idipsum autem et Actuum apostolorum liber insinuat (*Act.* vi).

Cap. 295. — *Item de eadem re. Ex concilio episcoporum qui in Ancyra et Cæsaræa convenerunt, cap.* 9.

Diaconi septem esse debent secundum regulam, quavis magna sit civitas; cui regulæ auctoritas erit liber Actuum apostolorum (*Act.* vi).

Cap. 296. — *Ut diaconi coram presbyteris non sedeant. Ex concilio Laodicensi, cap.* 20 (*et conc. Agathen., c.* 65.

(*Dist.* 93, *c. Non oportet.*) Quod non oporteat diaconum coram presbytero sedere, sed jussione presbyteri sedeat. Similiter autem diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est a subdiaconis, et omnibus clericis.

Cap. 297. — *Ne diaconi presbyteris se anteponant. Ex concilio Toletano, cap.* 30 (*conc. Tol.* iv, *cap.* 38).

(*Dist.* 93, *c. Nonnulli diaconi.*) Nonnulli diaconi in tantam erumpunt superbiam, ut sese presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo ut sublimiores sibi presbyteros agnoscant, tam hi quam illi in utroque choro consistant.

Cap. 298. — *Ut exorcistæ energumenis manus imponant. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 20 (*conc. Carth.* iv, *c.* 90).

(*De cons. dis.* 5, *c. Omni die.*) Omni die exorcistæ energumenis manus imponant.

Cap. 299. — *De honore universis ordinibus competente. Ex decretis S. Sylvestri papæ, cap.* 4.

Ita fratres jubet auctoritas divina et affirmat ut a subdiacono usque ad lectorem omnes subditi sint diacono. Cardinali urbis Romæ in Ecclesia honorem repræsentantes tantum. Pontifici vero presbyter diaconus, subdiaconus acolytus, exorcista, lector, abbas, monachus in omni loco repræsentent obsequium, sive in publico sive in gremio ecclesiæ.

Cap. 300. — *De sacerdotibus qui ministerium suum adimplere nesciunt, nec discere volunt. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 6.

Sacerdotes qui rite non sapiunt adimplere ministerium suum, nec discere juxta præceptum episcoporum suorum, pro viribus satagunt, et contemptores canonum existunt, ab officio proprio sunt submovendi, quousque hæc pleniter emendata habeant.

Cap. 301. — *Ut clerici non reputentur qui sub nullius episcopi disciplina inveniuntur. Ex concilio Parisiensi, c.* 10.

(*Dist.* 93, *c. Nulla ratione.*) Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina et providentia gubernantur. Tales enim acephalos, id est sine capite, prisca Ecclesiæ consuetudo nominavit.

Cap. 302. — *Ut clerici liberi facti a dominis suis, eos honorent et canonice serviant. Ex concilio apud Altheim* [*Altum*] *habito, c.* 38.

Nullus clericus ad gradum presbyterii promoveatur, nisi ut scriptum in canonibus habetur : Si enim propter Dei dilectionem quis de servis suis quem-

Introdusă în format electronic de Google

quam elegerit. et docuerit litteras, et libertati condonaverit, et per intercessionem erga episcopum presbyterum effecerit, ille autem postea in superbiam elatus, missam dominis suis et canonicas horas servare et psallere renuerit, et eis juste obedire, dicens se liberum esse, noluerit, et quasi libere cujus vult homo fiat, hæc sancta synodus anathematizat, et illum a sancta communione arceri judicat, donec resipiscat et domino suo obediat secundum canonica præcepta. Si autem obstinato animo et hæc contempserit, accusetur apud episcopum qui eum ordinavit, et degradetur, et fiat servus illius, id est domini sui, sicut natus fuerat. Quisquis vero talem secum habuerit, posteaquam rem illius prædictam audierit, et domino suo non reddiderit, vel a se projecerit sive episcopus, sive comes, sive clericus, sive laicus anathematis illius societate nodatus pœnam excommunicationis luat.

Cap. 303. — *De illis qui fugam fratris celaverint. Ex dictis Basilii.*

Si quis eum qui districtionem ecclesiasticam non ferens, fugam meditari, cognoverit; si non statim prodiderit, proditionis illius participem se esse non dubitet, et tandiu a conventu fratrum est sequestrandus, quandiu ille valeat revocari.

Cap. 304. — *De illis qui presbyteros suos male tractaverint. Ex concilio apud Arvernas, c. 7.*

Si quis presbyterum proprium inhonorat, aut verbo, aut facto contumeliam fecit, tandiu a liminibus ecclesiæ arceatur, quousque per condignam pœnitentiam satisfaciat. Ait enim Apostolus : *presbyteri qui bene præsunt duplici honore digni habeantur* (*I Tim.* v). Item alibi dicit : *Obedite præpositis vestris, et subjecti estote eis* (*Hebr.* xiii). Et cætera.

Cap. 305. — *Ut nomen papæ in ecclesiis sanctis recitetur. Ex concilio Vasensi* ii, *cap.* 4 (*Vasense* i, *c.* 2).

Et hoc justum visum est nobis, ut nomen domini papæ quicunque sedi apostolicæ præfuerit in vestris ecclesiis recitetur [nostris *orig.*]

Cap. 306. — *Ut presbyteri et diaconi in villis habitantes summas festivitates in civitatibus celebrent. Ex concilio Arvernensi, c.* 14.

Si quis presbyter aut diaconus, qui non in civitate canonicus esse dignoscitur, sed in villis habitans in oratoriis officio sancto deserviens, celebrat divina myteria, festivitates præcipuas, Domini Natalem, Pascha, Pentecosten, et si quæ principales sunt festivitates reliquæ, dehinc ne faciat commonemus, et nusquam alibi, nisi cum episcopo suo in civitate festivitates supradictas celebret. Quicunque sunt cives laici natu majores, pari modo in urbibus ad pontifices suos in prædictis festivitatibus veniant, et ibi divina mysteria celebriter audiant. Quod si qui improba temeritate hæc contempserint, a communione pellantur.

Cap. 307. — *Ut presbyteris potestas prædicandi in suis plebibus concedatur. Ex concilio Vasensi* ii, *cap.* 2 (*verius* iii, *c.* 2).

Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, et pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus paroeciis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem, ita ut si presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ a diaconibus probatis [prob. *deest in orig.*] recitentur.

Cap. 308. — *De clericis qui in rixa interficiuntur. Ex concilio Triburiensi, c.* 50, *cui interfuit Arnulphus rex.*

(23, *q.* 8, *cap. Quicunque clericus.*) Quicunque clericus aut in bello, aut in rixa, aut gentilium ludis mortuus fuerit, neque oblatione pro eo postuletur, sed in manus incidat judicis. Sepultura tamen non privetur.

Cap. 309. — *De presbyteris qui capitali crimine accusati excusare se non possunt. Ex eodem concilio, c.* 6 (*Annectitur conc. Arvern.*).

De presbyteris qui de crimine fornicationis sive aliquo capitali flagitio accusantur, et *non* habent collegas cum quibus se excusare [*al.* expurgare] possint, aut si forte lapsi fuerint, quomodo satisfaciant. In quorum judicio neque ad dexteram neque ad sinistram declinandum est, sed recta via gradiendum. (*Dist.* 28, *c. Presbyter.*) In concilio namque Neocæsariensi capitulo primo scriptum est : Presbyter si uxorem acceperit, deponatur ab ordine; si vero fornicatus fuerit aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, et ad pœnitentiam redigi.

Cap. 310. — *Ut viri veraces et Deum timentes in civitatibus et vicis constituantur. Ex concilio Rothomagensi, c.* 9.

Ut populus admoneatur ut in Dominicis et festis diebus omnes ad vesperas et nocturnas vigilias, et ad missam omnimodo occurrant, et ut decani in civitatibus et in vicis publicis viri veraces et Deum timentes constituantur, qui desides et negligentes commoneant, ut ad Dei servitium absque occasione properent, et ut ipsi decani sacramento astringantur, ut nulla interveniente causa, scilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, aut muneris, negligentes et transgressores reticeant, quin sacerdotibus proprias eorum culpas manifestent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia zelo et amore divino cum debita disciplina corrigere, sicut ipsi nolunt pro aliorum erratis sententiam justæ damnationis suscipere. Et ut dies festi a vespere usque ad vesperam absque opere servili cum debito honore celebrentur.

Cap. 311. — *Ne aliquis clericorum in duabus Ecclesiis facile connumeretur, 7 synodi, cap.* 15.

Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim est hoc et turpis commodi proprium, et ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audivimus enim ex ipsa Dominica voce, quia, *nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet* (*Luc.* xvi). Unusquisque enim secundum apostolicam vocem quo vocatus est, in hoc debet manere (*I Cor.* vii), et in una locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistant a Deo; ad vitæ vero hujus necessitatem studia sunt

Introdusă în format electronic de Google

diversa. Ex eis ergo qui voluerit acquirat corporis opportuna. Ait enim Apostolus : *Ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ* (*Act.* xx). Et hæc quidem in hac servanda urbe. Cæterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

Cap. 312. — *Ante discussionem non esse suscipiendos accusatores. Anacletus in tertio decretali suo* (*Evaristus ep.* 2, *ante medium*).

(2, *q.* 7, *c. Si qui sunt vituperatores.* Si qui sunt vituperatores aut accusatores episcoporum vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a judicibus Ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur æstimationis suspicio, vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quove merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia vel odio, vel cupiditate ista præsumpserint, nec ne.

Cap. 313. — *Clericos non esse accusandos a laicis. Telesphorus papa in primo decretali suo omnibus episcopis* (*cap.* 1).

Sicut laici sæculares homines nolunt clericos recipere in accusationibus et infamationibus suis, ita nec clerici debent eos recipere in pulsationibus suis, quoniam in omnibus discreta debet semper esse et segregata vita, et conversatio clericorum ac sæcularium laicorum.

Cap. 314. — *Vulgus non esse recipiendum in accusatione sacerdotum. Paulo vost in eodem decretali* (*cap.* 2).

(6, *q.* 1, *cap Sacerdotes.*) Sacerdotes qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt obediendi [*forte* obaudiendi] et timendi, non dilacerandi aut detrahendi, quia a quibus se Domini populus benedici, salvari et instrui cupit, nullatenus eos debet arguere, nec vulgus in eorum accusationem suscipi. Populus enim ab eis docendus est et corripiendus, non ipsi ab eo, quia *non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* xx). (*Post pauca.*) Dei ergo ordinationenem accusat, qui eos qui ab eo constituuntur sacerdotes accusat vel damnare cupit.

Cap. 315. — *Accusatori non esse credendum qui absentem accusat. Ibidem post pauca* (*cap.* 4).

Accusatores et accusationes, quas leges sæculi non admittunt, et nos submovemus, et accusatori omnino non credi decernimus, qui absente adversario causam suggerit ante utriusque partis justam discussionem. Nec hi qui non sunt idonei suscipiantur ad accusationem, et omnes qui adversus Patres, id est sacerdotes [id est, sacerd. *abest ab orig.*] armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes, id est sacerdotes, venerandi sunt, non respuendi, aut accusandi vel insidiandi.

Cap. 316. — *Finitiva tantum clericorum judicia, deferenda ad apostolicam sedem. Eleutherus papa duodecimo loco succedens Petro in primo decretali suo, Ecclesiis Galliæ* (*epistolæ suæ, c.* 2).

De accusationibus ergo clericorum, de quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad sedem apostolicam deferri, finitiva tantum episcoperum judicia huc deferantur, ut hujus sanctæ sedis auctoritate finiantur, sicut ab apostolis eorumque successoribus multorum consensu episcoporum, jam diffinitum est. Nec in eorum Ecclesiis alii aut præponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum juste terminentur negotia (3. *q.* 6, *c. Quamvis.*) Quoniam, quamvis liceat apud provinciales et metropolitanos atque primates, eorum ventilare accusationes vel criminationes, non tamen licet diffinire secus quam prædictum est. Reliquorum vero clericorum causas apud provinciales et metropolitanos, et primates ventilare, et juste finire licet. Judicantem tamen oportet cuncta rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi adjiciendique præbita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium limitata sit pleniter.

Cap. 317. — *Non esse judicandum donec utrinque sit peroratum. Ibidem* (*consequente*).

Nec litigantibus judex prius sua velit sententia obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione quod proponant, et tandiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum forte remaneat, quod adnecti conveniat. (3, *q.* 3, *Inducia non mod.*) Inducia enim non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid præpropere agi a quacunque parte videatur, quia per subreptionem multa proveniunt : (2, *q.* 1, *c. Nihil contra.*) Nihil tamen absque legitimo et idoneo accusatore fiat. Nam et Dominus noster Jesus Christus Judam esse furem sciebat, sed, quia non est accusatus, ideo non est ejectus; et quidquid inter apostolos egit, pro dignitate ministerii, ratum mansit. Nam, si leges sæculi accusatores requirunt, quanto magis ecclesiasticæ regulæ? Docent enim terrestria et humana quæ sint ecclesiastica atque cœlestia.

Cap. 318. — *Intra provinciam exercendas pulsati actiones. Ibidem* (*cap.* 3, *et in epist.* 1 *Felicis I*).

(3, *q.* 6, *c. Si quis clericus.*) De accusatoribus vero comprovincialibus ita legitur esse statutum : Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerceat actiones, nec æstimet eum alibi aut longius ad judicium protrahendum. Illi vero qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.

Cap. 319. — *Non esse judicandum de absente. Item* (*ex conc. Carth.* iv, *c.* 30).

(3, *q.* 9, *c. Caveant judices.*) Caveant etiam judices Ecclesiæ, ne absente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant; quia irrita erit, imo et causam in synodo pro facto dabunt. Proditoris vero nec calumnia nec vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille qui injuriam ejusque sustinuit nequitiam.

Cap. 320. — *Quod laici non debeant clericos accusare. Fabianus in secundo decretali suo orientalibus episcopis* (*cap.* 2).

(2, *q.* 7, *c. Sicut sacerdotes.*) Sicut sacerdotes vel clerici reliqui a sæcularium excludundur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi et alie-

Introdusă în format electronic de Google

nandi criminatione. Et, sicut isti ab illis, ita et illi ab istis non recipiantur ; quoniam, sicut Domini sacerdotum segregata debet esse conversatio ab eorum conversatione, ita et litigatio ; *quia servum Dei non oportet litigare* (*II Tim.* II). *Post pauca.* Hæc ideo præmisimus ut cognoscatur ab his quibus incognitum est, quia et sacerdotes quos sibi Dominus de omnibus ascivit, et suos esse voluit, non sunt leviter tractandi, nec lacerandi, nec temere accusandi, aut reprehendendi, nisi a magistris suis; quoniam eorum causas sibi Dominus reservare voluit, et suo judicio judicari [vindicari].

CAP. 321. — *De ordine causæ, et numero personarum. Item (ibidem non ita procul a fine).*

(4, *q.* 4, *c. Nullus unquam.*) Nullus unquam præsumat accusator simul esse et judex, et testis ; quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est judices electos, et accusatores, ac defensores, atque testes. Similiter statuentes apostolica auctoritate jubemus ne pastorem suum oves quæ ei commissæ fuerint, nisi in fide erraverit, reprehendere audeant ; quia facta præpositorum oris gladio feriendi non sunt, neque potest esse discipulus super magistrum (*Matth.* x).

CAP. 322. — *Item non esse contradicendum auctoritati. Ibidem.*

(11, *q.* 3, *c. Qui omnip.*) Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra Evangelium, nec contra apostolos, nec contra prophetas, vel sanctorum Patrum instituta aliquid agere ullo modo consentit.

CAP. 323. — *De pulsatis ubi respondere debeant, ubi non. Idem in tertio decretali suo (ad Hilarium episc., c. 3).*

(*q.* 6, *c. Pulsatus.*) Pulsatus, ante judicem suum causam dicat, et ante non suum judicem, pulsatus, si voluerit, taceat : et ut pulsatis quoties appellaverint, induciæ dentur.

CAP. 324. — *De conviciis pro accusatione non habendis. Idem (ibidem, paulo post).*

(2, *q.* 3, *c. De pœniten., dist.* 1, *c. Si quis iratus.*) Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit, convicium non est pro accusatione habendum ; sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit per Scripturam se probaturum esse fateatur : ut si forte resipiscens, quæ pro iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. (3, *q.* 6, *c. Qui crimen.*) Omnis ergo qui crimen objicit, scribat se probaturum. Revera ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur. Et qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulerit, in se patiatur.

CAP. 325. — *De alieno judicio Cornelius papa in secundo decretali suo Rufo episcopo (cap. 2).*

Nullus sacerdotum causam suam alieno committat judicio, nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum ; sed unusquisque provinciales judices et notos habeat, nisi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit ; aut infestos vel suspectos inibi judices habuerit ; pro quibus causis ad majoris auctoritatis judices, et ad alias provincias appellare et venire concessum est. (3, *q.* 9, *c. Omnia quæ.*) Omnia ergo quæ adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur, aut judicantur, omnino vacuentur ; quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat.

CAP. 326. — *Quod qui crimina intendunt per se accusare debeant. Lucius papa vigesimus primus a Petro, in primo decretali suo, omnibus episcopis tam Galliæ quam Hispaniæ (cap. 2).*

(2, *q.* 7, *c. Criminationes.*) Constitui placuit ut criminationes majorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis docuerint publicis omni se carere suspicione, atque inimicitia et irreprehensibilem fidem ac conversationem ducere. (2, *q.* 6, *c. Placuit ut.*) Unde placuit ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos ubi major est auctoritas, si fuerit provocatum, audientia non negetur.

CAP. 327. — *Quæ accusationes recipi non debeant Stephanus papa I, in secundo decretali suo (cap. 3).*

(3, *q.* 5, *c. Accusatores.*) Accusatores, et accusationes quas sæculi leges non recipiunt, et antecessores nostri prohibuerunt, et nos submovemus. Nullus enim alienigena aut accusator eorum fiat, aut judex. *Item.* (*Idem supra, c.* 315.) Repellantur habitantes cum inimicis et omnes laici quia infestationem blasphemiæ affectio inimicitiæ incitare solet. Nec illi in vestra suscipiendi sunt accusatione, qui vos in sua nolunt recipere infamatione (3, *q.* 4, *c. Nullus anathem.*) Nullus enim anathematizatos suscipiat, nec a quoquam credantur, quæ ab eis vel dicuntur vel conscribuntur. Eos dico anathematizatos esse, quos episcopi suis scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant.

CAP. 328. — *Quod per scriptum nullus sit accusandus. Idem (cap. 4).*

(2, *q.* 8, *c. Per scripta.*) Per scripta enim nullius accusatio suscipiatur, sed propria voce, si legitima et condigna accusatoris persona fuerit, præsente videlicet eo quem accusare desiderat, quia nullus absens aut accusari potest, aut accusare.

CAP. 329. — *De incertis judiciis. Felix papa I, ex a Petro, in primo decretali suo, Paterno coepiscopo.*

(*Idem supra habetur, c.* 318.) In re dubia certa non judicetur sententia, nec ullum judicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in provincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat [*al.* exerceat] actiones, nec æstimet eum accusator alibi aut longius pertrahendum ad judicium.

CAP. 330. — *De appellatione ejus qui judices suspectos habet. Idem (proxime post).*

Ille vero qui pulsatus fuerit, si judices suspectos habuerit, licet appellare primates.

CAP. 331. — *Item de eodem, et quæ accusationes non sint recipiendæ. Idem episcopis Galliæ in secundo decretali suo.*

(3, *q.* 7, *c. Infamis.*) Infamis enim persona nec procurator potest esse, nec cognitor. (3, *q.* 9,

Introdusă în format electronic de Google

c. Absente.) Absente vero adversario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia a judice dicta ullam obtinebit firmitatem. Neque absens per alium accusare aut accusari potest, nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis ad quem fuerit appellatum, id est ut actor semper rei forum sequatur. Si quis autem judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. (3, *q.* 6, *c. Peregrina.*) Peregrina vero judicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab externis judicetur, qui comprovinciales et a se electos debet habere judices.

Cap. 332. — *De ordine accusationis, et vinculo inscriptionis Eutychianus papa episcopis per Siciliam* (*epist.* 2, *c.* 2).

Accusationis ordinem talem et didicimus, et servari jubemus, id est si quis clericorum in crimine impetitur, non statim reus æstimetur qui accusari potuit, ne suspectam innocentiam faciamus. (2, *q.* 8, *c. Quisquis.*) Sed quisquis ille est, qui crimen intendit in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem, habita tamen dignitatis æstimatione potiatur. Nec fore [patiatur, ne forte, *orig.*] noverit sibi licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

Cap. 333. — *Qui non sint admittendi, ad accusationem. Idem* (*consequenter*).

Hæretici omnes, et suspecti, et excommunicati, homicidæ quoque atque malefacti, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui sortilegos magosque consuluerint [concurrerint, *orig.*], nullatenus ad accusationem sunt admittendi. Nulli infami unquam, aut sacrilego de quocunque negotio liceat adversus religiosum Christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet ratione, vel inscriptione Christianum impetere.

Cap. 334. — *Sub quot testibus cujusque ordinis accusatio fieri debeat. Ex synodalibus vestis Sylvestri papæ.*

Presbyter autem cardinalis nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinalis constitutus urbis Romæ, nisi in XXXVI non condemnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi (sicut scriptum est) in septem testibus non condemnabitur. Testes autem et accusatores, sine aliqua sint infamia, uxores, et filios habentes, et omnino Christum timentes [prædicantes]. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in ecclesia. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut presbyter propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante judicem cinctum causam dicere præsumat, quoniam omnis curia, a cruore dicitur et immolatione simulacrorum. Et si quis clericus accusans clericum in curiam introierit, anathema suscipiat.

Cap. 335. — *De petendis induciis Felix papa in primo decretali suo Anastasio et Ægyptiis, c.* 14 (*Felix II, ep.* 1, *c.* 8).

Cum ad judicium quis venerit, si voluerit et necesse fuerit, induciæ ei petenti a Patribus constitutæ absque impedimento concedantur, et judices a se electi tribuantur, ut in loco unde est ille qui accusatur, aut, si ibi aliquam temerariæ multitudinis vim metuerit, locum eligat sibi congruum, quo absque timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere, et absque impedimento suam canonice sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem evenire solent.

Cap. 336. — *De differentia ecclesiasticæ et sæcularis causæ. Idem, c.* 17 (*Eutych. pap., epist.* 2, *episcopis per Siciliam*).

(2, *q.* 6, *c. Non ita.*) Non ita in ecclesiasticis agendum negotiis est, sicut in sæcularibus. Nam in sæcularibus, postquam legibus vocatus quis venerit, et in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere. In ecclesiasticis vero dicta causa recedere licet, si necesse fuerit, aut si prægravari viderit.

Cap. 337. — *De non permiscendis personis causæ. Ex epistola decretali Damasi papæ ad Stephanum archiepisc. Mauritaniæ* (*ep.* 4, *c.* 7).

(4, *q.* 4, *c. Nullus introducatur.*) Nullus introducatur personaliter (ad causam), sed accusatores et accusati æqua audiantur ratione, juxta quod gestorum ordo exigit. Accusatores vero et judices non iidem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine. Nam inscriptio primo semper fiat, ut talionem calumniator recipiat, quia ante inscriptionem nemo debet judicari vel damnari, cum et sæculi leges hæc eadem retineant.

Cap. 338. — *De Maximo episcopo. Ex epistola Bonifacii papæ ad episcopos Galliæ, cap.* 15 (*Bonif. I, ep.* 2).

(3, *q.* 9, *c. Decernimus.*) Bonifacius episcopis Galliæ. Decrevimus vestram debere intra provinciam esse judicium, et congregari synodum ante diem Kalendarum Novembrium, ut, si adesse voluerit, Maximus præsens, si confidit, ad objecta respondeat. Si vero adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur.

Cap. 339. — *De abjiciendis familiaribus inimicis. Leo papa Anatolio episcopo* (*epist.* 76).

(24, *q.* 3, *c. Illud sane.*) Illud sane mihi plurimum displicere significo, quod inter ditionis tuæ clericos [jurisdictionis tuæ clerici] quidam esse dicuntur, qui adversariorum conveniant [conniveant] pravitati, et vesaniæ [iræ] vasis misericordiæ vasa misceantur : quibus investigandis et severitate congrua coercendis debet diligentia tua vigilanter insistere, ita ut his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Oportet enim nos

Introdusă în format electronic de Google

evangelici meminisse mandati, quo ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur, quia melius sit his in Ecclesia [sæculo] carere membris quam cum ipsis in æterna ire supplicia (*Matth.* XVIII). Nam superfluo extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in eis quos decipiunt, vulneramur. Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.

CAP. 340. — *Episcopum accusatum non esse deserendum a suis ante finem causæ. In quinta synodo Symmachi papæ (ex lib. Ennodii, in* IV *syn.).*

(8, *q.* 4, *c. Nonne directa.*) Nonne directa sunt verba canonum, quicunque clericorum ab episcopo suo ante sententiæ tempus pro dubia suspicione discesserit, manifestam eum manere censuram?

CAP. 341. — *De eodem in eadem (proxime post).*

Lex ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum, prinsquam sub luce objecta constiterint, exigit non relinqui.

CAP. 342. — *De depositione ejus qui archidiaconatum alterius invaserat. Gregorius natali episcopo Salonitano (lib.* II, *indict.* 10, *ep.* 14 *et* 16).

(7, *q.* 1, *c. Eum qui contra.*) Eum qui contra justitiæ regulam in archidiaconatum alterius se provehi consensit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponimus. Qui si ulterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacræ noverit esse privatum.

CAP. 343. — *Quod nullam vim habeant injusta judicia. Joanni defensori Gregorius, c.* 40 (*lib.* XI, *c.* 50, *vel epist.* 52).

(2, *q.* 1, *c. In primis.*) Quod quidam frater de falsis se capitulis accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed injuste se asserit condemnatum, diligenter quærendum est, primo, si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerint; deinde causarum qualitas, si digna exsilio vel depositione fuit, si eo præsente sub jurejurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, si ipse licentiam respondendi ac defendendi se habuit. Sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est cujus conditionis, cujusve opinionis, et ne inopes sint, ne forte aliquas contra præfatum pastorem inimicitias habuissent, utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sunt, si scriptis judicatum est, et partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si forte hæc solemniter acta non sunt, neque causa probata est, quæ exsilio vel depositione digna sit, in Ecclesiam suam modis omnibus revocetur.

CAP. 344. — *Ut singulis personis singula Ecclesiæ tribuantur officia. Gregorius omnibus episcopis (apud Joan. diaconum in Vita B. Gregorii, n.* 54).

(*Dist.* 89, *c. Singula ecclesiastici.*) Singula ecclesiastici juris officia, singulis quibusque personis, singulatim debere committi jubemus. Neque enim uni quamlibet exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum officia censemus committenda. Quia si *totum corpus oculus, ubi auditus?* (*1 Cor.* XII.) Sicut enim varietas membrorum per diversa officia et robur corporis servat, et pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum nihilominus per officia distributa, et fortitudinem et venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est ut in corpore humano alterutrum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria, personis totidem non fuerint distributa.

CAP. 345. — *Ubi fieri debeant ecclesiastica. Ex prima epistola Clementis (post initium).*

(11, *q.* 1, *c. Si qui ex fratribus.*) Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores sæculi non judicentur, sed apud presbyteros ecclesiæ quid illud est dirimatur, et omnimodo obediant statutis eorum.

CAP. 346. — *De abominabili crimine conspirationis. Calixtus in secunda epistola (cap.* 1).

(11, *q.* 1, *c. Conspirationum.*) Conspirationum vero crimina in vestris partibus vigere audivimus, et plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cujus criminis astutia non solum inter Christianos abominalis est, sed etiam inter ethnicos, et ab exteris legibus prohibita. Et idcirco hujus criminis reos non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi damnant leges. Et non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores vero nostri cum plurima turba episcoporum, quicunque eorum in sacerdotali honore sunt positi, aut existunt clerici, honore quo utuntur carere præceperunt: cæteros vero communione privari, et ab ecclesia extorres fieri jusserunt, omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse censuerunt: et non solum facientes, sed et eis consentientes. (23, *q.* 3, *c. Justum est.*) Justum est enim ut qui divina contemnunt mandata, et inobedientes Patrum existunt jussionibus, severioribus corrigantur vindictis, quatenus timorem cæteri habeant talia committere, et Deus gaudeat fraternitate ac concordia, et cuncti sumant severitatis ac bonitatis exemplum. Nam, si (quod absit) ecclesiasticam sollicitudinem vigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, et animabus fidelium profecto nocebitur. (3, *q.* 4, *c. Conspiratores.*) Hi vero in nullius sunt accusatione recipiendi, nec eorum vel anathematizatorum vox, ullum nocere aut accusare potest.

CAP. 347. — *De modo accusandi. Damasus in secunda epistola (epist.* 4, *c.* 8).

(3, *q.* 9, *c. Habetur.*) Habetur quoque in decretis Patrum, sancitum non fore canonicum, quemquam sacerdotum judicare vel damnare, antequam accusatores canonice examinatos præsentes habeat, locumque defendendi accipiat, id est indućias ecclesiasticas ad abluenda crimina et cætera, nec extra propriam fiat provinciam prima discussionis accusatio, sine apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, quoniam et anti-

Introdusă în format electronic de Google

qua docet hoc Patrum regula ; in qua et imperialia pariter statuta concinunt.

Cap. 348. — *De eadem re. Idem in epistola ultima (epist. 7, ad episc. Italiæ).*

(3, *q.* 9, *c. Qui accusare.*) Qui alium accusare elegerit, præsens per se et non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Neque ullus unquam judicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Cap. 349. — *De curialibus ad clerum non promovendis. Innocentibus Victricio Rothomagensi archiepiscopo (epist. 2, c. 11).*

(*Dist.* 51, *c. Præterea frequenter.*) Præterea frequenter quidam ex fratribus vestris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt : quibus postea major tristitia cum de revocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia nascitur de adscito. Constat enim eos in ipsis muniis [mimis] voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse non dubium est, et ludorum aut numerum [mimorum] apparatibus aut præesse, aut forsitan interesse. Si certe in exemplum sollicitudo et tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus, imperatore præsente, cum pro his sæpius rogaremus, quam ipse nobiscum positus cognovisti, quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam jam ex sacerdotio constituti, ingens molestia ut redderentur, instabat.

Cap. 350. — *Quod id quod necessitas reperit pro remedio, cessante necessitate, debet utique cessare. Idem Rufo, et Eusebio Macedonibus episcopis (epist. 22, c. 5).*

(1, *q.* 7, *c. Quod pro remedio.*) Sacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac ne fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Vicimus (ut opinor) ambigua. (1, *q.* 1, *c. Quod pro necessitate.*) Jam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas veteres quas ab apostolis aut apostolicis traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his, qui eam audire consuerunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed canones apud Nicæam constituti de Novatianis fieri permiserunt. Prius ille canon a Patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere, vel quid, vel qualiter ab eisdem sensum sit vel præceptum. (*Can.* 8, *Nic. syn.*) De his, inquit, qui nominant seipsos catharos, id est mundos, et aliquando veniunt ad catholicam Ecclesiam, placuit sanctæ et magnæ synodo ut accepta manus impositione, sic maneant in clero. Possumus vero dicere de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæreseon clericos pertinere. Nam, si utique de omnibus ita definirent, addidissent a Novatianis, aliisque hæreticis revertentes debere in suum ordinem recipi. Quod ita non esse, etiam illud maxime quod de Paulianistis dictum est, poterit confirmare, a quibus venientes etiam baptizari præcipiuntur. Nunquidnam cum de Paulianistis jubent, omnes qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse præceptum ratio ipsa demonstrat.

Cap. 351. — *De his qui virginitatis sponsionem irritam faciunt. Idem (conc. Ancyr. sub Sylvestro, c. 18).*

(27, *q.* 1, *c. Quotquot.*) Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur.

Cap. 352. — *De peregre baptizatis. Ex concilio Eliberitano, cap. 24.*

(*Dist.* 98, *c. Omnes qui.*) Omnes qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

Cap. 353. — *De servis sine consensu dominorum ordinatis. Gelasius Martyrio et Justo episcopis.*

Actores siquidem illustris viri filii nostri Amandiani graviter conqueruntur homines, suo juri deditos, alios adhuc clericos, alios jam diaconos ordinatos, cum non solum post modernum (quod tantorum pontificum collectione sub omnium saluberrimæ provisionis assensu constat esse perfectum) hujusmodi personas suscipi non debere, verum etiam, si qui forte in divinæ cultum militiæ, ante fuerint ignorantia faciente suscepti, eliminare prorsus, et exutos religioso privilegio ad dominorum possessiones justa debuerint admonitione compelli. Et ideo, fratres charissimi, eos quos supradicti viri actores in clericatus officio monstraverint attineri, discussos et obnoxios ac probatos custodito legum tramite sine intermissione restituite, ita ut si quis jam presbyter reperitur, in eodem gradu, peculii sola amissione permaneat. Diaconus vero aut vicarium præstet, aut si non habuerit, reddatur. Residua officia sciant neminem posse ab obnoxietate, si convincitur, vindicari, quatenus ordine custodito nec dominorum jura, nec privilegia ulla ratione turbentur.

Cap. 354. — *De eadem re. Gelasius Herculentio, Stephano et Justo episcopis.*

Nuper etenim actores illustris feminæ Placidiæ petitorii oblatione conquesti sunt, Sabinum Marcellianensis sive Cusilinatis urbis antistitem, Antiochum servum juris patronæ suæ absentis dominæ occasione captata, ad presbyterii honorem usque perductum, ejusque fratrem Leontium clericalis officii privilegio decorasse. Et ideo, fratres charissimi, inter supradictos actores, et eos qui conditionis extremæ repetuntur, objectam cognitionem vobis nostra auctoritate deputamus, ut, omni veritate discussa, si revera objectam sibi maculam justitiæ, refragationis non potuerit ratione diluere, Leontium clericum, quem gradus præfinitus legibus non defendit, ad sequendam cognitionis suæ necessitatem modis omnibus redhibete. Antiochum vero,

Introdusă în format electronic de Google

quia per sacerdotium non jam potest retolli, si in suam Ecclesiam in hoc in quo est honore, desiderat collocare, non velut redditum sibi, sed habeat pro ministeriorum celebratione susceptum.

CAP. 355. — *De reverentia exhibenda prius ordinatis. Nicolaus papa Michaeli imperatori (epist. 8 ante medium).*

(*Dist.* 21, *c. Denique.*) Denique, si in Epistola ad Hebræos legitur, quod minor a majore benedicatur (*Hebr.* VII), restat profecto ut exigente ratione etiam maledicatur. Si quidem hoc utique prænoscentes periculosa tempora, illi qui ante nos fuerunt providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in Romana Ecclesia (quæ magistra est omnium Ecclesiarum) imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos majori suo interveniente consacerdote cuilibet rei benedicere nitatur. Sed et anterior stans ad pronuntiandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? Absit! De maledicis enim, non benedicis dicit Apostolus : *Quia regnum Dei non possidebunt* (*I Cor* VI). Sed per hoc innuitur quantæ censuræ freno inferiores quique ad suos judicandos præpositos coercendi sunt, si his nec etiam benedicendi jus, illum penitus obtineant.

CAP. 356. — *De puero sine propria voluntate cucullato. Nicolaus papa I omnibus episcopis in regno Ludovici (in rescriptis Nicolai I tit.* 13, *c.* 2).

(20, *q.* 3, *c. Præsens clericus.*) Præsens clericus nomine Lambertus, una cum patre suo nomine Atho, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans adiit præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater ejus in laicali adhuc habitu [ordine *orig.*] in prædiis propriis ædificasset monasteria, duo voluntatem gerens, ut post suum discessum præsens filius ejus Lambertus in locum ei succederet. Quem infra teneram ætatem inter 8 et 11 annum constitutum, memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione extra omnem voluntatem illius cucullam induit. Igitur, post quoddam ipsius temporis spatium, ut ipse dicit, Salomon episcopus eum cum quibusdam aliis eidem Lamberto, absque patris oblatione vel abbatis percepta benedictione, monasticum illum induere fecit habitum, ut fertur, invitum, et sub hac occasione paterna seu materna hæreditate a fratribus suis privatum esse, atque contra omnem (ut dictum est) voluntatem suam quasi regularem illum monachum permanere voluit. Super qua re diligenti cura investigantes, etiam sub adjuratione patrem ipsius si verum diceret interrogavimus. Sed idem clericus Atho respondit se talem habuisse et habere voluntatem, ut suus filius verus monachus fuisset, et in locum ei successisset. Sed sub testificatione jurejurando firmabat, quod quando primitus ei cucullam induit, idem Lambertus semper restitit et nunquam se monachum fieri consensit, sed demum ab insequentibus monachico habitu violenter indutus fuerit, asserens quia nunquam regulam a quando promisit, neque ego pater ejus palla altaris involutum [*al.* pallio alt. indutum] illum obtuli, neque a quocunque sacerdote vel abbate, ut mos deposcit, benedictione percepta regulæ unquam subactum fuisse monachum [se fieri monachum subjectum promisit]. Super his omnibus etiam protestatus est præfatus clericus Atho, quia si eo tempore tam duræ observantiæ monasticam intellexisset regulam, nunquam eumdem filium suum Lambertum coegisset portare cucullam. Quapropter Psalmographi consulte verba recolentes, quibus voluntarie se Deo sacrificare pronuntiat (*Psal.* LIII), et voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat (*Psal.* CXVIII) : præsentem, ut dictum est, clericum nomine Lambertum minime debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non elegit, nec optat, profecto non diligit. Quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum quippe bonum, nisi volontarium. Idcirco et Dominus non ferendam in via virgam (*Matth.* X), per quam violentia ulli inferatur, præcepit. Quapropter consultius agitur, si piis suasionibus contemptum mundi, et amorem Dei prædicando, quam violentiam inferendo ad cœlestem amorem illum accenderitis. Unde omnium vestrum charitati hanc nostri apostolatus mandare decrevimus epistolam, monentes atque præcipientes, quatenus si ita est verum, ut isti dicunt, nullus episcopus vel abbas seu monachorum reliquorum conventus monasteris illum regulis invitum subjacere compellat; neque ullo modo fratres illius per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum, quod absit hæreditate privare, sed usque dum divina inspiratione compunctus propria voluntate regulis se subdat, liceat illum a mundanis, et laicalibus remotum vagationibus vel negotiis inter religiosos et ecclesiasticos viros in canonica degere vita. Non enim putamus, quod absit! religiosos canonicos a sanctorum monachorum vita et consortio sejunctos, quia *unusquisque* secundum Apostolum *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*I Cor.* VIII).

CAP. 357. — *Quod clericus a suo excommunicatus episcopo ab alio episcopo non est recipiendus. Ex concilio Sardicensi, cap,* 16.

Osius episcopus dixit : Si hoc quoque omnibus placet, ut sive diaconus, sive presbyter, sive quis clericorum ab episcopo suo fuerit communione privatus, et ad alterum perrexerit episcopum, et scierit ille ad quem confugerit, eum ab episcopo suo fuisse abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis episcopis causam esse dicturum. Universi dixerunt: Hoc statutum et pacem servabit, et concordiam custodiet.

CAP. 358. —*Ut clerici episcopis suis subjecti sint. Ex concilio Chalcedonensi. cap.* 8 (*actione* 15).

(18, *q.* 2, *c. Quidam monach.*) Clerici in parœciis [ptochiis *orig.*], et in monasteriis, aut martyriis constituti, sub potestate sint ejus, qui in ea est ci-

Introdusă în format electronic de Google

vitate episcopus, secundum traditionem sanctorum Patrum, nec per præsumptionem recedant a suo episcopo. Eos vero qui ausi fuerint rescindere hujusmodi institutionem quocunque modo, vel si noluerint subjacere proprio episcopo, si quidem fuerint clerici personarum ordinatione, subjaceant condemnationibus canonum.

CAP. 359. — *De eadem re. Ex eodem (ibidem sed ex alia versione).*

Clerici qui pauperum dispositioni vel monasteriorum vel martyriorum præsunt, sub potestate singularum civitatum episcoporum, secundum sanctorum canonum traditionem perdurent, nec per suam temeritatem episcopi sui moderationem declinent. Qui autem hujusmodi dispositionem quolibet modo subvertere ausi fuerint, et episcopo suo non obedierint, si quidem clerici fuerint, canonicæ damnationi subjaceant, si autem monachi aut laici sint, a communione suspendantur.

CAP. 360. — *Quod non oporteat clericos, prætermisso episcopo, ad sæcularia judicia commeare. Ex eodem conc., cap. 9.*

(11, *q.* 1, *c. Si clericus.*) Si clericus adversus clericum habeat negotium, non relinquat suum episcopum, et ad sæcularia judicia concurrat; sed prius negotium agitetur apud proprium episcopum, vel certe (si fuerit judicium ipsius episcopi) apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra hæc fecerit, canonum subjacebit correctionibus. Et si clericus adversum suum seu alium episcopum habeat causam, apud audientiam synodi provinciæ conqueratur [conquir. *orig.*). Si vero contra ipsius provinciæ metropolitanum episcopum episcopus sive clericus habeat controversiam, pergat ad ipsius diœcesis primatem; aut certe ad Constantinopolitanæ regiæ civitatis sedem, ut eorum ibi proprium negotium exquiratur.

CAP. 361. — *Quod minime liceat clericis transmigrare in aliam civitatem, nisi pro persecutione. Ex eodem concilio, cap. 20.*

Clericos in singulis ecclesiis constitutos, sicut jam decrevimus, non licere in alterius civitatis ecclesiis ordinari, sed acquiescere in ea in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui proprias civitates perdiderunt, et ex necessitate ad alias ecclesias migraverunt. Si vero quicunque episcopus post definitionem istam ad alium episcopum pertinentem clericum susceperit, placuit sanctæ synodo et hunc qui suscipit, et eum qui susceptus est, tandiu excommunicatos manere quandiu ipse clericus ad propriam revertatur ecclesiam.

CAP. 362. —*Ut clerici publica judicia non appellent. Ex concilio Carthaginensi* III, *cap.* 9.

(11, *q.* 1, *c. Placuit.*) De diversis ordinibus Ecclesiæ servientibus, ut si quis in causam criminis incurrerit, et abnuerit judicium ecclesiasticum, debeat periclitari, ut et filii sacerdotum spectacula sæcularia non adeant. Item placuit ut quisquis episcoporum, presbyterorum et diaconorum, seu clericorum, cum in ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si derelicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat; et hoc in criminali actione [judicio *orig.*]; in civili vero perdat quod evicit si locum suum obtinere maluerit [voluerit *orig.*].

CAP. 363. — *Quid agendum sit si provocatum fuerit de ecclesiasticis, ad alios ecclesiasticos judices. Ex eodem, cap.* 10.

(2, *q.* 6, *c. Placuit.*) Hoc etiam placuit ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupidate aut gratia depravatos esse. (2, *q.* 6, *c. Sane.*) Sane si ex consensu partium judices electi fuerint, etiam a pauciore numero quam constitutum est, non liceat provocari.

CAP. 364. — *Quid ad testimonium non sint admittendi. Ex concilio Carthaginensi* VII, *cap.* 4.

(2, *q.* 2, *c. Testes autem.*) Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

CAP. 365.— *Quod electorum judicum sententia sperni non debeat. Ex concilio Milevitano* II, *cap.* 24.

(2. *q.* 6, *c. A judicibus.*) A judicibus autem quos communis consensus elegerit, non liceat provocare. Et quisquis probatus fuerit pro contumacia [percont., *orig.*] nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet episcoporum, donec obtemperet.

CAP. 366. — *De contumacibus clericis, et ad officium tardis. Ex conc. Agathensi, cap.* 2.

(*Dist.*, 50, *c. Contumaces.*) Contumaces vero clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur. Et si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant.

CAP. 367. — *Ut clericus inconsulto episcopo suo ad sæcularem judicem non pergat. Ex eodem concilio, cap.* 32.

(11, *q.* 1 *et* 2, *c. Clericum.*) Clericus nec quemquam præsumat apud sæcularem judicem, episcopo non permittente, pulsare; sed qui pulsatus fuerit non respondeat, nec proponat, nec adeat criminale negotium in judicio sæculari. Si quis vero sæcularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, et victus fuerit, ab ecclesiæ liminibus et catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, arceatur.

CAP. 368. — *Quod liceat presbytero vel diacono a communione suspenso, si necesse fuerit, baptizare. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 8 (*Aurel.* I, *c.* 14).

(*Dist.* 81, *c. Si diaconus.*) Si diaconus vel pre-

Introdusă în format electronic de Google

skyter pro reatu suo se ab altaris communione, sub pœnitentis confessione submoverint, sic quoque si alii defuerint, et causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

Cap. 369. — *Ut clerici si quid præstiterint sine usura recipiant. Ex concilio Tarraconensi, cap.* 3 (*sub Hormisda*).

(14, *q.* 4, *c. Si quis clericus.*) Si quis clericus in necessitate solidum præstiterit, hoc de vino vel de frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuerit venundari. Cæterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit sine ullo augmento recipiat.

Cap. 370. — *Ut nullus clericorum servum vel discipulum suum ab ecclesia extrahere audeat. Ex concilio Hilerdensi, cap.* 8.

(17, *q.* 4, *c. Nullus cler.*) Nullus clericorum servum aut discipulum suum ad ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec digne pœniteat, a loco cui honorem non dedit sequestretur [segregetur, *orig.*].

Cap. 371. — *De clericis qui monachorum propositum appetunt. Ex concilio Toletano, cap.* 54 (*Tol.* IV, *c.* 49).

(19, *q.* 1, *c. Clerici qui.*) Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

Cap. 372. — *Ne stipendia clericorum a jure alienentur ecclesiarum. Ex concilio Toletano* VII, *cap.* 5.

(12, *q.* 2, *c. Sæpe fit.*) Sæpe fit ut proprietati originis obsistat longinquitas temporis. Quapropter providentes decernimus, ut si quis clericorum stipendium de rebus ecclesiæ cujuscunque episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere, nec per retentionem diuturnam præjudicium afferat ecclesiæ, et quæcunque in usu perceperit, debeat utiliter laborare, ut nec res divini juris videantur aliqua occasione negligi, et subsidium ab ecclesia cui deserviunt percipere possint clerici. Quod si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo videbitur privare.

Cap. 373. — *Quod clericis servis ecclesiarum dare debeant episcopi libertatem. Item ex concilio Toletano* IX, *cap.* 9.

(*Dist.* 54, *cap. Qui ex familiis.*) Qui ex familiis ecclesiæ servituri devocantur in clerum, ab episcopis suis libertatis necesse est ut percipiant donum, et si honestæ vitæ claruerint meritis, tunc demum majoribus fungantur officiis. Quos vero flagitiis ordinaverit incorrigibilis noxa, perpetua servitus conditionis religet in catena.

Cap. 374. — *De eunuchis qui ab aliis fiunt, vel qui sibi naturalia abscindunt. Ex decretis Martini papæ, c.* 215 (*ex decretis Martini Bracarensi*).

(*Dist.* 55, *c. Si quis per ægritudinem.*) Si quis pro ægritudine naturalia a medicis habuerit secta, similiter et qui a barbaris aut dominis stultis fuerint castrati, et moribus digni fuerint visi, hos canon admittit ad clericatus officium promoveri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis et abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati a Deo corporis, existimans posse a se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si jam ante fuerat promotus ad clerum, prohibitus a suo ministerio deponatur.

Cap. 375. — *Quod non liceat diacono ante presbyterum sedere, cap.* 40.

Non liceat ante presbyterum diacono sedere, nisi cum jussione presbyteri.

Cap. 376. — *Ut ordinandus ad diaconatum matrimonio renuntiet, cap.* 41 [*cap.* 39].

(*Dist.* 27, *c. Diaconus qui.*) Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, et dixerit se non posse in castitate permanere, *hic non* ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, et ordinatus fuerit, et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio, et vacet a clero.

Cap. 377. — *Quod non liceat cuilibet vasa Dominica tangere. Ex eodem conc. cap.* 42 (*ibid.* 41).

(*Dist.* 23, *c. Non liceat.*) Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi subdiacono, aut acolyto in secretario vasa Dominica.

Cap. 378. — *De tondenda coma clericorum et habitu ornato. Ex eodem conc. cap.* 66.

(*Dist.* 13, *c. Non oportet.*) Non oportet clericos comam nutrire et sic ministrare, sed attenso capite patentibus auribus, et secundum Aaron talarem tunicam [vestem, *orig.*] induere, ut sint in habitu ornato.

Cap. 379. — *De non ordinandis invitis vel dejiciendis immeritis. Gregorius papa Natali episcopo in primo libro registri* (*epist.* 19).

(*Dist.* 74, *cap. Gesta quæ.*) Gesta quæ nobis in concilii vestri confecta secretario direxisti, in quibus archidiaconus honoratus addicitur, plena esse cognovimus semine jurgiorum, cum uno eodemque tempore una persona nolens ad sacerdotii ordinem provehitur, quæ tanquam immerita a diaconatus officio removetur. Et sicut justum est ut nemo crescere compellatur invitus, ita censendum puto, similiter, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio dejiciatur injuste.

Cap. 380. — *Quid agendum sit de rebus lapsorum clericorum, Gregorius Petro subdiacono* (*lib.* I, *cap.* 42).

(16, *q. De lapsis.*) De lapsis sacerdotibus, vel levitis, vel quolibet ex clero, observare te volumus. Ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciuntur [sciunt], et in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade, ut res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt. Si vero parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen ut eorum stipendia qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter

Introdusă în format electronic de Google

debeant procurari. Si qui vero ex familia ecclesiastica sacerdotes vel levitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum ecclesiastico juri non subtrahi. Ad usum tamen suum accipiant unde ad pœnitentiam subsistant, ne si nudentur, locis in quibus damnati [dati, *orig.*] fuerint, onerosi sunt.

Cap. 381. — *Quæ pœna sequatur occulte infamantem. Gregorius clero et populo Ravennæ in libro sexto registri* (*l.* v, *ep.* 30).

Quia [quidam, *orig.*] maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalem nostrum nocturno silentio in civitatis loco contestationem posuit in ejus crimen loquentem, mihique etiam de facienda pace callide contradicentem, et quia quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet ut publice exeat, et quæcunque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat. Quod si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei et Domini nostri Jesu Christi sententia [spiritu, *orig.*] definimus, ut sancti ejus corporis et sanguinis participatione privatus sit. Si vero, quia latet et quoniam nescitur, teneri a disciplina non valet, si tanti mali conscius, et prohibitus, corpus et sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis ultione percussus ut fallax ac pestifer, a sanctæ Ecclesiæ corpore sit divisus. Si quis autem fortasse talis est, quem nos hujus facti auctorem ac participem esse nescientes, ad eum bona optantes epistolas transmittamus, ipsa pro eo apud omnipotentem Deum deprecatio sit vacua. Sin autem in eadem civitate egressus ad publicum, potuerit docere quæ dixit, vel certe sciens se non posse quem scripsit ostendere, errorem suum fuerit aperte confessus, Dominici corporis et sanguinis participatione non sit privatus, neque a sanctæ Ecclesiæ corpore alienus existat, quia nos apud omnipotentem Deum ex nostris quotidie culpis agnoscimus, ut quamvis servato disciplinæ moderamine, aliorum tamen erratibus parcamus.

Cap. 382. — *De bigamis et concubinariis. Hieron. in epist. ad Oceanum* (*tomo II, incipit Sophronius Eusebius*).

Nullo pacto digamos vel concubinarum catenis insertos decet subire ministerium. In Levitico scriptum est, ac præfinitum quales eligi debeant sacerdotes. Sic habes : Et dixit Dominus ad Moysen : Sacerdos uxorem accipiat virginem de semine patrum suorum; viduam vero et destitutam, aut a vivo marito derelictam non accipiat (*Levit.* xxi). Bene audivi præcipiente Domino Moysi, quia nec uxor debet sacerdoti digama convenire, ne honorem polluat sacerdotii. Sicut unius uxoris virum, sic unius viri mandat uxorem. Si ergo clericus monogamus fuerit, et uxor ejus digama, noli eum ministerio applicare; digamam enim duxit uxorem. Hæc Tito præcepta Apostolus de ordinandis clericis dedit (*Tit.* i). Et quia liber finem exspectat, ad id redeamus unde digressi sumus. Nec si duæ aut tres pariter Dei ancillæ morentur, solum ad ea decet ingredi sacerdotem. Si quis hæc præcepta non observaverit, hostis est animæ suæ. Quod si post nostra monita, agapetas aliquis clericus amplius quæsierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conveniatur, et præcepta Patrum in Nicæa diffinita ei legantur. Jam vero si conversus prædicta reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est. Germinant enim feminæ cum viris habitantes spinas, et arcana mentium acuto mucrone perçutiunt. Proh nefas! Dolor est dicere, sed præterire non decet, Christo istæ voverunt nubere, non clericis.

Cap. 383. — *Ut Christiani scholastici solœcismos quorumdam tolerent sacerdotum. Augustinus ex libro De catechizandis rudibus* (*cap.* 9).

(*Dist.* 38, *c. Sedulo mon.*) Sedulo monendi sunt scholastici, ut humilitate induti Christiani discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare, et corde casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre consueverant. (*Paulo post.*) His enim maxime utile est nosse ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit ut ita malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos. Noverint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi amici affectum. Ita enim non irridebunt si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis et solœcismis Deum invocare, vel eadem verba quæ pronuntiant non intelligere, perturbateque distinguere, non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id quod plane intelligit, dicat *amen*, sed tamen pie toleranda sunt ab eis qui didicerint, ut sono in foro, sic voto in ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnunquam forte bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest.

Cap. 384. — *Pro excessu correctionis non esse veniam petendam a subditis. Augustinus De vita clericorum* (*epist.* 109, *ad monachas*).

(*Dist.* 86, *c. Quando nec.*) Quando necessitas disciplinæ moribus [minoribus, *orig.*] coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis.

Cap. 385. — *Cur permittuntur fungi officiis suis revertentes ab hæresi. Idem in epistola ad Bonifacium* (*epist.* 50, *non ita procul a fine*).

(23, *q.* 4, *c. Ipsa pietas.*) Si, inquiunt, oportet, ut nos extra Ecclesiam et adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici vel etiam episcopi permanemus? Hoc non fieret, quoniam

Introdusă în format electronic de Google

revera (quod fatendum est) fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Sed sibi hoc dicant et multo maxime humiliter doleant qui in tanta morte præcisionis jacent, ut isto quodam vulnere matris catholicæ reviscant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat. Sed cum receptus recipienti coaluerit, et vigor consequitur et fructus : si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim et tale inserendi genus, ut nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur, non tamen nullo, sed vel levissimo arboris vulnere. Ita ergo et isti cum ad radicem catholicam veniunt, nec eis quamvis post erroris sui pœnitentiam honor clericatus, aut episcopatus aufertur; fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contrà integritatem severitatis : verumtamen quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat* (*I Cor.* III), ad Dei misericordiam precibus fusis coalescente insitorum pace ramorum; *charitas cooperit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV).

Cap. 386. — *Cur publice pœnitentes non sint in clericatu. Item ibidem* (*consequenter*).

(*Dist.* 50, *c. Ut constitueretur.*) Ut enim constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicujus criminis pœnitentia clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur de quibus dictum est : Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo (*Matth.* XIX). Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus spe honoris ecclesiastici, animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major et verior esset humilitatis. Nam et sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, et tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, et tamen apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahetur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. Verum in hujusmodi causis, ubi per graves dissentionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincere subveniat.

Cap. 387. — *Cur Donatistæ correcti ministrare permissi sint. Ibidem* (*paulo post*).

Hoc erga istos ab initio servavit Africana catholica ex episcoporum sententia, qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum et partem Donati judicaverunt, damnatoque uno quodam Donato qui auctor schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt, non quo etiam foris ab unitate corporis Christi possent habere Spiritum sanctum, sed maxime propter eos quos foris positi possent decipere, et a susceptione illius muneris impedire; deinde ut etiam ipsorum infirmitas lenius excepta intus sanabilis fieret, jam nulla pertinacia claudente oculos cordis, adversus evidentiam veritatis.

Cap. 388. — *De præjudicio vitando. Idem in epistola ad clerum, et universam plebem Ecclesiæ Hipponensis* (*epist.* 137).

(2, *q.* 1, *c. Nomen presbyteri.*) Nomen presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum ejus vel supprimere vel delere, ne divinæ potestati, sub cujus examine causa adhuc pendet, facere viderer injuriam, si illius judicium meo vellem judicio prævenire. Quod nec in negotiis sæcularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid audeant commutare. Et in episcoporum concilio constitutum est, nullum clericum qui nondum convictus sit suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit.

Cap. 389. — *De onere presbyterii. Augustinus in epistola ad Valerium episcopum* (*epist.* 148).

(*Dist.* 40, *c. Ante omnia.*) Domino beatissimo et venerabili et in conspectu Domini sinceriter charissimo patri Valerio Augustinus presbyter in Domino salutem. Ante omnia peto ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius et levius, et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi, officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius. Item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. Quis autem iste sit modus nec a pueritia, nec ab adolescentia mea didici. Et eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

Cap. 390. — *De inordinato accessu sanctimonialium. Augustinus in epistola ad Eusebium* (*epist.* 69).

(24, *q.* 1. *Subdiaconus.*) Subdiaconus quondam Spaniensis Ecclesiæ, vocabulo Primus, cum ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata et sana præcepta contemneret, a clericatu remotus est.

Cap. 391. — *Ut transiens ab hæreticis in humilitate pœnitentiæ recipiatur. Idem in eadem epistola.*

(*Proxime post.*) Ego, si Domino placet, istum modum servo, ut quisquis apud eos propter disciplinam degradatus ad catholicam transire voluerit, in humiliatione pœnitentiæ recipiatur, quo ut

Introdusă în format electronic de Google

ipsi eum forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset.

Cap. 392. — *Ut quisque alterius judicium suscipiat, quod ipse de alio judicare velit. August. in epistola ad Pascentium comitem Africanum (epist. 174).*

(32, *q.* 6, *c. Iniquum est.*) Iniquum est ut quisque judicare de alio velit, et judicari de se nolit.

Cap. 393. — *Ne clerici sæcularia negotia tractent. Epistola Cypriani ad presbyteros et diaconos, plebemque Furnensem (epist. 9, lib. 1, alias epist. 66).*

(21, *q.* 3, *c. Cyprianus.*) Cyprianus presbyteris, et diaconibus, et plebi Furnis consistentibus salutem. Jampridem concilio episcoporum statutum est ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo nominaverit [constituat, *orig.*] ; quoniam singuli divino sacerdotio honorati, et in clerico ministerio constituti, nonnisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim : *Nemo militans Deo, obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit (II Tim. II). Post aliquot versus.* Quod episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes, censuerunt ne quis excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur [merentur] nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit [volunt] avocare.

Cap. 394.—*De eadem re. Ex eadem epistola (ibidem aliquanto superius).*

(21, *q.* 3, *c. Mollitiis.*) Mollitiis et sæcularibus rebus laqueisque obligari non debent, qui divinis rebus et spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos et sæculares actus vacare.

Cap. 395.—*Item de eodem, ibidem paulo inferius*

(21, *q.* 3, *c. Hi. qui in ecclesia.*) Hi qui in ecclesia Domini ad ordinationem clericalem promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur : ne [nec] molestiis et sæcularibus [molest. et laq. sæcul., *orig.*] negotiis alligentur : nec ab altariis et sacrificiis recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus et spiritualibus serviant.

Cap. 396. — *De eadem re. Idem, ibid. in calce epist.*

Sacerdotum decretum religiose et necessarie factum servetur a nobis. Simul et cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes et ministros Dei altari ejus et ecclesiæ vacantes, ad sæculares molestias devocet. Observari enim de cætero poterit, ne quis ultra hoc faciat circa personam clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum,

Cap. 397. — *Qui clerici recipiendi sint post lapsum, qui non Isidorus ad Massionem episcopum (inter opera D. Isidori, De lapsu sacerdotis et reparatione).*

Quod in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in hujusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui honoris [ordinis, *orig. et vict.*] meritum. Hæc diversitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officii gradus redire canon præcepit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio et digna peccatorum confessio. At contra hi qui nec a vitio corruptionis [correpti, *orig.*] emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis accipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia, ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam meruerunt reconciliationem divinæ pietatis. Nec immerito hi consequuntur adeptæ [ademptæ, *orig.*] dignitatis statum, qui per pœnitentiam recepisse noscuntur vitæ remedium.

Cap. 398. — *Quare septem anni abstinentiæ pœnitentibus injungantur. Ibidem.*

Nec ipsum quod canonum censura post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, electione proprii arbitrii, sed potius sancti Patres ex sententia divini judicii sanxerunt. Nam legitur quod Maria soror Aaron prophetissa dum detractionis adversus Moysen incurrisset delictum, illico stigmate lepræ percussa [perfusa, *orig. et Vict.*] est (*Num.* XII). Cumque peteret Moyses ut emendaretur, præcepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, et post emundationem rursus eam intra castra admitti. Maria ergo soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita sordidissimis cogitationum illecebris [contagiis, *orig.*] maculatur, extra castra septem diebus, hoc est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis projicitur, ubi post emendationem vitiorum, loci vel pristinæ dignitatis recipit meritum. *Et post pauca.* In fine autem epistolæ, hoc adjiciendum putavi, ut quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius magis teneatur sententia, cujus antiquior et potior exstat auctoritas.

Cap. 399. — *De diligenti investigatione judicii Fructuosi episcopi (in ejus regula, c. 4)*

Quælibet causa in conventu omnium fratrum est ventilanda, et juste ac subtiliter perscrutanda, ne forte dolositate et malitia senioris innocens junior opprimatur. Rectori [*adde :* ab abbate vel præposito, *ex orig.*] juxta personæ acceptionem, non liceat judicare, neque aliquem fraudulenter, vel injuste damnare ; sed, ut dictum est, spiritualium vel veridicorum fratrum in hujuscemodi rebus est alia tradenda, et retinenda sententia, qui sibi Dei judicium ponentes præ oculis, non permittant pessime opprimere animam innocentis.

Cap. 400. — *De his qui, post ordinationem vel ante, crimina publice commiserunt. Ex epistola Rabani archiepiscopi ad Heribaldum, ex concilio Hilerdensi, cap. 10 (Rabanus, c. 1, lib. pœnitentium).*

(*Dist.* 50, *c. De his.*) De his vero visum est nobis scribendum, qui sacros ordines habent, et ante vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi vide-

Introdusă în format electronic de Google

tur hæc distantia esse debet, ut hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in perjurio, furto atque fornicatione, et cæteris hujusmodi criminibus secundum sacrorum canonum instituta a gradu proprio deponantur; quia scandalum est populo Dei tales personas superpositas [super se pos., *orig.*] habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei, sicut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur (*I Reg.* II); et rebelles hinc atque contrarii existentes eorum pravis exemplis quotidie pejores fiunt. Qui autem de prædictis peccatis abscondite a se admissis per occultam confessionem coram oculis Dei, præsente etiam sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam confitentur, et semetipsos graviter deliquisse queruntur, si se per jejunia et eleemosynas, vigiliasque et sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint, his etiam, gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.

CAP. 401. — *De injuriis Clericorum, et compositione eorum. Ex libro capitulorum* (*lib.* V, *c.* 184).

Si quis ministros ecclesiæ subdiaconum, lectorem, exorcistam, acolytum [ostiarium, *orig.*] injuriaverit, aut percusserit, vel plagiaverit [*al.*, plagaverit], componat hoc tripliciter, sicut solent componere parentes ejus. Diaconi vero, presbyteri atque episcopi injuria in quadruplum componatur. Reliquorum autem clericorum injuria componatur sicut parentum eorum. Monachorum quoque qui secundum regulam in monasterio vivunt, injuria dupliciter componatur, secundum genealogium suam, et [ut, *orig.*] reverentia sit Deo et Ecclesiæ, et pax eis qui illi serviunt.

CAP. 402. — *Quomodo canonici in claustro vivere debeant. Ex lib.* V *Capitulorum, cap.* 185 (*c.* 115).

(*De const. dist.* 5, *c. In omnibus.*) In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus ut canonici clerici canonice vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, et documenta sanctorum Patrum, et nihil sine licentia episcopi sui vel magistri eorum incomposite [composite, *orig.*] agere præsumant. In unoquoque episcopatu ut simul manducent et dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit; vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt in suo claustro maneant, et singulis diebus mane prima [primo] ad lectionem veniant et audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, et obedientiam secundum canones, suis magistris faciant [exhibeant, *orig.*].

CAP. 403. — *Ut anathematizentur qui clericis injurias inferunt. Ibid. cap.* 191.

Quicunque judex, aut sæcularis presbytero, aut diacono, aut cuilibet clerico, aut de junioribus, absque audientia episcopi vel archidiaconi, aut archipresbyteri, injuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur.

CAP. 404. — *Quid agendum sit de occulte infamantibus. Item.*

Qui famosam chartam ad cujuscunque injuriam et maculam conscripserit in secreto, et in publico affixerit, inveniendamque projecerit, illum contra quem posita chartula est non nocebit, nec famæ ejus aliquid derogabit: sed si inveniri potuerit, qui hujusmodi chartulam fecit, constringatur ut probet quæ scripsit. Qui si etiam quæ scripsit probare non potuerit, fustigetur, qui infamare maluit quam accusare.

CAP. 405. — *De presbytero caduco morbo laborante. Alexander II Genobardo Juvanensi* [Vivacensi, *al.*, Viennensi *Grat.*] *archiepiscopo.*

(7, *q.* 2, *c. In litteris.*) In litteris tuis continebatur sic. Hic clericus ordinem habet presbyterii, sed quia caduco morbo laborat, et ipsi hoc impræsentiarum agnovimus, non ausi fuimus ei concedere ut offerret, vel missam celebraret. Quia vero languor non in culpa est, super hac re auctoritatis nostræ decreto consulendum [consulendo, *Gratian.*] deliberavimus. Consulimus itaque ut si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione omnimodis et missarum celebratione prohibeatur. Indecens enim est et periculosissimum ut hoc ei accidat, quatenus in consecratione eucharistiæ morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum sacrificare jam non interdicimus.

CAP. 406. — *De ordinatis ab ex communicatis. Urbanus secundus Gebbardo* [*Gebeardo*] *Constantiensi episcopo.*

(9, q. 1, *c. Ab excommunicatis.*) Ut ab excommunicatis quondam tamen catholicis episcopis ordinatos, siquidem Simoniace ordines ipsos non acceperint, et si episcopos ipsos Simoniacos non fuisse constiterit, ad hoc si eorum religiosior vita et doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœnitentia indicta quam congruam duxeris, in ipsis quos acceperunt ordinibus, permanere permittas. Ad superiores autem ascendere non concedimus, nisi necessitas et utilitas maxima flagitaverit, et ipsorum sancta conversatio promeruerit, et hoc tamen ipsum rarius cum cautela est præcipua concedendum.

CAP. 407. — *De modo reconciliandi. Idem Anselmo Mediolanensi archiepiscopo* (*epist.* 4).

Discretioni nostræ videtur, quatenus secundum præcepti nostri tenorem, quando secundum Ecclesiæ vestræ morem sacros daturus quibuslibet aliis ordines, benedicere cœperis, eos quos tua duxerit solertia reconciliandos, inter benedicendum et manus imponendum facias interesse, quibus cætera omnia consecrationis instrumenta præter unctionis explebis, et sic ad sancta ministeria reconciliabis.

CAP. 408. — *Ut nullus sæcularis super clericos habeat potestatem. Urbanus II Radulpho comiti* (*epist.* 14).

Nosse te volumus quia nulli sæculari Domino potestatem in clericos habere licet; sed omnes clerici episcopo soli esse debent subjecti. Quicunque vero

Introdusă în format electronic de Google

aliter præsumpserit, canonicæ procul dubio sententiæ subjacebit.

Cap. 409. — *De eo qui sine subdiaconatu factus est diaconus. Alexander secundus Rumaldo Grimaldo Constantiensi episcopo.*

(*Dist.* 52, *c. Sollicitudo.*) Sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere, utrum portitor istarum litterarum diaconatus et presbyteratus officium sit idoneus peragere, nec ne: cum ad id præpropero cursu videlicet sine subdiaconatus ordine, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo charitati tuæ, mandamus ut ab officio sacerdotali eum prohibeatis, donec proximo Quatuor Temporum jejunio subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.

Cap. 410. — *De filiis sacerdotum Decretum Gregorii VII et Urbani II* (*conc. Melfitanum, c.* 14).

(*Dist.* 56, *c. Presbyterorum.*) Presbyterorum filios a sacri altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in cœnobiis, aut in canonicis regularibus [reg. *non habetur in orig.*] religiose probati fuerint conversari.

Cap. 411. — *De stabilitate canonicorum regularium. Urbanus II abbati S. Rufi.*

Statuimus ne professionis canonicæ quispiam, postquam Dei vice super caput sibi hominem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu, ex eodem claustro audeat sine abbatis totiusque congregationis permissione discedere; discedentem vero nullus abbatum, vel episcoporum, et nullus monachorum sine communi litterarum cautione, suscipiat.

Cap. 412. — *De ordinatis a non suis episcopis. Urbanus Hugoni Lugdunensi episcopo.*

(9, *q.* 2, *c. Lugdunensi.*) Lugdunensis Ecclesiæ [parochiæ, *Gr. et Vict.*] clericos, quos contra statuta canonum ab alterius parœciæ episcopis ordinatos litterarum tuarum significatione monstrasti, cum graduum suorum honore recipere religionis tuæ poterit prudentia, si eos alias canonice et sine pravitate aliqua constiterit ordinatos; si tamen eorum vitam probabilem id indulgentiæ perspexeris promereri (*Vide Socratem, ecclesiasticæ Historiæ lib.* VI, *c.* 12 *et* 13). Legimus quippe sanctum Epiphanium episcopum e diœcesi sancti Joannis Chrysostomi quosdam clericos ordinasse. Quod sanctus vir omnino non fecisset, si eis detrimentum fore perpenderet. Quos ergo recipiendos moderatio tua arbitrata fuerit, injuncta satisfactionis gratia, propter Ecclesiam quam offenderunt, congrua pœnitentia, miserationis intuitu, in suo quemque honore recipies, salva in omnibus sanctorum canonum disciplina.

Cap. 413. — *Non obesse inhonestatem parentum filiis honeste viventibus. Hieronymus in epistola contra Rufinum* (*lib.* II, *ep. ad Pammachi adversus terrores Joannis Hierosolym.*).

(*Dist.* 56, *c. Nasci de adulterio; hic variat ordo capitum in Victor.*) Nasci de adulterio non est ejus culpa qui nascitur, sed illius qui generat. Quomodo A in seminibus non peccat terra, quæ confovet; non semen quod in sulcis jacitur; non humor et calor quibus temperata frumenta in germen pullulant, sed, verbi gratia, fur et latro qui fraude et vi eripit semina. Sic genus humanum recipit terra, id est vulva, quod suum est, et receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit; et inter illas sacri ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque est corporis Creator et animæ. Noli despicere bonitatem figuli qui te plasmavit et fecit ut voluit; ipse est Dei virtus, et Dei sapientia (*I Cor.* I) quæ in utero Virginis ædificavit sibi domum. Jephte inter viros sanctos apostoli voce numeratus (*Hebr.* II) meretricis est filius (*Judic.* II). Esau ex Rebecca et Isaac hispidus tam mente quam B corpore (*Gen.* XXV), quasi bonum triticum in lolium avenasque degenerat, quia non in seminibus, sed in voluntate noscentis causa vitiorum est atque virtutum.

Cap. 414. — *De eodem Chrysostomus super Matthæum homilia* 3 (*ad locum Matth. Judas autem genuit Phares, c.* 1).

(*Dist.* 56, *c. Nunquam.*) Nunquam de vitiis erubescamus parentum, sed unum illud quæramus semper, amplectamurque virtutem. Hujusmodi enim etiamsi alienigenam habeat matrem, etiam si fornicatione pollutam, vel quolibet hujusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de ejus aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quod si fornicatorem ipsum ad meliora conversum nequaquam prior vita C commaculat, multo magis ex meretrice natus et adultera, si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobriis. *Item.* Non est omnino, non est nec de virtute, nec de vitio parentum aut laudandus aliquis aut culpandus, nemo inde vere aut obscurus aut clarus est. Imo etiam, ut consideratius aliquid dicamus ac expressius, nescio quomodo magis ille resplendet, qui natus est ex parentibus a virtutibus prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.

Cap. 415. — *De eodem. Sententia Augustini de bono conjugali, cap.* 16.

(*Dist.* 56, *c. Undecunque.*) Undecunque nascantur homines, si parentum vitia non sectentur et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine Dei creatura est, D et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem filii boni adulterorum nulla defensio est adulterii [adulteriorum, *orig. et Vict.*], sic mali filii conjugatorum nullum crimen est nuptiarum.

Cap. 416. — *Item de eodem. Idem in epistola ad Hieronymum presbyterum de origine animæ* (*evist.* 28, *in medio*).

Illud quod in libro adversus Rufinum posuisti, quosdam huic sententiæ calumniari quod Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur indignum, unde conantur astruere meritis gestæ ante carnem vitæ, animas quasi ad ergastula hujus mundi juste posse perduci: non me movet multa cogi-

Introdusă în format electronic de Google

tantem, quibus hæc calumnia possit refutari. Et quod ipse respondisti, non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo qui frumentum furatus est ; nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina confovere, qui sator immunda ea projecerit manu, elegantissima similitudo est. Quam et antequam legerem nonnullas [nullas *orig. et Vict.*] mihi objectio ista de adulterinis fetibus, in hac quæstione faciebat angustias, generaliter intuenti multa bona Deum facere, etiam de nostris malis nostrisque peccatis. Animalis autem cujuscunque creatio, si habeat prudentem piumque consideratorem, ineffabilem laudem Creatori excitat, quanto magis creatio non cujuslibet animalis, sed hominis?

CAP. 417. — *De baptismo, et parentum sacrilegio in filiis. Augustinus ad Bonifacium de baptismo* (*epist.* 23).

(1, *q.* 4, *Jam itaque.*) Jam itaque cum homo in seipso est ab eo qui genuit, alter est effectus, peccato alterius sine sua consensione, non tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, et in illo a quo traxit, quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero, quando sua unoquoque propria vita vivente, jam est unde dicatur : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Ut autem possit regenerari per officium voluntatis alienæ cum offertur consecrandus, facit hoc unus spiritus, ex quo regeneratur oblatus.

CAP. 418. — *Quod infamis de propria possit agere causa. Felix papa tertius, secundo decretali suo episcopis Galliæ.*

(4, *q.* 6, *et* 3, *q.* 10, *c. Si accusatorum.*) Si accusatorum personæ in judicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, et non tamen criminales, vel ecclesiasticas voluerint.

CAP. 419. — *Quomodo purgare se debeant accusati sacerdotes. Decretum et responsio Leonis papæ ad Carolum imperatorem* (*capitul.* XLV, *c.* 34, *et* XLVII, *c.* 285).

(2, *q.* 5, *c. Omnibus vobis.*) Omnibus vobis visum [visu, *orig. et Vict.*], aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissime, suadente antiquo hoste, sacerdotibus crimina diversa objiciantur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio et satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domini genitoris vestri [nostri] Pippini, sive priscis temporibus a sanctis Patribus, et a reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit ; nos tamen pleniter, et ad liquidum diffinitum reperire minime quivimus. Nostris quippe temporibus idipsum a sanctis episcopis, et reliquis sacerdotibus, ac cæteris ecclesiasticæ dignitatis ministris vestris [nostris] in regnis seu in aliis Deo de gentibus, nobisque una cum eis agentibus sæpissime propter multas et nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu domini et Patris nostri Leonis apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ episcoporum, et reliquorum sacerdotum, sive orientalium et Græcorum patriarcharum et multorum sanctorum episcoporum et sacerdotum, nec non et nostrorum episcoporum omnium, cæterorumque sacerdotum ac levitarum auctoritate et consensu, atque reliquorum fidelium et cunctorum consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, omnes vos utriusque ordinis ministros scire volumus. Statutum est namque ratione et necessitate atque auctoritate prædicta, consultu omnium, ut quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est), si autem, ut dictum est, ille accusator qui canonice est recipiendus, cum cum legitimo virorum numero et bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonice dijudicetur, et si culpabilis inventus fuerit canonice damnetur. Si vero eum supra scripto prætextu approbare ipse accusator minime potuerit, et hoc canonice dijudicetur. Ipse ergo sacerdos si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo aut reliquis suis consacerdotibus, sive bonis et justis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut prædicta suspicione remaneat cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis papæ qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius si episcopo suo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi perspexerit, et cum aliis bonis et justis hominibus se sacramento coram populo, super quatuor evangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, et quid [quidquid *orig. et Grat.*] de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit.

CAP. 420. — *De eadem re. Hincmarus Remorum episcopus et plebis Dei famulis dilecto fratri et venerabili coepiscopo Joanni salutem* (*epist.* 33).

(2, *q.* 4, *c. Si mala fama.*) Si mala fama ex similitudine per paræciam de presbytero exierit, et accusatores ac testes legales defuerint, ne contra apostolum, infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, et ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes, licentius in peccatum labantur, secundum decreta majorum, cum denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus se nolle perjurare, sacramento famam suam purget.

CAP. 421. — *De clericis apostatis. Constitutio sexta ex lib. constitutionum, cap.* 7.

(*Justin. imp. Novell. constit.* 6.) Quisquis sive lector, sive subdiaconus, sive diaconus, sive presbyter, clericatus honorem contempserit, et in aliam vitam transierit, duorum alterum vel curiali conditioni cum suis facultatibus subjiciatur, vel si plures curiales civitas habeat, sive ipse vilior sit,

Introdusă în format electronic de Google

ad officiaiem conditionem iradatur taxeoticam (78).

Cap. 422. — *De castitate clericorum. Constitutio trigesima septima cap.* 28.

Clericus qui super lectores et cantores est, veluti subdiaconus vel diaconus, nullas nuptias contrahere audeat, alioquin a sacerdotio cadat. Lector quoque, si secundas contraxerit nuptias, ad majorem gradum ordinis ecclesiastici prohibetur accedere. Laicus etiam si appareat uxori conjunctus esse quæ alium maritum habuit, aut si non jure conjunctus sit, aut si ipse aliam uxorem habuit, neque subdiaconus neque diaconus neque presbyter fieri potest. Et si clandestinis artibus ad consecrationem irrepserit, honore ejus cadat.

Cap. 423. — *Ne laicus in ecclesia quam facit, ex propria eleemosyna sine licentia episcopi clericos constituat. Constit. quadragesima nona, cap.* 2.

Si quis ecclesiam ædificaverit, aut clericis annonam ex substantia sua dederit, non liceat ei quos voluerit clericos in eadem ecclesia facere. Sed si voluerit quosdam sibi consecrari, offerat eos beatissimo patriarchæ, et, si ille viderit eos dignos, consecret, et si non probaverit, arbitrio suo rejiciat.

Cap. 424. — *De eodem. Constitutio quinquagesima, cap.* 1.

Si quis in domo sua oratorium habuerit, non audeat in eo facere sacras missas, nisi clericos catholicæ fidei habuerit, qui deputentur ei ex jussu religiosi episcopi civitatis, vel beatissimi patriarchæ. Si quis autem adversus ea fecerit, domus ipsius fisci juribus addicatur. Si clerici ab ecclesiis desiterint, alios clericos in locum eorum ordinare necesse est, ut scilicet annonas et dona ecclesiastica quæ illis lectoribus præstabantur, accipiant, et si postea redierint, nihil eis præstetur, quia annonæ eorum aliis clericis pro ipsis subrogatis præstitæ sunt.

Cap. 425. — *De damnatione filiorum sacerdotum. Ex conc. Toletano* IX, *cap.* 10.

(15, *q.* 8, *c. Cum multæ.*) Cum multæ super incontinentia ordinis clericorum hactenus emanaverint sententiæ Patrum, et nullatenus ipsorum firmari quiverit correptio morum, usque adeo sententiam judicantium protraxere commissa culparum, ut non tantum feriretur ultio in actoribus scelerum, verum etiam in progenie damnatorum, ideoque quilibet ab episcopo usque ad subdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio [conjugio] in honore constituti filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur, proles autem ab hac pollutione nata non solum parentum hæreditatem usquam accipient, sed etiam in servitutem ejus ecclesiæ, de cujus sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.

Cap. 426. — *Quod qui monasterio se tradit, de rebus suis postea disponere non possit. Constitutio sexagesima septima, cap.* 1.

Quicunque in monasterium intrant, videant substantias suas in monasterio consecrari. Nam ante introitum liberam habent facultatem, quomodo voluerint bona sua distribuere. Postquam autem intraverint, talem licentiam non habent, quamvis liberos habeant.

Cap. 427. — *Apud quos judices quæ causæ clericorum sint terminandæ. Constitutio octoaesima tertia, cap.* 1.

(11, *q.* 1, *c. Si quis cum clerico.*) Si quis cum clerico litigium habuerit, si quidem de causa pecuniaria, adeat prius episcopum cujus judicio clericus suppositus est. Ille autem, sine damno et sine dilatione, competentem finem liti impositurus est. Sin autem noluerit episcopus litem dirimere, tunc ad civiles judices disceptatio causæ proveniat. Ubi autem causam dirimere vult episcopus, sine scriptura omnia procedant, et diffinitiva sententia ab eo sine scripturis inseratur. Quod si de criminali causa litigium emerserit, tunc competentes interpellati consentaneum legibus terminum causæ imponant, ita tamen ut disceptatio litis duorum mensium spatium non excedat, a litis contestatione numerandum. Non aliter autem puniatur clericus, nisi obnoxius repertus sacerdotio privatus [nudatus *Vict.*] fuerit a suo episcopo, vel clericatus honore. Sin autem crimen ecclesiasticum est, tunc secundum canones episcopo soli causæ examinatio et pœna procedat, nullam communionem aliis judicibus in hujusmodi causis habentibus.

Cap. 428. — *De eo qui infirmitate depressus monachum se fieri promisit. Alexander II, Udoni [Hugoni] Ereverensi, et Theodorico Virdunensi episcopis.*

(17, *q.* 2, *c. Cosaldus.*) Præsentium lator Cosaldus presbyter, ad limina apostolorum venieus, querelam apostolicæ sedi deposuit, beneficium et altaria quæ per canonicam Virdunensis Ecclesiæ obtinere solebat, a quodam diacono, Richerio nomine, sibi ablata esse. Dixit enim quod quondam in infirmitate fervore passionis oppressus monachum se facere promiserit, non tamen ut monasterio vel abbati se tradiderit, vel promissionem scripserit, sed confitetur quod præfatum beneficium in manu advocati Ecclesiæ refutaverit. At postquam convaluit, monachum facere mox negavit. Dixit etiam quod cum infirmus jaceret prædictus Richerius beneficium suum ab episcopo Virdunensi acquirere potuisset, quia dixit eum monachum jam factum esse. Causa differtur in Treverensem synodum, in qua præfatus Richerius diaconus mala fide acquisisse, ac male intrasse convictus est. Quapropter quia beati Benedicti, canonicaque et præcipue Patris et prædecessoris nostri sancti Gregorii papæ constitutio interdicit, ante unius anni probationem effici monachum, si ita est, ut dixit, judicamus et auctoritate apostolica præcipimus, ut diligentia vestra atque clementia horum portitor Cosaldus presbyter [presbyteri] videlicet, beneficia et altaria recipiat, habeat, et quiete retineat.

(78) *Græce est ἢ ἐν ἀπορίᾳ πρὸς ταξεωτικὴν κατενεχθήσεται τύχην. quæ verba Agyleus sic vertit :* Aut egens ad apparitorum conditionem dejiciatur.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 429. — *De presbytero qui sine culpa perdiderat Ecclesiam suam. Nicolaus Airardo Turonensi archiepiscopo* (*in rescriptis Nicolai I, tit.* 1, *c.* 4).

(2, *q.* 1, *c. Notum sit.*) Notum sit tuæ fraternæ charitati quod iste presbyter pauper, nomine Christophorus, de sua angustia ad nostram clementiam lacrymabiliter sit conquestus, dicens se falsis criminibus impetitum, et ab Ecclesia sua, non convictum neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum Nam (ut ipse refert) tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neque de homicidii consensu [confessione *or.*] (de quibus impetebatur) potuit culpa reperiri, nisi quia suæ paupertatis causa quod petebatur, aut consentire noluit, aut implere non potuit; quod suus tamen æmulus ultroneus egit, qui illius Ecclesiam injuste præripuit. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut quæ te forte ignorante Giezica cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur, scilicet restituendo Ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque eidem reddendo tua pietate quem perdidit pristinum honorem, et nullatenus canonica instituta alicujus temeritate contemni permittatis, quia facientem et consentientem par pœna constringit.

Cap. 430. — *De diacono, de crimine injuste infamato. Stephanus papa quintus Leoni episcopo Thianensi.*

(15, *q.* 5, *c. De crimine.*) De crimine sibi illato diaconus tuus verissime se fatebatur immunem. Verumtamen si suspicio habetur, et accusatores idonei reperiuntur, et testes quales sacri canones sanciunt, adscito tecum certo episcoporum numero veniant accusatores, vocetur et ipse Aldericus diaconus, et si negaverit, ventiletur causa canonice; et si vel sponte confessus, vel legitimis testibus fuerit approbatus, canonica feriatur sententia. Quod si nec sponte confitetur, nec accusatores et testes legitimi reperti fuerint, et mala fama crebrescit, non publico examine, sed coram te et aliquantis reverendissimis presbyteris et diaconibus Ecclesiæ tuæ secreto juramento se purificet, et tu deinceps boni testimonii eum annuntia, et compesce ac admone Ecclesiæ filios, ne sacerdotem Dei infamare ulterius præsumant, timentes maledictionem Cham, qui patris verenda derisit (*Gen.* VII).

Cap. 431. — *Manifestam causam non egere testibus. Idem*

(2, *q.* 2, *c. De manifesta.*) De manifesta et nota plurimis causa non sunt quærendi testes, ut beatus Ambrosius (*in* 5 *capite, statim post initium*) in Epistolam ad Corinthios scribit de fornicatore sententiam exponens Apostoli. « Judicis, inquit, non est sine accusatore damnare quia Dominus Judam cum fuisset fur, quia non est accusatus, minime abjecit. » Ac mox : « Cognito autem opere isto pellendum illum de cœtu fuisse fraternitatis censuit. Omnes enim crimen ejus sciebant, et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. » Et paulo post, « Absens facie, præsens autem auctoritate spiritus qui nusquam abest, jam judicavi ut præsens eum qui hoc admisit tradi Satanæ in interitum carnis. »

Cap. 432. — *Rem in contentione positam, non licere donare vel vendere. Ex lib. Capit. cap.* 357.

Rem in contentione positam non licet donare vel vendere.

Cap. 433. — *De modo conficiendarum epistolarum formatarum, quem Nicæna synodus inter episcopos in faciendis epistolis conservandum esse instituit.*

(*Dist.* 73, *c. Qualiter.*) Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis (quas mos Latinus formatas appellat) aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc a Patribus trecentis octodecim Niceæ congregatis saluberrime inventum est et constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis suæ habeant rationem, id est ut assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, et Filii, et Spiritus sancti, id est π, υ, α. Quæ elementa octogenarium quadringentesimum et primum servant numeros. Petri quoque apostoli prima littera id est π, quæ numerum octogesimum significat. Ejus qui scribit epistolam prima littera, cui scribitur secunda, accipientis tertia, civitatis quoque de qua scribitur quarta, et indictionis quæcunque est illius temporis, numerus assumatur; atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ (ut diximus) numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcunque collecta fuerit, summam epistola teneat. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium et nonum numeros, qui secundum Græca elementa significant, ἀμήν. Tres igitur prædictæ litteræ Græcæ, id est π, υ, α, et prima littera ex nomine Petri, id est π, quingentesimum et unum faciunt numeros; π enim prima, quæ est in nomine summi Patris, sexagesimum numerat; υ vero, quæ est prima in nomine Filii, octoginta numerat; α vero, quæ prima est in nomine Spiritus sancti, unum indicat. Si addas π quæ in nomine Petri est prima, id est quadringinta reperies octoginta, ἀμήν vero, quod in fine prædictæ epistolæ scriptum est, quingenta sexaginta unum, indicat; a enim unum, μ nonaginta novem, ν quadraginta octo, ν nonaginta numerum, qui nonaginta novem efficiunt numeros. Si vero totam summam simul jungas sexcentos sexaginta epistola numeros tenet. Sed propter minus scientes ponenda videntur elementa ipsa Græca, cum numeris propriis.

I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. XX. XXX. XL.
α. β. γ. δ. ε. ϛ. ζ. η. θ. ι. κ. λ. μ.
L. LX. LXX. LXXX. XC. C. CC. CCC. CCCC. D. DC. DCC.
ν. ξ. ο. π. ϟ. ρ. σ. τ. υ. φ. χ. ψ.
DCCC. DCCCC. M.
ω. ππ. α.

Numerantur autem ita : ἕν, δύο, τρία, τέσσαρα, πέντε, ἕξ, ἑπτά, ὀκτώ, ἐννέα, δέκα, εἴκοσι, τριάκοντα,

Introdusă în format electronic de Google

τεσσαρακοντα, πεντήκοντα, ἑξήκοντα, ἑβδομήκοντα, ὀγδοήκοντα, ἐνενήκοντα, ἑκατόν, διακόσια, τριακόσια, τετρακόσια, πεντακόσια, ἑξακόσια, ἑπτακόσια, ὀκτακόσια, ἐνεακόσια, χίλιοι.

CAP. 434. — *Exemplum epistolæ formatæ.*

(*Simile ferehabetur, dist.* 73 *c. In nomine.*) In nomine π Patris, et υ Filii, et α Spiritus sancti, Rathbodus sanctæ Treverensis Ecclesiæ ac plebis ipsius humilis famulus Rotberto reverendæ sanctæ Metensis Ecclesiæ antistiti in Christo principe pastorum mansuram cum gaudio prosperitatis ac perpetuitatis gloriam. Decreta sanctorum trecentorum decem et octo Patrum Niceæ constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonice aggredimur, et sub nomine formatæ epistolæ reverenter vestram sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando quia præsenti presbytero nostro, nomine Gislemaro, has dimissorias dedimus litteras, quem in nostra diœcesi ecclesiastice educatum, de ordine clericatus ad presbyteratus proveximus gradum, ut his canonicis munitus apicibus, cum nostra licentia ei in vestra paroœcia sub defensione ac regimine vestræ charæ dilectionis degere liceat, illumque in sinu sanctæ matris Ecclesiæ canonice fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epistolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus et annulo Ecclesiæ nostræ bullare consuimus. Christus pastorum princeps interventu beati Petri, cui specialiter ovile Dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumem, ἀμήν. Summa horum Mille DXXXIX. π. υ. α. ω. ρ. ο. σ. υ. θ. ἀμήν.

Data Treveris. Idib. Octob., anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. VI, indict. IX π. υ. α. π. δ. α. ρ. δ. θ.

CAP. 435.—*Item aliud exemplum formatæ.*

Reverendissimo et sanctissimo Rathbodo sanctæ Treverensis Ecclesiæ archiepiscopo, Dado Virdunensis Ecclesiæ devotus gregis Christi famulus in Domino vero rege summæ felicitatis beatitudinem. Cum sancta catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta evangelica, quæ dicunt : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet ; et qui recipit justum in nomine justi* (*Matth.* X), et cætera ; et Apostolus jubeat hospitalitatem sectari (*Rom.* XII), et necessitatibus sanctorum virorum communicare, tamen propter eos qui cauteriatam habent suam conscientiam (*I Tim.* IV), dicentes se esse simplices, cum sint astutia diabolica repleti, et pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cum sint sua malitia faciente fugitivi, et dicunt se esse ministerio sacro insertos, cum non sint : statutum est a sanctis Patribus neminem, clericum alienum et ignotum recipi ab aliquo episcopo, et inthronizare in sua Ecclesia, nisi habeat a proprio episcopo epistolam, quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus paternitati vestræ quod præsens frater noster harum litterarum portitor, nomine Adruinus, non pro sua nequitia expulsus est a nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eo quod ex familia nostra fuit, dedimus ei libertatem receptam a cornu altaris canonice, et ordinavimus eum ad gradum presbyterii. Cui etiam has dimissorias sive commendatitias litteras fecimus, et eum ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in vestra paroœcia sub vestro sacro regimine et defensione consistere valeat. Ego, inquam, in nomine π Patris, et υ Filii, et α Spiritus sancti, et in unitate sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est jus ligandi atque solvendi, absolvo Dado humilis episcopus presbyterum Adruinum de civitate Virdunensi, indict. IX. Et licentiam do vobis, Rathbode venerabilis archiepiscope, inthronizandi eum in quacunque ecclesia vultis vestræ paroœciæ. Dilectam paternitatem vestram virtutum floribus insignitam omnipotens Deus conservare dignetur. ἀμήν. D. CC. LXXVIII, π. υ. α. π. δ. α. λ. θ. Data V Idus Maii, anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. VI, indict. IX.

DECRETI PARS SEPTIMA

De monachorum et monacharum singularitate et quiete : et de revocatione et pœnitentia eorum qui continentiæ propositum transgrediuntur.

CAP. 1.—*Ut monachi per singulas civitates subjecti sint episcopis, et quieti operam dantes, jejuniis et orationibus intendant. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 4 (*actione* 15).

(16, *q.* 1, *c. Qui vere.*) Qui vere et pure solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. Quia tamen sunt quidam monachi habitantes indifferenter per civitates, nec non et per monasteria seipsos præsumptione propria commendantes, placuit neminem aut ædificare, aut construere monasteria, aut oratorii domum, sine conscientia ipsius civitatis episcopi. Eos vero qui per singulas civitates seu possessiones in monasteriis sunt, subjectos esse debere episcopo, et quieti operam dare, atque observare

Introdusă în format electronic de Google

jejunia et orationes, in locis in quibus semel Deo se devoverunt, permanentes; et neque communicare ecclesiasticis, neque sæculares aliquas attrectare actiones, relinquentes propria monasteria, nisi forte jubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius civitatis episcopo. Et neminem servorum suscipi in monasterium, ut sit cum eis monachus, nisi cum domini proprii conscientia. Prætereuntem vero hæc decrevimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur. Convenit vero civitatis episcopo curam sollicitudinemque necessariam monasteriis exhibere.

CAP. 2.—*De monachorum singularitate. Hieronymus in epistola ad Paulinum presbyterum de institutione clericorum* (*lib.* II, *ep.* 14).

(16, *q.* 1, *c. Si cupis.*) Si cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in urbibus quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet unumquodque propositum principes suos. Et ut ad vestra [nostra, *orig.*] veniamus, episcopi et presbyteri habeant ad exemplum apostolos et apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur et meritum, nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macharios. Habeto simplicitatem columbæ, nec cuiquam machinetis dolos, et serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multum distat in vitio vel decipere posse, vel decipi Christianum. Quem senseris tibi aut semper aut crebro de nummis loquentem, excepta eleemosyna quæ indifferenter omnibus patet, institorem potius habeto quam monachum. Præter victum et vestimentum, et manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, nec [ne, *orig.*] filiorum panem canes comedant.

CAP. 3.—*De eodem. Idem in epistola ad Riparium et Desiderium presbyteros* (*lib.* III, *ep. ult.*, *circa finem*).

(16, *q.* 1, *c. Monachus.*) Monachus non doctoris habet, sed plangentis officium, qui vel se vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. Qui sciens imbecillitatem suam, et vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat et corruat atque frangatur. Unde et mulierum maximeque adolescentularum vitat aspectum; et intantum castigator sui est, ut etiam quæ tuta sunt pertimescat. Cur, inquis, pergis ad eremum? Videlicet ut te non audiam, non videam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebat: Hoc non est pugnare, sed fugere; sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.

CAP. 4. — *Item de eodem. Idem in epistola ad Rusticum monachum, de labore monachorum* (*l.* II, *ep.* 13).

Mihi oppidum carcer, et solitudo paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Moyses ut præesset populo Judæorum quadraginta annis eruditur in eremo; pastor ovium, hominum factus est pastor (*Exod.* III). Apostoli de piscatione lacus Genezareth ad piscationem hominum transierunt (*Luc.* V). Tunc habebant patrem, rete, naviculam; secuti Dominum protinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem suam, et ne virgam quidem in manu habentes. (16, *q.* 1, *c. Si clericatus.*) Hæc dico, ut si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere, et rationabilem hostiam offeras Deo (*Rom.* XII), ne miles antequam tiro, ne prius magister sis quam discipulus. Non est humilitatis meæ, neque mensuræ judicare de cæteris, et de ministris Ecclesiarum sinistrum quidpiam dicere. Habeant illi ordinem et gradum suum; quem si tenueris, quomodo tibi in eo vivendum sit, editus ad Nepotianum liber docere te poterit. Nunc monachi incunabula moresque discutimus, et ejus monachi, qui liberalibus studiis eruditus in adolescentia, jugum Christi collo suo imposuit. Primumque tractandum est utrum solus an cum aliis in monasterio vivere debeas. Mihi placet ut habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, et absque doctore ingrediaris viam quam nunquam ingressus es.

CAP. 5. — *Ut monachus semper laboret. Idem in eadem epistola* (*post quædam*).

(*De cons. dist.* 5, *c. Nunquam de manu.*) Nunquam de manu aut oculis tuis liber psalterii descendat [recedat, *orig.*], discatur ad verbum. Oratio sine intermissione; vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens corpus pariter animusque tendatur ad Deum. Iram vince patientia. Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ, si pectori insederint, dominabuntur tui, et te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Si apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere (*I Cor.* IX), laborabant manibus suis, ne quem gravarent (*I Thess.* II), et aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia (*I Cor.* IX), cur tu in usus tuos successura non præpares? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ. Hinc pulcherrimorum versuum spectator assistas:

Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit; illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
(VIRGILIUS, I *lib. Georg.*, *vers.* 105.)

Inserantur fructuosæ arbores, vel gemmis vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis Proverbia (*Prov.* VI). Monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus. Texantur et lina capiendis piscibus. Scribantur et libri, ut et manus operetur cibos, et anima lectione saturetur. *In desideriis est omnis otiosus* (*Prov.* XIII, *juxta LXX*). Ægyptiorum monasteria

Introdusă în format electronic de Google

hunc morem tenent, ut nullum absque opere ac labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, et instar fornicationis Hierusalem, omni transeunti divaricent pedes suos (*Ezech.* XVI).

CAP. 6. — *Quod non peribunt omnes habitantes in urbibus. Et in sequentibus.*

Quid ergo? Peribunt omnes qui in urbibus habitant? Ecce illi fruuntur suis rebus, ministrant Ecclesiis, adeunt balnea, unguenta non spernunt, et tamen in omnium ore versantur. Ad quod et ante respondi, et nunc breviter respondeo me in præsenti opusculo, non de clericis disputare, sed monachum instituere.

CAP. 7. — *De monachis fugitivis non promovendis ad clerum. Augustinus in epistola ad Aurelium (evist.* 76).

(16, *q.* 1, *c. Legi epistolam.*) Legi epistolam benignitatis tuæ de Donato et fratre ejus, et quid responderem diu fluctuavi. Sed tamen etiam atque etiam cogitanti quid sit utile saluti eorum, quibus nutriendis in Christo servimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, nisi non esse istam viam dandam servis Dei, ut se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. Et ipsis enim facilis lapsus, et ordini clericorum sit indignissima injuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eliguntur, cum ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere soleamus, nisi forte (sicut vulgares dicunt) malus choraula bonus symphoniacus est, ita idem ipsi vulgares de nobis jocabuntur dicentes : Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus [surrigamus, *orig., et Grat.*], et tam gravi contumelia clericos dignos putamus. In quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat; si adsit ei sufficiens continentia, et tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Sed de istis credo quod arbitrata sit beatitudo tua, nostra voluntate, ut suis potius corregionalibus utiles essent de monasterio recessisse; sed falsum est. Sponte abierunt, sponte deseruerunt, nobis quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus.

CAP. 8. — *De quiete monachorum. Idem in epistola ad Eudoxium (epist.* 81).

Domino dilecto, et exoptatissimo fratri, et conpresbytero Eudoxio, et qui tecum sunt fratribus, Augustinus, et qui mecum sunt fratres in Domino, salutem. Quando quietem vestram cogitamus quam habetis in Christo, etiam nos quamvis in laboribus variis asperisque versemur, in vestra charitate requiescimus. Unum enim corpus sub uno capite sumus, ut et vos in nobis negotiosi, et nos in vobis otiosi simus. Quia *si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (*I Cor.* XII). Admonemus ergo et petimus et obsecramus per Christi altissimam humilitatem, et misericordissimam celsitudinem, ut nostri memores sitis in sanctis orationibus vestris, quas vigilantiores et magis sobrias credimus habere. Nostras enim sæpe sauciat et debilitat caligo et tumultus sæcularium actionum; quas etsi sinistras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, et jubemur ire cum eis alia duo (*Matth.* V), tanta nobis ingeruntur, ut vix respirare possimus, credentes tamen quod ille in cujus conspectu intrat gemitus compeditorum (*Psal.* LXXVIII), perseverantes nos in eo ministerio in quo collocare dignatus est, cum promissa mercede adjuvantibus orationibus vestris, ab omni angustia liberabit. (16, *q.* 1, *c. Vos autem.*) Vos autem, fratres, hortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, et usque ad finem perseveretis. At si quam operam [qua opera, *or. Vict., Pann.*] vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas (*Psal.* XXIV), nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inveniretis.

CAP. 9. — *De voto Bonifacii comitis. Augst. in epist. ad Bonifacium comitem (epist.* 70).

(17, *q.* 2, *cap. Nos novimus.*) Nos novimus, nos testes sumus quod nobiscum apud Tubanas de animo et voluntate tua fuerimus collocuti. Soli tecum eramus ego et frater Alipius. Non enim existimo tantum valuisse terrenas curas quibus impletus es, ut hoc de memoria tua penitus delere potuerint. Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, et te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei monachi vivunt. (*Post aliquot versus sub finem.*) Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti, uxoremque duxisti. Si enim conjugem non haberes, dicerem tibi quod et Tubanis diximus, ut in castitate continentiæ viveres, adderem quod tunc fieri prohibuimus, ut jam te, quantum rerum humanarum salva pace potuisses, ab istis bellicis rebus abstraheres, et huic vitæ vacares, et societati sanctorum, cui tunc vacare cupiebas, ubi in silentio pugnant milites Christi, non ut occidant homines, sed ut expugnent principes et potestates et spiritualia nequitiæ (*Ephes.* VI), id est, diabolum et angelos ejus. (*Post pauca.*) Sed ut te ad istam vitam non exhorter conjux impedimentum est, sine cujus consensione continenter tibi non licet vivere.

CAP. 10. — *Non solvi conjugium, si mulier nescia de voto viri nupsit ei. Idem in eadem epistola.*

Quia et si tu eam post illa tua verba Tubanensia ducere non debebas, illa tibi tamen, nihil eorum sciens, innocenter et simpliciter nupsit. Atque utinam posses ei persuadere continentiam, ut sine impedimento redderes Deo quod te debere cognoscis. Sed si cum illa agere non potes, saltem serva pudi-

Introdusă în format electronic de Google

citiam conjugalem, et roga Deum, qui te de necessitatibus eruit, ut quod non potes modo, possis aliquando. Verumtamen ut Deum diligas, non diligas mundum, ut in ipsis bellis si adhuc te in eis versari opus est, fidem teneas pacemque quæras, ut ex mundi bonis facias opera bona, et propter mundi bona non facias opera mala, aut non impedit conjux, aut impedire non debet. Hæc ad te, fili charissime, ut scriberem charitas jussit, qua te secundum Deum, non secundum hoc sæculum diligo, quia et cogitans quod scriptum est : Corripe sapientem et amabit te, corripe stultum et adjiciet odisse te (*Prov.* IX), non te utique stultum, sed sapientem debui cogitare.

CAP. 11. — *De quiete monachorum. Decretum sancti Gregorii papæ* (*lib.* VII, *ind.* 1, *ep.* 18, *Mariniano episcopo*).

(18, *q.* 2, *c. Quam sit necessarium.*) Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, et de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos (vos, *or.*) officium quod in regimine cœnobii exhibuimus (exhibuistis, *orig.*) informat. Et quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse cognoscimus, oportet ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum, salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine, quisquam monachis quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate beati Petri apostolorum principis prohibemus, cujus vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, ut nullus episcoporum aut sæcularium ultra præsumat de reditibus, vel rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo vel qualibet occasione minuere, vel dolos vel immissiones aliquas facere. Sed si qua forte causa inter terram venientem ad partem suarum ecclesiarum et monasteriorum evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud electos abbates et alios Patres timentes Deum sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate cujusque congregationis, non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit, et qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum. Neque constituto abbate, quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte exstantibus (quod absit!) criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, ut invito abbate ad ordinandum alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium, tolli monachi non debeant.

CAP. 12. — *De eodem. Greg., cap.* 87, *Castorio episcopo Ariminensi* (*l.* IV, *ep.* 43).

(18, *q.* 2, *cap. Luminoso.*) Luminoso abbate referente, plurimis in monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse comperimus. Oportet ergo ut tuæ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio gratia illius suffragante, mente libera perseverent.

CAP. 13. — *Ne publice missæ fiant in cœnobiis. Gregorius.*

Missas quoque publicas in cœnobio fieri omnimodo prohibemus, ne in Dei servorum recessibus et eorum receptaculis ulla populis præbeatur occasio conventus, quia non expedit animabus eorum. Nec audeat illic episcopus cathedram collocare, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab abbate fuerit rogatus; quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, ut remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus divinum opus cum summa devotione animi perficiant in perpetuum. Vale, optime Pater, memor nostri.

CAP. 14. — *Ne monasterium gravet episcopus. Idem Gregorius* (*ind.* 1, *lib.* VII, *epist.* 18, *in fine*).

(18, *q.* 2, *c. Visitandi.*) Visitandi exhortandique gratia ad monasterium quoties placuerit, ab antistite civitatis accedatur. Sed sic charitatis officium illic impleat episcopus, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat.

CAP. 15. — *De oblatis a parentibus. Epist. Greg. III ad Augustinum Anglorum pontificem* (*epist.* 4, *vol.* 13, *cap.* 7 *ad Bonifac.*).

(20, *q.* 1, *c. Addidisti.*) Addidisti adhuc quod si pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii infantiæ annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis inoleverint annos, egredi, et matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus; quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.

CAP. 16. — *De monachis et virginibus propositum non servantibus. Epistola Syricii, cap.* 6 (*epist.* 1).

Præterea monachorum quosdam atque monachabarum abjecto proposito sanctitatis in tantam prolestaris dimersos esse lasciviam, ut prius clanculo velut sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint. Postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus libere filios procrearint, quod et publicæ leges et ecclesiastica jura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas, a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu,

Introdusă în format electronic de Google

per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Cap. 17. — *De virginibus sacratis, si lapsæ fuerint. Ex decr. Innocentii papæ I, cap.* 12 (*epist.* 2 *ad Vitricium episc.*).

(27, *q.* 1, *c. Quæ Christo.*) Item quæ Christo spiritualiter nubunt, et a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint vel occulte corruptæ fuerint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant de hac vita discesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quæ antea immortali se sponso conjunxerat, at postea ad humanas nuptias transire elegit?

Cap. 18. — *De virginibus non velatis si deviaverint. Ibidem cap.* 13.

(27. *q.* 1, *c. Hæ vero quæ.*) Hæ vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est; quia sponso earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solvi sine vindicta non poterit?

Cap. 19. — *Qua pœnitentia purgandus sit qui propositum monachi deseruerit. Leo Rustico Narbonensi episcopo* (*epist.* 92, *c.* 12, *vel inquis.* 14).

(20, *q.* 3, *c. Propositum.*) Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere (*Deut.* XXIII; *Psal.* XLIX). Unde qui, relicta singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est; quia et si innocens militia et honestum potest esse conjugium, electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est.

Cap. 20. — *Quod puellæ spontaneum virginitatis propositum deserentes delinquunt. Ibidem, cap.* 13.

(20, *q.* 1, *c. Puellæ.*) Puellæ quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperint, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit [etiamsi consecratio non accessit, *orig. et Grat.*]. Cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

Cap. 21. — *De consecratis si nupserint. Ibidem, cap.* 14.

Ambigi non potest magnum crimen admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid de his [eos] manebit, qui corruperint divini fœdera sacramenti.

Cap. 22. — *Quod liceat monachis cum sacerdotali officio ubique ministrare. Ex concilio Bonifacii papæ, qui quartus a beato Gregorio fuit.*

(16, *q.* 1, *c. Sunt nonnulli.*) Non ullo fulti dogmate, audacissime quidam magis zelo amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserunt monachos, quia mundo mortui sunt et Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii injunctam gratiam, sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent apostolicæ sedis compar beatus Gregorius monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem ostiatim fungendi, ligandi, solvendique officio potestas summa conceditur. Augustinus quoque ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum prædicator egregius, ac Pannoniensis beatus Martinus, aliique quamplurimi viri sanctissimi pretiosorum monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali subarrharentur. Sed quia monachi fuerunt, prædictis uti perhibentur. Neque enim Benedictus monachorum præceptor hujuscemodi rei aliquomodo fuit interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore solummodo, quod quidem apostolicis documentis, et omnium sanctorum Patrum institutis, non solum monachis, verum etiam canonicis maximopere imperatur. Utrisque enim præfatorum Patrum exemplis perspicacibus circumquaque ut mundo mortui sint, evidentissima ratione præcipitur. Tantorum ergo Patrum institutis et exemplis periculosum est refragari. Credimus ergo a sacerdotibus monachis ligandi solvendique potestatem atque officium, Deo operante, haud indigne administrari, si eos digne contigerit ad hoc ministerium sublimari. Quod incunctanter et evidenter affirmat quisquis statum monachorum et habitum potentatumque evidenter considerat, verbi gratia: Angelus Græce, Latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui quotidie sancta Dei præcepta annuntiant, angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed unusquisque angelicus ordo quanto claritatem Dei vicinius contemplatur, tanto dignitate sublimior affirmatur. Nam, uti cherubim, monachi sex alis velantur. Duæ quidem in capitio quo caput tegitur verisimilibus demonstrantur assertionibus. Illud vero tunicæ quod brachiis intenditur, alas duas esse dicimus; et illud tandem quo conditur corpus, sex alarum numerum certissime implere asseritur. Decertantes igitur monachicæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio omnimodo præcipimus, ut ab hujuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque celsior, tanto potentior.

Cap. 23. — *Ne monachus defensor fiat Pelagius Antoninæ, Patriciæ et Deciæ* (*in fragm. Pelagii II*).

(16. *q.* 1, *c. De præsentium.*) De præsentium portitore quod defensor factus non est, nulla animi molestia sit; quia vere satis amarissimum habeo de isto proposito ad illud officium homines deduci, in quo nullo modo quæ a monachis Deo promissa sunt valeant adimpleri. Omnimoda enim et illius habitus, et istius officii diversitas est. Illic enim quies, oratio, labor manuum; at hic causarum conditio, conventio-

Introdusă în format electronic de Google

nes, actus, publica litigia, et quæcunque vel ecclesiastica instituta vel supplicantium necessitas poscit. Faciat autem Deus, ut tales sint qui vel a vobis in isto habitu nutriuntur, vel in monasteriis crescunt, ut provecta ætate et probata vita, non ad litigiorum officia, sed ad sacerdotium valeant promoveri.

Cap. 24. — *Qualis et a quibus debeat abbas eligi. Pelagius Melleo* [*Mellito*] *subdiacono.*

(18, *q.* 2, *c. Abbatem.*) Abbatem in eodem monasterio [loco] illum volumus ordinari, quem sibi de sua congregatione et monachorum electio, et possessionis Dominus, et (quod magis observandum est) ordo vitæ ac meritum poposcerit ordinari.

Cap. 25. — *Ne duplex monasterium fiat. Ex septima synodo, cap.* 11 (*synod.* 7 *cætu*, *c.* 20).

(18, *q.* 2, *c. Diffinimus.*) Ex hoc diffinimus, minime duplex fieri monasterium, quia scandalum id est offendiculum, multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis abrenuntiare et monasticam vitam sectari voluerint, debent viri quidem virorum adire, cœnobium, feminæ vero mulierum ingredi monasterium : in hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus sunt dupla secundum regulam sancti Patris Basilii, et secundum præceptionem ejus ita formentur. Non habitent in uno monasterio monachi et monachæ. Adulterium enim intercipit cohabitatio, si habeat aditum monachus ad monacham, vel monacha ad monachum secreto ad collocutionem. Non cubat monachus in muliebri monasterio neque cum monacha singulariter convivetur, et quando necessaria vitæ a virorum parte ad regulares deferuntur monachas, extra portam hæc suscipiat abbatissa monasterii feminarum, cum quadam vetula monacha. Porro, si contigerit ut aliquam propinquam suam videre voluerit monachus, in præsentia abbatissæ huic confabuletur, per modica et compendiosa verba, et in brevi ab ea discedat.

Cap. 26. — *De his qui se ante legitimos annos totonderint et velaverint. Ex concilio Maguntino, cui interfuit Carolus imperator et Richolfus archiepiscopus in claustro Sancti Albani, cap.* 20.

(*De regular. tit.* 31, *c. Si quis.*) Si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum, et si ipsi parentes infra annum non se reclamaverint ad principem, aut ad proprium episcopum, aut ad missum Dominicum, in ipso clericatu permanet. Si vero post legitimos annos per vim clericus factus est, et infra annum ad supra memoratas personas minime se reclamaverit, in clericatu permaneat, sicut his de quo superius dictum est. Si vero præfatæ personæ infra annum reclamationem fecerint, hi qui eos clericos fecerunt ipsis sine parentibus eorum hoc per legem exsolvant, quod contra eos contraxerunt. Ille vero qui ante legitimos annos tonsuratus est, utrum in eadem tonsura permanere debeat necne, in potestate sit parentum. Si vero his qui tonsuratus est, alicujus fuit servus, Domino per legem emendetur, quidquid de ejus servo contra eum contractum est. Ille vero qui tonsuratus est, A utrum in eadem tonsura permaneat, in potestate sit domini sui. Si vero hi qui liberi sunt, ante legitimos aut post legitimos annos hoc modo, sicut superius taxatum est, tonsurati sunt, et ad gradus ecclesiasticos pervenerint, in eisdem gradibus perseverare cogantur. Si vero servus qui superius taxato modo tonsuratus est, et ad gradus ecclesiasticos pervenerit, domino suo per legem emendetur, et ei redditus in suo gradu permaneat. Hoc et de velandis puellis observandum est.

Cap. 27. — *De illis quos unus aut ambo parentes sanctæ religioni tradiderunt. Ex concilio Toletano. cap.* 6 (*Tolet.* x).

Quoniam huc usque dissolutæ operationis effectus interdum fecit nutare honestum, constitutionis edi- B ctum proponimus, ne resolvi putetur quod indissolubili sanctionis auctoritate tenetur : ideo quidquid obvium ex incerto occurrerit, evidenter abjici debet, ut de cætero nihil supersit, quod in dubium nutet. (20, *q.* 2, *Si in qualibet.*) Ideoque si in qualibet juniori ætate vel religione tonsuram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu, filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certe vel nolentibus aut nescientibus se susceptam, et non mox visam in filiis abdicaverint; sed vel coram se, vel coram ecclesia palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit, sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, C et sub strenua districtione hujusce observantiæ inservire cogantur. Parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius, quam usque ad duodecimum ætatis eorum annum licentia poterit esse. Postea vero an voluntate parentum, an suæ devotionis solitarium sit votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum. Quisquis autem vel abolitione tonsuræ, vel sæcularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem, excommunicationis censuram accipiat, et religioni semper inhæreat.

Cap. 28. — *De illis qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiverunt. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 7 (*actione* 15).

(20, *q.* 3, *c. Eos qui semel.*) Qui semel in clero de- D putati sunt, aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; et hoc tentantes et non agentes pœnitentiam, quo minus redeant, ad hoc quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.

Cap. 29. — *Ut canonici inter monachos conversantes, aut monachi fiant, aut canonice vivere cogantur. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 17 (*Magunt.* 1 *sub Leone III, cap.* 21).

Præcipimus ut unusquisque episcopus sciat per singula monasteria, quantos quisque abbas canonicos in monasterio suo habeat; et hoc omnino ambo pariter provideant, ut si monachi fieri voluerint, regulariter vivant; sin autem, canonice vivant omnino.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 30. — *Quod monachum paterna devotio, vel propria professio faciat. Ex concilio Toletano* IV, *cap.* 48.

(20, *q.* 1, *c. Monachum.*) Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum [*al.* allegatum], tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus.

Cap. 31. — *De clericis qui se fingunt monachos esse. Ex eodem concilio* (*capitul. lib.* I, *c.* 77).

(*De regular. tit.* 31, *c. Ut clerici.*) Ut clerici qui se fingunt habitu et nomine monachos esse, et non sunt, omnimodis corrigantur atque emendentur, ut vel veri monachi sint, vel veri canonici.

Cap. 32. — *Ut monacho sine consensu sui abbatis votum vovere non liceat. Ex dictis Basilii.*

(20, *q.* 4, *c. Monacho.*) Monacho non licet votum vovere sine consensu abbatis sui. Si autem voverit, frangendum erit.

Cap. 33. — *De virginibus quæ ante annos* 12 *insciis mundiburnis* [*mundiburdis*] *suis velamen sibi imposuerint. Ex concilio Triburiensi, cap.* 24.

Virgines quæ ante 12 annos insciis mundiburnis [patronis, *orig.*] suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, et illi mundiburni annum et diem hoc tacendo consenserint, in suo sancto proposito permaneant. Et si in prædicto anno et die pro illis se proclamaverint, petitioni eorum assensus præbeatur, nisi forte Dei timore tactæ [tacti], cum eorum licentia in religionis habitu perseverent.

Cap. 34. — *Ut clericus in qua ecclesia semel legerit, deinceps maneat. Ex concilio Africano, cap.* 57.

Item placuit ut quicunque in ecclesia vel semel legerit, ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur.

Cap. 35. — *De viris ac feminis sacrum propositum transgredientibus. Ex concilio Toletano* VI, *cap.* 7.

(20, *q.* 3, *c. Proclivis.*) Proclivis cursus est ad voluptatem, et imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerint spontanee religiosum, aut si vir deditus ecclesiæ choro, vel femina fuerit aut fuit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu prævaricator ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, et puella monasterium ingrediatur [ad mon. regrediatur, *orig.*]. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia ita a Christianorum cœtu habeantur extorres, ut nec locus eis ullus sit communis [communionis, *orig.*], viduas quoque universalis jamdudum statuit synodus professionis vel habitus sui desertrices, ut superiori sententia condemnentur.

Cap. 36. — *Quo tempore velamen sacris virginibus imponi debeat. Ex decreto Gelasii papæ, cap.* 12 (*cap.* 14 *ep.* 9 *ad episc. per Lucan.*).

(20, *q.* 1, *c. Devotis Deo virginib.*) Devotis quoque Deo virginibus nisi aut in Epiphania, aut in Albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis sacrum minime velamen imponatur (et non ante 25 annos, nisi forte sicut de baptismate dictum est) gravi langore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negentur.

Cap. 37. — *Quod non obsit episcopo, si pro necessitate ante* 25 *ætatis annum virginem velaverit. Ex concilio Milevitano, cap.* 26 (*Carth.* III, *c.* 4, *Africanum, c.* 93).

Item placuit ut quicunque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquando mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra 25 annos ætatis, non ei obsit concilium, quod de isto numero annorum constitutum est.

Cap. 38. — *De monialibus quæ alias velare præsumunt. Ex decretis Eutychiani papæ, cap.* 13 (*in fragm., cap.* 2).

Nihilominus etiam in quibusdam locis inolitum invenimus usum stultitiæ plenum, et ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullæ abbatissæ, et aliquæ ex sanctimonialibus viduis, et puellis virginibus contra fas velum imponere præsumant, et ideo nonnullæ injuste velatæ putant se liberius suis carnalibus desideriis posse inservire et suas voluntates explere. (20, *q.* 2, *c. Statuimus.*) Quapropter statuimus ut, si abbatissa aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam aut puellam virginem velare præsumpserit, judicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

Cap. 39. — *De virginibus, qua ætate velari debeant. Ex decretis Pii papæ.*

(20, *q.* 1, *c. Virgines.*) Ut virgines non velentur ante 25 annos ætatis, nisi forte necessitate periclitantis virginalis pudicitiæ. Et non sunt consecrandæ alio tempore, nisi in Epiphania et Albis paschalibus, et in apostolorum natalitiis, nisi causa mortis urgente.

Cap. 40. — *Quod desponsatam puellam non liceat alio viro dare; licere autem, si voluerit, monasterium ingredi. Ex decretis Eusebii papæ* (*in fragm., c.* 1).

(27, *q.* 2, *c. Desponsatam.*) Desponsatam puellam non licet parentibus dare alio viro; tamen monasterium licet eligere, si voluerit.

Cap. 41. — *Ut nullus incognitus cito in monasterium monachorum recipiatur. Ex concilio Toletano, cap.* 5 (*Capitular., lib.* V, *c.* 227).

(17, *q.* 2, *c. Si quis incognitus.*) Si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præstetur. Et si intra tres annos aut servus, aut libertus, vel colonus quæratur a domino suo, reddatur ei cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus, postea quæri non potest nisi sit tam longe quod inveniri non possit; sed tantum ea quæ in monasterio adduxit dominus servi recipiat.

Cap. 42. — *De virginibus sacris quæ propter strictiorem vitam ad aliud monasterium transire disposuerunt. Ex conc. Triburiensi, cap.* 26.

(12, *q.* 4, *c. Virgines.*) Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad

Introdusă în format electronic de Google

aliud monasterium ire disposuerint ibique manere decreverint, synodus concedit; si vero fuga disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur.

Cap. 43. — *Quo vestitu virgines ad consecrationem venire debeant. Ex conc. Carthaginensi* IV, *cap.* 11.

(*Dist.* 23, *c. Sanctimonialis.*) Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem episcopo suo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni et sanctimoniæ aptis.

Cap. 44. — *Ut præter scientiam domini sui servus non efficiatur monachus. Ex concilio Arelatensi, cap.* 5.

Placuit in monasterio non esse suscipiendum servum ad monachum faciendum, præter domini proprii voluntatem. Qui vero hoc constitutum nostrum excesserit, eum a communione suspendi decrevimus, ne nomen Domini blasphemetur.

Cap. 45. — *Ne quis causa religionis servum doceat contemnere dominum suum. Ex concilio Bracarensi* II, *cap.* 47 (*Martinus Bracarens. c.* 47).

(17, *q.* 4, *c. Si quis ser.*) Si quis servum alienum causa religionis docet contemnere dominum suum, et recedere ab ejus servitio, durissime in omnibus arguatur, et ad pœnitentiam compellatur.

Cap. 46. — *De fugitivis clericis seu monachis. Ex decretis Leonis papæ.*

Fugitivum vero clericum, aut monachum deserentem disciplinam, velut contemptorem placuit revocare.

Cap. 47. — *De his qui cum semel tonsi fuerint, laici efficiuntur. Ex conc. Tolet.* V, *cap.* 45 (*Tol.* IV, *c.* 54).

Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam se totonderunt, et rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, vere ut apostatæ coram ecclesia anathematis sententia condemnentur; non aliter et hi qui tonsi collaudantibus parentibus fuerunt, aut sponte sua amissis parentibus seipsos religioni devoverunt, et postea habitum sæcularem sumpserunt, ut iidem a sacerdote comprehensi, ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, revocentur. Quod si reverti nolunt, vere ut apostatæ anathematis sententiæ subjiciantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus feminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, et postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.

Cap. 48. — *Ne servus nesciente domino suo in monasterio recipiatur. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 4 (*actione* 15).

(16, *q.* 1, *c. Qui vere.*) Nullum vero recipere servum in monasteriis obtentu monachi, præter domini sui conscientiam, licet.

Cap. 49. — *Quod non liceat Deo sacratis nuptialia jura contrahere. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 16.

(27, *q.* 1, *c. Si qua virgo.*) Virginem quæ se Deo consecravit, similiter et monachum, non licere nuptialia jura contrahere. Quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci episcopus, misericordiam humanitatemque largiri.

Cap. 50. — *Ut sine spe conjugii maneant, qui sanctimoniales in matrimonium duxerint. Ex evistola Paschalis papæ, cap.* 11.

(27, *q.* 1, *c. Hi ergo.*) Hi qui scientes sanctimonialibus feminis in matrimonio sunt ad injuriam Christi copulati, juxta censuram Christiani zeli separentur, et nunquam eis concedatur jugali vinculo religari, sed in pœnitentiæ se lamentis vehementer, dum vivunt, afficiant.

Cap. 51. — *De virginibus sacris, quæ prævaricatæ sunt. Ex decreto Gelasii papæ, cap.* 20 (*epist.* 9, *ad episc. Lucaniæ, c.* 22).

(27, *q.* 1, *c. Virginibus.*) Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est a sacra communione detrudi; et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi, sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si digne [tamen, *orig.*] pœnituerint, non negetur.

Cap. 52. — *Ut viduæ velum sibi non imponant inconsulto episcopo suo, et ne presbyteri eis imponere præsumant, quod episcopis non licet. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 119.

Statutum est viduas non debere velari. Simul et hoc statutum est ut si quisquam presbyterorum deinceps hujus constitutionis normæ contumaciter transgressor exstiterit, scilicet ut aliquas viduas velare præsumat, quia hoc et episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter et de puellis virginibus a presbyteris non velandis statutum est: ut si quis hoc facere tentaverit, tanquam transgressor canonum damnetur.

Cap. 53. — *Quod viduæ sub nulla sint benedictione velandæ. Ex decretis Gelasii papæ, cap.* 21 (*cap.* 23, *ep.* 9 *ad episc. per Lucan.*).

Nam de viduis sub nulla benedictione velandis superius latius duximus disserendum. Quæ si propria voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare, *quia*, juxta Apostolum, *primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V). Sicut enim si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur (*I Cor.* VII), sic habita secum deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem debuerunt custodire. (*Ibidem*) Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, sed solas adhortationes præmii sempiterni pœnasque proponere divini judicii, ut nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cavendum est quippe quod de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur apostolus (*I Tim.* V), quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 54. — *De viduis quæ semel sacratæ conversationis velamen susceperunt. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 3.

(27, *q.* 1, *Viduas quæ.*) Viduæ quæ spontanea voluntate ab altari sacræ conversationis velamen suscipiunt, decrevit sancta synodus in eodem proposito eas permanere. Non enim fas esse decernimus, ut postquam se Domino semel sub velo consecraverint [*Hæc desunt apud Grat.*], et inter velatas oblationes fecerint, iterum eis concedi Spiritui sancto mentiri.

Cap. 55. — *Ut nullus viduas velare attentet. Ex concilio Magontiensi, cap.* 6 (*conc. Trib., c.* 25).

(27, *q.* 1, *c. Viduas. Gelas. c.* 13, *ep.* 9.) Viduas autem velare pontificum nullus attentet (*I Cor.* VII), prout statutum est in decretis Gelasii papæ c. 13, quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria fuerit voluntate continentiam professa, ut in ejusdem Gelasii c. 21 legitur, ejus intentio pro se reddat rationem Deo, quia sicut, secundum Apostolum, si se continere non poterat, et nullatenus nubere vetabatur, sic secum habita deliberatione promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Nos autem auctoritate Patrum suffulti in hoc sacro conventu sancimus et libere judicamus, si sponte velamen, quamvis non consecratum sibi imposuerit, et in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debet, licet sacramento confirmare velit eo tenore et ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum posset deponere.

Cap. 56. — *De nobilibus velatis quæ postea domi in deliciis residere delectantur. Ex concilio apud Aquisgranum Ludovico Pio præsente, cap.* 6 (*in capitul. adjectis, additione* 2, *c.* 15).

De nobilibus feminis quæ amissis viris repente velantur, et in propriis domibus diversas necessitates opponentes residere delectantur, de quibus in aliis conventibus coram serenitate vestra jamdudum ventilatum est et definitum, majori solertique studio admonendas et instruendas ab episcopis statuimus, quatenus suæ saluti consulant, nec sic indiscrete vivendo, et propria noxiaque libertate utendo, et per diversa vagando periculum animarum suarum incurrant, semper illud apostolicum ante oculos habentes quo dicitur : *Vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est* (*I Tim.* v).

Cap. 57. —*De his qui velatas et Deo sacratas in conjugium duxerint. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 27 (*cap.* 23, *conc. Triburien.*).

(27, *q.* 1, *Si quis sacro.*) Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, et post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscuerit, ut in constitutis Gelasii papæ c. 20 legitur, protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi concilio, cap. 16, hoc perpetrantes excommunicantur; confitentibus autem auctoritate episcopi misericordia largiatur. In epistola Syricii papæ cap. 6, velatæ et Deo consecratæ si abjecto proposito sanctitatis claeulum sacrilega se contagione miscuerint et illicitis complexibus publice et libere filios procreaverint, has nuptias detestabiles [impudicas detestabilesque personas, *orig. et Grat.*] a monasteriorum cœtu et ecclesiarum conventibus eliminandas esse judicatum est, quatenus detrusæ ergastulis tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde verbo Domini et canonica auctoritate in hac sancta synodo præcipimus, ut omnimodo separentur, et juramento colligentur, ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia aut in publico, aut rem ullam habere communem, unde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti juste possit oriri. Si quæ etiam inter se dividenda sunt dividant, et uterque sua provideat et incestuosus sine spe conjugii maneat.

Cap. 58. — *De viduis quæ professam continentiam prævaricatæ sunt. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 4.

(27, *q.* 1, *c. Sicut.*) Sicut bonum est castitatis præmium, ita et majori observantia et præceptione custodiendum est, ut si quæ viduæ, quamlibet adhuc in minoribus annis positæ, et in matura ætate a viro relictæ, se devoverint Deo et veste laicali abjecta sub testimonio episcopi et Ecclesiæ religioso habitu apparuerint; postea vero ad nuptias sæculares transierunt, secundum Apostolum (*I Tim.* v), damnationem habebunt [habeant], quia fidem castitatis quam Deo voverunt, irritam facere visæ [nisæ, *alias* ausæ, *orig.*] sunt. Tales ergo personæ a Christianorum communione sequestrentur, neque etiam in convivio cum Christianis communicent. Nam, si adulteræ conjuges reæ sunt, si suis viris obnoxiæ [reatu sunt viris suis obn., *orig.*] fuerint, quanto magis viduæ, quæ Dei religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem quam sponte nec coacte Deo obtulerunt, libidinosa voluntate [voluptate, *orig.*] corruperint, atque ad secundas nuptias transitum fecerint? Quæ etsi violentia irruente ab aliquo oppressæ fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in conjugio raptori, vel violento viro consenserint, damnatione superius dicta teneantur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus : *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* v).

Cap. 59. — *De eodem. Ex decretis Zepherini papæ, cap.* 4 (*conc. Aquisgran., c.* 35).

Ut viduæ in deliciis non sint, sed secundum Apostolum sub potestate episcopi vivant : *Præcipe*, inquit, *ut viduæ irreprehensibiles sint. Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, in operibus bonis testimonium habens : Si filios educavit* (*I Tim.* v), et cætera. *Adolescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, simul et otiosæ loquentes quæ non oportet. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias*

Introdusă în format electronic de Google

esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam (ibid.).

Cap. 60. — *Ne feminæ, quarum mariti obierunt, cito se velent. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 5 *(Capitul. lib.* I, *c.* 102).

De feminis quæ viros amittunt, placet ne se (sicut hactenus) indiscrete velent, sed XXX dies post decessum viri sui exspectent, et post tricesimum diem, per consilium episcopi sui, vel si episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum, suorumque amicorum id quod eligere debent, eligant. Et ut rogetur princeps a sacro conventu, ut hi qui publicam egerint pœnitentiam, et feminæ quæ viros amittunt, sua auctoritate donentur, deliberent quid agant, tueantur et specialiter pro his capitula fieri, et legis mundanæ capitulis inserenda decrevimus.

Cap. 61. — *Ut viduitatis professio coram episcopo fiat. Ex concilio Arausic., cap.* 6 *(conc. Araus.* I, *cap.* 27).

(27, *q.* 1, *c. Viduitatis.*) Viduitatis servandæ professionem coram episcopo in secretario habitam, imposita coram episcopo veste viduali non esse violandam. Ipsam autem talis professionis desertricem, merito damnandam esse decernimus.

Cap. 62. — *Ut nullus vetet viduas nubere, si voluerint. Ex concilio Toletano* III, *cap.* 10.

(32, *q.* 2, *c. Hoc sanctum.*) Pro consultu castitatis, quod maxime hortamento concilii proficere debeat, annuente glorioso domino nostro Recaredo rege, hoc sanctum confirmat [affirmat, *orig. et Grat.*] concilium, ut viduæ, quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quod si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio et de virginibus habeatur, nec contra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere. Si quis vero propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, a sancta communione et a liminibus ecclesiæ habeatur extraneus.

Cap. 63. — *Ut viduæ a proposito viduitatis discedentes excommunicentur. Ex epistola sancti Gregorii papæ missa ad Bonifacium (capitul. addit.* 4, *c.* 65 *fusius).*

(27, *q.* 1, *c. Viduas.*) Viduas a proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater charissime, credo te nosse a sancto Paulo et a multis sanctis Patribus, nisi convertantur, olim esse damnatas, quas et nos apostolica auctoritate damnandas, et a communione fidelium, atque a liminibus ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediant suis episcopis, et ad bonum quod cœperunt, invitæ aut voluntariæ revertantur. De virginibus autem non velatis si deviaverint, a sanctæ memoriæ prædecessore nostro papa Innocentio taliter decretum habemus : Hæ vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si nupserint, aliquanto tempore his agenda pœnitentia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet lenæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit solvi sine vindicta non poterit, etc. Nam, si virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis et maturioris sapientiæ atque consilii existunt, virorumque consortio multoties usæ sunt, et habitum religionis assumpserunt, et demum apostataverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ (*II Petr.* II), a nobis et ab omnibus fidelibus a liminibus ecclesiæ et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, et carceribus tradendæ, qualiter juxta B. apostolum Paulum tradentes hujusmodi hominem *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* (*I Cor.* V). De talibus enim et Dominus per Moysen loquitur (*Deut.* XIII), dicens : Auferte malum de medio vestri. De quibus et per Prophetam ait : *Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Psal.* LVII). De talibus namque et eorum similibus, atque eisdem consentientibus dicitur : Quia *non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, rei judicandi sunt (*Rom.* I).

Cap. 64. — *Ut viduæ velatæ ad nuptias non transeant. Ex decretis Gelasii papæ, ad Siculienses episcopos, cap.* 9.

(27, *q.* 1, *c. Neque viduas.*) Neque viduas ad nuptias transire patimur, quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter et virgines nubere prohibemus, quas annis pluribus in monasterio ætatem peregisse contigerit

Cap. 65. — *De vidua quæ sub obtentu religionis velum sibi ad tempus imposuerit. Ex epistola Nicolai papæ, cap.* 5 *(inter rescripta Nic.* I, *tit.* 15, *c.* 1).

(*Dist.* 27, *c. Quod interrogasti.*) Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Adalwino sanctæ Vienn[ensis] [Vinanensis] Ecclesiæ archiepiscopo. Quod interrogasti de femina, quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, et non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, et revertatur ad id quod spopondit, et in sacro ministerio inchoavit. Nam, si consenserimus quod omnia sacramenta ecclesiastica, quisque prout vult fingat, et non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus conturbabitur, nec catholicæ fidei jura consistent, nec canones sacri rite observabuntur. Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum ficte suscipere, et in Christianitate permansurum se finxisse, cum per Apostolum fraude ejus detecta, quid sibi futurum esset prænuntiatum est! Ait enim : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, cor enim tuum non est rectum co-*

Introdusă în format electronic de Google

ram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse (*Act.* VIII). Ideo tales nisi resipiscant, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicuti Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt (*Act.* V).

CAP. 66. — *De viduis et puellis quæ in domibus propriis habitum religionis susceperunt. Ex concilio Toletano* IV, *cap.* 57 (*conc. Paris.* V, *c.* 15, *Capitul. lib.* VII, *c.* 257).

(27, *q.* 1, *c. De viduis et.*) De viduis et puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam a parentibus, quam per se mutaverunt, si postea contra instituta Patrum vel præcepta canonum conjugia crediderint copulanda, tandiu utrique [utræque, *Grat.*] habeantur a communione suspensi [suspensæ, *Grat.*], quo usque quod illicite perpetraverunt, emendent. Quod si emendare neglexerint, a communione et omnium Christianorum convivio in perpetuum sint sequestratæ.

CAP. 67. — *Quod sanctus Gregorius quamdam feminam velatam, quæ sacrum propositum transgressa erat comprehendi jusserit. Ex registro Gregorii ad Vitalianum Sipontinum episcopum* (*lib.* VII *registri, c.* 9).

(27, *q.* 1, *c. Si custos.*) Si custos religiosi habitus fuisses, aut esse nosses episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito, nec projectis religiosis vestibus ad sæcularem reverti habitum, nec ad nos licuisset perversam epistolam destinare. Sed, quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impune commissa est. Nam, sicut præfati sumus, si sollicitus esses, prius ad nos ultio mulieris pravissimæ quam culpa debuit pervenire. Quia igitur tantum hebes, tantumque es negligens, ut nisi canonicam in te fueris coercionem expertus, in aliis districtiorem disciplinam nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus, congrue tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens evigila, et excitatus saltem exsequere, quod pressus nunc usque ignavia distulisti. Instantiæ ergo tuæ sic prædictam mulierem una cum Sergio defensore [nostro, *orig.*] comprehendere, et statim non solum ad male contemptum habitum sine excusatione aliqua revocare, sed etiam in monasterio, ubi omnino districte valeat custodiri, detrudere, et ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, ut quam sit nefarium quod commisit ex tua possit districtione cognoscere. Qua in re si quis (quod non credimus) laicorum aliquo tibi ingenio tentaverit obsistendum, a sanctissimæ eum communionis participatione suspende, nobisque renuntiare festina ut quantum sit exsecrabile quod præsumit, postquam consideratione propria non advertit, emendationis qualitate cognoscat. In his autem omnibus ita cautum ac stude vigilantem te ostendere, ut culpam tuam non geminare neglectus, sed aliquantisper valeat et sollicitudo minuere.

CAP. 68 — *De viduis velatis si voluptatibus carnis inservire accusantur. Ex concilio Meldensi, cap.* 2 (*sub Sergio II, cap.* 70).

Ut illæ quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere videntur, sed potius in deliciis viventes mortuæ in divinis oculis computantur, per provincias discurrentes curiosæ [otiosæ] et verbosæ, si libidinibus cæterisque carnis voluptatibus inservire accusantur, si manifeste detegi potuerint, episcopali auctoritate et regia potestate, in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur, ubi pœnitentiam si fecerint dignam, assequantur etiam fructuosam. Si enim manifeste detegi non valuerint, erga ecclesiam suæ opinionis malam famam canonice purgare cogantur; et ut religiosius de cætero vivant, et in monasteriis conserventur, episcopali decreto et regia potestate coerceantur. De his enim Apostolus dicit : Quæ cum fornicatæ fuerint *in Christo, nubere volunt* (*I Tim.* V).

CAP. 69. — *Ut sacrilegi judicentur, qui se sacris feminis miscuerint. Ex concilio Arelatensi, cap.* 7 (*in fragm.*).

(27, *q.* 1, *c. Sciendum.*) Sciendum est omnibus quod Deo sacratarum feminarum corpora, per votam propriæ sponsionis et verba sacerdotis, Deo consecrata templa esse, Scripturarum testimoniis comprobantur : et ideo violatores earum, sacrilegi ac juxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur (*I Cor.* III).

CAP. 70. — *De his qui sanctimoniales virgines vel viduas rapiunt. Ex concilio Meldensi, cap.* 6 (*cap.* 67).

Qui sanctimoniales virgines, vel viduas rapiunt, et progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ subigantur [juxta modum quibus prævideris episcopus, *orig.*] Ipsæ vero feminæ locis congruis pœnitentiæ retrudantur, et ad habitum religionis redire cogantur. Ipse autem incestuosus sine [uterque autem sine, *orig.*] spe uxoriæ copulationis perenniter maneat, nisi nescisse se velatam expurgare potuerit [*hæc absunt ab orig.*]. Si vero, quod absit ! conjugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ, et amplius propellantur. Quod [qui, *orig.*] si forte obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur.

CAP. 71. — *Quod clerici et laici cum bono testimonio cum sacris puellis loqui debeant. Ex concilio Spalensi, cap.* 10.

Hæc cautela circa omnes servetur, ut laici remoti a peculiaritate virginum, nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum. Nec ipse qui præest cum sola colloqui debet, sed sub testimonio duarum aut trium sororum, ita ut rara sit accessio, brevisque locutio.

CAP. 72. — *Quod mulieres velatæ aut in monasteriis aut in domibus suis habitum observent. Ex decretis Eugenii papæ, cap.* 26.

(27, *q.* 1, *c Mulieres.*) Mulieres obtentu religionis velatæ, aut in monasterio regulariter vivant, aut in domibus suis susceptum habitum caste observent.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 73. — *Ut adolescentiores viduæ, vel sanctimoniales ab episcopo non negligantur. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cap.* 102.

(*Dist.* 81, *c. Ad reatum.*) Ad reatum episcopi pertinet vel presbyteri, qui parœciæ præest, si sustentandæ ab Ecclesia vitæ præsentis causa adolescentiores viduæ, vel sanctimoniales, eorum [clericorum, *orig.*] familiaritatibus subjiciantur.

CAP. 74. — *Ut unusquisque episcopus clericos in suo episcopio vagantes ad suum episcopum redire faciat. Ex concilio Magontiensi, cap.* 19.

Ut unusquisque episcopus in sua parœcia diligenter presbyteros vel clericos inquirat unde sint, et si aliquem fugitivum invenerit ad suum episcopum redire faciat.

CAP. 75. — *Item de clericis vagis. Ex eodem, cap.* 18 (*cap.* 22).

De clericis vagis seu acephalis, id est de his qui sunt sine capite, neque in servitio Domini nostri, neque sub episcopo, neque sub abbate, sed sine canonica vel regulari vita degentes, ut in libro (*Isidor.*) Officiorum secundo, cap. 3 de his dicitur : Hos neque inter laicos, inter sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio retentat divina, sed solutos atque oberrantes sola turpis vita complectitur et vaga ; quique dum nullum metuunt, explendæ voluptatis suæ licentiæ sectantur, et quasi animalia bruta libertate ac desiderio feruntur, habentes signum religionis non religionis officium, hippocentauris similes, nec equi nec homines : tales omnino præcipimus ut ubicunque inventi fuerint, episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonica, et nullatenus eos amplius ita errabundos et vagos secundum desideria voluptatum suarum vivere permittant. Sin autem episcopis suis canonice obedire noluerint, excommunicentur usque ad judicium episcopi [archiep., *orig.*] regionis illius. Sin autem nec illi eos corrigere valuerint, omnino sub vinculis constringantur usque ad synodum, ut eis ibi judicetur, utrum ad judicium principis [domini nostri, *orig.*], an ad universalem synodum deferantur sub custodia publica.

CAP. 76. — *Ut monachæ monastice vivant et canonice, secundum vitam canonicam. Ex eodem concilio, cap.* 13, *cui interfuerunt Carolus imperator, et Richolfus archiepiscopus in claustro Sancti Albani.*

Abbatissas autem cum sanctimonialibus omnino recte et juste vivere censemus. Quæ vero professionem secundum regulam Sancti Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem canonice vivant pleniter, et sub diligenti cura custodiam habeant, et in claustris suis permaneant, nec foras exitum habeant. Sed et ipsæ abbatissæ in monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentia et consilio episcopi sui.

CAP. 77. — *Ut sanctimoniales non egrediantur sine licentia abbatissæ. Ex eodem conc., cap.* 14 (*conc. Cabillon.* II *sub Carolo. Magno, c.* 62).

Sanctimoniales, nisi forte abbatissa sua pro aliqua necessitate incumbente illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur. Hæ vero quæ famulos aut famulas non habent ad exercenda negotia, ad mediam monasterii portam perveniant, et ibi coram testibus negotium suum exerceant.

CAP. 78. — *De feminis quæ propter continentiam assumunt virilem habitum. Ex conc. Gangrensi, cap.* 13.

(*Dist.* 30, *c. Si qua mulier.*) Si qua mulier propter continentiam quæ putatur, habitum mutat, et pro solito muliebri amictum virilem sumit, anathema sit.

CAP. 79.—*De illo qui virginitatem observans, nuptias exsecratur. Ex eodem concilio, cap.* 9.

(*Dist.* 30, *c. Si quis vel.*) Quicunque virginitatem custodiens, aut continentiæ studens, velut horrescens nuptias temerat, nec propter hoc quod bonum et sanctum est, nomen virginitatis assumit, anathema sit.

CAP. 80. — *De feminis quæ propter religionem crines totonderunt. Ex eodem concilio, cap.* 17.

(*Dist.* 30, *c. Quæcunque mulieres.*) Si qua mulier propter divinum cultum ut existimat, crines attondet, quos ei Deus ad subjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit.

CAP. 81. — *De illis qui propter continentiam palliis vestiuntur. Ex eodem, cap.* 12.

(*Dist.* 30, *c. Si quis virorum.*) Si quis virorum, propter continentiam quæ putatur, amictu pallii utitur, quasi per hoc habere se justitiam credens, et despicit eos qui cum reverentia et birris, et aliis communibus et solitis vestibus utuntur, anathema sit.

CAP. 82. — *Ne continens adversus conjugatos extollatur. Ex eodem concilio, cap.* 10.

Si quis ex his qui virginitatem servant propter Deum, extollitur adversum conjugatos, anathema sit.

CAP. 83. — *Quod non sit permittendum monachos et monachas in eodem monasterio simul habitare. Ex registro sancti Gregorii.*

In nullo loco monachos et monachas permittimus unum monasterium habere ; sed nec ea quæ duplicia vocant. Et si quid tale est, religiosus episcopus mulieres quidem in suo loco studeat manere, monachos autem aliud monasterium ædificare cogat. Si autem plurima sint talia monasteria, separentur in aliis monasteriis monachæ, et in aliis monachi. Res autem quas habent communes, secundum jura eis competentia distribuantur.

CAP. 84. — *Episcopi monasteria monachorum et monacharum frequenter visitent. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 3.

Ut episcopus monasteria monachorum et sanctimonialium frequenter introeat, et cum gravibus et religiosis personis in eorum vel in earum conventu residens, eorum vitam et conversationem diligenter discutiat ; et si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimoniarum etiam pudicitiam subtiliter investiget, et si aliqua invenitur quæ neglecto proposito castitatis clerico aut laico impudenter misceatur, acriter verberibus coerceatur, et in privata custodia retrudatur, ubi quod male ad

Introdusă în format electronic de Google

misit digne pœniteat. Interdicat etiam ex auctoritate sanctorum canonum ut nullus laicus aut clericus in earum claustris et secretis habitationibus accessum habeat, neque presbyteri, nisi tantum ad missam. Expleta missa ad ecclesias suas redeant. Omnibus præterea publice et privatim denuntiet, quantum piaculum sit, qui sponsam Christi vitiare præsumit. Si enim ille reus tenetur, qui sponsam hominis violat, quanto magis reus majestatis efficitur, qui sponsam omnipotentis Dei corrumpit?

Cap. 85. — *Ut abbates in potestate episcoporum consistant. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 3 (*Aurel.* I, *c.* 21).

(18, *q.* 2, *c. Abbates.*) Abbates pro humilitate religionis in episcoporum potestate consistant, et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur. (*Et c. Non semel.*) Non semel, sed sæpius in anno episcopi visitent monasteria monachorum, et si quid corrigendum fuerit, corrigatur. Monachi autem abbatibus omni obedientia et devotione subjaceant. Quod si quis per contumaciam exstiterit indevotus, ac per loca aliqua vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit ab abbatibus auferantur, secundum regulam Sancti Benedicti, monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio episcopi tanquam fugaces, sub custodia revocentur et constringantur.

Cap. 86. — *De monachis qui filios procreaverint. Ex dictis Isidori.*

Monachi filios procreantes in carcerem retrudantur tantum facinus continua lamentatione deflentes, ut eis vel ad mortem sola misericordia in communionis gratia possit indulgeri.

Cap. 87. — *De sanctimonialibus quæ vim barbaricam pertulerint. Ex decretis Leonis papæ* (*epist.* 87, *ad episc. Africanos, c.* 2).

De his autem quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulere violentiam, et integritatem pudoris non animo, sed corpore perdidere, ea nobis videtur servanda moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradum, neque in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus observationibus perseverant, et castimoniæ soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio, quia injustum est illas in eo vel argui vel notari, quod non voluntas admisit, sed vis hostilis eripuit.

Cap. 88. — *De quadam abbatissa, quæ se proclamaverat super militibus in claustro suo hospitantibus. Ex registro Gregorii ad Fortunatum episcopum Neapolitanum* (*l.* VII, *ind.* 2, *c.* 107; *alias ep.* 108).

Insinuavit nobis latrix præsentium Agnella abbatissa quod intra monasterium ipsius milites hospitentur. Et omnino de fraternitatis vestræ sollicitudine mirati sumus, cur hoc patienter tulerit, et non illud cum omni celeritate fecerit emendare. Unde hortamur, ut vel nunc studii vestri sit, instanter eis, quorum interest, imminere, quatenus sine aliqua exinde excusatione tollantur, et nullus illic ulterius meatum accipiat, ne callidus hostis occasionem inveniens, de deceptione religiosi habitus (quod absit) valeat exsultare.

Cap. 89. — *Quod res ecclesiasticæ a laicis non sint disponendæ. Ex concilio apud Compendium, cap.* 10.

Synodali decreto sancitum est ne laici vel sæculares de viris Deo dicatis Ecclesiæque facultatibus aliquid ad se putent vel præsumant præter reverentiam pertinere, quorum quarumque sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa esse docetur. Si quis contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

Cap. 90. — *De eodem. Ex eodem concilio, cap* 3.

De viris Deo dicatis, vel ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi, nulla legitur laicis quamvis religiosis unquam attributa facultas.

Cap. 91. — *Ne abbates ad synodum ire cogantur, nisi pro rationabili causa. Ex conc. Turonico, cap.* 11.

(*Dist.* 18, *c. Episcopus, c.* 10.) Episcopus non debet cogere abbatem ad synodum ire, nisi aliqua rationabilis causa consistat.

Cap. 92. — *Ut congregationes monachorum absque consensu episcopi non fiant. Ex concilio Epaonensi cap.* 11 (*et Agath.* 58).

(18, *q.* 2, *c. Cellulas.*) Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

Cap. 93. — *De virginibus sacris quæ parentibus privantur. Ex concilio Africano, cap.* 11 (*et Carth.* III, *c.* 33).

Ut virgines sacræ, si parentibus a quibus custodiebantur privatæ fuerint, ab episcopo custodiantur. Ubi autem episcopus absens est, providentia gravioribus feminis commendetur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagando Ecclesiæ lædant æstimationem [existimat., *orig.*].

Cap. 94. — *Quis sit religiosis feminis præponendus. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 27 (*Carth.* IV, *c.* 97).

(18, *q.* 2, *c. Qui religiosis.*) Qui religiosis feminis præponendus sit, ab episcopo probetur.

Cap. 95. — *Quid sanctimoniales in claustro facere debeant. Ex concilio Magontiensi* (*conc. Cabillon.* II, *sub Carolo Magno, c.* 59).

Sanctimoniales in monasterio constitutæ habeant studium in legendo, et in cantando, et horas canonicas solemniter pariter celebrent, et omnes, exceptis quas infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, et omnibus diebus ad capitulum et ad collationem veniant, et regulam a sanctis Patribus illis constitutam diligenter observent.

Cap. 96. — *Ut nullus claustra sanctimonialium ingrediatur, nisi ad opera exercenda. Ex eodem conc., cap.* 16 (*conc. Cabillon.* II).

Nullus vassus abbatissæ, aut minister aliquis nec clericus, nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi forte quando necessitas operandi incumbit.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 97. — *Ut janitrix non eligatur, nisi boni testimonii. Ex eod. cap.* 11 (*conc. Cabillon.* II, *c.* 64).

Portaria non eligatur, nisi quæ ætate matura sit, et testimonium habeat bonum, et vitæ probabilis sit.

Cap. 98. — *Ut abbatissa nisi per licentiam sui episcopi, e monasterio non egrediatur. Ex concilio Gangrensi, cap.* 8 (*conc. Cabillon.* II, *c.* 57).

Abbatissa, quæ in civitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui. Et si quando foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit curam maximam habeat, ut nulla eis detur occasio peccandi.

Cap. 99. — *Ut nullus abbas duobus monasteriis præsit. Ex conc. Arausic., cap.* 54 (*conc. Agath., c.* 57).

(21, *q.* 1, *c. Unum.*) Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.

Cap. 100. — *Ut monachi vel monachæ compatres non habeant. Ex concilio Augustodunensi, cap.* 5.

Ut monachi et monachæ compatres habere non præsumant.

Cap. 101. — *Quod feminæ in conventu docere non possint. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 1 (*conc. Carth.* IV, 99).

(*Dist.* 22, *c. Mulier.*) Mulier quamvis docta, in conventu docere non audeat.

Cap. 102. — *Quod feminæ pœnitentiam dare non possint, nec inter sacerdotes in convivio sedere. Ex conc. Remensi, cap* 5, *præsente Ludovico imper.*

Femina non det pœnitentiam nec corporale cum oblatione, nec calicem super altare ponat, nec inter ordinatos stet in ecclesia, nec sedeat inter sacerdotes in convivio.

Cap. 103. — *De mulieribus virorum causas discutientibus. Ex concilio Nannetensi, cap.* 8 (*sub Formoso, c.* 19).

Cum Apostolus dicat : *Mulieres in ecclesia taceant non enim permittitur eis loqui : turpe est enim mulieri in ecclesia loqui* (*I Cor.* XIV) : loqui; mirum videtur quod quædam mulierculæ contra divinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia et publicos conventus indesinenter adeant, et negotia regni utilitatesque reipublicæ magis perturbent, quam disponant : cum indecens sit, et etiam apud barbaras gentes reprehensibile mulieres virorum causas discutere, et quæ de lanificiis suis operibus textilibus et muliebribus, inter genitiarias suas residentes debuerant disputare, in conventu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi usurpant auctoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quam feminis. Unde, quia divinæ leges, ut supra monstratum est, hoc contradicunt, et humanæ nihilominus idipsum prohibent, ut feminæ nihil aliud prosequantur in publico, quam suam causam : ait enim lex Theodosiana : Nulla ratione feminæ amplius quam suas causas agendi habeant potestatem, nec alicujus causam a se noverint prosequendam, idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, ut nulla sanctimonialis virgo vel vidua conventus generales adeat, nisi a principe fuerit evocata, aut ab episcopo suo, nisi forte propriæ necessitatis ratio impulerit, et hoc ipsum cum licentia et nuntio [et nun. *desunt in origin.*] episcopi sui.

Cap. 104. — *Quod abbas pro humilitate locum suum relinquere possit. Ex concilio Magontiensi, cap.* 18.

(18, *q.* 2, *c. Abbas potest.*) Abbas potest pro humiliatione, et cum permissione episcopi locum suum deserere [derelinquere]. Tamen fratres eligant sibi abbatem de ipsis, sin autem de extraneis. Nec episcopus debet abbatem violenter retinere in loco suo. Congregatio debet sibi eligere abbatem post mortem abbatis sui, vel eo vivente, si ipse discesserit, vel peccaverit. Ipse enim non potest aliquem ordinare de suis propinquis, vel amicis, sine voluntate fratrum.

Cap. 105. — *Quod laicus in ecclesia lectionem recitare non possit. Ex eodem, cap.* 9 (*inter Herardi Tur. arch. capitula, c.* 136).

Laicus non debet in ecclesia lectionem recitare, nec Alleluia dicere, nisi psalmos tantum et responsoria, sine Alleluia.

Cap. 106. — *Quod non liceat episcopo rem monasterii abstrahere. Ex eodem concilio, cap.* 20.

(16, *q.* 6, *c. Episcopo.*) Episcopo non licet tollere possessionem monasterii, quamvis abbas peccaverit; sed mittat eum in aliud monasterium in potestatem alterius abbatis.

Cap. 107. — *Ne monachi placita sæcularia adeant. Ex eodem concilio, cap.* 21 (*conc. Magunt.* I, *c.* 12; *c.* 65 *Regulæ S. Benedicti*).

Ac deinde decrevimus, sicut sancta regula dicit, ut monasterium ubi fieri possit, per decanos ordinetur : quia illi præpositi sæpe in elationem incidunt, et in laqueum diaboli (*I Tim.* III). Hoc tamen omnino volumus ut non monachi ad sæcularia placita ullatenus veniant neque ipse abbas sine licentia episcopi sui : et cum necessitas exigit, tunc per jussionem et consilium episcopi sui illuc vadat. Nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas ibi movere præsumat, sed quidquid quærendum vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat. Abbates et monachi usque ad interrogationem silentium habeant et cum interrogantur cum humilitate et reverentia respondeant; alias querelas omnino devitent. In eorum claustro permaneant, nullusque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab abbate mittatur in obedientiam, nec foras manducet neque bibat sine permissione abbatis, nec ad convivia sæcularia vadat.

Cap. 108. — *Quæ sint sæcularia negotia. Ex eodem, cap.* 22 (*ibid., c.* 14).

Ministri autem altaris Domini vel monachi, nobis placuit, ut a negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia sæcularia; de his tamen pauca perstringamus, ad quæ pertinet omnis libido, non solum immunditia carnis, sed etiam omnis carnalis concupiscentia. Quidquid plus justo appetit homo, turpe lucrum est. Munera iniusta ac-

Introdusă în format electronic de Google

cipere vel etiam dare, pro aliquo sæculari conquestu, pretio aliquem conducere, contentiones, lites et rixas amare, in placitis sæcularibus disputare excepta defensione orphanorum aut viduarum, conductores aut procuratores esse sæcularium rerum, turpis verbi vel facti jaculatorem [jocularem] diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in deliciis vivere velle, gulam et ebrietatem sequi, pondera injusta vel mensuras habere, negotium injustum exercere. Nec tamen justum negotium est contradicendum, propter necessitates diversas, quia legimus sanctos apostolos negotiasse, et in Regula Sancti Benedicti (*cap.* 57) præcipitur prævidere, per quorum manus negotium monasterii transeat. Canes et aves sequi ad venandum, et in omnibus quibuslibet causis superfluum esse. Ecce talia, et his similia ministris altaris Domini nec non et monachis omnino contradicimus, de quibus dicit Apostolus : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II).

CAP. 109. — *De clericis vel monachis injuste tonsuratis. Ex eodem conc., cap.* 23.

De clericis vero hoc statuimus, ut hi qui hactenus inventi sunt, sive in canonico, sive in monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant; et deinceps cavendum ut nullus tondeatur nisi legitima ætate, et spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui, vel consensu parentum.

CAP. 110. — *Ut episcopi vel abbates turpes jocos ante se fieri non permittant. Ex eodem, cap.* 24 (*conc. Rem.* I, *c.* 17).

Ut episcopi vel abbates ante se joca turpia fieri non permittant, sed pauperes secum ad mensam habeant, et lectio divina ibi personet, et sumant cibum cum benedictione et laude Domini secundum Apostolum : *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laudem Dei faciatis* (*I Cor.* X).

CAP. 111.— *De illis qui ab episcopis seu ab aliis seducti se totonderunt. Ex eodem, cap.* 23 (*Cabillon.* II, *c.* 17).

(16, *q.* 7, *c. Constituit sane.*) Constituit sane sacer iste conventus ut episcopi sive abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam et turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, et res illorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius subripuerunt, pœnitentiæ canonicæ sive regulari (utpote turpis lucri sectatores) subjiciantur. Hi vero qui vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, comam deposuerunt, in eo quod cœperunt perseverare cogantur. Res namque quæ ab illectis et negligentibus datæ, ab avaris et negligentibus non solum acceptæ, sed raptæ noscuntur, hæredibus reddantur qui dementia parentum, et avaritia incentorum exhæredati esse noscuntur. Si vero nescientibus episcopis aut abbatibus, ministri eorum quilibet, videlicet in clero hoc fecisse convincuntur, episcopi et abbates de desidia, illi vero rapacitate et avaritia judicentur. Hoc vero quod quis Deo juste et rationabiliter de rebus suis offert, firmiter Ecclesia tenere debet.

CAP. 112.— *Ut abbatissa magnam curam habeat de congregatione sua. Ex eodem, cap.* 26 (*ibid., c.* 54).

Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, et provideat ut in lectione et in officio et in modulatione psalmorum, ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, et in omnibus bonis operibus illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem reddituræ (*Hebr.* XIII) in conspectu Domini, et stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi aut potus peccare compellantur.

CAP. 113.— *Ut sanctimoniales in domibus suis cum masculis manducare vel bibere non præsumant. Ex eodem, cap.* 27 (*ibid., c.* 61).

Non debere sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis clericis sive laicis, consanguineis sive extraneis, bibere sive comedere, sed, si quando id agendum est, in auditorio agatur. Et cum nullo masculo colloquium eis habere liceat, nisi in auditorio, et ibi coram testibus idoneis.

CAP. 114.— *Qualiter indignus abbas deponendus sit. Ex concilio Triburiensi, cui interfuit Arnulphus rex, cap.* 15.

(31, *q.* 1, *c. Si quis abbas.*) Si quis autem abbas cautus in regimine, humilis, castus sobriusque, misericors, discretus non fuerit, ac divina præcepta verbis et exemplis non ostenderit, ab episcopo, in cujus territorio consistit, et a vicinis abbatibus, et cæteris Deum timentibus, a suo deponatur [arceatur] honore, etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens, abbatem eum sibi habere voluerit.

CAP. 115.— *Quid agendum sit clericis qui tonsuram dimiserunt, et uxores duxerunt. Ex eodem concilio, cap.* 16.

Clericus si tonsura dimissa uxorem acceperit qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium aliquod a parentibus traditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita sua tonsuram negligere audeat. Quem autem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia cœperit cantare, et legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit; sed, si discesserit, reducatur; si tonsuram dimiserit, rursum tondeatur. Uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur.

CAP. 116.— *De puellis quæ se ante legitimos annos sua sponte sacræ religioni tradiderunt. Ex eodem concilio, cap.* 24.

(20, *q.* 2, *c. Puella.*) Puella si ante duodecim annos ætatis suæ sponte sua sacrum sibi velamen assumit, possunt statim parentes vel tutores ejus id factum irritum facere si volunt. At si annum et diem id dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi mutare hoc poterunt. Porro, si in fortiori ætate adolescentula vel adolescens Deo servire elegerint, non est potestas parentibus hoc prohibendi.

CAP. 117. — *Ut qui voluerit, filiam aut neptem seu*

Introdusă în format electronic de Google

parentem suam Deo offerat. Ex eodem concilio, cap. 6.

Quicunque filiam suam aut neptem vel parentem suam Deo omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat. Sin autem virum accipiat, domi infantes suos nutriat, et non alias infra monasterium mittere nutriendi gratia præsumat, nisi eam quam firmiter in ipso loco in Dei servitio perseverare voluerit, secundum statuta sanctorum Patrum, seu secundum canonicam auctoritatem.

Cap. 118.— *Ut nullus filium suum vel parentem in monasterio puellarum nutriendos ponat. Ex eodem concilio, cap.* 7.

Omnino prohibemus, ut nullus filium, aut nepotem, vel parentem suum in monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat, nec quisquam ullum ibi suscipere præsumat.

Cap. 119.— *Ne abbas mulieres monasterium ingredi, aut festivitates ibidem spectare permittat. Ex concilio Urbico.*

Si abbas mulierem in monasterium suum ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibidem spectare, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur, pane et aqua tantum contentus.

Cap. 120.— *Quod virginitas voluntaria sit, non ex lege vel imperio. Ambrosius in libro exhortationis ad virgines (post initium).*

(23, *q.* 2, *c. Integritas.*) Integritas corporis expetenda a nobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quam præcepti.

Cap. 121.— *De eadem re. Beda, De tabernaculo (lib* III, *c.* 9).

Aaron octo vestibus induebatur; feminalibus videlicet lineis, tunica linea, hyacinthina, superhumerali, rationali, balteo, tiara, petalo aureo; filii vero ejus quatuor tantum ex his, id est feminalibus, linea stricta, cingulo et tiara utebantur. Verum quia de cæteris supra tractatum est, feminalia hæc quæ ad operiendam carnem turpitudinis filiis Aaron dantur, illam [carnis turpitudinem fieri mandatur, illam, etc. *orig.*] castimoniæ portionem, quæ appetitum [ab appetitu, *orig.*] copulæ conjugalis proprie cohibet, designant : sine qua nemo vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris potest ministerium consecrari, id est nisi aut virgo permanserit, aut cum uxore conjunctionis fœdera solverit. Quod videlicet genus virtutis nulli per legem Dei necessario imperatum, sed voluntaria est devotione Domino offerendum : dicente ipso de hoc : *Non omnes capiunt verbum istud* (*Matth.* XIX). Ad quam tamen benigna mox exhortatione eos qui possunt, invitat dicens : *Qui potest capere capiat* (*ibid.*). Et paulo post, eisdem qui vel uxorem, vel alios cognatos, et hujus mundi implicamenta propter ipsum reliquerint, centuplum promittit in hac vita præmium, et in sæculo futuro vitam æternam (*ibid.*). Unde certe gratia distinctionis non Moyses hoc indumento vestire Aaron fratrem suum, et filios ejus cum eo jubetur, sicut de prioribus dicitur : *Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, et filios ejus cum eo : Sed facies,* inquit, *feminalia linea, ut operiant carnem* (*Exod.* XXVIII). Ipsi, inquit, operiant carnem turpitudinis suæ. Tu feminalia pontifici, et filiis ejus facies, tu regulam castitatis docebis, tu abstinendum ab uxorio complexu eis qui sacerdotio functuri sunt, intimabis. Nulli tamen violentum hujusmodi continentiæ jugum impones, sed quicunque sacerdotes fieri, ac ministerio altaris inservire volunt, ipsi sua sponte uxorum servi esse desistant. Quod ubi perfecerint, susceptoque semel continentiæ proposito, ministros se sanctuarii atque altaris fore consentiunt, ut erit lex divina, quæ velut cæterum illius habitum [velut illius habitum] sacerdotibus congruum imponens, quomodo vivere vel docere debeant, abundanter instituat, congaudensque spontaneæ ipsorum devotioni dignum sacerdotio decus sapientiæ, patientiæ, mansuetudinis, zeli spiritualis, humilitatis, misericordiæ, timoris Domini, cæterorumque hujusmodi ornamentorum superaddat, alioquin iniquitatis rei moriuntur. Mortem namque certissimam incurrit animæ, si quis, luxuriose vivens, sacerdotalem sibi usurpare gradum præsumit.

Cap. 122. — *Quid agendum sit de monachis uxores ducentibus. Gregorius Antonio subdiacono* (*lib.* I *regist., c.* 40).

(27, *q* 1, *c. Et quia aliquos.*) Quia aliquos monachorum usque ad tantum nefas prosiluisse cognovimus, ut uxores publice sortiantur, sub omni eos vigilantia requiras, et inventos coercitione debita in monasteriis quorum monachi fuerant, retransmittas. Sed et de clericis ad monachatum venientibus, sicut supra diximus, peragere non omittas.

Cap. 123.— *Qualiter monachæ pœnitere debeant in adulterium delapsæ. Gregorius Januario episcopo Caralitano* (*regist. lib.* III, *c.* 6, 9).

(27, q. 1, *Si qua monacharum.*) Si qua monacharum vel per anteriorem licentiam, vel per impunitatis pravam consuetudinem ad lapsum adulterii deducta est, aut in stupri fuerit perducta voraginem, hanc post competentis severitatem vindictæ, in aliud districtius virginum monasterium in pœnitentiam redigi volumus, ut illic orationibus atque jejuniis vacet, et sic pœnitendo proficiat, et metuendum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autem qui cum hujusmodi feminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, communione [omni com., *orig. Paris.*] privetur, si laicus est : si vero clericus est, a suo quoque remotus officio, pro suis continue lugendis excessibus in monasterium detrudatur.

Cap. 124.— *Quod corruptio velatæ virginis pro incestu reputatur. Hieronymus contra Jovinianum, libro primo.*

Si nupserit virgo, non peccavit (*I Cor.* VII), non illa virgo quæ se semel Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit (*I Tim.* V). Si autem hoc de viduis dictum objecerit, quanto magis de virginibus prævalebit, cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuerat? Virgines enim, quæ post conse-

Introdusă în format electronic de Google

crationem nupserint, non tam adulteræ sunt quam A incestæ.

CAP. 125. — *Quid agendum sit de iis, si lapsi fuerint monachi vel monachæ. Pelagius Secundino defensori.*

Quicunque de his qui Ecclesiæ militare videntur, vel in habitu (ut dictum est) monachorum, monacharum ita inveniuntur inhærere consortiis, ut aliqua turpis ex eis (quod absit) possit esse suspicio, te exsequente Secundino præsententur episcopo, ut canonica in eis possit vindicta procedere.

CAP. 126. — *De eodem. Idem Severino.*

Jurasti nobis (quod negare non potes) te Julianam, cujus nec habitum nec consecrationem veritus, Deo in correptione ipsius injuriam irrogas, ut si cognosceres quia revera a te vellet discedere, mox eam B nobis tu ipse deduceres.

CAP. 127. — *De virginibus quæ, cum masculis in eodem lecto deprehensæ, corruptionem non fatentur. Cyprianus ad Pomponium de virginibus* (*lib.* I *ep.* 11 [al., *epist.* 62]).

Legi [legimus, *orig.*] litteras tuas, frater charissime, quas per Paconium fratrem nostrum misisti, postulans et desiderans ut tibi scriberemus quid nobis de his virginibus videatur quæ cum semel statum suum continenter ac firmiter tenere decreverint, detectæ sunt postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis; ex quibus unum diaconum esse dicis. Plane easdem quæ se cum viris dormisse confessæ sunt, asseverare non decet se integras esse. Circa quam rem quoniam consilium nostrum desiderasti, etc. (*Ibidem paulo post.*) Primum igitur, frater charissime, et præpositis et plebi nihil aliud elaborandum est, quam ut Deum timeamus, nec patiamur errare fratres nostros, nec virgines cum masculis habitare : non dico simul dormire, sed nec simul vivere. (*Post aliquot versus.*) Quando et sexus infirmus et ætas adhuc lubrica, per omnia frenari a nobis et regi adhuc debeat, ne diabolo insidianti ad nocendum detur occasio, quia graves multorum ruinas hinc fieri videmus, et per hujusmodi illicitas et perniciosas conjunctiones corrumpi plurimas virgines conspicimus. Quod si se ex fide Christo dicaverunt pudice et caste sine ulla fabula perseverent; ita fortes et stabiles præmium virginitatis exspectent. Si autem pro præmio virginitatis perseverare D nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam igne delicti sui [in ignem delictis suis *orig.*] cadant, et certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. (*Post pauca.*) Nec aliqua putet se excusatione defendi, quod inspici et probari potest an virgo sit, cum et manus obstetricum et oculus sæpe fallatur, et si incorrupta fuerit inventa virgo ea parte qua mulier potest esse, poterit tamen et ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, et tamen inspici non potest. Certe et ipse concubitus, ipse complexus, ista confabulatio, ista duorum jacentium turpis et fœda dormitio, quantum dedecoris et criminis confitentur?

CAP. 128. — *Item de examinatione virginum quæ in uno lecto cum masculis jacuerunt. Idem (ibidem).*

Consulte fecisti, frater charissime, abstinendo diaconum, qui cum virgine mansit, sed et cæteros qui cum virginibus dormire consueverunt. Quod si pœnitentiam illiciti concubitus sui egerunt, et a se invicem recesserunt, inspiciantur interim virgines ab obstetricibus diligenter, et si virgines inventæ fuerint, in accepta communione [acc. communicatione in ecclesiam, *orig.*] admittantur; hac tamen interminatione, ut si ad eosdem masculos postmodum reversæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo, et sub eodem tecto simul habitaverint, graviori censura ejiciantur; nec in ecclesiam postmodum facile recipiantur. Si autem de eis aliqua fuerit corrupta, et deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est. Et ideo æstimato justo tempore postea exomologesi facta ad ecclesiam redeat. Quod si obstinate perseverant, nec ab invicem se separant, sciant se cum hac impudica obstinatione nunquam a nobis admitti in ecclesia posse.

CAP. 129. — *Ad regem Anglorum de prohibendo matrimonio sanctimonialium et consanguinearum. Bonifacius martyr Hileribaldo* [*Hiltribaldo.* Vict.] *regi Anglorum.*

Si (quod absit), ut multi dicunt, nec legitimam accepisti uxorem, nec castitatis abstinentiam pro Deo servasti, sed libidine dominante in scelere luC xuriæ et adulterii, famam gloriæ tuæ coram Deo et hominibus confuderis', in hoc valde contristamur, quia et in conspectu Dei flagitium, et coram hominibus famæ confusio esse dignoscitur, et adhuc quod pejus est qui nobis narrant adjiciunt quod hoc scelus ignominiæ, maxime cum sanctimonialibus et Deo sacratis virginibus per monasteria commissum sit. Nam hoc peccatum non dubium est esse duplex peccatum, ut verbi gratia dicamus, cujus vindictæ reus sit puer apud dominum suum, qui uxorem domini sui adulterio violaverit : quanto magis ille, qui sponsam Creatoris Christi cœli et terræ putredine suæ libidinis commaculavit? *Item.* Apud Græcos et Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui in hoc reus sit, ut proprie de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, si reus inventus fuerit, ut cum velata et consecrata nonna concubuisset, ab omni gradu sacerdotum Dei prohiberetur. Propter hoc, fili charissime, sollicite considerandum est quanti ponderis hoc peccatum esse judicetur ante oculos æterni Judicis, quod faD cientem inter idololatriæ servos constituit, et divino ministerio altaris abjicit, licet ante peracta pœnitentia reconciliatus sit Deo.

CAP. 130. — *Quod major sit incestus sanctimonialium, quam adulterium. Joannes quartus* [*octavus*] *Bulcredo regi Saxonum.*

Quoniam, sicut audivimus, fornicationis in vobis peccatum maxime regnat, eo quod sanctimoniales et Deo jam devotas feminas, atque de propria con-

Introdusă în format electronic de Google

sanguinitate homines regni vestri, ultra sancti Gregorii statutum novello tunc populo necessario mandatum, uxores ducere præsumant; quod nimirum scelus graveque delictum, his apostolatus nostri litteris, omnes qui sub jure vestro existunt, tam laicos quam clericos, amodo et deinceps cavere, ac propriam de factis pœnitentiam dignam peragere, et ultra talia nunquam committere monemus, hortamur atque præcipimus. Quod si vobis hoc impium emendare fortasse grave videtur, pro quo talia sustinetis adversa, nostræ paternitati vestris innotescite litteris, ut apostolicæ sedis eos qui tali nefando operi enerviter subjacent, corripiamus, et modis omnibus aggravemus [arguamus. *Vict.*] decretis.

CAP. 131. — *De excommunicatione ejus qui velatam duxerat. Stephanus omnibus episcopis per Italiam.*

Vestræ fraternitati fortasse non manet incognitum, qualiter Giseltruda relicta quondam Petri, Deo contempto, et sacro velamine relicto, cum Winnigildo cognato suo (quod valde dolendum dicimus), stuprum est operata. Unde nos, hoc audito, quia magis ac magis tale nefandissimum scelus deleri voluimus, et ita statuere ne aliis exemplum tribuatur, eos utrosque ad satisfactionem vocavimus, et sæpe ut venirent, et a tali impio scelere resipiscerent, monendo, ad nos venire decrevimus. Qui quoniam venire nolentes, sed in eadem inobedientia perseverantes, monita nostra pro nihilo duxerunt, ideo illos canonico conventu celebrato excommunicavimus, et nisi ad veram satisfactionem accurrere studuerint, perpetuo anathemati commisimus.

CAP. 132. — *De eodem. Honorius papa Joanni episcopo, et Gaudio notario Campaniæ.*

Præsentium lator, interclusa voce, et suspiriis atque gemitibus, lacrymisque indesinentibus supplicatione sua nobis exorsus est, eo quod quidam illic alumnus filiam supplicantis in sacris vestibus constitutam assiduitate sua decepit, quoadusque in stuprum corporis adulterio perpetrato deciderit, ita ut post compertum flagitium, in opprobrio totius generalitatis illic commorantis, ipse perditissimus conversetur, atque omissa insecutione huc usque quorumdam forsitan patrocinio eumdem ipsum impunitum servari. Unde dilectio tua divino zelo succensa, jurisdictioni competenti imminere non desinas [*forte* desinat], quousque perpetrator sceleris quæstioni communi et severissimo præsentatus examini, ultimi supplicii pœnam suscipiat, ne retardata in eum animadversione, divini judicii in plurimos propagetur sententia.

CAP. 133. — *De pœnitentia sacratæ virginis, si lapsa fuerit. Nicolaus papa Carolo archiepiscopo, et ejus suffraganeis.*

Feminæ quæ sacro sunt consecratæ velamine, si fuerint (quod nolumus) fornicatæ, velamen deponere non præsumant, sed pœnitentiæ jugo submissæ, summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ et remissionis valeant gratiam pervenire.

CAP. 134. — *Quod corruptio sacratæ virginis sacrilegium sit, Ambrosius ad virginem lapsam*

(*Cap.* 9, *Quod est in corruptorem virginis.*) O fili serpentis, minister diaboli, violator virginis, id est templi Dei, qui in uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique et sacrilegium. Sacrilegium plane, ubi vas Christo oblatum, Deo dicatum, dementi temeritate polluisti.

CAP. 135. — *Lamentatio violatæ virginis pœnitentis. Item.*

(*Ibidem*, *c.* 10.) Accipe lamentum, et primum quidem nullo die quinquagesimus psalmus intermittatur, quia in negotio tali cantatus est, et usque versiculum illum : *Cor contritum et humiliatum Deus non* spernit, tum lacrymis gemituque percurrens, insuper etiam hanc lamentationem non sine compunctione cordis in conspectu Dei judicis funde: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum* (*Jer.* IX), ut defleam vulnera animæ meæ? Conversi sunt dies festi mei in luctum, et cantica in lamentationem : Recessit sonus hymnorum et lætitia psalmorum, et successit stridor dentium et fletus oculorum. *Obmutui et* humiliata *sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII). *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV). Abyssus me circumdedit, postremo mersit caput meum, in fissuras montium. Heu me! quia facta sum sicut Sodoma et combusta sum sicut Gomorrha (*Gen.* XIX). Quis miserebitur cineres meos? Durius offendi quam Sodoma, quia illa legem nesciens deliquerat, ego autem accepta gratia peccavi, Domino. *Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat* (*I Reg.* II). Ego, quæ peccavi in Dominum, quem propitiatorem inveniam? Concepi dolorem, et peperi iniquitatem, lacum aperui et offendi eum, et incidi in foveam quam feci. Ideo conversus est dolor meus in capite meo, et in vertice meo iniquitas mea descendit (*Psal.* VII). Immunditia mea ante pedes meos; non fui memor novissimorum, et cecidi mirabiliter, nec est qui consoletur. O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! Quomodo facta sum in desolationem! (*Psal.* LXXII), subito defeci, perii propter iniquitatem meam, velut e somno exsurgens, ideo in civitate Domini nullificata est imago mea. Deletum est de libro nomen meum, facta sum sicut noctua in domicilio, sicut passer unicus in ædificio (*Psal.* CI): non est qui consoletur me. Considero a dextris, et video, et non est qui agnoscat me. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI). *Factus sum sicut vas perditum, audivi vituperationem omnium circa me habitantium* (*Psal.* XXX). Væ diei illi in quo me infelix genuit pater, et lux ista crudelis excepit! Oportuerat me non fuisse natam quam sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio facta est omnibus famulis Domini, et confugæ colentibus. Lugete, montes et colles, lugete, factus

Introdusă în format electronic de Google

et flumina, quia fletus filia ego sum. Lugete me, silvarum bestiæ, reptilia terræ, et volucres cœli, et omnis anima quæ vita frueris. Nam, vos beatæ feræ et volucres cœli, quibus nullus metus ab [de] inferis, neque post mortem reddenda est ratio. In nos manet pœna crudelis tartari, qui habentes sensum deliquimus, ideo *non est pax peccatoribus* (*Isa.* LVII). (79) Meum peccatum, mea iniquitas non sunt consimilia offensæ hominum, quia impietas est, carnem pollicitam servare virginem, et castam, professa publice mentita sum Domino. Ideo non est mihi fiducia invocandi Dominum altissimum, quia *obstructum est os* delinquentium (*Psal.* LXII). Nam meum malum Propheta cecinit, quod *qui se elongant a Domino peribunt, disperdit omnem fornicantem* a se (*Psal.* LXXII). Et iterum : *Adhæsit lingua mea faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me* (*Psal.* XXI). Verumtamen clamabo ad Dominum Deum, dum adhuc tempus est, dum datur spatium, quia in morte non est memoria, et in inferno non est confessio (*Psal.* VI). *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et nec est sanitas in carne mea. A vultu iræ tuæ, non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me. Computruerunt, et deterioraverunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.* Miseris afflicta sum et curvata sum *usque in finem*, rugio *a gemitu cordis mei. Cor meum conturbatum est intra me, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). *Deus, repulisti me, et destruxisti me, ostendisti* mihi *dura, potasti* me *vino compunctionis* (*Psal.* LIX). Expulsa sum ab oculis tuis, jam non adjiciam ut resurgam ad templum sanctum tuum, et facta sum in exterminio (*Isa.* XXIV; *Psal.* XL). *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* (*Psal.* XXIX). *Nunquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt?* (*Psal.* LXXXVII). Tuus sermo, tua promissio est : Nolo mortem peccatoris, sed convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII). Ad te, Deus, mea conversio, qui solus potes novare omnia : et ab inferis animas revocas. Tu solvis compeditos et allisos erigis, cæcos illuminas, mortuos suscitas (*Psal.* CXLV). Erravi sicut ovis perdita, require famulam tuam (*Ps.* CXVIII), ne lupus crudelis glutiat me. *Multi dicunt animæ meæ : Non est illi salus in Deo ejus* (*Psal.* III). Sed tuum consilium tecum est. *Quot sunt dies* famulæ tuæ, *quando facies* meum judicium? *Defecit anima mea in salutari tuo, oculi mei* in lacrymis *defecerunt* (*Psal.* CXVIII); effusa est in terra gloria mea. Quando respiciens restitues animam meam? (*Psal.* XXXIV). *Propter iniquitatem corripuisti* me, *et tabescere fecisti sicut araneam, animam meam* (*Psal.* XXXVIII). Memento, Domine, quia pulvis sum (*Psal.* CII). *Vide humilitatem meam et laborem meum : et dimitte omnia peccata mea* (*Psal.* XXIV). *Remitte mihi ut refrigerer prius quam abeam, et amplius non ero* (*Psal.* XXXVIII). Nec in inferno erit redemptio (*Job* IX). Potens es, Domine, conscindere saccum meum, et præcingere me lætitia (*Psal.* XXIX). Potens es Domine vincula mea dirumpere (*Psal.* CXV), quibus ligata sum atque constricta. Iram tuam, Domine, aufer a me (*Psal.* LXXXIV), quia peccavi tibi crudeliter, donec justifices causam meam, et educas me in lumine, Deus virtutum. Da pœnitentiæ effectum, pœnitentiæ perseverantiam, ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi dona, hanc gratiam de tuo fonte præstare digneris. Qui vivis et regnas in Trinitate in sæcula sæculorum.

CAP. 136. — *De accusatione virginis. Epistola Ambrosii ad Syagrium episcopum Veronensem* (*Epistolarum lib.* VIII, *ep.* 64, *vel lib.* VI, *ep.* 46.)

Si habuisset probationes nunquam inspectionem genitalium virginis tua sententia flagitasset. Quid ergo sibi velit, et quo spectet quod obstetricem adhibendam credideris, non possum advertere. Itane ergo liberum erit accusare omnibus, et cum probationes destiterint, patebit ut genitalium secretorum petant inspectionem, et addicentur sacræ virgines semper ad hujusmodi ludibria quæ et visu et nec auditu horrori et pudori sint? *Item, ibidem.* Virgo Domini suis est nexa fulcris, ad sui probationem; nec alienis dotibus eget, ut se virginem probet, et nec abditorum occultorumque inspectio, sed obvia omnibus modestia astipulatur integritati. *Item, ibidem.* Illud non arbitror justum, quod tuis comprehendisti litteris, quia nisi inspecta fuerit, virginitas [integritas, *orig.*] periclitetur et incerta [incerto *orig.*] sui fluctuet. Ergo omnes quæ inspectæ non sunt, periculum subierunt pudoris. Ergo et quæ nupturæ sunt, prius inspiciantur ut nubant. Probatiores ergo quæ velandæ sunt, prius subjiciendæ sunt huic attrectationi? etc.

CAP. 137. *Non posse corpus corrumpi, nisi prius corruptus sit animus. Ambrosius, de virginibus, lib.* II.

(32, *q.* 5, *c. Tolerabilius.*) Tolerabilius est mentem virginem, quam carnem habere. (*Post pauca.*) Utrumque bonum, si liceat; si non liceat, saltem non homini casti, sed Deo simus. Virgo prostitui potest, adulterari non potest. Ubicunque Dei virgo est, Dei templum est; nec lupanaria infamant castitatem, sed etiam castitas loci abolet infamiam.

CAP. 138. — *De eodem. Ambrosius de lapsu virginis consecratæ* (*c.* 4. *ad virginem lapsam*).

(32, *q.* 5, *c. Revera.*) Revera non potest caro ante corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta.

CAP. 139. — *Quod non polluitur corpus ubi integer est animus. Augustinus, De civitate Dei libro primo, cap.* 18.

(32, *q.* 5, *c. Ita ne aliquem.*) Ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Non polluet, si aliena erit;

(79) *Ambros. hodie sic habet.* Meum est peccatum, mea iniquitas. Non sunt similia offensa hominum : quia horribilis hæc impietas est, carne pollicita servare virginem, et castitatem professa publice, etc.

Introdusă în format electronic de Google

si autem polluet, aliena non erit. Sed, cum pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem qua potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire decernat. Nullus autem magnanimus et pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat, sed tantum quid annuat mente, vel renuat : quis tandem sana mente putaverit se perdere pudicitiam si forte in apprehensa vel oppressa carne sua exerceatur et expleatur libido non sua? *Item, ibidem, post pauca.* Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia suæ continentiæ. An vero si aliqua femina mente corrupta, violatoque proposito quod Deo voverat, pergat vitianda ad suum deceptorem, adhuc eam pergentem sanctam vel corpore dicimus, ea sanctitate animi per quam corpus sanctificabatur amissa atque destructa? Absit hic error; et hinc potius admoneamur, ita amitti corporis sanctitatem, etiam intacto corpore. *Item, ibidem* (*cap.* 19.) Lucretiam matronam nobilem veteremque Romanam pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Hujus corpore cum violentus [violenter oppresso, *orig*], Tarquinii regis filius libidinose potitus esset, illa scelus improbissimi juvenis marito Collatino et propinquo Bruto viris clarissimis et fortissimis indicavit, eosque ad vindictam constrinxit. Deinde fœdi in se commissi ægra atque impatiens, se peremit. Quid dicemus? Adultera hæc, an casta dicenda est? Quis in hac controversia laborabit? Egregie quidam ex hoc, et veraciter declamans ait: Mirabile dictu! duo fuerunt, et adulterium unus commisit. Splendide atque verissime. Intuens enim in duum corporum commissione [commistione, *orig.*] unius inquinatissimam cupiditatem, alterius castissimam voluntatem, et non quid conjunctione corporum, sed quid animorum diversitate ageretur attendens : Duo, inquit, fuerunt, et unus adulterium admisit.

CAP. 140. — *De eodem. Augustinus, De libero arbitrio* (*lib.* 1, *c.* 5).

(32, *q.* 5, *c. De pudicitia.*) De pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in ipso constituta, quandoquidem virtus est? Unde a violento stupratore nec ipsa eripi potest.

CAP. 141. — *Item de eodem. Hieronymus super epistolam ad Romanos.*

Fieri non potest, ut nisi quis mœchetur prius in corde, mœchari possit in corpore.

CAP. 142. — *Item de eodem. Isidorus in Synonymis.*

Non potest corpus corrumpi, nisi prius corruptus animus fuerit. *Item.* Munda a contagione animi caro non peccat.

CAP. 143. — *Quod capitalem sententiam subeat, qui sacratam virginem rapuerit. Novellarum constitutio undecima.*

(27, *q.* 1, *c. Si quis rapuerit.*) Si quis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruperit matricuriam, vel diaconissam, vel monasteriam, vel etiam feminam religiosum habitum habentem, vel religiosam vitam ducentem, bona ipsius, et eorum qui hujusmodi sceleris communione contaminati sunt, religioso loco vendicentur, in quo talis mulier habitalat, per religiosos episcopos, œconomos, et per provinciarum præsides, et eorum officiales; ipsi autem capitali periculo subjiciantur. Mulier autem ubique investigetur et cum suis rebus monasterii cautioni tradatur.

CAP. 144. — *De prohibendis nuptiis viduis et virginibus in monasterio diu conversatis. Gelasius papa Cæsario, cap.* 4 (*Symmach., epist.* 5).

(27, *q.* 1, *c. Neque viduas.*) Viduas ad nuptias transire non patimur, quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis ætatem egisse contigerit.

CAP. 145. — *De eodem. Nicolaus Carolo archiepiscopo et ejus suffraganeis* (*in rescriptis, tit.* 15, *c.* 3).

(27, *q.* 1, *c. Vidua quidem.*) Vidua quidem quæ capiti imposuerit sacrum velamen, si inter cæteras velatas feminas in ecclesia oraverit, et oblationem cum illis obtulerit; si professa est se in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere, a religionis observantia discedere non præsumat.

CAP. 146. — *Item de eodem. Augustinus, lib. De bono viduitatis* (*cap.* 8).

(27, *q.* 1, *c. Viduæ.*) Viduæ quæ se non continent nubant, antequam professæ continentiam Deo voveant : quod nisi reddant, jure damnantur

CAP. 147. — *Item de eadem re. Ex concilio IV Carthaginensi, cap.* 4.

(27, *q.* 1, *c. Sicut bonum.*) Si quæ viduæ quamlibet adhuc in minoribus annis positæ, et immatura ætate a viro relictæ, se Deo voverunt, et veste laicali abjecta, sub testimonio episcopi et Ecclesiæ religioso habitu apparuerunt; postea vero ad nuptias sæculares transierunt, secundum Apostolum damnationem habebunt (*I Tim.* v), quoniam fidem castitatis, quam Deo voverant, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, quæ nec etiam in convivio cum Christianis communicent.

CAP. 148. — *De eadem re. Catellino* [*Catello*] *Restino presb. et Marcello Amertino* [*Amiternino*] *episcopis.*

Tuizia a filio veniens nostro clarissimo viro Georgio comite, et agente vices illustris viri clarissimi Marcellini vicarii, questa monstratur, quod eam Maximus, quem suum conjugem perhibebat, nulla exstante legitima necessitate vel ratione deserent, et ob hoc sponsaliorum sibi promissorum, quæ compleri poterat quantitatem, vel cætera quæ injuste repudiantibus leges infligunt, cum debuisse subire dispendia. Cujus tali querela deposita prædictum Maximum memoratus filius noster comes Georgius per publicum fecit officium detineri. Qui tentus asseruit eamdem causam charitatis vestræ judicio cognitam vel diffinitam, et illam mulierem ob hoc quod non paucis annis in conversationis officium fuerit commorata, et diabolico fuerit subripiente spiritu concitata, deposito ancillæ Dei ha-

Introdusă în format electronic de Google

bitu ad sæcularem fuerit reversa lasciviam, in monasterium fuisse detrusam, et ex eodem nunc latenter monasterio discessisse. Cujus excessione cognita, necesse habuimus æquitatis consideratione permoti, propter inquirendam rerum gestarum plenius veritatem, absolutum prædictum Maximum a præfati viri clarissimi Georgii comitis judicio, ad dilectionis vestræ, qui cognitores fuisse dicimini, cum prædicta Tuizia destinare præsentiam : hoc scilicet decernentes, ut residente vobiscum eo cui memoratus noster Georgius comes præfatam causam scripserit, sine ullo dilationis obstaculo cognoscatis ; etsi sæpe dictam feminam propter præcedentes excessus, charitatis vestræ providentia retineatis in monasterio constitutam, in his quæ pro Dei timore a vobis salubriter statuta sunt permanentes, eamdem in ipsum de quo discessit monasterium sollicitius et arctius constituite retinendam, nulla ei quolibet tempore discedendi concessa licentia.

CAP. 149. — *Quod episcopus monachus factus ad pontificatum reverti non potest. Ex actione quinta Synodi Constantinopolitanæ trecentorum et octoginta trium Patrum, sub Joanne Papa VIII, cui præfuit Petrus presbyter cardinalis et Paulus Anconitanus episcopus et Eugenius Ostiensis episcopus.*

(7, *q.* 1, *c. Hoc nequaquam.*) Apocrisiarii papæ dixerunt : Hoc nequaquam apud nos habetur, ut quicunque de pontificali ordine ad monachorum, id est pœnitentium, descenderit vitam, ulterius possit ad pontificatum reverti. *Item.* Præcepit sancta synodus, ut quicunque de pontificali dignitate ad monachorum vitam, et ad pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam jam ad pontificatum resurgat. Monachorum enim vitam subjectionis verbum habet et discipulatus non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios.

CAP. 150. — *De rapacitate monachorum. Decretum Leonis papæ.*

Relatum est auribus nostris esse quosdam perverse agentes, qui subvertere atque dividere conantur Ecclesiæ unitatem : videlicet abbates et monachi, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, et docent atque seducere non cessant sæculares homines, quos illaqueare possunt, ut res suas atque possessiones in vita vel in morte in monasteriis eorum tradant, et ecclesiis quibus subjecti esse videntur, et a quibus baptismum, pœnitentiam, Eucharistiam, nec non pabulum vitæ cum lacte carnis acceperunt vel accipiunt, nihil de bonis suis relinquant. Hanc denique famam discordiæ nos animadvertentes, omnibus modis inhibere volumus, et ne amplius fiat omnino prohibemus, considerantes non esse bonum, ut illi qui olim fuerunt *socii passionum* secundum Apostolum (*II Cor.* I), sint immunes a societate consolationum, et *quia dignus est operarius mercede sua* (*Matth.* X ; *Luc* X), ideoque præcipimus atque jubemus ut quicunque amodo in monasterio converti voluerit, sive in vita, sive in morte, ut omnium rerum suarum atque possessionum, quas pro salute animæ suæ disponi decreverit, medietatem ecclesiæ cui ipse pertinere dignoscitur, relinquat : et sic demum in monasterio prout sibi libitum fuerit eundi convertendique habeat licentiam. Quicunque autem hujus nostri decreti contradictor, convulsor, ac temerator exstiterit, gladio anathematis subjaceat.

CAP. 151. — *De prohibenda vagatione monachorum. Alexander II clero et populo Florentino.*

(16, *q.* 1, *c. Juxta Chalcedonensis.*) Juxta Chalcedonensis tenorem optimi concilii, cujus series adnectitur inferius, monachis quamvis religiosis ad normam Sancti Benedicti inter claustra morari præcipimus ; vicos, castella, civitates peragrare prohibemus, a populorum omnino prædicatione cessare censuimus, nisi forte quis de suæ salute animæ sollicitus, ut eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit.

CAP. 152. — *De femina quæ sibi velamen imposuit, et post ad nuptias rediit. Nicolaus Alumino Juvariensi episcopo* (*habetur supra c.* 65).

Quod interrogasti de femina, quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea ad nuptias rediit : bonum mihi videtur quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, et non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, et revertatur ad id quod spopondit, et in sacro ministerio inchoavit. Nam, si concesserimus quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, et non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus est turbatus, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum ficte suscipere, et in Christianitate permansurum se finxisse : cum per Apostolum ejus fraude detecta, quod sibi futurum esset prænuntiatum est? Ait enim : *Pecunia tua tecum sit in perditionem cor enim tuum non est rectum coram Domino. Pœnitentiam itaque age ab hac tua nequitia, et roga Deum ut forte dimittatur hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse* (*Act.* VIII). Ideo tales, nisi resipiscant, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri sicut Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt (*Act.* V)

CAP. 153.—*Ne qui monachus fieri vult, statim habitum sumat. Ex libro Constitutionum, constitutio quinta, cap.* 1 (*titulo* V, *c.* 2).

Qui monachus fieri vult, sive liber sive servus, non statim monachus fiat, sed per triennium tonsura quidem et veste laicorum utatur, et divinas Scripturas addiscat, et confiteatur suam conditionem, id est utrum ingenuus sit an servus, vel alterius cujuscunque conditionis vel status, et narret causas propter quas ad solitariam vitam migrare desideraverit, ne forte malæ sint, et Deo displiceant. Oportet autem et monachos verba ei afferre quæ mores ejus

Introdusă în format electronic de Google

et vitam corrigant. Et si per triennium talis appareat, ut videatur dignus tonsura, et veste religiosa, tunc et tondeatur, et stolam monachicam vestiat, sive liber sit sive servus, et nulla ei molestia inferatur, neque de servili, neque de libertina conditione. Si autem intra triennium aliquis retrahere eum ut servum suum voluerit, et dicat quod res suas furatus ad monasterium concurrerit, non statim eum abstrahat, sed prius probet quod et servus est, et furto, vel vita mala et peccatis atrocibus timuit et fugit, et si hæc vera sunt, reddatur servus domino suo cum rebus subreptis, si etiam ipse quoque in monasterio fuerit. Dominus autem eum recipiens fidem ei præstet, quod nullum ei malum propter hæc quæ jam peccavit facturus sit. Quod si nullo delicto servum suppositum dominus esse probaverit, et ipse servus ex castitate morum suorum bona testimonia habeat, et si nondum triennium præterierit, tamen maneat in eodem monasterio. Triennio autem semel transacto, et inter monachos servo Dei numerato, nulla sit postea licentia, qualemcunque molestiam ei inferre, sive vere famulus sit sive ingenuus, sed omnimodo in solitaria vita permaneat, etiam si peccatum in priori vita admissum sit. Ea autem quæ furto subrepta sunt, procul dubio si inveniantur, domino reddi oportet.

CAP. 154.—*De servo qui servitium fugiens monachus factus est, cap.* 2 (*ibid.*).

Sin autem servitutem effugiens, veniat quis ad monasterium, postea autem reliquerit venerabilem locum, et in aliam vitæ figuram transierit, liceat domino retrahere eum, et probanti quod servus est, in [ut] servum eum habere.

CAP. 155.—*Quid agendum sit de bonis ejus qui monachus factus apostataverit, cap.* 3 (*cap.* 4).

Si quis in monasterio se consecraverit, et postquam religiosa veste vestitus est, a monasterio recesserit, omnia bona ipsius quæ in monasterio introduxit, ad ipsum monasterium pertineant. Idem est ex alia constitutione, et si non introduxit, omnes enim res ejus dominii monasterii sint.

CAP. 156.—*De eadem re, cap.* 4 (*cap.* 7)

Si quis introierit in monasterium, et post religiosam vestem recesserit et militaverit, vel simpliciter laicus factus fuerit, spolietur cingulo militari, et vita libera non potiatur, sed officio præsulis provinciæ servire cogatur, substantia autem ejus in monasterio maneat.

CAP. 157.—*Item, de eodem, cap.* 6 (*et Capitul. lib.* V, *c.* 226).

Si quis in monasterio consecratus fuerit, posteaque in aliud monasterium transire maluerit, substantia quidem ejus a priori monasterio vendicetur, aliorum autem monasteriorum primates, prohibeant eum transire et in alio monasterio non recipiatur. Et hoc curare debent non solum religiosissimi episcopi, sed etiam reverendissimi archimandritæ.

CAP. 158.—*Ut qui monachus fieri vult, ante ingressum de substantia sua disponat, quia postea non licet. Constitutio sexagesima sexta, cap.* 1.

Quicunque in monasterium intrant, videant substantias suas in monasterio consecrari. Nam ante introitum liberam habent facultatem quomodo voluerint, bona sua distribuere. Postquam autem intraverint, talem licentiam non habent, quamvis liberos habeant.

DECRETI PARS OCTAVA.

De legitimis conjugiis. De virginibus et viduis non velatis. De raptoribus earum et de eorum separatione. De concubinis et transgressione conjugii, deque pœnitentia singulorum.

CAP. 1.—*Quid sit matrimonium ex libro Constitutionum* [*Institut.*] *primo, tit.* IX.

(29, *q.* 1, *In principio.*) Nuptiæ sive matrimonium est viri mulierisque conjunctio, individuam consuetudinem vitæ continens.

CAP. 2.—*Quando fiat conjugium. Ambrosius ad virginitatis exhortationem, lib.* II (*cap.* 5 *et* 6, *lib. De institutione virginis*).

(27, *q.* 2, *c. Cum initiatur.*) Desponsata viro, conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen assumitur : non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique, cum jungitur puella conjugium est, non enim viri admistione cognoscitur.

CAP. 3.—*De eodem. Isidorus, Etymologiarum lib.* IX, *cap.* 7 (*cap.* 8).

(27, *q.* 2, *c. Conjuges.*) Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus.

CAP. 4.—*Descriptio legitimi conjugii. Evaristus episcopis Africæ, cap.* 2 (*ep.* 1, *c.* 2).

(30, *q.* 5, *c. Aliter.*) Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis congruo tempore petita, legibus detur ac solemniter accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent, et castitatem custodiant.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 5.—*Item, De eodem.*

Ita peracta legitima scitote esse connubia, aliter vero præsumpta, non conjugia, sed adulteria vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima.

Cap. 6.—*De benedictione sponsi et sponsæ. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, libro primo (cap. 3).*

(30, *q.* 5, *c. Nostrates.*) Nostrates tam mares quam feminæ, non ligaturam auream vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt; sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum qui hæc contrahunt, et eorum in quorum potestate sunt, celebrantur, et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitam desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præsumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur : et primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem et velamen cœleste suscipiunt. *Item.* Hæc sunt præter alia quæ ad memoriam non occurrunt pacta conjugiorum solemnia. Peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus. *Concilium* IV *Carthagin., cap.* 13. (30, *q.* 5, *c. Sponsus.*) Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia benedictionis in virginitate permaneant.

Cap. 7. — *Cur sponsæ velentur. Isidorus, De officiis, lib.* II, *cap.* 19.

Quod feminæ, dum maritantur, velantur, significat ut noverint semper se viris suis esse subjectas et humiles.

Cap. 8. — *Quid significent insignia sponsarum. Ibidem.*

Quod nubentes post benedictionem vittæ, uno invicem vinculo copulantur, videlicet ne compagem conjugalis unitatis dirumpant. At vero quod eadem vitta candido purpureoque colore permiscetur, candor quippe est, munditia vitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, ut hoc signo et continentiæ lex tenenda ab utrisque ad tempus admoneatur, et post hæc reddendum debitum non negetur. *Item.* Quod imprimis annulus a sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde et quarto digito annulus inseritur, id est quod in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat.

Cap. 9. — *Inviolabile esse conjugii sacramentum. Augustinus, De bono conjugali, cap.* 7.

(32, *q.* 7, *c. Interveniente.*) Interveniente divortio non aboletur confœderatio nuptialis, ita ut sibi conjuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri; in monte sancto ejus talis est causa cum uxore. Cæterum aliter se habere jura gentilium, quis ignorat? Ubi interposito repudio, et illa cui voluerit nubet, et ille quam voluerit, ducit.

Cap. 10. — *Quod concubinæ fieri possunt uxores. Ibidem (cap.* 14).

(32, *q.* 2, *c. Concubinæ.*) Nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum. Posse sane fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est.

Cap. 11. — *Quod nemo est pudicus corpore, nisi pudicus sit spiritu. Idem, in libro De sancta virginitate (cap.* 8).

Sicut nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia, ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritui prius insita castitate.

Cap. 12. — *Inviolabile esse sacramentum conjugii. Idem, De nuptiis et concupiscentia (cap.* 10, *lib.* 1).

(32, *q.* 7, *c. Usque adeo.*) Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum his quibus aliis adhæserunt.

Cap. 13. — *Item, ibidem, De eodem.*

Et paulo post : Manet inter viventes quoddam conjugale, quod nec separatio, nec cum adultero copulatio possit auferre, sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittat, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii.

Cap. 14. — *Item, ibidem, De eodem (cap.* 18).

Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur. Imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam (Matth.* 1). Conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commistio. Propter quod fidele conjugium parentes Christi ambo vocari meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus; utrumque mente non carne.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 15. — *De tripartito bono nuptiarum. Ibidem, (sub finem).*

(27, *q.* 2, *c. Omne.*) Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum dominum; fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum divortium. (*Cap.* 12). Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato; sine qua concipi voluit, qui futurus sine peccato erat.

CAP. 16. — *Quod sine consensu uxoris non liceat viro continenter vivere. August., in epistola ad Bonifacium comitem (epist. 70).*

Nos novimus, nos testes sumus quod nobiscum apud Tubanas de animo et voluntate tua fuerimus collocuti. Soli tecum eramus, ego et frater Alypius. Non enim existimo tantum valuisse terrenas curas, quibus impletus es, ut hoc de memoria tua delere pœnitus potuerint : nempe omnes actus publicos quibus occupatus eras relinquere cupiebas, et te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere in qua servi Dei monachi vivunt. Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti uxoremque duxisti. Si enim conjugem non haberes, dicerem tibi quod et Tubanis diximus, ut in castitate continentiæ viveres. (*Sub finem.*) Adderem quod tunc fieri prohibuimus, ut jam te (quantum rerum humanarum salva pace potuisses) ab istis rebus bellicis abstraheres, et huic vitæ vacares et societati sanctorum, cui tunc vacare cupiebas, ubi in silentio pugnant milites Christi, non ut occidant homines, sed ut expugnent principes et potestates et spiritualia nequitiæ (*Ephes.* VI), id est diabolum et angelos ejus. Sed ut te ad istam vitam non exhorter, conjux impedimento est, sine cujus consensu continenter tibi non liceat vivere. Quia et si tu eam post illa tua verba Tubanensia, ducere non debebas, illa tibi tamen nihil eorum sciens, innocenter et simpliciter nupsit, atque utinam posses ei persuadere continentiam, ut sine impedimento redderes Deo quod te debere cognoscis ! Sed si cum illa agere non potes, serva saltem pudicitiam conjugalem, et roga Deum, qui de necessitatibus eruit (*Psal.* XXIV), ut quod non potes modo, possis aliquando. Verumtamen ut Deum diligas, non diligas mundum : ut in ipsis bellis, si adhuc te in ipsis versari opus est, fidem teneas pacemque quæras, ut ex mundi bonis facias opera bona, et ut propter mundi bona non facias opera mala, id non impedit conjux, aut impedire non debet. Hæc ad te, fili charissime, ut scriberem charitas jussit, qua te secundum Deum, non secundum hoc sæculum diligo, quia et cogitans quod scriptum est : Corripe sapientem, et amabit te; corripe stultum et adjiciet odisse te (*Prov.* XIX), non te utique stultum, sed sapientem debui cogitare.

CAP. 17. — *Quod consensus matrimonium faciat. Nicolaus Hicmaro episcopo (ad consulta Bulgar., c. 3).*

(27, *q.* 2, *c. Sufficiat.*) Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, quorum de conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait (*homilia 33 super Matth., in opere imperfecto*) : Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.

CAP. 18. — *Ut vidua ante professionem continentiæ nubat cui vult, e Toletano concilio III, cap. 18.*

(27, *q.* 1, *c. Viduæ.*) Viduæ, si priusquam continentiam profiteantur nubere elegerunt, illis nubant quos propria voluntate voluerint habere maritos.

CAP. 19. — *Ne virgo, vel vidua, cogatur nubere cui non vult. Ex eodem.*

Similis conditio et de virginibus habeatur, nec extra voluntatem parentum, vel suam, cogantur accipere maritos.

De eodem. Ambrosius super Epistolam ad Corinth., cap. 39 *in caput* 7. Nubat vidua cui vult, tantum in Domino, id est quem sibi aptum putaverit illi nubat; quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere. Tantum autem in Domino, id est ut et sine suspicione turpitudinis nubat, et religionis suæ viro nubat.

CAP. 20. — *Quod in sponsalibus, sicut in nuptiis, consensus requirendus est. Pandectarum lib.* XXIII, *titulo primo.*

In sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper filiam patri [filiæ patrem, *orig.*] consentire, nisi evidenter dissentiat.

CAP. 21. — *Quod alii viro mulier legitime nubere possit, si invita et repugnans alteri a patre tradita fuerit. Item.*

Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium, et ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiam familias consentire oportet. Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem dissentiendi a patre licentia conceditur, si indignos moribus vel turpis sponsus ei a patre eligitur. Filio familias dissentiente, sponsalia ejus nomine fieri non possunt.

CAP. 22. — *Item. De eodem.*

In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium diffinita non est, ut in matrimoniis. Quapropter a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, *id est* si non sint minores quam septem annis.

CAP. 23. — *Ut nullus mulierem invitis parentibus rapere præsumat. Judicium Urbani papæ de filia Jordani principis.*

(31, *q.* 2, *c. Si verum esse.*) Si verum esse constiterit quod nobis legati Jordani principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus et dolens filiam suam infantulam, nolentem, flentem, et pro viribus renitentem, non assentientibus, sed valde dolenti-

Introdusă în format electronic de Google

bus, matre et parentela, Raynaldo Ridelli filio desponsaverit, quoniam canonum et legum auctoritas talia sponsalia, ut infra ostenditur, non approbat, ne ignorantibus leges et canones nimis durum quod dicimus videatur, ita sententiam temperamus : ut si principes cum assensu filiæ, matris et parentelæ, id quod cœptum est perficere voluerint, concedamus. Sin autem, legatus noster utrasque partes audiat, et si nihil fuerit ex parte supradicti Raynaldi amplius quod impediat, ab ipso Jordane sacramentum quod ita constent. Hæc ut dicta sunt, accipiat : et nos canonum ac legum scita sequentes, deinceps non prohibemus quin alii viro, si voluerit, prædicta filia ejus tantum in Domino nubat.

CAP. 24. — *Quod raptus pro stupro reputatur. Urbanus Satino* [*Sacratio legit Gratianus*] *regi Aragonum.*

(51, *q.* 2, *c. De neptis.*) De neptis tuæ conjugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo, sub fidei pollicitatione firmasti, hoc, æquitate dictante, decernimus, ut si illa virum illum omnino, ut dicitur, renuit, et in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi prorsus se deneget nupturam, nequaquam eam invitam et renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari. Quorum enim unum corpus est, unus debet esse et animus, ne forte, cum virgo fuerit alicui invita copulata, contra Domini Apostolique præceptum, aut reatum dissidii, aut crimen fornicationis incurrat. Cujus videlicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam conjunxit invitam : quod pari tenore de viro est etiam sentiendum.

CAP. 25. — *De vindicta raptus Parisiacense concilium* I, *cap.* 6.

(36, *q.* 2, *c. Nullus.*) Nullus aut viduam aut filiam alterius extra parentum voluntatem, aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam : quod si fecerit, ab Ecclesiæ communione remotus, anathematis gladio feriatur.

CAP. 26. — *Quomodo rapta reddenda sit. Isidorus etymologiarum libro* V, *cap.* 24 (*cap.* 26).

(27, *q.* 2, *c. Raptus.*) Raptus, proprie est illicitus coitus, a corrumpendo dictus, unde et qui rapto potitur, stupro fruitur. *Item. Capitularium libro primo, cap.* 99 (*cap.* 103). (27 *q.* 2, *c. Raptor.*) Raptor publica pœnitentia multetur. Raptam vero si sponsus recipere noluerit, et ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod et si ipsa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si ipsi post hæc se conjungere præsumpserit, utrique anathematizentur. *Libro* IV *capitulorum* (*cap.* XXII). Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddet, et quidquid cum ea abstulerit, unamquamque rem secundum legem reddat.

CAP. 27. — *Ut puella si patrem habuerit servum, avum vero liberum. avi potius electione quam presbyteris nubat. Pelagius Potentio defensori.*

Patrem puellæ Ecclesiæ nostræ famulum, avum vero liberis ortum constat esse natalibus ; et ideo avi magis electione de conjunctione neptis, quam patris, cujus nullo modo liberum esse potest arbitrium, decernimus attendi.

CAP. 28. — *Quod rapta præcipitur fieri conjux. Gregorius Pantaleoni notario* (*lib.* II *regist. cap.* 79).

Questus nobis est Evangelus, Sipontinæ Ecclesiæ diaconus, filiam suam a Felice (quod dici nefas est) fuisse stupratam. Pro qua re hujus præcepti suffultum auctoritate ad Sipontinam civitatem te proficisci necesse est, et adhibitis tibi sapientibus illic viris, cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere, et si ita repereris, eam quam stupravit, aut uxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum, in monasterium eum, privatum communione, ubi pœnitentiam peragat, dare festinabis.

CAP. 29. — *De eadem re. Idem Felici episcopo Sipontino* (*lib.* II *regist. cap.* 81).

Pervenit ad nos quod Felix nepos tuus Evangeli diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si verum est, (quamvis gravi esset de lege pœna puniendus) nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, decernimus hujusmodi disponendo, id est, ut aut quam stupravit uxorem habeat, aut certe si renuendum putaverit, districtus, aut corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterium ubi pœnitentiam peragat retrudatur.

CAP. 30. — *De prohibendis concubinis. Sermo Ambrosii de sancto Joanne, qui sic incipit : Diximus superiori Dominica* (*sermone* 63).

Dicat aliquis : Uxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociavi. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham : *Ejice ancillam et filium ejus ; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* (*Gen.* XXI ; *Gal.* IV). Si igitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur autem quæritur tale conjugium de quo susceptus filius nec successionis possit hæres esse, nec sanguinis? Nec enim habere potest hæreditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium de quo nati filii non matrimonii, sed testes sunt adulterii? Cur hujusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sunt, non honori? Dicit Scriptura . *Adulterorum filii in consummatione erunt* (*Sap.* III), etc. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est ut mereatur consortium, mereatur et nomen uxoris. Præsta concubinæ tuæ libertatem, et nomen uxoris, ne tu adulter sis potius quam maritus.

CAP. 31. — *Si concubina usque ad mortem cum aliquo nobili permanserit, ut ab hæredibus ejus cum filiis suis liberetur. Codicum libro septimo, cap.* 15, *titulo* 3.

Si quis sine uxore constitutus, ancillam suam nomine habeat concubinæ, et in eadem usque ad mortem consuetudine permanserit, et forsitan ex ea liberos susceperit, sancimus omnino non concedi hæredibus defuncti eamdem vel liberos ejus, si etiam liberos habuerit, in servitutem deducere, sed post

Introdusă în format electronic de Google

mortem domini eripiatur in libertatem, una cum sobole sua.

CAP. 32. — *Ut filii de concubina nati, quæ postea in uxorem ducta est, legitimi liberi sint, priores sicut posteriores, sacrarum institutionum libro* III, *titulo* I.

Si quis mulierem in suo contubernio copulaverit, non ab initio affectione maritali, eam tamen cum qua poterit habere conjugium, et ex ea liberos sustulerit, postea vero affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiosque vel filias habuerit, non solum eos liberos qui post dotem editi sunt, justos, et in potestate esse patris, sed etiam anteriores; quia et [qui et *orig.*] his qui postea nati sunt occasionem legitimi nominis præstiterant. Quod obtinere censuimus, etiam si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce subtracti fuerint.

CAP. 33. — *Ne sponsæ pactæ statim tradantur. Augustinus, lib.* VIII *Confessionum.*

(27, *q.* 2, *c. Institutum.*) Institutum est ut jam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam suspiraverat sponsus dilatam.

CAP. 34. — *De eo qui cum muliere quam ducere potuit consuetudinem habuerit. Novellarum constitutionum* 32, *cap.* 3

Si quis cum muliere consuetudinem habuerit, cujus nuptiæ interdictæ non sunt, et liberos ab eo illa procreaverit, posteaque dotalia instrumenta composuerit ei, non solum jam nati filii legitimi et in potestate ejus sint, sed etiam postea procreati.

CAP. 35. — *Ne legitima repudiatur. Constitutio* 37, *cap.* 7.

Si quis sine dotalibus instrumentis, affectione maritali uxorem duxerit, non audeat sine causa legibus cognita repudium ei mittere.

CAP. 36. — *Quod de concubina potest legitima fieri. Constit.* 64, *cap.* 14.

Si quis cum muliere libera consuetudinem habeat non affectione maritali, et ex ea liberos procreaverit, eosque velit liberos legitimos et in potestate sua habere, liceat ei cum matre eorum instrumenta dotalia componere. Nam filii qui ante naturales erant, post compositionem instrumentorum dotalium sui et in potestate patris efficiuntur, sive postea nati filii vivunt, sive mortui sunt, sive omnino nullus alius procreatus est.

CAP. 37. — *Quod liceat meretricibus honestam vitam eligere. Constitutio novellarum* 46, *cap.* 1.

Princeps constituit ut liceat meretricibus honestiorem vitam eligere sine aliquo timore, quamvis juratoriam cautionem exposuerint. Hi autem qui tale jusjurandum exegerunt, et contra castitatem operam suam dederunt, pœnæ nomine x libras auri persolvant iisdem meretricibus, quæ sacramenta dederunt; pœna autem x librarum officio præsidis flagitetur. Quod si præses neglexerit, de suo patrimonio pœnam præstare cogatur, et magistratu sibi commisso cadat, et non solum mulieribus, sed etiam hæredibus et aliis successoribus earum, pœnam solvat. Hoc si probatum sit, quod sacramentum a meretrice exegerit. Si autem sacramentum non exegerit a meretrice, ne teneatur quidem ea pœna.

CAP. 38. — *De Osee propheta qui meretricem duxit. Hier. super Osee. lib* I, *ad cap.* 1.

(32, *q.* 1, *c. Non est culpandus.*) Non est culpandus Osee propheta, si meretricem quam duxit converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet ipse polluitur, si societur malo, sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam antea non habebat.

CAP. 39. — *Quare matrimonium inter cognatos sit prohibitum. Augustinus in lib. De civitate Dei, lib.* XV, *cap.* 16.

Cum igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, et conjugis ejus ex viri latere, marium, feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicarent, nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri conjuges sorores suas acceperunt. Quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia diversarum necessitudinum vinculis necterentur. Nec unus in uno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos, ac si ad socialem vitam diligentius plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe, et socer duarum sunt necessitudinum nomina. Ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigat. Utrumque autem unus Adam esse cogebatur et filiis, et filiabus suis, quando fratres, sororesque conjugio jungebantur. Sic et Eva uxor ejus, utrique sexui filiorum fuit et socrus et mater. Quæ si duæ feminæ fuissent, mater altera, et socrus altera, copiosius se socialis dilectio colligaret. Sed hoc unde fieret tunc non erat, quando nisi fratres et sorores ex illis duobus primis, nulli homines erant. Fieri ergo debuit quando potuit, ut existente copia, inde ducerentur uxores quæ non erant jam sorores, ut non solum illud ut fieret necessitas esset, verum etiam, si fieret, nefas esset; quod, humano genere crescente, etiam inter impios deorum multorum falsorumque cultores, sic observari cernimus, ut etiamsi perversis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsa malit exhorrere licentiam, sicque aversetur, quasi nunquam licere potuerit. Copulatio ergo maris et feminæ, quantum attinet ad genus humanum, quoddam seminarium est civitatis. Cœlestis vero civitas opus habet ut noxam generationis evadat.

CAP. 40. — *De tribus legitimis conjugiis, Hieronymus.*

(36, *q.* 2, *cap. Tria.*) Tria legitima conjugia in

Introdusă în format electronic de Google

Scripturis leguntur. Primum legitimum conjugium est virgo casta in virginitate viro data legitime, et reliquæ sequuntur in prædictis. Secundum virgo in civitate deprehensa a viro, et illi per vim copulata, si voluerit pater ejus, dotabit eam iste vir, quantum judicaverit pater, et dabit pretium pudicitiæ ejus. Tertium, filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas patris, trahet eam a viro prædicto, et tradet eam alii et dotabit eam, et legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur.

Cap. 41. —*De quarto legitimo conjugio. Hieronymus.*

(27, *q.* 2, *c. Additur.*) Additur itaque aliud quartum legitimum conjugium. Dum mortua fuerit uxor ejus, licet illi accipere aliam, sed non repudiatam, nec desponsatam viro, sed filiam. Similiter debet et mulier. Unde Paulus ait : *Mulier quæ sub viro est, ligata est sub lege viri, quandiu vir ejus vivit. Igitur, vivente viro ejus, vocabitur adultera, si juncta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ita ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro* (*Rom.* VII).

Cap. 42. — *Quod in conjugio quasi adulterium sit voluptuosus concubitus et immoderatus. Hieronymus.*

In legitimo conjugio adulterium est cavendum, non quantum voluptas expetierit, sed quantum modus naturæ, et causa posteritatis postulaverit. Et non licet illi habere alteram, præter uxorem suam. Si enim habuerit, non erit legitima quæ licita fuit. Paulus quoque apostolus ait : *Omne peccatum quodcunque homo fecerit, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI), hoc est in conjugio positus, quæcunque fecerit peccata, non infuscant uxorem propriam. Si autem fornicatur cum aliis, maculat eam ut non sit licita, sed quasi adultera.

Cap. 43. — *Quod propter fornicationem licet uxorem dimittere, non tamen aliam ducere. Idem Hieronymus* (*lib.* III *in Matth., ad caput* XIX).

Ait Dominus in Evangelio : *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur* (*Matth.* XIX). Sola fornicatio est quæ uxoris vincit affectum, imo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura (*Prov.* XVIII) : Qui adulteram tenet stultus et impius est. Ubicunque est igitur fornicatio, aut fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere ut aliquis calumniam innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Quod enim dicit, tale est : Si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo? Nec non quia poterat evenire, ut juxta eamdem legem uxor quoque marito daret repudium : eadem cautela præcipitur ne secundum accipiat virum, et quia meretrix, et quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo non nubere præcipitur viro [Hieron, excusus sic habet secundo præcipitur viro, etc.], quod si talem duxerit, sub adulterii crimine sit.

Cap. 44. — *Quod legitima sit, quæ interposito sacramento assumpta fuerit. Novellarum constitutionum sexagesima quinta, cap.* 1.

(30, *q.* 5, *c. Si quis.*) Si quis divinis actis Scripturis juraverit mulieri se eam legitimam uxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit

Cap. 45. — *Ut talis sit vir uxori, qualem sibi vult esse uxorem. Augustinus de verbis Domini, tractatu* 47.

Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales eas vultis ad vos venire, tales vos debent, et ipsæ invenire. Quis juvenis est qui non castam velit ducere uxorem? Et si acceptarus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? noli esse impurus. Non enim illa potest, et tu non potes.

Cap. 46. — *Ne parentes fidem sponsaliorum frangant. Ex Eliberitano concilio, cap.* 54.

Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione. Si tamen idem [iidem, *orig.*] sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes.

Cap. 47. — *Ne uxor in quadragesimali tempore ducatur. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap.* 48.

(33, *q.* 4, *c. Nec uxorem.*) Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse, nullatenus arbitramur.

Cap. 48. — *Ne presbyter in nuptiis bigami prandeat. Ex Neocæsariensi concilio, cap.* 6.

(31, *q.* 1, *c. De his.*) Presbyterum prandere in nuptiis bigami non convenit. Quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?

Cap. 49. — *Ne nuptiæ in quadragesimali tempore fiant. Laodicense concilium, cap.* 52.

(33, *q.* 4, *c. Non oportet.*) Non oportet in Quadragesima aut nuptias aut natalitia celebrare.

Cap. 50. — *Ut prædicator continentiæ nuptias non celebret. Hieronymus ad Nepotianum.*

Prædicator continentiæ nuptias non conciliet. Qui Apostolum legit : superest, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint (*I Cor.* VII), cur virginem cogit ut nubat? Qui de monogamia sacerdos est, quare viduam hortatur ut bigama sit.

Cap. 51. — *De his qui fiscalinas uxores ducunt. Capitularium libro* III, *cap.* 16.

De liberis hominibus qui uxores fiscalinas regias, et de feminis liberis qui homines fiscalinos regios accipiunt, ut non de hæreditate parentum, vel de causa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 52. — *Ut ingenua si servum duxerit ancilla sit, lib.* V, *cap.* 20.

(29, *q.* 2, *c. Si femina.*) Si mulier ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum ; una autem lex erit et viro et feminæ.

CAP. 53. — *Ut liber, si ancillam duxerit, non dimittat eam, lib.* VI, *cap.* 95 (*c.* 94).

(29, *q.* 2, *c. Si quis.*) Si quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si prius amborum consensu conjuncti sint.

CAP. 54. — *Quod conjugium non dirimitur inter servum et ancillam etiamsi diversos dominos habeant. Adjecti capitulares, cap.* 55.

Conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes dominis suis serviant. Hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, et per voluntatem dominorum.

CAP. 55. — *De quodam famulo ecclesiæ, qui ejusdem ecclesiæ ancillam relinquere volebat. Pelagius Melleo subdiacono.*

Dulcitia Ecclesiæ nostræ famula, in Tarpeiana massa consistens, hujusmodi querelam suam nostris sensibus intimavit, dicens quod, postea quam eam marito suo defuncto contigit viduari, Clerentius quidam nomine ex ancilla, ut perhibetur, Ecclesiæ procreatus, diversis blanditiis atque suasionibus præfatæ mulieris animos inclinando in suo eam curasset allicere consortio, ex qua etiam filium procreasset. Nunc autem post conjunctionis suæ non parvum tempus, quippe jam nato et educato filio nullis, ut perhibetur, rationalibus causis exstantibus, eamdem mulierem deseruisse, atque in eam prosiluisse contumaciam, ut ad declinandam servitutem debitam, curialis sibi nomen audeat usurpare : qui et primam in ecclesiæ possessione genitam ex colonis ecclesiæ habuisse memoratur uxorem. Ex cujus peculio quemdam agellum dicitur hactenus detinere; sed et alia non pauca in suo fertur habuisse peculio. Quapropter experientia tua præsentis jussionis vigore suscepto, eodem detento Clarentio causæ totius veritatem diligenter agnoscens, quæ de memorati persona seu rebus ecclesiastica requirit utilitas exsequatur, et si eum de ecclesiæ ancilla genitum, vel alio modo legitimo juri Ecclesiæ constat obnoxium reperiri, cum omnibus rebus suis in massam ecclesiæ festinet revocare, et ei præfatam mulierem, quam sibi ipse ascivit in consortium, sociare, nullatenus habituro de cætero eam relinquendi licentiam.

CAP. 56. — *Si quis per errorem duxerit ancillam uxorem, liberam eam putans, vel si qua servum duxerit maritum, non subsistere tales nuptias. Novellarum constitutionum trigesima septima.*

Si quis per errorem ancillam mulierem duxerit uxorem, liberam eam esse putans, vel ex contrario si libera mulier servo per errorem juncta sit, posteaque veritas reperta fuerit, dicendum est omnino nuptias non constitisse. Inter liberum enim et ancillam, servum et liberam mulierem, nuptiæ contrahi non possunt. Quod si calliditate et conniventia domini servus vel ancilla matrimonium contraxerit cum libera persona (forte enim dominus ancillam suam ut liberam viro ingenuo conjunxit, et dotem pro ea præstitit, ut propter nuptias donationem lucretur totam vel pro parte). Si quid ergo tale contigerit, ipsam donationem dotis, et ancillam liberam faciat et nuptiæ consistant, nulla lege, quantum pertinet ad servitutem, hujusmodi matrimonium concutiente. Sin autem dominus specialiter quidem in nuptias ancillæ suæ vel servi non consenserit, sciens autem quod non cohibuerit (forte enim ideo hoc facit, ut postea negotium moveat homini libero quod ejus ancillam duxit uxorem, vel ingenuæ mulieri quod servo ejus nupta est), si quid ergo tale evenerit, et specialiter dominus non consenserit, attamen nesciens non prohibuerit, et nuptiæ integro jure consistant, et servilis conditionis persona eripiatur, ad ingenuitatem illo sine dubio aperto, quod liberi qui ex hujusmodi nuptiis procreati fuerint, tam ingenui quam legitimi sunt.

CAP. 57. — *Quod liberta quæ patrono suo nupsit eo invito alii jungi non possit, cap.* 25.

Si liberta mulier patrono suo copulata nuptiis quidem ejus renuntiaverit, ad secundum autem matrimonium migrare voluerit, id facere invito patrono non poterit. Alioquin si contra voluntatem ejus nupserit, non fiunt nuptiæ, sed ut meretrix conjuncta esse videatur. *Constitutio sexagesima nona, cap.* 3. Si quis libertam suam uxorem ducere voluerit, dotalia instrumenta cum ea componat, et habebit legitimam uxorem, quamvis ipse summa dignitate præfulgeat. Et si liberi ex tali connubio procreati fuerint, legitimi successores patri suo succedant.

CAP. 58. — *De quodam qui filiolo suo ancillam suam copulavit, et postea abstulit. Gregorius Maximiano episcopo Syracusano* (*lib.* III *regist., cap.* 12).

Præsentium portitor lacrymabiliter questus est, ante plurimos annos ab homine (nescio quo) de possessione Massanensis Ecclesiæ, de fontibus se susceptum, et violenter diversis persuasionibus puellæ junctum, ex qua filios jam juvenculos habere se asserit, quam nunc violenter huic disjunctam abstulisse dicitur, atque cuidam alii venundedisse. Quod si verum est, quam sit inauditum atque crudele malum, tua dilectio perspicit. Ideoque admonemus, ut hoc tantum nefas, sub ea vivacitate, quam te in causis piis habere certissime scimus, requiras atque discutias ; et si ita, ut supradictus portitor insinuavit, esse cognoveris, non solum quod male factum est ad statum pristinum revocare curabis, sed et vindictam quæ Deum possit placare, exhibere modis omnibus festinabis.

CAP. 59. — *Quod nulli liceat duas habere legitimas. Stephanus V Theodosio episcopo.*

Nunquidne duabus simul sponsis nubere barbaricam gentem instruis? Nunquidne sacramentum Ecclesiæ exponentem Apostolum non legisti : *Erunt duo in carne una?* (*I Cor.* VI; *Gen.* II) an forsitan

Introdusă în format electronic de Google

tui codices falso tres in carne una asserunt? Desine jam tali tabescere ignavia, et disce paternis obedire regulis, ne inveniaris statutos a patribus terminos transgredi (*Prov.* XXII), vel per ambitionem de majori ad majorem transire ecclesiam, quod tentantem laica etiam communione sacri privant canones.

CAP. 60. — *Quod nec concubinam habeat qui cum pluribus concumbere solet. Novellarum constitutionum septuagesima nona.*

Nemo intelligatur concubinam habere, qui cum multis mulieribus concumbere solet. Nam, quemadmodum qui legitimam uxorem habet, aliam habere durante eodem matrimonio non potest, ita et qui unam concubinam habet, non potest alias eo tempore habere.

CAP. 61. — *Quod Ismael non fuit ejectus propter matrem ancillam, sed propter fraternam discordiam. Aug., De unico baptismo, lib.* I (*De baptis. contra Donatistas, cap.* 13).

(*Dist.* 56, *c. Ismael.*) Ismael ut separaretur a populo Dei non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia (*Gen.* XXI). Et non profuit potestas uxoris, cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia, et in ancilla seminatus erat, et ex ancilla susceptus.

CAP. 62. — *Quod in liberæ mulieris consuetudine nuptiæ intelligendæ sint. Pandectarum, libro* XXIII, *tit.* II.

In liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit.

CAP. 63. — *De pœnitentia ejus qui duas uxores nititur habere. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap.* 51.

Apud quem uno tempore duæ uxores inveniuntur, interim priore retenta, posteriorem cogatur amittere; insuper et pœnitentiam quam loci sacerdos præviderit, compellatur suscipere.

CAP. 64. — *Ut habens concubinam si alia non utatur, communione non privetur. Ex Toletano, conc.* I, *c.* 17.

(*Dist.* 34, *c. Is qui non.*) Si quis habens uxorem fidelem, concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit conjunctione contentus. Alias vero abjiciatur, donec desinat, et ad pœnitentiam revertatur.

CAP. 65. — *Quod quasi matrimonium sit, si quis concubina sic utatur ut alteram non habeat, nec habere desideret. Augst. de bono conjugali, cap.* 5.

(32, *q.* 2, *c. Solet.*) Solet quæri, cum masculus et femina nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sunt; non tamen vitaverunt, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Cæterum, si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec illam dignam honoribus, vel suis facultatibus inveniat, quam comparem ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium.

CAP. 66. — *Quod unam tantum liceat habere Christiano. Isidorus de consonantia Novi et Veteris Testamenti, cap.* 3.

(*Dist.* 34, *c. Christiano.*) Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris, si conjux deest, concubinam.

CAP. 67. — *Quod non sit legitimus a nobili et ab ancilla genitus. Pelagius Sindulæ magistro militum.*

Hortamur ut nihil ulterius Montanianus, qui se, contra omnem veritatem, et contra leges, dum sit ex ancilla genitus, legitimum filium tentat astruere sensibus vestris qualibet forte subripiat, quia Montanianum illum, de cujus substantia agitur, constat sine propriis liberis decessisse, et germani fratris filios, qui ei legitima ratione succedunt, superstites dimisisse, ac propterea istum Montanianum, de cujus substantia agitur, nullam habere in illius defuncti successione personam. Nam, etsi principalia sacra promeruit, hoc illis legitimis successoribus præjudicare nil poterit, quia ipse clementissimus imperator generales leges protulit quibus jubet nulli qui in precibus suis deprehenditur esse mentitus, ea sacra prodesse quæ meruit. Qui cum esset naturalis, se contra veritatem dicit esse legitimum, quod nulla ratione monstrari lege potuit.

CAP. 68. — *Quod de legitimis nuptiis procreati patrem, vulgo quæsiti matrem sequantur. Pandectarum lib.* I, *tit.* V.

Cum legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur, vulgo quæsiti matrem sequuntur.

CAP. 69. — *Quis sit vulgo quæsitus. Item.*

Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt; et qui possunt quidem, sed eum habent quem habere non licet.

CAP. 70. — *Quod matrem potius quam patrem sequuntur de non legitimo conjugio nati. Item.*

Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. Qui in utero sunt, in toto pene jure civili intelliguntur in rerum natura esse. Nam et legitimæ hæreditates restituuntur his, ita ut si prægnans mulier ab hostibus capta sit, et id quod natum erit, quamvis apud bonæ fidei emptorem peperit, tanquam furtivum usu non capitur.

CAP. 71. — *Quod liberorum status dependeat a conditione matris, non patris. Libro* I, *constitut. tit.* IV.

Ingenuus est qui, statim ut natus est, liber est, sive ex duobus ingenuis matrimonio editur, sive ex libertinis, sive ex altero libertino et altero ingenuo.

Introdusă în format electronic de Google

Sed et si quis libera de matre nascitur, patre servo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera et incerto patre natus est, quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam habuisse matrem eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit; et econtrario, si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat. Placuit enim qui nascitur liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere qui in utero est. Ex his et illud quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta peperit, liberum an servum pariat. Marcellus [Martianus] probat liberum nasci. Sufficit enim ei qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, quod et verum est. *Isidorus Etymologiarum lib.* IX, *cap.* 5. (32 *q.* 4, *c. Liberi dicti.*) Liberi dicti sunt, qui ex libero matrimonio sunt orti. Nam filii ex libero et ancilla, servilis conditionis sunt. Semper enim qui nascitur deteriorem parentis statum sumit. *Ejusdem lib.* IX, *cap.* 5. Naturales filii dicuntur ingenuarum concubinarum filii, quos sola natura genuit, non honestas conjugii. *Item.* Hi qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potius quam patrem sequuntur.

CAP. 72. — *Quod conjugia quibusdam conceduntur, quibusdam non. Augustinus de conflictu vitiorum atque virtutum, cap.* 22 (*cap.* 24).

(27, *q.* 1, *c. Nubendi.*) Nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est qui virginitatem vel castimoniam vidualem nequaquam professi sunt; quibusdam autem non tribuitur, id est qui virgines aut continentes esse decreverunt; fornicatio vero nulli impune conceditur.

CAP. 73. — *Quod multa licent ante votum, quæ post votum non licent. Augustinus de adulterinis conjugiis, lib.* I (*c.* 24).

(32. *q.* 8. *c. Non solum.*) Non solum mœchandum non est, quod faciunt quidam [facit non quidam, *or.*] sed omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, etsi propterea duxerit, Christianam ut faciat; sed etiam quisquis non alligatus uxori continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideo uxorem credat sibi esse ducendam, quia promisit, quæ nuptias ejus appetit, futuram se esse Christianam. Quod enim cuiquam antequam vovisset licebat, cum id se nunquam facturum voverit, non licebit; si tamen id voverit, quod vovendum fuit, sicuti est perpetua virginitas, vel continentia vidualis post experta connubia solutis a vinculo conjugali, vel ex consensu voventibus, et carnalia debita sibi invicem relaxantibus fidelibus castisque conjugibus, quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vovere fas non est. Hæc ergo et si qua alia sunt quæ rectissime voventur, cum homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt.

CAP. 74. — *Quod nuptiæ habent in se Christi et Ecclesiæ sacramentum. Leo Rustico Narbonensi* (*ep.* 92, *c.* 4).

(27, *q.* 2, *c. Cum societas.*) Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet etiam in se Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem ad matrimonium non pertinere, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.

CAP. 75. — *Quod pudor est feminis nuptiarum præmia non habere. Ambrosius super Lucam, lib.* I (80).

(32, *q.* 2, *c. Pudor.*) Sara partus sui erubescebat ætatem, et rursus se caruisse gaudebat opprobrio. Pudor est enim feminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola causa est nubendi.

CAP. 76. — *Quod præmium nuptiarum partus sit feminarum. lib.* II (*statim post principium*).

(32, *q.* 2, *c. Pudor.*) Cum conjugii præmium et gratia nuptiarum partus sit feminarum, non medioeris causa est ut virginitas Mariæ falleret principem mundi.

CAP. 77. — *Quod tantum procreatio filiorum sit vinculum nuptiarum. Augustinus contra Julianum lib.* II.

(32, *q.* 1, *c. Non enim.*) Non in sola (ut deliras) commistione maris et feminæ nuptiarum veritas est, quamvis sine illa nuptiæ filios propagare non possint. Sed alia sunt ad nuptias proprie pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ decernuntur. Sicuti est thori conjugalis fides, et cura ordinate filios procreandi, et (quæ maxima differentia est) bonus usus mali, hoc est, bonus usus concupiscentiæ carnis, quo malo [*al.* bono] adulteri utuntur male.

CAP. 78. — *Quid viro faciendum sit si mulier nulla ratione ei debitum reddere poterit. Gregorius Junior Bonifacio episcopo* (*Gregorius II, ep.* 13, *c.* 2).

(32, *q.* 7, *c. Quod proposuisti.*) Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta nunquam valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis. Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret, sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen ei subsidii opem subtrahat ab illa quod [quam] infirmitas propedit, cum non detestabilis culpa excludit.

CAP. 79. — *De repudio mariti si debitum uxori reddere non poterit. Codicum lib.* V, *cap.* 19, *tit.* X.

Si maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos continuos annos computandos coire minime propter naturalem imbecillitatem valeat, possit mulier vel ejus parentes, sine periculo dotis amittendæ, repudium marito dicere.

CAP. 80. — *De eadem re. Capitulorum lib* VI, *cap.* 91 (*c.* 55).

Si vir et mulier conjunxerint se in matrimonio, et postea dixerit mulier de viro non posse nubere cum eo; si potuerit probare quod verum sit accipiat alium, eo quod, juxta Apostolum, non potuit illi reddere vir suus debitum (*I Cor.* VII).

CAP. 81. — *De eadem re. Constitutio Novellarum* 37.

Si quis non potest cum uxore sua misceri, etiam sine repudio matrimonium dissolvatur.

(86) Sub finem, ad c. 1 Luc., de Elizabeth agit Amb.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 82. — *Quod propter spem prolis conjugia copulanda sint. Augustinus contra Faustum lib.* I.

Ad explendam tantum libidinem feminis impudica conjunctione miscentur Manichæi; filios autem inviti suscipiunt, propter quod solum conjugia copulanda sunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quando id conaris auferre de nuptiis, unde sunt nuptiæ? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores, meretrices uxores, thalami fornices, soceri lenones.

CAP. 83. — *Quod Dominica die ab uxore abstinendum sit. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap.* 63.

Consuluisti præterea, si liceat viro, Dominico nocturno tempore vel diurno cum uxore sua conjungi, aut dormire. Quibus respondemus : Quoniam si Dominico die ab opere mundano cessandum est, sicut supra docuimus, quanto magis a voluptate carnali, et omnimoda corporis pollutione cavendum.

CAP. 84. — *De eadem re. Ambrosius super Epistolam primam ad Corinthios (ad c.* VII, *init.)*

(33. *q.* 4, *c. Si causa.*) Si causa creandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad usum ipsum, quia et dies festi et dies processionis, et ipsa ratio conceptus et partus juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant.

CAP. 85. — *Ut mulier dominio viri sui subjecta sit. Ambrosius (Augustinus) in libro Quæstionum Veteris et Novi Testamenti, cap.* 45.

(33, *q.* 5, *c. Mulierem.*) Mulierem constat dominio viri subjectam esse et nullam auctoritatem habere, nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dicere, nec judicare; quanto magis non potest imperare.

CAP. 86. — *Quod vir non debet mulieri subtrahere debitum. Hieronymus super Ezechielem lib.* VII.

Caveat uxor ne forte victa desiderio coeundi celet virum, et maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi debere conjugii voluntatem.

CAP. 87. — *Ut communicaturi se eo tempore ab uxoribus abstineant. Sermo Hieronymi vigilia Paschæ, qui sic incipit : Hodie, fratres charissimi, populis Israel (tomo IX sermone* 33, *De esu agni, sed qui inter nothos).*

(33, *q.* 4, *c. Sciatis.*) Sciatis, fratres charissimi, quoniam quicunque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere. *Item post unum (atque alterum versum).* Si panes propositionis ab his qui uxores suas tetigerant comedi non poterant (*I Reg.* XXI), quanto magis panis ille qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi! Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnis operibus debeamus.

CAP. 88. — *Ne mariti cum uxoribus suis puerperis congrediantur ante tempus purgationis. Beda in Historia Anglorum, lib.* I, *cap.* 27. *Gregorius respondet Augustino (Greg. ad* 10 *August. interrogationem).*

(*Dist.* 5, *c. Ad ejus vero.*) Ad enixæ mulieris con-

A cubitum vir suus accedere non debet, quoadusque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo subrepsit, ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet sola causa incontinentiæ videtur inventum. Quia, dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent commisceri. Quippe cum et sine partus causa, dum in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir ad mulierem menstruatam accedat (*Lev.* XX). Quæ tamen mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi eccle-
B siam intrare non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari, et per hoc quod invita patitur, justum non est ut ab ingressu Ecclesiæ privetur. *Item (ibidem aliquanto post;* 33, *q.* 4, *c. Vir cum*). Vir cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aqua intrare ecclesiam non debet, sed neque lotus statim intrare debet. *Item (post aliquot versus).* Romanorum semper ab antiquioribus usus fuit, post admistionem propriæ conjugis, et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum reverenter abstinere. Nec hæc dicentes culpam deputamus esse conjugium, sed quia ipsa licita admistio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas
C ipsa esse sine culpa nullatenus potest. *Item (paulo post).* Oportet legitima carnis copula ut causa prolis sit, non voluptatis, et carnis commistio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis vero sua conjuge non voluptatis cupiditate raptus, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur, iste profecto sive de ingressu Ecclesiæ, sive de sumendo Dominici corporis et sanguinis mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas damnatur in opere commistionis, habent etiam conjuges quod de sua commistione defleant. *Item (ad calcem).* Tunc vir qui post admistionem conjugis lotus aqua fuerit, etiam sacræ communionis mysteD rium valet accipere, cum ei juxtam præfinitam sententiam ecclesiam etiam licuerit intrare.

CAP. 89. — *Quod Christiano cum uxore aliquando licet convenire, aliquando non. Augustinus in libro Quæstionum Veteris et Novi Testamenti, c.* 128.

(*Dist.* 88, *c. Fornicari.*) Fornicari omnibus semper non licet, negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet et negotiari; facto jam non licet. Et Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur. Unde Apostolus, Ex consensu, ait, abstinendum est ad tempus, ut vacetis orationi (*I Cor.* VII). Nam et

Introdusă în format electronic de Google

secundum legem in jejunio cædere et jurgari non licet, postea licet.

CAP. 90. — *Ut vir, si litigium inter eos fuerit, domet uxorem suam. Sermo* 65. *Amb., De verb. Domini.*

Si in una domo litem inter se habeant vir et uxor, ad hoc debet laborare vir ut domet uxorem, domita uxor subjugetur viro. Subjugata uxore viro, fiat pax in domo.

CAP. 91. — *Ut mulier subjecta sit viro. Ambrosius Hexaemeron in tractatu diei quarti (lib.* V, *c.* 7).

(33, *q.* 5, *Adam.*) Adam per Evam deceptus est (*Gen.* III), non Eva per Adam, quem vocavit ad culpam mulier. Justum est ut eam in gubernationem [eum gubernatorem, *orig.*] assumat, ne iterum feminea facilitate labatur.

CAP. 92. — *Quare mulier debeat velare caput suum. Ambrosius super primam Epistolam ad Corinthios (ad II, c.* I, *Ad Corinth.)*

(33, *q.* 5, *c. Mulier.*) Mulier debet velare caput, quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta. Et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere in [ut in *orig.*] ecclesia propter reverentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum; nec habeat potestatem loquendi, quia episcopus personam habet Christi. Quasi ergo ante judicem sic ante episcopum, quia vicarius Domini est, propter reatus originem subjecta debet videri.

CAP. 93. — *Quod vir debet imperare, mulier obtemperare. Augustinus super Joannem parte prima, tractatu* II.

Caro in Scriptura ponitur pro uxore, quomodo aliquando spiritus pro marito. Et quare? Quia ipse regit, hæc regitur; ille imperare debet hæc servire. Nam ubi caro imperat et spiritus servit, perversa domus est. Quid pejus domo ubi femina habet imperium super virum? Recta autem illa domus est ubi vir imperat, femina obtemperat.

CAP. 94. — *Quod naturalis ordo sit ut mulier serviat viro. Augustinus lib. quæstionum super Genesim cap.* 155.

(33, *q.* 5, *c. Est ordo.*) Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris, et filii parentibus; quia et illis hæc justitia est, ut inferior serviat majori.

CAP. 95. — *De eodem, Aug. lib. quæstionum de Veteri et Novo Testamento, cap.* 106.

(33, *q.* 5, *c. Imago.*) Hæc imago Dei est in homine, ut unus factus sit ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei, quasi vicarius ejus; quia omnis rex Dei habet imaginem. Ideoque mulier non est facta ad Dei imaginem, sic et enim dicit: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum.* (*Gen.* I; *Sap.* II). Hinc est unde Apostolus, *Vir quidem, ait, non debet velare caput, quia imago et gloria Dei est; mulier autem* (*I Cor.* I), ideo velat, quia non est gloria, aut imago Dei.

CAP. 96. — *Item, de eodem. Augustinus.*

(33, *q.* 5, *c. Satis.*) Satis hinc apparet quemadmodum subditas feminas viris, et pene famulas lex esse voluerit uxores, quod dicens adversus uxorem vir testimonium, unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur, ipse tamen non vicissim lapidaretur si hoc falsum esse constiterit; sed tantummodo castigatur, et damnificatur, eique perpetuo jubetur adhærere qua carere voluerat. In aliis autem causis, eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si (*quasi, Vict.*) probaretur, jussit occidi: eadem pœna plecti jubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus.

CAP. 97. — *Quod, sicut vir Christo, ita mulier viro suo subjecta esse debet. Hieronymus super Epistolam ad Titum* (*cap.* II).

(33, *q.* 5, *c. Cum caput.*) Cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quæcunque uxor non subjicitur viro, hoc est, capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus et vir, si non subjiciatur capiti suo, Christo. Verbum autem Domini blasphematur, vel cum contemnitur Dei prima sententia, et pro nihilo ducitur (*Gen.* III), vel Christi infamatur Evangelium, dum contra legem, fidemque naturæ, ea quæ Christiana est et ex Dei lege subjecta, viro imperare desiderat: cum etiam gentiles feminæ viris suis serviant communi lege naturæ.

CAP. 98. — *Quod mulier votum abstinentiæ reddere non possit, nisi permittente viro. Augustinus, lib. quæstionum in Numer. cap.* 53 (*lib.* IV *Quæst. super numer. quæst.* 59).

(33, *q.* 5, *c. Noluit.*) Noluit ita lex aliquid vovere Deo adversus animam suam, ut non in aliquarum rerum licitarum, atque concessarum abstinentia in iisdem votis feminæ valeat auctoritas, sed virilis; ita ut si adhuc innuptæ concesserat pater vota persolvere, antequam persolverit nupserit, et viro ejus hoc cognitum non placuerit, non persolvat: et hoc omnino sine peccato, quia Deus mundavit eam, sicut dicit lex, id est mundam judicavit. Neque hoc contra Deum fieri putandum est, cum ipse Deus hoc præceperit, hoc voluerit. *Item, ibid. aliquanto post.* (33, *q.* 5, *c. Manifestum.*) Manifestum est, ita voluisse legem, feminam sub viro esse, ut nulla vota ejus quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo. Nam, cum ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit, si prius permiserit, et postea prohibuerit, etiam hic tamen non dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa prius a viro fuerat; viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat; non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, ut cum prius vir ei concesserit, postea si prohibuerit, contemnatur [condemnetur, *orig.*].

CAP. 99. — *Quod adulterium secundum locum in pœnis obtineat. Ex epistola* I *Clementis ad Jacobum.*

(32, q. 7, c. *Quid in omnibus.*) Quid in omnibus peccatis est adulterio gravius? Secundum namque in pœnis obtinet locum; quoniam quidem primum illi habent, qui aberrant a Deo, etiamsi sobrie vixerint.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 100. — *De adulterio. Gregorius in Moralibus lib.* XXI (*c.* 9, *init.*).

Cum turpiter, vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.

Cap. 101. — *Quid sit adulterium. Ambrosius ad Paternum* (*epist.* 66, *init.*).

(27, *q.* 2, *c. Si quis.*) Si quis desponsata sibi, et tradita utatur, conjugium vocat. Qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit; cujus vel solo nomine reprimitur plerumque tentandi audacia.

Cap. 102. — *De eodem. Augustinus de bono conjugali* (*cap.* 4).

(32, *q.* 5, *c. Illæ autem.*) Adulterium dicitur, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera, contra pactum conjugale concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis et abjectis magnum animi bonum est. Et ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita ista continetur, certum est debere præponi.

Cap. 103. — *Quod templum Dei violat qui adulterium facit. Idem de verbis Domini cap.* 17 (*sermone* 16, *c.* 10).

Ipsum corpus tuum, templum est Spiritus Dei (*I Cor.* III). Jam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in ecclesia facere adulterium intra ipsos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei.

Cap. 104. — *Qui alienam conjugem concupiscit, ita ut, si locus detur, ea sit abusurus, jam reus est facti. Augustinus de libero arbitrio lib.* I, (*cap.* 3).

(*De pœniten., dist.* 1, *c. Si cui.*) Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquomodo sit id eum cupere, et si potestas detur esse facturum, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur.

Cap. 105. — *Quod non est faciendum adulterium, nec spe generandi regenerandos. Augustinus ad Claudium contra Julianum, lib.* V (*cap.* 8, *initio*).

(32, *q.* 4, *c. Sic non facienda.*) Sic non facienda sunt adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta sunt facienda, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos : quod tamen faciendum est, non furta perpetrando, sed bene utendo mammona iniquitatis.

Cap. 106. — *Quid sit adulterium. Isidorus lib. sententiarum, cap.* 39 (*lib.* II).

Fornicatio carnis adulterium est; fornicatio animæ, servitus idolorum est.

Cap. 107. — *Quod adulterium facit, qui propter suam ad alteram vadit. Isidor., super Exod. cap.* 29.

(32, *q.* 5, *c. Non mœchaberis.*) Non mœchaberis, id est, ne quisquam præter matrimonii fœdera aliis feminis misceatur ad explendam libidinem. Nam adulterium facit specialiter, qui præter suam ad alteram accedit.

Cap. 108. — *Quod reus est adulterii qui semel fecerit illud, etiamsi nunquam amplius facturus sit. Aug. ad Valerium de nuptiis et concupisc.* (*lib.* I, *c.* 26).

Si quis fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum quamvis illud jam non sit quod admisit, quia cum tempore, quod factum est, periit.

Cap. 109. — *Quomodo repudianda sit adultera. Novellarum constitut.* 5, *cap.* 7.

Si in adulterio maritus putaverit suam uxorem convinci, prius debet inscriptiones deponere, vel contra mulierem vel contra adulterum : et si talis accusatio vera comprobata fuerit, tunc repudium mittat.

Cap. 110. — *Marito in accusatione succumbente, eædem pœnæ quæ uxori convictæ irrogandæ, cap.* 8.

Si vitæ mulieris quocunque modo insidiatus fuerit maritus, vel si aliis hoc facientibus conscius non manifestaverit mulieri, et secundum leges eam non judicaverit, si mulieris castitati insidiatus fuerit, vel aliis eam in adulterium prodere conatus fuerit; item, si maritus ei de adulterio inscriptiones posuerit, et adulterium probare non poterit, liceat mulieri repudium mittere marito. *Item.* Illis pœnis subjiciatur maritus, si accusationem adulterii probare non poterit, quas mulier passura fuisset, si convicta fuisset. *Item.* Si in eadem domo in qua mulier cum ipso habitat, contemnens eam cum alia muliere frequenter manens convincatur, et semel et bis criminatus, vel per parentes suos, vel per mulieris parentes, vel per alias idoneas personas hujusmodi turpitudine non abstinuerit, liceat mulieri dissolvere nuptias.

Cap 111. — *Quod liceat marito occidere eum quem, postquam ter prohibuerit, cum uxore sua in una domo invenerit. Cap.* 14.

Si quis suspicatus fuerit de aliquo, velle eum pudori uxoris suæ illudere, liceat ipsi marito testationes in scriptis habitas ad suspectum hominem mittere, et ter ei denuntiare per testationes ipsas idoneos testes continentes, ne cum uxore sua inveniatur. Et si post tres testationes in scriptis habitas, et idoneos homines habentes, invenerit eum quem contestatus est cum uxore sua, vel in sua domo vel in domo mulieris, vel in domo illius adulteri, vel in popina [propinquo], vel in prastino, liceat marito sine ullo periculo manibus suis illum occidere. Sin autem in alio loco deprehenderit cum colloquium habentem cum uxore sua, convocatis tribus testibus idoneis, per quos possit probare apud judicem invenisse eum cum uxore sua colloquium habentem, tradat eum judici, et si judex invenerit post tres testationes suspectum hominem collocutum mulieri fuisse, nullo alio exquisito quasi adulterum puniat.

Cap. 112. — *Ut maritus si post tres contestationes invenerit uxorem suam cum suspecto homine in loco sacro colloquentem, ab episcopo eos ad pœnam requirat, cap.* 15.

Si post tres testationes [testificationes] invenerit maritus uxorem suam in sacro loco cum suspecto homine colloquium habentem, tradat eos Ecclesiæ

Introdusă în format electronic de Google

defensori, vel aliis clericis, ut separatim custodiantur in periculo defensoris vel clericorum, ut auditos judex mittat ad religiosum civitatis episcopum, et auctoritate ipsius accipiat eos, pœnis contra adulteros positis utrosque afficiat nullo alio requisito, si post tres attestationes inventus est cum muliere locutus. Est autem justissimum neque adulteros, neque raptores mulierum, sacrorum septis vindicare, et multo magis si quis de ipso adulterio intra sacra alienæ mulieri locutus est. Et generaliter definimus, si quis invenerit uxorem suam, vel filiam, vel neptem, vel nurum, et deprehenderit cum aliquo colloquium habentem, et suspicatus fuerit turpitudinis causa eos convenisse, liceat ambos Ecclesiæ tradere defensori, vel aliis clericis, periculo eorum separatim custodiendos, donec judici innotescere fecerit, et ille secundum leges personas acceperit, et causam discusserit.

CAP. 113. — *De adulterio, post quinquennium quam admissum est, neminem posse accusari. Codicum, lib.* XI, *tractatu* V.

Adulter post quinquennium quam commissum adulterium dicitur, quod continuum numeratur, accusari non potest.

CAP. 114. — *Quod maritus non potest inferre crimen adulterii uxori in matrimonio retentæ. Tractatu* XI.

Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est.

CAP. 115. — *Quod proximis tantum accusare licet de adulterio. Tract.* XXIX.

Ne volentibus temere liceat fœdare connubia, proximis necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi adulterium : hoc est fratri, patri, nec non patruo et avunculo, quos verus dolor ad accusationem impellit. Sed et his personis legem ita ponimus [imponimus, *Vict.*] ut crimen abolitione si voluerint compescant. Imprimis maritum tori genitalis judicem esse oportet, cui quidem ex suspicione ream conjugem licet. Extraneos procul arceri ab hac accusatione censemus.

CAP. 116. — *De Lothario rege et uxore ejus, quod per monomachiam non est convincenda. Nicolaus papa Carolo regi* (*epist.* 49).

Sicut multorum relatu didicimus, Lotharius rex conventum celebrare disponit, et Theibergam reginam examini proprio et judicio meditatur subjicere : et siquidem eam præstigiis falsitatis suæ potuerit exhibere, quasi non fuerit legitima sua uxor, vult eam penitus a se sequestrare. Sin autem vult eam tanquam propriam uxorem dimittere, sed deinde quasi mœchata fuerit insimulare, atque pro hoc hominem suum, et hominem Theibergæ ad monomachiam impellere, et si homo ipsius reginæ ceciderit, disponit hanc sine dilatione perimere. *Item.* Præterea sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium sit agitandum, nulla ratio patitur [ratione patet, *orig.*] Theibergam cum Lothario posse inire conflictum, vel legitimum controversiæ inire certamen, nisi prius ad tempus fuerit suæ potestati [reddita, *origin*]. Et consanguineis propriis sociata, inter quos etiam locus prævidendus est, in quo nulla sit vis multitudinis formidanda, et non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requirantur. Hæc idcirco diximus, ut ostendamus quem legum conflictum. Lotharius congredi posse autumat cum persona, quam in suis penetralibus quotidie fatigat, et conterit. Quando vult ad judicium, quando vult ad claustra reducit, et quando educta fuerit, nisi ea profiteatur quæ ipse præceperit, punit. Propriæ igitur libertati commiti, et ab omni oppressione atque potestate illius cum quo initur conflictus oportet liberari, atque suis liberaliter uti, et suspectas personas convenit declinare, quæ se ab objectis ostendere cupit immunem.

CAP. 117. — *Confessionem quamvis extorsit, nequaquam pro confessione esse habendam. Nicolaus Theibergæ reginæ* (*epist.* 48).

Nos hanc confessionem tuam, quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus : tantum vitium radices extendere nec permittimus, quod nisi evulsum intime fuerit, ad multorum perniciem potest accrescere. Denique si hoc licet, omnes viri possunt quas jure sortiti sunt feminas, si has odio habuerint, diversis afflictionibus macerare, et quod legitime non fuerint assumptæ statim cogere, quin etiam ut mortale crimen contra se dicant, illatis intolerabilibus pœnis, compellere.

CAP. 118. — *Ut nobili viro Radulpho uxor injuste ablata restituatur. Joannes VIII Theibergæ et Alderico* [*Alberico*] *filio ejus.*

Iterum iterumque vos admonemus, et præsentibus apostolatus nostri litteris hortamur feminam suam nobili viro Radulpho, sicut jam ante diximus, maturius restituere, et viro suo adhærere, secundum legem Domini facere : non enim lex ulla permittit quominus, aut injectum sibi crimen confiteatur, aut certe a crimine injecto, legitima præmissa purgatione solvatur. Quod si neutrum agere illa delegerit, sed sola obstinatione usa, nulli satisfactioni dare operam procuraverit : liquet aperte quia crimen quod non diluit, procul dubio conflitetur. Solæ namque, ut sanctus papa scribit Hormisdæ, examen effugiunt conscientiæ, quæ recta sunt non tenentes. Ergo si is, vel illa, vel vos apostolatus nostri decretis obedire postponentes, sæpe memoratam feminam aut a viri potestate, aut a legis examine nulla rationabili causa exstante, subducere amplius conati fueritis, tam illa quam vos Theiberga et Alderice quousque sanctioni nostræ pareatis, Dei omnipotentis judicio, et beatorum Petri et Pauli apostolorum, sententia principum, excommunicati et a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi sitis alienati, una cum fautoribus, consentaneis, sequacibus et complicibus vestris, utpote divinarum et humanarum legum violatores, sedisque apostolicæ decreto-

Introdusă în format electronic de Google

rum contemptores, et toties ac multipliciter infractores.

CAP. 119. — *De eodem et purgatione ejus. Joannes VIII Ausberto archiepisc. Mediolanensi.*

Vir spectabilis Radulphus nomine, imperatorius homo, nos nuper adierat, queritans et asseverans se uxorem suam, nomine Bavam, zelo pudoris fervente obscenæ suspicionis macula denotasse, ac sinistra crebrescente fama carnalis accusatione criminis impetisse. Qui cum hanc ad purgandum secundum legis propriæ tenorem, parentibus ejus et consanguineis tradidisset, ultra spatium anni fuerit sub criminalium reatu calumniarum retenta. Qua de re nos æquitatis amore succensi, apostolica parentibus ejus auctoritate præcipimus, quatenus mediante mense Augusto præteritæ septimæ indictionis, sive purgatam, sive aliter eamdem feminam viro proprio reddidissent, haud dubium quin subituram si non sæcularis legis, saltem ecclesiasticæ pietatis medelam. Alioquin, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi se nossent cum ea communione privandos, qui nec mundanarum vel divinarum legum censuram, nec apostolicæ sedis reverentes decretum, horum nihil (ut prædictus vir ad nos iterato veniens retulit, et ipsius rei exitus innuit) agere curaverunt. Quamobrem in sacro communionis munere, secundum quod illis intentando comminati fueramus eos merito privaremus, nisi alteram partem audiendam fore judicaremus. Unde, quia nos esse justos mediatores oportet, unius autem mediator non est, eosdemque vexare longius proficiscendo nolumus, sanctitati tuæ super hujusce controversiæ circumstantia, vice nostra delegata hortamur, ut statuto et indicto tempore venerabiles Luitfridum Ticinensem, Paulum Placentinum antistites ad certum accersas et uxore jam memorati Radulphi missis vestris et litteris advocata, quæ legis sive mundanæ sive divinæ sunt, super utroque conjuge incunctanter exerceas, secundum præstitutam vobis sacerdotalis mensuram duntaxat officii. Quæ, si post vocationem vestram quam tertiam esse post secundam nostram procul dubio constat, ad virum proprium collata sibi legali et indubitabili se libertate purgandi, minime redire delegerit, examenque sanctitatis vestræ subterfugiens declinaverit, a sacri corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione in idipsum una cum spiritu nostro convenientes, tam ipsam quam nequiter eam tuentes et defendentes consanguineos, quinimo fautores ejus, et omnes omnino communicatores, donec obediant, sequestrate.

CAP. 120. — *De pudicitia sermo Ambrosii* (81) *de accusato Domino, quæ sic incipit, Mirum forsitan.*

Pudicitiæ causam, nisi vir pudicus, audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.

CAP. 121. — *Ut is peccatum damnet, qui ejusdem peccati reus non est. Ambr. ad Irenæum* (*lib.* IX, *epist.* 76, *ad Studium*).

Dominus dixit : *Qui sine peccato est*, prior lapidet adulteram (*Joan.* VIII). Quid tam divinum, quid tam justum, quam ut is peccata censeat, qui expers peccati sit? Quomodo enim feras alieni ultorem, et proprii criminis defensorem? *Item, paulo post.* Cum accusatur mulier, caput Christus inclinat. Elevat autem, ubi defecit accusator. Ita nullum damnari vult, absolvi omnes.

CAP. 122. — *De eodem Augustinus de verbis Domini, tractatu* XLVIII (*serm.* 47 *De verb. Dom., vel. tract.* 33 *in Joan.*).

Dicit Dominus, quod dicere debet et mansuetus et justus : *Qui sine peccato est* prior in adulteram *lapidem mittat.* Hæc vox justitiæ est. Puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus. Impleatur lex, sed non a prævaricatoribus legis. Hæc vox omnino justitiæ est.

CAP. 123. — *Quomodo accusandus sit servus de adulterio dominæ suæ infamatus. Pandectarum, lib.* I, *tit.* XII.

Si quis servum suum adulterium commisisse dicat in uxorem suam, apud præfectum urbis erit audiendus.

CAP. 124. — *Ne uxor pro adulterio secundum divinas leges occidatur. Nicolaus Carolo archiepiscopo* (*Aluino Januensi archiep. inter rescripta tit.* XVIII, *c.* 8) *et ejus suffraganeis.*

(33, *q.* 2. *Inter hæc.*) Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito liceat secundum mundanam legem interficere eam. Sed sancta Dei ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus; non habet gladium nisi spiritualem; non occidit, sed vivificat.

CAP. 125. — *De eodem. Nicolaus Radulpho Bituricensi archiepiscopo* (*tit.* XVII, *c.* 3).

(33, *q.* 2, *c. Interfectores.*) Interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi nisi homicidæ? Ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus conjugium penitus denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est beati Leonis papæ XXV, regula decretalium, imo indulgentia observanda.

CAP. 126. — *De pœnitentia ejus qui propriæ uxoris necem perpetravit; quodque nec divina lex, nec humana aliquem condemnat, unius, etiam probatissimi, testimonio. Stephanus V Hastulpho.*

(33, *q.* 2, *c. Admonere.*) Admonere tecum lacrymis, et multo gemitu cordis curamus, fili Hastulphe, sed non filius dici debes, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam partem corporis tui legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis; non tibi resistentem, non insidiantem quocunque modo vitæ tuæ. Non invenisti eam cum alio viro nefariam rem fa-

(81) Ser. 49 qui est Maximi episc., falso Ambr. inscriptus.

Introdusă în format electronic de Google

cientem, sed concitatus a diabolo impio furore flammatus, latronum more atrocius eam gladio tuo crudelior omni bestia, interemisti, et nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatem. Filiorum tuorum, improbe prædo, qui matri non pepercisti, et filios tuos orphanos fecisti, inducere super eam vis mortis causam, post mortem, per unum homicidam et reprobum testem. Quoniam nec Evangelium nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo, quempiam condemnat, vel justificat : quanto magis per istum flagitiosissimum et scelestum, nec illa viva debuit condemnari, nec tu post mortem ejus excusari. Prius causa criminis: subtiliter erat investiganda, et tunc si ita fuisset inventa, secundum legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam, si verum, quod absit, fuisset, sicut adulter mentitus est, post octo annos pœnitentia forsitan peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti. *Non enim Deus vult mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Idcirco placeat tibi consilium nostrum, et facias hoc quod tibi melius et levius videri potest. Miserere animæ tuæ, ut non sis tuus tibimetipsi homicida. Relinquere quapropter te rogamus hoc malum, secundum quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus. Ingredere in monasterium, humiliare sub manu abbatis, multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta supplici animo quæ tibi fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, et refrigeret anima tua priusquam crucieris perpetuis flammis. Hoc melius et levius certissime scias. Sin autem publicam pœnitentiam permanens in domo tua, vel in hoc mundo, vis agere, quod tibi pejus et durius et gravius esse non dubites, ita ut agere debeas exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum et omnem siceram non bibas, carnem nunquam ullo tempore comedas præter Pascha, et die Natalis Domini. In pane et aqua, saleque pœnitere debes. In vigiliis, in jejuniis, orationibus et eleemosynis omni tempore persevera. Armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas. Uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere. In balneo nunquam lavare, in conviviis lætantium nunquam te miscere. In ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium et postes humiliter te reponere, ingredientium et regredientium suppliciter orationibus commendare. Communione corporis et sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes. In ultimo tamen exitus vitæ tuæ die si merueris, pro viatico, si sit qui tribuat, tantummodo venialiter ut accipias tibi concedimus. Sunt et alia multa quæ tibi durius et satis acrius erant juxta magnum pondus peccati, infelix adjicienda. Sed, si hæc omnia quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde Domino auxiliante feceris et custodieris, confidimus de immensa Dei clementia, remissionem te tuorum habiturum peccatorum, et secundum justi bonique Pastoris donum [dictum *Vict. et Grat.*], resolvet te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam qui eam sanguine suo acquisivit, solutus sis in cœlis. Sin autem aliter feceris, et sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis judex, et in laqueo diaboli quo irretitus teneris, permanebis. Sanguis tuus super caput tuum, nos alieni a consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare et Domini attentius misericordiam quotidie implorare. Qui cum Patre, etc.

CAP. 127. — *Ut nec pro religiosa vita vir ab uxore, nisi consensu ejus recedat. Eugenii papæ synodus tempore Ludovici et Lotharii Augustorum, cap.* 36.

(27, *q.* 1, *c. Si vir et uxor.*) Si vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam, uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvitur.

CAP. 128. — *De eodem. Nicolaus papa Carolo regi (in rescr. tit.* XVIII, *c.* 2).

(27, *q.* 2, *c. Scripsit nobis.*) Scripsit nobis Theiberga regina se velle dignitate seu copula exui, et sola [śolam] privata vita esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit.

CAP. 129. — *Non solvi conjugia causa religionis. Greg. Theotistæ patriciæ* (*lib.* IX, *ep.* 39, *c.* 2).

(27, *q.* 2, *c. Sunt qui.*) Si dicunt aliqui religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum est quia et si hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit. Per se enim Veritas dixit : *Quæ Deus junxit homo non separet* (*Matth.* XIX ; *Gen.* II). Quæ etiam ait, *Non licet dimittere uxorem* excepta causa fornicationis (*ibid.*). *Item.* Si vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittat uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem, quæ ista conversio in qua eadem caro, et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? *Item.* Cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam astringant, et meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor non appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet.

CAP. 130. — *Ne vir abstinens uxori occasionem fornicandi faciat. Sermo Chrysostomi, de titulo psalm.* 50 (*sub finem* I *homiliæ in psal.* L).

(27, *q.* 2. *Si tu abstines.*) Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis illi fornicandi licentiam, et peccatum illius abstinentiæ imputabitur tuæ.

CAP. 131. — *Quod inter separatos manet vinculum conjugii. Nicolaus episcopis Britanniæ.*

Scriptum est : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX). Tamen nuptiæ, ut maximi et re-

Introdusă în format electronic de Google

ligiosi viri sanxerunt, suo sunt ordine peragendæ. Nam de raptis et hujusmodi copulatis Patrum est regula subsequenda. Rursum sive elationis causa [si vel orationis causa], vel vacandi Deo separari ab uxore maluerit vix, ex consensu ambarum partium fore debebit, ut neuter eorum ad alias transeat ullo modo nuptias.

Cap. 132. — *De eodem. Augustinus de nuptiis et concupiscentia* (*lib.* I, *c.* 11).

Quibus placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut vinculum inter eos conjugale rumpatur : imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierunt, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.

Cap. 133. — *Ut nec causa orationis invicem se fraudent conjuges debito carnali, nisi ex consensu. Augustinus de adulterinis conjugiis* (*lib.* I, *c.* 2).

(33, *q.* 4, *c. Apostolus.*) Apostolus nec *ad tempus, ut vocetur orationi* (*I Cor.* VII), nisi ex consensu, voluit conjuges carnali invicem fraudare debito. *Item* (*cap.* 3). Si dicat vir : Dimitto quidem uxorem meam sine ulla causa fornicationis, sed continens permanebo, ideone dicemus eum impune fecisse quod fecit? Quis hoc dicere audebit, qui voluntatem domini hæc dicentis intelligit, quoniam nec continentiæ causa dimitti conjugem voluit, qui solam fornicationis causam excepit? *Item* (*cap.* 4). Ecce placuit continentia mulieri, viro non placuit; discessit a viro mulier, et cœpit vivere continenter, ipsa scilicet casta mansura, sed factura quod Dominus non vult adulterum virum : qui cum se non continuerit alteram quæret. Quid sumus dicturi mulieri, nonne quod dicit Ecclesiæ sana doctrina : Redde debitum viro (*I Cor.* VII), ne dum tu quæris unde amplius honoreris, ille unde damnetur inveniat?

Cap. 134. — *Quod nulla vovenda sunt a conjugatis, nisi ex consensu. Idem ad Armentarium, Riparium et Paulinam* (*epist.* 45).

(33, *q.* 5, *c. Una.*) Una sola causa esse potest, qua te id quod vovisti non solum non cohortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua conjux hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam et vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu et voluntate communi. Et si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas quam persolvenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum.

Cap. 135. — *Quod vivente uxore pro quacunque causa dimissa, altera duci non possit. Beda super Marcum, cap.* 31.

Una solummodo carnalis est fornicatio, una spiritualis. Timor Dei facit ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege præscripta, ut vivente ea quæ relicta est, alia ducatur.

Cap. 136. — *Quod votum est tenendum quod conjuges ex consensu voverint, aliter non. Augustinus ad Editiam* (*epist.* 199).

(33, *q.* 5, *c. Quod Deo.*) Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissi me persevera, quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si nunquam tenuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum. *Item, post pauca.* Non quia pariter temperabatis a commistione carnali, ideo tuus maritus esse destiterat. Imo vero tanto sanctius inter vos conjuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis. Nihil ergo de tua veste, nihil de auro, nihil de argento, vel quacunque pecunia, vel rebus illis terrenis tuis sine arbitrio ejus facere debuisti. *Item.* Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salva religionis causa vel observantia convenire. Hunc te maritus si deponere noluit, ne te velut viduam illo vivente jactares, puto quia non fuerat in hac re, usque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo quam ullius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius quam mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare? Quia et si te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito observato exoratoque sumi, quam illo inconsulto contemptoque præsumi. Quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit ut hinc displiceres Deo, quod conjuge tuo nondum defuncto non induereris sicut Anna, sed sicut Susanna.

Cap. 137. — *Quod post votum sit necessarium, quod antea fuit voluntarium. Augustinus in epistola ad Armentarium, Riparium et Paulinam* (*epist.* 45).

Possim pro modulo meo eosdem ipsos pertinentes ad dexteram regnumque cœlorum in suis gradibus meritisque distinguere atque ostendere, quo differat vita conjugalis, filios procreantium patrum matrumque familias, verumtamen religiosorum ac piorum, ab ea vita quam vos Deo vovistis, si nunc ad eam vovendam exhortandus esses. Sed quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior, quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Dominum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor. Modo autem tanto quod absit miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat, imo gaudeat jam tibi licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis, ipse adjuvabit qui vota tua expetit : felix est necessitas, quæ in meliora compellit (*Supra cap.* 134). Una sola esse causa posset qua

Introdusă în format electronic de Google

te id quod vovisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua conjux hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam et vovenda talia non sunt conjugatis, nisi ex consensu et voluntate communi. Et si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas quam persolvenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum. Divina quippe de hac re per Apostolum est prolata sententia : *Uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* (*I Cor.* VII)

CAP. 138. — *De Demetria virgine. Augustinus in epistola ad Julianum* (*epist.* 143).

Ministerii nostri adjuvante gratia et misericordia Salvatoris, in domo vestra tantus fructus exortus est, ut humanis nuptiis jam paratis sancta Demetrias spiritualem sponsi illius præferret amplexum, cui specioso præ filiis hominum ad habendam Spiritus uberiorem fecunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem virgines nubunt. Nesciremus autem quemadmodum nostra illa tunc exhortatio, a fideli et nobili virgine fuisset accepta, nisi nobis profectis, cum post paululum professa fuisset sanctimoniam virginalem, hoc ingens Dei donum, quod per servos quidem suos plantat et rigat, sed per seipsum dat incrementum (*I Cor.* III), nobis operariis provenisse, vestrarum litterarum lætissimo nuntio, et veraci testimonio disceremus.

CAP. 139. — *Quod non erret qui filiam suam dat viro habenti concubinam. Ex decretis Leonis papæ I* (*epist.* 91, *ad Rusticum episc. c.* 4).

(32, *q.* 2, *c. Non omnis.*) Non omnis mulier viro juncta uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, et inter æquales, et multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina ; sicut est aliud ancilla, aliud libera (*Galat.* IV.) Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahæ : *Ejice ancillam et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXII). Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et ecclesiæ sacramentum (*Ephes.* V) ; dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cujuslibet loci laicus [clericus, *orig.*] si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi forte illa mulier et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata videatur ; quia paterno arbitrio viris conjunctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerint quia aliud est nupta, aliud concubina.

CAP. 140. — *Qualis uxor legitima esse debeat. Ex epistola Leonis papæ.*

(30, *q.* 5, *c. Qualis.*) Qualis uxor esse debeat quæ habenda est secundum legem. Virgo casta et desponsata in virginitate, et dotata legitime, et a parentibus tradita, et a sponso, et a paranymphis accipienda, et ita secundum legem et Evangelium publicis nuptiis honeste in conjugium liquide sumenda, et omnibus diebus vitæ (nisi ex consensu et causa vacandi Deo) nunquam propter hominem separanda, et si fornicata fuerit dimittenda ; sed, illa vivente, altera non ducenda, quia *adulteri regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI), et pœnitentia illius per Scripturas recipienda.

CAP. 141. — *Ut nullus occulte nuptias celebret. Ex decret. Hormisdæ papæ, cap.* 6 (*In frag.*).

(30, *q.* 5, *c. Nullus.*) Ut nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat ; sed benedictione a sacerdote accepta, publice nubat in Domino.

CAP. 142. — *Quo tempore nuptiæ celebrandæ sint. Ex conc. Ilerdensi, cap.* 3.

(33, *q.* 4, *c. Non oportet.*) Quod non oporteat a Septuagesima usque in octavas Paschæ, et tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

CAP. 143. — *Qualiter benedicantur a sacerdote nubentes. Ex concilio apud Valentias, cap.* 101 (*sub Joan. I, in fragmentis et Carth.* IV, *c.* 13).

(*Dist.* 23, *c. Sponsus.*) Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus vel paranymphis in ecclesia sacerdoti offerantur, et cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

CAP. 144. — *Ut nullum conjugium sine dote fiat. Ex conc. Arelatensi* III, *cap.* 7 (*In fragm.*)

(30, *q.* 5. *c. Nullum.*) Nullum sine dote fiat conjugium ; juxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptiis quisquam nubere vel uxorem ducere præsumat.

CAP. 145. — *Ut sponsus et sponsa ante nuptias a sacerdote benedicantur. Ex decretis Sotheris papæ, cap.* 5.

Ut sponsus ac sponsa cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicantur : et legibus spondetur ac donetur, et a paranymphis custodiatur, et publice solemniterque accipiatur. Biduo etiam ac triduo se abstineant, et doceantur ut castitatem inter se custodiant, certisque temporibus nubant, ut filios non spurios, sed hæreditarios Deo et sæculo generent.

CAP. 146. — *De primi conjugii benedictione. Ex concilio Mediolanensi, cap.* 2.

In primo conjugio debet presbyter missam agere et benedicere ambos, et postea se abstineant ab ecclesia 30 diebus.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 147. — *Quod vir fidelis a muliere infideli separari non debeat.*

Apostolus dicit : *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus enim vir erit infidelis in muliere fideli, et sanctificata erit mulier infidelis per virum fidelem* (*I Cor.* VI).

CAP. 148.— *Ut in Christianorum nuptiis non saltetur. Ex concilio Laodicensi, cap.* 53.

Quod non oporteat Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare [βαλλίζειν, *origin.*], sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut Christianos decet.

CAP. 149. — *Ut viduam nemo furetur in uxorem. Gregorius dicit* (*conc. Rom.* I, *sub Greg. II, c.* 10).

(36, *q.* 2, *c. Si quis.*) Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio : Anathema sit !

CAP. 150. — *Ut virginem nemo furetur in uxorem. Item ejusdem.*

Si quis virginem nisi desponsaverit, furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio : Anathema sit !

CAP. 151. — *De virgine vel vidua furata. Ex decretis Eusebii papæ, cap* 10 (*ibid., cap.* 11).

Si quis virginem vel viduam furatus fuerit in uxorem, nisi a se desponsatam, anathema sit.

CAP. 152. — *De virginibus quæ virginitatem ante nuptias non custodierint. Ex concilio Eliberitano cap.* 5 (*cap.* 14).

Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverint, maritos acceperint, eo quod solas nuptias violaverint, post pœnitentiam unius anni reconcilientur. Si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ sint, quinquennio pœniteant, et sic ad communionem accedant.

CAP. 153. — *Quod nulli liceat concubinam habere. Ex dictis Augustini* (*lib.* L, *hom.* 49).

(*Dist.* 34, *c. Audite.*) Audite, charissimi, membra Christi et matris catholicæ Ecclesiæ filii. Quod dico competentibus, audiant fideles. Quod dico fidelibus, audiant competentes. Quod dico fidelibus et competentibus et pœnitentibus, audiant et catechumeni, audiant omnes, timeant, et nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne vobis sit in testimonium dolor meus. Competentibus dico : Fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores; concubinas vobis non licet habere. Audiat Deus si vos surdi estis ; audiant angeli ejus, si vos contemnitis, concubinas non licet vobis habere. Et si non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis et ducatis uxores; Tanto major damnatio vobis erit, si volueritis habere et concubinas et uxores. Non licet vobis habere uxores, quarum priores mariti vivunt. Nec vobis, feminæ, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulteria sunt ista conjugia, non sunt jure cœli, sed jure sæculi. Nec illam feminam licet habere, quæ per repudium decessit a marito. Solius fornicationis causa licet uxorem adulteram dimittere ; sed illa vivente, non licet alteram ducere.

CAP. 154. — *De illis qui ante nuptias concubinas habuerunt. Item Augustinus* (*serm. de tempore* 242).

Quale est, quod multi virorum ante nuptias concubinas sibi adhærere non erubescunt, quas post aliquot annos dimittunt, et sic postea legitimas uxores accipiunt. *Paulo post.* Unde coram Deo et coram angelis ejus contestor atque denuntio, Deum et ista semper prohibuisse, et nunquam ei placuisse, quia præcipue temporibus Christianis, concubinas habere nunquam licuit, et nunquam licebit.

CAP. 155. — *Item de concubinis. Ex concilio Arelatensi, cap.* 15.

Nulli liceat ullo tempore duas uxores habere, sed neque unquam concubinam.

CAP. 156. — *De ancilla, utrum proprio domino suo legitima fieri possit. Ex decretis Julii papæ, cap.* 4 (*in fragm*).

(29, *q.* 2, *Si quis ancillam.*) Si quis ancillam suam libertate donaverit, et in matrimonio sibi sociaverit, dubitabatur apud quosdam utrum hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, et nihil impium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimaverimus? Omnibus vobis unus est Pater in cœlis (*Matth.* VI), et unusquisque dives et pauper, liber et servus, æqualiter pro se et pro animabus eorum rationem daturi sunt. Quapropter omnes cujuscunque conditionis sint, unam legem quantum ad Deum habere non dubitamus.

CAP. 157. — *De illo qui servum suum et ancillam in matrimonium conjunxerit. Ex concilio Matiscensi, cap.* 10.

Si servum et ancillam dominus amborum in matrimonium conjunxerit, et postea liberato servo vel ancilla non potest redimi qui in servitio est, ideo matrimonia non solvuntur.

CAP. 158. — *De multinubis. Ex concilio Bracarensi, cap.* 81. (*Martinus Brac., in capitulis synodorum Græc. c.* 80, *epist.* 9.)

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat. Conversatio autem et fides pœnitentis compendiat tempus.

CAP. 159. — *Quod secunda conjugia sæcularibus non negentur, quibus tamen ad clerum minime venire conceditur. Ex decretis Gelasii papæ, cap.* 24.

Secundas nuptias sicut sæcularibus iniri conceditur, ita post eas ad clericale nullus sinitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio dedicata.

CAP. 160. — *De illis qui in plurimas nuptias inciderint. Ex concilio Neocæsariensi, cap.* 3.

(31, *q.* 1, *c. De his qui.*) De his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conversatio eorum et fides tempus abbreviat.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 161. — *De illis qui tertio nuptias celebraverint. Ex decretis Hormisdæ papæ, cap.* 2.

Ne quisquam amplius quam duas accipiat uxores, quia jam tertia superflua est.

CAP. 162. — *De Bigamis. Ex concilio Laodicensi, cap.* 1.

De his qui secundum ecclesiasticam regulam libere ac legitime secundis nuptiis juncti sunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt [μὴ λαθρογαμίαν ποιησαντας], oportet ut parvo tempore transacto, vacent orationibus et jejuniis. Quibus etiam juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus.

CAP. 163. — *De numero maritorum. Ex dictis Hieronymi (tomo* III, *contra Jovinianum lib.* I).

Ubi fuerit numerus maritorum, ibi vir proprius unus esse desistit.

CAP. 164. — *De ingenuo, si alterius ancillam pro ingenua acceperit, et postea ancillam esse intellexerit. Ex conc. apud Vermeriam, cui interfuit rex Pipinus, cap.* 7.

(29, *q.* 2, *c. Si quis ingenuus.*) Si quis ingenuus homo ancillam alterius acceperit, et æstimat quod ingenua sit, si ipsa femina postea fuerit in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Si autem servam eam scierat et collaudaverat, post ut legitimam habeat. Similiter et mulier ingenua de servo alterius facere debet.

CAP. 165. — *De femina ingenua, si servum maritum acceperit. Ex eodem conc., cap.* 8.

(29, *q.* 2, *c. Si femina.*) Si femina ingenua acceperit servum, sciens quia servus esset, habeat eum, C quia omnes unum patrem habemus in cœlis (*Matth.* VI). Una lex erit et viro et femipæ.

CAP. 166. — *De legitime conjunctis, si alter illorum in amentiam devenerit. Ex epistola Nicolai ad Carolum Magunticusem episcopum missa (in rescript. tit.* XVIII, *c.* 7).

(32, *q.* 7, *c. Si qui matrimonium.*) Si qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris detruncantur.

CAP. 167. — *De legitimis matrimoniis servorum. Ex conc. Cabillonensi* II, *cap.* 30.

(29, *q.* 7, *c. Dictum est.*) Dictum est nobis quod quidam legitima servorum matrimonia, potestativa quadam præsumptione, dirimant, non attendentes illud evangelicum : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX). Unde nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes, dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, et per voluntatem dominorum.

CAP. 168. — *De furiosorum matrimoniis. Ex decretis Fabiani papæ, cap.* 5 (*ad calcem decretorum*).

(32, *q.* 7, *c. Neque furiosus.*) Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur.

CAP. 169. — *De desponsata puella, utrum alter eam in matrimonium accipere possit. Ex epistola prima Siricii papæ, cap.* 4.

(27, *q.* 2, *c. De conjugali.*) De conjugali autem violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus; quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transitione violetur.

CAP. 170. — *De his qui sponsas alienas rapiunt. Ex concilio Meldensi, cap.* 5 (*sub Sergio II, cap.* 68).

De his qui sponsas alienas rapiunt, antiqua et synodalis sententia observetur. Quod et si forte in ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis et religionis competentiis humanius quiddam debeant tractare pontifices, sicut canonica, ut eisdem B verbis utamur, docet auctoritas; quia prior, inquiens, definitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia. Quod si hæc [his, *orig.*] obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur. Fautores vero illius juxta modum culpæ episcopi decreto pœniteant. Si vero, quod non optamus, de gradu ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem vel interventorem manifeste prodiderit, a gradu proprio repellatur; et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, canonice se purget.

CAP. 171. — *De eadem re. Ex concilio apud Aquisgranum, cap.* 3.

Placuit, ut hi qui rapiunt feminas vel furantur aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis C eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonice et legaliter eam accipiat, et non rapiat. Qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat.

CAP. 172. — *Item de eadem re. Ex concilio Meldensi, cap.* 10 (*sub. Serg. II, c.* 66; *conc. Rom., sub Greg. II, c.* 10).

Qui vero deinceps rapere virgines præsumpserint vel viduas, secundum synodalem beati Gregorii definitionem, ipsi et complices eorum anathematizentur, et raptores sine spe conjugii perpetuo maneant.

CAP. 173. — *De his qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 27 D (*actione* 15).

(36, *q.* 2, *c. Eos qui rapiunt.*) Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, cooperantes autem et conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, ut si quidem clerici sint, decidant de gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.

CAP. 174. — *De puellis raptis nondum desponsatis. Ex conc. Cabillon., cap.* 27.

(36, *q.* 2, *c. De puellis.*) De puellis raptis necdum desponsatis in Chalcedonensi concilio scriptum est: Eos qui rapiunt puellas, sub nomine simul habitandi, cooperantes et conniventes raptoribus, decretavit sancta synodus, ut si quidem clerici sunt, decidant de gradu proprio; si vero laici, anathematizentur. Quibus verbis datur intelligi, qualiter hujus

Introdusă în format electronic de Google

mali auctores damnandi sint, quando participes consilii et conniventes tanto anathemate feriuntur, ut juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt.

CAP. 175. — *De eadem re. Ex concilio Toletano.*

Proinde placuit atque statutum est a sacro conventu ut, si aliquis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia multetur, et sine spe conjugii maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si et ipsi post hæc se conjungere præsumpseriut, utrique usque ad satisfactionem anathematizentur.

CAP. 176. — *De eadem re. Ex concilio Ancyrano, cap.* 11 (*cap.* 10).

(27, *q.* 2, *c. Desponsatas.*) Desponsatas puellas et post ab aliis raptas, placuit erui, et eis reddi quibus ante fuerant despensatæ, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit.

CAP. 177. — *De eadem re. Ex concilio Meldensi, cap.* 65.

Si autem [hi a. qui, *orig.*] necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum sub prælato desponsionis vel dotalitii nomine, in conjugium sumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata, ab earum conjunctione separentur, et publicæ pœnitentiæ subigantur. Raptæ autem parentibus legaliter restituantur. Post actam vero publicam pœnitentiam, si ætas et incontinentia exegerit, legitimo ex utrisque partibus placito conjugio socientur. Nam in his non regulam constituimus, sed, ut verbis magni Leonis utamur, quod sit tolerabilius æstimamus. Quod si unus ex conjugatis obierit, is qui publicam pœnitentiam exegerit et superstes exstiterit, iterare conjugium non præsumat, nisi forte episcopus prævideriit aliquam concedere indulgentiam, ut graviorem possit amovere offensam.

CAP. 178. — *De illis qui matrimonio juncti sunt, et concumbere non possunt. Ex epistola Gregorii ad Joannem Ravennatem episcopum.*

Quod autem interrogasti de his, qui in matrimonio juncti sunt, et nubere non possunt, si ille aliam vel illa alium ducere possit, quibus scriptum est: Vir et mulier si se conjunxerint, et postea dixerit mulier de viro, quod non possit coire cum ea; si potest probare per justum judicium quod verum sit, accipiat alium; si autem ille aliam acceperit, separentur.

CAP. 179. — *De eadem re. Ex concilio apud Vermeriam, temporibus Pipini regis, cap.* 17.

Si qua mulier se proclamaverit quod vir suus nunquam coisset cum ea, exeant inde ad crucem, et si verum fuerit separentur, et illa faciat quod vult.

CAP. 180. — *De eadem re. Ex concilio apud Compendium, cap.* 20.

(33, *q.* 1, *c. Si quis.*) Si quis accepit uxorem, et habuit ipsam aliquo tempore, et ipsa femina dicit quod non coisset cum ea, et ille vir dicit quod sic fecit, in veritate viri consistat, quia *vir caput est mulieris* (*I Cor.* XI).

CAP. 181. — *De eadem re. Ex concilio Triburiensi, cap.* 3 (*conc. Tribur., c.* 41).

(27, *q.* 2, *c. Quidam despondit.*) Vir si duxerit uxorem concumbere cum ea non valens, et frater ejus clanculo eam vitiaverit, et gravidam reddiderit, separentur. Considerata autem imbecillitate, misericordia eis impartiatur ad conjugium, tantum in Domino.

CAP. 182. — *Item de eadem re. Ex epistola Gregorii.*

(33, *q.* 50, *c. Requisisti.*) De his requisisti, qui ob causam frigidæ naturæ se dicunt non posse invicem operam carnis dantes, commisceri. Iste vero, si non potest ea uti pro uxore, habeat quasi sororem. Quod si retinaculum jugale volunt rescindere, maneant utrique innupti. Nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Igitur si vir aliam vult accipere uxorem, manifesta ratio patet, quia succendente diabolo odii fomitem, exosam eam habuit, et idcirco illam dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier causatur et dicit, Volo mater esse et filios procreare, uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis, jurejurando dicat, ut nunquam per commistionem carnis conjuncti una caro effecti fuissent; tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis eorum* (*Rom.* VI). Vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge. Quod si et ille aliam copulam acceperit, tunc qui juraverint perjurii crimine rei teneantur, et pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia.

CAP. 183. — *De conjugatis qui sæcularia relinquere desiderant. Ex dictis Basilii episcopi* (82).

Si quis conjugatus vult converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illa, vivente illo, per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum ejusmodi viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum, relicto sæculo, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum.

CAP. 184. — *De viro qui uxorem suam velari permiserit. Ex concilio Remensi, capitulo* 4.

(33, *q.* 5, *c. Qui uxorem.*) Qui uxorem suam permiserit velare, aliam non accipiat, sed similiter convertatur.

CAP. 185. — *De muliere, si sine licentia viri sui velum sibi imposuerit. Ex concilio apud Compendium, cap.* 6.

(33, *q.* 5, *c. Mulier si sine.*) Mulier si sine licentia viri sui velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiet eam iterum ad conjugium.

(82) Ex syn. VIII sub Photio Constant. celebrata, penult. can. cui aliquot interfuere episcopi Basilii nomine.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 186. — *De eadem re. Ex registro Greg. ad Adrianum notarium, lib.* IX, *cap.* 46.

(27, *q.* 2, *c. Agathosa.*) Agathosa latrix præsentium questa est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem abbatis culpam et invidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, et illum in monasterio permanere provideat, et hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nil horum est, nec quoddam fornicationis crimen propter quod viro licet uxorem relinquere prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, et si jam tonsuratus est, reddas omni excusatione cessante. Nam, excepta fornicationis causa, virum uxorem relinquere nulla ratione conceditur; quia postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo manere.

CAP. 187. — *De singulari certamine, quod Lotharius molitus est contra Theibergam uxorem suam. Nicolai papæ* (*in rescr. tit.* XX, *c.* 1).

(2, *q.* 4, *c. Monomachiam.*) Monomachiam vero in legem non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus. Quam licet inisse quosdam legamus, sicut sanctum David et Goliam sacra prodit historia (*I Reg.* XVII), nusquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina sanxit auctoritas : cum hoc et hujuscemodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur.

CAP. 188. — *De eadem re, ejusdem Nicolai ad Lotharium* (*epist.* 51).

(27, *q.* 2, *c. Scripsit.*) Itaque summo studio Theibergam conjugem tuam tanquam propriam carnem fovere ac diligere procurato, et ne illam ullo pacto consentias discedere a te, vigilanter attendere. Unde si vult a te discedere, corripe, imo corrige eam, et a tali intentione per omnia revocare satage. Jam vero si amore pudicitiæ separationem quærit, et conjugalis connubii solutionem efflagitat, certum est, Apostolo dicente, quia *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir* (*I Cor.* VII). Verum si et ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissolvere vis, tantum ne simulate fiat concedimus. Nam, licet sit scriptum : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX ; *Gen.* II), Deus tamen, et non homo separat, quando divini amoris intuitu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis, gratuito permittimus animo, celeremque præbemus assensum; aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus.

CAP. 189. — *De illis qui in alias provincias fugerint, aut suos seniores secuti fuerint, uxoribus suis domi relictis. Ex conc. apud Vermeriam, cap.* 6.

(34, *q.* 2, *c. Si quis necessitate.*) Si quis necessitate inevitabili cogente, in alium ducatum seu provintiam fugerit, et uxor ejus cum valet et potest amore parentum aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quandiu vir ejus quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat.

CAP. 190.—*De feminis quæ, captis viris, vel in captivitatem missis aliis nupserint. Ex epistola Leonis papæ, cap.* 42 (*ad Nicetam Aquileiensem epist.*).

(79, *c.* 1, *quanquam non iisdem omnino verbis.*) Quod debeant feminæ quæ, captis viris et in captivitatem ductis, aliis viris nupserant, putantes interemptos maritos, remeatis de captivitate prioribus viris copulari : ut cuique id quod legitime habuit reformetur, et recipiat unusquisque quod suum est, et redintegrentur fœdera nuptiarum.

CAP. 191. — *Quod non probetur esse culpabilis qui uxorem captivi in matrimonio videtur esse sortitus. Ex epistola ejusdem, cap.* 43 (*ibidem, c.* 2).

Nec tamen culpabilis judicetur, et tanquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa, quæ ad eos qui in captivitatem ducti sunt pertinebant, in jus alienum transire potuerunt; tamen plenum justitiæ est ut ejusdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus rite servatur, quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum sit ut, quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur?

CAP. 192. — *Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione privandæ sunt. Ejusdem Leonis, cap.* 45 (*ibidem c.* 4).

(34, *q.* 2, *c. Si autem.*) Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ ut malint his cohærere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandæ, ita ut ecclesiastica communione priventur, quæ de re excusabili contaminationem [quia inexcusabiliter cont., *orig.*] criminis elegerunt : ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit; quia sicut hæ mulieres, quæ ad viros suos reverti noluerint, impiæ sunt habendæ, ita illæ, quæ in affectum ex Deo initum redeunt, merito sunt laudandæ.

CAP. 193. — *Ut si viri de captivitate regressi, intemperantia uxorum offensi non fuerint, et voluerint eas in conjugio recipere, liberam habeant facultatem. Item Leonis papæ, cap.* 44 (*ibidem, c.* 3).

Et ideo si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverent, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit, et restituendum est quod fides poscit.

CAP. 194. — *Quid agendum sit si per sortiarias vel maleficas, concubitus impeditus fuerit. Hincmarus, Remensis episcopus.*

(33, *q.* 1, *c. Si quis per sortiarias.*) Si per sortiarias atque maleficas occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, et diabolo præparante,

Introdusă în format electronic de Google

concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista A eveniunt ut corde contrito et spiritu humiliato Deo et sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, et profusis lacrymis ac largioribus eleemosynis et orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant, et per exorcismos ac cætera medicinæ ecclesiasticæ munia, ministri ecclesiæ tales quantum annuerit Dominus, qui Abimelech, ac domum ejus, Abrahæ orationibus sanavit (*Gen.* xx), sanare procurent. Qui forte si sanari non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus quibus junctæ fuerint prioribus quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.

Cap. 195. — *De illo qui in paganismo uxorem suam dimiserit. Ex decretis Eutychiani papæ (in frag., decr. 5).*

(28, *q.* 1, *c. Si quis gentilis.*) Si quis gentilis gentilem dimiserit uxorem ante baptisma, post baptismum in potestate ejus erit eam habere, vel non habere.

Cap. 196. — *De baptizato, si uxor ejus infidelis converti noluerit. Ex dec. ejusdem (cap. 6).*

(28, *q.* 1, *c. Simili modo.*) Simili modo si unus ex conjugatis baptizatus est, et alter gentilis, et sequi non vult, sicut dicit Apostolus, *infidelis, si discedit, discedat* (*I Cor.* vii).

Cap. 197.—*De illo qui ante baptismum mulierem virginem acceperat. Ex concilio Meldensi, cap.* 2.

(28, *q.* 2, *c. Si quis uxorem.*) Si quis habuerit C uxorem virginem ante baptismum, vivente illa, post baptisma alteram habere non potest. Crimina in baptismo solvuntur, non conjugia.

Cap. 198. — *De illis feminis quæ, nulla causa interveniente, reliquerunt viros suos. Ex concilio Eliberitano, cap. 8.*

Item feminæ quæ, nulla præcedente causa, reliquerunt viros suos, et alteri se copulaverunt, et in hoc permanere voluerint, nec in fine accipiant communionem.

Cap. 199. — *De femina quæ adulterum reliquerit, et adulterum acceperit. Ibidem, cap.* 9.

(32, *q.* 7, *c. Fidelis.*) Item femina fidelis quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et adulterum [alterum, *orig.*] ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is quem reliquit de sæculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit. D

Cap. 200. — *Quod neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur. Ex concilio Africano, cap.* 69 (*et conc. Milevit, c.* 17).

(32, *q.* 7, *c. Placuit.*) Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

Cap. 201. — *De illo qui vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, et eam post mortem sumpsisse dignoscitur. Ex concilio Meldensi, cap.* 69 (*et conc. Tribur., c.* 51).

(31, *q.* 1, *c. Si quis vivente.*) Is qui, vivente marito, conjugem illius adulterasse accusatur, et eo in proximo defuncto eamdem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ subigatur. De quo etiam post pœnitentiam præfatam, si expedierit, servabitur regula, nisi forte idem aut mulier virum qui mortuus fuerat, occidisse notentur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii cum pœnitentia perpetuo maneant. Si autem negaverit se eamdem feminam, vivente viro, nequaquam adulterasse, et præfati homicidii neuter eorum convinci potuerit, purgent legaliter famam suæ opinionis, et B sumpto utantur conjugio, si alia, ut diximus, non impedierit ratio.

Cap. 202. — *De eadem re. Ex concilio Triburiensi, cap.* 40.

(31, *q.* 1, *c. Relatum.*) Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quemdam alterius uxorem stupro violasse, insuper et mœchæ, vivente viro suo, juramentum dedisse ut, post legitimi mariti mortem si supervixisset, duceret uxorem. Quod et factum est. Tale igitur connubium prohibemus et anathematizamus.

Cap. 203. — *De illo qui uxorem habet, et sæpius mœchatus fuerit. Ex concilio Elibertino, cap.* 7.

Si quis fidelis habens uxorem, non semel sed sæpius fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio.

Cap. 204.—*Quod non conveniat cum hæreticis Christianos nuptialia jura contrahere. Ex concilio Laodicensi, cap.* 31 (*et conc. Agathen., c.* 67).

(28, *q.* 1, *c. Non oportet.*) Quod non oporteat cum hæreticis universis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare vel filias; sed magis accipere, si tamen Christianos se fieri promittant.

Cap. 205. — *Si laicus absolutus cum laica absoluta peccaverit. Ex conc. Meldensi, cap.* 7.

Si laicus cum laica femina, id est uterque absolutus a lege conjugii concubuerit, tres annos pœniteat. Et quanto sæpius et negligentius ea peccata commiserit, tanto magis et tempus addatur et modus pœnitentiæ.

Cap. 206. — *De uxore quæ, conscio marito, mœchata fuerit. Ex concilio Maguntinensi, cap.* 9.

Si, conscio marito et ipso consentiente, uxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam eis communionem. Si vero eam reliquerit, et separati fuerint, et digne pœnituerint, post 10 annos accipiant communionem.

Cap. 207.— *De viro uxorem non habente, si cum alterius uxore adulterium perpetraverit. Ex concilio Nannetensi, cap.* 6 (*sub Formoso, c.* 11).

Quod si vir non habens uxorem cum alterius uxore adulterium perpetraverit; aut si qua mulier non habens virum cum alterius viro, ille qui fœdus violavit conjugii, 7 annos, ut supradictum est, pœniteat. Ille qui lege conjugii non tenetur, 5 annos

Introdusă în format electronic de Google

pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam conjugum amplexus, et illis qui conjuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.

CAP. 208. — *De conjugatis qui aliqua certa re discidium fecerint, ut innupti maneant. Ex dictis Augustini* (*lib.* I *De sermone Domini in monte, c.* 28).

(32, *q.* 7, *c. Apostolus.*) Apostolus Paulus dicit: *His qui sunt in conjugio præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (*I Cor.* VII). Potest enim fieri ut discedat ea causa qua Dominus permisit. Aut si feminæ licet virum dimittere etiam propter causam fornicationis, quid respondebimus de hoc quod dicit posterius : *Et vir uxorem non dimittat ?* (*ibid.*) Quare non addidit excepta causa fornicationis quod Dominus permittit, nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine uxore aut reconcilietur uxori ? *Et post pauca.* Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti ; sed quia permisit, non jussit.

CAP. 209. — *De illis qui, interveniente repudio, aliis se in matrimonio copulaverint. Ex decretis Innocentii papæ, cap.* 26 (*epist.* 3, *c.* 6).

De his etiam requisivit dilectio tua qui, interveniente repudio, aliis se matrimonio copulaverunt : quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum esse videatur conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, intantum ut hæc etiam personæ quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur secundum illud, quod legimus in Evangelio : *Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, mœchatur* (*Matth.* V; XIX). Et ideo omnes a communione fidelium decrevimus abstinendos. De parentibus autem aut propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi si incentores illiciti consortii fuisse videantur [detegantur, *orig.*].

CAP. 210. — *Si cujus uxor constuprata fuerit et propterea maritus perdere illam machinaverit. Ex conc. Triburiensi, cui interfuit Arnulphus rex, cap.* 46.

Si cujus uxor constuprata fuerit, et propterea maritus capitali sententia delere illam machinaverit; ipsa vero, urgente mortis periculo, ad episcopum confugerit, et auxilium quæsierit, operosiori tamen si potest episcopus labore desudet, ne occidatur ; si vero non potest, nullo modo liceat ei requirenti eam reddere ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum. Sed solerti cura transmittat eam ad locum quem ipsa delegerit, ut secura possit vivere. Si vero interdum maritus eam invenerit et repetierit, secundum sæculum potestatem habebit quid ei agere velit. Sed audiat sanctum Augustinum dicentem (*sermone de tempore* 243) : Cum enim vir a virtute nomen accipit, et mulier a mollitie, id est fragilitate, quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult unusquisque uxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadat ? *Aliquanto post.* Nam quidquid contra fidem catholicam non licet mulieribus, nec viris licebit. *Hactenus August.* Si autem eadem mulier timore perterrita, a loco ubi eam episcopus destinavit aufugerit, et vir ejus ab episcopo semel aut bis vel sæpius repetierit, si vitam ei obtinere possit, perquirat et reddat. Sin autem, omnino non reddat. Maritus vero quandiu ipsa vivat, nullo modo alteram ducat.

CAP. 211. — *De eo, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit. Ex concilio apud Altheum habito, præsente Conrado rege, cap.* 5.

(31, *q.* 2, *c. Illud vero.*) Illud vero communi decreto secundum canonum instituta definimus, et præjudicamus ut, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium quam prius polluit per adulterium.

CAP. 212. — *De ingenuo, si ingenuam acceperit uxorem, et postea se servum esse profitetur. Ex concilio Triburiensi, cap.* 8.

(29, *q.* 2, *c. Perlatum est.*) Perlatum est ad sanctam synodum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, et post filiorum procreationem occasione divortii cujusdam servum se fecerit, utrum necessario mulierem tenere debeat, et si tenuerit, utrum illa quoque secundum sæcularem legem servituti subjici debeat. Judicatum est, uxorem minime debere dimitti ; non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi, dum ille non ex consensu conjugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum accepit.

CAP. 213. — *De illis conjugatis quorum leges diversæ sunt. Ex eodem concilio, cap.* 39.

De Francia nobilis quidam homo, nobilem de Saxonia Saxonum lege duxit uxorem. Tenuit multis annis, et ex ea filios procreavit. Verum, quia non iisdem utuntur legibus Saxones et Franci, causatus est quod eam non sua, id est, Francorum lege desponsaverit, vel acceperit, aut dotaverit, dimissaque illa duxit alteram. Definivit super hoc sancta synodus ut ille transgressor evangelicæ legis subigatur pœnitentiæ ; a secunda conjuge separetur, priorem resumere cogatur.

CAP. 214. — *Cur communicentur viri adulteri, cum adulteris uxoribus non communicetur. Ex decretis Innocentii papæ, cap.* 24 (*epist.* 3, *c.* 4).

(32, *q.* 5, *c. Christiana.*) Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur, dum super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnet. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt; et ideo

Introdusă în format electronic de Google

mulieribus prodito earum crimine, communio denegatur; virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur : qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

CAP. 215. — *Judicii examinatio.*

De hoc quod mihi reputatum est in hac synodo, quod simul cum ista femina adulterium vel fornicationem fecissem, quod ego non ita feci, nec inde me culpabilem recognosco : sic me Deus adjuvet, et istud judicium.

CAP. 216. — *Separatio incestæ copulationis.*

(35, *q.* 6, *c. Ab isto die.*) Ab isto die in antea, cum ista femina cum qua adulterium vel fornicationem fecisti, unde disciplinam vel pœnitentiam suscepisti, amplius non adulterabis, nec fornicaberis cum ea, nec aliam uxorem accipies, nisi post peractam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab episcopo aut ab ejus misso. Sic te Deus adjuvet.

CAP. 217. — *Reconciliatio conjugatorum.*

(35, *q.* 6, *c. Ab isto.*) Ab isto die in antea, istam tuam conjugem nomine N. quam injuste dimiseras, ita tenebis, sicut per rectum maritus suam debet habere conjugem in dilectione, et debita disciplina. Nec eam per ullum malum ingenium a te separabis, nec ea vivente aliam accipies. Sic te Deus adjuvet.

CAP. 218. — *De eadem re.*

Amodo in antea istum tuum maritum, quem injuste dimiseras, ita tenebis, et amplexaberis, et ei in servitio, et in amore, et in timore, ita eris subjecta et obediens, sicut per rectum uxor suo debet subjecta esse marito. Nec unquam ab eo te separabis, nec illo vivente, alteri viro te sociabis, nec conjugio aut audulterio. Sic te Deus adjuvet.

CAP. 219. — *De uxore cujusdam, quæ propter suspicionem fornicationis eo relicto, postea ad eum reversa est. Gregorius Secundino episcopo Tauromenitano* (*lib.* VIII *regist.*, *epistola* 32).

Præsentium portitor Leo chartularius ad nos veniens, indicavit uxorem suam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius stimulatam aiebat, atque ob hoc religiosam vestem induerat, culpabilem nullatenus exstitisse, neque post initum conjugium in fornicationis culpam collapsum. Adjiciens quoque quod eidem uxori suæ districtissima sacramenta præbuerit, insontem se de ea re, unde illam mordebat suspicio, permansisse, et idcirco propria eam voluntate reversam. Sed quia communione illam cum familia sua pro hoc solo a fraternitate vestra privatam asserit, quod ad eum clam postpositis vobis redierit, volumus ut familia quidem ipsius sacram communionem recipiat, et dominæ eam culpa in hujus afflictionis pœna [familiam *orig.*] diu non teneat. De ipsa vero uxore prædicti portitoris hoc vos observare necesse est ut, si manifeste constat quia contra conjugem suum dicere nihil potuit, sed insuper suspicio ipsius præstito, ut edocti sumus, sacramento amputata est, atque post hoc, A sua ad eum sponte reversa est, et in ea quoque ita temperanda est censura judicii, ut longo jam tempore communione minime privetur.

CAP. 220. — *Ne uxor sine voluntate viri ab eo separetur. Alexander papa II, Landulpho in Corsica* (*epist.* 11).

(33, *q.* 5, *c. Notificasti.*) Notificasti te morte tenus infirmatum, et peccatorum tuorum recordatione et terrore valde pavefactum, anxie quæsisse monachum fieri, et a tua uxore minis et terroribus eam occidendi, ad hoc licentiam extorsisse, et sic te monachicam vestem sine abbate sumpsisse, et monasterium petiisse. Postea vero cum sanus factus esses, tuæ uxoris reclamationibus, ejulationibus, et planctibus, tuæque familiæ dispersionibus, utpote B pœnitens devictus (penitus dev., *orig. et pann.*) domum remeasse, et post multos dies quorumdam sapientum consilio ad jam dictæ cubile mulieris rediisse. Nunc autem si tibi tua uxore uti liceat, nostrum requiris consilium. Si ita denique est, ut tuus nuntius narrat, non videtur nobis rationabiliter, neque sana mente id factum; quoniam cum omni homini ad monachicam vitam tendenti legaliter, sancte, et juste sit peragendum, tu contra leges minaciter et violenter a tua uxore, partim terrore mortis partim tuæ infirmitatis doloribus examinatus, devia secutus, nulla, ut dicitur, licentia accepta, recessisti et monasterium petisti. Non enim violentia, sed ex pari voluntate et consensu, sicut sancti Patres dicunt, hoc fieri debet; neque vir in monasterium recipiendus est, nisi uxor illius femineum monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutaverit. Sanctus enim Basilius de hac re taliter dicit (27, *q.* 2, *c. Si quis conjugatus*) : Si quis conjugatus vult converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illa, vivente illo, per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum ejusmodi viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa relicto sæculo sequuntur Christum, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum. Itaque, fili charissime, perpende, et vide si sic canonice a tua es absolutus uxore, et tua uxor ita pollicita est : et tu et illa ad- D implere bonum inceptum et votum vestrum; aliter autem non debemus vobis necessitatem imponere separationis.

CAP. 221. — *De illis qui, uxoribus suis dimissis, ad alias nuptias transierint. Nicolaus archiepiscopo Ravennæ.*

De senatoris conjuge, quam adulteram esse dicitis, et propter adulterii reatum disjunctam a viro suo esse judicatam, et monachicam vestem indutam atque velatam, nescimus utrum juste, an aliter hoc sit terminatum judicium : et si adultera apparuit, hoc magis a viro suo debuit esse inquisitum; et si a viro suo requisitum fuit, indagativorum vel judicum præsentia debuerat examinatum esse, atque terminatum : et post terminationem et approbatio-

Introdusă în format electronic de Google

nem atque manifestationem, tunc aut legali calculo aut canonico judicio ipsius causæ sententiæ diffiniri. Etsi nec hoc, nec illud factum est, quis eam ausus est religiosa induere veste, et sacro cooperire velamine? Tamen id subtilius Dei præ oculis habentes timorem, præcipimus ut, præsentia missi vel vicarii vestri in vero examine, præsente viro suo, examinatio fiat. Et si justa et rationabilis eorum causa apparuerit, maneat. Et si aliter apparuerit, ut prætulimus, secundum Dei omnipotentis voluntatem atque timorem, eorum definiatur causa.

CAP. 222. — *De eodem Joannes VIII Totzili comiti.*

Porro eos qui uxores suas dimiserunt, vel ad alias illis viventibus nuptias migraverunt, tandiu eos cum consentaneis eorum excommunicamus, quousque posterioribus remotis, priores pœnitendo receperint. Sicut enim nuptiæ a Deo, ita divortium a diabolo est, teste sancto Augustino, repertum. *Quod enim Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX) : præcipue cum hæc pessima consuetudo ex paganorum more remanserit, quorum in talibus non alius nisi ipse diabolus erat magister et auctor.

CAP. 223. — *De eodem, idem eidem.*

Prudentissime vir, stude et prævide ut duo viri illi qui uxores suas, quas Deus illis præparavit et junxit, abjecerunt, eas repellere minime permittantur; quia impium est ut qui, auctore Deo, legali fœdere copulati sunt, pro humano libitu, imo fraude diabolica separentur. *Idem. Commonitorium Paulo episcopo.* Prævide ut de separatione conjugatorum maximam curam geras, ita ut qui a susceptione sedis apostolicæ litterarum separati sunt, inculpate reducant priores uxores, injuncta convenienti pœnitentia, dimissis quas postmodum sunt sortiti. Quod si noluerint, extra Ecclesiam facite una cum his, qui eos in communione recipiunt, donec emendent quæ admiserunt.

CAP. 224. — *De gente Anglorum secundam fornicationem exercente. Bonifacius martyr Hiltribaldo regi Anglorum.* [*Alias, item idem.*]

(*Dist.* 56, *c. Si gens Anglorum.*) Si gens Anglorum, sicut per istas provincias divulgatum est, et nobis in Francia et in Italia improperatur, et ab ipsis paganis improperium est, spretis legalibus connubiis, adulterando et luxuriando ad instar Sodomitanæ gentis fœdam vitam vixerit; de tali commistione meretricum æstimandum est, degeneres populos et ignobiles, et furentes libidine fore procreandos, et ad extremum universam plebem ad deteriora et ignobiliora vergentem, et novissime nec in bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, et nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam, sicut aliis gentibus Hispaniæ, et Provinciæ, et Burgundionum populis contigit, quæ sic a Deo recedentes fornicatæ sunt. Donec (judex, *al.* vindex omnipotens *orig.*) talium criminum ultrices pœnas per ignorantiam legis Dei et per Sarracenos venire et sævire (*al.* servire) permisit.

CAP. 225. — *De Lothario rege qui legitima sua relicta aliam duxerat. Nicolaus omnibus archiepiscopis per Galliam et Germaniam constitutis.* [*Alias item idem.*]

Juxta statutum nostrum, cum duos partes in illas destinaremus episcopos, accidit ad nostram pervenire notitiam quod Lotharius, prima et legitima repulsa, secundam sibi adsciverit conjugem, neque sedis nostræ petitum aut permissum exspectans, neque canonico judicio uspiam succumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, nisi quia ubi populorum judicium prævenit, ibi suo judicio prævaricatorem se judicavit.

CAP. 226. — *De depositione duorum archiepiscoporum Lothario in ipsius errore consentientium. Nicolaus episcopis et archiepiscopis per Galliam, Italiam, Germaniam atque per universas provincias constitutis* (*conc. Rom.* III *sub Nicol. I, c.* 1).

(2, *q.* 1, *c. Scelus.*) Scelus quod Lotharius rex (si tamen rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis illicitis ipsius motibus cedit) in duabus feminis, Theiberga scilicet et Waldrada, commisit, omnibus manifestum est. Sed et dudum episcopos Teugaldum et Guntharium in tali facto eum habuisse tutores atque fautores pene totus nobis orbis undique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat. *Et paulo post.* Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existant. *Item infra* (*cap.* 2). (11, *q.* 3, *c. Teugaldum.*) Teugaldum Treverensem, et primatem Belgicæ provinciæ, et Guntharium Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos nunc coram nobis et sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii regis et duarum mulierum ejus Theibergæ et Waldradæ recognoverunt, et judicaverunt, scriptum super hoc propriis manibus roboratum afferentes, nihilque se plus vel minus aut aliter egisse, ore proprio multis coram positis affirmantes : et sententiam quam a sede apostolica in Geltruden Bosonis uxorem sanctissimus frater noster Mediolanensis archiepiscopus Thado et cæteri coepiscopi nostri petiverant emittendam, nosque divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonice protuleramus, publice una voce se violasse confitentes : in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, et æquitatis normam nequiter temerasse, omni judicamus sacerdotii officio penitus alienos, Spiritus sancti judicio et beati Petri per nos auctoritate episcopatus exutos regimine, subsistere definientes.

CAP. 227. — *De correctione Lotharii. Idem Lothario regi* (*in rescrip., tit.* VII, *c.* 5).

(11, *q.* 3, *c. Ita corporis.*) Ita corporis tui motibus cedere consensisti, et relaxatis habenis voluptatum temetipsum *in lacum miseriæ et in lutum fœcis* pro libitu dejecisti (*Psal.* XXXIX), ut, qui positus fueras ad gubernationem populorum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc Teugaldi et Guntarii episco-

Introdusă în format electronic de Google

porum dudum legitimus casus, qui pro eo quod te minime competenter erudierunt, quinimo quia prævaricationem tuam tegere argumentis suis sub quadam justitiæ specie fuscatis, quibusdam et exquisitis adinventionibus æquitatem obruere studuerunt, nostra sunt auctoritate depositi, et ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati. *Item infra* (*cap.* 7). (24, *q.* 5, *c. An non districta.*) An non districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, et flagitium imitatus dignosceris esse? (*Gen.* IV.) Quod Dominus nonnisi post 77 generationes suo salutifero adventu delevit, cum Cain fratricidium 7 generatione aquis abolitum sit cataclismi.

Cap. 228. — *Quod sola causa fornicationis uxor dimitti possit. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap.* 96.

(32, *q.* 5, *c. Quidquid mulier.*) Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda, vel odio prorsus habenda, quæ est, Apostolo præcipiente, sicut Ecclesia a Deo diligenda (*Ephes.* v.)

Cap. 229. — *Ne mulier a viro discedat. Gangrense concilium, cap.* 14.

(*Dist.* 30, *c. Si qua mulier.*) Si qua mulier virum proprium relinquens discedere voluerit, nuptias exsecrata, sit anathema.

Cap. 230. — *Ut dimissus ab uxore et dimissa a viro alii non nubant. Conc. Milevit., cap.* 17.

Neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri jungatur. Sed ita maneant, aut sibi reconcilientur.

Cap. 231. — *De his qui consortium conjugale sine gravi culpa dimittunt. Ex concilio Agathensi, cap.* 25.

(33, *q.* 2, *c. Sæculares.*) Sæculares qui conjugale consortium nulla culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiserunt; et nullas causas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut illicita aut aliena præsumant, si antequam apud episcopos comprovinciales discidii causas dixerint, et prius uxores quam judicio damnentur abjecerint, a communione Ecclesiæ et sui [sancto, *orig.*] populi cœtu, pro eo quod fidem conjugii maculant, excludantur.

Cap. 232, — *Ne incultus et horridus vir ab uxore dimittatur. Hexaemeron Ambrosii, in titulo diei quartæ* (*lib.* V, *c.* 7).

(32, *q.* 5, *c. Horrendus.*) Sed horrendus [horridus] et incultus est vir. Semel placuit. Nunquid vir alius eligendus est? Comparem suum et equus diligit, et si mutetur alius, trahere jugum nescit compar alterius, et se non totum putat. Tu jugalem repudias tuum, et sæpe putas mutandum, et si uno defecerit die, superducis rivalem, et statim incognita causa quasi cognita, pudoris exsequeris injuriam.

Cap. 233. — *Quod sicut crudelis et iniquus est, qui castam dimittit: sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem. Chrysostomus super Matthæum cap.* 109 (*homil.* 32 *in Matth. in opere imperfecto*).

Quicunque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur (*Matth.* XIX). Omnis res per quas causas nascitur, per ipsas absolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: et ideo illud non solvit separatio corporis, sed voluntas: ideo qui dimittit uxorem suam, et alteram non accipit, adhuc maritus est. Nam et si corpore jam separatus est, tamen adhuc voluntate conjunctus est. Cum ergo alteram acceperit, tunc plene dimittit. Non ergo qui dimittit mœchatur, sed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis est et iniquus qui castam dimittit, sic fatuus est et injustus qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.

Cap. 234. — *Quod quidquid inter se conjugati immodestum vel sordidum gerunt, vitium sit hominum, non culpa nuptiarum; sed propter illas ignosci. Augustinus, De bono conjugali* (*cap.* 6).

(32, *q.* 2, *c. Quidquid inter.*) Quidquid inter se conjugati immodestum, inverecundum sordidumve gerunt, vitium est hominum non culpa nuptiarum. Jam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcepit, sed secundum veniam concedit apostolus (*I Cor.* VII), ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa (quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas), verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo servitutem, ut etsi alteri eorum continentia perpetua placeat, nisi ex alterius consensu non possit.

Cap. 235. — *Quod licite dimittitur conjux causa fornicationis, manere tamen vinculum prioris. Item* (*ibidem*).

Reddere vero debitum conjugale, nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis; fornicari vero vel mœchari puniendi criminis. (*Ibid., c.* 7.) Cavere debet charitas conjugalis, ne dum sibi quærit unde amplius honoretur, conjugi faciat unde damnetur. *Qui enim dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* V). Usque adeo fœdus illud initum nuptiarum cujusdam sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem, vivente viro, et a quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit: et ille hujus mali causa est, qui reliquit. *Item, Aug. De bono conjugali* (*ibidem, eodem cap.*). (32, *q*, 7, *c. Interveniente.*) Interveniente divortio, non aboletur confœderatio nuptialis; ita ut sibi conjuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro vel ille mulieri.

Introdusă în format electronic de Google

Item (*ibid.*, *c.* 18). A viro vivo in alterius transire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit. Apostatare quippe ab uno Deo, et ire in alterius adulterinam superstitionem semper est malum. *Augustinus*, *De adulterinis conjugiis*, *lib.* II (*cap.* 4). (32, *q.* 7, *c. Licite.*) Licite dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris. (*Ibid.*, *c.* 5.) Propter quod fit reus adulterii dimissam qui duxerit, etiam ob causam fornicationis. Sicut enim manente in se sacramento regenerationis, excommunicatur quisquis reus criminis, nec illo sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo ; ita manente in se vinculo, non caret conjugii sacramento, etiamsi nunquam reconcilietur viro. carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. Reus vero excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus; quia nunquam moritur.

CAP. 236. — *Ne uxor propter fornicationem dimissa ab alio ducatur. Item*, *lib.* I (*cap.* 9).

Non est quisquam ita absurdus, qui mœchum neget esse qui duxerit eam, quam maritus propter causam fornicationis abjecit : cum Dominus mœchum dicat eum, qui duxerit eam quæ præter fornicationis causam abjecta est (*Matth.* XIX.)

CAP. 237. — *Ut non facile dimittatur uxor. Aug. de sermone Domini in monte* (*lib.* I, *c.* 20).

(32, *q.* 7, *c. Dominus ad illud.*) Dominus ad illud confirmandum, ut non facile dimittatur uxor, solam fornicationis causam excepit ; cæteras vero universales molestias si quæ exstiterint, jubet pro fide conjugali, et pro castitate fortiter sustineri, et mœchum dicit etiam qui eam duxerit, quæ soluta est a viro. *Item*, *ibid.*, *paulo post.* (32, *q.* 5, *c. Fieri potest.*) Fieri potest ut vir dimittat uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Jam vero, si nec illi nubere conceditur viro vivo a quo recessit, neque huic alteram ducere, viva uxore quam dimisit, multo minus fas est illicita eum cum quibuslibet stupra committere.

CAP. 238. — *Item, quod non sit uxor abjicienda pro qualibet carnis infirmitate* (*ibid.*, *c.* 27).

(32, *q.* 5, *c. Si uxorem.*) Si uxorem quis habeat sive sterilem sive deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis et doloribus laboribusque confectam, et quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro societate et fide sustineat.

CAP. 239. — *Quod virente viro, dimissa nulla de causa alteri nubere potest. Hieronymus ad Amandum presbyterum* (*tomo III, epist. cujus initium, Brevis epistola longas.*)

(32, *q.* 7, *c. Omnes causationes.*) Omnes causationes Apostolus amputans apertissime definivit, vivente viro, esse adulteram mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris præstationem [persuasionem, *orig.*], patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias et parentum [atque contemptum, *orig.*], damna rei familiaris. Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus est reputatus cui alterum virum accipere non licet.

CAP. 240. — *Quod feminis non licet, æque nec maritis licere. Idem ad Oceanum de morte Fabiolæ* (*tomo I in epitaphio Fabiolæ, cujus initium : Plures anni sunt*).

(32, *q.* 5, *c. Præcepit.*) Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis; et si dimissa fuerit, manere innuptam (*Matth.* V). Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, et vir mœchus tenendus est. *Item*, *ibidem*, *paulo post.* (32, *q.* (?) *c. Apud nos.*) Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur.

CAP. 241. — *De pœna ejus qui uxore relictam duxerit. Capitularium lib.* V, *cap.* 300 (*s.* 149).

(33, *q.* 2, *c. Quicunque.*) Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta aliam duxerit, armis depositis publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur a comite, et ferro vinciatur, et in custodiam mittatur.

CAP. 242. — *Quod non sit durum reconciliari uxori post adulterium. Augustinus, De adulterinis conjugiis, libro secundo* (*cap.* 6).

(32, *q.* 1. *c. Quod autem tibi durum.*) Quod tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos? Hæc crimina in veteri Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ Novi Testamenti sanguine sine dubitatione mundantur, et ideo tunc omnimodo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem, quamvis David Saulis filiam, quam pater ejusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri (*I Reg.* XVIII), tanquam Novi Testamenti præfigurator sine contaminatione receperit. Nunc autem posteaquam Christus ait adulteræ : *Nec ego te condemnabo*, *vade*, *deinceps noli peccare* (*Joan.* VIII), quis non intelligit debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum? *Item*, (*ibid. c.* 8.) (32, *q.* 6, *c. Indignantur.*) Indignantur mariti, si audiant alteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas : cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere, et exemplo regere feminas. *Item* (*ibid.*, *cap.* 9). (3, *q.* 1, *c. Non erit turpis.*) Non erit turpis neque difficilis, etiam post patrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum, ubi per claves regni cœlorum, non dubitatur fieri remissio peccatorum, non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium, adultera non vocetur. *Item* (*ibid.*, *cap.* 13). (32, *q.* 5, *c. Puto Christianum.*) Puto Christianum neminem reluctari adulterum esse qui vel diu languente, vel diu ab-

Introdusă în format electronic de Google

sente, vel continenter vivere cupiente uxore sua, alteri commistus est feminæ. *Item* (*ibid.*, *cap.* 15). (33, *q.* 2, *c. Si quod verius.*) Si (quod verius esse dicitur) non licet homini Christiano adulteram conjugem occidere, sed tantum dimittere, quis est tam demens, qui ei dicat : Fac quod non licet, ut liceat tibi quod non licet? Cum enim utrumque secundum legem Christi illicitum sit, sive adulteram occidere, sive illa vivente alteram ducere, ab utroque est abstinendum, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, et non faciat homicidium, ut vivente uxore sua alteram ducat, et non humanum sanguinem fundat.

Cap. 243. — *De eodem. Hermes in libro Pastoris, mandato* 4.

(34, *q.* 2, *c. Ego dixi.*) Ego dixi pastori : Domine, si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, nunquid peccat vir, si convivit cum illa? Et dixit mihi : Quandiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vivens cum illa; si autem scierit vir uxorem suam deliquisse, et non egerit pœnitentiam mulier, et permanet in fornicatione sua, et convivit cum illa vir, reus erit peccati ejus, et particeps mœchationis ejus. Et dixi illi : Quid ergo, si permanet in vitio suo mulier? Et dixit : Dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quod si mulier dimissa pœnitentiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti, non recipietur a viro suo? Dixit : Imo si non receperit eam vir suus, peccat, et magnum peccatum sibi admittit. Sed debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam agit, sed non sæpe. Servis enim Dei pœnitentia una est. Propter pœnitentiam ergo non debet dimissa uxore sua aliam ducere. Ilic actus similis est in muliere et viro. Non solum mœchatio est illi, qui carnem suam coinquinat, sed etiam qui simulacrum facit, mœchatur. Quod si in his factis perseverat, et pœnitentiam non agit, recede ab illa, et noli convivere cum illa. Sin autem, et tu particeps eris peccati illius. Propter hoc præceptum est vobis per vos manere, sive viro sive mulieri, potest enim in ejusmodi pœnitentia esse.

Cap. 244. — *Ut feminæ quæ captivatis viris suis et diu detentis, aliis nupserint, prioribus reddantur si redierint. Leo Nicetæ Aquileiensi episc., cap.* 1 (*epist.* 79).

(34, *q.* 2, *c. Cum per bellicam.*) Cum per bellicam cladem, et per gravissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis esse divisa conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios interemptos putarent, aut nunquam dominatione crederent liberandos, et in aliorum conjugium sollicitudine cogente transierint : cumque statui rerum, auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum qui putabantur perisse, remearint : merito charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus quæ aliis sunt junctæ viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum quod a Domino *jungitur viro mulier* (*Prov.* IX); et iterum præceptum agnovimus ut quæ *Dominus junxit homo non separet* (*Matth.* XIX), necesse est, ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, et remotis his quæ hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit, reformetur, omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque quod proprium est. (*Cap.* 2.) Nec tamen culpabiles judicentur, si in jus alienum transire potuerunt : et tamen plenum justitiæ est, ut eisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris aut etiam in domibus ac possessionibus recte [rite, *orig.*] servatur : quanto magis in conjugatorum redintegratione faciendum est ut quod clade bellica turbatum est, pacis remedio reformetur? (*Cap.* 3.) Et ideo, si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, et inculpabile judicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit. (*Cap.* 4.) Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quam ad legitimum redire consortium, merito notandæ sunt, ita ut Ecclesiæ communione priventur.

Cap. 245. — *Ut vir si uxore sua captivata aliam duxerit, priori reddatur. Innocentius Probo* (*Innocent. I, epist.* 9).

(34, *q.* 2, *c. Cum in captivitate.*) Cum in captivitate Ursa mulier teneretur, aliud conjugium cum Restituta Fontanum inisse cognoscimus. Sed favore Domini reversa Ursa, nos adiit et, nullo difficultente, uxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus gratia divina fundatum, conventumque secundæ mulieris priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto esse posse legitimum.

Cap. 246. — *Ut donec certum est virum in captivitate vivere, nunquam uxor alium ducat. Pandectarum lib.* XXIV, *tit.* II.

Generaliter definiendum est, donec certum est maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium.

Cap. 247. — *Quod infidelitas fornicatio sit. Augustinus, De adulterinis conjugiis, lib.* I (*cap.* 17).

Si propter fornicationem carnis permittitur homo a conjuge separari, quanto magis in conjuge mentis fornicatio detestanda est, id est infidelitas. *Item* (*ibid.*, *cap.* 18). Infidelis hominis fornicatio est major in corde; nec vera ejus pudicitia dici potest cum conjuge, quia *omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV).

Cap. 248. — *Quod dimittenda sit uxor si cogit virum a Deo fornicari. Augustinus, De sermone Domini in monte, lib.* I (*cap.* 22).

(28, *q.* 1, *c. Idololatria.*) Idololatria, quam sequuntur infideles et quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti (*Deut.* XXIV; *Matth.* V). Sed quia

Introdusă în format electronic de Google

permisit non jussit, dedit locum Apostolo monendi ut, qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortasse posset fidelis fieri (*I Cor.* VII).

CAP. 249. — *Item. de eadem re* (*ibid., c.* 23).

Si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria : non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est ?

CAP. 250. — *Ut uxor dimittatur, ubi aut Christus aut uxor est dimittenda. Item.*

(*Proxime post.*) Ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose turpiterque corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem dimittere et uxor virum (*Matth.* XIX) ; quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem, sicut supra consideratum est, generalem et universalem intelligere cogimur. (1 *Retract., cap.* 19.) Cum autem ait, *excepta fornicationis causa*, non dixit cujus ipsorum, viri an feminæ. Non enim tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, a qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis utique dimittit. Velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis : qui talem dimittit, causa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed et suæ ; illius quia fornicatur, suæ ne fornicetur. Nihil autem iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud : In quo enim alterum judicas teipsum condemnas : *eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II). Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de femina dixerim.

CAP. 251.—*De eadem re. Augustinus, De fide et operibus* (*cap.* 16).

28, *q.* 1, *c. Uxor legitima.*) Uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Non attenditur eo modo eam rectissime dimitti, si viro suo dicat : Non ero uxor tua nisi mihi de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, aut si quid aliud vel facinorosum, vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior : tunc enim ille cui hoc uxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis luxuriæ, et membrum quod eum scandalizat fortiter amputabit.

CAP. 252. — *Item de eadem re. Rabanus super Matheum lib.* II (*August., lib.* I *De serm. Domini in monte, cap.* 21).

Exoritur quæstio, cum Dominus causa fornicationis permittat dimitti uxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio : utrum quousque intelligunt homines, id est, ut eam credamus fornicationem dictam quæ in stupris committitur, an quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut supradictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut idololatria vel avaritia, et ex eo jam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est?

CAP. 253. — *Item de eadem re. Ambrosius* [*Augustinus*] *ad Hilarium* (*epist.* 89).

(28, *q.* 1, *c. Si infidelis.*) *Si infidelis*, dicit Apostolus, *discedit, discedat : non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi* (*I Cor.* VII) ; id est, si infidelis noluerit esse cum conjuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subjectum deputet servituti, ut ipsam dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem. Hoc et de filiis atque parentibus, hoc et de fratribus ac sororibus intelligitur, propter Christum esse omnes dimittendos, cum ponitur ista conditio ut Christum dimittat, si eum [illos, *orig.*] secum habere desiderat. Hoc ergo et de domo et de agris, hoc est [et, *orig.*] de his rebus quæ jure pecuniario possidentur.

CAP. 254. — *Quod uxor propter sterilitatem non est dimittenda, et alia fecunda ducenda. Augustinus, De bono conjugali, cap.* 7.

(32, *q.* 7, *c. Tantum valet.*) Tantum valet sociale vinculum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, et ducere de qua filios habeat, et tamen non licet. *Item* (*ibid., cap.* 15). Manet vinculum nuptiarum, etiamsi proles cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita ut scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum iis quibus se copulaverint adulterium committunt ; ipsi autem conjugi manente plane (83) uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur, unius commistione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat, utrum et nunc fas sit temere non dixerim.

CAP. 255. — *Adulter est etiam is qui, uxore ob fornicationem dimissa, ea superstite alteri sese copulaverit. August., De adulterinis conjugiis, lib.* I (*cap.* 9).

(32, *q.* 7, *c. Quemadmodum.*) Quemadmodum recte

(83) Ipso autem conjugio manente plane, etc. ; *originale sic habet*, ipsi autem conjuges manent plane, etc.

Introdusă în format electronic de Google

dici non potest, si nescit homo, non peccat : sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium : ita non recte dici potest, si causa fornicationis dimiserit vir uxorem et aliam duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio etiam eorum qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus; sed utique minor, quam eorum qui non propter fornicationem dimittunt, et alteras ducunt.

Cap. 256. — *De eo qui adulteravit uxorem fratris sui. Capitularium lib.* v, *cap.* 21.

Si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater vel illa femina qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt nunquam habeant conjugium.

Cap. 257. — *Ut mulier a viro propter fornicationem discedens, innupta permaneat, vel eidem reconcilietur. Ambrosius in I epist. ad Corinth.* (*in c.* vii, *ante med.*).

Hos alloquitur, qui matrimonio juncti sunt, ore Dominico : Uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam. Hoc Apostoli consilium est ut si discesserit propter malam conversationem viri, jam innupta maneat. Aut viro suo reconciliari. Quod si se continere, inquit, non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit aut apostataverit, aut si [apostasiæ, *orig.*] impellente lascivia usum quærat uxoris invertere; quia inferior non omnino hac lege utitur qua potior. Si tamen apostataverit, aut usum uxoris quærat invertere; nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum. Et virum uxorem non dimittere. Subauditur autem excepta fornicationis causa.

Cap. 258. — *Ut quantumvis adolescentes, viventibus uxoribus suis, alias non ducant. Arelatense concil.* i, *cap.* 10.

De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit ut quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus suis uxoribus licet adulteris, alias accipiant.

Cap. 259. — *Quod lex Dei non compellat hominem malum facere, quamvis per eam aliquando malum fiat. Augustinus, De adulterinis conjugiis, lib.* ii (*cap.* 16).

Non dubitas esse adulterium, si quisquam ducat viventis uxorem, a viro suo per libellum repudii sine ulla mulieris fornicatione dimissam. Quid ergo, cum viderit se nec ad baptismum admitti, si catechumenus est, nec utiliter agere pœnitentiam, si baptizatus hoc fecerit, non corrigendo, et linquendo quod fecit; si cum voluerit et potuerit occidere, cujus duxit uxorem, ut hoc scelus vel baptismate diluatur, vel pœnitendo solvatur, atque ita etiam illud adulterium non permaneat, evacuata muliere a lege viri post mortem viri, sed de transacto quod actum est pœnitentiam satisfiat, vel regeneratione deleatur? Nunquid propterea est accusanda lex Christi, tanquam compulerit fieri homicidium, cum sine crimine fornicationis repudiatam ducere, dicit esse adulterium?

Cap. 260. — *De causa Lotharii regis et uxoris suæ. Hincmarus Remensis archiepiscopus, cap.* 13 (*lib. De divortio Lotharii et Theth., interrog.* 13).

Si forte, ut fertur, rex de quo agitur, post legaliter initum conjugium cum alia aliqua carnis commistione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiamsi femina quam duxit uxorem, de his de quibus accusatur, rea fuerit fortassis inventa, quoniam post legaliter initum conjugium, ante legalem definitionem præsumpsit illicita.

Cap. 261. —*Ut nullus eam cum qua adulteravit, nisi peracta pœnitentia, ducat uxorem, cap.* 20 (*interr.* 21, *circa med.*).

Scripturarum testimoniis atque sanctorum dictis manifestatur, quod concubinam cum qua adulterasse dicitur rex, si voluerit, in conjugium sibi sociare prævaleat : videlicet si aut uxor legaliter accepta, et innoxia erga illum inventa, mortua fuerit corpore, vel si inventa fuerit anima adeo mortua, ut ipsius cum ea copula incestus, et nullo conjugii nomine deputandus legaliter comprobetur. *Item.* Est aliud observandum, ne ante legitimam pœnitentiam secundum leges Ecclesiæ susceptam atque peractam, et reconciliationem adeptam [conjugio, *orig.*], multo minus eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet. Quoniam nec David sine pœnitentia Bethsabee cum qua adulteraverat, conjugem habuit (*II Reg.* xii).

Cap. 262. — *Ut par pudicitiæ forma sit inter virum et uxorem. De adulterinis conjugiis. Aug., lib.* ii (*cap.* 8).

Illi quibus displicet, ut inter virum et uxorem par pudicitiæ forma servetur, et potius eligunt maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse, quam Christi; quoniam jura forensia non iisdem, quibus feminas pudicitiæ nexibus, viros videtur astringere [obstr., *orig.*]; legant quid imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit : Ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit. Nam supradicti imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur : Sane, inquit, litteræ meæ nulla parte causæ præjudicabunt. Neque enim si penes te culpa fuit, ut matrimonium solveretur, et secundum legem Juliam Eupasia uxor tua nuberet, propter rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos inquirere, an cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim videtur mihi esse ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet.

Cap. 263. — *Quod vir exemplum castitatis debeat esse uxori. Augustinus, lib. De decem chordis.* (*cap.* 3).

(32, *q.* 6, *c. Non mœchaberis.*) Non mœchaberis : id est, non ibis ad aliam aliquam præter uxorem

Introdusă în format electronic de Google

tuam. Tu autem exigis hoc ab uxore, et non vis reddere hoc uxori? Et cum debeas in virtute præcedere uxorem (quoniam castitas virtus est) tu sub uno impetu libidinis cadis, et vis uxorem tuam victricem esse, et tu victus jaces? Et cum tu caput sis uxoris, præcedit te ad Deum, cujus caput es (*Exod.* xx; *Deut.* v). Vis tuam domum capite deorsum pendere? *Caput est* enim *mulieris vir* (*Ephes.* v). Ubi autem melius vivit mulier quam vir, capite deorsum domus pendet. Si caput est vir, melius debet vivere vir et præcedere in omnibus bonis factis uxorem suam.

Cap. 264. — *De pœnitentia viri, cujus conscientia uxor mœchatur. Concilium Eliberitanum, cap.* 70.

Si, conscio marito, uxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam ei communionem. Si vero eam reliquerit, post annos 10 accipiat communionem, si eam, cum scierit adulteram, aliquo tempore in domo sua retinuerit.

Cap. 265. — *Ne propter filiorum desiderium alteri fecunda uxor tradatur. Augustinus contra Julianum ad Claudium, lib.* v, *cap.* 9 (*idem refert lib. De bono conjug., c.* 18; *rursum De fide et oper., c.* 7).

Sicut fecisse Cato perhibetur, ab eo viro qui plures non vult suscipere filios, alteri fecunda [fetanda] uxor non tradatur.

Cap. 266. — *De abjicienda adultera. Codicum lib.* IX, *cap.* 9, *tit.* II (*tit* IX, *ad legem Juliam De adult. et stupr. lib.* II).

Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem ad matrimonium detinuerint, non qui suspectam adulteram habuerint.

Cap. 267. — *De excusatione Saræ. Haimo, super Genesim.*

(32, *q.* 1, *c. Apud misericordem.*) Excusari potest Sara in hoc quod in domum Pharaonis translata est invita vel coacta (*Gen.* xx), non solum in hoc quia non coinquinatur corpus, nisi ex consensu mentis, sed etiam in hoc quod, conveniente et permittente viro, factum est hoc.

Cap. 268. — *Nec plures nuptias laudari, nec quantaslibet damnari. Augustinus, De bono viduitatis* (*cap.* 12).

(31, *q.* 1, *c. Quod si dormierit.*) De tertiis et de quartis, et de ultra pluribus nuptiis, solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. *Item, ibidem sub finem cap.* Nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere ut, quoties voluerit, viris mortuis, nubat femina; nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ auctoritatem, quotaslibet [quantaslibet, *orig.*] nuptias audeo condemnare.

Cap. 269. — *Quod secundæ nuptiæ licitæ sint. Augustinus contra adversarium legis et prophetarum, lib.* II (*cap.* 9).

(32, *q.* 4, *c. Iste Abrahæ.*) Iste Abrahæ etiam usque ad decrepitam senectutem fornicationis objicit crimen, profecto quia et post mortem Saræ alteram duxit (*Gen.* xxv). Ubi etsi nullum intelligeretur rei abditæ sacramentum : propter hoc solum id facere debuit Abraham, ne putarent hæretici adversus Apostolum (quibus etiam Tertullianus (*lib. De monogamia*) astipulator assistit) post uxoris mortem, crimen esse ducere uxorem (*I Cor.* VII). *Item* (*ibidem. cap.* 11). Deus qui masculum et feminam propagandi generis causa nuptiali castitate conjunxit, et secundas nuptias quæ in Novo quoque [unoquoque] Testamento permittuntur, licitas esse monstravit.

Cap. 270. — *Quod sicut nec secundæ, ita nec plures damnentur nuptiæ. Hieronymus ad Pammachium* (*tomo* III *epist. cujus initium : Quod ad te*).

(21, *q.* 1, *c. Aperiant.*) Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias in Domino consensisse. Qui secundas et tertias non damnavi, primum potui damnare matrimonium? *Item, ibidem, aliquando post.* Non damnavi digamos, imo nec trigamos, et si dici potest octogamos. *Item, non ita procul a fine.* Ego nunc libera voce proclamo non damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere.

Cap. 271. — *Ut matres quæ tutelam filiorum suscipere volunt, ad alias nuptias non transeant, libro* V, *cap.* 33.

Matres quæ amissis viris tutelam administrandorum negotiorum in liberos postulant, priusquam confirmatio officii talis in eos jure eveniat, fateantur actis sacramento præstito ad alias se nuptias non venire. Sane in optione hujusmodi nulla cogatur, sed libera in conditiones quas præstitimus, voluntate descendat. Nam, si malunt alia optare matrimonia, tutelas filiorum administrare non debent.

Cap. 272. — *De pœna nubentis viduæ intra annum luctus. Novellarum constitutionum trigesima septima, cap.* 11.

Similiter, si mulier post mortem mariti, nondum annali spatio completo, ad secundas properaverit nuptias, omni quidem modo inter infames erit; sed si quidem liberos non habeat ex priore matrimonio, infamiam quidem solvere poterit, si preces imperatori porrexerit, et divino principis nutu priori opinione restituta fuerit. Res autem a priore marito sibi relictas nullo modo lucrabitur.

Cap. 273. — *Ut mulier si ad secundas nuptias migraverit, prioris mariti privilegio non utatur, cap.* 23.

Mulier quæ ad secundas migravit nuptias, privilegiis vel dignitatibus prioris mariti non utitur. Si autem hac observatione contenta secundas contraxerit nuptias, non solum res ipsius, id est matris, liberis ejus hypothecæ titulo supponatur, sed etiam res vitrici, ex præsentis constitutionis auctoritate.

Cap. 274. — *De eodem. Constitutio octogesima quarta, cap.* 1.

Si mater marito defuncto filiorum suorum tutelam gubernare maluerit, renuntiet secundis nuptiis, in judicio, sive in jusjurando, res autem suas filio suo impuberi obliget, atque ita ei tutela committatur.

Cap. 275. — *Quid sit fornicatio. Augustinus super*

Introdusă în format electronic de Google

Epistolam ad Galatas (*in c.* v, *ad illum locum* : Manifesta sunt autem opera carnis *ante fin.*).

Fornicatio est amor legitimo connubio solutus et vagus, explendæ libidinis consectando licentiam.

Cap. 276. — *Quantum peccatum sint cubilia et impudicitiæ. Augustinus ad Aurelium episcopum* (*epist.* 64).

Ait Vas electionis : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et dolo* (*Rom.* XIII); horum trium cubilia et impudicitiæ ita malum crimen putantur, ut nemo dignus non modo ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculaverit; et recte omnino.

Cap. 277. — *Quod non omne matrimonium sit conjugium. Hieronymus, libro* III *super Epistolam ad Ephesios* (*in c.* v, *circa med.*).

(32, *q.* 2, *c. Sicut non omnis.*) Sicut non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est; sic non omne matrimonium quo non uxor viro secundum Christi præcepta conjungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium.

Cap. 278. — *Quod omnis immunda pollutio fornicatio dicitur. Isidorus, Sententiarum lib.* II, *cap.* 39.

Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamvis quisque diversa turpitudinis voluptate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus Dei regnum clauditur, et homo ab eo [a Deo, *orig.*] separatur.

Cap. 279. — *Quod nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus in lege intelligatur. Augustinus, lib. Quæstionum in Exodum* (*in libro quæstionum septem., cap.* XX *Exod., quæst.* 71).

Omnis mœchia etiam fornicatio in Scriptura dicitur : sed utrum etiam omnis fornicatio mœchia dici possit, in eisdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si omnis fornicatio etiam mœchia dici non potest : ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt viri qui uxores non habent cum feminis quæ viros [maritos, *orig.*] non habent, utrum inveniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique a parte totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi auferetur), profecto nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

Cap. 280. —*Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam. Concilium Arelatense* II, *cap.* 22.

Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

Cap. 281. — *De Pœnitentia uxoratorum si semel lapsi fuerint. Eliberitanum concilium, cap.* 69.

(33, *q.* 4, *c. Pœnitentiam.*) Si quis habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennio agere debere pœnitentiam. *Item, ibidem.* Hoc et circa feminas observandum est.

Cap. 282. — *De pœnitentia ejus qui habens uxorem, cum Judæa vel gentili lapsus fuerit, cap.* 78.

Si quis fidelis habens uxorem cum Judæa vel gentili fuerit mœchatus, a communione arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta pœnitentia legitima poterit Dominicæ communioni sociari.

Cap. 283. — *Quid agendum sit de uxoribus clericorum, si peccaverint. Ex Toletano concilio* I, *cap.* 7.

(33, *q.* 2, *c. placuit ut si quor.*) Placuit ut si quæcunque clericorum uxores peccaverint (ne forte licentiam peccandi plus habeant), accipiant mariti earum hanc potestatem, præter necem, custodiendi ac ligandi in domo sua, ad jejunia salutifera, non mortifera eas cogentes : ita ut invicem sibi clerici pauperes auxilium ferant, si servitia non habeant. Cum uxoribus autem ipsis qui peccaverint, nec cibos sumant, nisi forte ad timorem Dei, acta pœnitentia, revertantur.

Cap. 284. — *De pœnitentia laicorum, si adulterium fecerint. Canones Martini ad laicos, cap.* 8 (*ex synod. Græcorum Martini Bracarens. cap. in universum* 76 *inter laicorum* 8).

Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem irruerit, VII annos pœnitentiam agat. *Et Ancyranum concilium, cap.* 19 : Si cujus uxor adulterata fuerit, vel ipse adulterium fecerit, VII annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi, secundum pristinos gradus.

Cap. 285. — *De pœnitentia clericorum si adulterio sese commaculaverunt. Synodus Aurelianensis* III, *tempore Childeberti regis, cap.* 7.

(*Dist.* 81, *c. Si quis clericus.*) Si quis clericus adulterasse aut confessus aut convictus fuerit, depositus ab officio suo communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore trudatur.

Cap. 286. — *Si clerici inconsulto episcopo uxores duxerint. Toletanum concilium* IV, *cap.* 43.

Clerici qui sine consultu episcopi sui uxores duxerint, aut viduam, aut repudiatam, vel meretricem in conjugium acceperint, separari eos a proprio episcopo oportebit.

Cap. 287. — *Ut bigamus ad sacros ordines non accedat. Canon. apost., cap.* 22.

(*Dist.* 33, *c. Si quis post.*) Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non episcopus, non presbyter potest esse aut diaconus, non prorsus ex eorum numero qui ministerio sacro deserviunt.

Cap. 288. — *De eodem Gregorius Joanni episcopo Squilatino* (*lib.* II *regist., cap.* 25).

(*Dist.* 34, *c. Præcipimus.*) Præcipimus ne unquam illicitas ordinationes facias : ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, aut ignorantem litteras, aut in qualibet parte corporis vitiatum, pœnitentem, aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere; sed si quos hujusmodi homines repereris, non audeas promovere.

Cap. 289. — *Item de eodem. Gregorius Etherio episcopo* (*lib.* II, *epist.* 8 *ad Brunichil.*).

De quodam bigamo requisisti an ad sacrum ordinem potuisset accedere; et juxta canonicam regulam vetuimus.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 290. — *De eadem re. Ambrosius in Epistola ad Vercellensem ecclesiam (lib. x, epist. 82, post med.).*

(*Dist.* 36, *c. Qui sine crimine.*) Qui sine crimine est, unius uxoris vir, tenetur ad legem sacerdotii suscipiendi. Qui autem iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis. *Item, post versum.* Cognoscamus non solum de episcopo et presbytero Apostolum statuisse, sed etiam Patres in concilii Nicæni tractatu addidisse, clericum quemquam non debere esse qui secunda conjugia sortitus sit.

Cap. 291. — *Quod bigamus ante baptismum ad sacros ordines non accedat. Ambrosius, De officiis, lib. primo, (c. ultimo).*

(*Dist.* 16, *c. Una tantum.*) Una tantum, nec repetita nobis permittitur copula. Et in ipso conjugio lex est, non reiterare conjugium, nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterati conjugii ad electionem muneris et ordinationis prærogativam, impedimenta generentur; cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus quia, si baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur; quod legis est, in conjugio non solvitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipsa conjugia frequentaverit?

Cap. 292. — *Simplex expositio, et mystica, quid sit « unius uxoris virum ». Pastoralis Ambrosii (De dignit. sacerdotali, c. 4 init.).*

Unius uxoris virum (*I Tim.* III). Si ad superficiem tantum litteræ respiciamus, prohibet bigamum episcopum ordinari. Si vero ad altiorem sensum conscendimus, inhibet episcopum duas usurpare Ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne per catholicum dogma sensum inveniatur episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantum catholicam et orthodoxam sibi associet fidem, et [ut, *orig.*] unius uxoris tantummodo et catholicæ Ecclesiæ vir episcopis vocetur.

Cap. 293. — *Ut bigami vel viduarum mariti in sacerdotio non maneant. Leo episcopis universis per Africam, cap. 1 (epist. 87, ad episc. Africanos, cap. 1).*

Eos qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se conjugio sociarunt, in sacerdotio manere non patimur. Et multo magis illum, si fuerit in vestro judicio confutatus, (qui, sicut ad nos relatum est,) duarum simul est maritus uxorum, vel illum qui prima uxore dimissa alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus.

Cap. 294. — *Episcopum unius uxoris virum esse oportere, non propter sanctitatem sacramenti. Augustinus, De bono conjugali (cap. 18).*

Sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum virum et unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinari, nisi *unius uxoris virum* (*I Tim.* III). (*Dist.* 26, *c. Acutius.*) Quod acutius intellexerunt qui nec eum qui catechumenus vel paganus alteram habuerit, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato : nam in baptismo omnia peccata dimittuntur. Sed qui dixit : *Si acceperis uxorem non peccasti, et si nupserit virgo non peccat* (*I Cor.* VII), et *quod vult faciat, non peccat si nubat* (*ibid*) : satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiam si catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurdum visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessarium.

Cap. 295. — *Quæ sint quæ impediant ne quis ad clerum promoveatur. Augustinus, De ecclesiasticis regulis, cap. 72.*

(*Dist.* 33, *c. Maritum.*) Maritum duarum post baptismum matronarum, clericum non ordinandum; nec eum qui unam quidem sed concubinam, non matronam habuit; nec illum qui repudiatam, nec meretricem, nec viduam sumpsit, aut eum qui semetipsum, quolibet corporis sui membro indignatione aliqua justo injustoque timore superatus truncaverit : neque illum qui aliquando usuras accepisse convincitur, aut in scena lusisse probatur; neque eum qui publica pœnitentia crimina mortalia deflet; neque illum qui aliquando in furiam versus insaniit, vel afflictione diaboli est tentatus; neque eum qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert expetendo honorem (*Act.* VIII).

Cap. 296. — *De eodem. Hieronymus ad Oceanum (tomo II epist. cujus initium : Sophronius, Eusebius).*

Si clericus monogamus fuerit, et uxor sua digama, noli eum officio applicare : digamam enim duxit uxorem.

Cap. 297. — *Quid sit vidua, quid ejecta, quid meretrix. Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali (tom. IV epist. cujus initium : Usque hodie, ante med.).*

(*Dist.* 34, *c. Vidua est.*) Vidua est, cujus maritus est mortuus. Ejecta, quæ a marito vivente projicitur. Meretrix, quæ multorum libidini patet.

Cap. 298. — *Quod digamus in clerum non eligatur. Hieronymus contra Jovinianum, libro primo (tom. II, longe ante med.).*

Quam sancta sit digamia hinc ostenditur quod digamus in clerum eligi non potest.

Cap. 299. — *De eodem. Hieronymus ad Geruntium de monogamia (tom. I, epist. cujus initium est : In veteri via, ante med.).*

Nos putamus tantum sacerdotum hoc esse privilegium, ut non admittatur ad altare, nisi qui unam tantum uxorem habuerit. Non solum enim ab officio sacerdotii digamus excluditur, sed ab eleemosyna Ecclesiæ, dum indigna sit stipæ quæ ad secunda conjugia devoluta est : quanquam in lege sacerdotali teneatur et laicus, qui talem se præbere debet ut possit eligi in sacerdotium : non enim eligitur

Introdusă în format electronic de Google

si digamus fuerit. Porro ex laicis sacerdotes eliguntur.

CAP. 300. — *Quod sacerdos vel monogamus, vel virgo eligatur. Isidorus lib.* II *De officiis ecclesiasticis, cap.* 5.

Sacerdotem quærit Ecclesia aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum.

CAP. 301. — *De pœna episcopi qui bigamum ad sacros ordines promoverit. Aurelianum concilium tertium, tempore Childeberti regis, cap.* 10.

Si quis episcoporum sciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium leviticæ dignitatis sive presbyterii, contra jus canonicum promoveri præsumpserit, sciat se unius anni spatio ab omni sacerdotii dignitate suspensum. Qui si forte sententiæ subjacere noluerit, a communione ejus usque in aliam synodum se fraternitas universa suspendat. Cæli vero qui illicite promoti sunt, degradentur.

CAP. 302. — *Quod non potest promoveri qui viduam duxerit. Innocentius Felici episcopo Nucerino (epist.* 4, *c.* 2).

De digamis nec consuli debuit, quod manifesta lectio sit Apostoli : *Unius uxoris virum* (*I Tim.* III), ad sacerdotium vel ad clericatum admitti debere, et hanc ipsam tamen si virginem accepit. Nam ea quæ habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si clerico fuerit copulata, postea clericus esse non poterit qui eam acceperit. Quia in lege cautum est, non abjectam habere posse conjugem sacerdotem (*Levit.* XXI).

CAP. 303.—*Ut non promoveatur qui ante baptismum unam habuit, et postea aliam uxorem duxerit. Innocentius Rufo et Eusebio cæterisque episcopis Macedoniensibus (epist.* 22, *cap.* 1).

Eos qui viduas accepisse suggeruntur, non solum clericos effectos agnovi, verum etiam usque ad infulas sacerdotii summi pervenisse, quod contra legis præcepta esse nullus ignorat. Nam cum Moyses legislator clamitet (*Levit.* XXI), Sacerdos virginem uxorem accipiat : et ne in hoc præcepto aliquid putaretur ambiguum, addidit, non viduam, neque ejectam, contra quod præceptum divina auctoritate subnixum nulla defensio mandati alterius submovetur [opponitur *orig.*], nisi consuetudo vestra, quæ, ut ipsi fatemini, ex ignorantia (ut verecundius dicam), non ex apostolica traditione et ratione, integra est. Nos autem omnesque per Orientem Occidentemque Ecclesias noverit vestra dilectio, hæc penitus non admittere, nec ad ultimum ecclesiastici ordinis locum tales assumere, et si reperti fuerint, submovere. (*Ibid., cap.* 2, *dist.* 26, *c. Deinde.*) Deinde ponitur, non dici oportere cum digamum qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eamque primam videri quæ novo homini copulata sit. Quia illud conjugium per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit ablutum. Quod cum de una utique dicitur, certe si tres habuerit in veteri positus homine, uxor erit ejus, quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima virginisque hæc nomen [virginis æque nomen] accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis oro istud non videat contra Apostoli esse præceptum, qui ait *unius uxoris virum* oportet fieri sacerdotem ? (*I Tim.* III.) Sed objicitur, quod in baptismo quidquid in homine gestum, totum sit lotum. Dicite mihi (cum pace vestra loquor), crimina tantum dimittuntur in baptismo, an illa quæ secundum Dei præcepta, ac Dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, aut non est crimen? Si crimen est, ergo (quod præfata venia dixerim) ipse Auctor est in culpa, qui ut crimina committerentur in paradiso, cum ipse eos jungeret, benedixit (*Genes.* II). Si vero non est crimen, quia quod Deus instituit nefas sit crimen appellari (et Salomon addidit : Etenim a Deo præparatur viro uxor [*Prov.* XIX]), quomodo creditur inter crimina esse dimissum! quod Deo auctore legitur consummatum? Quid de talium filiis percensetur? (28, *q.* 1, *c. Nunquid.*) Nunquid non erunt admittendi in hæreditatis consortio, quia ex ea suscepti sunt quæ ante baptismum fuit uxor ? Eruntque appellandi naturales, vel quia non legitimum est matrimonium (ut vobis videtur) nisi illud quod post baptismum assumitur? Ipse Dominus cum interrogaretur a Judæis, si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit, *quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Ac ne de his locutus esse credatur qui post baptismum uxores sortiuntur, meminerint hoc et a Judæis interrogatum, et Judæis esse responsum. Quæro, et sollicitus quæro, si una eademque sit uxor, qui ante catechumenus, postea fidelis sit, filiosque ex ea cum esset catechumenus susceperit, et postea alios cum fidelis : utrum sint fratres appellandi, an non habeant postea defuncto patre hæreditatis consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis dicitur abstulisse. Quod cum ita judicare atque sentire absurdum est, quæ ratio est hoc malum defendi, et vacua magis opinione jactari, quam aliqua auctoritate roborari, cum non posset inter peccata deputari, quod lex præcepit, et Deus conjunxit, et lex jungit? *Item* (*ibid., paulo post*). Nuptiarum copula quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum : et peccatum non est, quod inter peccata deputari omnino non debet, eritque integrum æstimare, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quia ex Dei sit voluntate completum.

CAP. 304.—*Quod lenocinium facit, qui quæstuaria mancipia habuerit. Quartus liber Pandectarum, titulo* 2.

Lenocinium facit qui quæstuaria mancipia habuerit. Sed et qui in liberis hunc quæstum exercet, in eadem causa est, sive autem hoc principaliter negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur : ut puta si caupo fuit vel stabularius, mancipia talia habuit ministrantia, et occasione ministerii quæstum facientia ; sive balneator fuerit vel (ut quibusdam provinciis fit) in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 305.—*Ut lenones in civitatibus non sint. Novellarum constitutio* 31, *cap.* 1.

Hæc constitutio jubet neminem lenonem esse, neque in urbe imperiali, neque in provinciis : et hoc prohibere debent prætores et præsides. Ultimo tamen supplicio subjiciuntur qui contra constitutionis normam lenones esse ausi sunt. Omnia autem instrumenta et fidejussiones apud lenones interpositas, vel a lenonibus factas, contra bonos mores, infirmas atque invalidas esse constitutio jubet.

CAP. 306.—*Ut quæ suum vel alienum corpus vendiderit, nec in fine communicet. Eliberitanum concilium, cap.* 12.

Mater aut parens, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum corpus vendiderit vel [potius *orig.*] suum, placuit nec in fine communicandam.

CAP. 307.—*Quod turpitudo dantis est, non accipientis, in hoc quod meretrici datur. Pandectarum lib.* XII, *titul.* 4.

Quod meretrici datur repeti non potest, ut Labeo et Marcellus scribunt, sed nova ratione, id est non quia utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis : illius est enim turpiter facere quod sit meretrix, non turpiter accipere cum sit meretrix.

CAP. 308. — *Quod adhærens meretrici unum corpus efficitur. Ambrosius in epistola prima ad Corinthios* (*in cap.* VI ; *post med.*)

Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur. Hoc dicit, quia qui contaminationi se admiscet, unum fit cum eo cui se admiscet. Fornicatio enim ambos unum facit, ut quomodo in natura, sic et in macula unum sint.

CAP. 309—*De correptione cujusdam episcopi prostitutis consentientis. Honorius Petro episcopo Syracusano.*

Quorumdam relatione didicimus quod in causis criminalibus tua fraternitas miscetur, et quod sacris canonibus interdictum, non tantum lectionibus, quantum etiam ipsis quotidianis usibus scire procul dubio coarctatur. Nam et hoc pari modo ab ea incautius gestum fuisse audivimus, quia cum CCC et amplius prostitutis hora jam pene prandii elapsa ad eminentissimum filium nostrum præfectum in balneo constitutum sit profecta, et concatervata pestiferis præfatarum male viventium vocibus imminebat, ut his qui super eas curator pridem fuerat constitutus, ab eis modis omnibus tolleretur, et alter in ejus loco nihilominus subrogaretur. Et si ita est, deflere potius libuit quam ista corrigere. Sed ne tale tantumque flagitium diu videretur permanere inultum, quia et actum est, sacerdotali contrarium, simul et vitæ habitui inimicum, quid de hoc fieri debeat veritate patefacta, filio nostro Cyriaco diacono injunximus, quatenus ea quæ illicita et contra pudoris reverentiam perpetrantur, ense canonico juxta ecclesiasticam disciplinam radicitus amputentur.

CAP. 310.—*Quod major sit fornicatio post Evangelium quam sub lege. Hieronymus super Jesu Nave, homilia* 5 (*Origenes in* V *cap. Jesu Nave, hom.* 5, *ex interpretatione Hieron., aut potius Rufini*).

Multo majoris opprobrii est qui post Evangelium quam qui sub lege positus fornicatur : quia iste tollens membra Christi facit membra meretricis. Denique jam nemo reum stupri te arguit, sed sacrilegii scelere condemnat.

CAP. 311.—*De prohibitione meretricum. Augustinus lib. Quæstionum Deuteronomii, cap.* 37 (*cap.* 25 *lib.* VII *Quæstionum*).

(32, *q.* 4, *cap. Meretrices.*) Meretrices esse, et ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publice venalis est turpitudo. In Decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc aperte prohibuisse, quoniam mœchia non nisi adulterium intelligi solet.

CAP. 312. — *De pœna ejus quæ defuncto marito clanculo concepit. Novellarum constitutionum* 38, *cap.* 2.

Si mulier defuncto marito, antequam annus legitimus transeat ad secundas quidem nuptias non migraverit, more autem meretricum ab aliquo stuprata conceperit et pepererit, ut sit clarum id quod natum est defuncti mariti non esse, easdem pœnas patiatur quas ex superiori constitutione patitur ea quæ ante tempus legitimum nuptias secundas contraxit.

CAP. 313.—*Quod adhærens meretrici unum corpus cum illa efficitur. Sermo Augustini de tribus charitatibus, qui sic incipit, De charitate nobis* (*sermone* 52 *De tempore*).

Nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus est? (*I Cor.* VI.) Et testimonium de Scriptura dedit, quod scriptum est, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Dictum est enim hoc divinitus, sed de viro et uxore, ubi licet, ubi concessum est, ubi honestum est, non ubi turpe, non ubi illicitum, non ubi omni ratione est damnabile. Sicut autem una fit caro in permistione licita viri et uxoris, sic una fit caro in permistione illicita meretricis et amatoris. *Item* (*aliquanto post*). Qui non habent uxores, sunt quasi meretricum licentius amatores. Ideo dixi, *quasi*, quia et ipsi damnantur, si jam sunt fideles.

CAP. 314.—*De mulieribus quæ fornicatæ partus suos necant. Cap.* 21.

De mulieribus quæ fornicantur, et partus suos necant, sed et de his quæ agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus ut eis decem annorum tempus pœnitentia tribuatur.

CAP. 315. — *Ne presbyter secundis nuptiis intersit. Ex concilio Neocæsariensi quod prius fuit Nicæno, cap.* 7.

(31, *q.* 1, *cap. De his qui frequenter.*) Presbyterum connubio secundarum nuptiarum interesse non debere maxime cum præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere, quis erit presbyter qui propter convivium illis consentiat nuptiis?

CAP. 316.—*De his qui de virginitate superbiunt. Ex concilio Gangrensi, cap.* 10.

(*Dist.* 30, *cap. Si quis propter Deum.*) Si quis

Introdusă în format electronic de Google

propter Deum virginitatem professus in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.

CAP. 317.—*Ne mulier spretis nuptiis a viro discedat. Ibidem cap.* 14.

(*Dist.* 30, *c. Si qua mulier.*) Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit, soluto vinculo conjugii nuptias contemnendo, anathema sit.

CAP. 318.—*De eodem, cap.* 15.

(*Dist.* 30, *cap. Si quis dereliquerit.*) Si quis dereliquerit proprios filios, et non eos aluerit, et, quod pietatis est, necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.

CAP. 319.—*Ne filii occasione religionis parentes suos despiciant. Ibidem, cap.* 16.

(*Dist.* 30, *c. Si qui filii.*) Si qui filii parentes, maxime fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc justum esse judicantes, et non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut ipsum in eis venerentur, quod fideles sint, anathema sit.

CAP. 320. — *Caput mulieris tonderi non debere. Cap.* 17.

(*Dist.* 30, *cap. Quæcunque mulier.*) Quæcunque mulier religioni judicans convenire, comam sibi amputaverit (*I Cor.* XI), quam Deus ad velamen ejus et ad memoriam subjectionis illi dedit, tanquam resolvens jus subjectionis, anathema sit.

CAP. 321.—*Ne quis de habitu religionis superbiat, vel nova præcepta in Ecclesiam inducat. De eodem concilio.*

Hæc autem scripsimus (*subscriptio est episcoporum in concil. Gangren., c.* 21), non abscindentes eos qui in Ecclesia Dei secundum Scripturas sanctum propositum continentiæ eligunt : sed eos qui suscipiunt habitum ejus, et in superbiam efferuntur adversus eos qui simplicius vivunt. Sed et hos condemnamus qui se extollunt adversum Scripturas, et ecclesiasticos canones, et nova introducunt præcepta. Nos autem et virginitatem cum humilitate admiramur, et continentiam cum castitate et religione Deo acceptissimam dicimus, et renuntiationem sæcularium negotiorum atque actuum cum humilitate approbando laudamus, et nuptiarum vinculum quod secundum castitatem secum perdurat honoramus, et divites cum justitia et operibus bonis non abjicimus, et parcimoniam cum veste humili non reprobamus, sicut et jam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus. Dissolutos autem in vestibus et fractos incessu non recipimus, et domos Dei honoramus et conventus qui in his fiunt, tanquam sanctos et utiles recipimus ; pietatem in privatis domibus non concludentes, et omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, et congregationem in ecclesia factam ad utilitatem communem recipimus, et bona opera quæ supra vires inter fratres pauperes exercentur secundum ecclesiasticas traditiones beatificamus, et omnia quæ conveniunt traditionibus apostolicis et sacrarum Scripturarum præceptis in ecclesia fieri exoptamus.

CAP. 322. — *De his qui sibi rapiunt uxores. Ex conc. Chalcedonensi, cap.* 17 (*Actio.* 15, *c.* 27).

(36, *q.* 2, *c. Eos qui.*) Eos qui sibi rapiunt uxores, vel eos qui eis auxilium præstiterint, statuit sancta synodus, siquidem clerici fuerint, cadere de proprio gradu ; si vero laici fuerint, anathema esse.

CAP 323. — *Ut laicus præsentibus clericis non doceat. Ex concilio Carthaginensi* IV, *cui interfuit Augustinus, cap.* 98.

Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus [jubentibus, *orig.*] docere non audeat.

CAP. 324. — *Ne mulier doceat. Ibidem, cap.* 99.

(*Dist.* 23, *c. Mulier.*) Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non audeat.

CAP. 325. — *Ne mulier baptizet, cap.* 100.

Mulier baptizare non præsumat.

CAP. 326. — *De viduis adolescentulis et infirmis, cap.* 101.

Ut viduæ adolescentes, quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ cujus viduæ sunt sustententur.

CAP. 327. — *De viduis quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur, cap* 103.

(*Dist.* 81, *c. Viduæ.*) Viduæ quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent ut et meritis et orationibus suis Ecclesiam adjuvent.

CAP. 328. *De his qui uxores suas sine causa relinquunt, cap.* 25 (*Agath. c.* 25).

(33, *q.* 2, *c. Sæculares.*) Hi vero sæculares qui conjugale consortium nulla culpa graviore dimittunt vel dimiserunt, et nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena præsumant, si, antequam apud episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, et prius uxores quam judicio damnentur abjecerint, a communione Ecclesiæ, et sancto populi cœtu, pro eo quod fidem et conjugia maculant, excludantur.

CAP. 329. — *De his qui uxores suas divortio incidente reliquerunt. Ex concilio Toletano* XII, *cap.* 8.

(32, *q.* 5, *c. Præceptum Domini.*) Præceptum Domini est ut, excepta fornicationis causa, uxor a viro dimitti non debeat (*Matth.* V, XIX). Et ideo quicunque citra culpam criminis supradicti uxorem suam quacunque occasione reliquerit (quia quod Deus junxit, ille separare disposuit), tandiu ab ecclesiastica communione privatus et a cœtu hominum Christianorum maneat alienus, quandiu societatem relictæ conjugis sinceriter amplectatur et foveat ; ita tamen [hi tam, *orig.*] qui jam moniti a sacerdote semel et bis terque ut corrigerentur, ad tori suæ conjugis noluerint redire consortium, ipsi suis meritis et a palatinæ dignitatis officio separabuntur, et insuper generosæ dignitatis testimonia quandiu in culpa fuerint amissuri sunt, quia carnem suam dissidii jugulo tradiderunt.

CAP. 330. — *De eo quod non liceat mulieres Christianas in lanificiis aliquid observare. Ex concilio*

Introdusă în format electronic de Google

Martini papæ cap. 76 (*c.* 75 *synodorum Græcarum Martin. Bracar. episc.*).

(26, *q.* 5, *c. Non liceat Christianis.* Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificiis observare, sed Dominum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

Cap. 331. — *De mulieribus fornicariis, et abortum facientibus. Ex eodem concilio cap.* 78 (77).

Si qua mulier fornicaverit, et exinde infantem qui fuerit natus occiderit, et quæ studuerit abortum facere, et quod conceptum est necare, aut certe ne concipiat elaborare, sive ex adulterio sive ex legitimo conjugio, has tales mulieres in morte [nec in m., *alia versio*] recipere communionem priores canones decreverunt, nos tamen pro misericordia, sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsorum, decem annis agere pœnitentiam judicamus.

Cap. 332. — *De multinubis. Ibidem cap.* 81 (*c.* 80).

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat, conversatio autem et fides pœnitendi compendiat tempus.

Cap. 333. — *Quod Ecclesia non habeat gladium nisi spiritualem. Nicolaus Aluino archiepiscopo* (*idem habetur supra c.* 124).

Inter hæc sanctitas vestra addere studuit, Si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sed sancta Dei Ecclesia mundana nunquam lege constringitur, gladium non habet nisi spiritualem; non occidit, sed vivificat.

Cap. 334. — *De Lothario rege et examine causæ ejus. Idem Radoaldo Portuensi et Joanni Phicolensi episcopis* (*In appendice epist.* 2).

(31, *q.* 2, *c. Lotharius.*) Lotharius rex in commonitorio profitetur Waldradam se a patre accepisse, et sororem postmodum admisisse Huberti. Ubi primum diligenti investigatione inquirite, et si eumdem gloriosum regem prædictam Waldradam præmissis dotibus coram testibus secundum legem et ritum quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse, et publica manifestatione eadem Waldrada in matrimonium ipsius admissa est, restat ut perscrutemini, cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem glorjosus rex metu Theibergam admisisse se dicit, vos illud evangelicum recolite, quo Dominus : *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x). Et iterum ait : *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* xvi.) In quibus Dominicis sententiis considerandum est, quod si occisores corporis timendi non sunt, contra justitiam hominem impellentes, et lucrum totius mundi non prosit homini anima perdita; quanto minus metu unius hominis tantus rex debuit contra divinum præceptum in immane præcipitium mergi? In hoc certe se magis reprehensibilem ostendit, in quo amori mundi amorem Dei postposuit. Ubi nihil vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem nostra vice freti causam illius definiatis. Sin vero minime probatum fuerit Waldradam uxorem fuisse legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis per benedictionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario exstitisse conjunctam, suggerite illi ut non moleste ferat legitimam sibi, si ipsa innocens apparuerit, reconciliari uxorem, nec in hoc carnis voci obtemperet, sed potius divinis præceptis obediens pudeat eum, imo pertimescat in luxuriæ stercore putrefieri, et voluntatem propriam sequendo ante tribunal Christi districtam ponere rationem. Præterea vos scire volo quia præfata Theiberga apostolicam sedem bis et ter appellavit, et se a præfato rege glorioso questa est injuste fuisse dejectam et vi coactam, falsum contra se composuisse piaculum. Nam eo tempore ad apostolicam sedem libellum appellationis suæ misit, in quo non quidem adhuc confessam, sed ut contra se falsum diceret crimen cogi sese innotuit, insuper subjungens : « Quod si amplius compulsa fuero, scitote non veritate, sed timore mortis et evadendi studio quia aliter non possum, quod voluerint dicam. Vos tamen memores estote mei hæc vobis insinuantis. » Unde præcipimus vobis, ut cum eadem Theiberga ad conditam synodum, sicut statuimus, advenerit, causam ejus diligenti examinatione tractetis, et si ei objicitur quod illa crimen se aliquod admisisse confessa fuisset, et contra illa violentiam se pertulisse proclamaverit, vel si inimicos sibi judices fuisse testata fuerit, tunc illud renovetis judicium, secundum æquitatis normam, ut injustitiæ mole non opprimatur.

DECRETI PARS NONA.

De incesta copulatione et fornicatione diversi generis, et in qua linea fideles conjungi et separari debeant, et de correctione et pœnitentia singulorum.

Cap. 1. — *Inter quas personas incesta copulatio, inter quas legitimæ nuptiæ fiant. Liber primus Institutionum, titulo decimo.*

Inter eas personas quæ parentum liberorumve locum obtinent, inter se nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium, vel aviam et nepotem, et usque ad infinitum. Et si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeo vera sunt ut, quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperunt, non possint inter se matrimonio jungi.

Introdusă în format electronic de Google

m tantum ut etiam dissoluta adoptione idem juris mancat. Itaque eam quæ per adoptionem filia aut neptis esse cœperit, non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris. Inter eas quoque personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur est quædam similis observatio, sed non tanta. Sane enim inter fratrem sororemque nuptiæ prohibitæ sunt, sive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, sive ex alterutro eorumdem. Et si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, quandiu quidem constat adoptio, sane inter te et eam nuptiæ consistere non possunt. (*Post pauca.*) Filiam uxorem ducere non licet, sed nec neptem fratris vel sororis ducere quis potest, quamvis quarto gradu sit. Cujus enim filiam uxorem ducere non licet, ejus neque neptem permittitur. Ejus vero mulieris quam pater tuus adoptavit, filiam, non videris impediri uxorem ducere, quia neque naturali neque civili jure tibi conjungitur. Duorum autem fratrum sororumve liberi, vel fratris et sororis jungi non possunt (84). *Item.* Amitam licet adoptivam, uxorem ducere non licet. Item nec materteram, quia parentum loco habentur : qua ratione verum est magnam quoque amitam et materteram magnam prohiberi uxorem ducere. Affinitatis quoque veneratione a quarumdam nuptiis abstinere necesse est, ut ecce privignam, aut nurum uxorem ducere non licet, quia utriusque filiæ loco sunt. *Item.* Mariti autem filius ex alia uxore, et uxoris filia ex alio marito vel contra, matrimonium recte contrahunt, licet habeant fratrem vel sororem ex matrimonio postea contracto natos. Si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, hæc quidem non est privigna. *Item.* Si adversus ea quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec matrimonium intelligitur, nec dos. Itaque qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, sed tales sunt, quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt hi quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur. Cum his etiam incertus est coitus, unde solent spurii appellari vel a Græca voce πωραδὴν concepti, quasi sine patre filii [παρὰ τὴν απορὰν a satione, et ἀπατόρες quasi, etc., *orig.*]. Sequitur ergo ut et dissoluto tali coitu dotis exactioni locus sit.

Cap. 2. — *Ut notabilis sit, qui cum his nuptias constituerit, cum quibus fieri non possunt. Pandectarum, lib.* III, *tit.* II.

Si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituerit, quam uxorem vel ducere non potest, vel fas non est, erit notatus

Cap. 3. — *De pœna ejus qui incestum matrimonium contraxerit. Novellarum constitutionum* 32, *cap.* 1.

Si quis nefarium et incestum atque damnandum matrimonium contraxit, liberos autem ex priore legitimo matrimonio non habuerit, statim suis facultatibus careat ; dos quæ ei data est fisci juribus vindicetur. Post publicationem autem et cinguli patitur amissionem, et exsilio puniatur. Quod si vilior sit, corporali quæstioni subsistat, et uxor ejus contra leges easdem nupta, pœnas patiatur sæculi, si nulla justa excusetur ignorantia.

Cap. 4.— *Ut liberi ex alia conjuge nati, bona incestuosi patris accipiant, cap.* 2.

Si autem liberi sint, et incestas nuptias contraxerint, illi autem sint liberi legitimi (quod forte ex alio matrimonio procreati sint) in pœnam patris, sui juris fiant, et paternas accipiant facultates; sic tamen ut patri suo alimonias præbeant, et quæ necessaria sunt administrent.

Cap. 5.— *Quod conjugium in quarto gradu fieri non possit. Ambrosius Paterno.*

Tu copulare paras filium tuum et neptem ex filia, id est ut accipiat sororis suæ filiam. Interroga nominum religionem, nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur. *Item* (*ibidem paulo post*). Quid est quod dubitari queat, cum lex divina etiam fratres patrueles prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto copulantur [socientur, *orig.*] gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam civili jure a consortio conjugii videtur exceptus.

Cap. 6. — *Quomodo gradus consanguinitatis computandi sint. Alexander II clericis Neapolitanis, cap.* 55.

De parentelæ gradibus tam famosæ quæstionis apud illos scrupulum nuper etiam inter vos emersisse cognovimus; super qua nonnullos perniciosos interpretes ac disputatores contra veritatis regulam sanamque doctrinam dogmatizare dolemus. Sedentes enim in cathedra pestilentiæ (*Psal.* I) dictant jura quæ nesciunt, et docent illa quæ nullatenus didicerunt. Nam (ut fertur) ita generationes a duobus fratribus altrinsecus prodeuntes enumerant, ut eorum invicem filios quartam, nepotes sextam, pronepotes octavam generationem esse perhibeant. Hoc itaque modo unumquemque generationis gradum qui unus procul dubio dicendus est, dividunt, atque imperite numerandam progeniem desecare contendunt. Qui nimirum nequaquam in hujus fetoris ructus pestilenter irrumperent, si sacræ pabulum Scripturæ vivacis ingenii faucibus ruminarent. Nam quod duorum fratrum sive nepotum, vel deinceps utrinque descendentium generationes non diversæ dici, sed eodem ac sub uno nomine debeant uniformiter appellari, testatur liber Geneseos cum dicit : *Vixit Joseph centum decem annis, et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir, filii Manasse, nati sunt in genibus Joseph* (*Gen.* L). Porro autem si sic cognationes supputari deberent, ut vestri disputatores autumant, dum Joseph ex utroque filio Ephraim scilicet et Manasse nepotes haberet, nequaquam Scriptura diceret, quia vidit filios Ephraim usque ad tertiam, sed usque ad sextam generationem. *Item.* (*Ad* 6 *interrog. August.*)

(84) Ex hoc loco restitui potest § *duorum autem fratrum*. Inst. de nuptiis, qui passim corruptus legitur.

Introdusă în format electronic de Google

Beatus quoque Gregorius dum super angelorum conjugiis scriberet, hæc fere verba deprompsit. Quædam lex in Romana republica præcepit [permittit, *apud Gregor.*] ut duorum fratrum vel sororum filius vel filia in conjugio copularentur sed omnino cognoscitur ex hoc conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est ut jam quatuor vel quinque invicem generationes copulentur. In quibus nimirum verbis luce clarius patet quia, dum doctor insignis duorum fratrum soboles prohibet in matrimonio jungi, in quarta vero generatione permittit neophytos copulari, nequaquam (ut cultores perversi dogmatis astruunt) generatio quarta in duorum fratrum filiis valet inveniri.

CAP. 7. — *Quod sex ramis consanguinitas terminatur. Isidorus, Etymologiarum l.* IX, *cap.* 6.

Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum subtraxerit, et propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonii vinculo repetit, et quodammodo revocat refugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est ut sicut sex ætatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

CAP. 8. — *De dissidio Roberti regis Francorum, et Berthæ conjugis ipsius. Leo nonus Henrico regi Francorum.*

Pater tuus Robertus laude et consultu episcoporum regni tui, Bertham matrem Odonis comitis sibi duxit uxorem; ob quam rem, quoniam sibi erat carnis affinitate conjuncta, ab antecessore nostro cum episcopis, qui placito interfuerunt (85), post ad sedem apostolicam venientes cum satisfactione sumpta pœnitentia, redierunt ad propria.

CAP. 9. — *Quod nullus eleemosynis possit redimi, quin consanguinei separentur. Alexander II Mangiso Venetensi episcopo.*

Hujus viri causam, supra qua apostolicam sedem consuluisti retractantes, si quomodo misericorditer conjunctam sibi illicite consanguineam retinere posset, et orationibus, jejuniis, ac hæreditatis et eleemosynarum se largitione redimere; nullam auctoritatem comperimus, qua sibi concederemus.

CAP. 10. — *De pœnitentia ejus qui filiam patrui corruperat. Item, Alexander II Berengario Basiliensi episcopo, cap.* 103.

Iste pœnitens venit ad nos, confessusque est se filiam patrui sui corrupisse, cui quatuordecim annorum pœnitentiam injunximus, ut jejunet quidem tribus quadragesimis. In quadragesima post Pentecosten, duobus diebus in pane et aqua in septimana; et in Adventu, tribus; et in majori quadragesima, tribus; et abstineat se ab ingressu ecclesiæ, et a communione duobus annis.

CAP. 11. — *Ut nullus de propria cognatione sibi conjugem copulet. Leo IV episcopis Britanniæ.*

Ut definitum est a Patribus, nullus de propria cognatione conjugem sibi audeat copulare, alioquin anathema sit. Unde beati Junioris Gregorii (86) decreta eximia sunt tenenda.

CAP. 12. — *Quam nefarium sit consanguineis copulari. Nicolaus Jeremiæ episcopo.*

Qui consanguinitatis copulas diligunt summopere se cavere oportet, ne in laqueum diaboli cadant (*I Tim.* III), quamque sit nefarium sanctimoniales, quæ mundi contempto conjugio Christo se devoverunt, aut consobrinam vel de propria consanguinitate uxores ducere, omnibus in recta fide Christi permanentibus patet.

CAP. 13. — *De observatione consanguinitatis. Item Carolo archiepiscopo, et suis suffraganeis.*

Dixistis in quota generatione sibi fideles jungantur; nos autem in hac re generationum numerum non definimus [definivimus], sed ut supra protulimus incunctanter observare monemus.

CAP. 14. — *Ut juxta gradus cognationis modus culpæ tractetur. Nicolaus Tandoni archiepiscopo Mediolano.*

Eos qui cum amitæ suæ filia vel patrui, vel avunculi (heu!) forte peccaverint, juxta gradus cognationis statuimus modum culpæ tractari, sicuti pridem tibi per apostolicam epistolam de his qui cum spirituali matre hujusce flagitium commiserint, innotuimus.

CAP. 15. — *Ut nullus de propria cognatione uxorem accipiat. Ex synodo Leonis IV.*

Nullus de propria cognatione aut velatam diaconam, vel raptam uxorem accipiat.

CAP. 16. — *Quomodo intelligendum sit, Turpitudinem patris tui et matris non revelabis, libro in Lectionum Augustini, cap.* 8 (*August. q.* 58 *l. in Q. Super Levit., ad c.* XVIII).

Turpitudinem patris tui et matris tuæ non revelabis (*Lev.* XVIII). Hac locutione concubitum vetuit in his personis, ibi est enim turpitudo patris et matris.

CAP. 17. — *Ut qui turpitudinem sororis suæ viderit de genere suo exterminetur. August. lib. Quæstionum super Leviticum, cap.* 75 (*ibid., q.* 75, *ad Levit., c.* XIX).

Quicunque acceperit sororem suam ex patre suo aut ex matre sua, et viderit turpitudinem ejus, vituperium est, vel improperium, et exterminabuntur in conspectu generis sui. Turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum suum accipient. Quid ait in hoc loco, viderit, nisi concumbendo cognoverit, sicut in lege dicitur: Cognovit uxorem suam, pro eo quod mistus est ei?

CAP. 18. — *Quid sit: Filii de cognatis nati morientur, cap.* 76 (*ibid., q. Proxima*).

(55, *q.* 7, *c. Quid est.*) Quid est: Quicunque dormierit cum cognata sua, sine filiis morietur, cum filii ex hujusmodi conjunctionibus et ante nati sint, hodieque nascantur? An hoc intelligendum est lege Dei constitutum ut quicunque ex eis nati fuerint non deputentur filii, id est nullo parentibus jure succedant?

(85) Forte addendum est *excommunicati* alias sensus est integer.

(86) Greg. papa II, cujus hac de re decreta paulo post sequuntur, c. 39, 59, 60, 61

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 19. — *Ut qui uxorem fratris sui vel quam cognatus suus habuit duxerit, anathema sit. Decretum Gregorii Junioris* (*Conc. Rom.* I, *sub Greg. II, c.* 5, 7, 8, 9).

Si quis fratris uxorem duxerit in conjugium, anathema sit. Si quis novercam aut nurum suam duxerit, anathema sit. Si quis consobrinam suam duxerit, anathema sit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit in conjugium, anathema sit.

Cap. 20. — *Ut Christiani inter se non copulentur usque dum se cognoverint. Zacharias papa, cap.* 1 (*Greg. I, ad* 6 *interrog. August.*).

Asserentibus hominibus de Germaniæ partibus, didici quod beatæ recordationis papa Gregorius, dum eos ad religionem Christianitatis divina gratia illustraret, licentiam illis dedisset in quarta sese copulari generatione. Quod quidem Christianis licitum non est, dum usque se cognoverint. Sed dum rudes erant invitandi ad fidem, quanquam minime scriptum reperimus, non ambigamus.

Cap. 21. — *Quæ personæ ob agnationem duci non possint, cap.* 5.

Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem vel de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat sibi in conjugio copulare. Si quis huic tali nefario conjugio convenerit, et in eo permanserit, sciat se apostolica auctoritate anathematis vinculis esse innodatum, et nullus sacerdos tribuat ei communionem. Si vero conversus divisusque fuerit a tali copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

Cap. 22. — *Quod maledicti appellantur et infames, qui consanguineas ducunt uxores. Calixtus papa episcopis Galliæ, cap.* 4 (*epist.* 2 *ad episc. Gall.*).

Conjunctiones consanguineorum fieri prohibentur, quia has et divinæ et sæculi fieri prohibent leges. Leges ergo divinæ hoc agentes, et eos qui ex eis prodeunt non solum ejiciunt, sed et maledictos appellant. Leges ergo sæculi infames tales vocant, et ab hæreditate repellunt. Nos vero sequentes Patres nostros, infamia eos notamus et infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt aspersi. Nec eos viros, nec eorum accusationes quos leges sæculi rejiciunt, suscipere debemus. *Paulo post.* Eos autem consanguineos dicimus, quos divinæ et imperatorum, ac Romanorum, atque Græcorum leges consanguineos appellant, et in hæreditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim conjunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt, sed rejiciendæ sunt.

Cap. 23. — *Quod infamia incestuosorum deleri non potest, peccata autem possunt. Item, cap.* 5.

Quisquis non est legitime conjunctus, vel absque dotali titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus, sacerdotes, vel legitime conjunctos criminari, vel in eos testificari non potest. Quoniam omnis incesti macula pollutus infamis est, et accusare supradictos non permittitur. Non solum ergo hi rejiciendi sunt et infames efficiuntur, sed etiam omnes eis consentientes. Similiter de raptoribus, vel eis qui seniores impetunt fieri censemus. Hos vero sæculi leges interficiunt, sed nos præeunte misericordia sub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. Ipsam quoque infamiam delere non possumus qua sunt aspersi, sed animas eorum per pœnitentiam publicam et Ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus, quia manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.

Cap. 24. — *De decennali pœnitentia eorum qui consentiunt incestuosis. Ancyranum conc., cap.* 24.

Quidam sponsam habens, sororem ejus violavit, et gravidam reddidit, postmodum desponsatam duxit uxorem. Illa vero quæ corrupta est, laqueo se peremit. Hi qui fuerunt conscii post decennem satisfactionem jussi sunt suscipi secundum gradus pœnitentiæ constitutos.

Cap. 25.—*Qui sint incestuosi. Ex concilio Agathensi, cap.* 6 (*conc. Epaun.*, c. 30, *et Arelat.* III, *c.* 2).

(35, *q.* 2 *et* 3, *c. De incestis conjunctionibus.*) Incestos [incestuosos] nullo conjugii nomine deputandos (quos etiam designare funestum est) hos esse censemus. Si quis relictam fratris carnali conjunctione polluerit, si quis frater germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ se sociaverit, si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ vel privignæ suæ, aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluerit aut duxerit uxorem. *Item, eodem cap.* Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

Cap. 26. — *Quod usque ad septimam generationem conjungi non debeant fideles. Gregorius Felici episcopo* (*lib.* XII, *ep.* 31 *vel* 32).

(35, *q.* 2 *et* 3, *c. Progeniem.*) Progeniem suam unumquemque, de his qui fideliter edocti sunt, et jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem, et quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere se societatem præsumant, nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugio ducere ulli profecto Christianorum licet, vel licebit, quia incestus est talis coitus et abominabilis Deo et cunctis bonis hominibus. Incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis Patribus dudum statutum esse legimus.

Cap. 27. — *Quod duobus fratribus duas sorores liceat uxores accipere. Beda in Historia Anglorum, cap.* 34; *et interrogatio* 5 *Augustini* (*Beda, c.* 27, *lib.* I).

Si debeant duo germani fratres singulas sorores uxores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ. *Responsio Gregorii.* Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradicere videatur.

Cap. 28. — *Quod cum noverca misceri grande sit scelus, cap.* 37. *Gregorius respondet Augustino* (*Greg. ibidem, c.* 6).

Cum noverca misceri grave facinus est, quia in

Introdusă în format electronic de Google

lege scriptum est : *Turpitudinem patris tui non revelabis* (*Lev.* XVIII), neque enim turpitudinem patris filius revelare potest, sed quia scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II), qui turpitudinem novercæ quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelabit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per conjunctionem [conjugem] priorem caro fratris fuerit facta, pro qua re etiam Joannes Baptista capite truncatus est (*Matth.* XIV), et sancto martyrio est consummatus [coronatus, *orig.*].

CAP. 29. — *Ut cum his qui se incesta pollutione commaculant, nulli Christianorum nec victum sumant. Herdense conc., cap.* 4.

Hi qui incesta pollutione se commaculant, placuit, ut quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere ullum Christianorum (sicut jussit Apostolus [*I Cor.* V]) oportet.

CAP. 30. — *Quod idem sentiendum sit de materna linea consanguinitatis, quod de paterna. Nicolaus Carolo archiepisco Maguntino.*

De consanguinitatis propinquitate atque conjunctione, quam apud vos fieri dicitis, quam illicitam judicamus, hoc de materna sentimus linea, quod et de paterna ; quibus talem conjunctionem modis omnibus inhibemus.

CAP. 31. — *Ut incestuosis post dignam pœnitentiam liceat matrimonia contrahere, ne absorbeantur. Nicolaus Carolo archiepiscopo et ejus suffraganeis* (*in rescr. tit.* XVII, *c.* 5; *conc. Wormat. c.* 33).

(33, *q.* 2, *c. Si quis cum.*) Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut cum his personis de quibus sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam et castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

CAP. 32. — *Ut conjugium occasione consanguinitatis non solvatur. Alexander II Guilielmo de Monasteriolo* [*Monstrolico* leg. Gratian.].

(35, *q.* 6, *c. Multorum.*) Multorum relatione cognovimus te propriam velle abjicere uxorem et adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem. Unde apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc quam nunc habes uxorem nullatenus præsumas dimittere vel aliam ducere, donec episcoporum religiosorum concilium causam istam examinaverit.

CAP. 33. — *Ut propter consanguinitatem nisi juramento probatam, non solvatur conjugium. Urbanus II Cyriaco Genuensi episcopo* [*Richardo Januen. episcopo*, habet Gratian.].

(35, *q.* 6, *c. Notificamus.*) Notificamus tibi, ut si tres aut duo ex propinquioribus jam defunctæ uxoris ejus qui accusatur vel vivæ, hanc propinquitatem jurejurando firmaverint, vel tres aut duo ex antiquioribus Genuensibus quibus hæc propinquitas nota est, qui bonæ famæ et veracis testimonii sint, remoto amore, timore, pretio, et omni malo studio, supradicto modo consanguinitatem firmaverint, sine omni mora conjugia dissolvantur. Quod si propinqui vel extranei verbis tantum propinquitatem testantur, et juramento probare vel noluerint vel nequiverint, conjugium nullatenus dissolvatur, sed competens e pœnitentia propter infamiam vel peccati maculam (si forte in hac re contraxerint aliquam) injungatur.

CAP. 34. — *Quod spiritualis propinquitas sit inter compatrem et filiolum. Responsio Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap.* 3.

(30, *q. c. Ita.*) Ita diligere debet homo eum qui se suscipit ex sacro fonte, sicut patrem. Est enim inter patres et filios spirituales gratuita et sancta [*Gratia. sic habet :* Item est inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta, etc.] communio quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium, quandoquidem nec inter eos qui natura, et eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. *Item.* Si inter eos non contrahitur matrimonium ques adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas ut filius ejus vel frater meus esset, elegit, prudentiusque ab alterna commistione secernimur.

CAP. 35. — *Ne quis uxore defuncta commatrem ejus ducat. Idem Salomoni Constantiensi episcopo* (*in resc. tit.* XIX, *c.* 4).

(30, *q.* 4, *c. Sciscitatur.*) Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres spirituales habere valeat, unam post alteram; in qua fraternitas tua meminisse debet scriptum esse : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque cum constet quia vir et uxor una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur; et ideirco liquet virum illi feminæ non posse jungi in copula, quæ commater erat ejus, cum qua idem una fuerit caro effectus.

CAP. 36. — *Ne quis filiolam vel commatrem ducat uxorem. Idem Carolo archiepiscopo et ejus suffraganeis* (*ibid., c.* 5; *conc. Wormat., c.* 34).

(33, *q.* 2, *c. Si quis.*) Si quis cum matre [cum commatre] spirituali fuerit fornicatus, anathematis (ut scitis) percutitur ictibus. Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus; legitimam tamen si habuerit, non dimittere cogatur uxorem.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 37. — *De quodam, qui concubinæ suæ consanguineam, ut alteri desponsatam duxerit uxorem. Alexander II Constantino Aretino episcopo.*

Scripsisti quemdam Ecclesiæ tuæ filium concubinæ suæ in quarta linea consanguineam, alterius scilicet desponsatam pro conjuge duxisse. Juraverat enim eam (ut asseris) in matrimonium prius [proprius *Victor.*] ducere sponsus; juravit etiam illam in fornicatione retinere incestuosus. *Item, infra.* Apostolica fulti auctoritate tibi judicando consuluimus, sponsam proprio sponso concedi, illi videlicet qui nulla consanguinitatis copula jungitur sibi. Quoniam misericordius perjurii pœna, quæ pro vitandis culpis contrahit, indulgenda est, quam pœna perjurii cum perseverantia criminis vel delicti. Tribus denique peccator iste notatur criminibus, perjurio, adulterio, incestu. Perjurio namque, quia quod observare legaliter non potuit, sine judicio parentum, vel judicum temere jurare præsumpsit. Adulterio quidem, quoniam alterius sponsam vivente proximo concupivit et seduxit. Incestu, quia contra decreta Patrum vicinius quam liceat permiscere sanguinem sanguini, non veretur. *Item, infra.* Nosti quid sacri canones super hujuscemodi homine decreverunt, videlicet si laicus, ut non promoveatur ad clerum; si clericus, ulterius non ascendat.

CAP. 38.— *Quod mulier affinitatem contrahit cum omnibus cognatis viri sui. Ex epistola Gregorii.*

(35, *q.* 10, *c. Fraternitatis.*) Gregorius, servus servorum Dei, Venerio Caralitano. Fraternitatis tuæ studiosæ sagacitati, frater amande, quas debeo refero grates, quoniam quæsisti quæ debuisti, jucundum reddidisti me. Unde placide ad inquisita respondeo. Sedem apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro juncta, cognationi ejus pertineat, si eo defuncto cognatio maneat eadem, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissolvantur, vel si susceptæ soboles possint legitime ad prioris viri cognationis transire copulam. Est enim verbum Domini validum et forte, est durabile, est perseverabile, est immutabile, non momentaneum, non transitorium. Ait autem per seipsa Veritas, quæ Deus est, et Verbum Dei : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV). Antequam Deus in carne inter homines appareret, eo inspirante dixit Adam : *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Cui non contradixit Dominus. Deinde cum veritas oriretur de terra in terram (*Psal.* LXXXIV), et visibilis [invisibilis] in humanitate apparuit, interrogatum est, si licitum esset homini uxorem relinquere (*Matth.* XIX). Quod prohibens fieri vetuit, præterquam si fornicatio sola excluserit copulam maritalem. Unde protulit statim in medium eamdem ipsam sententiam, quam ante sæcula manens cum Patre Verbum inspiraverat in Adam, ipse confirmans, quod ipse protinus protulit homo : *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Si una caro fiunt, quomodo poterit aliquis eorum propinquus pertinere uni, si non pertineat alteri? Quod minime fieri posse credendum est, nam uno defuncto in superstite affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copulæ solvere potest. Sed neque alterius conjunctionis sobolem placet ad ipsius affinitatis prioris siquidem transire consortium, pro eo quod verbum Domini validum est et forte, et ut inquiens dixit Propheta : *Verbum Domini manet in æternum* (*Isai.* XL). Et alius Propheta : *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt; statuit eá in sæculum et in sæculum sæculi, præceptum posuit et non præteribit* (*Psal.* CXLVIII). Nam potest per verbum suum atque præceptum efficere duo in carnem unam, et masculum et feminam, qui innumeram multitudinem sexus utriusque non destitit secum facere unum, sicut per se Veritas dixit : *Non pro his tantum rogo, sed etiam pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII). Si quis ergo temerario ausu et sacrilego in defuncto quærit propinquitatem, vel sub altero affinitatis vocabula dissipare, vel susceptam sobolem alterius copulæ credens legitime sociari, propinquitatis prioris, hic negat Dei verbum validum esse et forte. Et qui tam facile vel tam velociter quærit dissolvere, hic non credit verbum Domini manere in æternum. Confice terram ex quatuor locis distantibus magna intercapedine, et confectam et conglutinatam finge, cujuscunque figuræ vel immensitatis corpus quod volueris, etc. (87).

CAP. 39. — *Quod nulli liceat de propria cognatione uxorem ducere. Ex concilio Wormaciensi, cap.* 11 (*c.* 32).

(35, *q.* 3, *c. In copulatione.*) In copulatione fidelium, generationum numerum non definimus; sed id statuimus ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate vel cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.

CAP. 40.— *De incestuosis. Ex concilio Agathensi, cap.* 61 (*ex conc. Epaun., c.* 30).

(35, *q.* 2, *c. De incestis.*) De incestis conjunctionibus nil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Et si sanare noluerint, anathematizentur.

CAP. 41. — *Item, de eadem re* (88).

(35, *q.* 8, *c. Incestuosi.*) Incestuosi dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles aut catechumenos habeantur, id est cum Christianis non sumant potum nec cibum, sed soli hoc faciant, non osculentur, aut salutentur ab eis. Sed si suis sacer-

(87) Quæ sequuntur invenies apud Gratian.

(88) Gratian tribuit Aurelian. conc.

Introdusă în format electronic de Google

dotibus inobedientes exstiterint; et a tam nefando scelere se segregare, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus per se Veritas ait : *Si* te *non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Et si alter eorum præventus fuerit, alter quandiu vivat graviter pœniteat, et sine spe conjugii maneat.

CAP. 42. — *Ne aliquis fidelium ad propinquam sanguinis sui accedat. Ex concilio Toletano* XI, *c.* 5 (*Toletan. conc.* II, *c.* 5).

Nam et hæc salubriter præcavenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui usquequo affinitatis lineamenta successione generis cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari quoniam scriptum est : *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus* (*Lev.* XVIII). Et iterum : *Anima quæ fecerit quidpiam ex istis, peribit de medio populi sui* (*ibid.*). Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

CAP. 43. — *Quod æqualiter non conjungendus sit in matrimonio vir suis consanguineis, et uxoris. Ex decretis Julii papæ.*

(35, *q.* 2, *c. Æqualiter.*) Æqualiter vir non conjungitur in matrimonio consanguineis suis, et consanguineis uxoris suæ.

CAP. 44. — *Quod uno modo parentela viri et mulieris in conjunctione consideranda sit. Ex concilio Manticeno, cap.* 3 (*conc. Cabilon.* II, *c.* 29).

Sane consanguinitas quæ in proprio viro observanda est, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, et quia constat eos duos fuisse in carne una, communis illis utraque parentela esse credenda est, sicut scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II).

CAP. 45. — *In quo geniculo abstinendum sit. Ex dictis Isidori* (*Isidor., c.* 6 *l.* IX *Etym.*).

Isidorus in Etymologiis suis usque ad septimam generationem consanguinitatis abstinendum, et sic legitimo connubio conjungendum asseruit. Inde reor eum fecisse, quod genealogiæ seriem retexens, quousque ordinem numerandi perducere posset, eo cognationem sanguinis servandam æstimavit, sicque ad revocationem generis et amicitiæ jus confirmandum, redire ad connubium sancivit, quando jam cognationis ordo numerari desinit.

CAP. 46. — *In quo ramusculo consanguinitatis legitima connubia fieri possint. Ex dictis ejusdem* (*ibid., c.* 5).

(35, *q.* 4 *et* 5, *c. Series, et c. Consanguinitas.*) Beatus Isidorus de consanguinitate sic loquitur, cujus series septem gradibus dirimitur, hoc modo : Filius et filia quod est frater et soror, sit ipse truncus. Illis seorsum sejunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos et neptis primus, pronepos et pronepotis secundus, abnepos et abneptis tertius, adnepos et adnepotis quartus, trinepos et trineptis quintus, trinepotis nepos, et trineptis sextus. (*Ibidem, c.* 6.) Hæc consanguinitas dum se paulatim in propaginum ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum sese subtraxerit, et propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonii vinculum recipietur, et quodammodo revocabit fugientem. Eleo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut in sex ætatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

CAP. 47. — *Quod consanguinitas usque ad septimum geniculum conservari debeat. Conc. apud Theodonis villam habito, cap.* 8.

Nullus fidelium usque ad affinitatis lineam, id est usque in septimam progeniem consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis vero hoc temere præsumpserit, ut incestum luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat.

CAP. 48. — *Item de eadem re. Ex conc. Lugdunensi, cap.* 10.

(55, *q.* 2 *et* 3, *c. Nulli.*) Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis. Qui autem ante innupti erant, a sacerdote benedicti, nubere audeant [*Gratian. sic habet :* qui autem nupturi erunt a sacerdote, etc.].

CAP. 49. — *Item de eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10 (89).

(35, *q.* 3, *c. Nullum.*) Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sanguinis, vel uxoris, usque in septimum generis gradum uxorem ducere, vel incesti macula commaculari.

CAP. 50. — *De eadem re. Ex conc. Agripin, cap.* 6.

In septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas invenitur, nec successio potest amplius prorogari.

CAP. 51. — *Item de eadem re. Ex conc. Meldensi, cap.* 7.

(35, *q.* 2, *c. De affinitate.*) De affinitate namque sanguinis per gradus cognationis, placuit usque ad septimam generationem observare. Nam et hæreditas rerum per legales definitiones sancit usque ad septimum gradum prætendere hæredum successionem. Non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur.

CAP. 52. — *Ut duobus vel tribus testibus testimonia dicentibus consanguinei separentur. Ex conc. Ilerdensi, cap.* 20.

(35, *q.* 6, *c. Ab isto.*) Ut omnis controversia quæ de ecclesiasticis rebus sit, secundum divinam legem sub duobus vel tribus testibus terminetur (*Deut.* XVII; XIX). Testis est Dominus cum dicit : Non unus stet contra alium, sed *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Matth.* XVIII ; *II Cor.* XIII).

CAP. 53. — *Quid faciendum sit si nemo consanguinitatem sacramento firmare voluerit. Ex regestis Urbani papæ II.*

(35, *q.* 6, *c. Si duo.*) Convenit Trojæ in Apulia

(89) Gratian tribuit Julio papæ.

Introdusă în format electronic de Google

concilium episcoporum fere LXXV, abbatum XII ; in quo actum est de consanguinitatis linea conjugatis, cum nemo tamen dictum sacramenti vellet assertione firmare. Præceptum est ut episcopi, quorum diœcesani sunt, eos per congrua spatia trina advocatione conveniant. Tunc si duo vel tres viri consanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipsimet forte confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, episcopi eos per baptismum, per fidem, per judicium Christi, in vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciant utrum se (sicut fama est) consanguineos recognoscant ; si negaverint, sibi ipsis relinquendi sunt, ita tamen ut si aliud in conscientia habeant, se a liminibus ecclesiæ, a corpore et sanguine Domini, a fidelium communione noverint segregatos, atque infames effectos, donec ab incesti facinore desinant. Si se episcoporum judicio segregaverint, si juvenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.

CAP. 54. — *In qua linea consanguinitas separari debeat. Ex concilio Cabilonensi, cap.* 5 (*Mogunt. conc. sub Carolo Magno, c.* 54).

(35, *q.* 2, *c. Contradicimus.*) Contradicimus quoque ut in quarta vel quinta, sextaque generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem post interdictum, factum fuerit inventum, separetur.

CAP. 55. — *In qua linea S. Gregorius Anglorum genti conjugia permiserit. Ex epist. Joannis Constantinopolitani ad Felicem episcopum Siciliæ.*

(35, *q.* 2, *c. Quædam lex Romana.*) Gregorius papa requisitus ab Augustino Anglorum gentis episcopo quota generatione fideles debeant copulari, dispensatorie sic rescribit ad 6 interrogationem : « Quædam lex in Romana repub. permittit ut sive frater et soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur ; experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est, ut jam quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi jungantur. »

CAP. 56. — *Quod S. Gregorius hoc Anglorum genti specialiter, non generaliter permisit. Ibidem.*

Verum post multum temporis a Felice Messanæ Siciliæ præsule requisitus utrum Augustino Gregorius scripserit ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minime solverentur, humillimus pater Gregorius (*epist.* 31 *lib.* XII) inter cætera talem dedit rationem : « Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo alumno, videlicet (ut recordaris) tuo, de consanguinitatis conjunctione, ipsi et Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter certissime scripsisse me cognoscas. Unde et mihi omnis Romana civitas testis existit, nec ea intentione hæc illis scripsi mandata, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem jungantur, sed quod adhuc illis neophytis existentibus eis primum illicita consentire, et eos verbis ac exemplis instructe, et quæ post de talibus egerint rationabiliter et fideliter excludere oporteret. Nam juxta Apostolum qui ait : *Lac dedi vobis potum, non escam* (*I Cor.* III), ista illis modo, non posteris (ut præfixum est) temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma radice plantatum erat exureretur, sed aliquantum firmaretur, et usque ad perfectionem custodiretur. Hæc ergo ego Joannes idcirco perstringendo curavi, ut hi qui occasione novæ dispensationis illicita matrimonia contra hunc eruditissimum virum causantur, non generaliter quartæ generationis copulam censuisse, imo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant. »

CAP. 57. — *Quod extranei nisi ex necessitate, dissidium inter consanguineos facere non debeant. Ex decretis Fabiani papæ, cap.* 8 (*in fragm.*).

(35, *q.* 6, *c. Consanguineos.*) Consanguineos extraneorum nullus accuset vel consanguinitatem in synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet, id est pater, mater, soror, frater, patruus, avunculus, amita, matertera, et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et veracioribus quibus eadem propinquitas nota sit, episcopus canonice perquirat, et si inventa fuerit propinquitas, separentur.

CAP. 58. — *Ne quis neptem suam ducat. Ex concilio Romano. Gregorius* (*ex decretis Greg. II Junioris appellati, c.* 6).

Siquis neptem suam in conjugio duxerit, anathema sit.

CAP. 59. — *De eadem re, ejusdem Gregorii* (*c.* 8).

Si quis consobrinam in conjugium duxerit, anathema sit.

CAP. 60. — *De eadem re* (*c.* 9).

Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit in conjugio duxerit, anathema sit.

CAP. 61. — *Sacramentum de parentela quomodo sit inquirenda.*

(35, *q.* 6, *c. De parentela.*) De illa parentela quam dicunt esse inter N. et istam conjugem N. quidquid inde scis aut audisti a tuis vicinis, aut a tuis antiquioribus propinquis, quod tu per nullum ingenium, nec propter amorem, nec propter timorem, aut per præmium aut per consanguinitatem celabis episcopum tuum aut ejus missum, cui hoc inquirere jusserit quandocunque te ex hoc interrogaverit : Sic te Deus adjuvet et istæ sanctorum reliquiæ.

CAP. 62. — *Juramentum testium.*

(35, *q.* 6, *c. Illud juramentum.*) Illud sacramentum quod iste juravit de illa parentela quæ inter filium et ejus conjugem N. computatur, quod tu illud observabis in quantum sapis aut audisti? Sic te Deus adjuvet.

CAP. 63. — *Sacramentum de incestuoso conjugio.*

(35, *q.* 6, *c. Ab isto.*) Ab isto die in antea, quod tu per nullum ingenium te sociabis huic tuæ consanguineæ N. cum qua contra legem et rectam Christianitatem tuam, adulterium et incestum perpetrasti, nec in conjugio, nec in adulterio illam tibi sociabis, nec cum illa ad unam mensam manducabis et bibes, aut sub uno tecto manebis, nisi forte in ecclesia, aut in aliquo publico loco, ubi nulla mala

Introdusă în format electronic de Google

suspicio possit esse, et ibi coram testibus idoneis pro certa necessitate pariter colloquamini. Nec aliam conjugem accipies, nisi forte post peractam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab episcopo tuo, aut ejus misso : sic te Deus adjuvet, et istæ sanctorum reliquiæ.

Cap. 64. — *Hæc capitula de septem gradibus consanguinitatis S. Isidorus diligenti inquisitione descripsit, et in figura apertius depicta ordinavit. Cap.* 1 *de* VII *gradibus consanguinitatis.* (*Isid. c.* 5 *lib.* IX *Etym.*).

Primo gradu superiori linea continentur pater, mater; inferiori filius, filia, quibus nullæ aliæ personæ junguntur. Secundo gradu continentur superiori linea avus, avia ; inferiori nepos, neptis. In transversa frater, soror, quæ personæ duplicantur. Avus enim et avia tam ex patre quam ex matre accipiuntur. Quæ personæ, sequentibus quoque gradibus similiter pro substantia earum quæ in quo gradu subsistunt [*Gratian. sic habet* : Eorum in quo gradu consistunt], ipso ordine duplicantur. Istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo avi sunt, et paternus et maternus. Item duo genera nepotum sunt sive ex filio, sive ex filia procreati. Frater et soror ex transverso veniunt, id est aut frater patris aut frater matris, qui aut patruus aut avunculus nominatur. Qui et ipsi hoc ordine duplicantur. Tertio gradu veniunt supra, proavus, proavia ; infra pronepos, proneptis. Ex obliquo fratris sororisque filius vel filia ; patruus, amita, id est patris frater et soror : avunculus, matertera, id est matris frater et soror. Quarto gradu veniunt supra, abavus, abavia ; infra abnepos, abneptis. Ex obliquo fratris et sororis nepos, neptis. Patruelis frater, soror ; patruelis, id est patrui filius vel filia. Consobrinus, consobrina, id est avunculi et materteræ filius vel filia. Amitinus, amitina, id est amitæ filius vel filia. Itemque consobrini qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus accessit patruus magnus, amita magna, id est avi paterni frater et soror. Avunculus magnus, matertera magna, id est aviæ tam paternæ, quam maternæ frater et soror. Quinto gradu veniunt supra quidem atavus, atavia ; infra adnepos, adneptis. Ex obliquo fratris et sororis pronepos, proneptis ; fratris patruelis, sororis patruelis amitini, amitinæ, consobrini consobrinæ filius vel filia, propior consobrinus, consobrina, id est patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius vel filia. Quibus accrescunt propatruus, proamita. Hi sunt proavi materni, frater et soror, proavunculus, promatertera. Hi sunt proaviæ paternæ maternæque frater et soror, proavique magni materni. Hæc species nec aliis gradibus quam scripta est, nec aliis vocabulis declarari potest. Sexto gradu veniunt supra triavus, triavia ; infra trinepos, trineptis. Ex obliquo fratris et sororis, abnepos abneptis, fratris patruelis, sororis matruelis amitini, amitinæ, consobrini, consobrinæ ; patrui magni, amitæ magnæ ; avunculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis : propioris consobrini filius vel filia, qui consobrini appellantur, quibus ex latere accrescunt propatrui, proamitæ ; proavunculi, promateterteræ filius vel filia, adpatruus adamita. Hi sunt abavi paterni frater et soror, abavunculus, abmatertera. Hi sunt abaviæ paternæ maternæque frater et soror abavique materni. Hæc quoque explanari amplius non possunt, quam ipse auctor disseruit. Septimo gradu qui sibi sunt cognati, recta linea supra infraque propriis nominibus non appellantur, sed ex transversa linea continentur fratris, sororis, adnepos, adneptis, consobrini filii filiæque successionis, idcirco gradus septem constituti sunt, quia ulterius per rerum naturam nec nomina inveniri, nec vita succedentibus prorogari potest. In his enim septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos affinitas inveniri, nec successio potest amplius prorogari.

DE	PA	TRI		BUS	
Auctor mei	generis	mihi pater est	ego illi	Filius	aut filia
Patris mei	pater	mihi avus est	ego illi	Nepos	aut neptis
Patris mei	avus	mihi proavus est	ego illi	Pronepos	aut proneptis
Patris mei	proavus	mihi abavus est	ego illi	Abnepos	aut abneptis
Patris mei	abavus	mihi atavus est	ego illi	Adnepos	aut adneptis
Patris mei	atavus	mihi tritavus est	ego illi	Trinepos	aut trineptis
DE	PA	TRU		IS	
Patris mei	frater	mihi patruus est	ego illi	Fratris filius	aut filia
Patris mei	pater	mihi pater magnus est	ego illi	Filii fratris filius	aut filia
Patrui mei	avus	mihi propatruus est	ego illi	Filii filiæ nepos	aut neptis
Patrui mei	proavus	mihi adpatruus est	ego illi	Neptis filius	vel filia
DE	A	MI		TIS	
Patris mei	soror	mihi amita est	ego illi	Fratris filius	aut filia
Amitæ meæ	mater	mihi amita magna est	ego illi	Filiæ fratris filius	aut filia
Amitæ meæ	avia	mihi proamita est	ego illi	Neptis filius	aut filia
Amitæ meæ	proavia	mihi abamita est	ego illi	Neptis nepos	aut neptis
DE	A	VUN		CULIS	
Matris meæ	frater	mihi avunculus est	ego illi	Sororis filius	aut filia
Avunculi mei	pater	mihi avunculus magnus est	ego illi	Filii sororis filius	aut filia
Avunculi mei	avus	mihi proavunculus est	ego illi	Filii nepos	aut neptis
Avunculi mei	proavus	mihi abavunculus est	ego illi	Neptis filius	aut filia
DE	MA	TER		TERIS	
Matris meæ	soror	mihi matertera est	ego illi	Sororis filius	aut filia
Materteræ meæ	soror	mihi matertera mag. est	ego illi	Sororis nepos	aut neptis
Aviæ meæ	soror	mihi abmatertera est	ego illi	Sororis pronepos	aut pronepos
Proaviæ meæ	soror	mihi pro matertera est	ego illi	Neptis filius	vel filia

Introdusă în format electronic de Google

Schemata dicuntur Ramusculi quos advocati faciunt in Genere cum gradus cognationum partiuntur, ut puta, ille filius, ille pater, ille avus, ille agnatus, et cæteri quorum figuræ hæ sunt.



Hæc consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum subtraxerit, et propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonii vinculo repetit, et quodammodo revocat fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.

Introdusă în format electronic de Google

ARBOR CONSANGUINITATIS

						Trita. vi pa. ter. VII.	Trita. vi ma. ter. VII.						
				Tripa. truus Triamita. VII.		Trita. vus. VI.	Trita. via. VI.	Tria. vuncu. lus, Trimater. tera. VII.					
			Ad patrui, Adamitæ filii. VII.		Ad patruus Adamita. VI.		Ata. vus. V.	Ata. via. V.	Adavun. culus, Adma. tertera. VI.		Adavun. culi Admater. teræ filii. VII.		
		Abpatrui, Abamitæ nepotes. VII.		Abpatrui, Abamitæ filii. VI.		Ab patruus Abamita. V.		Aba. vus IV.	Aba. via. IV.	Abavun. culus, Abma. tertera. V.		Abavun. culi, Abma. tertera filii. VI.		Abavun. culi Abma. terteræ nepotes VII.
	Propatrui, Proamitæ nepotes. VII.		Propatrui Proamitæ pronepotes VI.		Propatrui Proamitæ filii. V.		Propatruus Proamita. IV.		Proa. vus. III.	Proa. via. III.	Proa. vunculus Promatertera. IV.		Proa. vunculi Promatertera filii. V.		Proa. vunculi Promatertera nepotes VI.		Proa. vunculi Promater. pronepotes VII.
Propatruor., amitarum, pronepotes. VII.		Propatruor., Amitarum nepotes. VI.		Propatruor., Amitarum filii. V.		Propatrueles, Amitini IV.		Propatruus Paoamita magna. III.	Avus. II.	Avia. II.	Avunculus Matertera magna III.		Propri⁹ sobrin⁹, propria sobrina IV.		Sobrini Sobrinæ filii. V.		Sobrini Sobrinæ nepotes. VI.		Sobrini Sobrinæ pronepotes VII.
Fratris patrui Amitini nepotes. VII.		Patrui, Amitini pronepotes. VI.		Pätrui, Amitini nepotes. V.		Propatruelis Amitini filii. IV.		Frater, Soror patruelis, amitinæ. III.	Patruus Amita. II.	PATER. I.	MATER. I.	Avunculus Matertera. II.		Consobrinus, consobrina. III.		Consobrini, consobrinæ filii. IV.		Consobrini, consobrinæ nepotes. V.		Consobrini, consobrinæ pronepotes. VI.		Consobrini, sororis neptes. VII.
										Filius I.	Filia. I.												
										Nepos. II.	Neptis. II												
										Pronepos III.	Proneptis III.												
										Abnepos IV.	Abnept. IV.												
										Adnepos V.	Adnept. V.												
										Trinepos VI.	Trinept. VI.												
										Trinepotis nepos VII.	Trinepotis nept. VII.												

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 65. — *De incestuosis qui admonitiones sacerdotum contemnunt. Ex conc. Turonensi* IV, *cap.* 4.

(25, *q.* 5, *c. Incestuosi.*) Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos (proh dolor!) reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus; quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam a tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt revocari.

CAP. 66. — *Ne infra septimam generationem conjugia fiant. Ex concilio apud Confluentiam, cap.* 1, *cui interfuerunt Carolus et Henricus reges.*

Anno Dominicæ Incarnationis 912, apud Confluentiam, jussu venerabilium principum, Caroli videlicet et Henrici, regum reverendissimorum, congregati sunt episcopi numero octo Herimannus Agrippinensis archiepiscopus, Thiedo Witeburgensis episcopus, Luitharius Mundanensis episcopus, Doto Osneburgensis episcopus, Rihgovunco Wormatiensis episcopus, Rithwius Strazburgensis episcopus, Unwanus Padebrunensis episcopus, cum abbatibus aliisque sacri ordinis viris quamplurimis, qui ipso cooperante et sententias eorum confirmante Domino Christo, in synodali residentes conventu multa utilia, ac sanctæ Dei Ecclesiæ profutura saluberrimo tractantes consilio, inter cætera quæ statuerunt, hoc maxime necessarium, et instanti (proh dolor!) tempore per abusionem frequentissimum cognationis incestum, summa cautela vitandum firmaverunt, hoc est, ne ullus Christianus infra septimam generationem nuptias copulare præsumat.

CAP. 67. — *De muliere quæ cum duobus fratribus fornicata est. Ex concilio Neocæsarensi cap.* 2.

Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem; verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur, et communio ei concedatur. Quod si defecerit vir aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

CAP. 68. — *De eadem re. Ex decret. Martini, cap.* 80 (*Mart. Bracarens., c.* 79).

Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores duxerit, a communione separentur, usque ad mortem. In morte, pro misericordia viaticum accipiant.

CAP. 69. — *De illo qui cum duabus sororibus fornicatus est, quarum una uxor fuit. Ex concilio Aurelianensi cap.* 6 (*Vermer. c.* 12).

(32, *q.* 7, *c. Qui dormierit.*) Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis antea uxor fuerit, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri unquam conjugio copulentur.

CAP. 70. — *De illo qui cum duabus sororibus, cum novercu, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel matertera sua, vel filia patrui, vel avunculi sui, vel cum filia amitæ vel materteræ suæ, vel cum neptе sua, vel cum commatre sua, vel cum filiola quam de fonte suscepit, vel ante episcopum tenuit, fornicatus est. Ex eodem concilio.*

Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel cum sorore sua, vel cum amita sua, vel cum matertera sua, vel cum filia patrui sui, et avunculi sui, vel cum filia amitæ suæ sive materteræ suæ, vel cum nepte sua, vel cum commatre sua, aut filiola sua sive quam de fonte suscepit, vel ante episcopum tenuit, et si qua mulier simili modo fornicata fuerit, abstineat se ab ingressu domus Dei annum, et eodem anno nisi Dominicis diebus et festis solummodo pane et aqua et sale utatur, arma non ferat, osculum nulli præbeat, sacrificium nisi pro viatico minime accipiat. Sex deinde annis ingrediatur quidem domum Dei, sed carnibus et vino et sicera minime utatur, nisi festis diebus. De armis vero et osculis, sive de sacrificio, sicut supradictum est. Postea vero duobus annis quando carne vescitur, a potu omni quo inebriari potest se contineat. Et si potum biberit, minime carne vescatur absque præcipuis festis diebus. De armis vero vel osculo et sacrificio modum teneat jam dictum. Inde usque ad obitum suum nisi prædictis festis diebus a carne abstineat, et tres ferias legitimas in omni hebdomada, et tres quadragesimas in anno legitime custodiat. De armis vero, ut supradictum est, et nunquam aliquando conjugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda est parricidis vel fratricidis vel consanguineis, nec non et qui sponte per fraudem et avaritiam hominem innoxium, quod morchidum vocant [*al*, morth. dicitur].

CAP. 71. — *De illo qui cum matrem habuerit uxorem, cum filiastra fornicatus fuerit. Item ex concil. Moguntinensi (sub Carolo Magno, c.* 56).

(32, *q.* 7, *c. Si quis.*) Si quis viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus concubuerit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre et filio fornicata fuerit, tales copulationes anathematizari et disjungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri (*forte*, feriri).

CAP. 72. — *De illo qui cum filiastra ignorante fornicatus est. Ex concilio apud Vermeriam, cap.* 4.

(35, *q.* 2 *et* 3, *c. Si quis cum matre.*) Si quis cum matre et filia fornicatus est ignorante matre de filia, et filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem, illæ vero si voluerint accipiant maritos. Si autem hoc scierint ipsæ feminæ absque maritis in perpetuo maneant.

CAP. 73. — *De illo qui stupraverat quamdam, quam frater ejus postea ignorans duxit uxorem. Ex eodem cap* 5 (*conc. Tribur. c.* 44).

(35, *q.* 2 *et* 3, *c. Si homo.*) Si homo fornicatus fuerit cum muliere, et frater ejus nesciens eamdem duxerit uxorem, frater eo quod fratri crimen celaverit, pœniteat, et post pœnitentiam nubat. Mulier autem usque ad mortem pœniteat, et sine spe conjugii maneat.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 74. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 6.

Si frater cum muliere fornicatus fuerit, et frater nesciens cum eadem concubuerit, mulier diebus vitæ suæ pœniteat; post pœnitentiam autem frater ignarus sceleris conjugium accipiat si vult.

Cap. 75. — *De eadem re. Ex concilio Matiscensi, cap.* 5.

Item judicatum est quemdam stuprasse quamdam feminam, quam postea frater ejus accepit uxorem. Statuerunt eum qui stupravit et a se stupratam fratri celavit, quia geminavit peccatum, pœnitentia districtiori castigandum, conjugium tale dissolvi oportere, et mulieri quidem nunquam dari potestatem nubendi; illis autem pro misericordia conjugium indulgere, sed cum pœnitentia.

Cap. 76. — *De muliere cum qua et pater et filius fornicati sunt. Ex concilio Triburiensi* (*c.* 43).

(34, *q.* 1 *et* 2, *c Quidam.*) Quidam fornicatus est cum quadam muliere, postea filius nesciens patris factum stupravit eamdem. Quod cum pater rescisceret, de se filioque confessus est. Statuerunt melius esse ut taliter lapsis cum digna pœnitentia, legitima permittantur conjugia quam forte deterius delinquant. Fornicaria autem sine spe conjugii maneat.

Cap. 77. — *De illo qui cum uxore, matre, et filiastra fornicatus est. Ex concilio Maguntiensi* (*sub Leone IV, c.* 29).

(32, *q.* 7, *c. Si quis.*) Si quis viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra fuerit fornicatus, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre et filio, si quis relictam fratris, si quis neptem, aut novercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam polluerit, eos disjungi, et ulterius nunquam conjugio copulari præcipimus.

Cap. 78. — *De illo conjugato qui cum filia materteræ suæ, vel avunculi, vel amitæ, vel patrui fornicatus fuerit. Ex concilio Triburiensi* (*Pœnit. Rom. tit.* III, *c.* 13).

Interrogatum est si quis cum filia materteræ suæ vel amitæ vel avunculi vel patrui sui concubuerit, si conjugatus fuerit, liceatne illi ulterius uti conjugio, aut non conjugato uxorem accipere. Justum esset, sicut aliqua statuta priorum habentur, ut in perpetuum tales a conjugio abstineant. Visum est humanæ fragilitatis intuitu, ut post pœnitentiam non quidem penitus priventur conjugio, durissime tamen tam immanis fornicatio vindicetur. Sicut sanctus papa Nicolaus et alii Romani pontifices statuerunt, ne forte desperati multiplicius peccent.

Cap. 79. — *De patre et filio, de avunculo et nepote, si cum una muliere fornicati fuerint. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 5.

Interrogatum est si pater et filius, vel si duo fratres, vel si avunculus et nepos cum una muliere fornicati sint, quid inde faciendum sit. Manifestum est quod gravi vindicta plectendum est, quod grave facinus esse reperitur. Omnis enim mœchia interdicitur, ubi scriptum est · *Non mœchaberis* (*Exod.* XX), quanto magis cum coguata vel cum conjuge, seu concubina cognati? Hinc in Levitico scriptum est : *Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius, morte moriantur et mœchus et adultera. Qui dormierit cum noverca sua et cum nuru sua, et qui filiam et matrem duxerit, et qui acceperit sororem suam, morte moriantur* (*Levit.* XX). Si enim in lege turpitudinem incestus mortis sententia vindicare jussit, quomodo in Evangelio ubi summa justitia est, incestuosus peccati pœnitentiam evadet? Unde Apostolus : *Irritam qui fecerit legem Moysi, si sine ulla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* (*Hebr.* X.) Igitur Theodorus judicavit eum qui incestum fecerit, 12 annos pœnitere debere, alii 10, alii 7. Sed nos priscorum Patrum vestigia sequentes, his solis spatium pœnitentiæ temperemus, qui devote et cum lacrymis pœnitentiam egerint, cæteri definitum tempus observent.

Cap. 80. — *De eadem re. Ex concil. apud Vermeriam, cap.* 4 (*Magunt. sub Carolo Magno, c.* 55).

(30, *q.* 1, *c. Si quis filiastrum.*) Si quis filiastrum aut filiastram suam ante episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, et aliam nunquam accipiat; similiter et mulier.

Cap. 81. — *De illis qui infantes suos suscipiunt a baptismo ut separentur a conjugibus. Ex concil. Cabilonensi, cap.* 45 (*conc. Cabilon.* II *sub Carolo Magno, c.* 31).

(30, *q.* 1, *c. Dictum est.*) Dictum etiam nobis est quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut a viris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus ut si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quandiu vivat pœnitentiam agat, a viro tamen suo non separetur.

Cap. 82. — *De eadem re. Item ex conc. Maguntiensi, cap.* 20, *in claustro Sancti Albani habito, præsente Ludovico imperatore.*

(30, *q.* 1, *c. De eo quod.*) De eo quod interrogasti, si ille qui filiolam suam duxit uxorem, et de eo qui concubuit cum commatre sua spirituali, et de eo qui filium suum baptizavit, et cujus uxor eum de fonte suscepit, ea ratione ut dissidium conjugii fieret, si postea in tali copulatione permanere possent; de talibus sic respondendum est : Si filiolam aut commatrem suam spiritualem aliquis in conjugio duxerit, separandos eos esse judicamus, et gravi pœnitentia plectendos. Si autem conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte suscipiant ut dissidium fiat, tale consilium damus : Si innupti manere voluerint, bonum est; sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur.

Introdusă în format electronic de Google

et simul maneant. Et si supervixerit prævaricator conjugii, acerrima pœnitentia multetur, et sine spe conjugii maneat.

CAP. 83.—*De eadem re. Ex concil. Triburiensi, cap.* 8 (*Mogunt. sub Car. Mag. c.* 55).

Nullus proprium filium aut filiam a fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium [aut filiam, *orig.*] ad confirmationem ante episcopum tenuerit. Ubi autem factum fuerit, separentur.

CAP. 84. — *De eadem re. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 5.

Quam detestabile et exsecrabile scelus sit unicuique Christiano filiolam suam stuprare, testatur sanctus Gregorius papa in Dialogis suis (*lib.* IV, *c.* 32), ubi refert quemdam hominem pollusse filiolam suam. Et quia neglexit pœnitentiam agere, subito miserabili morbo correptus exspiravit, et sepulto non solum corpus, sed etiam omne sepulcrum ignis invisibilis consumpsit.

CAP. 85. — *De mulieribus quæ aliquo molimine inter se fornicantur. Ex Pœnitentiali Theodori* (*Pœnit. Rom. tit.* III, *c.* 15).

Mulier quocunque molimine, aut in se ipsa, aut cum altera fornicans, duos annos pœniteat.

CAP. 86. — *De sanctimonialibus, si inter se fornicentur. De eodem.*

Si sanctimonialis cum alia sanctimoniali per aliquod machinamentum fornicatæ fuerint, 7 annos pœniteant.

CAP. 87. — *De muliere quæ cum altera fornicata fuerit. Ex concilio Ancyrano, cap.* 8.

Mulier si cum muliere fornicata fuerit, duos annos pœniteat. Sic et illa quæ semen viri sui miscet cibo, ut inde plus ejus accipiat amorem, pœniteat.

CAP. 88. — *De illis qui irrationabiliter versantur. Ex concilio Ancyrano, cap.* 15.

De his qui irrationabiliter versati sunt sive versantur, id est, qui cum pecoribus et masculis se coinquinaverint, quotquot ante 20 ætatis suæ annum tale crimen commiserint, 15 annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem et vita eorum, qualis tempore pœnitudinis exstiterit, et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem post 20 annos ætatis uxores habentes in hoc peccato prolapsi sunt, 25 annos pœnitentiam agentes ad orationis communionem recipiantur. In qua quinquennio perdurantes, tunc oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui et uxores habentes, et transcendentes quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad extremum vitæ communionis gratiam consequantur.

CAP. 89. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 16.

Eos qui irrationabiliter vixerint, et lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo.

CAP. 90. — *De illis qui cum pecudibus fornicantur. Ex Pœnitentiali Theodori* (*c.* 17).

Qui cum pecude peccat, quidam judicant annos 10, quidam 7, quidam duos [tres], quidam centum dies, juxta qualitatem personæ, pœniteat.

CAP. 91. — *Item de quadrupedum fornicatoribus. Ex Romano Pœnitentiali.*

Si inventi fuerint qui cum quadrupedibus, vel masculis contra naturam peccant, dura et districta pœnitentia coercendi sunt. Quapropter episcopi vel presbyteri a quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnibus modis hoc malum radicitus abscidere.

CAP. 92. — *De illis qui fornicantur sicut Sodomitæ. Ex Pœnitentiali Theodori* (*c.* 18).

Qui fornicatus fuerit sicut Sodomitæ, si servus est, scopis castigabitur et 2 annos pœniteat : si liber est conjugatus, 10 annos ; si privatus, septem annos pœniteat. Puer 100 dies, si in consuetudine est ; laicus conjugatus, si in consuetudine habet, 15 annos pœniteat. Si ex ordinibus est et in consuetudine habet, degradatus, ut laicus pœniteat. Qui autem cum fratre naturali fornicatus fuerit, per tam sordidam commistionem, ab omni carne se abstineat, vel [et] 15 annos pœniteat ; si clericus est, amplius pelli debet.

CAP. 93. — *De clericis vel monachis si fuerint masculorum insectatores. Ex dictis Basilii.*

Clericus vel monachus ut parvulorum insectator, vel qui osculo vel aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publice verberetur, et comam amittat, decalvatusque turpiter sputamentis oblinitus in facie, vinculisque arctatus ferreis, carcerali 6 mensibus angustia maceretur, et triduo per hebdomadas singulas ex pane hordeaceo ad vesperam reficiatur. Post hæc aliis 6 mensibus sub senioris spiritualis custodia segregata in curticula degens, operi manuum et orationi sit intentus, vigiliis et fletibus subjectus, et sub custodia semper duorum fratrum spiritualium ambulet, nulla privata locutione vel consilio deinceps juvenibus conjungendus.

CAP. 94. — *De eadem re. Ex dictis Isidori.*

Si quis ex juvenibus, vel aliqua suspiciosa persona cum parvulis jocatus fuerit, diuturna pœnitentia maceretur.

CAP. 95. — *De eadem re. Ex dictis ejusdem.*

Si deprehensus fuerit aliquis frater ludere cum pueris, et habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commoneatur ut memor sit honestatis, atque timoris Dei ; si non cessaverit, severissime corripiatur.

CAP. 96. — *De eo qui spiritualem habet compatrem, cujus uxor commater non est, et eo defuncto, si ejus viduam possit ducere uxorem. Ex concilio Triburiensi, cap.* 47, *cui interfuit rex Arnulphus.*

(30, *q.* 4, *c. Qui spiritualem.*) Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, et ejus uxor commater non est, li-

Introdusă în format electronic de Google

ceat ei, defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? Nunquid non possunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, vel in id generatio secernit spiritualis?

Cap. 97. — *Utrum quis filiam spiritualis commatris suæ uxorem ducere possit. Ex eodem concilio, cap.* 48.

Illud etiam nec canonica institutione definimus, nec interdictione aliqua refutamus, sed propter eos qui diverse de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito, et ita contingente rerum casu in conjugium duxerit, (consilio maturiori servato) habeat, atque honeste legitimo conjugio operam det.

Cap. 98. — *De quodam qui suam filiolam spiritualem constupraverat. Ex lib. Dialogorum Gregorii* (*lib.* IV, *c.* 32).

Terribile etiam quiddam in Valeriæ provincia contigisse vir venerabilis Maximianus Syracusanus episcopus, qui diu in hac urbe meo monasterio præfuit, narrare consuevit dicens : « Quidam curialis illic, sacratissimo paschali Sabbato, juvenculam cujusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post jejunium domum reversus, multo vino inebriatus, eamdem filiolam suam secum manere petiit, eamque nocte illa (quod dictu nefas est!) perdidit. Cumque mane facto surrexisset, reus cogitare cœpit ut ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lavaret maculam peccati. Perrexit igitur, lavit, cœpit trepidate ecclesiam ingredi, sed si tanto die non iret ad ecclesiam, erubescebat homines; sin vero iret, pertimescebat judicium Dei. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad ecclesiam, sed tremebundus et pavens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus qua hora immundo spiritui traderetur, et coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa missarum celebritate quasi adversi nihil contigit, qui lætus exiit, et die altero ecclesiam jam securus intravit; factumque est ut per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans quod ejus scelus Dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer dimisisset; die autem septimo, subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulcro ejus flamma exiit, et tandiu ossa ejus concremavit quousque omne sepulcrum consumpsit, et terra quæ in tumulo collecta fuerat defossa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens, ostendit quid ejus anima pertulit in occulto, cujus etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re quoque nobis hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est, quatenus ex hac consideratione colligamus, quid anima vivens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur. »

Cap. 99. — *De quodam fratre qui impugnabatur a spiritu fornicationis. Ex dictis Paphnutii eremitæ (in Vitis Patrum).*

Quidam frater molestiam sustinebat a spiritu fornicationis. Abiit autem ad probatissimum senio-
B rem, et precabatur eum dicens : « Pone tibi sollicitudinem, beatissime Pater, et ora pro me, quia graviter impugnat me passio fornicationis. » Hæc cum audisset senior, orabat intente diebus ac noctibus, pro eo deprecans Domini misericordiam. Iterum autem veniebat idem frater, et rogabat senio-
rem ut magis intentius pro eo oraret. Similiter autem cum omni sollicitudine beatus senior intentius orabat pro eo. Frequenter autem venientem ad se monachum videns senior et deprecantem se ut oraret, valde contristatus admirabatur quia non exau-
B diret Dominus orationes ejus. Eadem autem nocte revelavit ei Dominus, quæ circa illum monachum erant, negligentiæ et ignaviæ resolutionem, et delectationes forte corporeas cordis ejus. Ita autem ostensum est sancto seniori : Vidit sedentem illum monachum, et spiritum fornicationis in diversis mulierum formis ante illum ludentem, et ipsum condelectari. Videbat et angelum Domini astantem et indignantem graviter contra eumdem fratrem, quia non surgebat neque prosternebat se in orationibus ad Dominum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis. Hæc ergo ostensa sunt per revelationem sancto seniori. Cognovit autem quia culpa erat et negligentia illius monachi, ut non exaudirentur orationes ejus. Et tunc dixit ei senior : « Quia
C tua culpa est, frater, qui condelectaris cogitationibus malis; impossibile est enim discedere a te spiritum fornicationis immundum, aliis orantibus et Deum pro te deprecantibus, nisi et tu ipse laborem assumas jejuniis, et orationibus et vigiliis multis, cum gemitu deprecans, ut misericordiam suam et adjutorium det gratiæ suæ, præbeatque tibi Dominus Christus ut possis resistere malis cogitationibus. Nam et medici qui corporibus hominum medicamenta conficiunt et adhibent, quamvis omnia cum summa diligentia faciant, verumtamen si ille qui infirmatur non se abstineat a noxiis cibis, vel de aliis quæ solent lædere infirmitates, nihil ei proficit cura et diligentia et sollicitudo medicorum. Simi-
D ter etiam et in animæ languoribus eveniet, licet cum omni intentione et ex toto corde sancti Patres, qui sunt medici spirituales, exorent misericordiam Christi Salvatoris nostri pro eis, qui orationibus eorum se postulant adjuvari, nisi et ipsi cum omni intentione mentis tam in orationibus, quam in omni opere spirituali, quæ Deo placita sunt faciant, non eis proficient orationes eorum. »

Cap. 100. — *De sponsa fratris, si frater eam violaverit. Ex conc. Triburiensi cap.* 10, *cui interfuit rex Arnulphus* (*c.* 41).

(32, *q.* 2, *c. Quidam.*) Quidam desponsavit uxorem et dotavit, et cum ea coire non potuit; quam frater ejus clanculo corrupit, et gravidam reddidit : decretum est ut, quamvis nupta esse non potuerit legi-

Introdusă în format electronic de Google

timo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit, sed mœchus et mœcha fornicationis quidem pœnam sustineant; licita vero eis conjugia non negentur.

CAP. 101. — *Si quis de uno in alium transmigrat episcopatum, et consanguineam suam polluerit, vel aliquod crimen capitale commiserit. Ex eodem concilio, cap.* 42.

Si quis de uno in alium omnino transmigrat episcopatum, et si (quod absit!) contingat eum filiam sororis suæ, amitæ, aut materteræ, aut avunculi, vel patrui polluere, aut aliquod crimen capitale committere, episcopus in cujus tunc diœcesi commoratur et tali criminatur scelere, habeat jus et potestatem secundum canonicam auctoritatem et nostram synodalem institutionem flagitiosum coercere, et ad pœnitentiam emollire. Per quem enim melius rei veritas ventilatur quam per illum sub quo habitat, et habitare desiderat?

CAP. 102.—*De mulieribus quæ, absente marito, conceperint. Ex concilio Elibertino, cap.* 3 (*cap.* 63).

Si qua mulier per adulterium, absente marito, conceperit, idque post facinus occiderit, placuit vix in fine dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus. (*Ex concil. Herdensi, cap.* 2.) De illis mulieribus quæ male conceptos ex adulterio fetus, vel editos necare studuerint, vel in ventre matrum potionibus aliquibus consumpserint, in utroque sexu adulteris post 7 annorum curricula communio tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus et humilitati insistant.

CAP. 103. — *De mulieribus quæ partus suos occulte interficiunt. Ex concilio Arelatensi, cap.* 6.

Mulieres quædam, ut audivimus, quæ ex fornicatione concipientes, metuentes ne scelus quod occulte perpetraverunt manifestum fieret, infantes quos pepererunt occiderunt, et terræ congerie operuerunt, ut in aquas projicerent [aut in aquas projecerunt]. Quod quantum nefas sit, canones Ancyrani (*c.* 20), Eliberitani (*c.* 63), atque Herdensis (*c.* 2), concilii testes sunt. His itaque vix in fine dandam esse communionem decernunt; sed humanius tractantes, post decennem pœnitentiam tales placuit ad communionem recipi.

CAP. 104.— *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 10.

Si qui infantem oppresserint, tres annos pœniteant, unum ex his in pane et aqua. Si clericus fuerit, 4 annos, unum ex his in pane et aqua.

CAP. 105. — *De his qui contra naturam peccant. Augustinus, Confessionum lib.* III, *cap.* 8.

(32, *q.* 7, *c. Flagitia.*) Flagitia quæ sunt contra naturam ubique ac semper repudianda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines ut se illo uterentur modo; violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ipse auctor est, libidinis perversitate polluitur.

CAP. 106. —*Quod gravius sit contra naturam peccare quam adulterare. Augustinus, Contra Julianum, lib.* V.

(32, *q.* 7, *c. Usus naturalis.*) Usus naturalis et licitus est in conjugio, sicut illicitus in adulterio. Contra naturam vero semper illicitus et procul dubio flagitiosior atque turpior, quem sanctus Apostolus et in feminis et in masculis arguebat (*Rom.* 1), damnabiliores volens intelligi, quam si in usu naturali vel adulterando vel fornicando peccarent.

CAP. 107.—*De pœnitentia eorum qui commistione animalis peccaverint. Canones Martini ad laicos (ex lib. capitul. synod. Græcar. Martin. Bracarens. episc. c.* 81).

Si quis ante 20 annos in cujuslibet animalis commistione peccaverit, 15 annis in humilitate subjaceat ad ecclesiæ januam, et post hos aliis quinque annis in orationis communione receptus, pœnitentiam agat et sic sacramenti gratiam percipiat. Interrogentur autem alii de eo qualem vitam in pœnitentia egerit, et sic misericordiam communionis consequatur. Si quis autem post 20 annos habens uxorem huic peccato irruerit, 25 annos humilitati subjaceat, et quinque annis orationi tantum communicans, postea recipiat sacramentum. Quod si et hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur.

CAP. 108.—*Quare pecus humana commistione pollutum jussum sit interfici. Quæstionum Augustini super Leviticum cap.* 74 (*q.* 74, *sup.* XX *c. Levit.*).

Mulier quæ accesserit ad omne pecus, ascendi ab eo: interficietis mulierem, et pecus morte moriatur, rei enim sunt. Quæritur quomodo sit reum pecus, cum sit irrationabile nec ullo modo capax legis? *Item, ibid. post aliquot versus.* Pecora inde credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

CAP. 109. — *De stupratoribus puerorum. Eliberitanum conc., cap.* 71.

Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse communionem censuimus.

CAP. 110.—*Quod naturalis usus venialis est in uxore propria, uti in aliena vel meretrice damnabilis. Augustinus, De bono conjugali* (*cap.* 8).

Pejus est alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere. *Item, ibidem.* Pejus est cum matre, quam cum aliena uxore concumbere. *Item, ibid., c.* 8. Quædam necessaria sunt propter sapientiam, sicut doctrina; quædam propter salutem, sicut cibus et potus et somnus; quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ et concubitus. Hinc enim subsistit propagatio generis humani, in quo societas amicabilis magnum bonum est. Ilis itaque bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc utitur propter quod instituta sunt, peccat alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero iis propter hoc utitur propter quod data sunt, bene facit. *Item, ibid.* 11. Cum naturalis usus quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; iste quidem contra [qui est contra, etc., *orig.*] naturam exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabilius, ad utendum concessis etiam cum modus exceditur;

Introdusă în format electronic de Google

longe sit tolerabilius quam in eis quæ concessa non sunt, vel unus vel rarus excessus. Et ideo in re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam quod longe minus peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quam vel rarissimus ad fornicationem. Cum vero vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor, si in se, quam si in alia fieri permiserit.

A

Cap. 111.—*De pollutionibus quæ varia ex causa eveniunt. Beda in Historia Anglorum lib.* I (*Beda, c.* 27, *lib.* I *Hist. eccl.*). *Gregorius respondit Augustino* (*in calce registri, c.* 11).

(*Dist.* 6, *c. Testamentum, part.* 1.) Aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit pollutio. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemnia celebranda, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium (pro eo quod sacerdos alius in loco deest) ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere (ut arbitror) humiliter debet. *Item, ibid. paulo post.* Si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animæ suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit: quæ quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens.

B

Cap. 112. — *De eodem. Isidorus. Sententiarum libro primo* (*Isidor. c.* 6 *l.* III *De summo bono*).

(*Dist.* 6, *c. Non est peccatum, part.* 1.) Non est peccatum quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur, sed tunc est peccatum, si antequam illudamur, cogitationis affectibus prævenimur. Luxuriæ quippe imagines quas in veritate gessimus, sæpe dormientibus in animo apparent, sed innoxiæ, si non concupiscendo occurrunt. Qui nocturna illusione polluitur, quamvis extra memoriam turpium cogitationum sese persentiat inquinatum, tamen hoc ut tentaretur culpæ suæ tribuat, suamque immunditiam statim fletibus tergat.

C

Cap. 113. — *Item de eodem. Ex Vita S. Dioscori. S. Dioscorus dicebat.*

Si absque mulierum phantasia pollutio veniat, non esse peccatum. Ingenitus enim humor in corpore, ubi propria repleverit conceptacula, suis necesse est meatibus egeratur, et ideo non trahitur ad peccatum.

Cap. 114. — *Utrum minus peccatum sit permittendum ut gravius evitetur. Haymo, super Genesim.*

Quæri solet utrum hæc compensatio fieri debeat, ut videlicet minus peccatum fieri permittamus, ut gravius delictum devitetur. Ecce enim Lot filias suas incestui tradere voluit, ne majus peccatum contra naturam in viros committeretur (*Gen.* XIX). Sed hoc perturbato animo dare debemus. Nesciens enim quid ageret, vel quomodo hospites quos homines putabat, liberaret, hoc egisse credendus est.

Cap. 115. — *Quod minus est secundum naturam coire quam contra naturam delinquere. Ambrosius in lib.* I *De Abraham, cap* 6.

(32, *q.* 7, *c. Offerebat.*) Offerebat sanctus Lot filiarum pudorem, nam et si illa quoque impuritas flagitiosa erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam adversus naturam delinquere.

Cap. 116. — *Quod Lot de ebrietate potius quam de incestu culpandus sit. Augustinus, Contra Faustum* (*lib.* XXII, *c.* 44).

Inebriaverunt Lot filiæ ejus, et se nescienti miscuerunt (*Gen.* XIX). Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum meretur illa ebrietas.

Cap. 117. — *Quod Lot prostituere volebat filias suas potius perturbatione quam dispensatione. Augustinus lib. Quæstionum super Genesim, cap.* 42.

Quod ait Sodomitis Lot: *Sunt mihi duæ filiæ quæ nondum noverunt viros, producam illas ad vos, utimini illis, sicut placuerit vobis, tantum in viros istos ne faciatis iniquum* (*Gen.* XIX): quoniam prostituere volebat filias suas hac compensatione, ut viri hospites ejus nihil a Sodomitis tale paterentur, utrum admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumcunque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat, an potius perturbationi Lot, non consilio tribuendum sit, quia hoc dixerit merito quæritur; et nimirum periculosissime admittitur hæc compensatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur, et menti tanto malo permotæ nullo modo imitanda est.

Cap. 118. — *De eodem. Ibidem, cap.* 44.

Intelligamus non pro auctoritate habendum quod dixit Lot de turpitudine filiarum.

Cap. 119. — *Ne quis menstruatæ mulieri misceatur. Clemens Julio et Juliano.*

Observet unusquisque ne menstruatæ mulieri misceatur; hoc enim exsecrabile dicit lex Dei (*Lev.* XVIII).

D

Cap. 120. — *Quod conceptus menstruatæ mulieris multis modis corrumpitur. Augustinus super Genesim ad litteram, lib.* X, *cap.* 7 (*c.* 17).

Quod scriptum est: *Puer eram ingeniosus, et sum sortitus animam bonam* (*Sap.* VIII), videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento; deinde *cum essem magis bonus veni ad corpus coinquinatum* (*ibid.*): coinquinatum videlicet, vel a cruore menstruo (dicuntur enim ex hoc ingenia gravari), vel a contaminatione adulterina.

Cap. 121. — *De eodem. Hieronymus super Ezechielem, lib.* VI, *in caput* XVIII (*in medio*).

Per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, di-

Introdusă în format electronic de Google

cuntur concepti fetus secum vitium seminis trahere, ita ut leprosi et elephantiosi ex hac conceptione nascantur et feda in utroque sexu corpora, parvitate vel enormitate membrorum sanitas [sanies *orig.*] corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris ut non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoque quibus videntur lege conjungi, certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus sit abstinendum. *Item.* Caveat uxor ne desiderio victa coeundi celet virum, et maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore sibi subjectam esse debere conjugii voluntatem.

CAP. 122. — *Ne nimis aspera alicui injungatur pœnitentia. Gregorius Domitiano metropolitano* (*l.* II *regist.*, *c.* 101, *ep.* 62).

Qui culpam plangunt luxuriæ, et voluptatem carnis in dolorem vertunt, a magistris sentire non debent asperitatem disciplinæ, ne ipse humani generis Redemptor minus ametur, si pro eo anima plus quam debet atteritur.

CAP. 123. — *Non esse culpam inordinatum motum membrorum sine consensu. Augustinus, De civitate Dei, lib.* I, *cap.* 23.

Si concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi sua lege movetur, si absque culpa est in corpore dormientis, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis?

CAP. 124. — *Ne mulier sine consensu viri reletur. Capitularium lib.* V, *c.* 18 (*c.* 16).

Mulier si sine commeatu [comiato, *orig.*] viri sui velum in caput miserit, si viro suo placeat, recipiat eam iterum ad conjugium.

CAP. 125. — *Quod incestuosi ab Ecclesia separandi sint. Gregorius Felici episcopo Siciliæ* (*lib.* XII *regist. epist.* 31).

Omnes incestuosi a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sunt separandi, usque dum per satisfactionem sacerdotum precibus eidem sanctæ Ecclesiæ canonice reconcilientur. Sunt enim mali segregandi a bonis, et iniqui a justis, ut saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, et convertantur a pravitatibus suis. At si incorrigibiles apparent, segregentur a fidelibus usque ad satisfactionem.

CAP. 126. — *Quod veritas culpæ diligenter investiganda est ante pœnam. Gregorius Joanni episcopo Panormitano* (*Regist.*, *lib.* XI, *epist.* 62).

Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda semper est veritas, ut inquiri valeat utrum accusatum noxa condemnet, an a pœna innocentia patefacta subducat. (*Augustinus, De verbis Domini, tit.* XI. in *Evang. Matth.*, *serm.* 16.) Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus; nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum; non tamen vulnus illud negligimus.

CAP. 127. — *Ut vir nolente uxore non contineat. Augustinus super psalmum* CXLIX (88).

(33, *q.* 5, *c. Si dicat.*) Si dicat vir: Continere jam volo, nolo jam uxorem, non potest. Quid si tu vis et illa non vult? Nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Si alii nupserit te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensare. Redde debitum, et si non exigit, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur uxori.

CAP. 128. — *Quid sit abuti uxore. Augustinus ad Valerium, De nuptiis et concupiscentia* (*lib.* II, *c.* 20).

Ab ea parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si et conjuge quisque utatur, contra naturam est et flagitiosum.

CAP. 129. — *Quod nomine corporis pars corporis intelligatur. Augustinus ad Claudium contra Julianum, lib.* V, *cap.* 4.

Si pars corporis nomine corporis non posset nuncupari, non diceret Apostolus: *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* (*I Cor.* VII). Ipsa utique membra appellat corporis nomine, quibus discernitur sexus peragiturque concubitus. Quis est enim qui dicat virum sui corporis potestatem non habere, si in his verbis Apostoli totum corpus intelligas, quod constat omnibus membris? Ac per hoc, secundum Apostolum, etiam solum genitale membrum nomine corporis nuncupatur.

(88) *Sub finem ad versiculum:* Ut alligent reges eorum in compedibus.

DECRETI PARS DECIMA.

De homicidiis spontaneis, et non spontaneis. De parricidiis, et fratricidiis. Et de occisione legitimarum uxorum, et seniorum, et clericorum. Et quod non omnis hominem occidens homicida sit; et de eorum pœnitentia.

CAP. 1. — *Quod omnes leges, tam ecclesiasticæ quam sæculares, effusionem humani sanguinis prohibeant. Augustinus in epistola ad Publicolam* (*epist.* 154).

(23, *q.* 5, *c. De occidendis hominibus.*) De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, acceptа legitima potestate, si ejus congruit personæ.

Introdusă în format electronic de Google

Qui vero repelluntur aliquo terrore ne male faciant, etiam ipsis aliquid fortasse præstatur. Hinc autem dictum est, non resistamus malo (*Matth.* v), ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus; unde nec reus est mortis alienæ, qui cum suæ possessionis muros circumduxerit, aliquis ex ipsorum usu percussus intereat. Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat. Aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canes? Aut vero quoniam Paulus apostolus satis egit ut in tribuni notitiam perferretur insidias sibi a quibusdam perditis præparari, et ob hoc deductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent (*Act.* xxi), Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? Absit ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur! Alioquin nec ferramenta domestica et agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat.

Cap. 2. — *De potestate judicis. Augustinus in evist.* 158 *ad Marcellinum.*

Soleo audire in potestate esse judicis mollire sententiam, et mitius vindicare quam leges.

Cap. 3. — *Item de eadem re, in eadem epistola.*

Paulo post. Scio in causa clericorum Anaunensium, qui occisi a gentilibus nunc martyres honorantur, imperatorem rogatum facile concessisse, ne illi qui eos occiderant et capti jam tenebantur, pœna simili punirentur.

Cap. 4. — *Quod qui seipsum occidit, homicida est. Aug. De civit. Dei. lib.* 1, *cap.* 17.

(23, *q.* 5, *c. Si non licet.*) Si non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui seipsum occidit, homicida est. Et tanto fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putavit. Nam si Judæ factum merito detestamur, eumque veritas judicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius quam expiasse commissum, quoniam de Dei misericordia desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit, quanto magis a sua cæde [nece] se abstinere debet, qui tali supplicio quid in se puniat non habet? Judas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit et tamen non solum Christi, verum etiam suæ mortis reus finivit hanc vitam, quia, licet propter suum scelus, alio suo scelere occisus est. (*Ibid.*, *c.* 18.) Cur autem homo qui nihil mali fecit, sibi male faciat, et seipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum? *Item* (*cap.* 20). In sanctis canonicisque libris nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ipsius cavendi carendive mali causa nobismetipsis necem inferamus. Nam et prohibitos A nos esse intelligendum est, ubi lex ait : *Non occides* (*Exod.* xx), præsertim quia non addidit proximum tuum, sicut falsum testimonium cum vetaret : *Falsum*, inquit, *testimonium non dices adversus proximum tuum* (*Matth.* xix). Ne ideo tamen, si adversus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit alienum, quoniam regulam diligendi proximum a semetipso accepit [dilector], quandoquidem scriptum est : *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Matth.* xxii). Porro si falsi testimonii non minus reus est, qui de ipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret, cum in eo præcepto quo falsum testimonium prohibetur, adversus proximum prohibeatur, possitque non recte intelligentibus videri non esse prohibitum, ut adversus seipsum quisque falsus testis assistat, quanto magis intelligendum est non licere homini seipsum occidere, cum in eo quod scriptum est : *Non occides* (*Exod.* xx), nihil deinde addito, nec ipse [nullus] utique cui præcipitur, intelligatur exceptus? *Item.* Scriptum est : *Non occides* (*Exod.* xx), nec alterum, nec [ergo] te. Neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit. (*Ibidem ad calcem, cap.* 21.) Quasdam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas. Sed his exceptis quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione. Non autem ipse occidit qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius est utenti, et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est : *Non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum leges ejus, hoc est justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam scelerate, sed obedienter occidere (*Gen.* xxii). Et merito quæritur utrum pro jussu Dei sit habendum, quod Jepte filiam quæ patri occurrit occidit, cum se advovisset [id vovisset, *or.*] immolaturum Deo, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset (*Judic.* ii). Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit (*Judic.* xvi), nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat (*cap.* 22). His ergo exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse justitiæ fons Deus occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. *Item* (*cap.* 26). Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari; neminem velut desiderio melioris vitæ quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 5. — *Ut missa et oblationibus careat, qui seipsum occidit. Capitul. lib.* VII, *cap.* 70.

De eo qui semetipsum occidit, aut laqueo se suspendit, consideratum est ut, si quis compatiens velit eleemosynam dare, tribuat, et orationes in psalmodiis faciat, oblationibus tamen et missis careat.

CAP. 6. — *De eodem. Antissiodorense concilium, cap.* 17.

Quicunque se propria voluntate aut in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut furiose percusserit, aut qualibet occasione sponte sua se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.

CAP. 7. — *Quod Ecclesia nullum occidit. Ex Dialogis Augustini contra Petilianum (lib. contra litteras Petil., c.* 49).

Tu dixisti : Laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit. Hoc ad nos omnino non pertinet, neque enim veneramur nomine martyrum eos qui sibi collum ligaverunt.

CAP. 8. — *Quod presbyteri interfecti episcopo solvi debeant. Capitularium lib.* V, *cap.* 90 (*l.* IV, *c.* 15).

Presbyteri interfecti episcopo ad cujus parœciam pertinent, solvantur.

CAP. 9. — *De compositione subdiaconi, diaconi, presbyteri, episcopi, vel monachi. Item cap.* 26 (*l.* III *c.* 25).

(17, *q.* 4, *c. Subdiaconum.*) Qui subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat; qui diaconum, quadringentos; qui presbyterum, 600; qui episcopum, 900; qui monachum, 400.

CAP. 10. — *De pœnitentia ejus qui clericum aut monachum occiderit. Lib.* VI, *cap.* 90.

(17, *q.* 4, *c. Qui occiderit.*) Qui occiderit monachum aut clericum, arma relinquat, et Deo in monasterio serviat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reversurus, et septem annos publicam pœnitentiam gerat.

CAP. 11. — *Quod ad hoc judex gladium portat, ut sceleratos damnet. Haymo, super epistolam ad Rom. in cap.* XIII.

(23, *q.* 5, *c. Sunt quædam.*) Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi judices quam per antistites et rectores Ecclesiarum judicantur. Sicut est, cum quis interficiat pontificem apostolicum, episcopum, presbyterum, sive diaconum : hujusmodi reos reges et principes mundi damnant. Ergo *non sine causa portat gladium* (*Rom.* XIII), qui talia scelera dijudicat [judicat, *orig.*]. Sunt etiam maxime constituti propter homicidas, raptores, ut illos damnent, et alios suo timore compescere faciant.

CAP. 12. — *De quodam qui de cæde episcopi sui convictus est fuisse conscius. Gelasius Philippo et Cassiodoro.*

Cœlestini causa talis est, quam vos quoque non arbitror ignorare. Siquidem hic conscius convictus in cæde parentis et episcopi, quemadmodum gestorum tenore monstratur, cunctorum judicio nullatenus æstimatus est officio dignus altaris, eique pro tam detestando facinore unius anni interdicta communio est, quatenus pœnitudine competenti tanti facinoris curaret abruptum. Quod etiam si a nobis minime juberetur, ipse magis cogitans divini corporis sacramentum, debuit ad hoc mente purgatiori remeare. Quod tempus tamen aut expletum, aut prope jam putamus exactum, post quod ei communionis facultatem patere non dubium est, ut et sententia synodalis possit abrumpi, et, ut illi magis prosit, valeat majore satisfactione mundari.

CAP. 13. — *De simili causa. Gelasius Joanni episcopo.*

Nos ausus impii commovere Aselli, qui archidiaconatus fungebatur officio. Nam cum, tam duro casu lethaliter sauciato pontifice, præ cæteris ecclesiam custodire debuerit, ac ne quid de episcopali domo subduceretur, et eum ipsum in tumultu præsenti permisit occidi, cum et ad fatendum servari debuisset, utrum hæc sua voluntate peregerit, an cujusquam præcipitatus impulsu, et prius ab eo, quia idem creditarius præsulis fuisse dicitur interempti, ecclesiastica requiri substantia. Quis autem non evidenter intelligat propter hoc præcipue dictum citius fuisse sublatum, quatenus nec complices proderet, et ignorata facultas ecclesiæ facilius direptionibus subjaceret? Nam et libellaris incisus episcopi perhibetur inventus, et vir bonus Asellus ac suo gradu dignus (quod numquam ante tentatum est) prius in se decretum, adactis Ecclesiæ ministris, compulit celebrari, quam de excessu secundum tramitem vetustatis, ad sedis apostolicæ notitiam relatio mitteretur. Quam sit autem intolerabile malum, quis Christianus addubitet? ut cum soleat etiam communi sorte defuncto pontifice transitus ejus ante omnia nuntiari, competens deputari visitatio, atque ita de subrogando sacerdote tractari, hic unus existiterit, qui interfecto religionis antistite, de suo nox honore cogitaverit, quam studuerit deferre quod gestum est. Ubi tametsi latet extrinsecus quid agatur, tamen affectatæ potestatis abruptum, conscientiam suspicione non exuit, defuncti locum taliter ambientis. Interim ne quis hoc unquam audeat usurpare quod ante istum nullus est ausus, ab officio quod gerebat nostra sit auctoritate submotus, donec quid in perpetuum de tali ordinari censeamus plenius retractetur. Si qua sane juris ecclesiastici sustulisse convincitur, modis omnibus reformare cogatur.

CAP. 14. — *De pœnitentia presbyteri qui presbyterum occidit. Alexander secundus Amalgerio Civitanensi episcopo.*

Fratri huic quem perpetrati homicidii reatu ad judicium canonicæ pœnitentiæ suscipiendum, ad apostolicam sedem misisti, noveris nos hujus ordinis pœnitentiam misericordiæ respectu injunxisse. Nam quia presbyter presbyterum occidit, quadruplicitер, 28 videlicet annis, eum pœnitere oportet; quatuordecim annos sibi misericorditer indiximus, irrecuperabiliter dejicientes eum a presbyteratu, et omni administratione altaris. Quos quidem quatuordecim annos hoc ordine observabit : tribus prioribus annis extra ecclesiam, nisi ad extrema mortis absque communione, et mensæ participatione et pace sit. Sed

Introdusă în format electronic de Google

a cœna Domini solummodo reconcilietur, usque ad octavas Pentecostes. Hac præsenti quadragesima quotidie jejunet in pane et aqua diebus tribus hebdomadæ, usque in Pascha. Ab octavis Pentecostes usque in festum S. Michaelis duobus; deinde, tres. Post tres annos redita sibi communione Ecclesiæ et mensæ, inter idiotas sit usque ad expletos septem annos, eodem modo totum pœnitentiæ tempus servans. Et quia convenit eum esse sub regimine abbatis, mandamus tibi ut mittas eum in aliquo monasterio, ut ibi condigne pœnitens salvetur, et si tibi vel abbati videtur sibi remittere, si hunc condigne observasse pœnitentiam videris, post tres annos liceat.

Cap. 15. — *De purgatione presbyteri qui sine accusatoribus de morte episcopi sui fuerat infamatus. Alexander secundus Rainaldo Cumano episcopo.*

Super causas Guillandi presbyteri tui, de morte episcopi sui prædecessoris tui infamati, in medium consuluimus. Itaque circum omnium astantium fratrum unanimi assensu tuæ dilectioni rescribimus præfatum Guillandum presbyterum ante te præsentandum; ubi si certi accusatores defuerint, tunc dictante justitia, sine omni controversia, presbyter quæcunque ob hoc injuste amisit ac sacerdotium accipiat, et integra beneficia, purgationem tamen antea, duobus sibi sacerdotibus junctis, ubi accusator cessaverit, eumdem ex se præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem denique ac nulla canonica sanctione fultam legem, ferventis scilicet sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis, quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidia, nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, imo apostolica auctoritate prohibemus firmissime.

Cap. 16. — *De pœnitentia ejus qui presbyterum in se armis irruentem interfecerit. Alexander secundus, clero Vulturnensi.*

Pœnitens præsentium portitor ad nos veniens, retulit se instinctu diaboli quemdam presbyterum armatum super se irruentem, ictumque ferentem occidisse. Unde quia in canonibus habetur pro interfectione armati presbyteri simplicem pœnitentiam esse dandam, injunximus pœnitentiam decem annorum, ita ut hinc usque ad Pascha jejunet tribus diebus per septimanam in pane et aqua, et non utatur calciamentis neque lino. Ab octava Pentecostes usque ad festivitatem sancti Martini jejunet duobus diebus per septimanam, et a festivitate sancti Martini usque ad Natalem Domini, aut faciat carcerem jejunans quotidie in pane et aqua, aut eat exsul et jejunet tribus diebus in pane et aqua. Ab octava Epiphaniæ usque ad quadragesimam jejunet duobus diebus. A quadragesima usque in Pascha jejunet tribus diebus in pane et aqua : et hæc faciat usque ad annos quinque. Ab ingressu autem ecclesiæ et communione septem annos abstineat.

Cap. 17. — *Excommunicatio Joannis octavi in eos qui de morte Romani clerici suspecti erant.*

Qui de homicidio Romani religiosi clerici suspecti, a nobisque canonicæ suæ excommunicationis intentatione, mediante Junio præsentis octavæ indictionis, vocati venire contempserunt, et ob hoc per nostras litteras secundo et tertio advocati, extremum vero per Joannem, Leonem, episcopos omnimoda communione privati, quia apostolatus judicium hactenus subterfugisse, neque venisse neque misisse probantur, auctoritate sancti Spiritus anathematizatos esse decernimus, quousque futuris Kalendis Octobribus, futuræ nonæ indictionis, purificari canonice mereantur. Si autem neque tunc plenissimam nobis satisfactionem ostenderint, perpetuo anathemate teneantur innexi, ita ut quicunque amodo eis in cibo, potu, vel oratione communicaverint, pari cum eis anathematis sententia colligentur.

Cap. 18. — *De his qui duos episcopos suos occiderunt, ut amplius episcopo careant. Gelasius Majorico et Joanni episcopis.*

Ita nos quidem latinorum cædes geminata pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit ut diu constitutio nostræ deliberationis hæsitaret, dum et ingerere quemquam parricidalibus exemplis dubitaremus antistitem. Quapropter jam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, eatenus religioni duximus consulendum, ut paroeciæ vices ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernentur, quia [qui, *Vict.*] ibidem commanentes ferro didicerunt necare pastores, inauditoque facinore (quod etiam nullis provinciis nusquam prorsus acciderit, quæ bellorum continuis diversisque incursionibus affligantur) hæc reperta sit civitas, quæ præsules ministrando sibi fidem Christianam, sine persecutore prosternat. Curandum est igitur ut illic funesta pernicies cessatione propriorum sanetur antistitum, atque ita saltem furoris tanti materies subtrahatur, eoque modo vel illa dum in quos sæviat non habebit, ab hujusmodi temeritate desistat, vel aliis imitantibus dira contagia non præbeat. Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis, quæ sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter maculavit sanguine dignitatem. Quia in utroque hac est ultione plectenda, sive scilicet instinctu domestico, seu furiis incitata, nefas hoc committit exterius.

Cap. 19. — *Ut si episcopus occisus fuerit alter non subrogetur, nisi reis detectis et punitis. Nicolaus Joanni archiepiscopo Ravennæ.*

De Oleoberti episcopi Gravellensis crudelissima nece multum apostolatus noster condoluit, et magno mœrore affectus est; sed rursus non minus prudentiam tuam miramur utrum verum sit quod illuc vestrum factura episcopum sine nostra licentia transmiserit, cum licitum non sit, sicut dicitis, missum. Certe etsi aliud non impediret, saltem vos tantum scelus paululum retardare debuerat, ne cito in tali et de tali populo episcopum constitueretis, ubi oves morbidæ Judæorum in Dominum Salvatorem imitans flagitium, proprium ausi sunt truncare pastorem. Sustinete igitur paulisper, et causam quam nescitis, secundum beatum Job, diligentissime investigate (*Job* XXIX), ne forte (nisi digna examinatio

Introdusă în format electronic de Google

præevenerit) manus super caput sanguine plenum posuisse (quod absit!) inveniamini. Cum autem, detectis reis atque punitis, qui dignus sit apparuerit, et cleri plebisque, et ducis nostri nostram habentis auctoritatem, qui utique unus e plebe eadem esse dignoscitur, concordia effecta fuerit, celebretur electio, sicque demum, sicut in synodo deliberatum est atque constitutum, nobis hoc innotescite : et cum de electo nostro apostolatui nuntiatum fuerit, adjuvante Domino, sanctione præmissa episcopus a vestra beatitudine consecretur.

CAP. 20. — *De flagellatoribus et occisoribus episcoporum. Nicolaus Tadoni archiepiscopo Mediolano.*

De presbyterorum flagellatoribus et occisoribus, prædonibus scilicet, qui sæculari brachio minime coercentur, juxta præceptum Domini (*Matt.* XVIII), placet fraterno amore conveniantur secundo ac tertio : quique si te non audierint, conveniente Ecclesia eos eucharistia privare, atque si in sua obstinatione parvipendentes sacerdotalia monita forte permanserint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus. Quos etiam resipiscentes, tandem digna satisfactione præmissa, in gremio sanctæ matris Ecclesiæ revocari noveris posse.

CAP. 21. — *De abbate qui servum fuste uno ictu percussit, et post sex menses mortuus est. Alexander secundus Aumoldo Constantiensi episcopo.*

Intelleximus in litteris tuis quod earum lator sacerdos videlicet et abbas ira acerrime stimulatus servientem uno fustis ictu in dorso percusserit, et sic percussus (ut per conjecturam admittitur) sex tamen mensibus transactis obierit. Unde hunc quasi homicidii culpa notatum, et sui gradus horrens incurrisse periculum, et dignitatis perpendimus pertulisse naufragium. In qua re (salvo tui ordinis privilegio) quo flammolo repentina severitas et statuisse videtur præjudicium, et præcipue discretionis excessisse modum, quæ nimirum clementiori nobis videtur moderamine temperanda. De qua videlicet habenda discretione si tua fraternitas hæsitat, Gregorianæ auctoritatis testimonium legat. *Item.* Fraternitati tuæ mandamus ut fratrem istum abbatiæ restituat, et si jam annus pœnitentiæ transactus habetur, sacerdotali sibi officio restituto, cum sacris altaribus ministrare permittat.

CAP. 22. — *De pœnitentia ejus quæ ancillam flagellans occiderit. Ex I concilio Eliberitano, cap. 5.*

(*Dist.* 50, *c. Si qua femina.*) Si qua domina furore zeli accensa, flagellis verberaverit ancillam suam ut infra tertium diem cum cruciatu animam effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit; si voluntate, per septem annos; si casu, per quinque annorum tempora acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tertium diem fuerit infirmata, accipiat communionem.

CAP. 23. — *De eo qui mulierem fustibus cædi præceperat. Gregorius Andreæ episcopo Tarentino (lib. II, indict. 11, ep. 44).*

Quoniam mulierem de matriculis contra ordinem sacerdotii cædi crudeliter fustibus deputasti, quam licet post octo menses exinde minime arbitremur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum : propterea duobus te mensibus ab administratione missarum statuimus abstinere. *Item* (*idem Joanni episc. Calliopolitano, ep.* 45). Matriculam vero quam fecit fustibus castigari, quamvis exinde post octo menses obiisse non credimus, tamen quia eam contra propositi sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus a missarum solemnitate suspende.

CAP. 24. — *De pœna presbyteri qui diaconum percusserit. Nicolaus Hosbaldo episcopo Quadrantino.*

Studeat sanctitas tua persuadere episcopo tuo sibi canonicum sociare numerum collegarum, id est, ex vicinis provinciis fratres et coepiscopos tuos, quibus tecum junctis et decernentibus diligenter investigate, et omni annisu scrutari procurate, quatenus invenire valeatis utrum percussione jam nominati presbyteri, an cervicis fractione idem diaconus (ut fertur) exstinctus est. Et si quidem a sæpefato presbytero non ad mortem percussus est, sed ex equo cadens cervice fracta interiit, secundum arbitrium vestrum pro percussione incaute agenti presbytero pœnitentiam competentem indicite, et aliquanto tempore a missarum solemniis suspendatur, denuo ad sacerdotale post hæc rediturus officium. Quod si veraciter qualicunque percussione istius presbyteri ille mortuus est diaconus, nulla hunc ratione ministrare sacerdotis more decernimus, quoniam etsi voluntatem occidendi non habuit, furor tamen et indignatio ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, sed præcipue in Dei ministris multipliciter inhibentur, atque ubique damnantur. Verum si presbyter adeo vestro studio noxius forte claruerit, præcipimus ut tale beneficium sibi Ecclesiæ suæ concedatur, quo et ipse et sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.

CAP. 25. — *De septennali vel quinquennali pœnitentia homicidarum. Ex Ancyrano concil. cap.* 22, *et conc. Tribur. cap.* 52

De homicidiis non sponte commissis, prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere.

CAP. 26. — *De examinanda causa cujusdam presbyteri. Joannes VIII, Sigigodo Narbonensi episcopo.*

Præsentium litterarum gerulus sedi apostolicæ præsentatus se presbyterum esse querela et lamentabili voce perhibuit, et a sanctitati tuæ subjectæ diœceseos episcopis ab officio presbyteratus suspensum, et aliis quibusdam epitimiis usque ad speciale judicium nostrum submissum, pro eo quod, inquit, facto tumultu quidam se apprehensum et a terra brachiis sublevatum in proprium fratrem forti jactaverit impetu, ut idem germanus suus tanti operis mole impulsus in terram ruerit, et prostratus atque oppressus vitæ flatum violenter amiserit. Denique illi reverendi antistites cum sibi, ut iste retulit, res in dubium veniret, utrum commisso sibi dudum carere, necne penitus debuisset officio, non ipsi hanc

Introdusă în format electronic de Google

deliberare, sed nostro decerni et diffiniri judicio voluerunt. Sed tunc hoc solemniter agerent, si primum ipsi plenario, et ex canonibus in causa presbyteri delegato judicio quatuor deputatis, ex venerandis decretis et legibus personis præsentibus, hanc ventilassent, et subtili examine discussissent, ut ita facta scripto relatione, si quid dubium sibi seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent. At ubi nobis et persona relatoris incognita, et nullo episcoporum scripto commendatio approbata est, et rursus ubi nulla est accusatoris objectio, nec accusati reatus confessio, nec fidelium comprobatio testium, nos nec illius solius narrationi credulі esse possumus, nec rursus in eum diffinitivam damnationis sententiam proferre valemus. Ergo saltem nunc fraternitas tua metropolitani jure potita ex episcopis sub se degentium, vel vicinorum sex, una cum episcopo cujus est iste parœciæ sibi socians, tantum negotium subtili ventilet discussionis ventilabro, et invento quod justum est canonice decernat, et communi fratrum censura diffiniat.

CAP. 27. — *Quod homicidæ sint qui filios dormientes oppresserint. Stephanus Ludberto episcopo Mogontino.*

(2, *q.* 5, *Consuluisti.*) Consuluisti etiam de infantibus, qui in uno lecto cum parentibus dormientes mortui reperiuntur, utrum ferro candente, an aqua fervente, seu alio quolibet examine parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi namque sunt et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno collocent lecto, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censent canones, et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare; occulta vero et incognita illius sunt judicio relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. Hi autem qui probantur vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio, quia si conceptum in utero qui per abortum deleverit, homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit homicidam se esse excusare nequibit?

CAP. 28. — *De pœnitentia eorum qui non sponte homicidium commiserint. Nicolaus Carolo episcopo, et ejus suffraganeis.*

De his qui non sponte homicidium commiserunt, in 22 cap. Ancyrani concilii, qualiter agere pœnitentiam debeant, diffinitum habetis. *Item.* Homicidas post unius anni spatium liceat ecclesiam intrare.

CAP. 29. — *Ut presbyter homicida sacerdotali officio careat. Nicolaus Tadoni arch. Mediol.*

Propterea de presbyteris qui non sponte homicidium perpetraverunt, et tamen homicidii noxam qua A revera homicidæ sunt incurrunt, sancimus, ut subducti a sacerdotali ministerio pœnitentia juxta sacros ordines macerentur, et post emensis temporibus pœnitentiæ indictæ dignam satisfactionem præbentes, communionis gratiam consequantur. Intemeratis duntaxat in omnibus sacrosanctis canonibus ac apostolicæ sedis pontificum decretis, quibus conversis et pœnitentibus misericordiam largiri posse et ecclesiæ aditum non denegamus, imo hortamur salubriter atque jubemus.

CAP. 30. — *De misericordia impendenda his qui homicidio supervenientes nec voluntate, nec actione perpetraverint. Alexander II Wilfredo Constantiæ episcopo.*

Dicebant se latores præsentium homicidio illi, pro B quo pœnitentia illis injuncta est, penitus non interfuisse, sed præliantibus solummodo casu supervenisse. Quod si ita est, quandoquidem nec in causa homicidii, nec in culpa fuerint, misericordia super eos moti exsilium eis apostolica auctoritate remisimus.

CAP. 31. — *De pœnitentia eorum qui homicidium in treva Dei fecerint. Alexander secundus Adelardo Suessionensi episcopo.*

Quod in 30 annorum longitudinem homicidii in treva Dei facti pœnitentiam extendistis, constitutioni huic auctoritatem non damus, quia in sacris hoc canonibus non invenimus. Tamen quoniam a prudentibus et religiosis viris treva Dei pro conservanda in populo pace est constituta, omnino non reprobamus.

CAP. 32. — *Quod mulio culpabilis sit, si mulæ quas ex imperitia, vel infirmitate retinere non poterat, hominem obtriverint. Pandectarum libro* IX, *titulo* II (*ad legem Aquiliam, l.* VIII). C

Mulio si per imperitiam impetum mularum retinere non poterit, si alienum hominem obtriverint, vulgo dicitur culpæ nomine teneri. Idem dicitur, et si propter infirmitatem retinere mularum impetum non potuerit. Nec videtur iniquum si infirmitas culpæ adnumeretur, cum affectare quisque non debet infirmitatem suam aliis periculosam futuram. Idem juris est, in persona ejus qui impetum equi quo vehebatur, propter imperitiam suam vel infirmitatem retinere non poterit. *Item* (*lib.* X). Lusus quoque noxius in culpa est.

D CAP. 33. — *De pœnitentia ejus qui tres filios occiderat. Nicolaus papa Rivoladro episcopo* (*epist.* 17).

Istum Wimarum ad apostolorum limina festinasse cognoscite, et pœnitentiæ modum pro perpetrato trium filiorum suorum homicidio sibi impositum manifestasse. Quorum quædam temperavimus, eo quod suffragia apostolorum principis nutritoris nostri postulare devote festinavit. Nam eum ad beati Archangeli oraculum ire volentem instantia temporis revocavit, atque constitutionis sibi impositæ modum continentem epistolam vestræ sanctitati deferendam, apostolica sollicitudo transmisit. In ea igitur statutum est ut triennio ante fores ecclesiæ pro peccatis suis oraturus assistat. Et deinde inter auditores permaneat quadriennio, ut septem annorum

Introdusă în format electronic de Google

curricula absque communione Dominici corporis ac sanguinis transeat, ita quidem ut diebus omnibus vitæ suæ carnem non manducet, et isto septennio vinum non sumat, nisi diebus Dominicis et festivitatibus. Abinde quinquennio tribus diebus per septimanam a vino abstineat, ut duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi uxorem propriam non deserere, ne forte incidat in adulterium, et pro occasione unius delicti præcipitetur fragilitate carnis in pejus. Concessimus etenim ei calceatum ad vos pervenire, ac deinde triennio discalceatum ire debere, et vestimentis secundum quantitatem [qualitatem, *orig.*] temporis et aeris temperiem indui, atque lacte perfrui. Cæterum vero ita actus ipsius discernentes, per omnia considerate atque disponite, quatenus et evangelica misericordia in illo agnoscatur, et canonica auctoritas conservetur. Attamen permittimus eum caseum sumere, atque possessionem suam habere, et post septimum annum usque ad diem mortis perseveret in jam dicta pœnitentia, atque arma nisi contra paganos non ferat.

Cap. 34. — *Quod non sit licitum sacerdotibus pugnare. Epistola Zachariæ papæ in capite Capitularium, omnibus episcopis in regno Francorum constitutis* (*lib.* v, *c.* 1, *et Zacharias, ep.* 3).

Habuistis peccatis facientibus nunc quoque falsos erroneosque sacerdotes. Unde et cunctæ paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos et sacerdotes, quibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria datur, ubi sacerdotes una Dominica pertractant mysteria, Christianis Dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, et post Christianos quibus hoc ministrare, ac paganos quibus Christum prædicare debuerant, propriis sacrilegis manibus necant?

Cap. 35. — *Ut presbyter homicida non ministret. Zacharias Bonifacio.*

Scripsimus vobis ut nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat attrectare, neque pœnitens, ita ut talis sit qualem sacri canones perhibent esse sacerdotem. De baptizatis vero ab illo, seu ecclesiis consecratis, requirit tua fraternitas, si aut ecclesias in nomine Trinitatis consecravit, aut parvulos similiter baptizavit, dum sacerdotio fungebatur, et sic consecratio ecclesiarum, et parvulorum baptisma sit confirmatum.

Cap. 36. — *Ne homicida vel adulter episcopum accuset. Ex epistola prima Clementis ad Jacobum.*

(6, *q.* 1, *c. B. Petrus.*) Homicidas et adulteros, ac cunctos criminalibus nexibus alligatos, et qui episcopis coequales non erant, ab eorum vexatione et accusatione docente Domino prohibebat, et non nisi cum coæqualibus aliquid sibi inferri debere docebat, quia discipulum super magistrum esse (*Matth.* x), aut ullam ei injuriam inferre nullatenus oportet.

Cap. 37. — *Quod homicidæ venefici, et aliis criminibus notabiles ad accusationem non admittantur. Ex epistola ab Adriano papa tradita Ingeltranno Mediomatrice urbis episcopo, cap.* 67 (*c.* 63).

Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi.

Cap. 38. — *Homicidas et falsos testes a communione submovendos. Ex conc. Agathensi, c.* 37.

(24, *q.* 3, *c. Itaque.*) Censuimus homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

Cap. 39. — *De pœnitentia ejus qui voluntarie homicidium fecerit. Ex concilio Martini episcovi. c.* 10 (*Martinus Bracar. c.* 78).

(*Dist.* 50, *c. Si quis.*) Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad januam ecclesiæ catholicæ semper subjaceat, et communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non ex voluntate, sed ex casu aliquo homicidium fecerit, prior canon septem annis agere pœnitentiam jussit, quinque secundus mandavit.

Cap. 40. — *Quid de tauro agendum sit si hominem occiderit. Augustinus, Quæstionum in Exod. quæst.* 81, *in cap.* XXI.

Si autem cornu percusserit taurus virum aut mulierem, et mortuus fuerit, lapidibus lapidabitur taurus, et non manducabuntur carnes ejus; dominus autem tauri [tauri *non est in orig.*] innocens erit. Ad justitiam pertinet ut animal hominibus noxium perimatur. Et quod de tauro positum est, a parte totum intelligendum est, quidquid de pecoribus usui humano subditum infestum est hominibus.

Cap. 41. — *Ut homo non occidatur, nisi jubente lege. Capitularium lib.* I, *cap.* 64 (*cap.* 67).

Non occidatur homo, nisi lege jubente.

Cap. 42. — *De pœna ejus qui post pacificationem alterum occiderit. Cap. lib.* III, *cap.* 4.

Si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, et perdat manum qua perjuravit, et insuper bannum dominicum solvat.

Cap. 43. — *Ut nullus nisi pro justitia hominem puniat. Capitul. lib.* V, *cap.* 197.

Qui per odium vel malum ingenium, et nisi propter justitiam faciendam hominem punierit, honorem suum perdat, et legibus contra quem injuste fecit, secundum pœnam quam intulerit emendet.

Cap. 44. — *De pœna ejus qui pœnitentem occiderit. Cap. lib.* IV, *cap.* 18.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, et uvirgildum [uverghildum] ejus, proximis ejus persolvat.

Cap. 45. — *Ut sacerdos nec Christiani nec pagani sanguinem fundat. Capitularium lib.* VII, *cap.* 124 (*cap.* 92).

Sacerdotes neque Christianorum neque Paganorum sanguinem fundant.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 46. — *Quod voluntas occidendi pro homicidio reputetur, cap.* 212 (*cap.* 151).

Qui hominem voluntarie occidere voluerit, et perpetrare non potuerit, ut homicida puniatur.

CAP. 47. — *De induciis homini dandis a judicibus, antequam occidatur. Cassiodorus Tripartitæ Historiæ lib.* IX, *cap.* 30.

(*Theod. eccl. Hist., l.* V, *c.* 17, *sed paulo aliter.*) Cladem plenam valde gemitibus audiens Ambrosius, cum princeps Theodosius Mediolanum venisset, et solemniter in sacrum voluisset intrare templum, occurrit foris ad januas, et ingredientem his sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit : « Nescis, imperator, perpetratæ necis [cædis, *orig.*] a te quanta sit magnitudo, neque post pausam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit. Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii ; decet tamen ut vincat [ducat, *Vict.*] ratio potestatem. » *Item. Ibidem post aliquam multa.* Ambrosius imperatori : « Quoniam, inquit, furori tuum judicium commisisti, et non ratio protulit sententiam, sed potius iracundia, scribe legem quæ decreta furoris evacuet, et in hac triginta diebus [*Tripart. hist. hodie sic legit*, ut triginta diebus, etc.] sententia necis atque proscriptionis in litteris tantummodo maneat, et judicium rationis exspectet. Quibus transactis diebus ira videlicet jam cessante, ratio causam judicans, apud semetipsam quæ cognoverit sub veritate disponat. In his enim diebus agnoscetur, an justa sit quam protuleris, an injusta sententia. Et si quidem ratio probaverit injusta, quæ sunt prolata dirumpet ; si vero justa, firmabit. Dierum vero numerus ad hæc examinanda sufficiet. » Hanc admonitionem imperator animo libenti suscipiens, et optimam esse confidens, legem conscribi repente præcepit, et propriæ manus litteris confirmavit. Quo facto, vinculum ejus absolvit Ambrosius. Quæ lex hactenus observatur. Est enim hujusmodi : « Imperator Gratianus, Valentinianus et Theodosius Augusti, Flaviano præfecto prætorii Illyrici. Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors et fortuna suspensa sit. »

CAP. 48. — *Quod Theodosium imperatorem beatus Ambrosius propter indiscretum homicidium ab ingressu ecclesiæ prohibuit. Ex Vita B. Ambros.* (*auctore Paulino*).

Maximum imperatorem a communionis consortio segregavit Ambrosius, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et (quod est gravius) innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Dominum vellet esse consultum. Causa Thessalonensis civitatis non minima tribulatio successit Ambrosio, cum pene comperisset civitatem deletam. Promiserat enim illi imperator se veniam daturum civibus supradictæ civitatis, sed agentibus comitibus occulte cum imperatore, sacerdote ignorante, usque ad horam tertiam gladio civitas est donata, atque plurimi interfecti sunt innocentes. Quod factum ubi comperisset sacerdos, copiam imperatori ecclesiam ingrediendi denegavit, nec prius judicavit dignum cœtu ecclesiæ vel sacramentorum communione quam publicam ageret pœnitentiam.

CAP. 49. — *De diversis materiis homicidiorum et pœna eorum. Institutionum lib.* IV, *titulo* III (*lege Aquilia*).

Si quis alienum hominem alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. Quod autem non præcise de quadrupede, sed de ea tantum quæ pecudum numero est cavetur : eo pertinet ut, neque de feris bestiis, neque de canibus cautum esse intelligamus, sed de his tantum quæ gregatim proprie pasci dicuntur, quales sunt equi, muli, asini, boves, oves, capræ. De suibus quoque idem placuit ; nam et sues pecorum appellatione continentur, quia et hi gregatim pascuntur. *Item, paulo post.* Injuria occidere intelligitur, qui nullo jure occidit. Itaque qui latronem insidiantem occiderit, non tenetur, utique si aliter periculum effugere non potest. Ac ne is quidem hac lege tenetur qui casu occidit, si modo culpa ejus nulla inveniatur ; nam alioquin non minus ex dolo quam ex culpa quisque hac lege tenetur. Itaque si quis dum jaculis ludit vel exercetur, transeuntem servum tuum trajecerit, distinguitur. Nam si id a milite eo campo ubi solitum est exercitari admissum est, nulla culpa ejus intelligitur. Si alius tale quid admisit, culpæ reus est. Idem juris est de milite, si in alio loco quam qui exercitandis militibus destinatus est id admisit. Item si putator ex arbore dejecto ramo servum tuum transeuntem occiderit ; si prope viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamavit, ut casus evitari posset, culpæ reus est. Sin proclamavit, neque ille curavit cavere, extra culpam est putator. Extra culpam æque esse intelligitur, si seorsum a via forte, vel in medio fundo cædebat, licet non proclamaverit, quia eo loco nulli extraneo jus fuerat versandi. Præterea si medicus, qui servum tuum secuit, dereliquerit curationem, atque ob id mortuus fuerit servus, culpæ reus est. Imperitia quoque culpæ adnumeratur, veluti si medicus ideo servum tuum occiderit, quod eum male secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit. Impeta quoque mularum, quas mulio propter imperitiam non potuerit retinere, si servus tuus oppressus fuerit, culpæ reus est mulio. Sed etsi propter infirmitatem retinere eas non potuerit, cum alius firmior retinere potuisset, æque culpa tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cum equo veheretur, impetum ejus aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam suam retinere non potuerit. His autem verbis legis (quanti in eo anno plurimi fuerit) illa sententia exprimitur, ut si quis hominem tuum qui hodie claudus, aut mancus, aut luscus erat, occiderit, qui in eo anno integer aut pretiosus fuerit non tardi

Introdusă în format electronic de Google

teneatur quanti hic hodie erat, sed quanti in eo anno plurimi fuerit; qua ratione creditum est pœnalem esse hujus legis actionem. *Item, ibidem aliquanto post.* Si quis ex pari mularum unam, vel ex quadrigis equorum unum occiderit, vel ex comœdis (collegis) unus servus fuerit occisus; non solum occisi fit æstimatio, sed eo amplius id quoque computatur, quanto depretiati sunt qui supersunt. *Item, ibidem sub finem.* Si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit (induxerit, *Vict.*) ut fame necaretur, aut jumentum tam vehementer egerit ut rumperetur, aut pecus intantum exagitaverit ut præcipitaretur, aut si quis alieno servo persuaserit ut in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, et is ascendendo vel descendendo mortuus fuerit, vel aliqua parte corporis læsus erit, utilis in eum actio datur. Sed si quis alienum servum de ponte, aut de ripa in flumen dejecerit, et is suffocatus fuerit, eo quod projecerit corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi poterit, ideoque Aquilia lege tenetur.

Cap. 50. — *De damnatione ejus qui hominem claudum vel luscum occiderit. Institutionum lib.* IV, *tit.* VI.

Si quis hominem claudum aut luscum occiderit, qui eo anno integer et pretii magni fuerit, tantum damnatur, quantum (is homo *inseritur in orig.*) in eo anno plurimi erit.

Cap. 51. — *Ut presbyter homicida sacerdotio careat. Joannes octavus Cennomoco Venetiensi episcopo (idem supra, p.* VI, *c.* 114).

Miror minus doctam sententiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidium, posse in sacerdotio ministrare, imo (quod est ineptius) nobis suadere velle ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque perversi sensus tale quid æstimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

Cap. 52. — *De excommunicatione et irrecuperabili dispositione homicidæ episcopi. Joannes octavus Ludovico imperatori.*

Qualiter Rainaldus Castri Felicitatis episcopus super homicidio tam penes apostolicam, quam penes imperatoriam sedem, publico murmure fuerit denotatus, et Gregorio dilecto filio nomenclatore misso, et apocrisiario sanctæ sedis nostræ cum Georgio illustri magistro militum, ac venestario sacri nostri patriarchi apud dilectissimam filiam nostram imperatricem Augustam consistente, a matre perempti juvenis aliisque parentibus fuerit impetitus, et ad purificandum se a nobis per frequentes excommunicatorias epistolas accesserit Romam coactus, serenitati vestræ credimus manifestum. Sed quia idem Romam veniens purgationis suæ tempus præripuit, et indicta pro se synodo deputatum sibi a nobis locum fraudulentus excedens, more furis per urbis se muros dejecit, et vera fuisse crimina quæ sibi illata sunt judicium subterfugiens propalavit, hunc auctoritate Dei omnipotentis, sanctorum apostolorum principum, et nostræ mediocritatis ab omni ecclesiastica simul et Christiana communione penitus sequestramus.

Cap. 53. — *Quod non homicidium, si fur nocte domum perfodiens occisus fuerit. August. Quæstionum in Exod. quæst.* 84.

Si autem perfodiens inventus fuerit fur, et percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium (*Exod.* XXII). Si autem oritur sol super eum, reus est, et morte moriatur. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait: Si orietur sol super eum; poterat quippe discerni, quod ad furandum non ad occidendum venisset, et ideo non deberet occidi (*ff. ad l. Aquiliam, l.* IV). Hoc et in legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune occidi furem nocturnum quomodo diuraum, si se [*Aug. hodie sic legit*, quoquomodo, diurnum autem si secum, etc. *et sic antiq. codex S. Germ.*] telo defenderit, jam enim plus est quam fur.

Cap. 54. — *Quod non sint homicidæ æstimandi qui excommunicatos zelo ecclesiæ occiderint. Urbanus II, Godefrido Lucano episcopo.*

Excommunicatorum interfectoribus, prout morem Romanæ Ecclesiæ nosti, secundum ipsorum intentionem modum congruæ satisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quod adversus excommunicatos zelo catholicæ matris ardentes, eorum quoslibet trucidasse contigerit. Ne tamen ejusdem Ecclesiæ matris disciplina desæviat, tenore quem diximus pœnitentiam eis indicito congruentem, qua divinæ simplicitatis oculos adversus se complacare pervaleant, si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio contraxerunt.

Cap. 55. — *De illis qui fetus in utero occidunt. August., De nuptiis et concupiscentia (lib.* I, *c.* 15).

(32, *q.* 2, *c. Aliquando.*) Aliquando eo usque pervenit hæc libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, et si nihil valuerint, conceptos fetus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere, aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo [tales sibi, *o ig.*] sunt, conjuges non sunt, et si ab initio tales fuerunt, non per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem ambo non sunt tales, audeo dicere: Aut illa est quodammodo mariti meretrix, aut ille adulter uxoris.

Cap. 56. — *Quare lex non formatum puerperium noluit esse homicidium. August. lib. Quæst. in Exod.* (*q.* 80, *in cap.* XXI).

(32, *q.* 2, *c. Quod vero non formatum.*) Quod non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputavit, quod tale in utero gerítur. Hic de anima quæstio solet agitari, utrum quidquid formatum non est, nec animatum

Introdusă în format electronic de Google

quidem possit intelligi, et ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. *Item, ibidem paulo post.* Si illud informe puerperium jam quidem fuerat [fuerit, *orig.*], sed adhuc quodammodo informiter animatum, quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sententiæ, ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in eo corpore, quod sensu caret.

CAP. 57. — *Quod anima formato corpori infundatur. August. lib. Quæstionum de Veteri et Novo Testamento, c.* 23.

(32, *q.* 2, *c. Moyses.*) Moyses tradidit : Si quis percusserit mulierem in utero habentem, et abortierit : si formatum fuerit, det animam pro anima; si autem informatum fuerit, multetur pecunia (*Exod.* XXI), ut probaret non esse animam ante formam. Itaque si jam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Nam si cum semine et anima existit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu quodam non proficit nativitati. Sed si prius [propius, *orig.*] respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ: in Adam enim exemplum datum est, ut ex eo intelligatur, quia jam formatum corpus accepit animam. Nam potuerat animam limo terræ admiscere et sic formare corpus, sed ratione informabatur, quia primum oportebat domum compaginari, et sic habitatorem induci. Anima certe quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur. Cum ergo lineamenta [corporis, *orig.*] compacta non fuerint, ubi erit anima?

CAP. 58. — *De informato corpore. Hieronymus ad Algasiam, quæstione* 4 (t. IV, *ep. cujus initium est : Filius meus Apodemius*).

(32, *q.* 2, *c. Sicuti semina.*) Sicuti semina paulatim formantur in utero, et tandiu non reputatur homicidium [homo, *orig. et Gr.*], donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant, ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc ventre retinetur, et cito abortio [ab hoste *Grat.*] perit (*Exod.* XXI).

CAP. 59. — *Quod boni juste et pie persequuntur malos, mali autem injuste bonos. August. ad Bonifacium comitem (epist.* 50).

(23, *q.* 4, *c. Si Ecclesia.*) Quærant schismatici ab Apostolo quam ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem nostram cœlestem Hierusalem, id est veram Dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam (*Gal.* IV). Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo quam illam Sara coercendo. Illa enim dominæ faciebat injuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni et sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantum modo patiuntur, cujus putant in psalmo esse vocem, ubi legitur : *Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant?* (*Psal.* XIV.) Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta quam faciunt impii Ecclesiæ Christi, et est persecutio justa quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter justitiam (*Matth.* V); illi vero miseri, qui persecutionem patiuntur propter injustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæviendo; ista ut corrigat, illi ut evertant; ista ut revocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem; denique ista persequitur inimicos, et comprehendit donec deficiant in vanitate; isti, ut in vanitate proficiant. *Item, ibidem post multa.* (22, *q.* 6, *c. Schismatici.*) Schismatici dicunt : Cui vim Christus intulit, quem coegit? Ecce habent apostolum Paulum, agnoscant in eo prius cogentem Christum, et postea docentem, prius ferientem, et postea consolantem. (*Act.* IX.) Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit (*I Cor.* XV), et quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem (*I Joan.* IV). Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filii coegerunt alios ut perirent? Quamvis etiam illos quos non coegerunt, sed tantummodo seduxerunt, si per terribiles, sed salubres leges in ejus gremio revocentur, blandius pia mater amplectitur, et de illis multo amplius, quam de his quos nunquam perdiderat gratulatur (*Luc.* XV). An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oves quæ non violenter ereptæ, sed blande leniterque seductæ a grege aberraverint, et ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile Dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare? *Item, post pauca.* A Christo coactum ostendimus Paulum. Imitatur itaque Ecclesia in istis cogendis Dominum suum, quæ prius ut neminem cogeret exspectavit, ut de fide regum atque gentium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc non absurde intelligitur apostolica illa sententia, ubi Paulus beatus dixit : *Parati ulcisci omnem inobedientiam, cum completa fuerit prior inobedientia vestra* (*II Cor.* X). Unde et ipse Dominus ad magnam cœnam suam prius convivas adduci jubet, postea cogi. Nam cum ei servi respondissent : *Domine, factum est quod jussisti, et adhuc locus est : Exite, inquit, in vias, et sepes, et quoscunque inveneritis cogite intrare* (*Luc.* XIV). In illis ergo qui leniter primo adducti sunt, completa est prior obedientia; in istis autem qui coguntur, inobedientia coercetur. *Item, paulo post.* Si potestate, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit divino munere accepit Ecclesia, hi qui inveniuntur in viis et sepibus, id est in hæresibus et schismatibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, sed quo coguntur attendant. *Item, post multa.* (23, *q.* 5, *c. Maximianus.*) Maximianus episcopus Vagiensis auxilium petivit ab imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ, non tam sui ulciscendi causa quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non

Introdusă în format electronic de Google

ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Neque enim et apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ, sed Ecclesiæ Dei consuluit, quando contra illos qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum ut tribuno proderetur effecit (*Act.* XXI). Unde factum est ut eum ad locum quo fuerat perducendus deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias. *Item, ibidem aliquanto post.* (23, *q.* 5, *c. Quis enim.*) Quis enim nostrum velit non solum aliquem inimicorum perire, verum etiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit habere pacem domus David, nisi Absalon filius ejus in bello quod contra patrem gerebat, fuisset exstinctus quamvis magna cura mandaverat suis ut eum quantum possent, vivum salvumque servarent, ut esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret, quid ei restitit nisi perditum flere, et sui regni pace acquisita suam mœstitiam consolari? (*II Reg.* XVIII.)

CAP. 60. — *Quod non sit idoneus ad exercendam vindictam nisi qui superavit odium mansuetudine. Augustinus, De Sermone Domini in monte, libro primo, cap.* 37.

(23, *q.* 4, *c. Ea vindicta.*) Ea vindicta non prohibetur quæ ad correctionem valet, ipsa enim etiam pertinet ad misericordiam. Nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem corre-ptum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis mansuetudine superaverit. Non enim metuendum est, ne odisse parvulum filium parentes videantur, cum ab eis vapulat peccans, ne peccet ulterius. Et certe perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cum in sequentibus dicitur : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro eis qui vos persequuntur* (*Matth.* V). Et tamen de ipso dicitur per Prophetam : *Quem enim diligit Dominus corrigit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III; *Hebr.* XII). Dicit et Dominus : *Servus qui nescit voluntatem domini sui, et facit digna plagis vapulabit paucis : Servus autem qui scit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multis* (*Luc.* XII). Non ergo quæritur, nisi ut et ipse vindicet cui rerum ordine potestas data est, et ea voluntate vindicet, qua pater parvulum filium, quem per ætatem odisse nondum potest. Hinc enim apertissimum exemplum datur, quo satis appareat posse peccatum amore potius vindicari quam impunitum relinqui, ut illum quem vindicat, non pœna miserum, sed correctione beatum velit, paratus tamen si opus sit æquo animo plura tolerare ab eo illicita [illata, *orig.*], quem vult esse corre-ptum; sive in eum habeat potestatem coercendi, sive non habeat. (*Ibid.*, *c.* 38.) Magni autem et sancti viri, qui jam optime scirent mortem istam quæ animam dissolvit a corpore non esse formidandam, secundum eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte puniverunt, quo et viventibus utilis metus incuteretur, et illis qui morte puniebantur A non ipsa mors noceret, sed peccatum quod augeri posset, si viverent. Non temere illi judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est quod Elias multos morte affecit, et propria manu, et igne divinitus impetrato (*III Reg.* XVIII; *IV Reg.* I). Quod et alii multi magni et divini viri eodem spiritu, consulendo rebus humanis, non temere fecerunt. De quo Elia cum exemplum dedissent discipuli, Domino commemorantes quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de cœlo ignem, ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent reprehendit in eis Dominus (*Luc.* IX), non exemplum prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi (*Matth* XXII), quæ adhuc erat in rudibus, animadvertens eos non amare [amore, *orig. m. s. s. Ger.*] correptionem, sed odio desiderare vindictam. Itaque post-eaquam eos docuit quid esset diligere proximum tanquam seipsum, infuso etiam Spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem suam desuper, ut promiserat, misit (*Act.* II), non defuerunt tales vindictæ quamvis multo rarius quam in Veteri Testamento. Ibi enim ex majori parte servientes timore premebantur, hic autem maxime dilectione liberi nutriebantur. Nam et verbis apostoli Petri Ananias et uxor ejus, sicut in Actibus apostolorum legimus (*Act.* V), exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.

CAP. 61. — *Quod Christi est inimicus qui Christianum injuste persequitur. Augustin. contra Cresconium grammaticum* (*lib.* III, *c.* 51).

Quisquis Christianum iniquus (inquis *habet August. ut verba sint Cresconii*) persequitur, Christi est inimicus. Verum dicis, si non [sed non, *m. s. s. Ger.*] hoc in illo persequitur quod Christo est inimicum. Neque enim dominus in servo, pater in filio, maritus in conjuge cum sint utrique Christiani, non debent persequi vitia Christianæ contraria veritati. An vero si non persequantur, non rei negligentiæ merito tenebuntur?

CAP. 62. — *Quod coercere proximum sit diligere eum. Augustinus ad Macedoniam* (*epist.* 52).

(23, *q.* 4, *c. Debet.*) Debet homo diligere proximum tanquam seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coertione adducat ad colendum Deum.

CAP. 63. — *Quod mala voluntas non est permittenda suæ libertati. August. ad Donatum presbyterum* (*epist.* 204).

Qui diliguntur, malæ suæ voluntati impune et crudeliter permittendi non sunt, sed ubi potestas datur, et a malo prohibendi, et ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare israelitici recusantes et murmurantes tam duris flagellis a malo prohibebantur, et ad terram compellebantur promissionis? Si voluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est, ut excæcaretur (*Act.* IX), excæcatus ut mutaretur, mutatus ut

Introdusă în format electronic de Google

mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore talia pro veritate paterctur? Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur pater in Scripturis sanctis filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera ejus tundere (*Eccli.* VII, XXX), ut ad bonam disciplinam cogatur, et Dominus diligatur [coactus et domitus dirigatur]?

CAP. 64. — *Quod corripiendi sunt homines. Augustinus ad Donatistas (epist.* 166).

Quod erraverat, inquit Dominus, non revocastis, et quod perierat non requisistis (*Ezech.* XXXIV). Hoc vobis per nos Dominus ipse facit, sive obsecrando, sive minando, sive corripiendo, sive damnis, sive laboribus, sive per suas occultas admonitiones vel visitationes, sive per potestatum temporalium leges.

CAP. 65. — *Quod non omnis hominem occidens homicida sit. Chrysostomus super Matthæum, homilia cap.* 18 (*in op. perfec. ad c.* V *Matth.*)

(23, *q.* 8, *c. Occidit Phinees.*) Occidit Phinees hominem (*Num.* XXV), et reputatum est ei ad justitiam : Abraham vero non homicida solum verum etiam parricida (quod certe est gravius) effectus (*Gen.* XXII), magis Domino magisque placuit. Sed et Petrus geminum fecit homicidium (*Act.* V), fuit tamen opus spirituale quod factum est. Non sola igitur respiciamus opera, sed tempus, et causam, et voluntatem, et personarum differentiam, et quantacunque alia ipsis operibus acciderint diligentissime requiramus. Non enim possumus ad veritatem aliter pervenire.

CAP. 66. — *De eodem. Ex responsionibus Adriani papæ contra objectiones quorumdam ad Carolum cap.* 16.

Sanctus Gregorius in dialogis suis meminit de beato Bonifacio, qualiter miserum illum qui cum simia veniens cymbala percussit, sermone suo cum mœrore ad mortem jaculavit.

CAP. 67. — *Item de eadem re. Gregorius, Dialogorum lib.* I, *cap.* 9.

Cum beatus Bonifacius ad Fortunati mensam venisset, priusquam Deo hymnum diceret, sicut quidam cantandi arte solent victum quærere, repente ante januam vir cum simia astitit, et cymbalum percussit : quem sanctus vir audiens sonitum dedignatus dixit : « Heu ! heu ! mortuus est miser iste, mortuus est miser iste ! Ego ad mensam refectionis veni, os nondum ad laudem Dei aperui, et ille cum simia veniens cymbalum percussit. » Subjunxit tamen atque ait : « Ite et pro charitate ei [Dei] cibum potumque tribuite, scitote tamen quia mortuus est. » Qui infelix vir dum panem et vinum ex eadem domo percepisset egredi januam voluit, sed saxum ingens subito de tecto cecidit, eique in verticem venit. Ex qua percussione prostratus in manibus jam semivivus levatus est. Deinde vero altera die secundum dicti viri [viri Dei, *Vict.*] sententiam funditus vitam finivit. Qua de re, Petre, pensandum est quantus sanctis viris timor sit exhibendus : templa enim Dei sunt, et cum ad iracundiam vir sanctus trahitur, quis alius ad irascendum nisi ejusdem templi inhabitator excitatur? Tanto ergo metuenda est ira justorum, quanto et constat, quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam ultionem quam voluerit, invalidus non est : *Item Dialogorum lib.* II, *cap.* 30. (23, *q.* 8, *c. Petrus.*) Petrus Tabitham mortuam orando suscitavit (*Act.* IX), Ananiam et Sapphiram mentientes morti increpando tradidit (*Act.* V), neque eum orasse in eorum exstinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetraverant increpasse. Constat ergo quia aliquando talia ex potestate, aliquando exhibentur ex postulatione, dum et istis vitam increpando abstulit, et illi reddidit orando.

CAP. 68. — *De vindicta quam Joannes papa in quosdam fieri jussit. Joannes VIII Marino et Pulcri.*

Sed et provincii [*pro* primicii *Vict.*] vestræ fidelitatis vobis injungimus, ut cum aliquibus navibus vestros milites robustissimos præsentialiter destinetis, qui quadraginta Sarracenos, qui dudum Græcorum nostrorum navibus in mare fugere, quique postea terrestrium nostrorum militum exspoliati armis omnibus, virtute in montis Circei latibulis evaserunt, una cum nostris pedestribus apprehendant, quia nos pro tantillis Sarracenis dromones nostros fatigare nolumus, dum de vobis confidere (sicut et ipsi velle dicimini) provocamur modis omnibus confidentes. Quia si obedientiæ vestræ constantiam et fidei puritatem cum virtutis efficacia circa sanctam Romanam Ecclesiam amodo senserimus, non solum de his tribus, quibus vos ultra consuetudinem prægravatos dicitis, inquantum ratio postulaverit levigabimus, verum etiam ut propriam sancti Petri familiam, terra marique vos tueri, domino confortante, studebimus.

CAP. 69. — *De defensione quam contra hostes fecit Joannes octavus Angebergæ imperatrici.*

Siquidem cum virtute Dei melius quam Kaletam, quæ nostra sunt defendemus, et illorum in nullo penitus indigemus, dromones videlicet cum cæteris navibus construentes, et cætera vasa bellica et apparatus, quin potius et ipsos animos hominum præparantes, et adversus hostiles incursus indesinenter armantes.

CAP. 70. — *Quod crimina committit qui non corrigit cum possit. Joannes VIII, Domagoi duci glorioso.*

(23, *q.* 8, *c. Præterea.*) Præterea devotionis tuæ studium exhortamur, ut contra marinos latrunculos qui sub prætextu tui nominis in Christicolas debacchantur, tanto vehementius accendatur, quanto illorum pravitate famam tui nominis offuscatam fuisse cognoscis, quoniam licet credi possit quod, te nolente, illi navigantibus insidientur, tamen quia a te comprimi posse dicuntur, nisi eos compresseris, innoxius non haberis. Scriptum quippe est : Qui crimina cum potest emendare, non corrigit, ipse committit.

CAP. 71. — *Quomodo Joannes papa Sarracenis re-*

Introdusă în format electronic de Google

stiterit. Joannes VIII, imperatori et imperatrici.

Cum reversi fuissemus, omnia littora nostra deprædata, etiam et in fundis et in Terracina, velut in domo propria multos Sarracenos invenimus residere, pro quibus non plusquam quinque diebus in urbe manentes, quamvis corporis non modica detineremur molestia, exivimus cum fidelibus nostris, quorum Domino adjuvante cœpimus naves octodecim. Sarraceni vero multi occisi sunt, captivos autem fere sexcentos liberavimus. Ideo vobis venientibus necesse valde est, ut talis in littoribus marinis fortitudo virorum remaneat, quorum virtute nostra omnia salva consistant, et ea quæ necdum deprædata sunt loca, non prædentur.

Cap. 72. — *Quod non est crudelitas punire malos pro Deo, sed pietas. Hieronymus ad Riparium (tom. III, epist. cujus initium : Acceptis primum litteris).*

Legi syromasten Phinees (*Num.* xxv), austeritatem [auctoritatem *Vict.*] Eliæ (*III Reg.* xviii; *IV*, i), zelum Simonis Chananæi (*I Mach.* xiii, *et sequentib.*), Petri severitatem Ananiam et Sapphiram trucidantem (*Act.* v), Pauli constantiam qui Elymam magum viis Domini resistentem æterna cæcitate [severitate *Vict.*] damnavit (*Act.* xiii). Non est crudelitas pro Deo [*Gratian sic.* crimina pro Deo punire], sed pietas. Unde et in lege dicitur : Si frater tuus et amicus et uxor quæ est in sinu tuo depravare te voluerit a veritate, sit manus tua super eos, et effunde sanguinem ipsorum (*Deut.* xiii).

Cap. 73. — *Quod propter remissionem malorum, in collegio episcoporum arma sint ferenda. Leo IV, Ludovico [Lothario] regi.*

Petrum et Adrianum nunquam recipiemus ad habitandum nobiscum, et si (quod minus credimus) aut preces nostras quas pro eorum retentione vobis misimus, aut honores Romani pontificis pro nihilo existimastis, et nos minus quam Adrianum et Petrum amastis, quod in posterum jam ordinatum habeamus, vestræ edicimus magnitudini. Certe Romanæ sedis præsules tempore quo per unamquamque Ecclesiam cum suis clericis tendebant ob missarum officium, vel alias more solito, utilitates ecclesiasticas disponendas, nihil aliud tam ipsi quam clerici ipsorum nisi sacerdotalia indumenta ferebant, quod secuti usque nunc nos egimus. Sed amplius nequaquam agere oportet, si viros quos nec quærimus unquam, nec volumus mandare decreveritis. Et hoc ad ultimum pro certo notum facimus quoniam ad quamcunque Ecclesiam locumque alium nobis merito subjectum digressi fuerimus, ne de mortis nostræ periculo triumphatores existant, cum debueramus ob divinum cultum sive timorem orarium solummodo planetamque deferre, lanceam et scutum et gladium bajulare præcipiemus.

Cap. 74. — *Licere sacerdotibus contra impios promulgare mortem. Ex historia Anastasii bibliothecarii Romanæ ecclesiæ.*

Multo divino zelo motus Michael piissimus imperator contra Manichæos qui Pauliciani dicuntur, A capitalem animadversionem Racephori sanctissimi patriarchæ ac aliorum Patrum prædicamentis promulgans, aversus est per alios nequam consiliarios, obtentu pœnitentiæ, cum esset impossibile illos pœnitentiam agere qui capti fuissent errore. Dogmatizabant autem indocte non licere sacerdotibus promulgare contra impios mortem, per omnia divinis super hoc adversantes Scripturis. Si enim vester apostolorum Ananiam et Sapphiram ob mendacia tantum mortificavit (*Act.* v), et Paulus magnus clamat : *Qui talia*, inquiens, *agunt digni sunt morte* (*Rom.* i), hoc de solo mortali peccato, quomodo non horum contrarii erunt, qui omni spirituali et corporali spurcitia plenos quique dæmonibus serviunt a gladio redemerint?

B

Cap. 75. — *Quod non sint culpandi judices, sed laudandi, qui hæreticos et schismaticos persequuntur, et bona eorum diripiunt. Ex lib. Dialogorum August. contra Petilianum lib.* ii, *cap.* 10.

Petilianus dixit : Si apostoli persecuti sunt aliquem, aut aliquem tradidit Christus. August. respondit : Possem quidem dicere ipsum Satanam omnibus malis hominibus esse pejorem, cui tamen tradidit Apostolus hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini Jesu (*I Cor.* v). Item alios de quibus dicit · Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare (*I Tim.* i). Et Dominus flagellatos expulit ex templo improbos mercatores (*Joan.* ii), ubi etiam connexum est testimonium C Scripturæ dicentis : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* lxviii). Ecce invenimus apostolum traditorem, Christum persecutorem. Quare per violentissimas turbas, etiam ultro improbi estis Ecclesiis catholicis, ubi advertere potueritis, quod innumerabilibus exemplis res ipsa indicat? Sed dicitis vos loca vestra defendere, et resistitis fustibus et cædibus quibuscunque potueritis. Quare ibi non audistis vocem Domini dicentis : *Ego tamen dico vobis. Non resistere malo?* (*Matth.* v.) Aut si fieri potest, ut aliquando recte per vim corporalem resistatur violentis, nec ideo præceptum violetur, quod audimus a Domino : *Ego autem dico vobis non resistere malo*, cur non etiam hoc fieri potest, ut per ordinatas et legitimas potestates, de sedibus quæ illicite usurD pantur, vel ad injuriam Dei retinentur, pius expellat impium, et justus injustum? Neque enim eo modo persecutionem passi sunt pseudoprophetæ ab Elia (*III Reg.* xviii), quomodo ipse Elias a rege iniquissimo, aut quia flagellatus est Dominus a persecutoribus, propterea passionibus ejus comparandi sunt, quos ipse de templo flagellatos ejecit. Restat ergo, ut nihil aliud requirendum esse fateamini, nisi utrum juste an impie vos separaveritis a communione orbis terrarum. Nam si hoc inventum fuerit quod impie feceritis, non miremini, si non desunt ministri Deo per quos flagellamini, quia persecutionem patimini non a nobis, sed sicut scriptum est, ab ipsis factis vestris (*Sap.* ii). *Item.* (*eod. l. c.* 43, *q.* 7, *c. Si de rebus.*) Si de rebus vel de locis eccle-

Introdusă în format electronic de Google

siasticis quos tenebatis et non tenetis, querimini, possunt et Judæi se justos dicere, et iniquitatem nobis objicere, quia locum in quo impii regnaverunt modo Christiani possident. Quid ergo indignum, si ea quæ tenebant hæretici secundum parem Domini voluntatem Catholici tenent? Ad omnes enim similes, id est ad omnes impios et iniquos illa vox Domini valet : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti justitiam* (*Matth.* XXI). An frustra scriptum est : Labores impiorum justi edent? (*Psal.* CIV.) Quapropter magis mirari debetis quod adhuc tenetis aliquid quam quod aliquid amisistis. *Item* (*cap.* 59). Si qua jam concisi possidere cœpistis, quia vobis ablata nobis Dominus dedit, non ideo concupiscimus aliena, quia illius imperio cujus sunt omnia, facta sunt nostra, et juste nostra sunt. Vos enim his utebamini ad præcisionem, nos ad unitatem. Alioquin et primo populo Dei possent illi objicere alienæ rei concupiscentiam, qui divina potestate ab eorum facie, quia ea terra male utebantur, expulsi sunt. Et ipsi Judæi a quibus ablatum est regnum, secundum verba Domini, et datum est genti facienti justitiam (*Matth.* XXI), possunt objicere alienæ rei concupiscentiam, quia Ecclesia Christi possidet, ubi persecutores Christi regnabant. *Item* (*cap.* 79). (25, *q.* 4, *c. Qui pecc.*) Qui peccat non peccat legis auctoritate, sed contra legis auctoritatem. Quia vero interrogas quæ sit ratio persequendi, vicissim te interrogo cujus sit vox in psalmo dicentis : *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar* (*Psal.* C). Quære itaque persecutionis vel causam, vel modum, et noli tanta imperitia generaliter malorum persecutiones reprehendere. *Item* (*ad calcem*, *c.* 80). Quod autem etiam Christus corporaliter persecutus fuerit eos quos de templo flagellando expulit (*Joan.* II), jam supra diximus. *Item* (*cap.* 82). Nec persequimur vos, nisi quemadmodum persequitur veritas falsitatem. *Item* (*cap.* 83). (23, *q.* 5, *c. Ad fidem.*) Ad fidem nullus est cogendus, sed per severitatem, imo et per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen male vivendi ultrix disciplina præpostera est, nisi cum præcedens bene vivendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur adversus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed male facere prohibemini. Nam benefacere nemo potest nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate. (*Cap.* 84.) Cum aliquid adversus vos reges constituunt, admoneri vos credite, ut cogitetis quare ista vos patiamini. Si propter justitiam, re vera illi persecutores vestri sunt, vos autem beati qui persecutionem passi propter justitiam, possidebitis regnum cœlorum (*Matth.* V). Si autem propter iniquitatem schismatis vestri, illi quidem correctores vestri sunt, vos autem sicut cæteri diversorum scelerum rei qui pœnas legibus pendunt, profecto infelices et in hoc sæculo et in futuro. *Item* (*cap.* 88). (23, *q.* 3, *c. Pro membris.*) Pro membris Christi adversus vos sæviunt, et vobis resistunt quicunque in catholica eo animo sunt [*Apud Aug. inseritur :* parvæ adhuc fidei], quo tunc Petrus fuit, cum ferrum pro Christi nomine strinxit (*Matth.* XXVI). Sed multum interest inter vestram persecutionem et istorum. Vos similes estis servo sacerdotis, quia servientes principibus vestris adversus Ecclesiam catholicam, id est adversus Christi corpus armamini. Isti autem tales sunt, qualis tunc Petrus fuit, qui pro Christi corpore, id est pro Ecclesia etiam corporaliter pugnant. *Item* (*ibidem*, *cap.* 92, *sub finem*). Si propterea persecutor non fuit Nabuchodonosor, quia scelus in sanctum Danielem commissum justissime vindicavit (*Dan.* VI), quomodo vindicandum est a regibus quod Christi sacramenta exsufflantur, si prophetæ membra quia in periculum missa sunt, sic vindicari meruerunt? *Item* (*ibidem*, *cap.* 104). Neque in homine bono aliquis Dei sacramenta fugiat, neque in homine malo. *Item* (*lib.* III *Contra litteras Petilia.*, *c.* 10). Si laudanti amico non est credendum, neque inimico detrahenti. *Item* (*ibid.*, *c.* 36). Apud nos quicunque mali vel penitus latent, vel quibusdam noti propter bonos quibus ignoti sunt, et apud quos convinci non possunt, propter unitatis et pacis vinculum tolerantur (*Ephes.* IV), ne cum zizaniis eradicetur et triticum (*Matth.* III), ita suæ malitiæ sarcinam portant (*Gal.* VI). (*Augst.*, *c.* 8, *lib. De unico bapt. contra* Petilianum.) Neminem recte judicari puto innocentem, qui hominem non convictum crediderit nocentem. *Item* (*cap.* 59). Illud quis ferat quod sacrilega dicit sacramenta Christi, etiam si vere, sicut calumniatur, a traditoribus haberentur quæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ritu evangelico celebrantur? Hic fortasse dicat jam non esse Christi sacramentum quod a sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod a sacrilegis dicitur? *Item* (*ibidem*, *cap.* 13). O quam detestandus [est error hominum : *addit. apud Aug.*] qui clarorum virorum quædam non recte facta laudabiliter se imitari putant, a quorum virtutibus alieni sunt. Sic enim et nonnulli Petro apostolo comparare se possunt, si Christum negaverint (*Matth.* XXVI). *Item* (*ibidem*, *cap.* 16). Si est illa humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines quos criminantur inimici, neque horum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius quam innocentes crediderimus. Quia si forte se aliter Veritas habet, ipsi certe humanitati debitum redditur, cum homo de homine nil mali temere suspicatur, nec cuiquam criminanti facile credit, quando sine teste ac sine ullo documento crimen objiciens maledicus potius conviciator quam veridicus accusator exstiterit. *Item* (*lib. De unitate Ecclesiæ contra epist. Petilian.*, *cap.* 2). Si factum est quod accusant, quid peccaverunt ecclesiastici judices, qui crimina etiam si vera et ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? *Item* (*ibidem*, *cap.* 17).

Introdusă în format electronic de Google

Si autem vos contra Ecclesiam Christi altaria erexisse, et a Christiana unitate (quæ toto orbe diffunditur) sacrilego schismate separatos esse, et corpori Christi (quod est ecclesia toto orbe diffusa) et rebaptizando et blasphemando, et quantum potestis oppugnando, adversari sancta et canonica Scriptura convincit, vos impii atque sacrilegi, illi autem qui vos pro tanto scelere tam leviter damnorum admonitionibus vel locorum vel honorum vel pecuniæ privatione, deterrendos coercendosque decernunt, ut cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitum fugiatis, et ab æterna damnatione liberemini, et rectores diligentissimi et consultores piissimi deputantur. *Item* (*ibidem aliquanto superius*). De persecutione vestra querela sedabitur, si cogitetis et intelligatis prius non omnem persecutionem esse culpabilem. Alioquin non laudabiliter diceretur: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar* (*Psal.* c). Nam quotidie videmus et filium de patre, tanquam de persecutore suo conqueri, et conjugem de marito, et servum de domino, et colonum de possessore, et reum de judice, et militem vel provincialem de duce vel rege, cum illi plerumque ordinatissima potestate sibi homines subditos per terrores levium pœnarum a gravioribus malis prohibeant atque compescant, plerumque autem a bona vita et a bonis factis, minando et sæviendo deterreant. Sed cum a malo et illicito prohibent, correctores et consultores sunt; cum autem a bono et licito, persecutores et oppressores sunt. Culpantur etiam qui prohibent a malo, si modum peccati modus correctionis excedat.

Cap. 76. — *Quod charitas est corrigere proximum. Augustinus tom. IX super Epistolam Joannis, tractatu 7.*

(23, *q.* 5, *c. Non putes.*) Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis, aut tunc amare filium tuum quando non das disciplinam, aut tunc amare vicinum tuum quando non corrigis eum. Non est ista charitas, sed languor; ferveat charitas ad emendandum, ad corrigendum; sed si sunt boni mores, delectent; si sunt mali emendentur.

Cap. 77. — *De eodem. August. De civitate Dei, lib.* XIX, *cap.* 16.

Non est innocentiæ, parcendo sinere ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui prius oditur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.

Cap. 78. — *Quod nulli liceat gladio juste occidere excepto judice. August. in lib. Quæst. Novi et Veteris Testamenti, cap.* 104.

Videns Petrus apostolus insurgentes hostes, protulit gladium et amputavit auriculam servi sacerdotis. Tunc Jesus dixit Petro ut reconderet gladium in thecam suam: *Omnis* enim, inquit, *qui acceperit gladium, gladio peribit* (*Matth.* XVI). Ut quid parari jussit, qui prohibuit percutere, eum etiam morti designans [reum etiam mortis designans eum] qui percusserit gladio, cum non utique injuste videatur apostolus percussisse? Quantum enim pertinet ad rem [Petrum], percussit eum quem contra se armatum videbat. Resistere enim debuit ingratis servis, et ad Dominum necandum armatis *Item* (*aliquanto post*). Quare contuens Dominus factum apostoli Petri, cum qui gladio usus fuerit gladio dixit perire, cum non injuste percussisse videatur Nam sicut significatur in Luca, ipso Domino permittente percussit (*Luc.* XXII), et sic prohibitus hæc audivit. Ideo etenim permissum est ut et vindicare se posse videretur, sed nolle; et virtus ostenderetur in eo manere in quo fuerat, et in utroque vindicare se posse non ambigeretur. Inimici vero pro certo haberent datám ab eo potestatem ut hæc facerent, non enim victus apparebat, sed tradens se voluntati eorum. Quare ergo sententia data est ut qui accipit gladium, gladio percat (*Matth.* XXV), nisi quia nulli licet, excepto judice, gladio quemquam occidere? Apostolo autem Petro usque ad hoc permissum est, quod dolorem faceret, non quod occideret. Hoc enim audiens, ne iterum percuteret didicit. Præterea [*Aug. vulgo nunc sic habet*: Ob hoc enim audiebat, ne iterum percuteret. Didicit præterea, etc.] quia Christianis jam factis occidere non licet; in misericordia enim positis, lege juris mundo crediti uti non licet aspere.

Cap. 79. — *Quod non est misericors, qui vitiis parcit et fovet ea. Aug. ad Lætarium* [Lectarium, *Gratian. legit* Lotharium].

(23, *q.* 5, *c. Qui vitiis.*) Qui vitiis nutriendis parcit et favet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, et non timet ne vulneratum doleat vel exstinctum.

Cap. 80. — *Quod non liceat Christiano se defendere. Aug. ad Emeritum Donatistam* (*epist.* 164).

Nostri adversus illicitas et privatas vestrorum violentias (quas et vos ibi qui talia non facitis, doletis et gemitis) a potestatibus ordinatis tuitionem petunt, non quod hos persequantur, sed quia se defendant

Cap. 81. — *Qualiter beatus Ambrosius quemdam defendit, ne de ecclesia raperetur. Ex Vita beati Ambrosii* (*auctore Paulino*).

Cum consulatus sui tempore imperator Honorius in urbe Mediolanensi Lybicarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia est missis militibus ab Stilicone comite hortatu Eusebii præfecti, ut Cresconius quidam de ecclesia raperetur, quem confugientem ad altare Domini sanctus episcopus cum clericis qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quæ duces suos habebat de perfidia Arianorum, prævaluit adversum paucos, atque ablato Cresconio exsultantes ad amphitheatrum reversi sunt, Ecclesiæ luctum non modicum derelinquentes.

Cap. 82. — *Qualiter se Adrianus papa adversus De*

Introdusă în format electronic de Google

siderium regem ad resistendum munivit. Ex gestis Adriani papæ.

Adrianus Desiderii regis adventum appropinquasse cognoscens, aggregans universum populum Tusciæ, Campaniæ, et ducatus Perusini, et aliquantos de civitatibus Pentapolcos, munivit hanc civitatem Romanam, omnesque armati parati erant vel si ipse rex adveniret, fortiter ei cum Dei auxilio et sancti Petri, orationibus fulti prædicti sanctissimi præsulis, illi resisterent. Nam ecclesias beati Petri et Pauli exornare fecit ejus sanctitas, et cuncta eorum thymilia [cymbala] et ornatus in hanc civitatem Romanam introduxit, claudi faciens omnes januas ecclesiæ beati Petri, et de intus seris supponi ac muniri jussit, ut si ipse protervus rex sine commeatu et permissu pontificis advenisset, minime aditum in eamdem ecclesiam introeundi haberet, nisi brachio ad suæ animæ interitum ipsas confringeret januas.

CAP. 83. — *De defensione Leonis papæ contra Sarracenos. Ex registro Leonis IV. Ludovico (Lothario) Augusto.*

Igitur cum sæpe adversa a Sarracenorum partibus perveniant nuntia, quidam in Romanum portum clam furtiveque venturos esse dicebant, pro quo nostrum congregari præcipimus populum, maritimumque ad littus descendere decrevimus, et egressi sumus Roma.

CAP. 84. — *De eodem. Leo IV, Ludovico imperatori.*

Scire vos oportet quod nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi, sed si necessitas illis incurrerit, præsentialiter vindicamus, quia nostri gregis in omnibus ultores esse debemus, et præcipui adjutores.

CAP. 85. — *Item de eodem. Idem Joanni archiepiscopo.*

Pro certo scitote quod nunquam permittimus nostros a vobis lacerari aut opprimi homines atque subjectos, sed si (quod non speramus) hujus nostræ monitionis dicta neglexeritis, et amplius aliquas oppressiones præfatis vel aliis nostris hominibus feceritis, præsentialiter eos vindicabimus, et omnia vestra eripere curabimus, furibunda crudelique audacia.

CAP. 86. — *Qualiter auxilium a judice Sardiniæ petiit. Idem judici Sardiniæ.*

Celsitudinem vestram duximus obsecrandam, ut nobis quantos tua præviderit magnificentia, armatos sive pueros, sive adultos, ac juvenes cum armis suis mandare dignemini, qui nobis quotidiana jussa possint explere.

CAP. 87. — *Quod regnum cælorum consequantur qui pro defensione Christianorum occisi fuerint. Idem exercitui Francorum.*

Omni timore ac terrore deposito contra inimicos sanctæ fidei et adversarios omnium regionum viriliter agere studete. *Item.* Ubi usque nunc parentes vestri publicum moverunt procinctum, semper victores exstiterunt, nullaque eos multitudo populi superare potuit. Non enim audivimus ut aliquando sine fama victoriæ reversi fuissent. *Item.* Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minime negabuntur. Novit enim omnipotens, si quislibet vestrorum morietur, quod pro veritate fidei et salutatione patriæ ac defensione Christianorum mortuus est, ideo ab eo prætitulatum præmium consequetur.

CAP. 88. — *De damnatione Georgii cujusdam, Adriani, et Petri. Idem Lothario Augusto.*

De illis tribus jam publice condemnatis et reprobis viris Georgio, Adriano, et Petro, ut vestra nobis mandavit sublimitas quod adhuc ad aliud confiteri judicium debebant, omnino mirati sumus, quibus jam missis vestris præsentibus juxta legem Romanam sententia præfixa ac promulgata est. Et nisi tunc Paschalis adesset festivitas, qua mortis prohibente lege sententiam dare licitum non est, vivere eos illorum malitia atque iniqua præsumptio non sineret. Pro hac itaque ratione, solummodo usque ad tempus suspensa est sententia utrorumque.

CAP. 89. — *De excommunicatione Thasmonis ducis Bavariorum. Idem ex chronica Francorum.*

Adrianus papa in die sancto Paschæ, præsente Carolo imperatore, anathematizavit Thasmonem ducem Bavariorum, nisi in omnibus obediret eidem imperatori et filiis ejus, ac genti Francorum, sicut juraverat patri suo Pippino, et sibi. Quod si nollet, et sanguinis effusio fieret, vel aliud aliquid mali, hoc super eumdem ducem et ejus consentaneos esset, et præfatus rex et sui ab ea culpa immunes essent.

CAP. 90. — *Exhortatio Gregorii papæ ad defensionem Rom. pont. Greg. Veloci magistro militum (lib. XII. regist. epist. c. 21).*

Utile visum est, ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere et hortari studeat, ut parati sint ad laborem. *Item.* Si huc, vel ad Ravennates partes, nec dicendum Arnulfum cognoveritis excurrere, vos a dorso ejus ita (sicut viros fortes condecet) laborate, quatenus opinio vestra ex laboris vestri charitate [qualitate] amplius in Romano populo [Reipublicæ *orig.*] (domino auxiliante) proficiat.

CAP. 91. — *Quod Carolus rex adversus Longobardos rogatus Adriani papæ bellum suscepit. Ex gestis Caroli Magni, juxta Alcuinum.*

(23, *q.* 8. *c. Hortatu.*) Rogatu et precibus Adriani Romanæ urbis episcopi, exoratus Carolus rex, bellum contra Longobardos suscepit, quod prius quidem, et a papa Stephano ejus patre supplicante [et a patre ejus Pippino papa supplicante, etc. *Grat.*] cum magna difficultate susceptum est.

CAP. 92. — *Retractatio sententiæ illius Augustini, qua dixerat non placere sibi schismaticos cogi ad communionem. August. Retractationum lib. II, c. 5.*

Dixi, mihi non placere ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter

Introdusă în format electronic de Google

arctari et vere mihi tunc non placebat, quoniam nondum expertus eram vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.

Cap. 93. — *Quod quadragesimali et omni tempore a præliis sit abstinendum, nisi necessitas cogat. Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum (cap. 46).*

Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali, sed omni tempore est a præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua quam patriæ, seu legum paternarum bellorum procul dubio præparationi parcendum, ne videlicet Deum videatur homo tentare. si habet quod faciat, et suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet.

Cap. 94. — *Quod ministri judicum de administratione sua non damnentur. Innocentius papa Eusebio episcopo, cap. 3.*

Quæsitum est etiam super his qui pro baptismo administraverunt, et aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. Nihil de his legibus a majoribus definitum; meminerant enim a Domino potestates has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministrum esse datum in hujusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum quod auctore Domino viderent esse concessum? De his ergo, ut hactenus servatum est, sic habeamus ne aut disciplinam avertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda omnia gesta sua servabuntur. *Item.* Dum legum auctoritas in improbos exercetur, erit dictator immunis.

Cap. 95. — *Quod qui malum punit, non persequitur, sed diligit. Pelagius Patricio Valeriano.*

Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste. sed diligit. Nam si, ut quidam putant, nemo aut reprimendus a malo, aut retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ et malis pœnam et bonis præmia justitia suadente constituunt; malum autem schisma est etiam per exteras potestates opprimendum.

Cap. 96. — *Quod rex mala punire debeat. Cyprianus in nono genere abusionis. (Exstat hic liber hodie August. tit. tom. IX.)*

(23, *q.* 5, *c. Rex.*) Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas et perjurantes non sinere vivere, filios suos non sinere impie agere.

Cap. 97. — *Bellum quod tuetur patriam plenum justitiæ esse. Ambros. Offic lib.* 1, *cap.* 27.

(23, *q.* 3, *c. Fortitudo.*) Fortitudo quæ vel in bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitiæ est.

Cap. 98. — *Quod non sit reus homicidii miles, qui obediens potestati hominem occidit. August. De civitate Dei lib.* 1, *cap.* 26.

(23, *q.* 5, *c. Miles.*) Miles cum obediens potestati sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii. Imo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur si fecit injussus, inde punietur nisi fecerit jussus.

Cap. 99. — *Quod reges Christiani defendere debent matrem Ecclesiam. August. super Joan. parte* 1, *cap.* 2 (*trac.* 2 *ad c.* III *Joan.*).

(23, *q.* 4, *c. Quando.*) Quando vult Deus potestates concitare adversus hæreticos, adversus schismaticos, adversus dissipatores ecclesiæ, adversus exsufflatores Christi, adversus blasphematores baptismi, non mirentur, quia Deus concitat ut a Sara verberetur Agar (*Gen.* XVI.) Cognoscat se Agar, ponat cervicem, quia cum humiliata discederet a domina sua, occurrit ei angelus, et dixit ei : *Quid est Agar ancilla Saræ.* Cum vero questa esset de domina, quid audivit ab angelo? *Revertere ad dominam tuam (ibid.) Item.* Mirantur autem quia commoventur pastores fidei Christianæ [potestates Christianæ, *orig.*] adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Nisi ergo moverentur, quomodo redderent rationem Deo pro imperio suo? Intendat charitas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam.

Cap. 100. — *Quod plus peccat qui potestati innocentem ex invidia occidendum tradit quam ille qui alterius potestatis timore eum occidit. August. super Joan. parte* II, *cap.* 42. (*tract.* 116 *ad c.* XIX *Joan.*)

Plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit quam potestas ipsa, si cum timore alterius majoris potestatis occidit. Talem quippe Deus Pilato dederat potestatem ut esset etiam sub Cæsaris potestate. Quapropter *non haberes*, inquit, *adversum me potestatem ullam*, id est quantulamcunque habes, *nisi* hoc ipsum *tibi esset datum desuper.* Sed quoniam scio quantum sit (non enim tantum est ut tibi omnimodo liberum sit) *propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (*Joan.* XIX.) Ille quippe non metuendo potestati tradidit, sed invidendo; tu vero eamdem potestatem in me exerciturus es metuendo. Nec timendo quidem præsertim innocentem homo hominem debet occidere, sed tamen id zelando facere, multo magis malum est quam timendo. Et ideo non ait verax Magister : Qui me tibi tradidit ipse habet peccatum, tanquam ille non haberet, sed ait *majus peccatum habet*, ut etiam se habere intelligeret. Neque enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.

Cap. 101. — *Quod potest homo aliquando occidi sine peccato. Augustinus De libero arbitrio lib.* 1, *cap.* 4.

(23, *q.* 5. *c. Si homicidium.*) Si homicidium est hominem occidere, potest occidere aliquando sine

Introdusă în format electronic de Google

peccato. Nam et miles hostem, et judex vel minister ejus nocentem, vel cui forte invito atque imprudenti telum manu figit, non mihi videntur peccare cum hominem occidunt. Respondet Evodius : Assentior; sed homicidæ isti appellari non solent. *Item, ibid. cap.* 5 Militi jubetur lege ut hostem necet, a qua cæde si temperaverit, ab imperatore pœnas luit. Num istas leges injustas, vel potius nullas dicere audebimus? Nam mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. *Augustinus, paulo post.* Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationes, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committat [committerentur,] licentiam dat, multo mitius [minus] enim est eum qui alienæ vitæ insidiatur quam eum qui suam tuetur, occidi ; et multo immanius vitium hominem stuprum perpeti quam eum a quo illa vis infertur ab eo cui ferre conatur, interimi. Jam vero miles in hoste interficiendo minister est legis, quare officium suum facile nulla libidine implevit. Porro ipsa lex quæ tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest. Siquidem ille qui tulit, si Dei jussu tulit, id est quod præcipit æterna justitia, expers omnino libidinis id agere potuit. Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, quia bona lex et a non bono ferri [fieri] potest. Non enim si quis, verbi causa, tyrannicam potestatem nactus, ab aliquo cui hoc conducit, pretium accipiat, ut statuat nulli licere ve ad conjugium feminam rapere, propterea mala lex erit, quia injustus atque corruptus hanc tulit. Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa, vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari. Et de omnibus ministris qui jure atque ordine potestatibus quibuscunque subjecti sunt, id dici potest. Sed illi homines lege inculpata, quomodo inculpati queant esse non video. Liberum eis itaque est, neminem necare pro his rebus quas inviti possunt amittere, et ob hoc amare non debent. De vita enim fortasse cuipiam sit dubium utrum animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur. Sed si auferri potest contemnenda est, si non potest, nihil metuendum. De pudicitia vero quis dubitaverit quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? unde a violento stupratore, nec ipsa eripi potest. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in nostra potestate non est, quare quemadmodum nostrum appellandum sit non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt non invenio. Respondet Evodius : Multo minus ego invenire possum, cur hominibus defensionem quæras, quos reos nulla lex tenet.

Cap. 102. — *Quod judex cum vindicat, non reddat malum pro malo. Augustinus super psal.* CVIII (ad vers. *pro eo ut et posuerunt adv.*).

Ulciscendi libido vitiosa est, magisque ad judicem pertinet inter alios hoc discernere, quam bonum hominem sibi expetere. Paucorum est dignoscere, quomodo placeat pœna inimicorum accusatori inimicitia sese saturare cupienti, et quam longe alio modo judici [placeat *orig.*] recta voluntate peccata punienti. Ille quippe reddit malum pro malo, iste autem etiam cum vindicat non reddit malum pro malo, quoniam justum reddit injusto. Quod autem justum est, utique bonum est. Punit ergo non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo, sed dilectione justitiæ, quod est bonum pro malo.

Cap. 103. — *Quo minister occidens quem judex jusserit, non id sponte facere debet. August. lib. Quæstionum in Exodum* (*Quæst.* 39 *ad c.* XI *Exod.*).

(23, *q.* 5, *c. Cum minister.*) Cum minister judicis occidit eum quem judex jussit occidi, profecto si id sponte faciat homicida est, etiam si eum occidat quem scit a judice occidi debuisse.

Cap. 104. — *Quod lex occidit hominem, non minister. Augustinus lib. Quæstionum in Leviticum* (*Quæst.* 68 *ad c.* XIX *Levitic.*).

Cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu.

Cap. 105. — *Quod etiam bella apud veros cultores Dei pro pace suscepta pacata sunt. August. De diversis ecclesiæ observationibus, cap.* 15.

(32, *q.* 1, *c. Apud veros Dei.*) Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, et boni subleventur.

Cap. 106. — *De vindictis. Aug. lib. Quæstionum evangeliorum* (*lib.* I. *Q. Evang*, *q.* 10).

(23, *q.* 5, *c. Officia.*) Officia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo lex, quomodo judex.

Cap. 107. — *Quod Christiana disciplina non omnis bella culpat. Augustinus ad Marcellinum* (*epist.* 5).

Si terrena ista respublica præcepta Christiana custodiat, et ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiæque pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur, quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. *Item. Ibid. paulo post.* Misericorditer enim si fieri posset, etiam bella gererentur a bonis, ut, licentiosis cupiditatibus domitis, hæc vitia perderentur, quæ justo imperio vel exstirpari vel premi (depriini *orig.*) debuerunt. Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis : Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum (*Luc.* III). Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. *Aug. ad Macedonium* (*epist.* 54). [23, *q.* 5, *c. Non est iniquitatis.*] Non est iniquitatis, sed potius humanitatis societate devictus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 108. — *Quod non frustra instituta est potestas regis. Item (circa medium).*

(23, *q.* 5, *c. Non frustra.*) Non frustra instituta sunt potestas regis, jus cognitoris (gladii *inseritur in orig.*), ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates; hæc cum timentur, et coercentur mali, et quieti (quietius, *orig.*) inter malos vivunt boni. *Item. Aliquanto post.* Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuste aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut a latrone; an ulciscendi vel obediendi ordine, sicut a judice, sicut a carnifice; an evadendi vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro a viatore, hostis a milite. Et aliquando qui causa mortis fuit potius in culpa est quam ille qui occidit, vel ut si quispiam decipiat fideijussorem suum, atque ille pro isto supplicium legitimum luat; nec tamen omnis qui causa alienæ mortis est, reus est, velut si quisquam (quid si enim quisque, *orig.*) stuprum petat, seseque, si non impetraverit, interimat. Quid, si filius timens patris pia verbera, præcipitio pereat? quid, si alius homine liberato, vel ne alius liberetur, sibi ipse mortem inferat? num propter istas alienorum motuum (alienarum mortium, *orig.*) causas, aut sceleri consentiendum est, aut vindicta peccati quæ fit non nocendi sed corrigendi studio, etiam paterna tollenda, aut opera misericordiæ cohibenda sunt? Hæc cum accidunt, debemus eis humanum dolorem, non propterea, ut ne accidant, recte factorum reprimimus (reprimere) voluntatem.

CAP. 109. — *Quod in pugna Deus orandus est. Augustinus ad Bonifacium (epist. 194).*

Gravi de pugna conquereris, ut dubites nolo, utile tibi tuisque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris, quia quando pugnatur, Deus apertis cœlis (oculis, *orig.*) spectat, et partem quam inspicit justam sibi dat palmam.

CAP. 110. — *Quod, Deo vel aliquo legitimo imperio jubente, recte bella suscipiuntur. Item Augustinus (Aug. lib.* XXII, *contra Faustum, c.* 70).

(23, *q.* 4, *c. Ille gladium.*) Qui gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille autem utitur gladio qui nulla superiore ac legitima potestate vel jubente vel concedente, in sanguinem alicujus armatur. *Item, ibid., c.* 74. Sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos tale aliquid vel jubere, vel in talibus obedire juste ordo ipse constringit. Alioquin Joannes cum ad eum baptizandi milites venirent dicentes : *Et nos quid faciemus?* (*Luc.* III) responderet eis, Arma abjicite, istam militiam deserite, neminem percutite, prosternite neminem. Sed quia sciebat eos cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, et non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis : Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum (*ibid.*). *Item. Ibidem paulo post.* Dominum Jesum Christum audiant Manichæi hoc stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Joannes dicit debere sufficere militi : *Reddite,* inquit, *Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII). Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessarium militi stipendium præbeatur. *Item, ibid. c.* 75. (23, *q.* 1, *c. Qui culpatur.*) Interest quibus causis, quibusque auctoritatibus homines bella gerenda suscipiant; ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principem sit, exsequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi. Bellum autem quod gerendum Deo auctore suscipitur, recte suscipi, dubitare fas non est. *Item, ibidem post pauca.* Cum vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans; cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi, quanto magis in administratione bellorum innocentissime diversatur, qui Deo jubente belligerat, quem male aliquid jubere non posse, nemo qui ei servit ignorat.

CAP. 111. — *De ministris Dei. Hieronymus super Joel (ad cap.* II).

(23, *q.* 5. *c. Non solum.*) Non solum homines ministri sunt et ultores iræ Dei, his qui malum operantur, et non (unde non) sine causa portant gladium, sed et contrariæ fortitudines quæ appellantur furor et ira Dei.

CAP. 112. — *Quod non est crudelis qui crudeles jugulat. Hieronymus super Isaiam lib.* V (*ad c.* XIII *paulo post principium*).

(23, *q.* 5, *c. Non est crudelis.*) Non est crudelis qui crudeles jugulat, sed quia crudelis patientibus esse videatur. Nam latro suspensus patibulo crudelem judicem putat.

CAP. 113. — *Quod bene facit qui latronis vel piratæ fortitudinem infirmat. Idem super Sophoniam (ad c.* I).

(23. *q.* 5, *c. Si quis.*) Si quis fortitudinem latronis et piratæ diripiat infirmosque reddat, prodest illis sua infirmitas. Debilitata enim membra, quibus prius non bene abutebantur, a malo opere cessabunt.

CAP. 114. — *Quod minister Dei est, qui malos in eo quod mali sunt punit. Idem super Ezechielem lib.* III.

(*Ad c.* IX ; *in principio.*) Qui malos percutit in eo quod mali sunt, et habet vasa interfectionis ut occidat pessimos, minister est domini.

CAP. 115. — *Quod judex puniens non est effusor sanguinis, sed minister legis* (23. *q.* 5, *c. Qui malos*). *Idem super Epistolam ad Galatas lib.* II (*in c.* III *ad Gal., circa fin.*).

(23, *q.* 5, *c. Judex.*) Judex non est auctor sceleris, nequam homines vinciendo. *Idem super Hieremiam (ad c.* XXII, *init.*). (23, *q.* 5 *c. Homicidas.*) Homicidas

Introdusă în format electronic de Google

enim et sacrilegos, et venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

Cap. 116. — *Unde judex dicatur. Isidorus Etymologiarum lib.* XVIII, *cap.* 1.

Justum bellum est quod ex edicto geritur de rebus repetendis (repetitis. *orig.*), aut propulsandorum hostium causa. (*Cap.* 15.) Judex dictus est quia jus dictat populo, sive quod jure disceptet. Jure autem disceptare, est juste judicare. Non est enim judex si non in eo justitia est.

Cap. 117. — *Quod non sine causa gladium portat rex. Stephanus Luitwario episcopo.*

Non autem sine causa gladium portat rex, vindex est enim contra omnes iniquos (*Rom.* XIII), ut terrore comprimat quos nequit corrigere monitis salubribus, Aggrediatur igitur secure quæ sunt Deo placita, in nullo ei beatus Petrus aberit cum suo ancipiti gladio, si tamen patriæ saluti consulat.

Cap. 118. — *Quod quisque tutelam corporis sui juste faciat. Pandectarum, lib.* I, *tit.* III.

Vim atque injuriam propulsemus; nam jure hoc venit, ut quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse æstimetur.

Cap. 119. — *De justo bello Israelitarum contra Amorrhæos. Augustinus lib. Quæst. in Num., cap.* 44.

(*Lib. Quæst. super Num., ad c.* XXI.) Notandum est sane quemadmodum justa bella gerebantur a filiis Israel contra Amorrhæos : innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo petere debebat.

Cap. 120. — *De pellenda injuria. Ambros. De officiis lib.* I, *cap.* 36.

Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio quam ille qui facit.

Cap. 121. — *Quod rex aliter servit Deo ut homo, aliter ut rex. Augustinus ad Bonifacium comitem (epist.* 50).

(23, *q.* 4, *c. Si Ecclesia in fine.*) Quomodo reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra Domini jussa fiunt religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, servit vivendo fideliter; quia vero etiam rex est, servit, leges justa præcipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo.

Cap. 122. — *De pœnitentia eorum qui arma in prælio projiciunt. Concilium Arel.* I, *cap.* 3.

Qui arma projiciunt in prælio, placuit eos abstinere a communione.

Cap. 123. — *Quod milites Deo et ecclesiis servire debeant. Gregorius Theodoro medico* (*lib.* II *regist., epist.* 65, *seu c.* 103).

Valde mihi durum videtur, ut ab ejus servitio milites suos prohibeat imperator, qui et ei omnia tribuit, et dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Nunquid si intentio servandarum rerum est, non poterant ea ipsa monasteria quæ milites susceperant alienas res reddere, atque ad conversionem homines tantummodo habere?

Cap. 124. — *Ut milites antequam in monasterio recipiantur per triennium probentur. Gregorius lib.* VIII *Registri omnibus episcopis de lege Mauritii Augusti* (*Greg. epist.* 9 *lib.* VII, *ad episcopos Siciliæ*).

(*Dist.* 53, *c. Legem.*) Legem quam piissimus imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum veniant, vel in monasteriis convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere. Hoc maxime excitat [exhortans. *orig.*], quod hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in clero ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt, quia dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerant vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare. Quod si etiam tales quoque monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius actionibus publicis fuerint absoluti. Si qui vero ex militaribus numeris [viris, orig.], in monasteriis converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita subtiliter fuerit inquisita. Et juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, et tunc monachicum habitum Deo auctore suscipere.

Cap. 125. — *Quod non est delictum militare, nisi pro præda et hujuscemodi. August. De verb. Domini tract.* 19 (*in Matth. serm.* 19).

(23, *q.* 1, *c. Militare.*) Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est, sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda [prædo] grassetur. *Item, ibidem post pauca* Dominus ipse dixit: *Reddite quæ sunt Dei Deo, et quæ sunt Cesaris Cæsari* (*Matth.* XXII), igitur quod Cæsar præcipit ferendum est, quod imperator indicit tolerandum est. Sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. *Item ibidem aliquando post.* Interrogaverunt Joannem milites dicentes : *Quid faciemus et nos? Ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* III). Sic autem cognoscere se debet omnis homo qui militat; non enim tantum de his militantibus Scriptura loquitur qui armata militia detinentur, sed quisque militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur, atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus : Quicunque sibi stipendia publice decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator et concussor, Joannis sententia condemnatur. *August. ad Bonifacium comitem* (*epist. inter eas quæ recens inventæ ad calcem epist. accessere*). Milites sub armis militare non prohibuit Joannes, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit (*Lucæ* III).

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 126. — *Quod non est existimandum milites Deo non placere. Idem (ibidem paulo ante).*

Noli existimare neminem Deo placere posse qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus David (*I Reg.* XVI; *psal.* LXXXVIII), cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium; etiam in his plurimi illius temporis justi. In his erat et ille centurio qui Domino dixit : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Matth.* VIII).

CAP. 127. — *Quod milites non sint ad clerum suscipiendi, sed ad monachicum habitum. Ex vita beati Greg. lib.* II, *c.* 16 (*auctore Joanne diacono Rom. Ecclesiæ*).

Dum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica quam ex sæculari quoque militia diversis occasionibus quotidie pene innumerabilis multitudo conflueret : pastor ad omnia providus nequaquam eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo monachicum propositum suscipiendos esse censebat.

CAP. 128. — *Ut imperator nulli militum prohibeat, si converti voluerit. Ibidem lib.* III, *cap.* 50.

Porro Mauricio tunc avarissimo, simulque rapacissimo principi, suggestionibus inimicorum suorum funestissimam legem ferenti, ut nulli militum qui videlicet in manu signatus fuisset, converti liceret : inter cætera sic respondit : Ad hoc potestas super omnes homines pietati dominorum meorum cœlitus data est, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut cœlorum via largius pateat, ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia aut pro debilitate corporis repulsus, Christo militare non liceat. Ad hæc etiam [*al.* ecce *orig.*] per me servum ultimum suum et vestrum Christus respondet dicens : « Ego te de notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare imperatorem, non solum hoc, sed etiam patrem imperatorum feci. Sacerdotes tuæ manui commisi, et tu a meo servitio milites tuos subtrahis? » Responde, rogo [ergo], piissime domine, servo tuo, quid venienti et hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? Et post pauca : « Requirat ergo Dominus misericors [*al.* me, *orig.*] » quis prior imperatorum talem legem dederit, et subtilius æstimet si dari debuerit.

CAP. 129. — *Quod imperator milites converti prohibens Deo adversus sit. Idem Theodoro medico* (*Greg. lib.* II *regist., ep.* 64).

Peccatis, inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio, nescio, talem in republica sua legem protulit imperator, ut nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio vel manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio converti liceat, nisi forte militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum (sicut hi dicunt qui leges veteres noverunt) Julianus A protulit, de quo scimus omnes quantum Deo adversus fuit.

CAP. 130. — *De homicidiis voluntariis et modo pœnitentiæ eorum. Ex concilio Triburiensi, c.* 4 (*cap.* 55, *sed sententiis in plerisque transpositis*).

Si quis spontanea voluntate homicidium perpetraverit, iuxta decreta Melchiadis papæ, et Triburiensis concilii statuta, talem pœnitentiam accipere debet. In primis, ut licentiam non habeat ecclesiam intrandi illos proximos quadraginta dies, nudis pedibus incedat, et nullo vehiculo utatur. In laneis vestibus sit absque femoralibus, arma non ferat, et nihil sumat in his quadraginta diebus nisi tantum panem et salem, et puram aquam bibat, et nullam communionem cum cæteris Christianis neque B cum alio pœnitente habeat in cibo et potu, antequam quadraginta dies adimpleantur : et ex cibo quem sumit nullus alius manducet. Considerata vero personæ qualitate vel infirmitate, de pomis vel oleribus, seu leguminibus, prout visum fuerit, aliquid pro misericordia indulgeatur, maxime si quis coactus, et non sponte homicidium fecerit. Et ei omnimodis ex canonica auctoritate interdicatur, ut in his diebus cum nulla femina misceatur, nec ad propriam uxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat. Juxta Ecclesiam sit, ante cujus januas peccata sua defleat, diebus ac noctibus non de loco ad locum pergat, sed in uno loco his quadraginta diebus sit. Et si forte habuerit insidiatores vitæ suæ, interim differatur ei pœnitentia, donec ab episcopo C pax ei ab inimicis concedatur. Et si infirmitate detentus fuerit, ita ut non possit digne pœnitere, differatur pœnitentia donec sanitati restituatur. Si autem longa ægritudine detentus fuerit, ad sententiam episcopi pertinebit, quo modo reum et infirmum sanare disponat. Completis quadraginta diebus, aqua lotus, vestimenta et calceamenta accipiat, et capillum incidat.

CAP. 131. — *Quid in primo anno observare debeat. Ex eodem conc. c.* 5 (*cap.* 56).

(89) In primo anno post quadraginta dies, totum illum annum a vino, a medone, et mellita cervisia, a carne, et caseo et pinguibus piscibus abstineat, nisi festis diebus qui in illo episcopio a cuncto populo celebrantur. Et nisi forte in magno itinere, vel D in hoste, vel diu ad Dominicam curtem [curtim], vel infirmitate detentus sit, tunc liceat uno denario, vel pretio unius denarii, aut tres pauperes pascendo tertiam feriam, quintam feriam, et sabbatum redimere : ita duntaxat, ut una re de tribus utatur [ut vel carne, vel vino, vel medone, id est de tribus una re utatur, non omnibus vescatur]. Postquam domum venerit, aut sanitati fuerit restitutus, nullam licentiam habeat redimendi. Completo anni circulo in Ecclesiam introducatur, et pacis osculum ei concedatur.

CAP. 132. — *Quid in secundo et tertio anno observare*

(89) Locus obscurus.

Introdusă în format electronic de Google

debeat. Ex eodem cap. 6 (*ita codex conciliorum. cap.* 57).

In secundo et tertio anno similiter jejunet [pœniteat], nisi quod tertiam feriam, et quintam, et sabbatum potestatem habeat redimendi prætaxato pretio ubicunque est. Cætera diligenter omnia observet, ut in primo anno.

Cap. 133. — *Quid in reliquis quatuor annis observare debeat. Idem de eodem, cap.* 6 (*cap.* 58).

Quatuor anni deinde restant, per quos singulos jejunet tres quadragesimas. Unam ante Pascha cum cæteris Christianis, abstinendo de vino, medone, mellita cervisia, carne et sagimine, et ovis, et pinguibus piscibus. Alteram ante nativitatem sancti Joannis Baptistæ : si aliquid remanet de quadraginta diebus, post missam sancti Joannis impleat. Tertiam ante Natalem Domini jejunet, ut supradictum est. Et in quatuor supradictis annis tertia et quinta feria et Sabbato utatur quidquid vult. Et secundam et quartam feriam redimere potest pretio jam supradicto : sextam omnimodis observet in pane et aqua, et nequaquam redimat. His expletis, sacram communionem accipiat.

Cap. 134. — *De homicidiis et calumniis episcoporum et reliquorum ordinum. Ex concilio apud Theodonis villam, cap.* 1 (*sub Paschale I*).

In concilio apud Theodonis villam ubi interfuerunt triginta duo episcopi, Aistolfus, Maguntiensis archiepiscopus, cum suis suffraganeis; Hadabaldus archiep. [Coloniensis, *orig.*], cum suis suffraganeis; Ebbo, Remensis archiepiscopus, cum suis suffraganeis, cum nuntiis reliquorum episcoporum Galliæ et Germaniæ, ob nimiam præsumptionem quorumdam tyrannorum in sacerdotes Domini bacchantium, et propter factum quod in Vasconia noviter acciderat de episcopo Joanne inhoneste et inaudite mordridato, decretum est ut communi consensu et humili devotione supplicarent auribus principis, si suæ pietati complaceret, ut calumnia in Christi sacerdotes peracta, juxta synodica determinaretur pleniter statuta. Hoc idem episcoporum judicio placeret, si ex toto secundum potestatem ipsorum posset definiri, id est, ut canonica ferirentur sententia, hi videlicet qui timorem Domini post ponentes in ministros suos grassari præsumerent. Quod si vero pietati illius complaceret, juxta capitula regum præcedentium, ubi eorum provisio misericorditer in offensis pecuniæ quantitatem interposuit, pro consolatione [levigatione pœnitentiæ placuit] sanctæ Ecclesiæ, ut præfatæ res per pecuniam ab imperatoribus sacerdotibus [et a sibi succedentibus] ad defensionem concessam, et per pœnitentiam determinarentur episcoporum judicio, si pietas illius collaudare voluerit, sic definiri eis complaceret. (17, *q.* 4, *c. Si qui subdiaconum.*) Si quis subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, et convaluerit, 5 quadragesimas sine subditis annis pœniteat, et 300 solidos cum sua A compositione et episcopalibus bannis episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, et 400 solidos cum tripla sua compositione, et episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat [cum compositione sua et episcopalibus bannis episcopo componat]. Si diaconum calumniatus fuerit, et convaluerit, 6 quadragesimas sine subditis annis pœniteat, et 400 solidos cum compositione sua et episcopalibus bannis componat; si autem mortuus fuerit, singulas supradictas 6 quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, et 600 solidos cum tripla sua compositione, et episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si quis presbyterum calumniatus vulneraverit, vel debilitaverit, B et convaluerit, 7 [12 *alia lectio*; 600. *orig.*] quadragesimas sine subditis annis pœniteat, et 900 solidos cum triplici sua compositione, et episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, 12 annorum pœnitentia secundum canones ei imponatur, et 900 solidos cum triplici compositione sua, et episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si quis episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, 10 quadragesimas cum subditis annis pœniteat, et presbyteri non occisi triplicem compositionem componat. Si autem casu et non sponte occiditur, cum comprovincialium episcoporum concilio homicida pœniteat. Si quis autem sponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat omnibus C diebus vitæ suæ, cingulum militare deponat, absque spe conjugii in perpetuo maneat. Aistolfus Magontiensis episcopus dixit : « Si principibus placuerit aliisque suis fidelibus, rogemus ut collaudetur et subscribatur. » Et collaudatum est, et subscriptum est tam a principe quam a cæteris omnibus.

Cap. 135. — *De eadem re. Ex concilio Triburiensi cap.* 1.

Capitulum ecclesiasticum apud Triburiam a Carolo Magno, et primis Galliæ et Germaniæ collaudatum et subscriptum.

(90) Placuit nobis et fidelibus nostris, ut sicut ab episcopis et reliquis sacerdotibus, ac Dei servis alio anno apud Theodonis villam admoniti fuimus et D rogati, ut episcopi et eorum ministri, quos Deus suo non humano judicio reservavit, juxta sanctorum canonum, sanctorumque Patrum ac capitularium præcedentium regum coram positorum statuta, et Dei sacerdotes eorumque cooperatores, quorum intercessionibus supplicationibusque sancta Dei Ecclesia constare videtur, intacti permaneant, constituamus. (*Cap.* 1.) Ut si quis subdiaconum calumniatus fuerit et convaluerit, pœnitentia canonica pœniteat, et 300 solidos episcopo componat. Et si mortuus fuerit, juxta id quod canones præcipiunt pœniteat, et 400 solidos episcopo componat. (*Cap.* 2.)

(2) Codex conciliorum attribuit Theonisillesi concilio præcedenti, post quod hæc habentur.

Introdusă în format electronic de Google

Si diaconum quis calumniatus fuerit, et convaluerit, pœniteat secundum canones, et 400 solidos episcopo componat. Si non convaluerit juxta præcepta synodalia pœniteat, et 600 solidos episcopo componat. (*Cap.* 3.) Si presbyterum quis male tractaverit et spassaverit, secundum ejus episcopi sententiam pœniteat, et 900 solidos episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ut synodus dijudicaverit pœniteat, et 120 [900 *habet codex Conciliorum*] solidos episcopo componat. (*Cap.* 4.) Et si quis episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, pœniteat secundum canonum statuta, et presbyteri non occisi triplicem compositionem cum justitiis quæ in superiori capitulo scriptæ et confirmatæ esse videntur, componat. (*Cap.* 5.) Si quis per industriam episcopum occiderit, juxta id quod apud Theodonis villam a triginta duobus episcopis [Triburiam, 22 episc. *sic codex Conc.*] decretum est, et quod ibi a nobis, et a primatibus totius Germaniæ et Galliæ benigna collaudatione collaudatum est et subscriptum est, pœniteat et pecuniam a nobis concessam Ecclesiæ viduatæ persolvat. Et hoc de nostro adjecimus, ut si quis in his supradictis sanctorum canonum nostrique decreti sanctionibus, episcopis inobediens et contumax exstiterit, primum canonica sententia feriatur, deinde in nostro regno beneficium non habeat, et allodis [allodium] ejus in bannum mittatur, et si annum et diem in nostro banno permanserit, ad fiscum nostrum redigatur, et captus in exsilium relegetur, et ibi tam diu custodiatur et constringatur donec coactus Deo et sanctæ Ecclesiæ satisfaciat, quod prius gratis facere noluerat. Et si omnibus vobis ista complacuerint, dicite. Et tertio ab omnibus conclamatum est : Placet. Et imperatores, et pene omnes Galliæ et Germaniæ principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces. Et ecclesiasticus ordo Deo et principibus laudes referentes, hymnum, *Te Deum laudamus* decantabant, et sic soluta est synodus.

Cap. 136. — *De eadem re. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 19.

(17, *q.* 4, *c. Qui presbyterum.*) Qui presbyterum occidit, duodecim annorum ei pœnitentia secundum canones imponatur; aut si negaverit, si liber est cum 72 juret. Si autem servus super duodecim vomeres ferventes se expurget. Convictus noxæ usque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulo careat, et absque spe conjugii maneat.

Cap. 137. — *De interfectoribus sacerdotum. Ex concilio Vormatiensi, cap.* 13 (*conc. Magunt. sub Arnulpho imper. c.* 16, *et Tribur. c.* 5).

Qui sacerdotem voluntarie occiderit, carnem non comedat, et vinum non bibat cunctis diebus vitæ suæ. Jejunet usque ad vesperam, exceptis diebus festis atque Dominicis. Arma non sumat, equum non ascendat, ecclesiam per quinque annos non ingrediatur, sed ante fores ecclesiæ stet. Post quinque annos ecclesiam ingrediatur, nondum vero communicet, sed inter audientes stet. Cum autem fuerit duodecim anni cursus finitus, communicandi ei licentia concedatur, et equitandi tribuatur remissio. Maneat autem in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut perfectius purificari mereatur.

Cap. 138. — *De presbyteris depositis, et sic occisis. Ex concilio Turonico, cap.* 3.

Nuntiatum est nobis quod aliqui qui olim dixerunt se fuisse sacerdotes, et postea degradati pro suis peccatis pœnitentiam agendo, suffragia sanctorum per diversa loca transeuntes quæsierunt, trucidati sunt; hujusmodi interfectoribus omnem ecclesiasticam dignitatem denegamus, donec dignam pœnitentiam pro reatu suo, secundum judicium episcoporum exsolvant, quia gravius aliis homicidis pœnitere debent.

Cap. 139. — *De presbyteris qui sine orario occiduntur. Ex concilio Triburiensi, cap.* 26, *cui interfuit Arnulfus rex.*

(14, *q.* 4, *c. Ut presbyteri.*) Ut presbyteri non vadant nisi stola vel orario induti. Et si in itinere spoliantur vel vulnerantur, aut occiduntur non stola vestiti, simplici emendatione sua solvantur; si autem cum stola, triplici.

Cap. 140. — *De presbytero interfecto ad quem ejus compositio pertineat. Ex eodem concil., cap.* 5 (*capitul. l.* IV, *c.* 15)

(17, *q.* 4, *c. Omnes presbyteri.*) Presbyteri interfecti compositio episcopo ad cujus paræciam pertinebat solvatur, ita videlicet ut medietatem wirigeldi [wergeldi] ejus utilitatibus ecclesiæ cui præfuit tribuat, et alteram medietatem in eleemosynam ejus juste dispartiat, quia nullus nobis ejus hæres proximior videtur quam ille qui ipsum Domino sociavit.

Cap. 141. — *De illis qui per insidias homicidium perpetraverint. Ex concilio Nannetensi, cap.* 2 (*cap.* 17).

Si quis voluntarie et per insidias hominem interfecerit, jugi pœnitentiæ se submittat. Et si hoc publice actum constat, si laicus est, a communione orationum quinquennio removeatur. Post quinquennium tantum in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur.

Cap. 142. — *Item de homicidio sponte commisso. Ex concil. Ancyrano, cap.* 21 (*et concil. Tribur. c.* 54).

Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter submittant se, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur.

Cap. 143. — *Item de eadem re. Ex concil. Parisiensi, cap.* 6.

Si quis homicidium sponte commiserit, et non violento resistens, sed vim faciens, innocentem et simpliciter gradientem interfecerit, usque ad finem vitæ suæ graviter pœniteat, sic tamen ut si pœnitentiam bene peregerit, in exitu ei communionis viaticum non denegetur.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 144. — *De homicidio non sponte commisso. Ex concil. Ancyr. cap.* 22 *(et concil. Tribur. c.* 52).

De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio per septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit; secunda vero quinquennii tempus explere.

Cap. 145. — *De eadem re. Ex concil. Nannetensi, cap.* 2 *(cap.* 18).

Si quis casu, non volens, homicidium perpetraverit, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat. Quibus peractis, biennium ab oratione fidelium segregetur, nec communicet, nec offerat. Post biennium in communionem orationis suscipiatur, offerat autem, non tamen communicet. Post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

Cap. 146. — *De illo qui domino suo præcipiente homicidium fecerit. Ex eodem, cap.* 25.

Si quis liber jubente domino suo servum ejus occiderit, ut homicidium sponte commissum pœniteat.

Cap. 147. — *De illo qui servum suum interfecerit. Ex concil. Agathensi, cap.* 62 (91).

Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, ut homicidium sponte commissum lugeat.

Cap. 148. — *De femina quæ in furore suo ancillam suam verberaverit, et sic perierit. Ex concilio Eliberitano (et Wormat. c.* 39).

Si qua domina furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra diem tertium animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate, an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata [infirmitate gravata], accipiat communionem.

Cap. 149. — *De eo qui hominem publice pœnitentem occiderit. Ex decretis Sylvestri papæ.*

Si quis hominem publice pœnitentem interfecerit, ut homicidium sponte commissum dupliciter pœniteat, et nisi in fine non communicet.

Cap. 150. — *De illis qui in opere necessario casu homicidium perpetraverint. Ex concilio Wormatiensi cap.* 5 *(cap.* 29).

(*Dist.* 50, *c. Sæpe contingit.*) Sæpe contingit ut dum quis operi necessario insistens arborem incidit, aliquis subtus ipsam veniens deprimatur; et idcirco si voluntate vel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quod si non voto, nec incuria illius, non denique hoc cum scientia contingit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrit sub arbore, et sub ipsa oppressus, incisor arboris non tenetur pro homicida.

Cap. 151. — *De eadem re. Ex concilio Triburiensi cap.* 17 *(cap.* 16).

(*Dist.* 50, *c. Si duo.*) Si duo fratres in silva arbores succiderint, et appropinquante casura unius arboris, frater fratri dixerit : Cave, et ille fugiens in pressuram arboris inciderit, et mortuus fuerit, vivens frater innocens de sanguine germani dijudicetur.

Cap. 152. — *De illis qui in publico bello homicidium committunt. Ex concilio Magontiensi cap.* 2.

Oportet autem diligentius eos admonere qui homicidia in bello perpetrata de nihilo ducunt, excusantes se non ideo necesse habere de singulis facere pœnitentiam, eo quod jussu principum peractum sit, et Dei judicio ita finitum. Scimus enim quod Dei judicium semper justum est, et nulla reprehensione dignum. Sed tamen oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam cupiunt, utrum se coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est (*I Tim.* VI), et idolorum servituti comparatur (*Ephes.* V), atque propter favorem dominorum suorum *temporalium* æternum Dominum contempserunt, et mandata illius spernentes non casu, sed per industriam homicidium fecerunt. Nam de his legimus qui homines non sponte interfecerunt, Dominum per legislatorem urbes refugii deputasse, ad quas confugientes salvarentur ab ultore sanguinis proximi sui, et non morerentur. Unde in Deuteronomio scriptum est : *Hæc erit lex homicidæ cui vita servanda est* (*Deut.* XIX). Qui percusserit proximum nesciens, et heri et nudius tertius nullum contra eum habuisse odium comprobatur, sed abiisse simpliciter cum eo in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit, hic ad unam urbium supradictarum confugiat, et vivat, ne proximus ejus cujus sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam ejus. De eo vero qui per industriam aliquem occiderit, in Exodo scriptum est : *Si quis de industria et per insidias occiderit proximum, ab altari meo evelles eum ut moriatur* (*Exod.* XXI). Et in Deuteronomio : *Si quis odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, et surgens percusserit eum, et mortuus fuerit, et fugerit ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et rapient eum de loco refugii, et tradent eum in manus proximi ejus cujus sanguis effusus est, et moriatur, nec misereberis ejus* (*Deut.* XIX). Si ergo illum quem dignum morte esse judicavit Dominus, reum non esse quis dicit, quomodo contrarius legis Dei non exstitit, qui hoc quod Dominus præcipit casum esse contendit? Sed inter hæc sciendum est quod magna distantia est inter legitimum principem, et seditiosum tyrannum, inter eum qui subvertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem, et illum qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem.

Cap. 153. — *De illis qui de homicidio sunt infamati, si negaverint. Ex concilio Turonensi, cap.* 2.

Ubi manifestari potest quemlibet hominem perpe-

(92) Et conc. Wormat., c. 38, sed in quibus sic legitur : « Excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit. »

Introdusă în format electronic de Google

trasse homicidium, secundum canonicam auctoritatem condignum pœnitentiæ judicium illi ingeratur. Si autem manifestis indiciis non potest probari eum homicidam esse, nec ipse vult confiteri, omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifesta sunt, reservetur : ei tamen indicetur publice a presbytero quod communione ecclesiastica indignus sit, et ea carere debeat, donec perpetratum crimen confiteatur, et per confessionem et pœnitentiam condignam ab hoc crimine se absolvere certet.

CAP. 154. — *De insano si homicidium perpetraverit. Ex eodem, cap.* 7 (*conc. Vorm. c.* 28).

Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei qui sana mente tale quid commiserit. Cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causa peccati fuisse creditur, tantum tamen levior quam ei qui sanus aliquem occiderit, quantum inter sanum et insanum, et irrationabile et rationabile constat esse discriminis.

CAP. 155. — *De illis qui veneficio homicidia committunt. Ex comm. Eliberit. cap.* 7.

Si quis vero veneficio interfecerit alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nisi in fine impertiendam non esse illi communionem.

CAP. 156. — *De illo per cujus delationem aliquis interfectus fuerit. Ex eodem comm. c.* 75.

(5, *q.* 6, *c. Delator.*) Delator si quis exstiterit fidelis, et per delationem ejus aliquis fidelium fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum non nisi in fine accipere communionem. Si levior causa fuerit, infra quinquennium accipere communionem poterit. Si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.

CAP. 157. — *Quod tria sint genera homicidarum. Ex epist. Clementi papæ, cap.* 16 (*epist.* 4 *ad Eccl. Hieros.*).

Homicidarum vero tria genera esse dicebat, et pœnam eorum parilem fore dicebat. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita et detractatores eorum eosque odientes homicidas esse manifestabat. Quia et qui occidit, et qui fratrem suum odit (*I Joan.* III), et qui detrahit ei, pariter homicida esse monstratur. Omnes enim a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam abstinere, et bonam eorum conversationem ac innocentem omnibus monstrare rogabat (*I Petr.* II). *Post plura.* Ex corde enim cunctos attentius invicem diligere insinuabat, seniores venerari, et juniores diligere, episcopos, suos sacerdotes ac cunctos reliquos Ecclesiæ ministros, atque omnem plebem sibi commissam verbis et mandatis divinis instruere et amare, hosque omnes eorum episcopos tota animi virtute diligere [dirigere *orig.*], ut oculos suos, qui oculi sunt illorum, præceptis in omnibus obedire, etiam si ipsi aliter (quod absit) agant quam deceat (*I Petr.* V), memores scilicet illius Dominici præcepti : *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII).

CAP. 158. — *Quod homicidæ ab ecclesiastica communione sint submovendi. Ex concilio Agathensi, cap.* 37.

(24. *a.* 3, *c. Itaque.*) Itaque censuimus homicidas a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione admissa crimina diluerint

CAP. 159. — *De eodem. Ex concilio Turonensi cap.* 7 (*Turon.* I).

Homicidiis penitus non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimina diluantur.

CAP. 160. — *De illis quorum consilio homicidia fiunt. Ex dictis sancti August.* (92).

Pericuose se decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, et non potius eos per quorum consilium et fraudem et exhortationem homines exstinguuntur. Nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est : *Nobis non licet interficere quemquam* (*Joan.* XVIII) : sed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipsi eum lingua crucifixerunt, dicentes : *Crucifige eum* (*Luc.* XXIII). Unde unus Evangelista dicit Dominum crucifixum hora tertia (*Marc.* XV), alius sexta (*Joan.* XIX) : quia Judæi crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora sexta manibus. Qui ergo hominem tradit, eum ille interficit, Domino dicente : *Majus peccatum habet qui me tradidit tibi* (*Joan.* XIX). Unde Psalmista : *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, linguæ eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). Subjiciant ergo se pœnitentiæ, quorum consilio sanguis funditur, si veniam promereri voluerint.

CAP. 161. — *De illis qui pro vindicta parentum homicidia committunt. Ex pœnitentiali Theodori.*

Qui pro vindicta fratris aut aliorum parentum occiderit hominem, ita pœniteat ut homicidia sponte commissa, cum ipsa Veritas dicat : Mihi vindicta, et ego retribuam (*Deut.* XXXII; *Rom.* XII; *Hebr.* X)

CAP. 162. — *De illo qui propter cupiditatem Judæum interfecerit. Ex concilio Magontiensi, cap.* VI (93).

(*Dist.* 50, *c. Qui vero.*) Qui odii meditatione, vel propter cupiditatem Judæum vel paganum occiderit, quia imaginem Dei et spem futuræ conversionis exstinxerat, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat.

CAP. 163. — *De parricidis et fratricidis. Ex concilio Triburiensi, cap.* V (94).

Statuimus ut parricidæ et fratricidæ per unius anni circulum ante fores ecclesiæ orantes Domini clementiam, perseverent. Completo anni circulo introducantur in ecclesiam, tamen inter audientes usque dum unius anni spatium finiatur, stent. His ita peractis. si pœnitentiæ fructus in eis conspicitur, corporis et sanguinis Domini participes fiant, ut non

(92) Decerpta hæc videntur ex enarra. Psal. LVI a 1 versic. *Dormivi conturbatus, et proximos.*

(93) Cap. 27, conc. Worm. fere his verbis legitur.
(94) Conc. Worm., c. 30, id habetur.

Introdusă în format electronic de Google

obdurentur desperatione. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum; jejunent autem usque ad nonam quotidie, exceptis festis diebus atque Dominicis, abstineant autem se a vino, medone atque mellita cervisia, tres dies per hebdomadam; arma portare non audeant, nisi contra paganos. Et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedibus propriis pergant. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Tempus autem hujus pœnitentiæ in episcoporum ponimus arbitrio, ut secundum conversationem illorum, aut extendere vel minuere valeant.

CAP. 164. — *De eadem re. Ex concilio Magontiensi, cap.* XI (*sub Leone IV., c.* 20).

Parricidium autem quam sit detestabile crimen, in judicio facto inter Cain et Abel fratrem suum Dominus ipse ostendit, cum ad Cain parricidam ait: *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos; et vagus et profugus eris super terram* (*Gen.* IV). In quo etiam posuit signum ut tremens et gemens et profugus viveret semper, nec auderet uspiam sedes habere quietis. Sed quia moderais temporibus parricidæ profugi discurrunt per diversa loca, et variis vitiis atque gulæ illecebris deserviunt, melius nobis videtur ut in uno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte a Domini pietate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, et nuptiis atque conjugii copula uti [conjugiis copulari, *orig.*], quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

CAP. 165. — *De illis qui infantes suos non sponte interficiunt. Ex concilio Triburiensi* (*cap.* 55).

Si quis filium suum non sponte occiderit, juxta homicidia non sponte commissa pœniteat.

CAP. 166. — *De illo qui uxorem legitimam sine judicio interfecerit. Ex decretis Pii papæ, cap.* 26.

(33, *q.* 2, *c. Quicunque.*) Quicunque propriam uxorem absque lege, vel sine causa et certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem, armis depositis, publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, et episcopo suo inobediens exstiterit, anathematizetur quousque consentiat. Eadem lex erit illi qui seniorem suum interfecerit.

CAP. 167. — *De eadem re. Ex concilio Magontiensi, cap.* 1.

Si maritus uxorem, aut uxor maritum interfecerit, æquum judicium sit super eos, dicente Domino: *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis* (*Lev.* XIX). Et post pauca ita inquit: *Parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est* (*Deut.* I). Idcirco uterque eorum in hujuscemodi criminis actione, si negaverit, pari judicio examinetur. Si negaverit et non potest vinci manifesti indiciis; si liber est, juret cum duodecim; si servus, ferventi ferro se purget. Sin autem moriens, maritum uno vel duobus audientibus de morte ejus inculpaverit, non ideo erit victus, sed si liber est, cum septuaginta duobus juret; si servus, super duodecim vomeres ferventes se purget. Eadem lex erit marito uxorem accusanti

CAP. 168. — *De eadem re. Ex concilio Eliberitano, cap.* LXXXV (*in fragmentis*).

Si mulier causa fornicationis maritum suum interfecerit [veneno. *orig.*], aut quacunque arte perimere facit, quia dominum et seniorem suum occidit, sæculum relinquat, et in monasterio pœniteat.

CAP. 169. — *De uxore in mariti mortem consentiente. Ex concilio apud Vermerias, cap.* 3 (*Legitur et calcem conc. Eli.*).

(13, *q.* 1. *c. Si qua mulier.*) Si qua mulier mortem viri sui cum aliis conciliata est, et ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, et si hoc probare potest ille vir eam ream esse consilii, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere. Ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subjecta, absque spe conjugii maneat.

CAP. 170. — *De hoc, si plures unum impugnaverint. Ex concilio eodem, cap.* 98.

(23, *q.* 8, *c. Si quatuor.*) Si quatuor aut quinque homines, seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, et ab his vulneratus mortuus fuerit, quicunque eorum plagam ei imposuit, secundum statuta canonum, ut homicida judicetur; reliqui autem qui eum impugnabant volentes eum interficere, similiter pœniteant. Qui vero nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec concilio nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum affuerunt, extra noxam sint.

CAP. 171. — *De vindicta non prohibenda. Ex dictis Apostoli, Hieronymi, Augustini, Gregorii.*

De vindicta non prohibenda in Novo Testamento Hieronymus (*in Ezech. lib.* III, *ad c.* IX) de personis dignis ad vindictam, ait: « Qui percutit malos in eo quod mali sunt, et habet causam interfectionis ut percutiat pessimos, minister Dei est. » *Item*: « Lex et ministri ejus coerceant inimicos et constringant. » Apostolus inquit: *Regi quasi præcellenti, et ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* (*I Petr.* II). Item Hieronymus (*Hier. in* XXII *c. Hiere., statim post principium*). « Homicidas et sacrilegos et venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. » Augustinus ait: « Quæ ista vanitas, parcere uni, et omnes in discrimen adducere? Polluuntur enim omnes uno peccante, unde et in lege jubetur: *Maleficos non patiaris vivere* (*Exod.* XXII). Unde propheta: Mortificabant animas quæ non vivunt. » Unde Gregorius: « Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio solvere conatur. » Elias namque multos affecit morte propria manu nece et igne divinitus inspirato (*III Reg.* XVIII; *IV. Reg.* I). In Novo etiam Testamento Petrus Ananiam et Sapphiram terrifice multavit (*Act.* V).

CAP. 172. — *De illis qui in confractione idolorum occisi fuerint. Ex concilio Eliberitano, cap.* LX.

Si quis idola fregerit, et ibidem occisus fuerit

Introdusă în format electronic de Google

quia in Evangeliis scriptum non est, neque invenitur sub apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.

Cap. 173. — *De eo qui matrem suam occiderit, qualiter pœnitere debeat. Ex epist. Nicolai papæ ad Radulphum sanctæ Argenteæ Retensis Ecclesiæ episcopum.*

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo Radulpho episcopo sanctæ Argenteæ Retensis Ecclesiæ. Dum de universis mundi partibus credentium agmina Principis apostolorum liminibus properant, quidam vir nomine Thiothart, venit, vestræ beatitudinis epistolam gerens, quam nostro contulit præsulatui, cujus paginam perlegentes matricidam illum esse cognovimus. Quod facto multis fletibus lacrymisque profusis valde doluimus. Idcirco præcipimus, et Patrum aliorum censuris statuimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut unum per annum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ orans ac deprecans Dominum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi in ecclesiam habeat licentiam, tamen inter audientes stet et nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis, sacræ communionis illi gratia concedatur, oblationes vero non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus atque Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten, et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra paganos. Jejunet autem tres dies per hebdomadam usque ad vesperum: a propria quidem ac legitima sua conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fiat. Sin autem, ut supra statuimus, efficiatur; tamen si illius conversationem et lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, et optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat, mitisque omnibus demonstretur. Optamus vos in Christo bene valere.

Cap. 174. — *Ut clericus qui homicidium fecerit ab ordine cessare cogatur. Ex concilio Triburiensi cui interfuit Arnulfus rex, cap.* 11.

Si quis clericus quamvis nimium coactus, homicidium fecerit, sive sit presbyter, sive diaconus, deponatur. Legimus in canonibus apostolorum quod episcopus, presbyter, et diaconus qui in fornicatione aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, quanto magis is qui hoc immane scelus fecerit ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*I Joan.* II, 6). Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum percuteretur non repercutiebat, cum pro nobis pateretur non comminabatur (*I Petr.* II, 23). Et ipse in Evangelio suo præcepit: *Si quis te percusserit in* unam *maxillam, præbe illi et alteram* (*Luc.* VI, 29). Non enim debemus occidere, cum Dominus dicat: *Audistis quia dictum est antiquis; Non occides: Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* V, 21, 22). Nec malum pro malo reddere, sed sicut Apostolus Romanis scribens ait: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* 12, 21). Si quis clericorum præsens erit ubi homicidium factum fuerit, et neque consensu, neque consultu, neque in aliquo homicidii reatu pollutus esse convincitur, nihil ei obsit quin consecratus in gradu permaneat, non consecratus, si alias dignus sit, promotus accedat.

Cap. 175. — *De eo si quis in hoste contra paganos dimicans interfecit captivos Christianos. Ex eodem conc. cui interfuit Arnul. rex, cap.* 34.

Sæpe fit victoria Christianorum, victa est pars paganorum. Quare si una cum interfectis paganis perempti fuerint Christiani captivi a barbaris, quia impetu belli nequeunt distingui. Idcirco justum esse decernentes statuimus cum interfectoribus misericordius agendum, ita ut, 40 diebus pœnitentiæ indulgentius transactis, penes episcopum sit auctoritas et potestas, ut perpendat culpam et agat indulgentiam.

Cap. 176. — *De eo qui Christianum mancipium seduxerit, et sic vendiderit. Et conc. apud Confluentiam, cui interfuerunt Henricus et Carolus reges, cap.* 7.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit qui Christianum hominem seduxerit, et sic vendiderit. Responsumque est ab omnibus, homicidii reatum ipsum hominem sibi contrahere.

Cap. 177. — *De pœnitentia ejus qui fratricidium fecerit. Alexander II, Wilhelmo Petragoricensi, Duranno Toletensi (Tholosano) episcopis, et Hugoni abbati.*

Præsentium portitor litterarum ad nos perveniens lacrymabiliter confessus est se fratricidii crimen incurrisse. Qui licet tanti facinoris efficiens causa fuerit, tamen minime voluntate sua peractum intimavit. Cum enim fratrem suum inimicantem sibi paratis insidiis cepisset, et ipsum ut secum iret percussione capuli ensis coegisset, consobrinus quidam suus secum perveniens sine consilio et præmeditatione sine voluntate etiam ipsius, ut astruit, eum interfecit. Cui licet condignam religio vestra injunxerit et laudabilem pœnitentiam, tamen circa eum misericordiæ viscera exhibentes, præcipimus ut cum domum redierit, medietatem totius patrimonii sui pro fratris animæque suæ remedio pauperibus tribuat: alterius quoque hæreditatis suæ portionem nihilominus pro eadem causa distribuens, usum fructumque necessitati suæ reservet. Et sic omnibus ordinatis suis liber in monasterium ingrediatur, et ibi per unum annum hujusmodi pœnitentia maceretur, scilicet ut a Pentecoste usque ad sancti Michaelis festivitatem bis in unaquaque

Introdusă în format electronic de Google

hebdomada in pane et aqua; dehinc autem usque ad quadragesimam tribus diebus jejunet similiter in pane et aqua, et ut a corpore et sanguine Domini usque ad tres annos expletos abstineat, nisi periculum mortis immineat. Quadragesimam totam præter dies Dominicos jejunet, arma nullo modo in vita sua induat, conjugio usque ad peractam septem annorum pœnitentiam non utatur. Sexta feria, donec vixerit, jejunet. Hæc omnia ita illi injunximus, ut si infirmitatem ejus minime ferre posse providentia vestra præsenserit, licentiam habeat miserendi prout placuerit.

Cap. 178. — *Item de patricidis et fratricidis. Alexander Wiltinensis Ecclesiæ clericis.*

Diligentia vestra noscat huic Theoderico pro parricidio, morte videlicet filii sui non sponte commisso, auctoritate beatissimorum apostolorum et canonum pœnitentiam nos septennio imposuisse, in eodem peractæ pœnitentiæ tempus connumerantes, ita ut amodo usque ad sancti Martini festum duobus diebus in hebdomada jejunet, quarta feria videlicet et sexta in pane et aqua; a sancti Martini festivitate usque ad Domini Nativitatem, continuum agat jejunium in pane et aqua, exceptis Dominicis et quinta feria, in quibus quadragesimali cibo vescatur; ab octavis Epiphaniæ usque ad quadragesimam duobus in hebdomada jejunet diebus, quarta et sexta feria in pane et aqua, exceptis festis principalibus, in quibus eleemosyna se redimat. In quadragesimali vero tempore continuum est agendum jejunium in pane et aqua, exceptis Dominicis diebus. In quinta feria tantum vinum ei bibere, et quadragesimali uti cibo concedimus. Post annum vero completum in toto anno duobus diebus in unaquaque hebdomada in pane et aqua jejunet. In quadragesima tamen continuum agat jejunium in pane et aqua, et in unoquoque anno usque ad expletum pœnitentiæ tempus hujusmodi jejunium agendum est, et a carne se abstineat, per unum annum Ecclesiam ei denegamus. Post ingressum Ecclesiæ tribus annis a communione separamus, nisi mortis fuerit timore præventus. Si quis autem episcopus vel religiosus presbyter causa pietatis aliquid sibi remedii relaxare voluerit, hoc ei ex apostolica auctoritate concedimus.

Cap. 179. — *De eodem. Gregorius III. Bonifacio.*

De his vero dicimus qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderint ut toto vitæ suæ tempore corpus non suscipiant Dominicum, nisi sui temporis exitu pro viatico. Abstineant enim se et a carnis comestione et potu vini donec advixerint. Jejunent secundam et quartam et sextam feriam, ut sic possint deflendo diluere commissum scelus.

Cap. 180. — *Item de eodem, et de cognatorum suorum interfectoribus. Nicolaus Carolo episcopo et ejus suffraganeis.*

De parricidis et fratricidis præcipimus ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam, perseverent; completo vero anni circulo introducantur in ecclesiam, tamen inter audientes usque dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad missarum solemnia vel alia sacra audire officia venerint. His itaque peractis si pœnitentiæ fructus in eis conspicitis, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ne desperationis indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ eorum. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque Dominicis, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam, arma gerere non audeant vel sumere nisi contra paganos, et ubicunque ire voluerint nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus hujus pœnitentiæ in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversationem illorum aut extendere, aut minuere valeatis: ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, et se continere non valuerint, legitimas in conjugio accipiant feminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum finiantur curricula annorum, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur. *Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum, cap.* 24. Quid parricida, id est qui patrem aut matrem occiderit, vel etiam qui fratrem aut sororem interficit, pati debeat, leges indicant. Porro si ad Ecclesiam confugerint, id quod episcopus loci vel sacerdos qui ab illo constitutus est, præviderit, agendum decernimus. *Item (cap.* 26). De his proximum, id est consanguineum suum, ut est frater, consobrinus, aut nepos, trucidaverit, venerandæ leges proprium robur obtineant. Sed si ad Ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur, pœnitentiæ vero quam antistes loci vel presbyter consideraverit, absque dubio submittantur.

Cap. 181. — *De mulieribus quæ partus suos necant. Ex conc. Ancyrano, cap.* 30.

De mulieribus quæ fornicantur et partus suos necant, vel quæ agunt secum ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet; humanius autem nunc diffinimus, ut eis decem annorum tempus secundum prælixos gradus pœnitentiæ largiamur.

Cap. 182. — *De eadem re. Ex Irlerdensi concilio, cap.* 2.

Qui male conceptos ex adulterio fetus vel editos necare studuerint vel in matrum ventribus potionibus aliquibus colligerint, in utroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ suæ humilitati et fletibus insistant. Si vero clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat.

Cap. 183. — *Item de eodem. Canones Martini epi-*

Introdusă în format electronic de Google

scopi ad laicos, cap. 9 (*ex lib. synod. Græca. Mart. Bracaren episc. c. in universum* 77).

Si qua mulier fornicata fuerit, et infantem habuerit, et illum occiderit, et quæ studuerit abortum facere, et quod conceptum est necare, aut certe ut non concipiat elaboraverit, sive ex adulterio, sive ex legitimo conjugio, has tales mulieres in morte recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam judicamus.

CAP. 184. — *De quodam qui fratrem suum occiderat. Nicolaus Donno episcopo, et Carolo regi.*

Quidam vestræ diœceseos vir, Hugo nomine, venit, qui lacrymoso affatu nostro pontificio retulit qualiter fratricidium antiquo hoste cogente fecerat, et qualiter sub pœnitentiæ jugo pro tanto facinore a vestra fuerat constitutus beatitudine. Nos autem tantæ adversitatis piaculum, et fraterni sanguinis audientes effusionem, non paucas fundentes lacrymas contristati sumus. Tamen quia, ut aiebat, tantæ maculæ culpam lacrymarum fonte abluere fraterna jubente gratia malit, sancimus ut proprias possessiones quæ ab eo pro hoc facto ablatæ sunt, incunctanter recipiat, ne paupertatis inopia constrictus ad pejora deducatur. Nam et propria legitimaque uxor illius a qua separatus est, vestra sanctitas illi ut statim reddatur satagat, ne in fornicationis voraginem, quod noluimus, incidere videatur. In reliquis vero secundum pœnitentiæ modum quam illi instruxistis peragere, maneat.

CAP. 185. — *De pœnitentia parricidarum et incestuosorum. Nicolaus Salomoni Constantiensi episcopo.*

Constat parricidas, fratricidas, et incestuosos, de quibus consulis utrum possint conjugio copulari, pœnitentiam agere, et ideo non posse carnali copulæ jungi. Quos oportet in castitate omnibus diebus vitæ suæ permanere mentis et corporis, servata duntaxat propter misericordiam etiam circa hos beati papæ Leonis vigesima quarta decretalium regula.

CAP. 186. — *De quadam quæ filios suos necaverat. Stephanus III Lamberto episcopo Cenomannico.*

Lecta epistola a sanctitate tua nobis directa, quæ nanc feminam, nomine Hildegardam, filios suos A interfecisse, et septennem pœnitentiam egisse fatebatur, valde doluimus. Unde quia mandasti ut viscera pietatis ei præberemus, volumus et misericorditer mandamus, ut sacris festivitatibus, id est reverendæ Nativitatis, et sancti Paschæ, atque Pentecostes et Natalis apostolorum sacrum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumere debeat, et diebus vitæ suæ in monasterio retrusa monachicam vitam regulariter ducat.

CAP. 187. — *Quod judex qui peccata vindicare potest et non facit, reus sit peccati. Honorius Anatholio magistro militum.*

Lator præsentium prece nobis flebili supplicavit, asserens a quodam milite castri Salernitani germanum suum fuisse peremptum, insuper et rebus propriis post ejus interitum spoliatum : propter ea B quam impium quamque contra legum statuta sit noxium ipsis rerum documentis in propatulo omnibus tenetur expertum, ut sanguis innocenter effusus a committente nullatenus ulciscatur. Qui hæc vindicare possunt, et pro conniventia ulcisci negligunt, sint profecto scituri quia si defensare insontem sanguinem neglexerint, in futuro tremendoque examine de eis uti hujus facinoris participibus tale commissum scelus exigetur. Propterea gloria vestra ad vindicandum ulciscendumque funesto homicidii crimine irretitum, ab agmine militari disjungat, et judici provinciæ tradendum ac puniendum justitiæ impulsu festinet. Res vero ab eo vi latrocinali ablatas supradicto precatori si germanus ejus exstiterit, indu- C bitanter restituat, quatenus nobis imminente disciplina is qui scelus commisit semper exspectet, et incunctanter excipiat, et militaris integritas unius ob noxam homicidali contagio nequaquam subjaceat.

CAP. 188. — *De his qui sibi mortem inferunt. Ex primo concilio Bracarensi, cap.* 34.

(23, *q.* 5, *cap. Placuit ut si qui.*) Qui per ferrum, aut per venenum, aut præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentiæ sibi ipsis inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis eorum cadavera ad sepulturam deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpant. Similiter et de his fieri placuit qui pro suis sceleribus puniuntur.

DECRETI PARS UNDECIMA.

De incantatoribus, de auguribus, de divinis, de sortilegis, de sortiariis, et variis illusionibus diaboli, et de singulorum pœnitentia

CAP. 1. — *Ne quis ariolos, haruspices vel incantatores observet. Decretum Gregorii junioris (Greg. II. c.* 12 *suorum decretorum, in conc. Romano* 1).

(26, *q.* 5, *c. Si quis hariolos.*) Si quis hariolos, D aruspices, vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.

CAP. 2. — *De eadem re. Ex Ancyranensi conc., cap.* 23.

(26, *q.* 5, *c. Qui divinationes.*) Qui divinationes

Introdusă în format electronic de Google

expetunt, et morem gentilium subsequuntur, vel in A domos suas hujusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte magica, aut expiandi causa sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos.

Cap. 3. — *Ne clerici incantatores sint. Ex Laodicensi conc. cap.* 36 (*et concil. Agath. c.* 68).

(26, *q.* 5, *c. Non oportet.*) Non oportet sacris officiis deditos vel clericos, magos aut incantatores existere, aut facere phylacteria, quæ animarum suarum vincula comprobantur.

Cap. 4. — *Quid agendum sit de sortilegis. Ex Agathensi conc. cap.* 39 (*cap.* 42, *et Venet. c.* 16).

(26, *q.* 5, *c. Aliquanti.*) Aliquanti clerici sive laici student auguriis, et sub nomine fictæ religionis per eas, quas sanctorum sortes vocant, divinationis B scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicunque clericus aut laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

Cap. 5. — *De pœnitentia clericorum qui augures consuluerint. Ex Toletano concilio cap.* 30 (*conc. Toleta*, iv, *c.* 28).

(26, *q.* 5, *c. Si quis episcopus.*) Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum aruspices aut hariolos, aut certe augures vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia [sublimia, *habet codex conc.*] exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterii curam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissi sacrilegii solvat.

Cap. 6. — *De Pythonico spiritu. Ambrosius super Epistolam primam ad Corinthios* (*ad cap.* ii).

Spiritus mundi hic est, per quem corripiuntur [arripiuntur] phanatici qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior; unde solet conjecturis quæ mundi sunt divinare, quem Pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur, et fallit, hic est qui per Sibyllam locutus est sensum nostrorum secutus, locum volens inter cœlestes habere.

Cap. 7. — *De Kalendis vel auguriis non observandis. Zacharias Bonifacio episcopo* (*epist. ult.*).

De Kalendis Januariis, vel cæteris auguriis, phylacteriis, et incantationibus, vel aliis diversis observationibus, quæ gentili more observari dixisti apud Beatum Petrum apostolum, vel in urbe Roma, hoc D et nobis et omnibus Christianis detestabile et perniciosum esse judicamus.

Cap. 8. — *De maleficis damnandis. Leo IV episcopis Britanniæ.*

Sortes quibus vos cuncta in vestris discriminatis provinciis, nihil aliud quam quod alii Patres damnaverunt, divinationes et maleficium esse decernimus. Quam ob rem volumus illas omnino damnari, et ultra inter Christianos nolumus nominari, et ut abscindantur sub anathematis interdictu prohibemus.

Cap. 9. — *De his qui cursus astrorum et volatus avium observant. Hieronymus super Jesu Nave, Homilia* 7 (95).

Illi, qui cum Christiani sint, solemnitates gentilium celebrant, anathema in Ecclesiam introducunt. Et qui de astrorum cursibus vitas hominum et gesta perquirunt; qui volatus avium, et cætera hujusmodi, quæ in sæculo prius observabantur inquirunt, de Jericho anathema inferunt in Ecclesiam, et polluunt castra Domini, et vinci faciunt populum Dei.

Cap. 10. — *Non credendum his qui non secundum Dominum divinant. August. lib. Quæstionum super Deuteronomium, cap.* 19 (*in* xiii *Deut.*).

Intelligi voluit Dominus etiam illa quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur; si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic ut fiant quæ præ- B cipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis.

Cap. 11. — *De depositione clerici maledici. Ex conc.* iv, *Carthag. cap.* 57.

(*Dist.* 46, *c. Clericus maledicus.*) Clericus maledicus, maximeque in sacerdotibus cogatur ad postulandam veniam. Si noluerit, degradetur, neque unquam ad officium absque satisfactione revocetur.

Cap. 12. — *De damnatione ejus qui aliquem maleficio interfecerit. Ex Eliberitano concilio, cap.* 6.

Si quis maleficio interficiat aliquem, eo quod sine idololatria perficere non potuit scelus, nec *in fine* percipiendam esse [impertiendam illi *orig.*] communionem.

C Cap. 13. — *Quod constitutiones hominum partim sint superstitiosæ, partim non. August. De doctrina Christiana lib.* ii (*cap.* 19, 20).

Illud quod est secundum institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est superstitiosum. Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus ad facienda et colenda idola, pertinens vel ad colendam, sicut Deum, creaturam partemve ullam creaturæ; vel ad consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magnificarum artium, quæ quidem commemorare potius quam docere solent poetæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, aruspicum et augurum libri. Ad hoc genus etiam pertinent omnes ligaturæ atque D remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quas characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas aut manifestas, quam eminentiore [mitiore, *orig.*] nomine physicam vocant, ut quasi non supertitiose [superstitione, *Vict.*] implicare, sed natura prodesse videantur sicut sunt inaures in summo singulorum aurium, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti ut dextera manu pollicem [sinistrum pollicem, *orig.*] teneas.

(95) Id habet Origenes, interprete Hier. circa med.

Introdusă în format electronic de Google

His adjunguntur millia inanissimarum observationum ; si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis aut puer medius intervenerit. *Post pauca.* Hinc etiam sunt illa : Limen calcare, cum ante domum suam transit, redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutaverit ; redire domum, si procedens offenderit ; cum vestis a soricibus roditur plus timere suspicionem futuri mali quam præsens damnum dolere. *Item, ibidem, cap.* 21, *al.* Neque illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui Genethliaci propter natalium [*al.* naturalium] considerationes dierum, nunc autem vulgo mathematici vocantur. Nam et ipsi, quamvis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consectentur et aliquando etiam pervestigent, tamen quod inde conantur vel actiones nostras, vel actionum eventa prædicere, nimis errant. *Item de eodem, ibidem cap.* 23. Hoc genus fornicationis animæ, salubriter divina auctoritas non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam ut propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur a professoribus eorum, sed etiam si dixerint vobis, inquit, et ita evenerit, ne credatis eis (*Deut.* XIII). Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli vera prænuntiavit (*I Reg.* XXVIII), propterea talia sacrilegia quibus illa imago præsentata est, minus exsecranda sunt, aut quia in Actibus apostolorum femina ventriloqua verum testimonium perhibuit apostolis Domini, ideo apostolus Paulus pepercit spiritui illi, ac non potius feminam illius dæmonii correptione atque exclusione mundavit (*Act.* XVI). Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi pacta infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda et fugienda Christiano. *Item, ibidem, cap.* 40. Doctrinæ omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacui laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quædam morum præcepta utilissima continent, deque uno ipso Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum, tanquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ quæ ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque injuriose ad obsequia dæmonum abutuntur ; cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum.

(96) Exstant hujus sermonis et alia quædam fragmenta in Milleloquio Aug. ad titulum Kalendarum.

(97) Recensetur et hic sermo ad calcem Milleloquii inter Paschales num. 34. Cæterum eadem habentur etiam serm. De tempore 163, 215 et 241.

A CAP. 14. — *Rerum inhonestarum nullam esse societatem. Pandectarum libro* XVII, *titulo* II (*lege* 57).

Si maleficii societas coita sit, constat nullam esse societatem. Generaliter enim traditur rerum inhonestarum nullam esse societatem.

CAP. 15. — *De non observandis diebus Ægyptiacis. Augustinus super Epist. ad Galatas (ad cap.* 4).

Intelligat lector ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum observationes, ut dicat Apostolus : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV). Quod cum tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in Ecclesiis legatur, plena sunt conventicula nostra hominibus qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur, B aut ædificiorum, aut hujusmodi quorumlibet operum diebus quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant.

CAP. 16. — *De non observandis Kalendis Januariis. Ex sermone August de Kal. Jan. qui sic incipit :* Dies Kalendarum (96).

Sunt qui Kalendis Januariis ita auguria observant ut focum de domo sua vel aliud quodcunque beneficium cuicunque petenti non tribuant ; diabolicas strenas et ab aliis accipiunt et ipsi aliis tradunt.

CAP. 17. — *Quod viri vel feminæ filios vel filias susceptas in baptismo docere debeant. Ex serm. August. Dominica. post Pascha, qui sic incipit :* Hodiernus dies (97).

Vos ante omnia tam viros quam feminas qui filios C in baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum pro illis exstitisse quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideo semper eos admonere ut castitatem diligant, justitiam custodiant, charitatem teneant, hoc omnibus faciant quod sibi fieri volunt, auguria non observent, ad arbores et ad fontes vota non reddant, præcantatores et caragios, et sacrilega phylacteria, velut diaboli venena, refugiant, nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia Symbolum et Orationem Dominicam et vos ipsi tenete, et illis quos excepistis ostendite.

CAP. 18. — *Quid sit :* Dies observatis et menses (*Gal.* IV), *etc. August. ad Januarium* (*ep.* 119, *c.* 7).

D Eos culpat Apostolus, qui dicunt : Non proficiscar hodie, quia dies posterus est [*al.* posterum est], aut quia luna sic fertur ; vel : Proficiscar ut prospera cedant, quia ita se habet positio siderum : Non agam hoc in mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem ; vel : Agam, quia suscepit mensem : Non plantabo vineam in hoc anno, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitratur observatores temporum reprehendendos, qui dicunt : Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est ; aut : Non navigem, quia hybernæ sunt reliquiæ ; aut : Tempus seminandi, quia imbribus autumnali-

Introdusă în format electronic de Google

bus terra satiata est; vel si qui forte alii naturales effectus circa motum aeris et humoris ad variandas temporum qualitates in siderum ordinatissima conversione notati sunt.

CAP. 19. — *De eodem, quod peccatum sit dies observare et menses*, etc. *August. in Enchyridio, cap.* 79.

Quis æstimaret quam magnum peccatum sit dies observare, et menses, et annos, et tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis?* (*Gal.* IV.)

CAP. 20. — *De damnatione Mathematicorum. August. lib. Confessionum* IV (*cap.* 3).

(26, *q.* 2, *c. Illos planetarios.*) Illos planetarios quos Mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quod quasi nullum eis esset sacrificium, et nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigerentur, quod tamen Christiana et vera pietas consequenter expellit [rep., *orig.*] et damnat.

CAP. 21. — *Quod non sit credendum sortibus. Hieronymus super Jonam* (*ad cap.* 1).

(26, *q.* 2, *c. Non statim.*) Non statim debemus sub exemplo Jonæ sortibus credere, vel illud de Actibus apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in apostolatum Mathias eligitur, cum privilegia singulorum non possint legem facere communem.

CAP. 22. — *Qui sint sortilegi. Isidorus Etymologiarum lib.* VIII, *cap.* 9.

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum vocant sortes, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.

CAP. 23. — *De clerico in maleficiis deprehenso. Gregorius Januario episcopo* [Episcopo Caralitano, *orig.*] *Sardiniæ* (*lib.* III *regist. epist.* 24).

Paulum vero clericum qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam in Africam fugerat, si ita est, corporali prius præveniente vindicta, prævidimus in pœnitentiam dari.

CAP. 24. — *De vaticinatoribus. Capitularium lib.* 7, *cap.* 222.

Vaticinatores qui se futura denuntiant scire, cæsi de civitate jactentur.

CAP. 25. — *De correctione ejus qui magica arte mulierem criminatus sit. Gelasius Secundino Visinensi.*

Atroces injurias indecorum prorsus ducimus ministrorum Ecclesiæ vocibus irrogari, talia laicorum cum plerumque refugiant actiones. Tempus bonum siquidem honesta femina didicerat a magistro Paulo diacono, quæ non solum se suggerit criminibus appetitam, verum etiam in damnata arte magicæ exsecrationis conscientiam miscuisse (98). Et ideo, frater, inter supradictos te decrevimus cognitorem, ut si prædictum diaconum protervitas ista convincit, postquam indecenter probatus fuerit mulierem inciviliter appetisse: aut eumdem ad astruenda quæ jactavit astringas, aut digna correptione compescas.

CAP. 26. — *Ut venefici capite damnentur. Pandectarum lib.* IV, *tit.* XIX.

Venefici capite damnentur, qui artibus odiosis, venenis, vel susurris [susurriis] magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.

CAP. 27. — *Quomodo impetendus sit clericus de maleficiis. Item.*

Non parum miramur quod sæcularibus legibus diaconum tuum pro crimine maleficii velis impetere. Unde apostolica præcipimus auctoritate, ut, post positis parilibus legibus quæ servis potius quam ecclesiasticis debentur ordinibus, canonicam ab eo purificationem recipias.

CAP. 28. — *De damnatione Paschalis archidiaconi pro incantationibus suis. Ex libro Pontificali.*

Paschalis non post multum tempus ab officio archidiaconatus propter aliquas incantationes et luculos quos colebat, vel sordes [*forte*, sortes] quas cum aliis respectoribus tractabat, Dei beatique Petri apostolorum principis interveniente judicio privatus est, et a Sergio in monasterio retrusus. Post quinquennium præ cordis duritia impœnitens defunctus est.

CAP. 29. — *De sortilegis et consultoribus dæmonum. Augustinus ad inquisitiones Januarii* (*epist.* 119, *c.* 20).

(26, *q.* 2, *c. Hi qui.*) Hi qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est ut id potius faciant quam ut ad dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia et ad vitæ hujus vanitatem divina oracula velle convertere (99).

CAP. 30. — *Ut episcopi de parœciis suis sortilegos et maleficos expellant, et de vana illusione dæmonum. Ex conc. Ancyrensi, cap.* 1 (*in fragm.*).

(26, *q.* 5, *c. Episcopi.*) Ut episcopi eorumque ministri omnibus viribus elaborare studeant, ut pernitiosam et a diabolo inventam sortilegam et maleficam artem penitus ex parœciis suis eradicent, et si aliquem virum aut mulierem hujuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum de parœciis suis ejiciant; ait enim Apostolus: *Hæreticum post unam et secundam admonitionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est* (*Tit.* III). Subversi sunt et a diabolo capti tenentur qui, derelicto Creatore suo, a diabolo suffragia quærunt, et ideo a tali peste mundari debet sancta Ecclesia. Illud etiam non omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ (*I Tim.* V),

(98) Locus depravatus.

(99) Idem prohibitum, infra cap. 52.

Introdusă în format electronic de Google

dæmonum illusionibus, et phantasmatibus seductæ, credunt se et profitentur, nocturnis horis cum Diana paganorum dea, vel cum Herodiade et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias et multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, et certis noctibus ad ejus servitium evocari (100). Sed utinam hæ solæ in perfidia sua periissent, et non multos secum in infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta hæc vera esse credit, et credendo a recta fide deviat, et in errore paganorum revolvitur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum arbitratur. Quapropter sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo omni instantia prædicare debent, ut noverint hæc omnimodis falsa esse, et non a divino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium [*al.* infidelium, *Vict.*] irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI) cum mentem cujuscunque mulierculæ ceperit, et hanc sibi per infidelitatem et incredulitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species atque similitudines, et mentem quam captivam tenet in somnis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit. Et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in somnis et nocturnis visionibus extra seipsum educitur, et multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis vero tam stultus et hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cum Ezechiel propheta visiones Domini in spiritu non in corpore vidit (*Ezech.* III), et Joannes apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu, non in corpore vidit et audivit, sicut ipse statim inquit : *Fui in spiritu* [sicut ipse dicit : Statim, inquit : fui in spiritu. *orig.*] : Et Paulus non audet se dicere raptum in corpore? (*I Cor.* XII). Omnibus itaque publice annuntiandum est, quod qui talia et his similia credit, fidem perdit, et qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, id est diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel in similitudinem, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecit, et per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, et pagano deterior.

CAP. 31. — *De cultoribus arborum. Ex registro Gregorii* (*l.* VII, *ind.* 1, *ep.* 20, *ad Agnellum episc. Terratinæ*).

Pervenit ad nos quosdam (quod dici nefas est) arbores colere, et multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas tua districta emendare ultione distulerit. Propterea scriptis præsentibus adhortamur hos diligenti investigatione perquiri, et ut veritate cognita talem in eis faciatis exercere vindictam, quatenus et Deus placari possit, et aliis eorum ultio correctionis exemplum sit.

CAP. 32. — *De cultoribus idolorum et pœna eorum. Ex eodem* (*ejusdem l. ep.* 66 *ad Januar. episc. Calarit.*).

(26, *q.* 5, *c. Contra idolorum.*) Contra idolorum cultores, vel aruspicum atque sortilegorum fraternitatem tuam vehementius pastorali hortamur invigilare custodia, atque publice in populo contra hujus rei viros sermonem facere, eosque a tanti labe sacrilegii, et divini intentione judicii, et præsentis vitæ periculo [*al.* pabulo] adhortatione suasoria revocare. Quos tamen si emendare a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus ; et quidem, si servi sunt, verberibus cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare. Si vero sunt liberi inclusione digna, districtaque sunt pœnitentia distringendi [in pœnitentiam dirigendi, *orig.*], ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.

CAP. 33. — *De eadem re. Ex eodem ad Hadrianum notarium* (*l.* IX *regist.*, *ep.* 47).

(26, *q.* 5, *c. Pervenit ad nos.*) Pervenit ad nos quod quosdam incantatores atque sortilegos fueris insecutus. Et omnino nobis sollicitudinem hanc zelumque tuum gratum fuisse cognoscas ; sed moleste tulimus, quod te dubitare, ne ab eis nobis contra experientiam tuam subripi potuisset, didicimus, cum certus esse ac scire debueris hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam ascribi ; et ideo studii tui sit sollicite quærere, et quoscunque inveneris hujusmodi Christi inimicos, ita districta ultione corrigere, ut et nos de experientia tua melius possimus habere judicium, et Deo te nostro (quod maxime studendum est) valeas commendare.

CAP. 34. — *De illis qui ritum paganorum observant. Ex conc. Bracarensi, cap.* 6 (*c.* 71, *syn. Græc. Martini Bracar.*).

(26, *q.* 5, *c. Non liceat.*) Si quis paganorum consuetudinem sequens divinos et sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittat, aut maleficia inveniat, quinque annos pœniteat.

CAP. 35. — *De illis qui auguriis et incantatoribus subserviunt. Ex conc.* IV *Carthaginensi, cap.* 89.

(26, *q.* 5, *c. Auguriis.*) Auguriis vel incantationibus servientem a conventu Ecclesiæ separandum

(100) Idem refert et August. lib. De spiritu et anima, cap. 18.

Introdusă în format electronic de Google

decernimus; similiter et Judaicis superstitionibus vel feriis inhærentem.

CAP. 36. — *De eadem re. Ex Pœnitentiali Romano.*

Qui auguriis vel divinationibus inserviunt, vel qui credit ut aliqui hominum sint immissores tempestatum, vel si qua mulier divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, septem annos pœniteat.

CAP. 37. — *De illis qui sortes observant.*

Auguria vel sortes, quæ dicuntur false sanctorum, vel divinationes qui observaverint, vel quarumcunque scripturarum, vel votum voverint, vel persolverint ad arborem vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem, excepto ad Ecclesiam, omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam venerint, clerici annos tres, laici unum et dimidium pœniteant.

CAP. 38. — *De excidendis arboribus quas vulgus colit. Ex concilio Nannetensi, cap.* 8 (*sub Fermoso, c.* 20).

Summo studio decertare debent episcopi et eorum ministri, ut arbores dæmonibus consecratæ quas vulgus colit, et in tanta veneratione habet, ut nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitus excidantur atque comburantur. Lapides quoque quos in ruinosis locis et silvestribus dæmonum ædificationibus decepti venerantur, ubi et vota vovent et deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco projiciantur, ubi nunquam a cultoribus suis venerari possint. Et omnibus annuntietur quantum scelus sit idololatria, et qui hæc veneratur et colit quasi Deum suum negat, et Christianitati abrenuntiat, et talem pœnitentiam inde suscipiat quasi idola adorasset. Omnibusque interdicatur ut nullus votum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad ecclesiam Domino Deo suo. Scriptum est enim : *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV). Novimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas suos minatus est, qui in lucis sacrificabant, et in excelsis immolabant, si quis hæc transgressus fuerit, *fidem* perdidit, *et est infideli deterior* (*I Tim.* V). Et idcirco omnimodo a sanctæ Ecclesiæ consortio abscindatur, et nisi digne pœnituerit, non recipiatur.

CAP. 39. — *De illis qui dæmonibus immolant. Ex pœnit. Theodori.*

Nam de his qui dæmonibus immolant Theodori episcopi constitutiones habemus, in quibus scriptum est : Qui immolant dæmoniis in minimis, anno uno pœniteant; qui vero in magnis, decem annos pœniteant.

CAP. 40. — *De illis qui traditiones gentilium observant. Ex concilio Bracarensi, cap.* 20 (*c.* 72 *syn. Græc. Marti. Bracar. episc.*).

(26, *q.* 5, *c. Non liceat Christianis.*) Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium et observare, vel colere elementa, aut lunam, aut stellarum cursum, et inanem signorum fallaciam considerare pro domo facienda, et ad conjugia socianda. Scriptum est enim : *Omnia quæcunque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo* (*Col.* III). Si quis autem fecerit, severissime corripiatur, et canonice pœniteat.

CAP. 41. — *De mulierculis quæ infantes suos pro sanitate in fornace, aut super tectum ponunt. Ex pœnit. Bedæ presbyteri.*

Mulier si qua filium suum ponit super tectum aut in fornacem pro sanitate febrium, annum unum pœniteat.

CAP. 42. — *Quod non liceat iniquas observationes agere Kalendarum. Ex decretis Martini episcopi* (*c.* 73 *syn. Græc.*).

(26, *q.* 7, *c. Non licet iniquas.*) Non licet iniquas observationes agere Kalendarum, et otiis vacare, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc observatio paganorum est.

CAP. 43. — *De illis qui Kalendas Januarii ritu paganorum colere præsumunt. Ex decretis Zachariæ papæ, cap.* 11.

(26, *q.* 7, *c. Si quis Kalendas.*) Si quis Kalendas Januarii ritu paganorum colere vel aliquid plus novi facere propter novum annum, aut menses [mensas, *Grat.*] cum lampadibus vel epulis in domibus suis præparare, et per vicos et plateas cantores et choros ducere præsumpserit, anathema sit.

CAP. 44. — *De eadem re. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 3.

Si quis in Kalendis Januarii aliquid fecerit quod a paganis inventum est, et dies observat, et menses, et lunam, et eorum effectiva potentia aliquid sperat in melius aut in deterius verti, anathema sit.

CAP. 45. — *De bubulcis vel venatoribus qui suas incantationes exercuerint. Ex eodem, cap.* 4.

Perscrutandum est, si aliquis subulcus vel bubulcus sive venator, vel cæteri hujusmodi dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, et hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat ut sua animalia liberet a peste et clade et alterius perdat, quæ omnia idololatriam esse nulli fidelium dubium est, et ideo summopere sunt exterminanda.

CAP. 46. — *Quod non liceat mulieres Christianas vanitates in suis lanificiis observare. Ex conc. Brac., cap.* 11 (*cap.* 75 *syno. Græc. Marti. Brac.*).

(26, *q.* 5, *c. Non liceat Christianis.*) Non liceat mulieres Christianas vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

CAP. 47. — *Quod non liceat in herbarum collectionibus incantationes adhibere. Ex eodem, cap.* 21 (*ib., c.* 74).

(26, *q.* 5, *c. Non liceat Christianis.*) Non licet in collectione herbarum medicinalium aliquas observationes vel incantationes attendere [observare], nisi

Introdusă în format electronic de Google

tantum cum Symbolo divino, et Oratione Dominica, ut Deus et Dominus noster honoretur.

CAP. 48. — *De illis qui ad fontes vel ad arbores faculas accenderint. Ex eodem, cap.* 22 (*conc. Aret.* II, *c.* 23).

Si in alicujus presbyteri parœcia infideles aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur, si hoc eruere neglexerint, sacrilegium se fecisse cognoscat præsumptor aut hortator rei ipsius. Si admonitus hoc emendare neglexerit communione [sacrilegii se esse reum cogn. dominus autem vel ordinator rei ipsius. Si admonitus emend. noluerit, et c. *orig.*], privetur.

CAP. 49. — *Ut vaticinatores cæsi ejiciantur. Ex concilio Arelatensi, cap.* 11.

Vaticinatores qui se futura scire dicunt cæsi de civitate ejiciantur.

CAP. 50. — *Item de mulierculis incantatricibus. Ex Pœnit. Roman.*

Mulier si divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, annum unum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies, secundum qualitatem delicti.

CAP. 51. — *De illis qui manducant aut bibunt, aut portant super se aliquid ad Dei judicium subvertendum. Ex. conc. Triburiensi, cap.* 4.

Si quis manducat, aut bibit, aut portat super se unde existimat Dei judicium pervertere posse, et exinde comprobatus fuerit, eadem sententia feriatur qua magi et harioli et incantatores feriuntur.

CAP. 52. — *De illis qui in tabulis aut in codicibus futura requirunt. Ex Pœnitentia Theodori.*

In tabulis vel codicibus sorte futura non sunt requirenda, et ut nullus in Psalterio vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus observare. Quod si fecerit, quadraginta dies pœniteat.

CAP. 53. — *De illis maleficis qui sperant se mentes hominum posse pervertere. Ex Pœnit. Roman.*

Malefici vel incantatores, vel immissores tempestatum, vel qui per invocationem dæmonum mentes hominum perturbant, anathematizati abjiciantur. Et si emendare voluerint, clerici tres annos, laici unum annum pœniteant.

CAP. 54. — *De eadem re. Ex concilio Agathensi, cap.* 4 (101).

Perquirendum est si aliqua femina sit quæ per quædam maleficia et incantationes mentes hominum se immutare posse dicat, id est ut de odio in amorem, aut de amore in odium convertat, ut [aut, *Vict.*] bona hominum aut damnet aut subripiat. Et si aliqua est quæ se dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulierum transformatam certis noctibus [nocturnis horis] equitare super quasdam bestias, et in eorum consortio adnumeratam esse, hæc talis omnimodis scopis correcta ex parœcia ejiciatur.

CAP. 55. — *De illis qui ad suas vanitates perficiendas dæmones invocant. Ex Pœnit. Bedæ presbyteri.*

Quicunque pro curiositate futurorum vel invocatorem dæmonum [invocator est dæmonum], vel divinos quos hariolos appellant, vel aruspices qui auguria colligunt, consuluerit, clerici ab omni officio remoti, tres annos; laici, duos annos pœniteant.

CAP. 56. — *De illis qui nocturna sacrificia dæmonum celebraverint. Ex Pœnit. Roman.*

Quicunque nocturna sacrificia dæmonum celebraverint, vel incantationibus dæmones quacunque arte ad vota sua invitaverint, tres annos pœniteant.

CAP. 57. — *De illis qui ad arbores, vel ad fontes aliqua vota voverint. Ex concilio Agathensi, cap.* 5.

Perscrutandum est, si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam quasi ad altaria faciat, aut ibi candelam seu quodlibet munus deferat, veluti ibi quoddam numen sit quod bonum aut malum possit inferre.

CAP. 58. — *De illis qui quando luna obscuratur clamores suos et maleficia sua exercuerint. Ex conc. Arelatensi, cap.* 5.

Quicunque exercuerint hæc quando luna obscuratur, ut [et] cum clamoribus suis a maleficiis [maleficiis suis] et sacrilego usu se posse defendere credunt, et quicunque divinos præcantatores, phylacteria etiam diabolica, vel characteres diabolicos, vel herbas, vel succinos suis vel sibi impendere tentaverint, vel quintam feriam in honorem Jovis vel Kalend. Januarii secundum paganam consuetudinem honorare præsumpserint, monachus quinque, clericus quatuor, laicus duos annos pœniteat.

CAP. 59. — *De illis qui vanitates suas in excubiis exercuerint. Ex eodem concilio, cap.* 3 (102).

Laici qui excubias funeris observant, cum timore et tremore et reverentia hoc faciant. Nullus ibi præsumat diabolica carmina cantare, non joca et saltationes facere, quæ pagani diabolo docente adinvenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse, et non solum a religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi lætari, inebriari, cantare et cachinnis ora dissolvi, et omni pietate et affectu chari tatis postposito quasi de fraterna morte exsultare, ubi luctus et planctus flebilibus [fidelibus, *Vict.*] vocibus debuerat resonare pro amissione chari fratris? Patres si quidem Veteris ac Novi Testamenti mortes sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deplorasse; in nullo autem loco qui a sæculo recesserant, exsultasse. Nam et Jacob patriarcham flevit tota Ægyptus septuaginta diebus. Et Joseph et fratres ejus cum patrem deferrent in terram Chanaan ad sepeliendum, celebrantes exsequias ad aream Athael [*al.*, Atad], quæ sita est trans Jordanem, planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies. Tantus autem fuit planctus ut locus inde nomen acceperit (*Gen.* L). Et de beato Stephano legimus quod sepelierunt eum, sive *curaverunt viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum* (*Act.* VIII). Et ideo talis inepta lætitia et pestifera cantica ex auctoritate Dei interdicenda sunt. Si quis autem cantare desiderat, Ky-

(101) Annectitur ad calcem.

(102) Annectitur conc. III. Arelatens.

Introdusă în format electronic de Google

rie eleison cantet; sin aliter [autem], omnino taceat. Sin autem tacere non vult, in crastino a presbytero taliter coerceatur, ut cæteri timeant.

Cap. 60. — *De eadem re. Ex concilio Meidensi, cap.* 10 (*et conc. Eliberit., cap.* 35).

Placuit prohiberi, ne feminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis et religionis, latenter scelera committant.

Cap. 61. — *De conviviis quæ fiunt ritu paganorum. Ex concilio Africano, cap.* 27 (*sub Cælest. I*).

Illud etiam petendum, ut, quoniam contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt (ita ut nunc a paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex quare temporibus Christianorum imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur) vetari talia jubeant, et de civitatibus et de possessionibus imposita pœna prohiberi, maxime cum etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas civitates et in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam (quod pudoris est dicere) saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant, ut matronalis honor et innumerabilium feminarum pudor devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientium appetatur, ut etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus.

Cap. 62. — *De eadem re. Ex decretis Leonis papæ (ep.* 92 *Leonis pap. I, ad Rusticum Narbonen. episc., c.* 17).

Qui convivio solo gentilium, et escis immolaticiis usi sunt, possunt jejuniis et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

Cap. 63. — *Ne fideles in cœmeteriis prandere præsumant. Ex concilio secundo Bracarensi, cap.* 70 (*c.* 69 *syn. Græc. Marti. Braca.*).

(*De cons. dist., c. Non oportet.*) Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, et sacrificare mortuis.

Cap. 64. — *De illis qui balationes fecerint, et se in alienas formas transmutaverint. Ex eodem conc., cap.* 80.

Si quis balationes ante ecclesias sanctorum fecerit, seu qui faciem suam transmutaverit (transformaverit) in habitu muliebri, et mulier in habitu viri, emendatione pollicita tribus annis pœniteat.

Cap. 65. — *Quod incantationes et magicæ artes laquei diaboli sint. Ex dictis Augustini.*

(26, *q.* 7, *c. Admoneant.*) Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint magicos artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi; sed hæc esse laqueos et insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur; et si quis hæc exercuerit, clericus, degradetur, laicus, anathematizetur.

Cap. 66. — *De illis qui salutem non a Salvatore, sed ab ejus creatura requirunt. August. in lib. De civit. Dei.*

Omnis sapientia a Domino Deo est et apud illum fuit semper, et est ante ævum. Arenam maris et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli et latitudinem terræ et profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna (Eccli. 1) (26, *q.* 2, *c. Qui sine Salvatore*). Qui enim sine Salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non salvus sed æger, non prudens sed stultus, in ægritudine assidua laborabit, et in cæcitate noxia stultus et demens permanebit. Ac proinde omnis inquisitio et omnis curatio quæ a divinis, et magis vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quam vita, et qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt, Psalmista dicente: *Omnes dii gentium dæmonia sunt* (*Psal.* xcv), qui per deceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, ut perditionis suæ faciant eos esse participes. Itaque hæc vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis sæculis valuit, per quamdam scientiam futurorum et infernorum, et per inventiones eorum inventa sunt aruspicia, augurationes, et ipsa quæ dicuntur oracula, et necromantia.

Cap. 67. — *De inventoribus magicæ artis, et necromantia. Ex dictis August.* (*Isidorus, lib.* VIII *Etym., c.* 9).

(26, *q., c. Nec mirum.*) (103) Nec mirum de magorum præstigiis, quorum in tantum prodiere maleficiorum artes, ut etiam Moysi in illis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, aquas in sanguinem (*Exod.* VII). Fertur etiam in gentilium libris, quod quædam maga, famosissima Circe, socios Ulyssis mutaverit in bestias. Legitur et de sacrificio quod Arcades Deo suo Dycæo immolabant, ex quo quicunque sumerent in bestiarum formas converterentur. Sed hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantur quam rerum veritate complerentur. Ut ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorum proprietate atque inventoribus, juxta traditionem majorum, primum dicere congruum arbitramur. Magi sunt, qui vulgo malefici ob facinorum suorum magnitudinem nuncupantur. Hi permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo ac sine ullo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Unde et Lucanus:

(103) D. promptum ex Aug. lib. XVIII De civitate Dei, c. 17 et 18.

Introdusă în format electronic de Google

Mens hausti nulla sanie polluta venenis
Incantata perit.

LUCANUS, *Pharsal*, lib. VI, vers. 457.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, ut quisque suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine utuntur, et victimis sæpe contingunt corpora mortuorum. Necromantii sunt, quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui divinare et ad interrogata respondere; νεκρὸς enim Græce *mortuus*, μαντεία *divinatio* nuncupatur. Ad quos suscitandos cadaveri sanguis adjicitur; nam amare sanguinem dæmones dicuntur. Ideoque quoties necromantia fit, cruor æquæ [aqua] miscetur, ut colore sanguinis facilius provocentur. Hydromantici ab aqua dicti. Est enim hydromantia in aquæ inspectione umbras dæmonum evocare, et imagines ludificationis [imagineas ludificationes; imagines et ludificationes] eorum videre, ibique ab eis aliqua audire. Ut adhibito sanguine etiam inferos perhibentur suscitare.

CAP. 68. — *De variis generibus divinationum. Ex dictis ejusdem (ibid., proxime post).*

(26, *q.* 4, *c. Igitur genus.*) Igitur genus divinationis a Persis fertur allatum. Varro autem dicit divinationis quatuor esse genera, terram, aquam, aerem et ignem. Hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam, dictam autumant. Divini dicti sunt, quasi deo pleni; divinitate enim plenos se esse assimulant, astutia quadam fraudulenta [fallendi] hominibus futura conjectant. Duo autem sunt genera divinationis, ars et furor. Incantatores vero dicti sunt, qui artem verbis peragunt. Arioli vocati sunt, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum accipiunt responsa. Aruspices nuncupantur, quasi horarum inspectores. Dies enim et horas in agendis negotiis operibusque custodiunt, et quid per singula tempora observare debeat homo intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura prædicunt. Augures sunt qui volatus avium et voces intendunt, aliaque signa rerum vel observationes improvisas hominibus occurrentes ferunt. Iidem et auspices. Nam auspicia sunt quæ iter facientes observant; dicta autem sunt auspicia quasi avium aspicia; et auguria quasi avium garria, hoc est avium voces et linguæ. Item augurium quasi avigerium, quod aves gerunt. Duo autem sunt genera auspiciorum, unum ad oculos, alterum ad aures pertinens. Ad oculos scilicet volatus, ad aures vox avium. Pythonissæ a Pythio Apolline dictæ, quod is auctor fuerit divinandi. Astrologi dicti sunt eo quod in astris augurantur. Genethliaci appellati sunt propter natalitiorum considerationes dierum; geneses enim hominum per duodecim cœli signa describunt, siderumque cursus, nascentium mores, actus et eventus prædicere conantur, id est quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur interpretantur. Hi sunt qui vulgo mathematici vocantur, cujus superstitionis genus constellationes Latini vocant, id est notationes siderum, quomodo se habeant cum quisque nascitur. Primum autem genus, id est stellarum interpretes, magi nuncupantur, sicut de his legitur qui in Evangelio natum Christum annuntiaverunt (*Matth.* II). Postea hoc nomine soli mathematici dicti sunt, cujus artis scientia usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde nativitatem alicujus de cœlo interpretetur. Horoscopi dicti sunt, quod horas nativitatis hominum specularentur dissimili et diverso fato. Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum scientiæ inspectione futura promittunt. Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid exinde prosperum seu triste significari prædicunt.

CAP. 69. — *De exsecralibus remediis quæ medici suis præcantationibus faciunt. Ex dictis ejusdem (ibid. proxime subjungitur)* (104).

(26, *q.* 5, *c. Nec mirum.*) Ad hæc omnia supradicta pertinent et ligaturæ exsecrabilium remediorum, quæ ars commendat [condemnat, *habet August. et Isidor.*] medicorum, seu in præcantationibus seu in characteribus, vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda sunt Christiano et omni penitus exsecratione repudianda atque damnanda. Auguria autem sunt avium. Hæc autem Phryges primi invenerunt. Præstigium vero Mercurius primus dicitur invenisse. Dictum est autem præstigium quod præstringat aciem oculorum. Aruspicinæ artem primus Etruscis tradidisse dicitur quidam Tages [Strages, *orig. et Vict.*]. Hic ex horis aruspicinam dictavit, et postea non apparuit. Nam dicitur fabulose, arante quodam rustico, subito hic ex glebis exsiluisse et aruspicinam dictasse qua die et mortuus est. Quos libros Romani ex Etrusca lingua in propriam mutaverunt. *Hactenus Isidorus.* His ergo portentis per dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit investigare. Ac ideo datur potestas immundis spiritibus, ut per vasa sibi apta, hoc est pravos homines, seducant illos qui spernunt veritatem et credunt mendacio, et, juxta Pauli sententiam, *sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* IV). Onerati peccatis ducuntur *variis desideriis semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (*II Tim.* III). (26, q. 4, c. Sciendum.) Quemadmodum autem Jannes, et Mambres resisterunt Moysi (*Exod.* VII), ita et isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fi-

(104) Principium decerptum est ex lib. II August. De doct. Christ., c. 20 et 23.

Introdusă în format electronic de Google

dem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. Nec ideo quisquam credere debet quoslibet magicis artibus aliquid facere posse sine permissu Dei (qui omnia quæ fiunt, aut justo judicio facit, aut permissu suo ita fieri sinit) quod prædicti magi leguntur similia fecisse Moysi, qui virgam suam projecit, et conversa est in draconem, projeceruntque ipsi singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum (*Exod.* VII). [*Aug*, *L. q. super Exod.*, *q.* 21.] Non enim fuerunt creatores draconum nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus. Et sic non dicuntur angeli qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolæ segetum vel arborum, vel quorumcunque in terra gignentium, creatores dicendi sunt, quamvis noverint præbere quasdam visibiles opportunitates et causas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc illi invisibiliter; Deus vero solus unus creator est, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit. (*August. lib. Quæst. Veteris et Novi test.*, *c.* 27.) Præterea quidam quærendum putant, quomodo Scriptura narret Pythonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquium Saul impiissimi regis (*I Reg.* XXVIII), si Pythonica divinatio errori magicæ artis deputanda sit. Quibus ita responderi potest indignum [malignum] omnino facinus esse, si secundum verba historiæ commodetur assensus. Quomodo enim poterat fieri, ut arte magica attraheretur vir et nativitate [a nativitate] sanctus, et vitæ operibus justus; aut si non attractus est, consensit? Quod utrumque de viro justo credere, absurdum est [adversum est]. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia; si autem voluntarius, amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsiverat. Quod valde absurdum est, quia hinc qui justus recedit, permanet justus. Porro autem hoc est præstigium Satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingat. Quod Apostolus inter cætera ostendit dicens : *Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI). Ut enim errorem faceret, in quo et ipse gloriaretur, in habitu viri justi et nomine se subornavit, ut nihil proficere spem quam prædicabant Dei cultoribus mentiretur, quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul et filiorum ejus non sit mentitus, quasi magnum sit diabolo ante occasum mortem corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris, quippe a quibus Dei protectio amota videtur, quanto magis diabolo, quem angelica majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur, de cujus magnitudine Apostolus ait : *An ignoratis altitudinem Satanæ?* (*II Cor.* XI.) Quid mirum ergo si imminentem prope A mortem potuit prævidere, cum hoc sit unde fallit et se in Dei potestate vult adorari? (*Apoc.* II.) Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, ut ad Pythonissam confugeret; depravatus enim causa peccati, ad hæc se contulit quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam et ea quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda ne ratio historiæ inanis sit, recte faciet quidem, si tamen minime istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum et intellectum Saul. Neque enim reprobus factus poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saul et habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta et visa sunt exprimens, prætermittens si [sive] vera an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, intellexit, inquit, hunc esse Samue- B lem (*I Reg.* XVIII). Quid intellexerit retulit, et quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit quam Dominum, et putans Samuelem, adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet Satanas. Hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei qui cum Abraham refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ : Cras mecum eris? His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus Satanas, quia et adorari se permisit sub habitu et nomine Samuelis contra legem, et virum peccatis pressum (cum magna distantia peccatorum et justorum sit) cum Samuele C justissimo futurum mentitus est. Verum potest videri si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat, ad eum enim transmigravit quem adoravit. Semper enim diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit quæ abhorreant personis per quas fallere nititur. Si autem quilibet opponit, ac dicit : Quomodo eveniunt illa quæ illi divini prædicunt futura, aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis ac potestatis non habent? Hoc a nobis recipiat responsum, quod ideo quisquam non debet eis credere, quia aliquando eveniunt quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, vel lædere sanos, quia hoc permissu Dei fit, D ut ipsi qui hæc audiunt vel vident probentur, et appareat quali fide sint, vel devotione erga Deum. Sicut in Deuteronomio legitur Moyses verbo Domini populo Dei præcepisse, ita dicens : *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum ac portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit : Eamus et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetæ aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, mandata illius custodite et audite vocem ejus. Ipsi servietis, et ipsi adhærebitis* (*Deut.* XIII), etc [*August.*, *L. quæst. super Deut.*, *q.* 19.] Ubi sane in-

Introdusă în format electronic de Google

telligi voluit, etiam illa quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic ut fiant [vel etiam si fiant, *Vict.*] quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse quod ista contingunt, sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam utique eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum. Cognoscendam vero ab ipsis potius quam ab illo, qui scit omnia antequam fiant.

CAP. 70. — *De natura dæmonum. Ex dictis ejusdem (August., c. 3 lib. De divinatione dæmonum).*

Sciendum vero est hanc dæmonum esse naturam ut aerei corporis sensu terrenorum corporum sensum facile præcedant : celeritate etiam, propter aerei corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quorumlibet hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet præditi, hoc est acrimonia sensus et celeritate motus, multo ante cognita prænuntiant, vel nuntiant quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam potest hominibus propter brevitatem vitæ provenire. Per has efficacias quas aerei corporis natura sortita est, non solum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa mira faciunt. Quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus serviant, et quibus honores divinos deferant arbitrantur, instigante maxime vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ, et excellentiæ temporalis. Qui autem se ab eis cupiditatibus mundant, nec eis se feriendos rapiendosque [fallendos capiendosque] permittunt, sed inquirunt et amant aliquid quod eodem modo semper est, cujus participatione beati sint, primum considerant non ideo sibi præponendos esse dæmones, quod acriore sensu corporis prævalent aeris [aerei] scilicet, hoc est subtilioris elementi : quia nec ipsis terrenis corporibus bestias sibi præponendas putant, quæ acrius multa persentiunt : veluti sagacem canem, quia latentem feram olfactu acerrimo sic invenit, ut ad eam capiendam ducatum quemdam homini præbeat : non utique prudentiore intellectu animi, sed acutiore corporis sensu ; vel vulturem, quia projecto cadavere ex improvisa longinquitate advocat ; nec aquilam, quia sublimiter volans de tanto intervallo natantem sub [in] fluctibus piscem dicitur pervidere, et graviter illisa, exsertis pedibus atque unguibus rapere ; nec alia multa animantium genera quæ inter herbas saluti suæ noxias pascendo circumerrant, nec aliquid eorum quo lædantur attingunt, cum eas homo vix experimento capere didicerit, et multa innoxia quod sint inexperta, formidet. Unde conjicere facile est quantum possit in aereis corporibus sensus esse acrior, nec ideo tamen dæmones qui eo præditi sunt bonis hominibus præponendos prudens quisque censuerit. Hoc et de corporum celeritate dicimus : et hac enim præstantia non solum a volucribus homines, verum etiam a multis quadrupedibus ita superantur, ut in eorum comparatione plumbei deputandi sint : nec tamen ideo sibi hæc animantium genera existimant præponenda, quibus capiendis et mansuefaciendis atque in suæ voluntatis usum commodumque redigendis, non vi corporis, sed rationis imperitant. (*Ibid.*, *c.* 4.) Illam vero tertiam dæmonum potentiam quod diuturna rerum experientia quemadmodum prænoscant atque prænuntient multa didicerunt, ita contemnunt qui hæc vigilanter curant a verissimæ lucis veritate discernere, ut nec malos senes plura expertos et ob hoc quasi doctiores, ideo probi adolescentes sibi antecellere existiment, ut nec medicos, nec nautas, nec agricolas, quos pravæ voluntatis et iniquis moribus viderint, ideo putent sibi esse præferendos quod illi de valetudinibus, illi de tempestatibus, illi de arbustorum generibus multa ita prænuntiant, ut harum rerum inexperto divinare videantur. Quod vero non solum quædam dæmones futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipsa utique sui corporis excellentia, cur non contemnatur a prudentibus, cum plerique iniqui ac perditi homines ita exerceant corpora sua, tantaque diversis artibus possint, ut ea qui hæc nesciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant? Quam multa funambuli cæterique theatrici artifices, quam multa opifices maximeque mechanici miranda fecerunt? Num ideo meliores sunt bonis, et sancta pietate præditis hominibus? Quæ ideo commemoravimus, ut qui hæc sine pervicacia et sine vana resistendi animositate considerat, simul cogitet, si de subjacenti crassiore materia, vel sui quisque corporis vel terræ et aquæ, lapidum atque lignorum metallorumque variorum tanta quidem homines possunt, ut eos illi qui hæc non possunt plerumque stupendo in sui comparatione divinos vocent, cum quidam illorum sint artibus potentiores, quidam istorum moribus meliores : quanto meliora et majora pro subtilissimi corporis, hoc est aerei facultate ac facilitate, dæmones possint, cum tamen sint pravitate voluntatis maximeque superbiæ fastu et evidenti malitia spiritus immundi atque perversi. Quantum autem valeat aeris elementum quo eorum corpora prævalent, ad multa visibilia invisibiliter molienda, movenda, mutanda atque versanda, longum est nunc demonstrare, et putamus quod vel mediocriter consideranti facile occurrat.

CAP. 71. — *De divinatione dæmonum. Ex dictis ejusdem (ejusdem lib. cap. 5).*

Igitur nunc primum sciendum est, quoniam de divinatione dæmonum quæstio est, illos ea plerumque prænuntiare quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem et morbos immittere, et ipsum aerem vitiando morbidum reddere, et perversis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta

Introdusă în format electronic de Google

suadere, de quorum moribus certi sunt, quod sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent enim [miris et invisibilibus modis, per illam subtilitatem corporum suorum corpora hominum non sentientium penetrando, et se cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, sive vigilantium sive dormientium. Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt. Neque enim quia prævidet medicus quod prævidere nescit hujus artis ignarus, ideo jam divinus habendus est. Quid autem mirum, si quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie, seu bonas seu malas futuras prævidet valetudines, sic dæmon in aeris affectione atque ordinatione sibi nota, nobis ignota, futuras prævidet tempestates? (*Vide* in *Retract.*, *c.* 30.) Aliquando et hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur : ita non debet esse incredibile, si etiam leniores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt. (*Ejusdem lib. De divinat.*, *c.* 6.) Hac atque hujusmodi facultate multa dæmones futura prænuntiant, cum tamen ab eis longe sit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per sanctos angelos suos et prophetas operatur. Nam si quid de illa Dei dispositione prænuntiant, audiunt ut prænuntient : et cum ea prædicunt quæ inde audiunt non fallunt, veracissima enim sunt angelica et prophetica oracula. Si [sic, *Vict.*] autem indignanter [*Apud Aug. hodie legitur*, non indignatur] accipitur, quod aliqua etiam talia dæmones audiant et prædicant, quasi aliquid indignum sit, ut quod ideo dicitur ut hominibus innotescat, hoc non solum boni, verum etiam mali non taceant : cum in ipsis hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videamus pariter a justis perversisque cantari : nec obesse aliquid, imo etiam prodesse ad majorem notitiam famamque veritatis, cum de illa etiam hi quidquid noverunt dicunt, qui ei perversis moribus contradicunt. In cæteris autem suis prædictionibus dæmones plerumque et fallunt et falluntur. Falluntur quidem quia cum suas dispositiones prænuntiant [pronuntiant], ex improviso desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbat : velut si aliquid disponant quilibet homines quibusque potestatibus subditi, quod non prohibituros suos præpositos arbitrentur, idque facturos se esse promittant. At illi penes quos major potestas est ex alio superiore concilio hoc totum dispositum atque præparatum repente prohibeant. Falluntur etiam, cum causis naturalibus aliqua, sicut medici, et nautæ, et agricolæ, sed longe acutius longeque præstantius pro aerei corporis sensu solertiore et excitatiore prænoscunt : quia et hæc ab angelis Deo summo pie servientibus ex alia dispositione ignota dæmonibus ex improviso ac repente mutantur : tanquam si aliquid ægro extrinsecus accedat quo moriatur, quem medicus veris salutis præcedentibus signis victurum esse promiserat. Aut si aeris qualitate provisa (prævisa), diu flaturum illum ventum nautarum aliqui prædixissent, cui Dominus Christus cum discipulis navigans, ut quiesceret *imperavit, et facta est tranquillitas magna* (*Matth.* VIII) : vel si agricola illo anno fructificaturam vitem aliquam polliceatur, naturam utique terræ et numeros seminum callens, quo tamen anno eam vel improvisa [cœli intemperies areB faciat, vel aliqua jussio potentioris eradicet : ita multa etiam ad præscientiam prædictionemque dæmonum pertinentia, quæ minoribus et usitatioribus causis futura prævidentur, eadem majoribus et occultioribus causis impedita mutantur. Fallunt autem etiam studio fallendi, et invida voluntate qua (quia, *Vict.*) hominum errore lætantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt ut interpretibus suis signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti. Nonnunquam vero ipsi maligni spiritus et illusores hominum, atque invisores salutis eorum solent prædicere defectum culturæ suæ et idolorum ruinam, quatenus præscii videantur quid in singulis regnis aut locis venturum sit, et quid adversi suæ factioni contingere possit. Quod etiam illi qui gentilium historias legunt non ignorant. Quid ergo mirum si jam imminente temporum et simulacrorum eversione, quam prophetæ Dei summi tanto ante prædixerant, Serapis dæmon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodidit, ut suam quasi divinationem recedens vel fugiens commendaret? (*Ibid.*, *c.* 7.) Fugantur enim isti vel etiam jussis superioribus colligati abstrahuntur, et alienantur a locis suis, ut de rebus in quibus colebantur, fiat voluntas Dei, qui hoc tanto ante per omnes gentes futurum esse prædixit, et ut per suos fideles fieret imperavit. Cur autem non hoc sineretur dæmon prædicere, cum sibi jam prænosceret imminere, cum hæc prædictio et in prophetis attestaretur, a quibus sunt ista conscripta, ut prudentibus daretur intelligi quam vigilanter esset dæmonum cavenda fallacia cultusque fugiendus? Qui cum ante per tam longum tempus in templis suis hæc futura tacuissent, quæ per prophetas prædicta ignorare non possent, posteaquam appropinquare cœperunt voluerunt ea quasi prædicere, ne ignari victique putarentur.

C

D

Cap. 72. — *De eadem re. Ex dictis ejusdem (ibid. proxime post).*

Cum igitur tam longe ante prædictum esset atque conscriptum, ut alia interim taceamus, dicamus illud quod Sophonias propheta dicit : *Prævalebit Dominus adversus eos et exterminabit omnes deos gentium*

Introdusă în format electronic de Google

terræ, et adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium (*Soph.* II). *Post pauca* : Aut non credebant ista sibi eventura qui in templis gentium colebantur, et hæc ideo per suos vates ac fanaticos frequentare noluerunt : aut cum ea ventura certissime scirent, ideo per sua templa tacuerunt, ne jam tunc inciperent ab hominibus intelligentibus deseri atque contemni, quod de templorum et simulacrorum suorum futura eversione eis a prophetis attestaretur, qui eos coli prohibebant. Nunc vero posteaquam tempus advenit, quo complerentur vaticinia prophetarum Dei unius, qui istos deos falsos dicit, et ne colantur vehementissime præcipit, cur non hoc etiam ipsi compertum prædicere sinerentur, ut inde clarius appareret eos hæc antea vel minime credidisse, vel suis cultoribus enuntiare timuisse : in fine autem tanquam nihil amplius habentes quod agerent, etiam ibi voluisse suam ostentare divinitatem, ubi jam produntur diu simulasse divinationem? (*Ibid.*, *paulo post*, *c.* 18.) Tamen nec ista ipsa quæ ab eis vix raro et clanculo proferuntur, movere nos debent, si cuiquam dæmonum extortum est id prodere cultoribus suis, quod didicerat ex eloquiis prophetarum, vel ex oraculis angelorum, quod cur non fieret, cum et ista non sit oppugnatio, sed attestatio veritatis? Illud enim quod solum ab ipsis fanaticis flagitandum est, nec unquam antea protulerunt, nec unquam postea nisi forte confictum proferre conabuntur, aliquid deos suos per vates suos contra Deum Israel ausos fuisse prædicere [prodere], de quo Deo doctissimi eorum auctores qui omnia illa legere ac nosse potuerunt, magis quæsiverunt quis Deus esset, quam Deum negare potuerunt. Porro autem Deus iste quem nullus eorum negare ausus est verum Deum, quia etsi negaret non solum subjaceret debitis pœnis, verum etiam certis convinceretur effectibus. Iste ergo Deus quem nemo, ut diximus, illorum negare ausus est verum Deum, illos falsos esse deos et omnino deserendos, eorumque templa et simulacra et sacra evertenda, per suos vates, hoc est prophetas, aperta denuntiatione prædixit, aperta potestate præcepit, aperta veritate complevit. Unde quis est qui usque adeo desipiat ut non eum potius colendum eligat, quem coli non prohibent quos colebat? Quem procul dubio cum colere cœperit, illos utique non est culturus, quos prohibet coli quem colit. (*Ibid.*, *c.* 9.) Quod autem ipsum essent culturæ gentes exterminatis diis falsis quos antea colebant, a prophetis ejus esse prædictum paulo ante commemoravimus, et nunc repetamus. *Prævalebit*, inquit, *Dominus*, *adversus eos*, *et exterminabit omnes deos gentium terræ*, *et adorabunt eum unusquisque de loco suo omnes insulæ gentium* (*Sophon.* II). Neque enim solæ insulæ hic intelligendæ sunt, sed potius omnes gentes in his positæ adorabunt Deum. Nec mirum, quandoquidem alibi non insulas nominat, sed universum orbem terrarum, dicens : *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ*, *et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium*, *quoniam Domini est regnum*, *et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI). Hæc autem per Christum fuisse complenda, et aliis pluribus testimoniis, et in eodem ipso psalmo unde hoc commemoravimus, satis apparet. Cum enim paulo superius futuram passionem suam per Prophetam ipse loqueretur dicens : *Foderunt manus meas et pedes meos*, *dinumeraverunt omnia ossa mea*, *ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me*, *diviserunt sibi vestimenta mea*, *super vestem meam miserunt sortem* (*ibid.*) ; paulo post infert illud quod posuimus : *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ*, etc. Quanquam et illud testimonium quod prius adhibui, ubi dictum est : *Prævalebit Dominus adversus eos*, *et exterminabit omnes deos gentium terræ*, in eo quod positum est, *Prævalebit*, satis ostendit etiam hoc prænuntiatum, quod pagani prius oppugnaturi essent Ecclesiam, nomenque Christianum quantum valerent persecuturi, ut si fieri posset de terra omnino deleretur, et quia eos patientia martyrum, et magnitudine miraculorum, et consequente fide populorum erat superaturus [superatura], ideo sic dictum est : *Prævalebit Dominus adversus eos.* Non enim diceretur, *prævalebit adversus eos*, nisi oppugnando illi resisterent. Unde et in psalmo ita prophetatum est : *Ut quid fremuerunt gentes*, *et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ*, *et principes convenerunt in unum adversus Dominum*, *et adversus Christum ejus* (*Psal.* II). Et paulo post dicit : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*, *postula a me*, *et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, *et possessionem tuam terminos terræ* (*ibid.*). His atque hujusmodi propheticis documentis prædictum ostenditur quod videmus impleri per Christum, futurum fuisse ut Deus Israel, quem unum verum Deum intelligimus, non in una ipsa gente quæ appellata est Israel, sed in omnibus gentibus coleretur, et omnes falsos Deos gentium et a templis eorum, et a cordibus cultorum suorum amoliretur. (*Ibid.*, *c.* 10.) Eant nunc isti, et adhuc contra Christianam religionem, contra verum Dei cultum vanitates pristinas defensitare audeant, ut cum strepitu pereant. Nam et hoc de illis prædictum est in psalmis, dicente Propheta : *Sedisti super thronum qui judicas æquitatem*, *increpasti gentes et periit impius*, *nomen eorum delesti in æternum*, *et in sæculum sæculi. Inimici defecerunt frameæ in finem*, *et civitates eorum destruxisti ; periit memoria eorum cum strepitu*, *et Dominus in æternum permanet* (*Psal.* IX). Necesse est ergo ut impleantur hæc omnia. Nec etiam illud quod adhuc audent ipsi pauci qui remanserunt, vaniloquas suas ostentare doctrinas, et Christianos tanquam imperitissimos irridere, nos commovere debet, dum in eis impleri ea quæ prædicta sunt videamus. (*Paulo inferius.*) Ex quo enim *fremuerunt gentes*, *et populi meditati sunt inania adversus Dominum*, *et adversus Christum ejus?* (*Psal.* II.) quando ab eis fundebatur sanguis sanctorum, et vastabatur

Introdusă în format electronic de Google

Ecclesia, usque ad hoc tempus et deinceps quotidie minuuntur. Nos autem adversus eorum opprobria et superbas irrisiones fortissimos reddunt oracula Dei nostri, quæ de hac quoque re videmus et gaudemus impleri. Sic enim nos alloquitur per Prophetam : *Audite me qui scitis judicium, populus meus in quorum corde lex mea est, opprobria hominum nolite metuere, et detractione eorum ne superemini, nec quod vos spernunt magni duxeritis. Sicut enim vestimentum, ita per tempus absumentur, et sicut lana a tinea comedentur ; justitia autem mea in æternum manet* (*Isai.* LI). *Hactenus eo loci August.* Attendendum est ergo atque omni studio cavendum, ne nostris temporibus in quibus videmus Christianam religionem in toto orbe dilatatam, propter desidiam magistrorum et inertiam doctorum pauci illi qui adhuc supersunt, confundant ritum culturæ veri Dei, et dæmoniacis illusionibus depravati divinationes falsas in populo Dei agant, rusticos et imperitos seducentes, ita ut deserta ipsa veritate quæ lux est mundi, et *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I) tenebrarum harum, quærant scientiam futurorum, et a deceptoribus hominum quærant salutem animarum, sive corporum suorum ; his enim prævaricationibus maxime irritatur Deus, et ad vindictam provocatur. Unde per Ezechielem comminatur dicens : *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desertis prophetæ tui Israel erant. Nunquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis ? et dicitis : Ait Dominus, cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus, et erit manus mea super prophetas qui vident vana et divinant mendacia. In concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur* (*Ezech.* XIII). Ad doctores autem per eumdem prophetam increpans eorum inertiam ita loquitur, dicens : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*ibid.*). Et rursum : *Væ*, inquit, *pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus ? Lac comedebatis et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod fractum est non alligastis, et quod abjectum non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt* (*Ezech.* XXXIV). Hinc et per Jeremiam dicitur : *A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes : Pax, pax cum non esset pax : confusi sunt, quia abominationem fecerunt* (*Jer.* VIII). *Idcirco hæc dicit Dominus Deus exercituum Deus Israel : Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis, et dispergam eos in gentibus quas non noverunt ipsi et patres eorum, et mittam post eos gladium donec consumantur* (*Jer.* IX). Qualiter ergo displiceat Deo omnipotenti pastorum negligentia et subditorum error, non solum prophetica testimonia ostendunt, sed etiam facta antiquorum declarant, cum in libro Regum legitur quomodo malignus spiritus deceperit Achab regem Israel per falsos prophetas, ita ut credens eis interierit. Et quomodo Ochozias filius ejus ægrotans miserit nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, utrum vivere atque convalescere posset de infirmitate sua (*III Reg.* XXII). Ob quod Elias propheta a Domino missus increpat eum, dicens : *Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris* (*IV Reg.* I). Mortuus est autem ipse juxta sermonem Domini quem locutus est Elias, et salutem quam quærebat non invenit. Quapropter curandum summopere est omnibus modis, hoc est prælatis et subditis, majoribus et minoribus, sacerdotibus et plebi, ne aliquem seducat per hujuscemodi illusionem fraus, dolus, et nequitia hostis antiqui, ita ut a mendacibus velimus discere veritatem, et a pestiferis morbis mortisque auctoribus quæramus infirmitatis nostræ remedium, sed magis ad Deum vivum et vivificatorem omnium confugiendo, devoto corde properemus, per orationes sacras, jejunia, et eleemosynas illum deprecantes, ut ipse propter benignitatem suam consulat servis suis, eripiens nos de omnibus inimicis nostris, doceatque nos facere voluntatem suam, quia ipse est Dominus Deus noster ; spiritumque suum bonum nobis tribuat, qui nos ducat in viam rectam, vivificetque nos in æquitate sua quatenus ejus magisterio omni tempore vitæ nostræ gratum ei servitium exhibentes, post hanc vitam per ejus gratiam mereamur beatitudinem possidere sempiternam [cœlestem].

CAP. 73. — *De sacerdotibus, et reliquis ecclesiasticis ordinibus qui magos, hariolos aut divinos consulunt. Ex concilio Toletano, cap.* 39 (*concil. Tolet.* IV, *c.* 28).

Si quis episcopus, aut presbyter, sive diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum magos, aut aruspices, aut hariolos, aut certe augures, vel sortilegos, aut eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus monasterii censuram excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissi sacrilegii luat [*al.* pœnam].

CAP. 74. — *De his qui ad fascinum incantationes fecerint. Ex conc. Cabilonensi, cap.* 5.

Si quis præcantaverit ad fascinum, vel qualescunque præcantationes, excepto Symbolo et Oratione

Introdusă în format electronic de Google

Dominica ; qui cantat, et cui cantatur, tres quadragesimas in pane et aqua pœniteat.

Cap. 75. — *Quod dæmoniacum petras, vel herbas sine incantatione liceat portare. Ex dictis Hieronymi.*

Dæmonium sustinenti licet petras vel herbas habere sine incantatione.

Cap. 76. — *Ne sacerdos inanibus ludis delectetur. Ex synodo Eugenii papæ tempore Ludovici et Lotharii Augustorum, cap.* 11.

Sacerdos ludos aliquos coram se fieri non delectetur. Transgressor quippe inventus admonitione episcopi ulterius agere desinat; sin autem, canonice judicetur.

Cap. 77. — *Ne mulieres festis diebus vanis ludis vacent, cap.* 35.

Sunt quidam et maxime mulieres, qui festis ac sacris diebus, atque sanctorum natalitiis, quibus debent Deo vacare, non delectantur ad ecclesiam venire, sed balando, ac verba turpia decantando, ac ducendo, similitudinem paganorum peragendo advenire procurant. Tales enim si cum minoribus veniunt ad ecclesiam, cum majoribus peccatis revertuntur. In tali enim facto debet unusquisque sacerdos diligentissime populum admonere, ut pro sola oratione his diebus ad ecclesiam recurrant, quia ipsi qui talia agunt, non solum se perdunt, sed etiam alios deperire attendunt.

Cap. 78. — *Ne presbyteri spectaculis intersint. Ex Laodicensi conc., cap.* 54.

(*De cons. dist.* 5, *c. Non oportet ministros.*) Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis aut in cœtis exhibentur, interesse ; sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de convivio, et abire debere.

Cap. 79. — *De scurrilibus clericis. Ex conc.* IV *Carthaginensi, cap.* 59.

(*Dist.* 46, *c. Clericum.*) Clericum scurrilem, et verbis turpibus jocularem ab officio retrahendum.

Cap. 80.—*De jocis vitandis. Ambrosius lib. officiorum* I (*cap.* 23).

Licet interdum honesta joca et suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula, quoniam quæ in Scripturis non reperimus, ea quemadmodum [quomodo] usurpare possumus? Cavendum etiam in fabulis, ne inflectant gravitatem severioris propositi. *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis* (*Luc.* VI), ait Dominus, et non ridendi materiam requirimus, ut hic ridentes illic fleamus? Non solum autem profusos, sed omnes etiam declinandos arbitror; plenum tamen suavitatis et gratiæ sermonem esse, non est indecorum.

Cap. 81.—*De eodem. Ex sermone Augustini De decimis qui sic incipit: Propitio Christo* (105).

Hoc admonete, fratres, ut cantica turpia et luxuriosa castitati et honestati inimica, familiæ vestræ ex ore non proferant : quia non est justum ut ex illo ore ubi Eucharistia Christi ingreditur, canticum luxuriosum et amatorium proferatur.

Cap. 82. — *Quod in omni ordine sint animæ Deo placentes. Ex Vita sancti Paphnutii.*

A Etiamsi latro sit aliquis, aut in scena positus, etiam si cultum ruris exerceat, et conjugio videatur astrictus, etiamsi negotiator dicatur, et mercimoniis inserviat, tamen in omni ordine humanæ vitæ sunt animæ Deo placentes, et habentes actus aliquos occultos [excultos], quibus delectatur Deus. Unde constat non tantum professionem vitæ, aut habitus speciem Deo esse placitam, quantum sinceritatem et affectionem mentis, et operum probitatem.

Cap. 83. — *De histrione. Cyprianus ad Eucratium* (*lib.* I, *epist.*, 10, *cujus initium : Pro dilectione*).

Consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, et magister et doctor non erudiendorum,
B sed perdendorum puerorum, id quod male didicit cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscum. Quod puto ego nec divinæ majestati, nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur. Nam cum in lege (*Deut.* XXII) prohibeantur viri induere muliebrem vestem, et maledicti ejusmodi judicentur, quanto majoris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed et gestus quoque turpes et molles, et muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quisquam, si a theatro ipse cessaverit, cum tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, et qui pro se uno plures succidaneos
C suggerit, contra constitutionem Dei erudiens et docens, quemadmodum masculus frangatur in feminam, et sexus arte mutetur, et diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur. Quod si penuriam talis et necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cæteros qui Ecclesiæ alimentis sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari : si tamen contentus sit frugalioribus et innocentibus cibis : nec putet salario se esse redimendum, ut a peccatis cesset, quando hoc non nobis sed sibi præstet.

Cap. 84. — *Vitium esse res suas histrionibus donare. Augustinus super Joannem, part.* II (*tract.* 100 *ad c.* XVI *Joan.*).

Donare res suas histrionibus vitium est immane,
D non virtus. Et scitis de talibus quam sit frequens fama cum laude, quia sicut scriptum est, *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et* qui iniqua gerit *benedicitur* (*Psal.* IX).

Cap. 85.—*Idololatras non vi, sed ratione convertendos. Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum, c.* 41.

De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, et idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud possumus scribere vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, et ratione potius quam vi, quod vane sapiunt, convincatis.

Cap. 86. — *De eodem. Idem, ibid.*

Nulla cum iis qui non credunt, idolaque adorant

(105) Serm. 219 De tempore : sed hoc inde non est desumptum.

Introdusă în format electronic de Google

miscenda communio est. Porro illis violentia ut credant nullatenus inferenda est : nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest.

Cap. 87. — *Non esse comedendum animal quod paganus vel occiderit, vel insecutus sit, cap.* 91.

Neque quod Christianus persequitur, et a pagano percutitur et occiditur animal : neque quod paganus persequitur, et Christianus occidit comedendum est.

Cap. 88. — *Ne sol, velut sancti, venerationem accipiat. Ex serm. Leonis papæ, in Natal. Domini, qui sic incipit* : Festivitatis hodiernæ, *etc.* (*Serm.* VII, *c.* 4).

Nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri apostoli basilicam, quæ uni Deo vivo et vero dedicata est, perveniant, superatis gradibus quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem convertant [reflectant, *orig.*], et curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus et dolemus.

Cap. 89. — *Quod opera non prosint sine fide. August. De Trin. lib.* XII, *cap.* 7.

Opera misericordiæ nihil prosunt, sive paganis sive Judæis qui Christo non credunt, sive quibuscunque hæreticis et schismaticis, ubi fides et dilectio et sobria sanctificatio non invenitur.

Cap. 90. — *De vitandis inimicis Christi. Joannes IX* [*VII*] *Neapolitanis, Salernitanis* [*Falerianis*] *et Amalphitanis.*

Conscientia vestræ in Christo dilectionis juste dijudicet quantum Christo aversi sunt hi qui cum ejus infidelibus contra prohibitionem Pauli tanti apostoli (*II Cor.* VI) pollutam fœderis ineunt unitatem. Cum enim regis rebellionibus quocunque participio conjunguntur, pariter majestatis criminibus obnoxii judicantur, parique sententia condemnantur [puniuntur]; quantum a corpore Christi probantur extranei, qui ejus hostibus fœderati, membra ipsius tanto perniciosius lacerant, quanto vicinius ecclesiæ Dei colliminant? *Item.* Quantum autem Deo sit exsecrabile cum impio fœdera pangere, luculenter ex hoc deprehenditur : quod Josaphat rex Juda, qui tot de anteacta vita præconiis extollitur, de Achab amicitiis increpatur, cum ei per Jehu propheta dicitur : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris* (*II Paral.* XIX). Et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda. Quantum præterea sit Deo delectabile ab inimicorum Dei pace desistere, noster Psalmographus manifestat, cum dicit : *Nonne qui oderant te, Domine, oderam* illos, *et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII). Ex quo, dilectissimi filii, patenter ostenditur, quanto crimine cum pessimis pax tenetur, si Propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, qui contra pravos pro A Deo inimicitias excitavit. Hinc Levi tribus, assumptis gladiis per castrorum media transiens, quia feriendis noluit peccatoribus parcere, Deo manus suas dicta est consecrasse (*Exod.* XXXII) : hinc Phinees peccantium civium gratiam spernens, coeuntes cum Madianitis perculit, et iram Dei iratus placavit (*Num.* XXV).

Cap. 91. — *Ut baptizatus a paganis rebaptizetur. Gregor. II Bonifacio episcopo.*

Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine S. Trinitatis, mandamus. *Item* (*epist.* 14). De immolatitiis autem escis consuluisti, si a fidelibus superductum fuerit vivificiæ crucis signum, edi liceret, an non. Illud sufficit respondere, quod beatus apostolus Paulus B dicit (*I Cor.* X) : Si quis dixerit quia hoc immolatum est idolis, nolite edere propter eum qui indicavit, et propter conscientiam.

Cap. 92. — *Ut soli orthodoxi militent. Ex historia Anastasii Bibliothecarii S. Romanæ Ecclesiæ.*

Tertio imperii sui anno Justinianus Augustus promulgavit legem, ne militarent pagani nec hæretici, nisi soli orthodoxi.

Cap. 93. — *Servitium Christi voluntarium esse, non coactivum. Beda in Historia Anglorum, lib.* I, *c.* 26.

Credentium fidei et conversioni ita congratulatus rex esse perhibetur, et ipse conversus, ut nullum tamen cogeret ad Christianismum, sed tantummodo credentes arctiori dilectione, quasi concives C sibi regni cœlestis amplecteretur. Didicerat enim a doctoribus auctoribusque suæ salutis servitium Christi voluntarium, non coactivum esse debere.

Cap. 94. — *De exactione in rusticum paganum facienda. Gregorius Januario episcopo Calaritano* (*lib.* III, *epist.* 26).

Si cujuslibet episcopi paganum rusticum invenire potero, in eumdem episcopum fortiter vindicabo (23, *q.* 6, *c. Jam vero*). Jam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ et obstinationis inventus, ut ad Deum minime venire consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

Cap. 95 (*Vide supra c.* 32). — *De zelo contra cultores idolorum seu aruspices habendo. Greg. Januario episcopo Sardiniæ* (*lib.* VII, *epist.* 66).

Contra idolorum quoque cultores, vel aruspices atque sortilegos fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur invigilare custodia, atque publice in populo contra hujus rei viros sermonem facere, eosque a tanti labe sacrilegii et divini intentatione judicii, et præsentis vitæ periculo adhortatione suasoria revocare. Quos tamen si emendare se a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus, et si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare. Si vero sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentia religandi.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 96. — *De idolothytis. Ambros. in I. epist. ad Corinth. (cap. x).*

Licet aliquid pollutum sit per accidentiam, id est oblationem idoli, cum hoc tamen nescit qui emit, nullum patitur scrupulum, et apud Deum immunis est.

CAP. 97. — *Quid sit :* Dies observatis et menses, *etc. Ex serm. Ambrosii de Quadragesima qui sic incipit :* Intellexisse vos (106).

Observant diem et mensem, qui Kalendis Januarii aut non jejunant, aut non procedunt ad ecclesiam, sed procedunt ad campum. Ergo, fratres, omni studio gentilium festivitates et ferias declinemus, ut quando illi epulantur et læti sunt, tunc nos simus sobrii atque jejuni : quo intelligant lætitiam suam nostra abstinentia condemnari. Non solum autem gentilium, sed et Judæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio.

CAP. 98. — *Ne Christiani de area vel torculari suo aliquid ad immolandum idolis sumi patiantur. August. ad Publicolam (epist. 154).*

Si de area vel torculari tollitur aliquid ad sacrificia dæmoniorum sciente Christiano, ideo [in Deo] peccat si fieri permittit ubi prohibendi potestas est. Quod si factum non comperit, aut prohibendi potestatem non habuit, utitur mundis reliquis fructibus, unde illa sublata sunt. *Item, ibidem aliquanto post.* Si quis de aliqua carne dubitat, utrum sit immolatitia, et non est immolatitia, sed eam cogitationem tenuerit quod immolatitia non sit, et ea vescatur, non utique peccat : quia non est, nec putatur jam immolatitia, etsi antea putabatur. Neque enim non licet corrigere cogitationem a falsitate in veritatem. Si quis autem putaverit bonum esse quod malum est, et fecerit hoc putando, utique peccat : et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quandoquisque bene fieri putat quod male fit.

CAP. 99. — *Quod spiritualiter homicidæ sunt qui baptizatos sacrilegiis dæmoniorum obligant. August. ad Bonifacium episcopum (epist. 25).*

Recte dicuntur parentes vel quicunque majores filios seu quoslibet parvulos baptizatos dæmoniorum sacrilegiis obligare conantes, spiritualiter homicidæ. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt, sed quantum in ipsis est, interfectores fiunt.

CA. 100. — *Quod soli hi plagendi sint qui per scelera egrediuntur Ecclesiam. Hieron ad Rusticum* (107).

Nequaquam gentilis plangendus est atque Judæus, qui in Ecclesia non fuerunt, et semel mortui sunt, de quibus Salvator dicit : *Dimitte mortuos* ut sepeliant *mortuos suos* (*Matth.* VIII) : sed hi qui per scelera atque peccata egrediuntur de Ecclesia, et nolunt ultra reverti ad eam [adeant damnationem] damnatione [dominatione] vitiorum.

CAP. 101. — *Diabolus qui appellandus sit. August. lib. Quæst. Veteris et Novi Testamenti (quæst. 90).*

Diabolus non speciale nomen est, sed commune : in quocunque enim opera diaboli fuerint inventa, sine dubio diabolus appellandus est. Operis enim nomen est, non naturæ.

CAP. 102. — *Quomodo dæmoniaci curari possint. Beda super Lucam lib.* III, *cap.* 5 (*lib.* III, *c.* 31 *ad* VIII *c. Lucæ*).

Nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt, solent dicere patientes non aliter valere curari, nisi (quantum sapere possunt) omne quod ab immundis spiritibus visu, auditu, gustu, tactu, vel alio quolibet corporis vel animi sensu vigilantes dormientesve protulerint, confitendo patenter exponant. Et maxime quando vel viris in specie feminea, vel in virili habitu feminis apparentes (quos dæmones Galli *dusios* vocant) infando miraculo spiritus incorporei corporis humani concubitum petere se ac patrare confingunt. Et nomen dæmonis quo se censeri dixerit, et dejerandi modos, quibus amoris sui fœdus alterutrum pepigerint, prodendos esse præcipiunt. Quæ mendacio simillima res, sed adeo vera et plurimorum est attestatione notissima, ut quidam vicinus mihi presbyter retulerit se quamdam sanctimonialem feminam a dæmonio curare cœpisse, sed quandiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse. Confesso autem quo molestabatur phantasmate, mox et ipsum orationibus cæterisque quæ oportebat purificationum generibus effugasse, et ejusdem feminæ corpus ab ulceribus quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio adjuncto, sale benedicto curasse : sed dum unum de ulceribus quod altius lateri infixum repererat, nullatenus posset, quin continuo panderetur, obducere, ab eadem ipsa quam sanare volebat, consilium quo sanarétnr accepisse. Si, inquit, oleum pro infirmis consecratum eidem medicamento asperseris, sicque me unxeris, statim sanitati restituar. Nam vidi quondam per spiritum in quadam longius posita civitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quamdam pari calamitate laborantem, taliter a sacerdote curatam. Fecit ut illa suggesserat, statimque ulcus remedium quod ante respuerat, accipere consensit.

CAP. 103. — *De communione dæmoniacis danda. Ex Collation. Syricii, cap.* 13.

Communionem sacrosanctam dæmoniacis a senioribus nunquam meminimus interdictam, quinimo si possibile esset etiam quotidie eis impertiri debere censebant.

CAP. 104. — *Ne clerici dæmoniaci ad superiores gradus ascendant. Nicolaus Alwino Jovanensi archiepiscopo.*

Clerici qui in adolescentia a dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum accedere non possunt.

CAP. 105. — *De coitu dæmonum cum mulieribus. August. lib. Quæst. super Genesim, quæst.* 3 (*ad* VIII *c. Genes.*)

Credibilius est homines justos, appellatos vel an-

(106) Id nunc legitur serm. 7 de Kalend. Januar, cujus initium : *Est mihi adversus.*

(107) Tomo I, cujus initium : *Quod ignotus ad ignotum.*

Introdusă în format electronic de Google

gelos, vel filios Dei, concupiscentia lapsos peccasse cum feminis, quam angelos carnem non habentes usque ad illud peccatum descendere potuisse: quamvis de quibusdam dæmonibus qui sint improbi mulieribus, a multis tam multa dicantur, ut non facile sit de hac re definienda sententia.

Cap 106. — *De multiplicitate dæmonum fideles infestantium. Hieronymus super Jesu Nave, homelia* 15. (*Orig. ex Hieron. interpretatione.*)

Mihi videtur infinitus quidam esse numerus contrariarum virtutum, pro eo quod per singulos pene homines sunt spiritus aliqui diversa in iis peccatorum genera molientes. Verbi causa, est aliquis fornicationis spiritus, est alius spiritus iræ, alius est avaritiæ, alius vero superbiæ; et si eveniat aliquem hominem esse qui his omnibus malis, vel etiam pluribus agitetur, omnes hos vel etiam plures in se habere inimicos putandus est spiritus. Unde et per singulos plures esse credendi sunt, quia non singula singuli homines habent vitia, vel peccata committunt, sed plura ab unoquoque videntur admitti. Et iterum non est putandum quod unus fornicationis spiritus seducat eum, qui, verbi gratia, in Britannia fornicatur, et illum qui in India, et in aliis locis. Neque puto unum esse iræ spiritum qui diversis in locis diversos homines inflammat: sed puto magis principem quidem fornicationis spiritum unum esse, innumeros vero esse qui in hoc ei officio pareant, et per singulos quosque homines diversi spiritus sub eo [diversos spiritus qui sub eo, etc.] principe militantes, ad hujuscemodi eos peccata sollicitent. Similiter et iracundiæ spiritum principem unum esse arbitror, innumeros vero esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines hujuscemodi vitii peccata succendant. Similiter et avaritiæ, et superbiæ, et cæterorum malorum; et ideo non unus principatus dicitur in contrariis virtutibus ab Apostolo, sed plures, adversus quos sibi esse pugnam et nobis omnibus scribit (*Ephes.* VI). Esse tamen reor horum omnium principem velut eminentiorem quemdam in nequitia, et in scelere celsiorem, qui totum mundum, quem isti ad peccata singuli quique per peccatorum species per partes sollicitant, solus velut omnium princeps et dux totius [principum dux, et totius] nefandæ militiæ magister, exagitet. Puto sane quia sancti quique repugnantes contra istos incentores peccatorum spiritus, et vincentes eos, atque eorum unumquemque superantes, imminuant exercitum dæmonum, et velut quamplurimos eorum interimant. Verbi causa, ut is qui caste pudiceque vivendo fornicationis spiritum superaverit, non ultra fas sit illum spiritum qui ab ille sancto victus est, impugnare iterum alium hominem, sed sicut illi spiritus rogabant Jesum, ne in abyssum mitterentur, quod tunc interim Dominus pro præsenti dispensatione concessit (*Luc.* VIII), ita consequens videtur, quod singuli quique maligni spiritus cum vincuntur a sanctis, vel in abyssum, vel in exteriores tenebras, vel ut quisque ille locus eis dignus est, collocentur a justo judice Christo. Et inde esse quod plurimo dæmonum numero jam devicto, ad credulitatem gentes venire relaxentur; quæ utique nullatenus sinerentur, si integræ eorum sicut prius fuerant, subsisterent legiones.

DECRETI PARS DUODECIMA.

De mendacio et perjurio. **De** accusatoribus, de defensoribus et falsis testibus. **Et de** singulorum pœnitentia

Cap. 1. — *De octo generibus mendaciorum. Augustinus, libro De mendacio (cap.* 14).

(22, 2 *q.* 2, *c. Primum est.*) Primum est capitale mendacium, longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Secundum, ut aliquem lædat injuste: quod tale est ut et nulli prosit, et obsit alicui. Tertium quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est. Quintum quod fit placendi cupiditate de suaviloquio. His omnibus penitus evitatis atque rejectis, sequitur sextum genus, quod et nulli obest et prodest alicui: velut si quispiam pecuniam alicujus injuste tollendam sciens, ubi sit nescire se mentiatur. Septimum quod et nulli obest et prodest alicui: velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur. Octavum est genus mendacii, quod et nulli obest, et ad hoc prodest ut ab immunditia corporali aliquem tueatur. (*Ibid, c.* 21.) Non est igitur mentiendum in doctrina pietatis, quia magnum scelus est, et primum genus detestabilis mendacii. Non est mentiendum secundo genere, quia nulli facienda est injuria. Non est mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas fine placendi hominibus enuntianda est, quanto minus mendacium quod per se ipsum, quia mendacium est, utique turpe est. Non est mentiendum sexto genere, neque enim recte etiam testimonii veritas pro cujuscunque temporali commodo ac salute corrumpitur: ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Neque septimo genere

Introdusă în format electronic de Google

mentiendum est, non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est, nec si quisquam in recte factis nostris tam male movetur, ut fiat etiam animo deterior, longeque a pietate remotior, propterea recte facta deserenda sunt. Nec octavo genere mentiendum est, quia et in bonis castitas animi, pudicitia corporis: et in malis id quod ipsi facimus eo quod fieri sinimus majus est. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat cum mentitur, quanto emergit ad octavum, tanto amplius, quanto evergit [mergit, *Vict.*] ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

CAP. 2. — *De soliditate juramenti. Ex conc. Tolet.* VIII, *c.* 2.

Omne quod in pacis fœdera venit, tunc solidius subsistit, cum juramenti hoc interpositio roborat. Sed et omne quod animos amicorum conciliat, tunc fidelius durat, cum eos sacramenti vincula ligant. Omne enim quod testis astipulatur, verius constat, cum id adjectio jurationis affirmat. Quod et si testis deficiat, innocentis fidem sola jurisjurandi taxatio manifestat.

CAP. 3. — *Juramentum non esse contra præceptum Domini. August. super Epistolam ad Galatas (in c.* 1 *sub finem; et lib.* 1 *De sermone Domini in monte, c.* 30).

(22, *q.* 1, *c. Non est contra.*) Non est contra præceptum Dei juratio, quæ a malo est non jurantis, sed incredulitatis ejus a quo jurare cogitur. Nam hinc intelligitur ita Dominum prohibuisse a jurando (*Matth.* v), ut quantum in ipso est, quisque non juret, quod multi faciunt, in ore habentes jurationem tanquam magnum et suave aliquid. Nam utique Apostolus noverat præceptum Domini, et juravit tamen. Non enim audiendi sunt qui has jurationes esse non putant. Quid enim facient de illa : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* (*I Cor.* XII) : quam Græca exemplaria manifestissimam esse jurationem convincunt? Quantum ergo in ipso est non jurat Apostolus, non enim appetit jurationem cupiditate aut delectatione jurandi. Amplius est enim quam est, est; non, non (*Matth.* v), et ideo a malo est, sed infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui aliter moventur ad fidem.

CAP. 4. — *Non jurandum, ut quam longissime absimus a perjurio. Aug. ad Publicolam (epist.* 154).

(22, *q.* 1, *c. In Novo Testamento.*) In Novo Testamento dictum est ne omnino juremus (*Matth.* v), quod mihi quidem propterea dictum videtur, non jurare peccatum est, sed quia perjurare immane peccatum est; a quo nos longe esse voluit, qui omnino ne juremus commonuit. *Item, ibid. post aliquot versus.* Quamvis dictum sit, Ne juremus, nusquam in Scripturis sanctis legisse me memini ne ab alio jurationem accipiamus.

CAP. 5. — *Quod liceat juramento ad aliorum utilitatem uti. August. De sermone Domini in monte, lib.* 1 (*cap.* 30).

(22, *q.* 1, *c. Tu non malum.*) Tu non malum facis, qui bene uteris juratione : quæ [quia] etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas quod utiliter suades : sed a malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris.

CAP. 6. — *Quod per Deum sit jurandum, non per creaturas. Hieron. super Matthæum, lib.* 1.

Considera quod Salvator non per Deum jurare prohibuerit, sed per cœlum, et per terram, et per Hierosolymam, et per caput tuum (*Matth.* v). Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quo modo victimas immolabant Deo, ne eas immolarent idolis : sic et jurare permitterentur in Deum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam dæmoniis.

CAP. 7. — *Non esse frequentanda juramenta. Isidorus, Sententiarum libro secundo, cap.* 31.

(22, *q.* 1, *c. Non est contra.*) Non est contra Dei præceptum jurare; sed dum jurandi usum facimus, perjurii crimen incurrimus.

CAP. 8. — *Non esse jurandum nisi magna necessitate. Ex serm.* 28 *August. de verbis Apostoli, qui sic incipit :* Prima lectio quæ nobis.

(22, *q.* 1, *c. Si peccatum esset.*) Si peccatum esset juratio, nec in veteri lege diceretur : *Non perjurabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum* (*Levit.* XIX) : non enim peccatum præciperetur nobis. *Item, ibidem post aliqua multa.* Non vobis dicimus nos non jurare; si enim hoc dicimus, mentimur. Quantum ad me pertinet, juro, sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus. Cum videro nisi faciam mihi non credi, et ei qui mihi non credit non expedire quod non credit; hac perpensa ratione et consideratione librata, cum magno timore dico : Coram Deo, aut Testis est Deus, aut Scit Christus quod sic est esse in animo meo. Et video quia plus est, id est, quod amplius est quam : *Est, est; non, non;* sed hoc *quod amplius est, a malo est* (*Matth.* v), et si non a malo jurantis, a malo est non credentis.

CAP. 9. — *Juramenta quæ contra naturam sunt non esse tenenda. Ex conc. Toletano* VIII, *cap.* 2.

(22, *q.* 4, *c. Si publicis.*) Si publicis sacramentorum gestis (quod avertat Deus !) a quibuslibet illicita vel non bona exstitisset conditio alligata, quæ aut jugulare animam patris aut agere compelleret stuprum sacratissimæ [sacratæ] virginis, nunquid non tolerabilius esset stultæ promissionis rejicere vota, quam per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum implere mensuram?

CAP. 10. —*De eadem re. Ambrosius, lib. Offic.* 1, *cap.* 30.

(22, *q.* 4, *c. Est etiam contra.*) Est etiam contra officium nonnunquam promissum solvere sacramentum, ut Herodes, qui juravit quoniam quidquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis (*Matth.* XIV), necem Joannis præstavit, ne promissum negaret.

CAP. 11. — *Item de eodem. Ex serm. August. in de-*

Introdusă în format electronic de Google

collatione sancti Joannis, qui sic incipit : Cum sanctum Evangelium legeretur (108).

(22, *q.* 4, *c. Quod David.*) Video David pium hominem et sanctum in jurationem temerariam ecciderisse, et maluisse non facere quod juraverat, quam jurationem suam fuso hominis sanguine implere (*I Reg.* xxv). *Item, ibidem paulo post.* Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate. Ecce David sanctus non quidem iratus sanguinem hominis fudit, sed eum falsum jurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minimum, sed minus fuit illud in comparatione majoris [pejoris]. Nam per se ipsum appensum magnum malum est falsa jurare.

Cap. 12. — *Item de eodem. Isidorus in Synonymis lib.* II.

In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti non facias. Impia est promissio quæ scelere adimpletur.

Cap. 13. — *Item de eadem re. Beda in lib. Homiliarum, homilia* 43 *(in decollatione S. Joannis Baptistæ).*

(22, *q.* 4, *c. Si aliquid forte.*) Si aliquid forte nos incautius jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriori mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Denique juravit David per Dominum occidere Nabal virum stultum et impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent demoliri; sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis, mox remisit minas, revocavit ensem in vaginem, neque aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit (*I Reg.* xxv). *Item, post versum.* Non solum in jurando, sed in omni quod agimus hæc est moderatio solertius observanda, ut si in talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliqua peccati contagione surgere non possimus, illum potius evadendi aditum petamus, in quos minus periculi nos perpessuros esse cernimus.

Cap. 14. — *Utrum fides appellanda sit, quæ in peccatis admittendis adhibetur. August., De bono conjugali, cap.* 4.

(22, *q.* 4, *c. Si ad peccatum.*) Si ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellatur; verumtamen qualiscunque sit, si et contra ipsam fit, pejus fit, nisi cum propterea deseritur, ut ad fidem veram legitimamque redeatur, id est ut peccatum emendetur voluntatis pravitate correcta, tanquam si quis cum hominem solus exspoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, et cum eo paciscatur ut simul id faciant, spoliumque partiantur : quo facinore commisso totum solus auferat; dolet quidem ille, et fidem sibi servatam non esse conqueritur, verum in ipsa sua querela cogitare debet, potius in bona vita ipsi humanæ societati fidem fuisse servandam ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quam inique sibi in peccati societate servata non fuerit : ille quippe utrobique perfidus profecto sceleratior judicandus est. *Item, ibidem eodem cap.* Mulier si fide conjugali violata fidem servet adultero, utique mala est : sed si nec adultero, pejor est. Porro si eam flagitii pœniteat, et ad castitatem rediens conjugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem, vel ipse adulter putabit.

Cap. 15. — *De non servando juramento injusto. Ex actione* 4 VII *Synodi* (109).

(22, *q.* 4, *c. Actione quarta.*) Joannes apocrisiarius Orientalium sedium dixit : « Significat sermo Patris nostri Sophronii, quod melius sit jurantem perjurare, quam conservare sacramentum in confractione sanctarum imaginum. Hoc autem dicimus, quia quidam se sacramento excusant. » Tharasius patriarcha dixit : « Quia Pater Sophronius noverat bonitatem Dei, propterea transgredi voluit impium juramentum. » Item Tharasius patriarcha dixit : « Herodes servavit juramentum, et periit : Petrus vero negavit cum juramento, et conversus flevit et salvatus est (*Matth.* xxvi). Omne enim peccatum Deus indulget, si quis ex toto corde pœniteat. » Sancta synodus dixit : « Sic docet nos sancta Scriptura. » Item Leontius Phociæ episcopus dixit : « Scriptum est : *Juramentum mendax ne diligatis* (*Zach.* VIII). Qua de causa nostrum juramentum mendax dissolvatur, quasi nullam habens virtutem. »

Cap. 16. — *Quod in duobus malis minus malum eligendum est. Ex concil. Tolet.* VIII, *cap.* 2.

(*Dist.* 13, *c. Duo mala.*) Duo mala licet omnino sint cautissime præcavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum temperare [tentare, *alias* temerare] compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem levius ex his, quidve sit gravius puræ rationis acumine investigemus. Etenim dum perjurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus. Cum vero noxia promissa complemus, et Dei jussa superbe contemnimus, et proximis impia crudelitate nocemus, et nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus; illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter jugulamur.

Cap. 17. — *Non semper promissa omnia solvenda esse. Ambr. lib. Offic.* (*lib.* III, *c.* 12).

(22, *q.* 4, *c. Unusquisque.*) Unusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctificatione possideat, nec fratrem circumscriptione inducat verborum, nihil promittat inhonestum; aut si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. Sæpe plerique constringunt se jurisjurandi sacramento, et cum ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt, sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit (*Matth.* xiv).

(108) Serm. 11 de sanctis, cujus principium est : *propter hunc.* In calce tomi X.

(109) Longe post init. multum variat in Græco.

Introdusă în format electronic de Google

Turpe quod regnum pro saltatione promittitur, crudele quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset perjurium homicidio? si tamen perjurium possit dici, quod ebrius inter vina juraverat, quod eviratus inter saltantium choros promiserat. (*Ibidem, paulo post.*) Infertur disco prophetæ caput, et hoc æstimatum est fidei esse, quod amicitiæ fuit. *Item.* (22, *q.* 4, *c. Non semper.*) Non semper promissa omnia solvenda sunt. Denique ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam, sicut Scriptura indicat (*Num.* XIV).

CAP. 18. — *De pœnitentia perjurii. Synodus Aurelianensis* III *tempore Childeberti regis, cap.* 8.

De perjurio vero id censuimus observandum, ut si quis clericus in causis quæ sub jurejurando finiendæ sunt, præbuerit juramenta, et post rebus evidentibus detegitur perjurasse, biennii tempore a communione pellatur.

CAP. 19. — *Quod omnis contrarius verbo Dei Antichristus est. August. super epistola Joannis, tract.* 3.

Quotquot habet Ecclesia perjuros, fraudatores, maleficos, veneficos, inquisitores nugarum, adulteros, ebriosos, feneratores, mangones, et omnia quæ enumerare non possumus, si contraria sunt doctrinæ Christi, contraria sunt verbo Dei. Verbum autem Dei Christus est. Quisquis autem verbo Dei contrarius est, Antichristus est.

CAP. 20. — *Quod tutus sit a perjurio qui nunquam jurat. Ex sermone August. in decoll. sancti Joannis Baptistæ, qui sic incipit :* Cum sanctum Evangel. legeretur (ad calcem tomi X).

Tam magnum peccatum est jurare falsum, ut propter reatum falsæ jurationis Dominus prohibuerit omnem jurationem (*Matth.* v). *Item, ibidem aliquanto post.* Non est peccatum verum jurare, sed quia grande peccatum est falsum jurare, longe est a peccato falsum jurandi, qui omnino non jurat; propinquat falsæ jurationi qui vel verum jurat. *Item* (*ibidem paulo inferius*). Aliquando nolens homo [*al.* hoc, *Vict.*] jurat cum verum putat esse quod jurat. Non est quidem tantum peccatum quantum ejus qui scit falsum esse, et tamen jurat.

CAP. 21. — *Quod perjurium adulterio comparetur. Hieron. super Malachiam.*

Nequaquam putemus levia esse peccata perjurium, et mercedem non reddere laboranti, et calumniari viduam et pupillum, et opprimere alienigenam et peregrinum, quæ maleficio, et veneficiis, et adulterio comparantur.

CAP. 22.—*Quid sit perjurium. Hieron. super Jeremiam, lib.* I (*ad c.* IV *in principio*).

(22, *q.* 2, *c. Animadvertendum.*) Animadvertendum est quod jusjurandum hos habeat comites : veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defecerint, nequaquam juramentum erit, sed perjurium.

CAP. 23.—*Quod testis esse non possit qui perjurii convictus fuerit. Capitularium lib.* I, *cap.* 9 (*cap.* 63).

(22, *q.* 5, *c. Parvuli.*) Parvuli qui sine rationabili ætate sunt non cogantur jurare : et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius, jurator existat.

CAP. 24. — *Non ita esse indulgendum perjuris, ut perjurandi detur occasio. Alexander II Landulpho et Arialdo clericis.*

Possumus in perjurio aliquo crimine lapsis misericordiæ manum porrigere, sed non debemus ad futuræ perditionis [prohibitionis] exemplum licentiam dare.

CAP. 25. — *De vindicta perjurii. Honorius papa Hysatio patricio et exarcho Italiæ.*

Quorumdam scriptis didicimus quosdam episcopos in transpadanis partibus quædam verba episcopali actui inimica Petro Pauli filio edixisse, atque monitu impiæ suasionis innuere : asserentes in se perjurii reatum suscipere, ut non Adulubaldo regi, sed potius Ariopalto tyranno consentiret. Et quoniam præfatus gloriosus Petrus pravis eorum (si fas est dicere) sacerdotum respuit suasionibus inclinari, sed magis sacramenta quæ Cono [Acono, *Vict.*] regi patri prædicti Adulubaldi præstiterat, firmiter custodire. Et quia tantum facinus Deo et piis mentibus est inimicum, ut hi qui hoc ab aliis prohibere debuerant ne fuisset commissum, ipsi potius ut fieret hortati sunt. Cum nutu supernæ virtutis vobis laborantibus præfatus Adulubaldus in suum regnum fuerit restitutus, præfatos episcopos in has Romanas partes adjuvante vos Deo, destinare dignamini : quia hujusmodi scelus nulla patiemur ratione inultum.

CAP. 26. — *De excommunicatione eorum qui alios secum in perjurium trahunt, et de infamia consentientium. Ex concilio Matisconensi tempore Guntranni regis, c.* 21 (*conc. Matisc. c.* 1).

(22, *q.* 5, *c. Si quis convictus.*) Si quis convictus fuerit alios ad falsa testimonia vel perjuria attraxisse, aut quacunque corruptione sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet. Hi vero qui ei in perjurio consensisse probantur, postea ab omni testimonio sunt removendi, et secundum legem infamia notabuntur.

CAP. 27. — *De vindicta ejus qui alteri perjurium injuste intentat. Gelasius Rufino et Justo episcopis.*

Honorati et primarii Varulanæ civitatis fusis nobis precibus supplicarunt, sicut habetur in subditis. Quibus etiam subscriptionem propriam commodarunt, se ab Aguello diacono gravi contumeliarum genere fuisse maceratos, ut etiam reos perjurii (sicut ipsi dicunt) se asserant inclinatos. Et ideo, fratres charissimi, secundum petitorii [petitoris] fidem, supradicto diacono ad vestrum judicium imminente Laurentio Romanæ Ecclesiæ defensore mox deducto, veritatis assertione discussa, si constiterit integritas supplicantium, aut intenta doceat diaconus, aut de ejus protervitate noveritis esse vindicandum, quate-

Introdusă în format electronic de Google

nus de tantis excessibus memoratæ improbæ temeritatis exclusus ultio digna comitetur : et qui se conviciis trivialibus implicavit, sacræ communionis arceat accessibus.

Cap. 28.—*Quod pejor sit homicida qui ab eo juramentum postulat, quem scit pejeraturum. Ex Serm. Aug. in decollatione Joan. Baptistæ* (110).

Si quis provocaverit te ad jurationem, ut forte sic sibi existimet satisfieri posse : si juraveris de ipsa re quam putat te commisisse ac fecisse, et forsitan non fecisti, ne remaneat in eo mala suspicio, si juraveris, tu non sic peccas quomodo ille, qui te provocavit. *Item, ibidem.* Si ab alio [illo] provocatus fueris, ab ipsius malo erit quod juras, non a tuo. *Item, ibidem.* Ille homo qui alium provocat ad jurationem, et scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, et ejus quem jurare provocavit, et suam. Scis verum esse quod dicis, falsum esse quod dicit ille, et jurare compellis. Ecce jurat, ecce perjurat, ecce perit, tu quid invenisti? imo quia et tu periisti, qui de illius morte satiari voluisti.

Cap. 29.—*Cui prodendus sit quem scimus pejerasse. August. lib. Quæst. in Levit.* (*quæst.* 1 *ad c.* v *Levit.*).

(22, *q.* 5, *c. Hoc videtur.*) Hoc videtur dicere : peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, et scit eum falsum jurare, et tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua juratur testis fuit, aut videns, aut conscius fuit, id est aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ille ipse qui jurat illi indicavit : ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem hujus peccati, et timorem proditionis hominum non parva existit plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato revocare. Sed si non audierit, et coram nobis de re quam novimus falsum juraverit, utrum prodendus, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia hic non expressit, cui hoc indicatum sit, utrum illi cui juratur, an sacerdoti, vel cuipiam qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest : videtur mihi quod se ab hoc solvat peccati vinculo, si indicet talibus, qui magis possint prodesse quam obesse perjuro : sive ad corrigendum eum, sive ad Deum pro eo placandum, si et ipse confessionis adhibeat medicinam.

Cap. 30.—*Quod homicida est qui cogit alterum scienter falsa perjurare. Serm. August. De non jurando, qui sic incipit :* Prima lectio (*serm.* 30 *De verbis Apostol.*).

(22, *q.* 5, *c. Qui exigit.*) Qui exigit jurationem, multum interest si nescit illum juraturum falsum, an scit. Si enim nescit, et ideo dicit : Jura mihi ut fides ei sit, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est; si autem scit eum fecisse, novit fecisse, vidit fecisse, et cogit jurare, homicida est. Ille enim se suo perjurio interimit; sed iste manum interficientis et impressit [expressit] et pressit.

Cap. 31.—*Super quibus rebus juramentum fieri possit. Actio* 1 *synodi* 1 *Stephani papæ III.*

Christophorus primicerius notariorum dixit : « Allatis sacrosanctis quatuor Evangeliis, et venerabili chrismate, et cæteris Dei mysteriis, sacramentum mutuo præbuimus, quod nullus alius extra Romanam electionem pontificatum egisset, sed eum quem ex communi consilio divina providentia tribuisset ex corpore nostræ sanctæ Ecclesiæ, videlicet de sacerdotibus, cardinalibus, diaconibus, juxta hujus apostolicæ sedis traditionem, nobis elegerimus antistitem. »

Cap. 32.—*De supplicio ejus qui per capillum Dei vel barbam jurat. Novellarum constitutio* 68, *cap.* 1.

(21, *q.* 1. *Si quis per capillum.*) Si quis per capillum vel barbam Dei juraverit, vel alio modo contra Deum blasphemia aliqua usus fuerit, officio præfecti urbis ultimo supplicio subjiciatur. Si quis autem hominem talem non manifestaverit, non est dubium quod divina condemnatione similiter coercebitur.

Cap. 33.— *Ut unusquisque jejunus juret. Capitularium lib.* 1, *cap.* 60 (*cap.* 63).

(22, *q.* 5, *c. Honestum.*) Qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat, et cum omni honestate et timore Dei.

Cap. 34.—*Quod perjurus est qui per lapidem falsum jurat. Ex serm. August. De non jurando, qui sic incipit :* Prima lectio, *etc.* (*serm.* 30 *De verbis Apost.*).

Itane vero quisquis es pravi et perversi cordis, si dicas Per Deum, juras : si dicas, Testis est Deus, non juras? Quid enim est, per Deum, nisi testis est Deus? Aut quid est, testis est Deus, nisi per Deum? Quid autem est jurare, nisi jus Deo reddere, quando per Deum juras : jus saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam juras : jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras? Quod autem jus debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis, et non falsitatis? Maxime autem cum per Deum fit, ipsa est vera juratio. Quia et cum dicit quisque Per meam salutem, suam Deo obligat : quando dicit Per filios meos, oppignerat filios suos Deo : ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum, verum; si falsum, falsum. Cum ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam quisque in juratione nominans, quidquid nominat obligat Deo, quanto magis quando jurat [pejerat *habent excusi codices. Ibid. sub finem.*] per ipsum Deum? *Item* (22, *q.* 5, *cap. Ecce dico*). Ecce dico charitati vestræ, et qui per lapidem falsum jurat, periurus est. Unde hoc dico? Quia multi et in hoc falluntur, et putant quia nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id quod sanctum non putas, falsum juras. Sed ego illud sanctum non puto. Sanctum putas cui

(110) Serm. 11 De sanctis cujus initium : *Propter hunc locum :* in calce tom. X.

Introdusă în format electronic de Google

juras. Non enim quando juras tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras : homini juras ante lapidem, sed nunquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. *Item* (*ibidem, non procul a principio*). Ream linguam non facit nisi mens rea.

Cap. 35. — *Quod minus malum est per deos falsos jurare veraciter, quam per verum Deum jurare fallaciter. Ex epistola August. ad Publicolam* (*epist.* 154).

(22, *q.* 1, *cap. Movet.*) Movet te, utrum ejus fide utendum sit, qui ut eam servet per dæmonia juraverit. Ubi te volo prius considerare, utrum si quispiam per deos falsos juraverit se fidem servaturum, et eam non servaverit, non tibi videatur bis peccasse. Si enim tali juratione promissam servaret fidem, ideo tantum peccasse judicaretur, quia per tales deos juravit. Illud autem nemo reprehendet quia fidem servavit : nunc vero quia et juravit per quos non debuit, et contra pollicitam fecit fidem quod non debuit, bis utique peccavit. Ac per hoc qui utitur fide illius quem constat jurasse per deos falsos, et utitur non ad malum, sed ad licitum et bonum, non peccato illius se sociat quo per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus quo fidem servavit. Neque hic eam fidem dico servari qua fideles vocantur, qui baptizantur in Christo. Illa enim longe alia est, longeque discreta a fide humanorum placitorum atque pactorum : verumtamen sine ulla dubitatione minus malum est per deos falsos jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod juratur magis sanctum est, tanto magis est pœnale perjurium. Alia ergo quæstio est, utrum non peccet qui per falsos deos sibi jurari fecit : quia ille qui ei jurat falsos deos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari quæ ipse commemorasti de Laban et Abimelech, si tamen Abimelech per deos suos juravit, sicut Laban per Deum Nachor (*Genes.* xxvi, xxxi).

Cap. 36. — *Quod Deus sic juramentum accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Isidorus, Sententiarum lib.* ii, *cap.* 31.

(22, *q.* 1, *c. Qui jurat.*) Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia [qui] et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit. Non est observandum sacramentum quo malum incaute promittitur : veluti si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio.

Cap. 37. — *Quod magis Deo placet non servare juramentum nocivum, quam servare. August. lib. Quæst. super Jesu Nave* (*quæst.* 13, *in* ix *Josue*).

Quæri potest quomodo jurationem servandam esse crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita juraverant tanquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant retenturi. Mentientibus ergo quod longinqua terra ad eos venissent, juraverunt eis Israelitæ : postea vero quam cognoverunt eos ibi habitare, ubi omnes quos invenerant secundum Dei præceptum debellare oportebat, noluerunt tamen frangere jurationem. Et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt causa juratienis, cum possent utique dicere se tanquam illis jurasse, quos eos esse crediderant, id est de longinquo venientes. Cum vero aliud cognoverunt, præceptum Domini circa eos implendum erat, ut sicut cæteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parcentibus succensuit [contradixit]; quamvis eum non interrogassent quinam illi essent, et ideo eos illi fallere valuissent. Unde non inopportune utique credendi sunt, et si fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus : propterea nec succensuit Dominus jurantibus aut [atque] parcentibus; ut postea Gabaonitas ipsos, tanquam populi sui homines de domo Saul vindicaverit, sicut regnorum ostendit historia (*II Reg.* xxi). Et quoniam juratio sic servata est, quamvis in hominibus qui mentiti sunt, ut ad clementiam sententia flecteretur, non displicuit Deo. Nam si e contrario jurassent aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putavissent, et postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos, et de longinquo ad se venisse, nullo modo arbitrandum est quod eos essent debellaturi causa jurationis implendæ : cum propter ipsam parcendi clementiam sanctus David etiam post verba quibus se Nabal interfecturum esse juraverat (*I Reg.* xxv), utique sciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere juramentum, magis Deo placere existimans, si quod ita perturbatus ad nocendum juraverat, non fecisset, quam si perfecisset.

Cap. 38. — *De sacramento Christophori cujusdam primicerii. Actio* 3 *synodi* i *Stephani papæ III.*

Christophorus primicerius dixit : « Quando nos absolvit Constantinus, ita illi coram omnibus sacramentum præbui dicens : Quia per Deum omnipotentem fidelis sum et semper ero sanctæ Dei Ecclesiæ, et beato Petro atque Romano pontifici, et nunquam ego, vel filius meus Sergius, contra sanctam Romanam Ecclesiam, atque populum Romanum adversa quoque modo pereogitabo atque pertractabo, et penitus nomen ipsius Constantini nullo modo nominabo; sed tamen [tantum] certus sum, quia sacramentum illud habet argumentum, et ideo confessionem vobis facio me deliquisse pro sacramento [per sacramentum]. »

Cap. 39. — *Quæ distantia sit inter eum qui verum putat, et falsum jurat; et eum qui falsum scit vel putat, et pro vero jurat. Aug, De verb. apost., serm.* 28.

(22, *q.* 2, *c. Homines.*) Homines falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur : aut enim putat homo verum esse quod falsum est et temere jurat ;

Introdusă în format electronic de Google

aut scit vel putat falsum esse, et tamen pro vero jurat, et nihilominus cum scelere jurat. Distant autem ista perjuria quæ duo commemoravi. Fac illum jurare qui verum putat esse pro quo jurat, verum putat esse, et tamen falsum est. Non ex animo iste perjurat, fallitur, hoc pro vero habet, quod falsum est, non pro re falsa sciens jurationem interponit. Da alium, scit falsum esse, et dicit verum esse, et jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quam ista detestanda sit bellua, et de rebus humanis exterminanda. Quis enim hoc fieri [sibi fieri] velit? Omnes homines talia detestantur. Fac alium, putat falsum esse, et jurat tanquam verum sit, et forte verum est. Verbi gratia, ut intelligatis : pluit in illo loco, interrogas hominem, et putat pluisse, et ad negotium ipsius competit, ut dicat Pluit, sed putat non pluisse. Dicitur ei : Vere pluit? Vere, et jurat, et tamen pluit ibi, sed ille nescit, et putat non pluisse, perjurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens.

Cap. 40. — *Quomodo sacerdotes se sacramento purgare debeant. Smaragdus, De pressuris ecclesiasticis, parte* I.

Nunc (quod absque injuria sanctæ Dei Ecclesiæ dicere non possumus) heu! in tantum hoc aboletur, ut inordinata etiam accusatione vix locus maneat legitimæ defensionis. Nec approbanda judicant quæ inique objiciunt, sed tantummodo vindicare quæque illata quærunt. Quod si de defensione apud eos quæritur, omni synodali censura postposita, suis adinventionibus talem fieri dijudicant, quam accusati implere minime valeant, vel quæ illos jure officii omnino impediant, ut in sacerdotes Dei liberius sæviant : quippe cum secundum Paulum apostolum ipsi sibi sint lex (*Rom.* II), accusatores, judices et testes non ratione, sed vi ipsi simul existunt. Satisfactionem igitur accusati sacerdotis sub jurejurando minime dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes secum compellat jurare. In quibus hæc assumentes in testimonium, quod factum se legisse jactitant in actibus Romanorum pontificum. Nam quod de Damaso, et Sixto, et Symmacho venerabilibus pontificibus invenitur, eo quod dum a quibusdam perversis de criminibus accusarentur, collectis episcoporum conciliis, synodice purgati sint. Hæc se his verbis penitus intelligere fatentur, quod omnes præfati episcopi cum ipsis pontificibus pro illatis jurassent criminibus : quasi non eos propria tantummodo absolveret satisfactio, nisi hæc etiam prædictorum confratrum firmaret juratio. Nobis tamen quod sic intelligendum sit, re vera non patet. Plane enim a prædictis episcopis præfatos pontifices purgatos accepimus, sed ipsorum suggestione propria tantummodo satisfactione, ipsis etiam faventibus, eos alienos a criminibus fuisse firmatum est. Sed si pro alicujus justi innocentia alicui placuit sacramentum præbere charitatis causa, ut eum vel sic a persequentibus liberaret, omnimodis placet. Verumtamen licet perversorum infestatione quasi in primitiva Ecclesia hoc fieri potuisset, nullum tamen exemplum in posterum relinqui debuit. Quo etenim sancto concilio, vel cujus catholici et apostolici viri decreto sancitum sit, sacerdotes Dei a criminibus absolvi non posse, nisi confratrum satisfactione, penitus ignoramus. Cum enim sacramenta omnibus interdicta sint Christianis, valde perniciosum est sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, unde tam se custodire, quam et illos debuerunt arguere.

Cap. 41. — *Omne mendacium cavendum. Gregorius, lib.* XVIII *Moralium, cap.* 2.

Summopere cavendum est omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando mentiatur. Sed quia scriptum est : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I); et : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V), hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut ne vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ : quanquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur.

Cap. 42. — *Quod causa humilitatis nemo mentiri debeat. Aug., De verb. apostoli, serm.* 29.

(22, *q.* 2, *c. Cum humilitatis.*) Cum ergo humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas; nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?

Cap. 43. — *Quod mendacia quæ joco dicuntur, mendacia non sint. Aug. lib. Quæst. super Genesim, cap.* 145.

(22, *q.* 2, *c. Quod ait.*) Quod ait fratribus suis Joseph (*Genes.* XLIV) : Nesciebatis quia non est in augurio homo qualis ego? De quo augurio etiam mandavit eis dicendum per hominem suum : quid sibi velit quæri solet, an quia non serio sed joco dictum est, ut exitus docuit, non est habendum mendacium. Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco. Cum autem quæ non sunt tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia.

Cap. 44. — *Ut nullus alium decipiat artificioso seu callido mendacio. August., De conflictu vitiorum atque virtutum, c.* 19.

(22, *q.* 2, *c. Nec artificioso.*) Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam; quia quolibet modo mentitur quis, os quod mentitur occidit animam (*Sap.* I), et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ignis ardentis, et sulphure (*Apoc.* XXI).

Cap. 45. — *Non esse peccatum in quibusdam rebus errare. Aug. in Enchiridio, c.* 21.

(22, *q.* 2, *c. In quibus.*) In quibus rebus nihil in-

Introdusă în format electronic de Google

terest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur, an non, et utrum vera sive sint sive putentur, an falsa : in his errare, id est aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum : aut si est, minimum esse atque levissimum.

Cap. 46. — *Quid distet inter mentiri, et verum occultare. August. in psalm.* v, *ad vers.* 7.

(22, *q.* 2, *c. Ne quis.*) Ne quis arbitretur perfectum et spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima, sive sua sive alterius debere mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud est verum occultare, siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere : si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere : ut neque prodat neque mentiatur, nec occidat animam suam pro corpore alterius. *Ibidem, paulo inferius. Item.* Duo sunt genera mendaciorum in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa : cum aut jocamur, aut pro proximo mentimur. Illud primum in jocando ideo non est perniciosum, quia non fallit. Novit enim ille cui dicitur joci causa esse dictum : secundum autem ideo minus [mitius, *Vict.*] est, quia retinet nonnullam benevolentiam. Illud vero quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est : tanquam verbi gratia, si cui gladius commendetur, et promittat se redditurum cum ille qui commendavit poposcerit : si forte gladium suum repetat furens, manifestum est non esse reddendum, ne vel se occidat vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hoc ideo non habet duplex cor, quia ille cui commodatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere. Manifestum est non esse culpandum aliquando verum tacere, falsum autem dicere non invenitur concessum sanctis.

Cap. 47. — *Quod tropica locutio non sit mendacium. August. ad Oceanum.*

Nullo modo mihi videtur tropicam locutionem recte dici posse mendacium. Non enim mendacium est cum lætum diem dicimus, quod lætos nos faciat : aut triste lupinum, quod gustantem amaro sapore contristet. Nequaquam ista sunt mendacia

Cap. 48. — *Descriptio mendacii. Augustinus, Contra mendacium, c.* 12.

(*Ibid., c.* 17.) Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi. *Item.* Faciat homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse prospexerit, quod recte non faciat.

Cap. 49. — *Omne genus mendacii fugiendum esse. Isidorus, in Synonymis, libro primo* (*lib.* II, *cap.* 10).

(22, *q.* 2, *c. Omne genus.*) Omne genus mendacii summopere fuge. Nec casu nec studio loquaris falsum, nec ut præstes [per testes, *orig.*] mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas. Cave mendacium in omnibus. *Item.* Nullum justum mendacium : omne mendacium peccatum.

Cap. 50. — *De eodem. Joannes, in Vita Patrum.*

Cavendum omnibus modis mendacium, sive pro malo sive etiam pro bono proferri videatur ; quia omne mendacium non est a Deo, sed sicut Salvator dicit, a malo est (*Matth.* v).

Cap. 51. — *De distinctione inter falli et mentiri, et voluntatem fallendi et falli. August., in Enchiridio, cap.* 18.

Nonnulli eo usque progrediuntur, ut et pejerare, et de rebus ad Dei cultum pertinentibus, ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonum piumque opus esse contendant. Mihi autem videtur peccatum quidem esse omne mendacium : sed multum interesse quo animo, et de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur : aut tantum vero nocet qui viatorem mentiendo in diversum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mendacio fallente depravat. Nemo sane mentiens judicandus est qui dicit falsum quod putat verum, quoniam quantum in ipso est non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed aliquantæ temeritatis arguendus est, quia falsa incautius credit ac pro veris habet, potiusque e contrario quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum ejus attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur esse quod dicit. Nec ullo modo liber est a mendacio qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. *Item, ibidem paulo post.* In ipsarum consideratione rerum quæ dicuntur, tantum interest qua in re quisque fallatur sive mentiatur, ut cum falli quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longe sit tolerabilius in his quæ a religione sunt sejuncta mentiri, quam in his sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli. *Item, ibidem, c.* 22. Homo non solum quando scit ipse quod verum sit, sed etiam quando errat et fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit sive putetur et non sit : omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi.

Cap. 52. — *Quod non sufficiat verum loqui, nisi et corde ita sentiatur. August., in Psalmum* XIV (*ad vers.* 3).

Nonnulli habent in labiis veritatem, et in corde non habent. Tanquam si aliquis dolose ostenda viam, sciens in ea esse latrones, et dicat : Si hac ieris a latronibus tutus eris, et contingat ut vere non ibi inveniantur latrones : verum ille locutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, et nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 53. — *De utilitate cujusdam mendacii. Hieronym. super psalmum* VIII.

Brevitatem promisimus, et necessitate compulsi sumus latius disputare : mentiti sumus, sed mendacium utilissimum est. Utinam Herodes mentitus esset et perjurasset (*Matth.* XIV). Et nos igitur nunc minora promisimus, et orantibus vobis majora præbuimus.

Cap. 54. — *Quod prosit aliquando vera tacere. Greg., in Pastorali, lib.* III (*admon.* 12).

Laudandi sunt simplices, quod studeant nunquam falsa dicere : sed admonendi sunt, ut noverint nonnunquam vera reticere. Sicut enim semper dicentem falsitas læsit, ita nonnunquam quibusdam audita vera nocuerunt. Unde coram discipulis Dominus locutionem suam silentio temperans ait : *Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis illa portare* (*Joan.* XVI).

Cap. 55. — *De eodem. Augustinus, De conflictu vitiorum atque virtutum, c.* 20 (*cap.* 22).

Modus tenendus est in loquendo, et ab ipsis nonnunquam utilibus verbis parcendum, sicut Psalmista dicit : *Humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII).

Cap. 56. — *Quod nonnunquam in hac vita error necessarius est. August., in Enchiridio* (*cap.* 17).

Diligentius considerata veritate, cum aliud nihil sit errare quam verum putare quod falsum est, falsum quod verum est : vel certum habere pro incerto, incertum vero pro certo, sive falsum sive sit verum : idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum atque decorum esse sentimus vel in loquendo, vel in assentiendo est est, non non ; profecto ob hoc ipsum est vita ista misera qua vivimus, quod ei nonnunquam ut non amittatur, error est necessarius.

Cap. 57. — *Quod verum tacere aliquando sit utile. August. super Epistolam ad Galatas* (*in cap.* II).

Falsum dicere nihil licet, aliquando autem aliquid veri tacere utile est.

Cap. 58. — *Quod ad memorias martyrum perjuri sæpe a dæmonio corripiantur. Ex concilio Meldensi, c.* 10.

Ut multiplex juramentorum et perjuriorum confusio, per quam multorum fidelium animæ in toto hoc regno perditæ esse noscuntur, quam sit detestanda et Deo odibilis, attentius omnibus annuntietur. Tantum namque hoc malum est, ut ad sanctuaria martyrum ubi diversorum ægritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifeste, interdum vexari non videantur, justo Dei judicio a dæmonibus arripiantur. Et sicut sanctus Gregorius dicit, ad horum corpora ægri veniunt et curantur, perjuri veniunt et a dæmonio vexantur.

Cap. 59. — *De illis qui nomen Dei in vanum sumunt. Ex dict. Hieron.*

(22, *q.* 1, *c. Habemus.*) Habemus in lege Domini scriptum : *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui* (*Lev.* XIX) ; et : *Ne assumas nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* XX). Ideo admonendi sunt omnes, ut diligenter caveant perjurium, non solum in altari seu sanctorum reliquiis, sed in communi loquela. *Item.* Cavendum est ne aliquis plus aurum honoret quam altare, cum [ne ei, *Vict.*] Dominus dicat : Stulte, *quid majus est aurum, an* altare, *quod sanctificat aurum?* (*Matth.* XXIII).

Cap. 60. — *De illis qui per cupiditatem perjurium fecerint. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si quis per cupiditatem perjuraverit, omnes res suas vendat et pauperibus distribuat, et monasterium ingressus jugi pœnitentiæ se subdat.

Cap. 61. — *De illis qui jubentibus dominis suis perjurium fecerint. Ex decret. Pii papæ, cap.* 2 (*in fragm.*).

(22, *q.* 5, *c. Qui compulsus.*) Qui compulsus a domino perjurat se sciens, utrique sunt perjuri, et dominus et miles : dominus, quia præcepit ; miles, quia plus dominum quam animam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat, et septem sequentes annos. Si servus est, tres quadragesimas et legitimas ferias pœniteat.

Cap. 62. — *De illis qui perjurant se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, aut non consecrata. Ex Pœnitent. Theodori.*

(22, *q.* 5, *c. Qui perjurat.*) Qui perjurat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat. Si vero in cruce non consecrata, unum annum pœniteat. Qui autem seductus fuerit et ignorans se perjuraverit, et postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat.

Cap. 63. — *De illis qui pro vita redimenda perjurium fecerint. Ex Pœnitentiali Romano.*

(22, *q.* 5, *c. Si quis coactus.*) Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate se perjurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat. Alii judicant tres annos, unum ex his in pane et aqua.

Cap. 64. — *De illis qui injusta vota juramento firmaverint. Ex concilio Toletano* (VIII, *c.* 2).

(21, *q.* 5, *c. Necesse.*) Necesse est enim ut male jurans dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vanum. Quia in Exodo scriptum est : *Nec enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra* (*Exod.* XX). Et in Levitico : *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini tui ; ego Dominus* (*Levit.* XIX). Malum tamen quod facturum se sacramento devoverat, omnino non faciat, quia stulta vota frangenda sunt.

Cap. 65. — *De non recipiendo in testimonium perjuro. Ex decretis Fabiani papæ, c.* 11 (*in fragm.*).

Quicunque sciens se perjuraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem annos sequentes pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur, et post hæc communionem percipiat.

Cap. 66. — *De pœnitentia ejus qui in perjurium alios secum pertraxerit. Ex decret. Pelagii papæ, c.* 11.

(22, *q.* 5. *Si quis.*) Si quis se perjuraverit, et alios sciens in perjurium duxerit, quadraginta dies

Introdusă în format electronic de Google

in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia. Et alii si conscii fuerint similiter pœniteat ; sin autem, singuli ut perjurium non sponte commissum, pœniteant.

Cap. 67. — *Quod graviter delinquunt qui sibi loquentes jurare compellunt, et quid sit jurare Dei. Isidorus* (*lib.* II *De summo bono*, *c.* 31).

Sicut mentiri non potest, qui non loquitur, sic perjurare non poterit, qui jurare non appetit. Cavendum igitur est juramentum, nec eo utendum nisi in sola necessitate. Non est contra Dei præceptum jurare, sed dum usum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus. Nunquam ergo juret qui perjurare timet. Multi dum loquuntur jurare semper delectantur, dum oporteat hoc tantum esse in ore Est est, Non non : amplius enim quam est et non est, a malo est (*Matth.* v). Multi ut fallant perjurant, ut per fidem sacramenti fidem faciant verborum : sicque fallendo dum perjurant et mentiuntur, hominem incautum decipiunt. Interdum et falsis lacrymis seducti decipimur, et creditur dum plorant, quibus credendum non erat. Plerumque sine juramento loqui disponimus, sed incredulitate eorum qui non credunt quod dicimus, jurare compellimur, talique necessitate, jurandi consuetudinem facimus. Sunt multi ad credendum pigri, qui non moventur ad fidem verbi. Graviter autem delinquunt qui sibi loquentes jurare cogunt. Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit. Dupliciter autem reus erit, quia [qui, *orig. et Vict.*] et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit. Non est conservandum sacramentum, quo malum incaute promittitur : veluti si quispiam adulteræ perpetuo cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. Jurare Dei est illa providentia quæ statuit non evellere statuta. Pœnitentia autem Dei, rerum mutatio est. Non pœnitere autem, statuta non revocare; ut est illud : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX), id est, quæ juravit non mutabit.

Cap. 68. — *De illis qui se scientes perjuraverint. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Si quis suspicatur quod ad perjurium inducatur, et tamen ex consensu jurat, quadraginta dies pœniteat, et septem sequentes annos, et nunquam sit sine gravi pœnitentia.

Cap. 69. — *Quod unusquisque jejunus jurare debeat. Ex decret. Cornelii papæ, cap.* 5.

(22, *q.* 5, *c. Honestum.*) Sed et nobis honestum etiam et justum videtur, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate et timore Dei : et ut pueri ante quatuordecim annos non cogantur jurare.

Cap. 70. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 10.

Et hoc sancta synodus decrevit nisi pro pace facienda, ut omnes fideles jejuni ad sacramenta accedant.

Cap. 71. — *Qualem pœnitentiam perjuri accipere debeant. Ex decretis Eutychiani papæ, c.* 26.

(22, *q.* 1, *c. Prædicandum.*) Prædicandum etiam, ut perjurium fideles caveant, et ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, et in lege et prophetis in Evangelio prohibitum. Audivimus autem quosdam parvipendere hoc scelus, et levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui etiam nosse debent talem de perjurio pœnitentiam imponere debere, qualem et de adulterio, de fornicatione, de homicidio sponte commisso, et de cæteris criminalibus vitiis. Si quis vero perpetrato perjurio, aut quolibet perpetrato criminali peccato timens pœnitentiam longam ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellendus est, sive a communione et consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.

Cap. 72. — *De illis qui per capillum Dei aut caput jurant, vel alio modo blasphemia contra Deum immortalem utuntur. Ex decret. Pii papæ, cap.* 5 (*in fragm.*).

(22, *q.* 1, *c. Si quis per capillum.*) Si quis per capillum Dei, vel per caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit : si est ex ecclesiastico ordine, deponatur : si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturas juraverit, acerrime castigetur, et juxta id quod synodus dijudicaverit, pœniteat. Si quis talem hominem non manifestaverit, non est dubium quod divina condemnatione similiter coerceatur. Et si episcopus ista emendare neglexerit, a synodo corripiatur [*al.* acerrime].

Cap. 73. — *De juramento Herodis. Ex dictis Hieronymi* (*in c.* XIV *Matth.*).

Cum juramento pollicitus est Herodes saltatrici dare quodcunque postulasset ab eo. Si ob jusjurandum fecisse se dicit, si patris matrisque interitum postulasset, facturus erat, ac non? Quod in suis ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit et in propheta.

Cap. 74. — *De illis qui odium sempiternum inter se juramento firmaverint. Ex conc. Illerdensi, cap.* 7.

(22, *q.* 4, *c. Qui sacram.*) Qui sacramento se obligaverit, ut litiget cum quolibet, nec ad pacem ullo modo redeat, pro perjurio uno anno a corpore et sanguine Domini segregetur, et reatum suum jejuniis et eleemosynis absolvat. Ad charitatem vero quæ *operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV), celeriter redeat.

Cap. 75. — *De illis qui incaute juraverint. Ex decretis Soteris papæ, cap.* 3

(22, *q.* 4, *c. Si aliquid.*) Si aliquid forte incautius nos jurasse contigerit quod observatum pejorem vergat in exitum, illud concilio salubriori mutandum noverimus, ac magis instante necessitate perjurandum nobis, quam pro vitando periurio [perfecto

Introdusă în format electronic de Google

vel pro facto juramento, *orig.*] in aliud crimen majus esse divertendum.

Cap. 76. — *De his qui fidelitatem dominis suis jurant. Ex epistola Fulberti episcopi ad Guillelmum Aquitaniæ ducem.*

(22, *q.* 5, *c. De forma fidelitatis.*) De forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hæc vobis quæ sequuntur breviter ex librorum auctoritate notavi. Qui domino suo fidelitatem jurat, ista sex semper in memoria habere debet : incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino de corpore suo; tutum, ne sit ei in damnum de secreto suo, vel de munitionibus per quas tutus esse potest; honestum, ne sit ei in damnum de sua justitia, vel de aliis causis quæ ad honestatem ejus pertinere videntur; utile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus; facile vel possibile, ne id bonum quod dominus suus leviter facere poterat faciat ei difficile, neve id quod possibile erat, reddat ei impossibile. Ut fidelis hæc nocumenta caveat justum est, sed non ideo cassamentum [causamentum] meretur. Non enim sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est (*Psal.* XXXIII *et* XXXVI). Restat ergo ut in eisdem sex supradictis consilium et auxilium domino suo fideliter præstet, si beneficio dignus videri vult, et salvus esse de fidelitate quam juravit. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Quod si non fecerit, merito censebitur malefidus; sicut ille, si in eorum prævaricatione vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit perjurus et perfidus.

Cap. 77.— *Qualiter sacerdotes jurare debeant. Epist. Cornelii papæ, cap.* 3 (*epist.* 2).

Cornelius episcopus, Rufo coepiscopo, in Domino salutem. « Exigit dilectio tua, frater charissime, ut ex auctoritate sedis apostolicæ tuis deberemus consultis respondere. Quod licet non prolixe, sed succincte agere festinaremus propter quasdam importunitates, quæ nostris præpedientibus peccatis in nos supervenere, tuis tamen perreliqua sanctorum Patrum instituta studiis perquirere latius et investigare committimus. Non enim potest mens attrita, et oneribus atque importunitatibus gravata, tantum boni peragere, quantum delectata et oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, ut hæc et alia quæ necessaria fore cognoverimus, tuæ sanctitati velimus denegare; sed quod hic minus invenitur, latius perquiratur. Sacramentum autem hactenus summis sacerdotibus vel reliquis Dei ministris exigi, nisi pro fide recta, minime cognovimus, nec sponte [spontaneos, *orig.*] eos jurasse comperimus. Summopere ergo sanctus Jacobus apostolus prohibens sacramentum loquitur dicens : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester Est est, Non non, ut non sub judicio decidatis* (*Jac.* v). Et Dominus in Evangelio ait : *Audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est; neque per Hierosolymam, quia civitas magni Regis est; neque per caput tuum, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est est, Non non. Quod autem his abundantius est, a malo est* (*Matth.* v), id est ab exigente, et a jurante. Hæc, frater charissime, ipse Dominus prohibet [perhibet, *Vict.*], id est, non jurare debere. Hæc apostoli maxime omnes, hæc sancti viri prædecessores nostri qui huic sanctæ universali apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt, hæc prophetæ, et reliqui sancti doctores per universum mundum dispersi ad prædicandum juramenta fieri vetant. Quorum nos exempla si cœperimus enumerare, aut in schedula hac inserere, ante deficiet hora dici quam eorum exempla de hac causa exhibita. Quæ nos sequentes sanctorum apostolorum eorumque successorum jura firmamus, et sacramenta incauta fieri prohibemus. Unde et ipse Dominus in tabulis lapideis quas Moysi dedit, propria manu scripsit dicens : *Vide ne assumas nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* XX), et reliqua. Unusquisque enim propriam conscientiam mundam debet servare Deo, et in memoria retinere : *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I). Et Apostolus ait : *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra* (*Ephes.* IV); et alibi : *Nolite mentiri invicem* (*Coloss.* III). Hæc præcepta sunt Salvatoris, hæc prophetarum, hæc sanctorum Patrum instituta, quæ si quis in vanum duxerit, hostis est animæ suæ, quia nemo contra prophetas, nemo contra Apostolum, nemo contra Evangelium facit aliquid absque periculo. »

Cap. 78. — *De illis qui sacramentum regis violant. Ex dictis beati August.*

(22, *q.* 5, *c. Si quis laicus.*) Si quis laicus juramentum violando profanat quod regi et domino suo jurat, et postmodum perverse ejus regnum et dolose tractaverit, et in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit, manum suam in christum Domini mittens, anathema sit, nisi per dignam satisfactionem pœnitentiæ emendaverit, sicuti constitutum a sancta synodo est, id est sæculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, et pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. Verumtamen communionem in exitu vitæ cum eucharistia accipiat. Episcopus vero, presbyter, vel diaconus, si hoc crimen perpetraverit, degradetur.

Cap. 79. — *De illo qui audierit vocem perjurantis, et assensum præbet. Levit. cap.* V.

Anima quæ peccaverit, et audierit vocem perjurantis, et testis fuerit, quod aut ipse vidit aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.

Cap. 80. — *Quod definitio incauta solvenda sit, sed temeritas corrigenda. Ex conc. Eliberitano cap.* I (*in fragm*).

(22, *q.* 4, *cap. Definitio.*) Definitio incauta laudabiliter solvenda [dissolvitur], nec prævaricatio est, sed temeritatis emendatio.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 81. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 3 (*ibidem*).

Si puella sita in puerili ætate in domo patris, illo nesciente, se juramento constrinxerit, et si pater statim ut audierit contradixerit, vota ejus et juramenta irrita erunt, et facilius emendabitur.

CAP. 82. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 2.

Juramentum filii et filiæ nesciente patre, et vota monachi nesciente abbate, et juramenta pueri irrita sunt.

CAP. 83. — *Omnibus modis cavendum esse mendacium. Gregorius dicit.*

« Noli, fili, negare gratiam Dei, ne incurras pro bono in malum, pro humilitate in mendacium. Cavendum namque est omnibus modis mendacium, sive pro malo, sive etiam pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est ex Deo, sed sicut Salvator dicit, a malo est (*Joan.* VIII). »

CAP. 84. — *Item de juramento servando vel non servando. Ex concilio Toletano* VIII, *cap.* 2.

Etenim dum perjurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus. Cum vero noxia promissa complemus, et Dei jussa superbe contemnimus, et proximis impia crudelitate nocemus, et nos ipsos crudeliore mortis gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter jugulamur. Restat ergo ut eo nostra pergat sententia, quo misericordiæ patuerit via. Quæ ita Domino probatur accepta ut plus eam cupiat quam sacrificia veneranda, dicente ipso : *Misericordiam volo et non sacrificium* (*Osee* VI; *Matth.* IX). Hac indulgentiæ concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi principis potestatem redigimus, ut quia Deus illi miserendi aditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non deneget. Quæ ita principali discretione moderata persistant, ut et illis ita sit misericordia contributa, ut et nusquam gens aut patria per eosdem aut periculum quodcunque perferat, aut jacturam. Hæc miserationis obtentu temperasse sufficiat. Cæterum juramenta pro regiæ potestatis salute, vel constitutione gentis et patriæ, quæ hactenus sunt exacta, vel deinceps exstiterint exigenda, omni custodia omnique vigilantia indissolubiliter decernimus observanda, membrorum truncatione mortisque sententia religione penitus absoluta. Sed ne pravarum mentium versuta nequitia nosmetipsos ad perjurii aliquando provocet culpam, nec a sanctæ fidei regula hanc asserat venire sententiam, tam divinæ auctoritatis oracula quam præcedentium Patrum huic narrationi curavimus innectenda. (*Ibid., paulo post.*) Sic enim per Jeremiam dicit : *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum ut eradicem et dis-* A *perdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei* (*Jer.* XVIII). Et per Ezechielem : *Si dixero*, inquit, *justo quod vita vivat, et confisus* [conversus a justitia] *in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio : Morieris, et egerit pœnitentiam, vita vivet et non morietur* (*Ezech.* XXXIII). Si ergo nostra conversio sic divinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lacrymæ vel pressuræ tam crudam non temperent ex miseratione vindictam?

CAP. 85. — *De his qui contra episcopos suos conspiraverint. Ex epist. Calixti papæ, ad omnes Galliæ episcopos.*

(1, *q.* 1, *c. Conspirationum.*) Conspirationum vero crimina vestris in partibus vigere audivimus, et plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cujus criminis astutia, non solum inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos, et ab exteris lege prohibita. Et idcirco hujus criminis reos, non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi damnant leges, et non solum conspirantes, sed et consentientes eis. Antecessores vero nostri cum plurima turba episcoporum quicunque eorum in sacerdotali ordine sint constituti, aut existunt clerici, honore quo utuntur carere præceperunt; cæteros vero communione privari, et ab ecclesia extorres fieri jusserunt, et non solum facientes, sed et eis consentientes.

CAP. 86. — *De eadem re. Ex concilio Tongrensi* [al. *Gangrensi*] *cap.* 5.

(24, *q.* 3, *c. Quisquis.*) Quisquis per dolum mittit manum suam in christum Domini, episcopum videlicet, patrem et pastorem suum, quia sacrilegium grave committit, et qui ecclesiam Dei devastat et incendit, quia et hoc sacrilegium est, placuit sanctæ synodo, ut in uno loco, id est in monasterio, pœniteat omnibus diebus vitæ suæ.

CAP. 87. — *De clericis vel monachis conjurantibus vel conspirantibus contra episcopum suum. Ex concilio Chalcedonensi, cap.* 18.

(11, *q.* 1, *c. Si qui clerici.*) Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

CAP. 88. — *De eadem re. Ex concilio Toletano, cap.* 8 (*conc. Tol.* X, *c.* 2).

(11, *q.* 1, *c. Si clerici.*) Igitur si clerici aut monachi inventi fuerint conjurati, aut per conjurationem calumniam machinantes [conspirantes] episcopis vel clericis, proprium amittant gradum.

Introdusă în format electronic de Google

DECRETI PARS DECIMA TERTIA.

De raptoribus, de furibus, de usurariis et feneratoribus; de venatoribus, de maledicis et contentiosis, de comessationibus et ebrietatibus, de furiosis, de Judæis, et eorum correctione.

CAP. 1. — *De pervasoribus rerum alienarum, et pœna eorum. Joannes papa Zachariæ archiepiscopo.*

Est in antiquis Ecclesiæ statutis decretum ut qui aliena invadit non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde et in Evangelio scriptum est: Quod *si aliquid defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX) : et in legibus sæculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cujus res direpta est, in undecuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege divina legitur : *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, et dicet omnis populus, Amen* (*Deut.* XXVII). Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque damnatione.

CAP. 2. — *Quod filii Israel non fecerint furtum spoliando Ægyptios. August. lib. Quæst.* (*quæst.* 39 *ad c.* XI *Exod.*).

(14, *q.* 5, *c. Dixit Dominus.*) Dixit Dominus ad Moysen : Petat vir a proximo, et mulier a proxima vasa aurea et argentea, et vestem (*Exod.* XI). Non hinc quisquam sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum; hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret, nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubente ministerium præbuerunt. Quemadmodum cum minister judicis occidit eum quem judex jussit occidi, profecto si id sponte faciat homicida est, etiam si eum occidat quem scit a judice debuisse occidi.

CAP. 3. — *Quid intersit inter furtum et rapinam. Ibidem* (*Aug. q.* 71, *lib. Q.* 20, *super c.* XI *Exod.*).

(14. *q.* 5, *c. Pœnale.*) Pœnale est occulte auferre, multo majoris pœnæ est visibiliter eripere. Auferre ergo nolenti sive occulte, sive palam, habet præceptum suum. Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ; non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed utique sub furti nomine in lege Veteris Testamenti et rapinam intelligi voluit. A parte enim totum significavit, quidquid illicite rerum proximi aufertur.

CAP. 4. — *Quod non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. August. in epistola ad Armentarium et Paulinam* (*epist.* 54 *ad Macedonium*).

(14, *q.* 6, *c. Si res.*) Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum : sed (ut dixi) cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet unde restituat. Huic certe non possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus et negare. Ubi quidem si aliquos sustinet cruciatus repente, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas. Quia et si non est unde luat [reddat, *legit Gratian.*] ablatam pecuniam, tamen dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo male ablata est pœnas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, non ad hoc ut minime restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem seviat.

CAP. 5. — *Quod non sint ab Ecclesia recipienda furta cum aliquo auctario. Ex dictis Gregorii* (*c.* 4 *ad interrogat. August.*).

Sunt quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant, et sunt alii qui in hac re ex inopia delinquunt. Unde necesse est ut quidam damnis, quidam verberibus, quidam districtius, quidam vero levius corrigantur. Sed absit ut Ecclesia cum argumento recipiat quod de terrenis rebus videtur amittere, et lucra de vanis quærat.

CAP. 6. — *Quod fures per septem bonæ fidei homines convinci possunt. Ex libro Capitularium.*

De furibus et malefactoribus decrevimus observari, ut si quinque aut septem bonæ fidei homines absque inimicitia præposita criminosum, cum sacramenti interpositione, esse dixerint, sicut contra legem fecit, sic secundum legem judicetur.

CAP. 7. — *Ne sacerdos fœnus vel rusticum ministerium exerceat. Ex synodo Eugenii papæ, cap.* 3 (*synod. Rom. sub Eugen. II, c.* 11).

Sacerdos fœnoris aliquid, aut rustica ministeria non exerceat, quem sine ornatu sacerdotali extra domos apparere non convenit.

CAP. 8. — *Ut clericus fœnerator deponatur. Ex Nicæno concilio* I, *cap.* 17.

(*Dist.* 47 *et* 14, *q.* 4, *c. Quoniam multi.*) Si quis inventus fuerit usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia et sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.

CAP. 9. — *Ne clericus amplius recipiat quam mutuo dedit. Ex concilio* III *Carthaginensi, cap.* 16.

(14, *q.* 4, *c. Nullus clericorum.*) Nullus clericorum amplius recipiat quam accommodaverit; si pecuniam, pecuniam; si speciem, speciem eamdem, quantam dederit, accipiat.

CAP. 10. — *Ut ministri fœneratores a communione abstineant. Ex concilio* I *Arelatensi, cap.* 12.

(14, *q.* 4, *c. Ministri.*) De ministris qui fœnerantur, placuit eos, juxta formam divinitus datam, abstinere a communione.

CAP. 11. — *Ut clericus fœnerator seu negotiator a*

Introdusă în format electronic de Google

communione suspendatur. Ex secundo concilio Arelatensi.

(*Cap.* 14, *ex* 18 *c. Nicænæ synodi.*) Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus a clero a communione alienus fiat.

Cap. 12. — *De eodem. Ex concilio Eliberit., cap.* 20.

(*Dist.* 47, *c. Si quis clericorum.*) Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari et abstinere.

Cap. 13. — *Item de eodem. Ex concilio Tarraconensi, c.* 2.

(14, *q.* 4, *c. Canonum statutis.*) Quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius vel vendendi carius studio non utatur. Certe si voluerit hæc exercere, cohibeatur a clero.

Cap. 14. — *De eadem, re. Ibidem, cap.* 3.

(14, *q.* 4, *c. Si quis clericus.*) Si quis clericus in necessitate solidum præstiterit, hoc de vino vel de frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuerit venundari. Cæterum si speciem non habuerit, necessarium ipsum quod dedit sine ullo augmento recipiat.

Cap. 15. — *De eadem re. Ex conc. apostolorum, cap.* 44.

(*Dist.* 47, *c. Episcopus.*) Episcopus, aut presbyter, aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur, et a communione privetur.

Cap. 16. — *Ut qui aliquid habet de malo faciat inde bonum. Augustinus, De verbis Domini, tract.* 35 (*Serm.* 35).

(14, *q.* 5, *c. Nolite.*) Nolite velle eleemosynas facere de fœnore et usuris. *Item, ibidem aliquanto post.* (14, *q.* 5, *c. Qui habetis.*) Qui habetis aliquid de malo, facite inde bonum : qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo. Esto bonus tu qui bonum facis de malo, et cum cœperis aliquid boni facere de malo, noli remanere tu malus. Nummi tui convertuntur in bonum, et tu remanes malus?

Cap. 17. — *Quod fœnerator est omnis, qui plus acceperit quam dederit. Augustinus in psalm.* XXXVI (*ad vers.* 26).

(14, *q.* 3, *c. Si fœneraveris.*) Si fœneraveris homini, id est, si mutuum dederis pecuniam tuam, a quo plusquam dedisti exspectes, non pecuniam solam, sed aliquid plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive oleum, sive vinum, sive quodlibet aliud; si plus quam dedisti exspectes accipere, fœnerator es, et ob hoc improbandus, non laudandus.

Cap. 18. — *De eodem. Hieronymus super Ezechielem, lib.* VI (*in c.* XVIII).

(14, *q.* 3, *c. Putant.*) Putant quidem usuram tantum esse in pecunia, quod prævidens divina Scriptura, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. *Item, aliquanto post.* Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram appellari et superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod (cui) dederint plus reacceperint.

Cap. 19. — *De his qui usuras de usuris exigunt. Codicum lib.* II, *cap.* 23.

Improbum fœnus exercentibus, et usuras usurarum illicite exigentibus, infamiæ macula irroganda est.

Cap. 20. — *De eodem. Item Capitul. lib. cap.* 25.

Nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur. *Item.* Diffinimus nullo modo licere cuiquam usuras præteriti vel futuri temporis in sortem redigere, et earum iterum usuras stipulare.

Cap. 21. — *De differentia inter turpe lucrum et negotium. Ibidem* (*l.* I, *c.* 131).

(14, *q.* 4, *c. Quicunque.*) Quicunque tempore vindemiæ, vel tempore messis, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, aut vinum, verbi gratia de duobus denariis comparat modium unum, et servat dum venundare possit denariis quatuor, aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si hoc propter necessitatem comparat, ut sibi habeat et aliis tribuat, negotium dicimus.

Cap. 22. — *Quid sit fœneratio. August. lib. Locutionum, cap.* 34 (*de Deut. l.* V, *locut.* 39).

Fœnerationem Scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiamsi usuræ non accipiantur.

Cap. 23. — *De eodem. Ibidem, cap.* 42.

Fœnus fœnerabis (111) fratri tuo quantumcunque postulat, et quantum eget (*Deut.* XV). Hic certe cum opera misericordiæ præcipiat, utique usurarum crudelitas suscipienda non est.

Cap. 24. — *Quid sit turpe lucrum. Ambrosius super Epistolam ad Timotheum* (*In c.* III, *prioris epist*).

Turpia lucra dicit Apostolus esse, si sub pia professione quæstibus studeatur. Turpis enim deprehenditur, cum se purum ostentat.

Cap. 25. — *Quod difficile est inter vendentem et ementem non esse peccatum. Leo Rustico Narbonensi episcopo* (*epist.* 92, *c.* 9. *De pœnit.*).

(*Dist.* 1, *c. Qualitas lucri.*) Qualitas lucri negotiantem aut excusat (honestat), aut arguit : quia est et honestus quæstus, et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est inter vendentis et ementis commercium non intervenire peccatum.

Cap. 26. — *De his qui fruges suo labore sibi natas in cara tempora reservant. Ambr., De officiis lib.* III, *cap.* 6.

Sanctus David negat se in negotiationem introisse, quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. Et alius ait : Captans pretia frumenti maledictus in plebe est (*Prov.* XI). Diffinita est sententia, nihil disputationi relinquens, quale controversiarum genus (sed hoc controversiæ genus) solet dicendi esse, cum alius alleget agriculturam laudabilem apud omnes haberi, fructus

(111) Pro quo nunc legimus : *Mutuum dabis.*

Introdusă în format electronic de Google

terræ simplices esse triplos, plus qui seminaverit eum probatiorem fore, uberiores reditus industriæ non fraudari, negligentiam magis et incuriam ruris inculti reprehendi solere. Aravi, inquit, studiosius, uberius seminavi, diligentius excolui, bono collegi proventu (bonos collegi proventus), sollicite (sollicitus) recondidi, servavi fideliter, provide custodivi, nunc in tempore famis vendo, subvenio esurientibus, vendo frumentum, non alienum, sed meum, non pluris quam cæteri, imo etiam minori pretio. Quid hic fraudis est, cum multi etiam possent periclitari, si non haberent quod emerent? Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num providentia vituperatur? Fortasse dicat : Et Joseph in abundantia frumentum collegit, in caritate (raritate) vendidit (*Gen.* XLI). Num carius aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur emptori? Omnibus defertur emendi copia, nulli irrogatur injuria. His ergo quantum cujusque fert ingenium disputatis, exsurgit alius dicens : Bona quidem est agricultura, quæ fructus ministrat omnibus, quæ simplici industria accumulat terrarum fecunditatem, nihil doli, nihil fraudis interserens. Si bene aliquis seminavit, melius metet. Fecunda est terra, multiplicatum reddit quod accipit; fidelis est ager, fœneratos solet restituere proventus. De redditibus igitur uberis glebæ exspectare debes tui mercedem laboris, de fertilitate pinguis soli justa sperare compendia. Cur ad fraudem convertis naturæ industriam? cur invides usibus hominum publicos partus? cur populi minuis abundantiam? cur affectas inopiam? cur optari facis a pauperibus sterilitatem. Cum enim non sentiunt beneficia fecunditatis, te auctionante pretium, te continente (condente) frumentum, optant potius nihil nasci quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberis soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea plena frugum deploras, exploras quando sterilior proventus sit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arrisisse maledictum, ut nihil cuiquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria opes congeris ; et hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, et astutia fraudis est? Et hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ [malitiæ]? Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viscera omnium durus insidiator obrepas; augetur pretium tanquam sorte cumulatum fœnoris. Tibi conditæ frugis multiplicatur usura, tu frumentum tanquam fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. *Idem de Nabuthe.* Fœneratores, accipitis aurum argentumque pro pignore, et adhuc illum debitorem dicitis, qui plus vobis credidit, quam accepit a vobis? Creditores asseritis vos, qui amplius debetis? *Item, cap.* 14 *lib.* De Tobia. (14, *q.* 3, *c. Plerique.*) Plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usuram (usurarum) emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat : Neque usuram, inquit, escarum accipies, neque omnium rerum (*Deut.* XXV). *Item, ibidem paulo inferius.* Esca usura est, et vestis usura est, et quodcunque sorti accedit usura est, quod velis ei nomen imponas, usura est. *Item, ibidem post aliquot versus.* Si quis instaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, ut absynthiaci cupellam sibi gratis deferat : ad cauponem dirigit, ut Picenum vinum aut Tyriacum requirat, ad lanium ut vulvam [hilam, *nunc habet Amb. et Gratian.*] sibi procuret, ad alium, ut sibi poma adornet.

CAP. 27. — *Quod sine ferro alium jugulat, qui usuram ab eo flagitat. Idem (ejusdem lib. c.* 15).

(14, *q.* 4, *c. Clerici.*) Ab illo exige usuram cui nocere merito desideras, cui jure inferuntur arma ; huic legitime inferuntur usuræ, quem bello non potes facile vincere ; ab hoc usuram exige quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat qui usuram flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi jus usuræ.

CAP. 28. — *De clericis usurariis. Gelasius papa episcopis per Lucaniam, Brutios, et Siciliam (epist.* 9, *c.* 17).

(14, *q.* 4, *c. Clerici.*) Clerici aut ab indignis quæstibus noverint abstinendum, et ab omni cujushibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum; aut in quocunque gradu sint positi mox clericalibus officiis abstinere cogantur.

CAP. 29. — *De servis Dei venationes et hujusmodi exercentibus. Bonifacius Guiberto episcopo.*

Servi Dei ut venationes et silvaticas vagationes cum canibus, et ut accipitres et falcones non habeant, prohibemus.

CAP. 30. — *De eodem, et pœna eorum. Ex concilio Agathensi, cap.* 55.

(*Dist.* 34, *c. Episcopum, presbyterum.*) Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat : quod si quis talium personarum in hac voluntate [voluptate] detectus fuerit ; si episcopus, tribus mensibus se a communione abstineat (suspendat. *orig.*) ; presbyter, duobus mensibus se abstineat ; diaconus uno ab omni officio vel communione cesset.

CAP. 31. — *Nil esse dandum venatoribus et histrionibus. Augustinus super psalm.* CII, *cap.* 2 (*ad vers.* 6).

(*Dist.* 86, *c. Qui venatoribus.*) Qui venatoribus donant, quare donant? dicant mihi, quare dant venatori? Hoc in illo amant in quo nequissimus est, hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt, ipsam nequitiam publicam (publicant *habet Gratian.*) spectaculis omnium. Qui donat histrionibus, qui donat meretricibus, quare donat? Nunquid non et ipsi hominibus donant? Non tamen naturam ibi attendunt operis Dei, sed nequitiam operis humani. *Item, paulo inferius* (*in eumd. psal.*) Qui venatori donat, non ho-

Introdusă în format electronic de Google

mini donat, sed arti nequissimæ, nam si homo tantum esset et venator non esset, non ei donares, honoras in eo vitium non naturam.

Cap. 32. — *Ne videntes venatorem delectentur. August. super psal. cap.* XLVII.

(*Dist.* 86, *c. Vident homines.*) Vident homines venatorem, et delectantur; væ miseris si non se correxerint! Qui enim vident venatorem et delectantur, videbunt Salvatorem et contristabuntur.

Cap. 33. — *Quod sancti inveniantur piscatores, nulli venatores. Hieronymus super psal.* XC (*ad vers.* 2).

(*Dist.* 86, *c. Esau.*) Esau venator erat (*Gen.*, XXIX), quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem; piscatores invenimus sanctos.

Cap. 34. — *Quod nihil prodest jejunare visceribus, et luxuriari venatibus. Ambrosius homilia, quæ sic incipit :* Diximus superiore Dominica (*serm.* XXXIII).

(*Dist.* 86, *c. Quid prodest.*) Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriari venatibus? abstinere cibis, errare peccatis? *Item, paulo post.* An putatis illum jejunare, fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum sancta loca perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus silvasque perlustrat? Servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto quam de perditione servorum.

Cap. 35. — *Quæ bestiæ vel aves sint feræ, quæ non. Institut. lib.* II, *tit.* I.

Feræ bestiæ, et volucres, et pisces, id est omnia animalia quæ in terra, mari cœloque nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, nec interest feras bestias et volucres utrum in suo fundo quisque capiat, in alieno. [Plane qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia potest a Domino, si is providerit, prohiberi ne ingrediatur. Quidquid autem ceperis eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur. Cum autem evaserit custodiam tuam, et in naturalem libertatem se receperit, tuum esse desiit, et rursum occupantis sit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio. Illud quæsitum est an si fera bestia ita vulnerata sit, ut capi possit, statim tua esse intelligatur. Quibusdam placuit tuam esse, et eousque tuam videri, donec eam persequaris; quod si desieris persequi desinere tuam esse, et rursum fieri occupantis. Alii autem non aliter putaverunt tuam esse quam si ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quia multa accidere solent ut eam non capias. Apum quoque natura fera est. Itaque quæ in arbore tua consederint, antequam a te alveo includantur, non magis tuæ esse intelliguntur quam volucres quæ in tua arbore nidum fecerint; ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit; favos quoque, si quos effecerint, quilibet eximere potest. Plane integra re, si prævideris ingredientem fundum tuum, potes eum jure prohibere ne ingrediatur. Examen quoque ex alveo tuo si evolaverit, eousque tuum intelligitur, donec in conspectu tuo est, nec difficilis ejus persecutio est, alioquin occupantis fit. Pavonum et columbarum fera natura est, nec ad rem pertinet quod ex consuetudine avolare et revolare solent, nam et apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Cervos quoque ita quidam mansuetos habent, ut in silvas ire et redire soleant, quorum et ipsorum feram esse naturam nemo negat. In his autem animalibus quæ ex consuetudine abire et redire solent, talis regula comprobata est ut eousque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant. Nam cum revertendi animum habere desierint, et jam tua esse desinunt, et fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur desinere habere, cum revertendi consuetudinem deseruerint. Gallinarum et anserum non est fera natura; idque ex eo possumus intelligere quod aliæ sunt gallinæ quas feras vocamus. item alii anseres sunt quos feras appellamus Ideoque si anseres tui, aut tuæ gallinæ alique casu turbati, turbatæve evolaverint, licet conspectum tuum effugerint, quocunque loco sunt, tui tuæve esse intelliguntur, et qui lucrandi animo ea animalia retinet, furtum intelligitur committere.

Cap. 36. — *Quod ecclesiasticarum rerum incendia et deprædationes pro emunitate sint emendandæ. Ex epist. Gregorii papæ ad Constantiam reginam Galliæ* (*l.* IV *regist., epist.* 33, *seu c.* 77).

(12, *q.* 2, *c. Cum devotissimam.*) Cum dominam sciam de cœlesti vita atque remedio animæ suæ sedulo cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore omnipotentis Dei sunt suggerenda, siluero, et te sanctissimam de ecclesiastica pace sedulo non commonuero. Nimis me Juliani fratris et coepiscopi nostri proclamatio nuper contristavit, maxime cum villæ suæ videlicet ecclesiæ a nequissimis prædonibus sint deprædatæ, atque nocturnis incendiis more furum combustæ. Et dum iidem maligni, juxta nostri prædecessoris Bonifacii decreta, pro emunitate illud emendare noluerunt, dum et sæculi leges hæc eadem ita habere voluerint, lege vulgari teste, in qua sic scribitur · Si quis manu armata usque ad quatuor homines, in vicum alterius ad malefaciendum venerit, ille qui prior est, pro illicita præsumptione componat solidos 900, sequaces vero ejus unusquisque solid. 80. Si vero ibi incendium fecerint, sibi novies tantum componant, prædam vero in quadruplum restituant. Si sæculi leges talem justitiam habere voluerint, lex divina cur inferior esse debebit, cum in ipsius Veritatis præsentia a Zachæo collaudatum sit. si alicuem defrau

Introdusă în format electronic de Google

daret, ut in quadruplum restitueretur? (*Luc.* XIX.) Et quia summum in regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare, et in subjectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri; quod vos et diligere et omnino confidimus studere. Quapropter excellentiæ vestræ mensæ Novembrio præsentis anni, secunda indictione, Petrum fratrem et coepiscopum nostrum a gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ transmittemus, ut fratribus ejusdem provinciæ in unum congregatis, emunitas, et præsumptio, et sacrilegium canonica auctoritate, et vestra regia dignitate talem terminum accipiant, ne posthac membra diaboli, filii nequam in sancta Ecclesia, te etiam ibi regnante, talia præsumant.

CAP. 37. — *De rebus ecclesiasticis, quomodo restitui debeant. Ex decreto Eusebii papæ, cap.* 8 (*epist.* 2 *ad Ægypt.*).

(12, *q.* 2, *c. In legibus.*) Et in legibus sæculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cujus res direpta est, in undecuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege divina legitur: *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, et dicet omnis populus: Amen* (*Deut.* II). Talia ergo non præsumantur absque ultione, hæc exerceantur absque damnatione. Pacem, et non damnum, aut injustitiam alicujus sectamini in invicem, et in omnes. Proinde si quis ecclesiasticas oblationes, et quod Deo consecratum fuerit, rapuerit vel consenserit facientibus, ut sacrilegus dijudicetur, et damnum in quadruplum restituat, et canonice pœniteat.

CAP. 38. — *Quod sacrilegi sint ecclesiarum prædones. Ex conc. Magontiensi, cap.* 3.

Sacrilegi sunt ecclesiarum prædones. Unde et in concilio Agathensi sub 4 cap. decretum ita habetur: Amico quidpiam rapere furtum est, ecclesiæ vero fraudari vel abstrahi subripique, sacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, resque ecclesiæ diripientes, vel Ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames sacrilegi habendi sunt.

CAP. 39. — *De eadem re. Ex epistola* 2 *Pii papæ, Italicis fratribus missa.*

(12, *q.* 2, *c. Prædia.*) Ad sedem apostolicam perlatum est quod sint inter vos contentiones, et æmulationes, et prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicent usibus, et Domino Deo cui tradita sunt ea subtrahant, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illa usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sub secretis cœlestibus vindicata [usibus secretorum cœlestium dicata, *orig.*] a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos et Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addentes deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Dei in sacerdotibus consistat, et crescat in templum Dei (*Ephes.* II), et sicut qui Ecclesiam Dei devastat ejusque prædia et donaria exspoliat et invadit, fit sacrilegus, sic et ille qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit, et sicut sacrilegus judicatur.

CAP. 40. — *De his qui truncationes membrorum, et domorum incendia fecerint. Ex decretis Eutychiani papæ (in frag.).*

(23, *q.* 8, *c. Si quis.*) Si quis membrorum truncationes, domorum incendia fecerit, sive facere jusserit, aut facienti consenserit, quousque de his unicuique legaliter et amicabiliter coram episcopo civitatis aliisque civibus non emendaverit, ab ecclesia se privatum cognoscat. Si vero post secundam et tertiam conventionem cuncta in quibus arguitur, non emendaverit, tanquam ethnicus et publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

CAP. 41. — *Quod furtum ita sit in parvo, sicut in magno. Hieron. (in c.* II *Ep. ad Tit.).*

(14, *q.* 6, *c. Fur autem.*) Fur autem non solum in majoribus, sed et in minoribus etiam judicatur. Non enim quod furto ablatum est, sed *mens furantis* attenditur, quomodo in fornicatione, non idcirco diversa sit fornicatio, si mulier pulchra aut deformis, ancilla, aut ingenua, pauper aut opulenta; sed qualiscunque illa fuerit, una est fornicatio. Ita in furto quantumcunque quis abstulerit, furti crimen incurrit.

CAP. 42. — *De pœnitentia furti. Ex Pœnitent. Theodori.*

Si quis per necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres. Si reddiderit, non cogatur jejunare.

CAP. 43. — *De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 8.

Nam si quis publicam rapinam seu furtum fecerit, publicam inde agat pœnitentiam, juxta sacrorum canonum sanctiones. Si vero occulte, sacerdotum consilio pœniteat, quoniam *raptores*, ut Apostolus ait (nisi inde veram egerint pœnitentiam) *regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). Qui vero de rebus ecclesiæ aliquid abstulerit, gravius inde judicetur, quia, quamvis ultio furum et raptorum ad comites respiciat, pœnitentia tamen ad episcopos pertinet.

CAP. 44. — *De eadem re. Ex Pœnitent. Theodori.*

(27, *q.* 4, *c. Si quis furtum.*) Si quis furtum capitale commiserit, id est quadrupedia tulerit, vel casas effregerit, 7 annos pœniteat, et quod furatum est reddat. Si quis vero de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, et annum unum pœniteat. Si quis sepulcrum violaverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua.

CAP. 45. — *Quod pro furibus et latronibus in furto seu deprædatione occisis non sit orandum. Ex concilio Triburiensi, cap.* 5 (*c.* 34, *quanquam non iisdem verbis*).

(13, *q.* 2, *c. Fures et latrones.*) Fures et latrones si in furando et prædando occiduntur, visum est pro eis non orandum. Si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

CAP. 46. — *Utrum pœnitere debeant qui furem vel*

Introdusă în format electronic de Google

latronem in præda captum postea interficiunt. Ex concil. Aurelianensi, cap. 1.

(13, *q.* 2, *c. Si fur et latro.*) Si fur aut latro captus in præda absque occasione potest comprehendi, et tamen interficitur, quia ad imaginem Dei creati, et in nomine ejus baptizati sunt, interfectores eorum 40 diebus non intrent ecclesiam, lanea veste induti ab esceis et potibus, qui interdicti sunt, a toro, et gladio, et equitatu se abstineant. In tertia, quinta feria, et Sabbato aliquo genere leguminum vel olerum et pomis parvisque piscibus, cum mediocri cervisia vicissim utantur, et temperate. Sin autem a veridicis comprobatur testibus, quod sine odii meditatione se suaque liberando diaboli membra interficiunt, et capi non poterant, pœnitentiam pro homicidio eis non injungimus, nisi ipsi voluerint aliquid B quod humanitatis est facere.

CAP. 47. — *De eadem re. Exodi* XXII.

Si infringens fur domum sive effodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat venundabitur. Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens sive bos, sive asinus, sive ovis, duplum restituet.

CAP. 48. — *De servo qui fugerit dominum suum. Ex epistola Hieronymi ad Paschasium Alexandrinum.*

De servo qui dominum suum fugerit, interrogabas, si ille in illa fuga mortuus fuerit, utrum pro eo liceret orare, an non. Hoc in divinis libris non invenimus prohibitum; sed tamen scimus ab apostolis C firmiter præceptum ut *servi subditi sint in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis* (*I Petr.* II; *Ephes.* VI; *Col.* III; *Tit.* II). Et in Gangrensi concilio (*cap.* 3) ita scriptum est: « Si quis servum sub prætextu divini cultus doceat dominum proprium contemnere, ut discedat ab ejus obsequio, anathema sit. » Unde datur intelligi quod si ille anathema meruit, qui docet servum proprium dominum contemnere, et ab ejus obsequio recedere, quanto magis ille qui dominum spernit, et ejus servitio subdi noluerit. Sed tamen distantia est inter illum qui per superbiam fecerit, et illum qui per necessitatem coactus crudelitate domini sui.

CAP. 49. — *De clericis si in demoliendis sepulcris comprehensi fuerint. Ex concilio Toletano* IV, *cap.* 45. D

Si quis clericus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet in tali scelere proditum a clericatus ordine submoveri, et pœnitentiæ triennio deputari.

CAP. 50. — *De clericis vel monachis si furtum fecerint. Ex conc. Agat., cap.* 2 (1.2).

Si quis clericus aut monachus furtum fecerit (quod potius sacrilegium dici potest) id censuimus ordinandum, ut junior virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium ecclesiasticum [clericatus] A excipiat. Si vero iam ordinatus [clericus, *orig.* in hoc facinore fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate privetur; cui sufficere potest pro actus sui levitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, sola communio.

CAP. 51. — *De illis qui de ministerio Ecclesiæ aliquid fuerit. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si aliquis de ministerio Ecclesiæ quolibet modo aliquid furatus fuerit, 7 annos pœniteat.

CAP. 52. — *De maledicis et pœna eorum. Ex dictis Hieronymi.*

Apostolus dicit : *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Si quis hoc peccatum admiserit tam grande pœniteat, quam grande perpetravit scelus, quo a regno Dei non separetur.

CAP. 53. — *De murmuratoribus. Ex concilio Magontiensi, cap.* 8.

(*Dist.* 90, *c. Alienus sit.*) Si quis murmurans exstiterit, videat ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit : *Neque murmuraveritis sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore* (*I Cor.* X). Juxta mensuram opusque peccati, quia in hoc sententia Apostoli pleniter declaratur, sacerdotis judicio pœniteat.

CAP. 54. — *De eadem re. Ex eodem.*

(*Dist.* 90, *c. Si quis monachus.*) Qui contentiosus aut murmurans exstiterit, secundum arbitrium prioris ita pœniteat, qualiter culpæ qualitas [modus exstat.

CAP. 55. — *De eadem re.*

Apostolus dicit : *Omnia facite sine murmurationibus* (*Philip.* II); alienus sit a fratrum unitate qui murmurat, et opus ejus abjiciatur.

CAP. 56. — *De contentiosis. Ex decretis Hilarii I papæ, cap.* 15 (*ad calcem*).

Si quis videtur contentiosus esse, dicente Apostolo : *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (*I Cor.* XI) : si quis hoc facit, notetur usquequo corrigatur.

CAP. 57. — *De illis qui lasciva sunt lingua. Ex Pœnit. Theodori.*

Si quis laseivus in lingua fuerit [exstiterit], triduana pœnitentia expietur.

CAP. 58. — *De dissidentibus et litigantibus. Ex dictis Isidori.*

Si quis discors, et litigans, et per odium dissidens exstiterit, quousque ad concordiam redeat a conventu et societate Ecclesiæ, ut canones jubent, alienus existat

CAP. 59. — *De his qui de odio ad pacem nolunt redire. Ex eodem.*

Si quis odio habet aliquem, ita ut ad pacem reverti non velit, sicut sancti Patres statuerunt, ex communicetur, et ab Ecclesia separetur donec reconcilietur.

CAP. 60. — *De eadem re. Ex decret. Fabiani papæ cap.* 5 (*in fragm.*).

(*Dist.* 90, *c. Si quis contristatus.*) Si quis contristatus noluerit reconciliari satisfaciente eo qui con-

(112) (*Ex regula Patrum.*) Simile quid habetur hujus conc. cap. 4 et 5.

Introdusă în format electronic de Google

tristavit, acerrimis maceretur inediis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat.

Cap. 61. — *De eadem re. Ex eodem.*

Si quis non vult reconciliari fratri suo quem odio habet, tandiu in pane et aqua pœniteat, usque dum reconcilietur ei.

Cap. 62. — *De eadem re. Ex concilio Agathensi, cap.* 31.

(*Dist.* 90, *c. Placuit etiam.*) Placuit etiam, ut (sicut plerumque fit) quicunque odio aut longinqua inter se lite dissenserint, et ad pacem revocari diuturna contentione nequiverint, a sacerdotibus civitatis primitus arguantur, qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.

Cap. 63. — *De illis qui contentiones et rixas amaverint. Ex eodem concilio, cap.* 5 (*additur ad calcem conc. Agath.*)

(*Dist.* 90, *c. Si quis monachus.*) Si quis contentiones et rixas amaverit, vel manifestum convicium fratri intulerit, juxta arbitrium Rectoris modumque peccati, diuturna expietur pœnitentia.

Cap. 64.—*De his qui faciles sunt ad detrahendum. Ex eodem, cap.* 10 (*annect. et hoc ad calc. ejusd. conc.*).

Si quis promptus facilisque est ad detrahendum, dicens quod verum non est, 7 dies in pane et aqua sequestratus a fraterno consortio pœniteat.

Cap. 65. — *De pœnitentia ejus qui manum mittit in episcopum. Ex concilio Tungrensi, cap.* 5.

Quisquis per dolum mittit manum suam in Christum Domini, episcopum videlicet Patrem et pastorem suum, quia sacrilegium committit, et qui Ecclesiam devastat, et incendit, quia et hoc sacrilegium est, placuit sanctæ synodo ut in uno loco, id est in monasterio, pœniteat omnibus diebus vitæ suæ.

Cap. 66. — *De clericis maledicis. Ex concilio Carth.* IV, *cap.* 57.

(*Dist.* 46, *c. Clericus maledicus.*) Clericus maledicus maxime in sacerdotibus [maximeque a sacerdotibus], cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur, nec unquam ad officium absque satisfactione revocetur.

Cap. 67. — *De illis qui detrahunt suis prioribus. Ex dictis Basilii* (*in regulis brevioribus ad q.* 27).

Si quis detraxerit ei qui præest, 7 dies a conventu Ecclesiæ separatus, ut Maria soror Aaron quæ detraxerat Moysi (*Num.* XII), pœniteat.

Cap. 68. — *Quibus modis tollendæ sint comessationes et ebrietates. August. in epist.* 64 *ad Aurelium episcopum.*

(*Dist.* 44, *c. Comessationes.*) Comessationes et ebrietates ita concessæ et licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum, non solum per dies solemnes (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carneis oculis inspicit), sed et quotidie celebrentur. *Et post pauca.* Non ergo aspere (quantum existimo) non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; sed magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum, et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminande vindictam luturam, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spirituales vel spiritualibus proximi, quorum auctoritate et lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur.

Cap. 69. — *Quod crapula multum sit Christianis contraria. Ex dictis sancti Benedicti.*

Nihil sic contrarium est homini Christiano, quomodo crapula et ebrietas, sicut ait Dominus in Evangelio : *Videte ne graventur corda vestra crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI).

Cap. 70. — *Ut malum ebrietatis omnino vitetur. Ex decret. Euthychian. papæ, cap.* 8 (*ad cal. decret. Eut.*).

Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, Christianis modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicare dum esse decrevimus, usque ad congruam emendationem.

Cap. 71. — *Ne episcopi et eorum ministri crapula et ebrietate graventur. Ex decretis ejusdem, cap.* 9 (*ad calc. decret. ejusd.*).

Episcopi et Dei ministri non debent comessationibus et vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam Domini dicentis : *Attendite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI). Moderate enim cibum et necessarium sumptum sumant, ut, juxta Apostolum, sobrii sint et parati ad servitium Dei (*I Thess.* V ; *I Tim.* III ; *Tit.* I).

Cap. 72. — *De eadem re. Ex conc. Cabilonensi cap.* 10.

Ut sobrietatem sacerdotes teneant, et hanc habendam fidelibus prædicent, quia non potest libere sobrietatem prædicare qui se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Hoc et de comessationibus et cæteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus observandum est.

Cap. 73. — *De eadem re. Ex canonibus apostolorum, cap.* 42.

(*Dist.* 35, *c. Episcopus.*) Episcopus, presbyter, aut diaconus aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector aut cantor similia faciens aut desinat, aut communione privetur. Similiter etiam laicus.

Cap. 74. — *De eadem re. Ibidem, cap.* 43.

Si quis episcopus aut aliquis ordinatus in consuetudine ebriosus fuerit, aut desinat, aut deponatur.

Cap. 75. — *Quales convivæ episcoporum epulis interesse debeant. Ex decretis Eusebii papæ, cap.* 10 (*annect. ad calc. decret. Euseb.*).

Oportet episcopum moderatis epulis contentum esse suosque convivas ad comedendum et potandum non urgere, quin potius semper sobrietatis præbeat exemplum. Removeatur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta [augmenta, *orig.*], non ludicra spectacula, non acromatum vaniloquia, non histrionum stultiloquia, non scurrilium admittantur

Introdusă în format electronic de Google

præstigia. Adsint peregrini, et pauperes, et debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur vivæ vocis exhortatio, ut non tantum corporali cibo, imo verbi spiritualis alimento convivantes se refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus, per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAP. 76.—*De pœnitentia sacerdotum et reliquorum ordinum si inebriati fuerint. Ex Pœnitentiali Theodori episcopi.*

Sacerdos quilibet si inebriatur per ignorantiam, 7 dies pœniteat in pane et aqua. Si per negligentiam, 15 dies. Si per contemptum, 40 dies. Diaconus vel monachus secundum ordinem (ut scriptum est) ceu et reliqui clerici et ministri juxta ordinem judicio sacerdotis pœniteant. Laici velut vota non habentes, si inebriantur arguantur a sacerdote, quod *ebriosi regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI), et interitus sit ebrietas, et compellat eos pœnitere. Qui cogit hominem ut inebrietur humanitatis gratia, acerrime corripiatur, et septem dies pœniteat; si per contemptum 30 dies. Nullus Christianus alium Christianum plus bibere cogat quam naturæ sufficia' Quod si fecerit, juxta id quod in pœnitentiali habetur, pœniteat.

CAP. 77. — *De eadem re. Ex dictis Fructuosi episcopi.*

Si quis ecclesiastica præditus ordinatione, aut monachus repertus fuerit ebriosus, in pane et aqua tribus mensibus pœniteat.

CAP 78. — *Ut clerici et ipsi a comessationibus et ebrietatibus abstineant, et subditos abstinere præcipiant. Ex decretis Eutychiani papæ, cap.* 13 *(ad calc. decret. Eutych.).*

Observandum est vobis ut et vos ab ebrietate abstineatis, et ut plebes subditæ abstineant, prædicetis (præcipiatis). Et neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos aut vicos curiositate qualibet peragretis; neque cum feminis aut cum quibuslibet personis impuris convivia exerceatis, nisi forte paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, et cum conjuge sua et prole velit vobiscum spirituali gaudio lætari, et verborum vestrorum refectionem accipere, et vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim ut, si quando quislibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus.

CAP. 79. — *De pœnitentia ejus qui ebrius fuerit. Ex conc. Agathensi, cap.* 41.

(*Dist.* 35, *c. Ante omnia.*) Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit (ut ordo patitur) aut 30 dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali dandum supplicio.

CAP. 80. — *Quod vinum ut venenum sit fugiendum. Ex dictis Augustini.*

Fuge vinum velut venenum, ne ebrietas superet te, exspoliatumque virtutibus te nudum efficiat. *Vinum* enim, ut sancta Scriptura dicit, *apostatare facit* etiam *sapientes* (*Eccli.* XIX). Attende Noe virum sapientem et sanctum quomodo per ebrietatem nudatus est dormiens (*Gen.* IX). Attende et Lot patriarcham qui per ebrietatem se miscuit filiabus impudenter (*Gen.* XIX). Hinc beatus Basilius dicit : Multi per vinum a dæmonibus capti sunt; nec est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon (113). Hinc propheta ait : *Fornicatio et vinum, et ebrietas aufert cor* (*Ose.* IV). Ebrietas enim perturbationem parit, gignit mentis furorem, et flammam suscitat libidinis, Apostolo teste : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria* (*Ephes.* V). Si quis autem contra hæc fecerit sanctorum statuta, dignam et longam agat pœnitentiam, quia unum est ex his peccatis quæ hominem separant a regno Dei, dicente apostolo Paulo : *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI).

CAP. 81. — *De pœnitentia ejus qui ex ebrietate vomitum fecerit. Ex Pœnitentiali Romano.*

Qui per ebrietatem vomitum facit, si presbyter aut diaconus est, 40 dies pœniteat; si monachus, 30 dies; si clericus, 20 dies; si laicus, 15 dies.

CAP. 82. — *De eadem re. Ex Pœnitent. Bedæ vresbyteri.*

Laicus si per ebrietatem vomitum facit, tres dies a carne et vino, et cervisia abstineat.

CAP. 83. — *De pœnitentia ejus qui per nequitiam alios inebriat.*

Si quis per nequitiam alium inebriat, 40 dies pœniteat. Quod si in consuetudine habuerit, communione privetur, donec digne pœniteat, et emendationem promittat.

CAP. 84. — *Quod fugienda sit ebrietas. Ex decr. Clementis papæ, cap.* 35 *(epist.* 1 *ad Jac. frat. Dom.).*

Ebrietatem oppido prohibebat, et ebriosos corpore et animo mortuos esse prædicabat. De quibus per exemplum aiebat : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis* (*Isai.* V). Et iterum : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem, qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi auferlis ab eo. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israelis blasphemaverunt; ideo iratus est furor Domini in populo suo, et extendit manum suam super eum, et percussit eum, et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta* (*ibid.*).

CAP. 85. — *Quæ mala ebrietas in corpore et mente hominis generet. Isidorus dicit* (*lib.* II *De sum. bono, c.* 43.)

Escæ crapulam, potus ebrietatem generant. Ebrie-

(113) Basilius tomo II, in admonitione ad filium spiritualem.

Introdusă în format electronic de Google

tas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi sit nesciat. Unde etiam malum non sentitur quod per ebrietatem committitur. Verum est quod juxta prophetam dicitur : *Fornicatio et ebrietas auferunt cor* (*Ose.* IV). Fornicatio enim, sicut ait Salomon, infatuat sapientem. Ebrietas, sicut in Lot, sensum rationis captivat (*Gen.* XIX) ; unde et in Proverbiis : Potentes, inquit, qui iracundi sunt vinum non bibant, ne, cum biberint, obliviscantur sapientiam (*Prov.* XXXI). Plerisque laus est multum bibere, et non inebriari. Audiant hi adversum se dicentem prophetam : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* (*Isai.* V). Vino multo deditos et luxuriose viventes Isaias sic arguit dicens : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis* (*Ibid.*). De talibus et alio loco dicitur : *Væ tibi, civitas cujus rex juvenis est, et cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* X). Multi enim a mane usque ad solis occubitum ebrietati et gulæ voluptatibus serviunt, nec intelligunt cur nati sint, sed consuetudine belluina detenti, luxuriæ tantum tota die epulisque inserviunt. Clamat Joel propheta his qui ebrietati deserviunt, dicens : *Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine* (*Joel.* I). Quo testimonio non ait tantum : *Flete omnes, qui bibitis vinum*, ut bibere omnino non liceat, sed adjecit *in dulcedine*, quod ad voluptuosam pertinet et prodigam effusionem. Nam quantum satis est necessitati edocet Timotheum bibere Apostolus dicens : *Vino modico utere* (*1 Tim.* V). Non solum ex vino inebriantur homines, sed etiam ex cæteris potandi generibus, quæ vario modo conficiuntur. Unde et Nazaræis qui se sanctificabant Domino, præceptum est vinum et siceram non bibere (*Num.* VI), utraque enim statum mentis evertunt, et ebrios faciunt, luxuriam quoque carnis utraque æqualiter gignunt. Quidam continentes sicut panem cum pondere edunt, ita et aquam cum mensura sumunt, asserentes ad castimoniam carnis etiam aquæ abstinentiam convenire.

CAP. 86. — *De impunitate furiosi si quid per eum perditum fuerit. Lib.* VII *Institutionum, tit.* I.

Quod infans vel furiosus perdidit possessori, vel corrupit, impunitum est.

CAP. 87. — *Furiosis matrimonia non contrahenda, contracta non dirimenda. Institut. lib.* XXIV, *tit.* II. (*Digest. lib.* XXIII, *tit.* II, *l.* 16).

Furor contrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est, sed recte contractum non impedit.

CAP. 88. — *Item, de eodem. Ambrosius super Lucam* (*Digest. lib.* I, *tit.* VI, *l.* 8).

Furiosus licet ducere uxorem non possit, retinere tamen matrimonium potest.

CAP. 89. — *Item, de furiosis* (*lib.* III *Instit., tit.* XX).

Furiosus quoque nullum negotium gerere potest, quia non intelligit quod agit.

CAP. 90. — *Quod idem sit sentiendum de furiosis filiis et parentibus. Novellarum constit., cap.* 4.

Si furiosus filius vel quæcunque persona liberorum sit in furore, eadem teneantur quæ superius de furiosis parentibus diximus.

CAP. 91. — *De impunitate furiosi. Ambr. lib. Hexaem., in tract. primæ diei* (*lib.* I, *c.* I).

In Judiciis istiusmodi voluntarios reos non ex necessitate compulsos culpa stringit, pœna condemnat. Neque enim si furore aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti est; quin etiam ipsius divinæ legis oraculo, si quis per imprudentiam intulerit necem, accipit impunitatis spem, refugii facultatem, ut possit evadere. Hoc igitur de eo quod proprie malum videtur, dictum sit. Mala enim non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant, et conscientiam ligant.

CAP. 92. — *De eodem. August. lib. Quæstionum Veteris et Novi Testamenti, cap.* 2.

(15, *q.* 1, *c. Quos scimus.*) Aliquos scimus subito dementes factos ferro, fuste, lapidibus, morsibus multis nocuisse, quosdam et occidisse. Captos autem industria et judiciis oblatos minime reos factos, eo quod non voluntate, sed, impellente vi nescio qua hæc gesserint nescientes. Quomodo enim reus constituitur, qui nescit quid fecerit ?

CAP. 93. — *Quod impuberes et furiosi non possint testamentum facere. Instit. lib.* II, *tit.* XII.

Testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi judicium est ; item furiosi, quia mente carent. Nec ad rem pertinet si impubes postea pubes, aut furiosus postea compos mentis factus fuerit, et decesserit. Furiosi autem si per id tempus fecerint testamentum quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur.

CAP. 94. — *Judæos non esse cogendos ad fidem Christianam. Ex Tolet. conc. cap.* 58 (*cap.* 56).

(*Dist.* 45, *c. De Judæis.*) De Judæis præcepit sancta synodus nemini deinceps vim inferri ad credendum. *Item, eodem conc.* Judæi non vi sed libera arbitrii voluntate [liberi arbitrii facultate, *Grat.*] ut convertantur, suadendi potius sunt quam impellendi.

CAP. 95. — *Ut nullus Judæis in errore suo patrocinetur. Item* (*cap.* 57).

Quicunque episcopus, sive clericus, sive sæcularis, ullis Judæis contra fidem Christianam vel munere vel favore auxilium præstiterit, vere ut profanus et sacrilegus, anathema effectus ab Ecclesia catholica et regno Dei efficiatur extraneus, quia dignum est ut a corpore Christi separetur, qui ejus inimicis patronus efficitur.

CAP. 96. — *De infirmando Judæorum testimonio. Item* (*cap.* 63).

(2, *q.* 7, *c. Non potest.*) Infirmari oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur, nec eis esse credendum qui veritatis fidem a se abjecerunt.

CAP. 97. — *Ne publica officia Judæis committantur. Item* (*ibid., c.* 46).

(27, *q.* 4, *c. Constituit sanctum.*) Hi qui ex Judæis,

Introdusă în format electronic de Google

officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione Christianis injuriam faciunt, ideoque judices provinciarum cum sacerdotibus, eorum subreptiones fraudulentas suspendant, et officia publica eos agere non permittant. Si quis autem hoc permiserit, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur, et is qui subrepserit publicis codicibus [cædibus, *orig.*] deputetur.

CAP. 98. — *Ne Judæi mancipia Christiana emere præsumant. Item* (*cap.* 65).

Judæis non liceat Christianos servos nec Christiana mancipia emere, nec cujusquam consequi largitate. Nefas est enim ut membra Christi serviant membris Antichristi. Quod si deinceps servos Christianos vel ancillas Judæi habere præsumpserint, sublati ab eorum dominatu libertatem a principe consequantur.

CAP. 99. — *Ne Christiani Judæorum conviviis interesint. Ex concil. Aurelian.* III, *tempore Childeberti regis, cap.* 13.

Christianis convivia interdicimus Judæorum in quibus si forte fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujuscemodi contumacia subjacebunt.

CAP. 100. — *Ne Judæi a Cœna Domini usque ad secundam feriam in publico appareant. Item cap.* 29.

Judæi a die Cœnæ Domini usque in secundam Sabbati in Pascha, hoc est ipso quatriduo procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo modo [loco, *orig.*] vel quacunque occasione miscere præsumant.

CAP. 101. — *Quod omni mansuetudine et benignitate Judæi ad fidei unitatem sint vocandi. Gregorius Petro episcopo Terracinensi* (I *regist., ep.* 34.)

Joseph præsentium lator Judæus insinuavit nobis, quod de quodam loco, in quo ad celebrandas festivitates suas Judæi in Terracinensi castro consistentes convenire consueverant, tua eos fraternitas expulerit, et in alium locum pro colendis similiter festivitatibus suis te quoque nescente et consentiente, migraverint, et nunc de eodem loco expulsos denuo se conqueruntur. Sed si ita est, volumus ut tua fraternitas ab hujusmodi se querela suspendat, et locum quem (sicut prædiximus) cum tua conscientia quo congregentur adepti sunt, eis (sicut mos fuit) ibidem liceat convenire. Hos enim qui a Christiana religione discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo ad unitatem fidei necesse est congregare : ne quos dulcedo prædicationis et præventus futuri judicis terror ad credendum invitare poterat, minis et terroribus repellantur.

CAP. 102. — *De servis Judæorum ad ecclesiam confugientibus. Gregorius lib.* III *registri Joanni episcopo Caralitano* (*epist.* 9).

Pervenit ad nos servos ancillasque Judæorum fidei causa ad ecclesiam fugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum ne restituantur pretium dari. Hortamur igitur ut nullatenus tam pravam consuetudinem manere permittas, sed quilibet Judæorum servus ad venerabilia loca fidei causa confugerit, nullatenus eum patiamini præjudicium sustinere, sed sive olim Christianus, sive nunc fuerit baptizatus, sine ullo Christianorum pauperum damno, religioso ecclesiasticæ pietatis patrocinio in libertatem modis omnibus defendatur.

CAP. 103. *De Felice Christiano, quem quidam Samarites servituti subjicere volebat. Item Joanni episcopo Syracusano* (VII, *ind.* 1, *ep.* 22).

Felix præsentium portitor questus nobis est, cum sit de Christianis natus parentibus, a quodam Christiano Samaræo se (quod dici scelus est) esse donatum. Et dum hujusmodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere nec ratio legis, nec reverentia religionis admittat, se tamen per decem et novem annos in ejus asserit servitio permansisse. Sed cognoscente hoc decessore vestro sanctæ memoriæ Maximiano, ab eo se zelo (sicut decuit) sacerdotali commoto, de Samaræi servitio nefario dicit liberatum. Sed quia ejusdem Samaræi filius post 5 annos factus dicitur Christianus, et supradictum Felicem in ejus servitium (quantum ipse dicit) quidam nituntur redigere, sanctitas vestra hæc quæ edocti sumus diligenter inquirat, et si ita ea esse constiterit, eum tueri studeat, et a nullo sub qualibet occasione gravari permittat, quia, dum superstitiosæ sectæ mancipia dominos suos ad fidem præcedentia servitio eorum rediga aperte jura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus et factus a parvulo Christianus, hanc non debet quæstionem aliquo modo sustinere.

CAP. 104. — *Ut veteres synagogas Judæi obtineant. Item Gregorius Januario episcopo Caralitano* (VII *ind.* 2, *ep.* 5).

Judæi de civitate vestra huc venientes questi nobis sunt quod synagogam eorum quæ Caralis sita est, Petrus qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum, Deo volente, perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est Dominico in ipsa festivitate paschali cum gravi scandalo, sine vestra occupaverit voluntate, atque imaginem illic Genitricis Dei Domnique nostri, et venerandam crucem vel birrum album, quo de fonte surgens indutus fuerat, posuerit. *Paulo post.* His hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione, imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare, quia, sicut legalis definitio novas Judæos non patitur erigere synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit.

CAP. 105. — *Ne Judæi a solemnitatibus suis vi arceantur. Item Paschasio episcopo Neapolitano* (*l.* XI, *ep.* 15).

(*Dist.* 45, *c. Qui sincera.*) Judæi habitantes Neapoli questi nobis sunt, asserentes quod quidam eos a quibusdam feriarum suarum solemnitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festivitatum suarum solemnia colere, sicut eis nunc usque et parentibus eorum longis retro temporibus

Introdusă în format electronic de Google

licuit observare vel colere. Quod si ita se veritas habet, supervacuæ rei videntur operam adhibere.

Cap. 106. — *De mancipiis Judæorum si pueri Christiani voluerint, quid agendum sit. Gregorius Fortunato Neapolitano episcopo* (*l.* v *regist.*, *c.* 131, *seu ep.* 31).

(*Dist.* 54. *c. Fraternitatem.*) Fraternitatem vestram oportet esse sollicitam, si de Judæorum servitio non solum Judæus, sed etiam quisquam paganorum fieri voluerit Christianus postquam voluntas ejus fuerit patefacta, nec hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Judæorum venundandi facultas sit, sed is qui ad Christianam converti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vindicetur. Hi vero quos hujuscemodi oportet servos amittere, ne forsitan utilitates suas irrationabiliter existiment impediri sollicitudines vestras hoc convenit consideratione servare, ut si paganos, quos mercimonii causa de externis finibus emerint, infra tres menses dum emptor cui venditi fuerant non invenitur, fugere ad Ecclesiam forte contigerit, et velle se dixerint fieri Christianos, vel etiam extra Ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, pretium eorum a Christiano, scilicet emptore, percipiant. Si autem post præfinitos tres menses quisquam hujuscemodi servorum Judaicorum velle suum dixerit, et fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emerit, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venundare, sed ad libertatis procul dubio præmia perducatur, quia hunc non ad vendendum, sed ad sibi serviendum dicitur comparasse [reservasse, *orig.*].

Cap. 107. — *De zelo sacerdotum Christianorum contra Judæos. Ambrosius in epistola ad Vercellenses* (*ep.* 29 *ad Theod. imp.*).

Relatum est a comite orientis militarium partium incensam esse synagogam, idque auctore factum episcopo. Non assero exspectandam fuisse assertionem episcopi; sacerdotes enim turbarum moderatores sunt studiosi pacis, nisi cum et ipsi moventur injuria Dei aut Ecclesiæ contumelia. *Item.* Quid mandas in absentem judicium? habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quod ego synagogam incenderim, quod illis mandaverim, ne etiam esset locus in quo Christus negaretur. *Item.* Non vides, imperator, quia Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos putas? *Item.* Quis habet synagogam vindicare? Christus, quem occiderunt, quem negaverunt? An Deus Pater vindicabit eos qui nec Patrem recipiunt? *Item.* Si de causis pecuniariis comites tuos consulis, quanto magis in causis religionis sacerdotes Domini æquum est consulas? *Item.* Integra adhuc tibi sunt omnia, in hoc me ego Deo nostro pro te obligo, nec verearis sacramentum. Nunquid Deo displicere poterit, quod pro ejus emendatur honorificentia? *Item.* Quod honorificentius fieri potuit, feci, ut me magis audires in regia, ne si necesse esset audires in Ecclesia.

Cap. 108. — *Quod Judæi bellandi potestatem amiserint. Hieronymus super Isaiam lib.* II (*in c.* 3).

Non est mirum si apud Judæos perierit omnis dignitas bellatorum, cum militandi sub gladio et arma portandi non habeant potestatem.

Cap. 109. — *De damnatione Judæorum si Christianum circumciderint. Cod. lib.* I.

(*L. Judæi. C. de Jud. et cœlic.*) Judæi et bonorum proscriptione et perpetuo exsilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse eos, vel circumcidendum mandasse constiterit.

Cap. 110.— *De mancipii Judæorum, si ad Ecclesiam confugerint. Ex Vita beati Greg. lib.* IV, *cap.* 45.

Quemadmodum Judæos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita Christianos eis quoquo modo subjici nullatenus permittebat. *Item, ibid.*, *c.* 45. Judæorum mancipia semel confugientia ad ecclesiam nusquam quibuslibet suasionibus reddi permittebat. *Item, ibid.*, *c.* 46. Non solum Christiana mancipia in libertatem pristinam legaliter revocabat Gregorius, verum paganorum ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat.

Cap. 111. — *Quod nulla infamis persona accusare possit. Stephanus omnibus episcopis, cap.* 1.

Accusator vestrum nullus sit servus aut libertus, nullaque suspendii rea, aut infamis persona. Repellantur etiam cohabitantes inimicis, et omnes laici, quos ad infestationem blasphemiæ affectio amicitiæ incitare solet.

Cap. 112. — *Ut Judæi conversi honorentur. Gelasius Quinigesio episcopo.*

Vir clarissimus Telesinus, quamvis Judaicæ credulitatis esse videatur, talem se nobis approbare contendit, ut eum merito nostrum [vestrum] appellare debeamus qui pro Antonio [Antio] parente suo specialiter postulavit, ut eum dilectioni tuæ commendare debeamus. Et ideo fratrem [frater] supradictum voluntatis nostræ mandatorumque respectu ita te habere convenit, ut non solum in nullo penitus opprimatur, verum etiam in quo ei opus fuerit, solatio tuæ se gaudeat dilectionis adjutum.

Cap. 113. — *Qua diligentia examinandum sit de servis Judæorum. Gelasius Siracusio, Constantio et Laurentio episcopis.*

Judas qui Judaicæ professionis existit mancipium, juris sui quod ante paucos annos se asserit comparasse, nunc ad Ecclesiam Venefranam confugisse suggessit, sicut petitorii tenor annexus ostendit, eo quod dicat sibi ab infantia Christiano nuper a præfato domino signaculum circumcisionis infixum. Quapropter diligenter vestra inter utrumque sollicitudo rerum fideliter examinet veritatem, quatenus nec religio temerata videatur, nec servus hac objectione mentitus competentis jura domini declinare contendat.

Cap. 114. — *Quod Judæi servari debeant, non occidi. Alexander papa II omnibus episcopis Hispaniæ* [*Galliæ*].

Placuit nobis sermo, quem nuper de vobis audivimus, quomodo tutati estis Judæos qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis qui contra

Introdusă în format electronic de Google

Sarracenos in Hispaniam proficiscebantur. Illi quippe stulta ignorantia, vel forte cæca cupiditate commoti, in eorum necem volebant sævire, quos fortasse divina pietas ad salutem prædestinavit. Sic etiam beatus Gregorius quosdam qui ad eos delendos exardescebant prohibuit, impium esse denuntians eos delere velle qui Dei misericordia servati sunt, ut patria libertateque amissa, diuturna pœnitentia Patrum præjudicio, in effusione sanguinis Salvatoris damnati, per terrarum orbis plagas dispersi vivant. Dispar nimirum est Judæorum et Sarracenorum causa. In illis enim qui Christianos persequuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt juste pugnatur, hi ubique parati sunt servire. Quemdam etiam episcopum synagogam eorum destruere volentem cohibuit.

Cap. 115. — *De eodem. Berengario Narbonensi vicecomiti.*

Noverit prudentia vestra nobis placuisse quod Judæos qui sub vestra potestate habitant, tutati estis ne occiderentur. Non enim gaudet Deus effusione sanguinis, neque lætatur in perditione malorum. *Item, Willefredo* [*Wilfredo*] *Narbonensi archiepiscopo.* Omnes leges tam ecclesiasticæ quam sæculares, effusionem humani sanguinis prohibent.

Cap. 116. — *Ne medicina a Judæo accipiatur. Ex septima synodo, cap.* 11.

Nullus eorum qui in sacro sunt ordine aut laicus azyma Judæorum manducet, aut cum eis habitet, A aut eos, in infirmitatibus suis vocet, aut medicinata ab eis accipiat, aut cum eis in balneo lavet. Si vero quisquam hoc fecerit; si clericus est, deponatur; si laicus vero, excommunicetur.

Cap. 117. — *Ne Christiani cum Judæis ineant convivia. Ex concilio Agathensi cap.* 40.

(28, *q.* 1, *c. Omnes deinceps clerici.*) Omnes clerici sive laici Judæorum convivia vitent, nec eos ad convivium quisquam accipiat, quia, cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi, cum ea quæ Apostolo permittente nos sumimus ab illis judicentur immunda (*I Tim.* IV), ac sic inferiores incipiant esse Christiani quam Judæi, si nobis quæ ab illis vitantur apponuntur, illi [nosque ab illis B ponuntur utamur : illi, etc., *orig.*] vero a nobis oblata contemnant.

Cap. 118. — *Ne Judæi judices vel telonarii constituantur. Ex conc. Matisconensi tempore Guntranni regis, cap.* 16 (*Matisc. conc.* I, *c.* 13).

Ne Judæi Christianis præliis [populis, *orig.*] judices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti.

Cap. 119. — *De pœnitentia eorum qui cum Judæis cibum sumpserint. Ex conc. Eliberitano, cap.* 30.

Si aliquis clericus sive fidelis fuerit qui cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstinere, ut debeat emendari.

DECRETI PARS DECIMA QUARTA.

De excommunicatione justa vel injusta, et quibus de causis, et quo ordine facienda sit.

Cap. 1. — *Qua discretione beatus Petrus docuerit in uno Clemente omnes Ecclesiæ præsules ligare et solvere (epist.* I *ad Jacobum fratrem Domini statim post princip.).*

Clementi trado, ait beatus Petrus, a Domino mihi traditam potestatem ligandi atque solvendi, ut de omnibus quibuscunque decreverit in terris, hoc decretum sit et in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, et solvet quod expedit solvi; tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam noverit.

Cap. 2. — *Item de eodem (ibidem aliquanto post).*

Omnes, o Clemens, cum tanta reverentia tua verba suscipiant, ut sciant legatum te et præconem esse veritatis, et *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælo* (*Matth.* XVI), quandoquidem quoniamquidem, *orig.*] (ut dixi) quæ oportet ligabis, et quæ expedit solves.

Cap. 3. — *Ne prælatus propriam sequens voluntatem aut solvere noxios, aut ligare conetur insontes. Gregorius in homilia* 26 (*lib. Quadraginta hom.*).

(11, *q.* 3, *c. Plerumque.*) Plerumque contingit ut hic judicis locum teneat, cujus ad locum vita minime concordat; ac sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur pastor; unde fit ut ipsa ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subditorum moribus exercet. Sæpe fit ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor. Judicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Unde recte per Prophetam dicitur : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda, videndum quæ culpa, aut quæ si pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sententia pastoris absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani Lazari illa resurrectio

Introdusă în format electronic de Google

designat, quæ videlicet demonstrat quia prius mortuum Dominus vocavit, et vivificavit dicens : *Lazare, veni foras* (*Joan.* II), et postmodum is qui vivens fuerat egressus a discipulis est solutus, sicut scriptum est : Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis : *Solvite eum et sinite abire* (*ibid.*), et ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli mortuum solverent, fetorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione nobis intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum intelliginus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante rectitudinem operis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde et huic ipsi mortuo nequaquam dicitur : Revivisce, sed : *Veni foras*. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsus latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur : *Veni foras*, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te per cogitationem [negationem, *orig.*] interius lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem vero [foras *inseritur in orig.*] solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare.

Cap. 4. — *Quod sancti minime delinquunt cum peccantes maledicti sententia feriunt. Gregorius in moralibus lib.* IV, *cap.* 6.

(24, *q.* 3, *c. Cum sancti viri.*) Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt [prorumpunt, *orig.*]. Intus subtile Dei judicium aspiciunt, et mala foris exsurgentia, qua maledictione ferire debeant cognoscunt, et eo maledicto non peccant, quo ab interno judice [judicio, *orig.*] non discordant.

Cap. 5. — *Item. Quod duobus modis maledictum proferatur, et injusta vincula justo non esse metuenda* (*Greg. Moral. l.* IV, *c.* 5).

Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, ut ipso primo homine peccante prolatum est, cum audivit : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III); et cum Abrahæ dicitur : *Maledicentibus tibi maledicam* (*Gen.* XII). Rursum quia maledictum non judicio justitiæ profertur, sed livore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait : *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* XII). *Augustinus De verbo Domini secundum Matthæum, cap.* 16. (11, *q.* 3, *c. Cœpisti.*) Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut juste alliges vide, nam injusta vincula dirumpit justitia. Cum autem correxeris et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra ; cum solveris in terra, erit solutus et in cœlo.

Cap. 6. — *Quod abominabilis sit Deo qui vel justum ligaverit, vel solverit injustum. Hieronymus super Epistolam Pauli ad Philemonem* (*vers.* 4).

(11, *q.* 3, *c. Si quis dixerit.*) Si quis dixerit justum injustum, et injustum justum, abominabilis uterque apud Deum est (*Prov.* XVIII). Similiter qui sanctum dicit esse non sanctum, et rursum non sanctum asserit sanctum, abominabilis apud Deum est.

Cap. 7. — *Quod apud Deum non sententia sacerdotum, sed unumquemque vita defendat aut damnet. Hieronymus super Matthæum libro tertio* (*in c.* XVI).

Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælo. Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant (*Lev.* XIV), non quo sacerdotes immundos faciant, sed quo habeant notitiam de leprosis, et non leprosis, et possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi sacerdos mundum vel immundum leprosum non facit, sic et hic non alligat vel solvit episcopus et presbyter eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus.

Cap. 8. — *Sententiam injuste prolatam nullatenus esse metuendam. Gelasius episcopis Orientalibus, de communione Acacii vitanda.*

(11, *q.* 3, *c. Cui est illata.*) Cui est illata sententia, deponat errorem, et vacua est. Si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum et Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

Cap. 9. — *Non impune cedere si quis patitur injuste. Augst. De summo bono.*

(11, *q.* 3, *c. Secundum catholicam.*) Secundum catholicam fidem sanamque doctrinam, nec Dei naturæ nocere quisquam potest, nec natura Dei injuste nocere cuiquam, nec nocere injuste patitur quemquam. Qui enim nocet, ait Apostolus, recipiet hic quod nocuit (*Col.* III).

Cap. 10. — *Nullum damnari nisi pro iniqua conscientia. Aug. De sermone Domini in monte* (*lib.* II, *c.* 29).

(11, *q.* 3, *c. Temerarium.*) Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei de quo judicatur temere. Ei autem qui temere judicat, ipse temeritas necesse est ut noceat.

Cap. 11. — *Item. Augustinus in epistola ad clerum Hipponensem* (*epist.* 137).

Nunc si vobis placet ut nomen presbyteri non re-

Introdusă în format electronic de Google

citetur, ne iis qui ad ecclesiam nolunt accedere, sicut ait Apostolus, demus occasionem (*II Cor.* II), non erit hoc nostrum factum. Quid enim obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viventium non eum d leat iniqua conscientia!

CAP. 12. — *De eodem. Augustinus ad Secundinum Manichæum* (*tom. VI, lib. contra Secundinum Manich. c.* 1).

(11, *q.* 3, *c. Sent.*) Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.

CAP. 13. — *In judicio solam timendam esse conscientiam. Aug. super psal.* XXXVI (*ad vers.* 33).

(11, *q.* 3, *c. Etsi tempus.*) Etsi ad tempus damnaris ab homine, et si dixeris sententiam proconsuli [dixeris sententiam proconsulis] in Cyprianum, aliud est scila terrena, aliud tribunal cœleste, ab inferiore accipit sententiam, a superiore coronam.

CAP. 14. — *Justo pro maledicto injuste illato præmium fore sperandum. Augustinus super psal.* XXXVII (*ad vers* 16).

(11, *q.* 3, *c. Custodi.*) Custodi intus innocentiam tuam ubi nemo opprimit causam tuam. Prævaluit in te falsum testimonium, sed apud homines. Nunquid apud Deum valebit, ubi causa tua dicenda est? Quando Deus erit judex, alius testis quam conscientia tua non erit. Inter judicem justum et conscientiam tuam noli timere, nisi causam tuam. *Item. Augus. super psal.* 102 (*ad vers.* 6). Qui justus est et injuste maledicitur, præmium illi redditur.

CAP. 15. — *Ut presbyter vel diaconus ab episcopo suo quocunque modo dejectus a provincialibus episcopis discutiatur, et ante hoc a nemine in communionem recipiatur. Ex Sardicensi conc. cap.* 117.

(11, *q.* 3, *c. Si episcopus forte iracundus.*) Si quis episcopus forte iracundus (quod esse non debet) cito et aspere commovetur adversus presbyterum sive diaconum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit, videndum est ne innocens damnatur, aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem is qui abjectus est, ut episcopos finitimos interpellet, et causa ejus audiatur, ac diligentius tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille episcopus qui juste aut injuste eum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus a plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, cum qui fuerit a communione separatus, nullus debet præsumere ut communioni s ciet.

CAP. 16. — *Ut episcopis qui subjectis vehementes fuerint et implacabiles a vicinis episcopis communio denegetur. Ex Arelatensi concilio, cap.* 11 (*Agath. conc.* 3)

(11, *q.* 3, *c. Episcopi.*) Episcopi si sacerdotali moderamine postposito, innocentes ac minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, a vicipis episcopis cujuslibet provinciæ litteris moneantur; et si parere noluerint, communio illis usque ad tempus synodi a reliquis episcopis denegetur.

CAP. 17. — *Exemplum hujus rei. Gregorius magno episcopo* [*presbytero habet Greg.*] *Mediolani* (*l.* II, *ind.* 11, *ep.* 26.)

(24, *q.* 3, *c. Comperimus.*) Comperimus quod Laurentius quondam frater et coepiscopus noster, nullis te culpis exstantibus communione privaverit, ideoque hujus præcepti nostri auctoritate munitus officium tuum securus perage, et communionem sine aliqua sume formidine.

CAP. 18. — *Ne episcopus præcipitem sententiam dictet. Gregorius Maximiano Syracusano episcopo* (*l.* XII *regist. cap.* 26).

Frequenter me admonuisse vos recolo, ut in proferenda sentencia esse præcipites nullatenus deberetis, et nunc ecce cognovi quia reverendissimum virum abbatem Eusebium commota furore vestra fraternitas excommunicavit; quod ego valde miratus sum.

CAP. 19. — *Ut sana ratio corrigat quod mens turbata peccaverit. Augustinus ad Auxilium episcopum* (*epist.* 75).

Precor ut ignoscas precanti veniam excommunicato, si agnoverit culpam. Si autem nihil eum peccasse, prudenter advertis, fac quod sanctum virum facere oportet, ut si tibi contigit tanquam homini, quod utique homo dicit in psalmo : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* V), exclames ab Deum : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (*ibid.*), ut porrigat tibi dextram suam, et comprimat iracundiam tuam, et tranquillet mentem tuam ad videndam faciendamque justitiam. Auferesta ecclesiastica quæ perturbatior quam consideratior forsitan fecisti.

CAP. 20. — *Sugillatio sacerdotum qui ad persequendas culpas prosiliunt incaute. Rabanus De pressuris ecclesiasticis, lib.* I.

(24, *q.* 3, *c. Non in perpetuum.*) Non in perpetuum damnamur cum injuste judicamur, dicente Psalmista : *Nec damnabit illum cum judicabitur illi* (*Psal.* XXXVI). Multi denique sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitentur, sed dum indiscrete hoc agunt, sacrilegii facinus incurrunt, et dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multo magis deterius cadunt.

CAP. 21. — *Qualiter in prælatum vindicari debeat, qui subjectum illicite damnaverit. Ex concilio Parisiensi tempore Ludovici.*

(24, *q.* 3, *c. De illicita.*) De illicita excommunicatione lex Justiniani catholici imperatoris, quam probat et servat Ecclesia catholica constitutione 118, capite 451, decrevit ut nemo episcopus, nemo presbyter, excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus ea aliquem excommunicaverit, ille quidem qui excommunicatus est majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat. Is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum tempus abstineat a sacra communione, quantum majori sacerdot

Introdusă în format electronic de Google

visum fuerit, ut id quod injuste fecit ipse juste patiatur. Et hinc sanctus Gregorius ad Joannem episcopum (*lib.* III *Regist. c.* 45, *ep.* 6, *primæ Justinianæ*) injuste excommunicantem inter cætera scripsit, dicens : « Cassatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apostolorum principis auctoritate, decernimus 30 dierum spatio sacra te communione privatum, ab omnipotenti Deo tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, non jam tantum injustitiam, sed et contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, juvante Domino, severius puniendam, quia nemo præpropere vel præpostere, scilicet non commonitus, neque conventus est judicandus, de conventione hujusmodi patratoris manifestorum criminum lex dicit. Quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, vel tribus edictis fuerit ad judicem provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam exstinguit, fuerit evocatus, et præsentiam suam apud judicem a quo ei denuntiatum est exhibere noluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest, quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum. » Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conventis ex Evangelica veritate Cœlestinus ad Nestorium scribens, et Ephesina synodus de eodem decernens (*ep. conc. Ephes. ad Nestorium*), et beatus Gregorius ad Joannem scribens (*cap.* 44) comprobant. De peremptorio autem scripto, Africanum concilium monstrat de Cresconio, ut si conventus resipiscere detrectaverit, suo contemptu et contumacia faciente, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Et item beatus Gregorius de sententia in contumacem, scribens ad Maximum præsumptorem Salonitanum episcopum dicit (*V. regist. ep.* 3. *seu c.* 103) : Hortamur ut ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus servata justitia hæc de quibus accusaris et cognoscere et finire secundum canonica instituta, Christo revelante possimus. Ita autem fac ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet, et nos in te hæc res non solum propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam durius scilicet ut in contumacem, cogat ex concilio ferre judicium.

CAP. 22. — *Quales subjecti erga eos esse debeant qui animum offenderint præsidentis. Ex epistola* I *Clementis ad Jacobum.*

Quædam ex vobis ipsis intelligere debetis, si quæ sunt quæ episcopus vester propter malorum hominum insidias non potest evidentius et manifestius proloqui, verbi gratia, si inimicus est alicui pro actibus suis, nolite exspectare ut ipse vobis dicat : Cum illo nolite amici esse ; sed prudenter observare debetis, et voluntati ejus absque contentione obsecundare, et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis adversum. Sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrorum amicitias ferre, festinet citius ei reconciliari qui omnibus præest, et per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis. Si quis vero amicus fuerit his quibus ipse amicus non est, et locutus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est, et ipse ex illis qui exterminare volunt Dei Ecclesiam, et cum corpore vobiscum esse videatur, et mente et anima contra vos est, et multo est nequior hostis hic, quam hi qui foris sunt, et evidenter inimici sunt.

CAP. 23. — *Ut communicans excommunicatis similem sortiatur vindictam. Calixtus episcopis Galliæ* (*epist.* 2, *c.* 2).

(11, *q.* 3, *c. Excommunicatos.*) Excommunicatos quoque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis justam examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, vel osculo communicet, nec Ave eis dicat. Quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta apostolorum institutionem (*cap.* 11 *Can. Apost.*), et ipse simili excommunicationi subjacebit.

CAP. 24.—*De eadem re. Fabianus papa Ecclesiæ comministris* (*epist.* 1).

(11, *q.* 3, *c. Sicut apostoli.*) Cum excommunicatis non est communicandum. Et si quis cum excommunicato avertendo regulas scienter saltem in domo simul locutus fuerit vel oraverit, ille communione privetur.

CAP. 25. — *Ne quis episcopus alterius episcopi presbytero vel diacono communione privato scienter communicet. Ex Sardicensi concilio, cap.* 16.

Sive diaconus, sive presbyter, sive quis clericorum ab episcopo suo communione fuerit privatus, et ad alterum perrexerit episcopum, et scierit ille ad quem confugit, eum ab episcopo suo fuisse abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convotis episcopis causam esse dicturum.

CAP. 26. — *Ut quilibet ecclesiastici ordinis ministri excommunicatis communicantes communione priventur. Ex Antiochensi conc. cap.* 2 (*Anth.* 1, *sub Julio I*).

Si quis de episcopis, vel presbyteris, vel diaconis, seu quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste privetur communione, tanquam qui regulam confundit Ecclesiæ.

CAP. 27. — *Ne quis clericum communione privatum recipiat, nisi aut suo episcopo reconciliatum, aut synodali satisfactione purgatum. Ex eodem conc. cap.* 6.

(11, *q.* 3, *c. Si quis a proprio.*) Si quis a proprio episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis quam suo reconcilietur episcopo, aut certe ad synodum quæ congregatur occurrens, pro se satisfaciat.

CAP. 28. — *Ab Ecclesia eliminatum quisquis clerico-*

Introdusă în format electronic de Google

rum in communionem receperit pari lege judicetur. Ex conc. II *Carthag. cap.* 7.

(11, *q.* 3, *c. Qui merito.*) Qui merito facinorum suorum ab ecclesia expulsi sunt, si ab aliquo episcopo, vel presbytero, vel clerico [diacono] fuerint in communione suscepti, etiam ipsi pari crimine cum eisdem teneantur obnoxii. *De eadem re. Ex concilio* IV *Carthag. cap.* 73 (11, *q.* 3, *c. Qui communicaverit*). Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus sive laicus, excommunicetur.

CAP. 29. — *De eadem re. Ex Cæsaraugustensi conc. cap.* 5.

Hi qui per disciplinam aut sententiam episcopi ab Ecclesia fuerint separati, ab aliis episcopis non sunt recipiendi. Quod si scientes episcopi fecerint, non habeant communionem.

CAP. 30. — *De eadem re. Ex conc. Tolet.* I, *cap.* 15.

(11, *q.* 3, *c. Si quis laicus.*) Si quis laicus abstinetur, ad hunc vel ad domum ejus, vel clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter et clericus si abstinetur, a clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad eos clericos qui unius [ejusd., *or.*] sunt episcopi, et ad omnes qui moniti fuerint de eo qui abstinetur sive laico quolibet sive clerico.

CAP. 31. — *De eadem re. Ex canonibus Martini episcopi ad laicos* (*cap.* 84).

Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introeuntes orare cum eis. Si autem aliquis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicaverit, quasi perturbans omnem disciplinam Ecclesiæ, excommunicetur.

CAP. 32. — *Item de eodem. Gregorius Januario episcopo Sardiniæ* (*l.* III *regist. ep.* 24).

Eis qui ab ecclesiastica excommunione suspensi sunt, nullus religiosus secundum canonum statuta jungatur.

CAP. 33. — *Ne quis contra ecclesiasticam satisfactionem excommunicatis communicet. Gelasius Majorico, Serano, et Joanni episcopis.*

Cœlestinus presbyter fratris et coepiscopi nostri Serani, qui contra pontificale judicium contraque apostolicæ sedis mandata prorumpens, supradictis communionem sacram ministrare præsumpsit, cum non poterit ignorare sententiam proprii sacerdotis, ab officio protinus ecclesiastico repellatur, ut nullus ecclesiæ ministrorum contra pontificalia statuta venire contendat.

CAP. 34. — *De eadem re. Ex Regula sancti Benedicti, cap.* 26.

Si quis fratrer præsumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

CAP. 35. — *Ut excommunicatus ante examen non communicet, statuta misericorditer pœnitentia his qui aliter fecerint. Joannes VIII, clero et ordini Salernitano.*

(11, *q.* 3, *c. De illis presbyteris.*) De illis presbyteris qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri domini papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis (sicut sancti canones statuerunt) sententiam intulerunt. Tamen quia miseratio apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut sancta communione saginati studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secunda et sexta feria, a vino aut aceto penitus jejunare [omni tempore, II et IV et VI feria a vino et carne penitus jejunare *sic Grat.*], et ultra lugenda nequaquam committere.

CAP. 36. — *Ut nullus Ecclesiæ sacramenta ab excommunicatis accipiat. Joannes VIII Michaeli regi Bulgarorum.*

Si ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta quæcunque suscipitis, constat quia idololatriam, non ut Catholici essetis, sed ut schismatici efficeremini, reliquisse videmini.

CAP. 37. — *Item ut clericus sive laicus a suo episcopo damnatus ab aliis non recipiatur. Ex conc. Nicæno, cap.* 5.

De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.

CAP. 38. — *De eadem re. Ex epistola Carthag. conc. ad Cœlestinum papam (exstat inter decreta conc. African. c.* 105, *c.* 5)

Deprecamur ut deinceps ad aures vestras hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia etiam hoc Nicæno concilio definitum facile advertit venerabilitas tua. Nam si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in provincia a communione suspensi a tua sanctitate præpropere vel indebite videantur communione restitui? Presbyterorum quoque et sequentium clericorum improba refugia (sicut te dignum est) repellat sanctitas tua.

CAP. 39. — *Item de eadem re Nicolaus. Epiphanio episcopo.*

Sancimus ut si quis presbyter pro aliquo neglectu aut crimine a proprio excommunicatus fuerit episcopo, ab alio episcopo non communicetur. Si vero ante audientiam communicare præsumpserit, damnationis in se illatam cognoscat sententiam.

CAP. 40. — *De eadem re. Ex canon. Apostolorum, cap.* 11.

(11, *q.* 3, *c. Sicut apostoli.*) Si quis excommunicato saltem in domo locutus fuerit, vel oraverit, iste communione privetur. *Exemplum cavendi : Ex lib. Pontificali.* (*Dist.* 19, *c. Anastasius.*) Anastasius II, natione Romanus, sedit anno uno, mensibus 11, diebus 24. Et multi presbyteri atque clerici ejecerunt se a communione ipsius eo quod sine consilio eorum

Introdusă în format electronic de Google

communicasset diacono Thessalonicen. qui communis erat Acacio, et quia occulte voluit revocare Acacium, et non potuit, quia divino nutu percussus est Acacius.

CAP. 41. — *Quod nemo possit juste damnari, nisi canonice ad audientiam vocatus. Alexander II Gervasio Remensi archiepiscopo.*

Juste non potest fieri, ut prius quis a quoquam prælato excommunicetur, quam missa synodica canonice ad respondendum vocetur.

CAP. 42. — *Ut prælatus si quem ante probationem causæ damnaverit, majori audientiæ addictus recipiat et ipse quod fecit. Novellarum constitut.* 11, *cap.* 20.

(2, *q.* 1, *c. Nemo episcopus.*) Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus ea excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat, is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum abstineat tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut quod injuste fecit, juste patiatur.

CAP. 43. — *Quo moderamine sedes apostolica in ferenda sententia qualitatibus hominum condescendat. Ex decretis Gregor. VII.*

11, *q.* 3, *c. Quoniam multos.*) Quoniam multos peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus (prout possumus) temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, filios, servos, ancillas seu mancipia, nec non rusticos, et servientes, et omnes alios qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos qui ignoranter excommunicatis communicant, sive illos qui communicant cum eis qui excommunicatis communicant. Quicunque autem aut arator, aut peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit ubi non possit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non pro sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa dare voluerit, non prohibemus.

CAP. 44. — *Utrum uno quolibet peccante tota domus ejus anathemate ferienda sit. Ex epist. Augustini ad Auxilium episcopum (epist.* 75).

(24, *q.* 3, *c. Si habes.*) Si habes de hac re sententiam certis rationibus vel Scripturarum testimoniis exploratam, nos docere digneris quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eo tempore quo universa domus est anathemate obligata nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri. Hæc [nec] enim corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus qui ejusdem impietatis participes fuerunt, pariter interfectos. Tunc quippe ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque etiam moritura. Spiritualis autem pœna, qua fit quod scriptum est : *Quæ ligaveris super terram erunt ligata et in cœlo* (*Matth.* XVI), animas obligat, de quibus dictum est : Anima patris mea est ; et anima filii mea est ; *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Audistis fortasse aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium. Ego autem si quis ex me quæsierit, utrum recte fiat, quid ei respondeam non invenio. Nunquam hoc facere ausus sum de quorumdam facinoribus unanimiter adversus Ecclesiam perpetratis, nisi gravissime commoverer. *Item, pauculis interjectis.* Quomodo possumus vel Deo vel hominibus justam reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno quod non trahunt, sicut ex Adam *in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V), originale peccatum spirituali supplicio puniamus ? Etenim Classiciani filius et si traxit ex patre noxam primi hominis sacro fonte baptismatis expiandam, tamen quidquid postea qui eum genuit, peccati pater ejus admisit, ubi particeps iste non fuit, ad eum non pertinere quis ambigat? Quid dicam de conjuge ? quid dicam de tot animabus in universa familia?

CAP. 45. — *Apostolicæ sedis exemplum, quomodo quosdam excommunicatos publice pronuntiet, quosdam quasi dissimulet, quos tamen salvandos pœnitentiæ medicamento monet. Urbanus II Gibehardo Constantiensi episcopo.*

Excommunicationis quæstione tractata, sancti prædecessoris nostri Gregorii sententiam confirmantes, ita eam domino inspirante determinavimus. Primo siquidem gradu Ravennatem hæresiarcham Romanæ Ecclesiæ invasorem ab omnibus catholicæ Ecclesiæ membris alienum et excommunicatum esse censemus. Secundo eos qui armis, pecunia consilio aut obedientia ecclesiasticos maxime ordines aut honores ab eis accipiendo, eorum nequitiæ adminiculum subministrant. Hos igitur principaliter anathematis vinculis astringentes, in tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicavimus, sed quia ipsi se eorum communione [excommunicatione] condemnant, in nostram eos societatem sine pœnitentiæ ultione et absolutione nequaquam recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. Ipsi tamen pœnitentiæ atque absolutionis modos ea moderatione decrevimus, ut quicunque seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negotii cujusquam maximi et maxime necessarii, eorum se convictu, salutatione, oratione, osculove contaminaverit, minoris pœnitentiæ medicina societatis nostræ participium sortiatur. Eos vero qui aut spontanee aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ coercitione suscipi, ut cæteris metus incutiatur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 46. — *De eadem re. Nicolaus papa Hincmaro Remorum archiepiscopo.*

(11, *q.* 3, *c. Excellentissim.*) Excellentissimus rex Carolus apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his qui communicant cum his qui cum Ingeltrude [Engiltrude] sæpe damnata communicant femina, quoniam eam cum communicatoribus et fautoribus suis pari vinculo anathematis retineri constat astrictam. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus ut super hoc nostra auctoritate freta curam de his sumere studeat. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, istudque posterius duobus prioribus strictius esse puniendum, idcirco solerter invigilet et cauta discretione singulorum modos dijudicet, quatenus hi ex necessitate vel ignorantia delinquunt auctoritate nostra per te absolvantur, si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera et non simulata, vel non ex voluntate processerit. Quia ut bene nosti, plerique sunt qui possunt quidem, sed non volunt recta nosse. Unde Psalmista de hujusmodi : *Noluit*, inquit, *intelligere ut bene ageret* (*Psal.* xxxv). Illos autem qui studio suo obligantur et contemptu interdicta nostra postponunt, non nisi digna satisfactione præveniente volumus a te prorsus absolvi.

CAP. 47. — *Quod ratum sit in cælo Ecclesiæ judicium. Augustinus super Joannem parte* I, *tract.* 44 (114).

Cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliat Ecclesia, in cœlo solvitur reconciliatus.

CAP. 48. — *Item de potestate Ecclesiæ. Chrysostomus super epistolam ad Hebræos, sermone* 4 (*hom* 4. *ad c.* II *Ep. ad Hebr.*).

(11, *q.* 3, *c. Nemo contemnat.*) Nemo contemnat vincula ecclesiastica; non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, et dominos fecit homines tanti honoris.

CAP. 49. — *Quid sit anathematizari. Ex quintæ synodi actione* 5.

(24, *q.* 3, *c. Certum est.*) Certum est quod qui impius demonstratus est, omnimodo separatus est a Deo; sicut etiam ille qui anathematizatus tanquam impius separatus est. Nihil enim aliud significat anathema, nisi a Deo separatio. *Actione* 8. Judicium anathematis nihil aliud est, nisi a Deo separatio, quod impius licet in verbo ab aliquo non susceperisset, tamen anathema reipsa sibi infert per suam impietatem, semetipsum a vera vita separans.

CAP. 50. — *Quam grave sit periculum anathematizari. Augustinus De verbis Apost. serm.* 68 (115).

(11, *q.* 3, *c. Omnis Christianus.*) Omnis Christianus, dilectissimi, qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ tradi dicitur. Quomodo? Scilicet quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo tradi dicitur, qui ab ecclesiastica communione removetur. Unde illos quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat (*I Tim.* I), excommunicatos a se esse demonstrat.

CAP. 51. — *Quid intersit inter excommunicationem et anathema. Joannes VIII Luitberto archiepiscopo Maguntino.*

Engeltruden uxorem Bolonis noveris non solum excommunicatione (quæ a fraterna societate separat), sed et anathemate, quod ab ipso corpore Christi, quod est Ecclesia, recidit, crebro percussam.

CAP. 52. — *Quam sit grave anathema. Ex Historia Anastasii bibliothecarii Romanæ Ecclesiæ.*

Tharasius patriarcha cum eligeretur, dixit : Anathema procul a Deo emittit, et a regno cœlorum expellit, ducens in tenebras exteriores.

CAP. 53. — *Quod regnum cœlorum intercluditur quibus Ecclesia clauditur. Eutychianus episcopis per Siciliam* (*epist.* 2, *post init.*)

Quibus regnum Dei præcluditur, procul dubio et Ecclesia denegatur. De quibus Dominus in Evangelio, potestatem apostolorum eorumque successorum annuntians, ait : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum alligaveritis peccata, alligata erunt* (*Matth.* XVIII), id est quibus Ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint ipsis janua regni cœlestis clausa erit.

CAP. 54. — *Quod ordinatio quæ ab excommunicatis fit nullam vim habet. Gregorius Maximo præsumptori Salonæ* (*lib.* III *regist. epist.* 20).

Additur inauditum nefas, quod post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione quoque nostra ordinantiumque te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus, cæteroque clero manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quia ab excommunicatis est hominibus consecrata [*al.*, celebrata].

CAP. 55. — *De eadem re. Ex decret. Gregorii VII papæ.*

« Gregorius papa synodo præsidens dixit : « Ordinationes illorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia irritas fieri censuimus. »

CAP. 56. — *Exemplum cavendi. Paulus in Vita Greg., lib.* IV, *cap.* 9.

Cum Dalmatinorum generalitas honoratum archidiaconum, quem Gregorius ex presbytero in diaconum converterat, sibi præficiendum concorditer elegissent, eorumque decretum pontifex approbasset, factione Malchi episcopi rectoris apostolici patrimonii, manu militari, Maximus multis criminibus involutus episcopatum Salonitanæ civitatis invasit. Quod Gregorius audiens Dalmatinis et Jadectinis episcopis, ne illis manus imponerent sub magna interminatione prohibuit. At vero Maximus, qui episcopatus sedem contra canones invaserat, etiam sacerdotium contra Deum per Simoniacam hæresim

(114) Milleloquium August. ad titulum excommunicationis tribuit c. 49, sed nec ibi legitur.

(115) Milleloquium tribuit, c. 14, nec ibi reperitur.

Introdusă în format electronic de Google

ab episcopis duntaxat excommunicatis pretio corruptis, non timuit promereri.

CAP. 57. — *Quod qui excommunicatus est alium excommunicare nequit. Alexander II Guillelmo Marcioni.*

(24, *q.* 1, *c. Audivimus.*) Audivimus quod Henricus, Ravennas dictus archiepiscopus, nisus sit te excommunicare quod, quia excommunicatus te excommunicare non potuit, apostolica auctoritate te tuosque absolventes, mandamus exinde non curare.

CAP. 58. — *De eadem re. Nicolaus papa Michaeli Augusto.*

(24, *q.* 1, *c. Ait Cœlestinus.*) Ait Cœlestinus papa episcopis orientalibus scribens : Si quis ab episcopo Nestorio aut ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus vel exutus est seu antistitis seu clerici dignitate, hunc in nostra communione et durasse, et durare manifestum est, nec judicamus eum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum.

CAP. 59. — *De eadem re. Item ad clerum Constantinopolitanum.*

(24, *q.* 1, *c. Aperte, inquit.*) Aperte, inquit, sedis nostræ sanxit auctoritas nullum, sive episcopum, sive clericum, seu professione aliqua Christianum qui a Nestorio vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo vel communione dejecti sunt, vel ejectum vel excommunicatum videri. Sed hi omnes in nostra communione et fuerunt et huc usque perdurant, quia neminem dejicere vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat. Intellexisti, imperator, ex supra memoratis non potuisse ut non dicamus prælatum suum saltem quemlibet removere qui fuerant olim remoti, nec dejicere quemquam jam ante prostrati.

CAP. 60. — *Nos non debere communicare defunctis quibus in vita non communicavimus. Leo Rustico Narbonensi episcopo (epist. 92).*

(24, *q.* 2, *c. De communione.*) De communione privatis et ita defunctis, horum causa Dei judicio servanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus non usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

CAP. 61. — *De eadem re. Gelasius papa Fausto magistro militiæ (epist. 4).*

Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui hoc certam faciendi solus habuit potestatem beato Petro apostolo principaliter mandat. *Quæcunque super terram ligaveris erunt ligata et in cælo, et quæcunque solveris super terram erunt soluta et in cælis* (*Matth.* XVI). *Super terram*, inquit, nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvendum.

CAP. 62. — *Quod licet hæreticos etiam post mortem anathematizari. Ex actione 1 quintæ synodi.*

(24, *q.* 2, *c. Sane profertur.*) (116) Sane profertur a quibusdam, qui dicunt oportere post mortem hæreticos anathematizari, et sequi in hoc doctrinam sacrorum Patrum, qui non solum viventes hæreticos condemnaverunt, sed et post mortem, utpote in sua impietate mortuos, anathematizaverunt, sicut eos qui injuste condemnati sunt revocaverunt post mortem, et in sacris διπτύχοις scripserunt : quod factum est in Joanne (*Theod., eccl. Hist. lib.* V, *c.* 34 *et* 35) et in Flaviano (*in conc. Chalcedon.*) religiosæ memoriæ episcopis Constantinopolitanis. *Item August. ait* (*lib. De unit. Eccles.*) : « Si forte isti libri ita designant traditorem suum, sicut designavit Dominus Judam (*Joan.* XIII), legant in eis nominatim et expresse vel Cæcilianum vel ejus ordinatores eorumdem librorum fuisse traditores, et si non eos anathematizavero, ipse cum eis judicer tradidisse. » *Item.* Quæ modo recitata sunt a Gelasio sanctæ memoriæ, conveniunt statui tenenti ab initio [Aug. sanctæ memoriæ consuluit et statuit teneri ab initio, etc. *Sic Grat.*] in Ecclesia, impium dogma jam inculpatum et condemnatum, et eos qui tali dogmati obnoxii sunt anathematizari vult Ecclesiæ traditio, licet mortui essent. Ideo et sanctæ memoriæ Augustinus dicit : « Si modo convinceretur Cæcilianus de his quæ inferuntur ei, etiam post mortem illum anathematizo. » *Item* (*conc. Afric., c.* 48). Multi episcopi congregati, et quædam de diversis ad ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes, de episcopis statuerunt defunctis qui suas facultates hæreticis relinquunt, ut et post mortem anathemati subjiciantur. *Item* (*August. epist.* 50 *ad Bonifacium*). Et si vera sunt quæ Cæciliano objecta sunt, et nobis aliquando possent monstrari, ipsum mortuum anathematizaremus. Sunt autem etiam Augustini sanctæ memoriæ epistolæ *dicentes* quod si qui in vita sua non recte sapuerunt, licet non condemnati fuissent adhuc viventes, ut demonstrato peccato, isti etiam post mortem anathemati subjiciantur. *Item.* « Dicis licere mihi etiam de mortuis judicare, quia judicium non tantum de vivis, sed etiam de mortuis fieri potest. *Item* (117). Rabulas sanctæ memoriæ episcopus factus Edessenæ civitatis, qui in sacerdotibus explenduit, Theodorum Mopsuestenum etiam post mortem, in Ecclesia anathematizavit. « *Item.* Etiam Romanorum Ecclesia ante paucos [quatuor] annos Dioscorum (118), qui fuit papa Ecclesiæ ejusdem, et post mortem anathematizavit, cum nec in fidem peccasset; et hoc sciunt omnes qui hic degunt Romani, et maxime qui in dignitatibus existunt, qui etiam eidem Dioscoro communicatores permanserunt usque ad ejus mor-

(116) Hac de re multa sub finem Edicti Justiniani imperatoris Joanni papæ II, transmissi : exstat ad calcem tom. I Conc.

(117) Refert Liberatus Breviarii sui cap. 10, ex epist. Ibæ ad Marim. Persam, cujus fragmentum exstat actione 10 Chalc. conc.

(118) Locus ut apparet depravatus vel mutilus, forte : Quod excommunicationem dictasset in Leonem, qui fuit, etc.

Introdusă în format electronic de Google

tem. *Item.* Etiam Origenem (119) si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum; quod etiam in isto fecit et vestra sanctitas et Vigilius religiosissimus papa antiquioris Romæ. *Item.* Sacra synodus dixit: « Sufficiunt quidem quæ dicta et prolata sunt, ecclesiasticam traditionem demonstrare, quod oportet hæreticos, et post mortem anathematizari. »

CAP. 63. — *De eadem re. Actione 4 ejusdem synodi.*

Sacra synodus dixit: « Augustini religiosæ memoriæ, qui inter episcopos Africanos splenduit, diversæ epistolæ recitatæ sunt, significantes quod oportet hæreticos et post mortem anathematizari. Talem autem ecclesiasticam traditionem et alii Africani reverendissimi episcopi servaverunt, sed et sancta Romana Ecclesia quosdam episcopos et post mortem anathematizavit, licet pro fide in vita sua non essent accusati, et utrumque apud nos habita gesta significant. »

CAP. 64. — *Ut qui sponsam alterius rapuerit, et reddere noluerit, cum ipsa quam rapuit excommunicetur, si ad sponsum illa redire contempserit. Joannes VIII Rostanio archiepiscopo.*

(27, *q.* 2, *c. Atho præsentium.*) Atho præsentium lator dum in nostro servitio fideliter excubaret, quemdam virum feminam sibi desponsatam queritur rapuisse: et ideo fraternitas tua auctoritate nostra suffulta suffraganeos suos episcopos præsentialiter convocet, sicque unanimi sententia, si sponsam huic raptor non reddiderit, tam idem quam rapta, si ad sponsum pristinum remeare noluerit, omni communione priventur.

CAP. 65. — *Ut notentur excommunicatorum nomina. Joannes VIII, in concilio apud Ravennam, cap.* 12.

(11, *q.* 3, *c. Curæ sit omnibus.*) Curæ sit omnibus episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam vicinis episcopis quam suis parœcianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis venientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, et excusationis causa omnibus auferatur.

CAP. 66. — *De eodem. Joannes VIII Petro episcopo.*

Si Deotatus et Gregorius statuto jam tempore ad nos venire, et omnia juste atque canonice emendare contempserint, gravioribus eos perpetui anathematis vinculis innodabimus, eorumque scelera et excommunicationes et anathemata scribentes, ante sanctissimam beati Petri apostoli imaginem suspendemus, ut omnibus de toto mundo ad limina apostolica venientibus illorum sit nota iniquitas, et consortio sacræ Ecclesiæ videantur extranei.

CAP. 67. — *Excommunicati munera non suscipienda. Ex Eliberit. conc., cap.* 28.

Episcopum placuit, ab eo qui non communicat, munera non accipere debere.

CAP. 68. — *Eleemosynam ejus qui excommunicatus fuit, si resipuerit, accipiendam. Urbanus Guimundo Aversano episcopo.*

(24, *q.* 2, *c. Sane quod.*) Sane quod super Richardo Burrelli filio vestra fraternitas egisse innotuit pro zelo Dei et animarum charitate, laudamus, sed non adeo timendum, non adeo vobis ab ejus eleemosynis abstinendum. Inter cæteros quippe nostræ fidei Patres, beatus Leo doctor egregius (*epist.* 92, *c.* 6): « Quibus, inquit, vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus. » Constat ergo, quoniam quibus vivis (ut ex opposito loquamur) communicavimus, mortuis quoque communicare possumus. Nos plane inter duo oppugnantia positi, impiis quidem et schismaticis communicare nullo modo possumus, istis autem, licet peccatoribus et prædonibus, dispensative pro tempore communicamus [*Gratian. habet*, propterea benedicamus], quia et hactenus Ecclesiam sustentaverunt et se fideliores in posterum pollicentur, alioquin oportet nos de hujus mundi partibus exire, sub qua etiam sponsione nos eis nuper in beati Petri natalitiis absolutionem indulsimus. Quia ergo prædictus vir neque nominative excommunicatus, neque communicans excommunicatis ex nomine obiit, sed in domini sui fide atque servitio, licet nobis ejus, dispensative, id est quandiu eos non patimur, eleemosynis communicare, et defuncti animam Christianæ religionis moribus adjuvare.

CAP. 69. — *Excommunicato non licere quempiam accusare. Ex Chartag. conc.* VII, *cap.* 1.

(4, *q.* 1, *c. Definimus.*) Definimus eum rite ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus sive laicus, accusare voluerit.

CAP. 70. — *De eadem re. Nicolaus Michaeli imperatori.*

(4, *q.* 1, *c. Quod autem hi.*) Quod hi qui a fratre Ignatio depositi et excommunicati fuerant nullam adversus eum intorquere damnationem [sententiam damnationis] potuerint, ex secunda universali synodo declaratur, cum dicitur: si ecclesiasticum fuerit crimen quod episcopo illatum fuerit, tunc probari oportet accusantium personas, ut primo quidem hæreticis non liceat accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis negotiis facere (120). Sed ne hos hæreticos esse denegetis, audite sequentia: « Hæreticos, inquiunt, esse dicimus tam eos qui olim ab Ecclesia projecti sunt quam qui post hæc a nobis anathematizati sunt. » Porro si adhuc nec sic creditis, quod subditur audite: « Præter hos autem aiunt, et eos qui fidem quidem sanam simulant

(119) Socrates, Hist. eccl., l. VI, c. 10 et lib. VII, c. 45; Sozomenus l. VIII, c. 14; Nicephorus l. XVII, c. 27 et 28; Liberatus in Breviario, cap. 23.

(120) Conc. Constantinop. I, c. 6, ut idem aliquanto superius admonet, apud nos non reperitur.

Introdusă în format electronic de Google

confiteri, schismaticos etiam et eos qui seorsum a communicantibus nobis episcopis collectas faciunt. Deinde vero et si quidam ab Ecclesia super causis quibusdam fuerint reprehensi, et projecti aut excommunicati, sive ex clero sive ex laicali ordine, nec his licere accusare episcopum, antequam proprio crimine primitus exuantur. Similiter autem et eos qui sub accusatione priori existunt, non ante esse acceptabiles in episcopi accusationem aut aliorum clericorum, quam innoxios semetipsos iflatorum sibi ostenderint criminum. »

Cap. 71. — *Quod non liceat cuiquam alium excommunicare, nisi cui potestas fuerit concessa. Ex Regula sancti Benedicti, cap.* 67 (*cap.* 70).

Ordinamus atque constituimus ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit. *Peccantes* autem *coram omnibus* arguantur, *ut et cæteri metum habeant* (*II Tim.* v).

Cap. 72. — *Ut nullus alterius subjectum excommunicare, nec metropolitanus aliquid in paræcia suffraganei agere præsumat. Calixtus episc. Galliæ* (*epist.* 2).

(9, *q.* 2, *c. Nullus alterius.*) Nemo alterius terminos usurpet, nec alterius paræcianum judicare aut excommunicare præsumat, quia talis dijudicatio, aut excommunicatio, vel damnatio, nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius judicis nisi sui sententia tenebitur aut damnabitur. *Item.* (9, *q.* 3, *c. Nullus primas.*) Nullus primas vel metropolitanus diœcesani ecclesiam, vel paræcianum, aut aliquem de ejus paræcia præsumat excommunicare vel judicare vel aliquid agere, absque consilio vel judicio.

Cap. 73. — *Ut pro qualitate peccati pœnitentia imponatur. Ex Regula sancti Benedicti, cap.* 23 (*cap.* 24).

Secundum modum culpæ, excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura; qui culparum modus ex abbatis pendet judicio [in abbatis pendeat arbitrio]. Si quis tamen frater in culpis leviоribus culpabilis invenitur, a mensæ participatione privetur. Privati autem a mensæ consortio, ista erit ratio, ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat, nec lectionem recitet, usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus percipiat, ut si fratres, verbi gratia, reliciunt sexta hora, ille fratrer nona ; si fratres nona, ille vespera, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur. *Ibidem cap.* 42 (*cap.* 44). Qui pro gravi culpa ab oratorio et a mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorii prostratus jaceat, nihil dicens : nisi tantum posito in terra capite prostratus pronus, omnium de oratorio exeuntium pedibus [sed posito in terram capite pronus sternatur omnium de oratorio exeuntium pedibus; *sic hodie codices excusi*] conculcetur, et hoc tam diu faciat, usque dum abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ante abbatem venerit, provolvat se pedibus ipsius abbatis, deinde omnium vestigiis fratrum, ut orent pro eo. Et tunc, si jusserit abbas, recipiatur in choro, vel quo abbas decreverit ordinet ita plane, ut psalmum vel lectionem, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas jusserit. Et omnibus horis dum completur opus Dei, projiciat se in terra in loco in quo stat, et sic satisfaciat usque dum jubeat abbas ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant, et usque ad jussionem abbatis hoc faciant, usque dum benedicat eis, et dicat : Sufficit.

Cap. 74. — *De sede episcoporum, cur in ecclesia altius cæteris sedere debeant. Ex epistola Urbani papæ I* (*ad omnes episc. De communi vita fidelium, c.* 4).

Quod autem sedes episcoporum non nisi in ecclesiis excelse constitutæ, et præparatæ inveniuntur in throno [*al.*, ut thronus], speculationem et potestatem judicandi, et solvendi atque ligandi a Domino sibi datam maxime doceat. Unde ipse Salvator in Evangelio ait : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo* (*Matth.* xviii), et alibi: *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* (*Joan.* xx). Ideo ista prætulimus, charissimi, ut intelligatis potestatem episcoporum vestrorum, in eisque Deum veneremini, et eos ut animas vestras diligatis, et quibus illi non communicant non communicetis, et quos ejecerint non recipiatis. Valde enim timenda est sententia episcopi licet injuste liget, quod tamen summopere prævidere debet.

Cap. 75. — *Episcopus excommunicaturus aliquem qualiter alloqui debeat clerum et plebem. Ex conc. Rothomagensi, cap.* 3.

Noverit charitas vestra, fratres mei, quod quidam vir nomine N., diabolo suadente [instigante], postponens Christianam promissionem [professionem] quam in baptismo professus est, per apostasiam conversus post Satanam cui abrenuntiavit et omnibus operibus ejus, vineam Christi, id est Ecclesiam ejus, devastare et deprædari non pertimescit, pauperes Christi quos pretioso sanguine suo redemit, violenter opprimens et interficiens, et bona eorum diripiens. Unde quia filius hujus nostræ Ecclesiæ, cui, Deo auctore, præsidemus, debuerat esse (quia in ea per aquam et Spiritum sanctum renatus est, et inter adoptivos filios Dei adnumeratus, quamvis modo filius Dei non sit [diaboli sit] imitando diabolum) solliciti ne per negligentiam pastoralem aliqua de ovibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo judicio ante principem pastorum Dominum nostrum Jesum Christum rationem reddere compelleremur, juxta quod ipse terribiliter nobis comminatur, dicens : *Si non annuntiaveris impio impietatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* iii), misimus ad eum presbyterum nostrum et litteras commonitorias semel, et iterum, atque tertio, invitantes eum canonice ad emendationem, et satisfactionem et pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipse (proh dolor! diabolo cor)

Introdusă în format electronic de Google

ejus indurante, monita salutaria sprevit [spernit], et in incœpta malitia perseverans, Ecclesiæ Dei, quam læsit superbiæ spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. De talibus itaque transgressoribus, et sanctæ religionis pacisque quam Christus suis discipulis dedit atque reliquit, violatoribus, præcepta Dominica et apostolica habemus, quibus informamur quid de hujusmodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in Evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum* (*Matth.* XVIII, *Luc.* XVII). Fratres in unumquemque, nostrum peccat, qui in sanctam Ecclesiam peccat. Si enim sancta Ecclesia unum corpus est, cujus corporis caput Christus est, singuli autem sumus alter alterius membra, et si cum patitur unum membrum compatiuntur omnia membra, procul dubio in nos peccat qui membra nostra lædit. Jubet ergo Dominus ut frater, id est Christianus, in nos peccans, primo secrete corripiatur, deinde cum testibus redarguatur, novissimo in conventu Ecclesiæ publice conveniatur [corripiatur]. Quod si has tres commonitiones et pias correptiones contemnit, et satisfacere despicit, post hæc *sit tibi*, inquit, *sicut ethnicus et publicanus* (*ibid.*), id est gentilis atque paganus: ut jam non pro Christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco, membrum quod a sua compage resolvitur et a junctura charitatis dissociatur, et omne corpus scandalizat, Dominus et abscindi et projici jubet, dicens: *Si oculus, manus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* (*Matth.* XVIII). Et Apostolus: *Auferte, inquit, malum ex vobis* (*I Cor.* V). Et item: *Si quis frater nominatur, et est fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere licet* (*ibid.*). Et Joannes dilectus præ cæteris Christi discipulis talem nefarium hominem salutare prohibebat, dicens: *Nec ei Ave dixeris, nec eum in domum receperis; qui enim ei Ave dicit, communicat operibus ejus malignis* (*II Joan.*). Dominica itaque atque apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum et insanabile quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis a corpore Ecclesiæ abscindamus, ne tam pestifero morbo reliqua membra corporis velut veneno, inficiantur.

Cap. 76. — *Prima excommunicatio. Ex eodem, cap. 4.*

Igitur quia monita nostra et crebras exhortationes contempsit, quia tertio secundum Dominicum præceptum vocatus, ad emendationem et pœnitentiam venire despexit, quia culpam suam necdum cognovit, nec confessus est, nec missa nobis legatione, qui causam ejus exquirimus, quia parœcianus noster est, veniam postulavit, quia in cœpta malitia, diabolo cor ejus indurante, perseverat, et juxta quod Apostolus dicit, *secundum duritiam* suam et *cor impœnitens* thesaurizat sibi *iram in die iræ* (*Rom.* II); *idcirco* nos eum cum universis complicibus et communicatoribus fautoribusque suis, judicio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beati Petri principis apostolorum et omnium sanctorum, nec non et nostræ mediocritatis auctoritate, et potestate nobis divinitus collata ligandi et solvendi in cœlo et in terra, a pretiosi corporis et sanguinis perceptione, et societate omnium Christianorum separamus, et a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ in cœlo et in terra excludimus, et excommunicatum et anathematizatum decernimus, et damnatum cum diabolo et angelis ejus et omnibus reprobis in igne æterno judicamus, nisi forte a diaboli laqueis resipiscat, et ad emendationem et pœnitentiam redeat, et Ecclesiæ Dei quam læsit satisfaciat. Et respondeant omnes tertio: *Amen*, aut, *Fiat, fiat*, aut, *Anathema sit*. Debent enim 12 sacerdotes episcopum circumstare, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, et conculcare pedibus. Post hæc episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant quam terribiliter damnatus sit, et ut noverint quod ab illa hora in reliquum non pro Christiano, sed pro pagano habendus sit, et qui illi quasi Christiano communicaverit aut cum eo manducaverit, aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit (nisi forte ad satisfactionem et pœnitentiam eum provocare studuerit), aut in domo sua eum receperit, aut simul oraverit cum eo, procul dubio similiter sit excommunicatus. Deinde epistolæ presbyteris per parœcias mittantur, continentes modum excommunicationis. In quibus jubeatur, ut Dominicis diebus post lectionem Evangelii, plebibus sibi commissis publice annuntient ipsam excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Oportet etiam ut aliis episcopis ipsa excommunicatio manifestetur. Præcepit enim Toletanum I concilium (*c.* 11) ut invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur. Seniori etiam ejus ipsa excommunicatio debet nota fieri.

Cap. 77. — *Excommunicationis allocutio. Ex concilio Aureliano, cap. 1.*

Audistis, dilectissimi, quanta et quam horrida pravitatis et iniquitatis opera N. a diabolo instigatus perpetrare non timuerit, et quomodo per apostasiam a totius Christianæ religionis cultu profana mente recesserit. Audistis quemadmodum canonice ad satisfactionem evocatus sit, sed venire distulerit; quomodo frequenter admonitus ut resipisceret a diaboli laqueis quibus tenetur astrictus [irretitus est], saluberrimas admonitiones obduratis [obturatis] auribus cordis audire contempserit. Dominus dicit in Evangelio de tali contumaci fratre, qui ecclesiasticam renuit suscipere correptionem: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII), id est, jam non est computandus inter Christianos, sed inter paganos. Hinc Paulus Domini et magistri doctrinam [vestigia] sequens,

Introdusă în format electronic de Google

Corinthios redarguit, quare cum criminosis et scelleratis communionem haberent, dicens : *Vos estis inflati, et non magis luctum habuistis, ut tollatur vir de medio vestrum* (*I Cor.* v), id est, separetur a vestro consortio, qui tale scelus operatus est, et adjungit : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis in unum et meo spiritu cum virtute Domini mei Jesu Christi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis* (*ibid.*). Et post pauca : *Scripsi vobis ne commisceamini fornicariis* (*ibid.*). Et statim infert : *Si is qui frater nominatur* (*id est*, Christianus) *fornicator est aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* (*ibid.*). Et alibi : *Auferte malum ex vobis* (*ibid.*) Et : Infidelis si discedit discedat (*I Cor.* vii). Una enim ovis morbida omnem gregem contaminat, et : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* v) : et plerumque unum membrum putridum totum corpus inficit. Et ideo tam perniciosa pestis a corpore Ecclesiæ radicitus evellatur.

Cap. 78. — *Excommunicatio* II. *Ex eodem concilio.*

Dominicis igitur atque apostolicis informati præceptis, judicio Patris, et Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, et auctoritate et potestate apostolis apostolorumque successoribus a Deo concessa, una vobiscum prædictum virum pessimum a limitibus sanctæ matris Ecclesiæ excludimus, et ab omni societate et communione Christiana separamus, separatumque esse in æternum decernimus, id est in præsenti sæculo et in futuro. Nullus ei Christianus Ave dicat (*II Joan.*), aut eum osculari præsumat. Nullus presbyter missam celebrare cum eo audeat [eo præsente celebrare audeat], vel sacrosanctum corpus et sanguinem Domini tradere. Nemo ei jungatur in consortio, neque in aliquo negotio. Et si quis ei se sociaverit, et communicaverit ejus operibus malignis, noverit se simili percussum anathemate ; his exceptis, qui ob hanc causam ei junguntur, ut eum revocent ab errore, et provocent ad satisfactionem. Nisi forte resipuerit, et, Dei gratia inspirante, ad pœnitentiam et remedium conversus fuerit, et digna emendatione Ecclesiæ Dei quam læsit, humiliter satisfecerit.

Cap. 79. — *Excommunicatio* III. *Ex conc. Turonico, cap.* 2.

Canonica instituta et sanctorum Patrum exempla sequentes, ecclesiarum Dei violatores, videlicet raptores, deprædatores, et homicidas, N. in nomine Patris, et Filii, et virtute Spiritus sancti, nec non auctoritate episcopis per Petrum principem apostolorum divinitus collata, a sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro : maledictum horreum eorum, et maledictæ reliquiæ illorum : maledictus fructus ventris eorum, et fructus terræ eorum. Maledicti sint ingredientes, et maledicti sint egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi, veniantque super eos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moysen in populum divinæ legis prævaricatorem se esse missurum intentavit (*Deut.* xxviii), sintque anathema, maranatha (*I Cor.* xvi), id est pereant in secundo adventu Domini. Nullus eis Christianus Ave dicat (*II Joan.*), nullus presbyter missam cum eis celebrare præsumat, vel sanctam communionem dare. Sepultura asini sepeliantur (*Jer.* xxii), et in sterquilinium sint super faciem terræ (*Jer.* viii, xvi, xxv). Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris projectæ hodie exstinguuntur, sic eorum lucerna in æternum exstinguatur, nisi forte resipuerint et Ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem et condignam pœnitentiam satisfecerint.

Cap. 80. — *De eadem re. Ex concilio Meldensi, cap.* 3 (*cap.* 56).

(11, *q.* 3, *c. Nemo episcoporum.*) Ut nemo episcoporum quemlibet sine certa et manifesta peccati causa communione privet ecclesiastica. Sub anathemate autem sine conscientia archiepiscopi aut coepiscoporum nullus ponat, nisi unde canonica docet auctoritas, quia anathema æterna est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet interponi crimine, et illi qui aliter non poterit corrigi.

Cap. 81. — *De eadem re. Ex concilio Agathensi, cap.* 4 (*cap.* 3).

Episcopi vero qui sacerodali moderamine posthabito, innocentes, aut in minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, et ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, a vicinis episcopis cujuslibet provinciæ litteris moneantur, et si pareere [parere] noluerint, a communione confratrum usque ad proximam synodum suspendantur, et ibi rationem pro facto dent, ne fortasse in excommunicatores peccatum excommunicati [per excommunicatores peccatum, *sic codex concil.*] longo tempore morte præveniatur.

Cap. 82. — *Ut nullus episcoporum graviter ferat si ejus paræcianus ab alio episcopo pro certa culpa excommunicatus fuerit. Ex concilio apud* Compendium, *cap.* 5.

(6, *q.* 3, *c. Placuit.*) Placuit etiam pro communi utilitate et instanti necessitate, ut nullus episcoporum graviter ferat, si ejus paroecianum, pro deprædationis causa, alter episcopus excommunicaverit.

Cap. 83. — *De illis qui in paræcia consistentes aliquid contra Deum fecerint, quoties ab episcopo ad emendationem vocari debeant. Ex conc. Meldensi, cap.* 3.

Episcopus in cujus paræcia aliquis consistens aliquid injuste fecerit, semel, bis atque tertio si necesse fuerit, vocabit illum sua admonitione per suum nuntium canonice ad emendationem sive compositionem, et ad pœnitentiam, ut Deo et Ecclesiæ satisfaciat, quam læsit. Si autem despexerit atque contempserit ejus admonitionem et saluberrimam invitationem, feriat illum pastorali virga, hoc est

Introdusă în format electronic de Google

sententia excommunicationis, ut a communione sanctæ Ecclesiæ omniumque Christianorum sit separatus usque ad congruam satisfactionem, et dignam emendationem Quam excommunicationem debet idem episcopus seniori illius notam facere, et omnibus suis coepiscopus, et omnibus suis paræcianis, ne eum recipiant, usque ad satisfactionem.

CAP. 84. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 6.

Episcopus qui eos quolibet munere vel favore aut negligentia monere, aut excommunicare distulerit [noluerit], qui contra Deum et Ecclesiæ pacem faciunt, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de ecclesia ejiciat, excommunicatus habeatur a collegio cæterorum, quousque vel emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur.

CAP. 85. — *Quod aliud sit peccare in Deum, aliud in hominem. Ex dictis Augustini* (121).

Attendendum est quod Dominus dicit : *Si peccaverit in te frater tuus* (*Matth.* XVIII). Aliud est peccare in nos, aliud in Deum. Si in nos aliquis peccaverit, non est nostri arbitrii. Scriptum quippe est : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* (*I Reg.* II.) Nos e contrario in Dei injuria benigni et misericordes sumus, et Dei offensam (quasi in nostra potestate sit ejus velle et ejus nolle) impune absque congruenti pœnitentiæ vindicta donamus, cum tamen quod in nobis commissum est, nec saltem verbum contumeliosum leviterque prolatum, sine vindicta pertransire patiamur. Dimittamus ergo propter Deum quod in nobis perpetratum est et quod commissum est Deo, quia dimittere non possumus, juxta constitutiones sanctorum Patrum, secundum canonicam auctoritatem vindicemus.

CAP. 86. — *De eadem re. Ex concilio Meldensi, cap.* 5 (*cap.* 61).

Ut pervasores rerum ecclesiasticarum, qui easdem res contra auctoritatem non solum retinere, verum et crudeliter depopulari noscuntur (quidam enim facultates etiam ecclesiæ in diversa collaboratione et redditibus eas exspoliant, sed et pauperes et vicinos et circummanentes immisericorditer affligunt, devastant, et opprimunt) ut rapaces qui secundum Apostolum a regno Dei excluduntur (*I Cor.* VI), ex criminali et publico peccato publica pœnitentia multentur. Quod si hoc agere noluerint, proferatur contra eos apostolica terribilisque sententia qua dicitur : *Si quis frater nominatur et est rapax, cum hujusmodi nec cibum quisquam sumere præsumat* (*I Cor.* V), quia iniquum et sacrilegum est (ut Symmachus papa (ut *Rom. syn. sub Symmac., c.* 3), et post eum beatus Gregorius (*l.* VIII *Regist., ep.* 6) Sabino [Savino *habet Gregor.*] subdiacono scribit) si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis compendiis tentaverit retinere, secundum instituta canonum, ab omni ecclesiastica communione ut sacrilegus debet arceri, donec studeat digna satisfactione quod admisit corrigere.

CAP. 87. — *Quod sanctum sanctorum sit quidquid Deo offertur. Ex decretis Bonifacii papæ, cap.* 5 (*Addit. ad cal. decret. Bonifac.* 1).

(12, *q.* 2, *c. Nulli licent.*) Nulli liceat ignorare, quod *omne quod Domino consecratur sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit* (*Lev.* XXVII), et ad jus pertinet sacerdotum ; propter quod inexcusabilis erit omnis qui quæ a Domino et ecclesia cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit usque ad emendationem Ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus dijudicetur, et si emendare noluerit excommunicetur.

CAP. 88. — *De his qui Christi pecunias auferunt, vel rapiunt. Ex epistola Anacleti papæ cunctis fidelibus missa* (*epist.* 1) (122).

Qui abstulit, inquit, *aliquid patri vel matri, et dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est* (*Prov.* XXVIII). Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Mater vero nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, rapit aut fraudat, homicida est, atque ante Deum homicida deputatur. Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, et ut sacrilegus judicandus est.

CAP. 89. — *De eadem re. Ex decretis Lucii papæ, cap.* 10 (*ep. ad Gal. et Hisp. episc., c.* 6; *et Anacl. ep.* 1).

(17, *q.* 4, *c. Omnes rapt.*) Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores, a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizantes apostolica auctoritate pellimus et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Et non solum eos, sed etiam omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, rei judicantur (*Rom.* I). Augustinus dicit : Qui aliquid de ecclesia furatur aut rapit, Judæ proditori comparatur.

CAP. 90. — *De eadem re. Ex concilio Gangrensi, cap.* 8.

Ille qui dederit vel acceperit oblationes altaris, præter episcopum vel ejus missum, et qui dat et qui accipit, anathema sit.

CAP. 91. — *De eadem re. Ex concilio apud sanctum Medardum, cap.* 1 (*ex conc. Gangren. c.* 7).

Si quis oblationes Ecclesiæ extra ecclesiam rapere vel dare voluerit præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

CAP. 92. — *Qui sacratis Deo locis vim inferunt, quomodo vindicentur. Ex decretis Joannis papæ, cap.* 10.

Ut hi qui monasteria, et loca Deo sacrata, et ecclesias infringunt, et deposita et alia quælibet exinde abstrahunt, damnum novies componant, et emunita-

(121) Simile quid habet serm. De sanctis 47.
(122) Idem habet et Lucius papa, epist. ad Gal. et Hisp. episc.

Introdusă în format electronic de Google

tem tripliciter, et velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur [subjiciantur].

Cap. 93. — *De his qui domum Dei contemptibilem ducunt. Ex concilio Magontiensi, cap.* 7.

Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei contemptibilem dueit, et possessiones Deo sacratas, atque ad honorem Dei sub regiæ emunitatis defensione constitutas, inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetraverit, quasi invasor et violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei vivi, a communione omnium fidelium abscindatur.

Cap. 94. — *De eadem re. Ex eodem, cap.* 6.

Si quis cujuscunque munuscula Ecclesiæ sanctis scripturarum titulis collecta, nefaria calliditate abstulerit, fraudaverit, invaserit, retentaverit, atque subripuerit, et non statim a sacerdote commonitus Deo collata reddiderit, ab Ecclesiæ catholicæ communione pellatur.

Cap. 95. — *Quod cum excommunicato orare non liceat. Ex dictis Isidori.*

(11, *q.* 3, *c. Cum excommunicato.*) Cum excommunicato neque orare neque loqui, nisi ea quæ ad eamdem excommunicationem pertinent, neque vesci cuiquam liceat.

Cap. 96. — *De eadem re. Unde supra (ex Reg. magist., c.* 13).

(11, *q.* 3, *c. Si quis frater.*) Si quis frater aut palam, aut absconse cum excommunicato fuerit locutus, communem statim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.

Cap. 97. — *De eadem re. Ex dictis Fructuosi episcopi, cap.* 14.

Cum excommunicato nullus loquatur, neque quilibet eum compassione vel miseratione refoveat, neque ad contradictionem vel superbiam confortare præsumat.

Cap. 98. — *De eadem re. Ex concilio Antiocheno, cap.* 2.

Cum excommunicatis non licet communicare, nec cum his qui per domos conveniunt devitantes orationes Ecclesiæ, ubi simul orandum est. Si quilibet autem ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste privetur communione.

Cap. 99. — *De eadem re. Ex canonibus apostolorum, cap.* 11.

Si quis cum excommunicato saltem in domosimul oraverit, iste communione privetur.

Cap. 100. — *De eadem re. Ex concilio Nicæno, cap.* 5.

De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laicali ordine ab episcopis, per unamquamque provinciam sententia regularis obtineatur, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet vitio episcopi videatur a communione seclusus.

Cap. 101. — *De eadem re. Ex concilio Antiocheno, cap.* 6.

(11, *q.* 3, *c. Si quis.*) Si quis a proprio episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis episcopis, quam suo reconcilietur episcopo.

Cap. 102. — *De eadem re. Ex decretis Calixti papæ, c.* 4 (*epist.* 2, *ad episc. Galliæ*).

(11, *q.* 3, *c. Excommunicatos.*) Excommunicatos quoque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis in oratione, aut cibo vel potu, aut osculo communicet, nec Ave eis dicat, quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta apostolorum institutionem (cap. 11, can. Apost.), et ipse simili excommunicationi subjaceat.

Cap. 103. — *De eadem re. Ex concilio Antiocheno (sub Julio I, c.* 2).

Non autem liceat communicare excommunicatis neque per domos ingredi, et cum eis orare qui ecclesiæ in oratione non participant, nec in alteram ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quod si visus fuerit quilibet episcoporum, vel presbyterorum, aut diaconorum, vel etiam qui in canone detinentur excommunicatis communicare, et hunc oportet communione privari tanquam Ecclesiæ regulas confundentem.

Cap. 104. — *De eadem re. Ex decretis Fabiani papæ episcopis Galliæ missis*

Si quis sponte [forte] excommunicato communicaverit verbo, oratione, in cibo vel potu, 40 dies pœniteat in pane, sale, et aqua [in pana et aqua]. Qui vero eis communicaverit in homicidiis vel flagitiis erit iræ et vindictæ Dei omnipotentis quem spernit, quia hæc omnia divina ei voce interdicta sunt, et secundum Apostolum, *obedire Deo oportet magis quam hominibus* (*Act.* v), et secundum quod deliquit, digne, juxta decreta canonum, pœniteat, et si pœnitere noluerit, excommunicetur.

Cap. 105. — *Ut excommunicati ubi fuerint exclusi ibidem consequantur communionem. Ex concilio Meldensi, cap.* 10.

De his qui pro delicto suo a communione separantur, ita placuit, ut in quibuscunque locis fuerint exclusi, eodem loco consequantur communionem.

Cap. 106. — *Ut a proprio episcopo vel presbytero excommunicati, alibi in communionem non recipiantur. Ex conc. Rothomagensi, cap.* 3.

Sunt aliqui qui culpis exigentibus a proprio episcopo excommunicantur, et ab aliis ecclesiasticis vel laicis præsumptuose in communionem accipiuntur; quod omnino sanctum Nicænum concilium (*Nic. c.* 5), simul et Chalcedonense nec non et Antiochenum (*Ant. c.* 2), atque Sardicense (*Sard. c.* 16) fieri prohibent.

Cap. 107. — *De eadem re. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 9 (*cap.* 7).

Augustinus episcopus legatus Numidiæ provinciæ dixit [Genedius episcopus dixit : *sic in volumine conc.*] (11, *q.* 3, *c. Qui merito*) : Hoc statuere dignemini, ut si qui forte merito facinorum suorum

Introdusă în format electronic de Google

ab Ecclesia pulsi sunt, si ab episcopo aliquo vel presbytero fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugientibus sui episcopi regulare judicium. Ab universis dictum est, omnibus placet.

CAP. 108. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 73.

(11, *q.* 3, *c. Qui communicaverit.*) Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur: si clericus, deponatur (*vide supra, c.* 28).

CAP. 109. — *De illis qui ex alia parœcia sunt, et deprædationes faciunt. Ex concilio Meldensi, cap.* 2.

De illis autem qui infra parœciam beneficium aut hæreditatem habent, et alterius episcopi parœciani sunt et de loco ad locum iter faciunt, rapinas et deprædationes peragunt, placuit ut excommunicentur, nec ante ex parœcia exeant quam quæ perpetraverunt digne emendent. Quorum excommunicatio seniori eorum et proprio episcopo significanda est: ne eos recipiant, antequam illuc redeant ubi rapinam fecerunt, et omnia pleniter emendent.

CAP. 110. — *De illis qui defendunt delinquentes. Ex dictis Basilii* (*ex Regula Orientalium*).

Qui consentit peccantibus, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et apud homines, et corripietur increpatione severissima. Hinc et quidam sanctissimus Pater ait: « Si quis errori alterius consenserit, sciat se cum illo simili modo culpabilem judicandum et excommunicandum. »

CAP. 111. — *De illis qui intra annum causam suam tractare neglexerint. Ex decretis Gelasii papæ, c.* 3.

(11, *q.* 3, *c. Quicunque.*) Quicunque igitur intra anni spatium civiliter sive publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ clausisse aditum videantur [judicabuntur]. Quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causam, juxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam (*epist.* 92, *c.* 6), divino judicio reservantes, quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

CAP. 112. — *De eadem re. Ex decretis ejusdem, cap.* 3.

Illi sane qui ante audientiam communicare tentaverint, donec per pœnitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo perducantur, excepto mortis interitu urgente. Qui vero excommunicato scienter communicaverit [se junxerit], et animo saltem in domo simul oraverit, atque latebras defensionis ne quo minus [cominus] ad satisfactionem perducatur, præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam suscipiat, corporis et sanguinis Domini communione privatum se esse cognoscat, et delictum secundum canones pœniteat.

CAP. 113. — *Ut notentur excommunicatorum nomina, et in foribus ecclesiæ præfiaantur. Ex decretis Honorii papæ, cap.* 11 (123).

(11, *q.* 3, *c. Curæ sit.*) Curæ sit omnibus episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam vicinis episcopis quam suis parœcianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia et excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, et excusationis causa omnibus auferatur.

CAP. 114. — *De illis qui excommunicati moriuntur. Ex concil. Epaunensi, cap.* 10 (*cap.* 28).

(11, *q.* 3, *c. Si episcopus.*) Si episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correptum aut pœnitentem successori licebit absolvere. *Et c.* 11. Si quis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus et testimonium habet bonum, et non poterat [poterit] venire ad sacerdotem, sed prævenerit cum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, et det redemptionem pro captivis.

CAP. 115. — *De illis qui colonorum flagella defendunt. Ex concilio Eliberitano, cap.* 9 (*in frag.*).

Decrevit sancta synodus, ut episcopi ac ministri episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant, propter metum aliorum ut ipsi criminosi corrigantur, et vel inviti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si vero seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, et aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos, ne distringantur defendere præsumpserint, sciant se excommunicationis ecclesiasticæ sententia feriendos.

CAP. 116. — *De episcopis qui apud Romanam sedem accusati fuerant, quod cum excommunicatis communicarent. Ex conc. apud Altheum* [*Altheim*].

Regno Conradi piissimi et Christianissimi regis quinto, congregata est sancta generalis synodus apud Altheim, in pago Rethia, præsente videlicet domini Joannis papæ apocrisiario, sanctæ Ostiensis Ecclesiæ Petro venerabili episcopo, aliquo [hoc quatenus aliquo, etc.] modo diabolica semina in nostris partibus exorta exstirpare, et nefandissimas machinationes quorumdam perversorum hominum sedare, et eliminando purgare debere. Transacto igitur triduano jejunio, et sacris litaniis more debito celebratis, convenimus in ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ, et mœsti consedimus. Tum demum præfatus S. Petri et domini Joannis papæ missus protulit chartam apostolicis litteris inscriptam, qua commovebamur, arguebamur, et instruebamur de omnibus ad veram religionem Christianæ fidei pertinentibus. Quæ omnia (ut justum et dignum erat) humiliter accepimus, diligenter tractavimus, et devoto affectu omnimodo amplectebamur. Ergo evangelicam præceptionem et institutionem saluberri-

(123) Alibi tribuitur Joanni VIII in conc. Ravenn., cap. 12.

Introdusă în format electronic de Google

mam lacrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisæi et Scribæ : *Mundate*, inquit, *prius quæ intus sunt* (*Matth.* XXIII). Et Item, *Ejice primum trabem de oculo tuo* (*Luc.* VI). Ac propheticum illud : Ruina populi sacerdotes mali, perpendentes et discutiendo nosmetipsos inspicientes, et in medium pœnitentiæ sanctæ digno fructu ad terram nos projicientes, deflevimus negligentias innumerabiles, et peccata nostra gravissima. Deinde hortatu Domini Petri contra nosmetipsos et vitia irati, adjuvante primo sancto Spiritu et miserante, capitula infra notata ad correptionem tam nostram, quam Christiani populi statuendo collegimus.

CAP. 117. — *De episcopis qui sibi subjectos seducunt, excommunicatis communicantes. Ex eodem conc. cap.* 6, *cui interfuit Conradus rex.*

Scimus sacra auctoritate scriptum, qui excommunicato communicaverit, excommunicetur. In hoc nos fatemur episcopi, et presbyteri, et clerici pœnaliter peccasse, quod in posterum Deo auxiliante, et emendare et evitare cupimus et præcipimus.

CAP. 118. — *De eadem re. Ex eodem concilio, cap.* 7.

Placuit sanctæ synodo, hunc errorem quasi impium ab Ecclesia amovere, quia animarum curam a Domino accepimus, non pecuniarum. Inde et reddituri sumus Domino rationem, et accepturi propter suam misericordiam æternam retributionem, vel justam damnationem.

CAP. 119. — *De episcopis, ut non sint malum exemplum populo. Ex eodem concil., cap.* 8.

Bonum exemplum populis seipsos episcopi et sacerdotes debent præbere, et ostendere non solum dictis, verum et factis. Propter hoc enim statuimus, minime unquam in posterum contra sacra statuta aliquo modo communicemus excommunicatis, dijudicamus et nosmetipsos, quatenus in futuro non judicemur a Domino (*I Cor.* XI). Sequi cupimus dicta et statuta sancti Gregorii papæ, et pœnitentiam dignam agere volumus secrete in monasterio, quia publice nequivimus, in futuroque prædicta omnibus modis, Deo propitio, vitare volumus. Eamdemque legem statuentes presbyteris, diaconibus et omni clero, si de gradu deponi noluerint, ut fideliter observent, et aliis servare prædicent.

CAP. 120. — *De correctione episcoporum qui cum excommunicati communicaverint. Ex eodem concilio, cap.* 9.

Auctoritate apostolica firmamus dicta et præcepta sanctorum canonum, et interdicimus, quandiu quis excommunicatus sit, ut nullus nostrorum episcoporum ei audeat communicare, vel cum eo in ecclesia orare. Et laici qui secuti sunt nos, ut dicunt, errando et sequendo nos modo, nos autem nosmetipsos per pœnitentiam macerantes corrigendo, et viam eis vitæ prædicantes et aperientes, ut resipiscant a diaboli laqueis (*II Tim.* II), a quibus per nostra mala exempla capti tenentur, et ad veram matrem Ecclesiam per pœnitentiam revertantur.

CAP. 121. — *De his qui contemnunt bannum ab episcopis impositum. Ex concilio Triburiensi, cap.* 8, *cui interfuit Arnulphus rex.*

Nemo contemnat neque transgrediatur bannum ab episcopis superimpositum. Sciat et abhorreat, in epistola 3 beati Clementis dictum contra se scriptum (*De offic. sac. et cler.*) : « Si vobis episcopis non obedierint omnes tam majoris quam inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus et linguæ, non solum infames, sed et extorres a regno Dei et consortio fidelium et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt. » Et audiant ipsum Dominum in Evangelio dicentem : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X). Quapropter nos evangelicam et apostolicam considerantes auctoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus et confirmamus, ut si quis post hanc hujus sancti concilii definitionem inventus fuerit corrupisse ab episcopis bannum *impositum*, 40 diebus castigatione corripiatur, tantum in pane, sale et aqua.

CAP. 122. — *Pro quibus causis quemlibet hominem anathematis vinculo ligari oporteat. Ex eodem conc. cap.* 30.

(11, *q.* 3, *c. Certum est.*) Quæsitum est in eadem synodo, pro quibus causis quemlibet hominem episcopali auctoritate vinculo anathematis ligari oporteat. Atque unanimi cunctorum sententia decretum est, pro his tribus criminibus fieri debere, cum ad synodum canonice jussus venire contemnit, aut postquam illuc venerit sacerdotalibus respuit obedire præceptis, aut ante finitam causæ suæ examinationem a synodo profugus abire præsumit.

CAP. 123. — *De illis qui rapinam et furtum exercuerint. Ex eodem concilio, cap.* 31.

Tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ inquietari, et pacem fraternam infestari testantur fures et latrones, qui ambulant inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, sæva mente res ecclesiarum adducti rapientes, et gregem Dominicum spoliando lacerantes. De quibus Salvator in Evangelio commemorat : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est et latro* (*Joan.* X). Atque subjunxit : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat* (*ibid.*). Ubi quamvis hæreticos qui fidem furantur Ecclesiæ designet, tamen insecutione furum et latronum turbatam monstrat pacem Ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippenses : *Videte canes, videte malos operarios* (*Philip.* III). *Canes* vocavit qui non habent verecundiam : *Malos operarios* qui nulla faciunt quæ pietati conveniunt. Et Dominus per Isaiam prophetam : *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam* (*Isa.* LXI). Unde nos quæ Dominus diligit diligentes, et quæ odit odio habentes, statuimus et judicamus, ut si quis post hæc evangelica et apostolica, atque prophetica verba et definitionem pacatissimæ synodi inventus fuerit, furtum aut rapinam exercere, et in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo

Introdusă în format electronic de Google

præsumat orare, aut eleemosynam dare, et eleemosyna pro eo data in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed exsecrabilis sordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens: « Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. » Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, et exspectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis habitu corporis et voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque et sacerdoti vita comite, emendationem et actum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.

CAP. 124.—*De illis qui in patibulis suspenduntur. Ex concilio Magontiensi, cap.* 5 (*c.* 27, *et cons. Vormat. sub Leone IV, c.* 80.)

(13, *q.* 2, *c. Quæsitum.*) Quæsitum ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad ecclesias deferenda sint, et oblationes pro eis offerendæ, et missæ celebrandæ an non. Quibus respondemus: Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, et digne pœnitentibus, communio in fine secundum canonicum jussum, danda est, cur canones interdicunt eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt, et confitentur vel confiteri desiderant? Scriptum est enim: Non judicat Deus bis in idipsum (*Naum* 1, *secundum aliam litteram*).

CAP. 125. — *De episcopis, qui cum excommunicatis communicaverint. Ex concilio apud Erphesfurt, cap.* 9, *cui interfuit rex Henricus.*

Decrevit sancta synodus cum consilio serenissimi principis, si deinceps aliquis episcopus sui ministerii oblitus, sciens cum excommunicato communicaverit, sive in salutatione, sive in oratione, sive in injusta confortatione, sive in cibo, sive in potu, excommunicatus habeatur tam a principe, quam a cæteris omnibus, quousque in proxima synodo audiatur, et Deo et Ecclesiæ suæ satisfacere cogatur.

CAP. 126. — *De clericis qui fugerint Ecclesias suas, et de servis, qui dominos proprios fugerint. Ex concilio apud Altheum habito, cui interfuit Conradus rex, cap.* 26.

Sanctus Gregorius dicit: Clericum fugientem ab ecclesia sua, vel servum fugientem proprium dominum, et nolentem reverti, judicamus communione privari, quousque ad propriam ecclesiam, vel ad dominum suum redeat. *Et item*, Clericum fugitivum suo episcopo decernimus apostolica sententia restitui, vel excommunicari, una cum illis qui ei communicaverint.

DECRETI PARS DECIMA QUINTA.

De pœnitentia sanorum et infirmorum, et qua commutatione leniri possit pœnitentia.

CAP. 1. — *Quid sit pœnitentia. Gregorius (hom.* 134 *Evangeliorum).*

(*De pœnit. dist.* 3, *c. Pœnitentia.*) Pœnitentia est peccata præterita deflere, et deflenda non admittere.

CAP. 2. — *Ut presbyter pœnitentem jussus ab episcopo suo reconciliet. Ex concil. Carthagin.* II, *cap.* 4.

(26, *q.* 6, *c. Aurelius episcopus.*) Aurelius episcopus dixit: « Si quisquam in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari divinis altaribus petierit; si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem ejus præcepto reconciliare, quam rem debemus salubri consilio roborare. » Ab universis episcopis dictum est: « Placet quod sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est. »

CAP. 3. — *Ut pœnitentibus juxta peccatum modus pœnitentiæ detur. Ex concil. Carthagin.* III, *cap.* 31.

(26, *q.* 7, *c. Pœnitentibus.*) Ut pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

CAP. 4. — *Ne presbyter clam episcopo reconciliet pœnitentem. Ex eodem concilio, cap.* 32.

(26, *q.* 6, *c. Presbyter.*) Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo necessitate cogente. Cujuscunque pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam manus ei imponatur.

CAP. 5. — *Ut ex pœnitentibus ordinatus clericus deponatur. Ex concilio Carthag.* IV, *cap.* 68.

(*Dist.* 50, *c. Ex pœnitentibus.*) Ex pœnitentibus (quamvis sit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens episcopus ordinaverit talem, etiam ipse episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.

CAP. 6. — *De lege pœnitentium. Ex eodem concil., cap.* 74.

(26, *q.* 7, *c. Sacerdos.*) Ut sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

CAP. 7. — *De negligentibus pœnitentibus. Ex eodem conc., cap.* 75.

Ut negligentiores pœnitentes tardius reconcilientur.

CAP. 8. — *De poscentibus pœnitentiam, si postea obmutescant. Ex eodem concil., cap.* 76.

(26, *q.* 6, *c. Qui in infirmitate.*) Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sa-

Introdusă în format electronic de Google

cer.los invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium qui eum audierint, et accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, et subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

Cap. 9. — *De pœnitentibus, ut in morte viaticum accipiant. Ex eodem concil., cap.* 77.

Pœnitentes qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant.

Cap. 10. — *De pœnitentibus si post viaticum supervivant. Ex eodem concil., cap.* 78.

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

Cap. 11. — *De pœnitentibus si casu aliquo moriantur. Ex eodem conc., cap.* 79.

(26, *q.* 7, *c. Sacerdos pœnitentiam.*) Pœnitentes qui attente leges pœnitentiæ exsequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.

Cap. 12. — *Ut pœnitentes mortuos efferant et sepeliant. Ex eodem conc., cap.* 81.

Mortuos ecclesiæ pœnitentes efferant et sepeliant.

Cap. 13. — *Ut pœnitentes semper genua flectant. Ex eodem conc., cap.* 82.

Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

Cap. 14. — *Ut pœnitentia conjugatis non nisi ex consensu detur. Ex concilio Arelatensi* II, *cap.* 22.

(33, *q.* 4, *c. Pœnitentiam.*) Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

Cap. 15. — *De apostatis si non revertuntur. Ex eodem conc., cap.* 25.

Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, et ad sæculum redeunt, et postmodum pœnitentiæ remedia non requiruat, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. Quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicunque ille sit, post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat; quod si præsumpserit ab ecclesia alienus habeatur.

Cap. 16. — *De clericis pœnitentiam petentibus. Ex concil. Araus., cap.* 4.

Pœnitentiam desiderantibus clericis [etiam, *orig.*] non negandam.

Cap. 17. — *Qualiter majores pœnitentiam accipiant, quæ junioribus non facile committenda est. Ex conc. Agath., cap.* 25.

(*Dist.* 50, *c. Pœnitentes.*) Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super capita a sacerdote (sicut ubique constitutum est) consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur. Et nisi digne pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus autem pœnitentia non facile committenda est, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum.

Cap. 18. — *Si presbyter aut diaconus pro reatu aliquo ab eucharistia se suspenderit. Ex concil. Aurel., cap.* 8 (*Aurel. conc.* I, *c.* 14).

(*Dist.* 81, *c. Si diaconus.*) Si diaconus aut presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis confessione submoverint, sic quoque si alii defuerint, et causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

Cap. 19. — *De his qui pœnitentiam poscunt : si vir est, prius tondeatur; si femina prius habitum mutet. Ex conc. Tolet.* III, *cap.* 12.

Quicunque ab episcopo, vel presbytero sanus vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia episcopus observet et presbyter; ut si vir est, si sanus vel infirmus, prius eum tondeat, aut in cinere, et cilicio habitum mutare faciat, et sic pœnitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius aut velata fuerit, aut mutaverit habitum. Sæpius enim laicis cum feminis tribuendo desidiose pœnitentiam, ad lamentanda rursum facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.

Cap. 20. — *Qualiter lapsi quilibet de clero, et in monasterium pro agenda pœnitentia trusi, sustententur. Gregorius Petro subdiacono (lib.* I *Regist., ep.* 42).

(16, *q.* 6, *c. De lapsis.*) De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex clero observare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciunt, et in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade, et res lapsorum in eo loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correptione eorum sollicitudinem gerunt. Si vero parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita autem, ut eorum stipendia, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeant procurari. Si qui vero ex familia ecclesiastica sacerdotes, vel levitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, similiter dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum ecclesiastico juri non subtrahi, ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitentiam subsistant, ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint, onerosi sint.

Cap. 21. — *Dimissa peccata denuo ad eum reverti, qui non vult in se peccanti dimittere. Augustinus libro primo De baptismo (contra Donatist., cap.* 12).

Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet, de illo servo, quem cum invenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit; ille autem conservum suum qui ei debebat centum denarios, cum miseratus non fuisset, jussit eum dominus reddere quæ ei dimiserat (*Matth.* XVIII).

Cap. 22. — *De his, qui in ultimo pœnitentiam petunt. Ex dictis Augustini (lib.* I. *Homil., hom.* 41).

(*De pœnit., dist.* 7, *c. Si quis posit.*) Sane quisquis

Introdusă în format electronic de Google

positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam, et mox ut reconciliatus fuerit, exierit de corpore, fatcor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumo dicere quod hinc bene exierit. Si securus hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus. Nunquid dico, damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quia securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata.

Cap. 23. — *Ut gravium criminum rei auctoritate pontificis segregentur ab altari, et iterum reconcilientur. Item Augustinus libro De pœnitentia* (124).

(*Dist.* 1, *c. In actione.*) In actione autem pœnitentiæ ubi tale commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L). Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam per verba, vel quæcunque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur : *Gemitus meus a te non est absconditus* (*Psal.* XXXVII); recte constituuntur ab his, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur. *Hactenus eo loci Augst.* Ergo cum tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis debet se quisque ab altario removere ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari.

Cap. 24. — *Quantum condescendi oporteat pœnitentibus. Item libro De pœnitentia* (*l.* L *Homil., hom.* 50, *c.* 11).

(*Dist.* 1, *c. Judicet.*) Judicet seipsum in istis voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum in se protulerit severissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrantur, et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præposito sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, et in offerendo sacrificio contribulati cordis, persistat devotus et supplex. Id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum, ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset; non resistat, nor lethali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. (*Cap.* 12.) Multi enim corriguntur ut Petrus, multi tolerantur ut Judas, multi nesciuntur donec veniat Dominus qui, et *illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet cogitationes cordis* (*I Cor.* IV). *Item Augustinus in epistola ad Macedonium* (*epist.* 45, *post init.*) (*Dist.* 50, *c. Quamvis*) : Quamvis caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat Deo dicere : Quare huic homini qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis astringit [obstr. *or.*], adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi, quod Apostolus ait : *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* (*Rom.* II.) Aut istis exceptis esse definitum, quod scriptum est : *Beati omnes qui confidunt in eum?* (*Psal.* II.) Aut ad istos non pertinere quod dicitur : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum ?* (*Psal.* XXX.) Cum igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia Dei, ut in hac temporali vita moribus emendatis non damnetur in æternum, qui nullius, quæ sibi præbeatur exspectat misericordiam, quoniam nemo est illo beatior, nemo potentior, nemo justior, quales nos esse oportet homines erga homines, qui hanc vitam nostram, quantacunque laude cumulemus (commendemus, *or.*), eam sine peccato esse non dicimus? Quod *si dixerimus nosipsos* (sicut scriptum est) *decipimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I).

Cap. 25. — *Non posse perfecte pœnitere pro aliquo ablato, nisi restituatur, si potest restitui. Augustinus in epistola ad Armentarium et Paulinam* (*epist.* 54 *ad Macedonium post med.*).

(11, *q.* 6, *c. Si res aliena.*) Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest

Cap. 26. — *Quod ultima conversio mente potius æstimanda sit quam tempore. Ex decretis Cælestini papæ, cap.* 20 (*epist.* 2 *ad Galliæ episc., c.* 27).

Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius æstimanda est quam tempore, propheta hoc taliter asserente : Si conversus ingemueris, tunc salvus eris (*Ezech.* XVIII *et* XXXIII). Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum ille se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

Cap. 27. — *Quod omnis fidelis in ultimis positus sanctificato oleo ungi debeat. Ex decretis Calixti papæ.*

Beatus enim Jacobus apostolus in Epistola sua scripsit : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyte-*

(124) Ex pœnitentiarii cujusdam præfatione, quam reperies in admonitione beati Rhenani, ad calcem Tertul. ea quoniam pene tota ex Aug. consarcinata est, hic Aug. tribuitur. Porro hic locus decerptus est ex Enchir. c. 65, De pœnitentia.

Introdusă în format electronic de Google

ros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum (*Jac.* v). Hoc et apostoli in Evangelio fecisse leguntur (*Marc.* vi), et nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur. Non solum presbyteris uti licet hoc sacro oleo in suis infirmitatibus, sed, ut Innocentius I papa describit (*ep.* 1, *c.* 8), etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo, in sua, aut suorum necessitate ungendo. Quod tamen oleum non nisi ab episcopis licet confici. Nam quod ait : *Oleo in nomine Domini*, significat, oleo in nomine Domini consecrato, vel certe quia etiam, cum ungunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent. Et si in peccatis sit, dimittuntur ei. Multi propter peccata in animam facta, infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Unde ait Apostolus Corinthiis : Quia corpus Domini *indigne* percipere erant soliti, *ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi* (*I Cor.* xi). Si ergo infirmi in peccatis sint, et hæc presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea derelinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis [confessionis emendatione] queunt dimitti. Unde recte subjungitur : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini* (*Jac.* v).

Cap. 28. — *De illis, qui propter timorem mortis in ipsa infirmitate confitentur peccata sua. Ex concilio Nannetensi, cap.* 2.

Infirmus qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti, et secundum canonum statuta, et pœnitentialium probatorum pœniteat.

Cap. 29. — *De illis qui in necessitatis tempore et pœnitentiam et reconciliationem desiderant. Ex decretis Leonis papæ, cap.* 9 (*Leon. pap. I, epist.* 91 *ad Theodorum*).

(26, *q.* 6, *c. His qui in tempore.*) His autem, qui tempore necessitatis, et in periculis urgente instantia, præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Domini nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conversio [vera], dicente Domino per prophetam : Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris (*Ezech.* xviii *et* xxxiii; *Isa.* xxx), et alibi : Dic tu iniquitates tuas prior ut justificeris. Item : *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* cxxix). In dispensandis itaque Dei donis, non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus, lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitenti afflictionem [*al.* pœnitendi affectionem] ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim.* ii).

Cap. 30. — *De eadem re. Ex decretis Innocentii I papæ, cap.* 22 (*ep.* 3 *ad Exuper., c.* 2).

Et hoc quæsitum est, quid de iis observari oporteat qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso, communionem dari obeuntibus placuit, et propter misericordiam, quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem et duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines ejusmodi, vel in supremis suis permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

Cap. 31. — *De illis qui ad exitum veniunt, ut ultimo et necessario viatico non priventur. Ex concil. Nicæno, cap.* 13.

(26, *q.* 6, *c. De his vero.*) De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur de corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, et consecutus communionem oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet, in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione debebit dare.

Cap. 32. — *Quod pœnitentia possint aboleri peccata, etiam si in ultimo vitæ spiritu quis pœniteat. Ex conc. Magontiensi, cap.* 2 (125).

Pœnitentiam posse abolere peccata indubitanter credimus, etiam si in ultimo vitæ spiritu admissorum [admissor] pœniteat, et vel publica lamentatione peccata prodantur, quia Dei propositum, quo decrevit salvare quod perierat (*Luc.* xix), stat immobile. Et ideo, quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ, si tempus conceditur, sive supplici confessione, si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione pœnitendo, et salvetur miseratione Domini ut vivat [et salvatus miseratione Domini vivat. *Sic hodie August.*] (*Ezech.* xi; xxxiii). Si quis aliter

(125) August. id habet lib. De eccles. dogmat. cap. 80.

Introdusă în format electronic de Google

de justissima pietate Dei sentit, non Christianus, sed Novatianus est.

Cap. 33. — *De lapsis in ultimo positis, ut viatico munere, si rogaverint, eis subveniri debeat. Ex epistola Siricii papæ.*

Quicunque carnali fragilitate ecciderint viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, si rogaverint, per communionis gratiam volumus subveniri.

Cap. 34. — *De illis infirmis, qui dum pœnitentiam petierint, et antequam sacerdos veniat, officium oris amittunt. Ex epistola Leonis papæ (epist. 91).*

Ita ergo talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis [oris] officio per judicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ita aliqua ægritudine fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonium fidelium circumstantium illis prodesse debet, ut simul et [simul tamen et, etc.] pœnitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur.

Cap. 35. — *De eadem re. Ex decret. Eusebii papæ, cap.* 10.

Si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venerit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est ut, si idonea testimonia habuerit, quod ipse pœnitentiam petiisset, et ipse per motus aliquos suæ voluntatis aliquod signum facere potest, sacerdos impleat omnia, sicut supra circa ægrotantem pœnitentem scriptum est, id est orationes dicat, et ungat eum oleo sancto, et eucharistiam ei donet, et postquam obierit, ut cum cæteris fidelibus ei subministret.

Cap. 36. — *De infirmis in periculo mortis constitutis. Ex Pœnitentiali Theodori (Mogunt. sub Leone IV, c. 26).*

(26, *q.* 7, *c. Ab infirmis.*) Ab infirmis in periculo mortis positis, per presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ sublevandum. Et si forte migraverint, ne obligati et a communione alieni, vel consortio veniæ fiant. A quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum a suo confessore impositum diligenter observet. Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra cum unctione olei animati, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.

Cap. 37. — *De quodam qui Christum negaverat, quomodo in extremis viatico liberatus est. Dionysius dicit in ecclesiastica Historia (Euseb. eccles. Hist. lib.* VI, *c.* 34, *ex translatione Rufini*).

In Historia ecclesiastica Dionysius rescribens ad Fabianum, inducit quamdam historiam, dicens, Serapionem quemdam fuisse apud Alexandriam, unum ex his qui lapsi sunt, eumdemque sæpe deprecatum esse, ut susciperetur, nec tamen impetrasse. Oppressum deinde hunc ægritudine, ita ut tres dies sine voce prorsus jaceret, paululum vero quarto die respirantem, vocasse ad se filiolam suam, et dixisse fertur : « Quousque me detinetis? quæso vos, cito aliquis presbyterorum veniat, ut possim dimitti. » Et cum hoc dixisset, rursum sine voce permansit. Abiit cito cursu ad presbyterum puer noctis tempore. Infirmabatur presbyter, venire non potuit; tamen quia præceptum fuerat, ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, et maxime his, quos prius id rogasse constabat, parum eucharistiæ puero dedit. Regrediente puero, adhuc antequam ingrederetur domum, rursum Serapion : « Redisti, inquit, fili? Licet presbyter venire non potuit, tamen imple quod tibi imperatum est, ut possim recedere. » Cumque accepisset eucharistiam, velut catenis quibusdam vinculisque dirruptis, lætiorem jam spiritum reddidit. Ex quo constat hujus boni auxilio nullum debere fraudari.

Cap. 38. — *Ut presbyteri de occultis peccatis jussu episcopi pœnitentes reconcilient. Ex decreto Evaristi papæ, cap.* 3.

(26, *q.* 6, *c. Presbyteri.*) Ut presbyteri de occultis peccatis jussione episcopi pœnitentes reconcilient, et (sicut supra præmisimus) infirmantes absolvant et communicent.

Cap. 39. — *De pœnitente, si in ipsa pœnitentia de corpore exierit, et reconciliari desiderat. Ex conc. Aransicano* I, *cap.* 3.

(26, *q.* 6, *c. Qui recedunt.*) Qui recedunt de corpore pœnitentes, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare; quod morientis sufficit consolationi [reconciliationi] secundum diffinitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Ut si [quod si, *or.*] supervixerint, stent in ordine pœnitentium ut, ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.

Cap. 40. — *Ut quinta feria ante Pascha pœnitentibus sit remittendum; ante autem, si ad desperationem infirmitatis devenerint. Ex epistola Innocentii I papæ, cap.* 1 (*ep.* 1 *ad Decentium, c.* 7).

(*De cons., dist.* 3, *c. De pœnitentibus.*) De pœnitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.

Cap. 41. — *De illis qui in Ecclesia remitti peccata negaverint. Ex dictis August. (in Enchir., c.* 83).

Qui vero in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit divini muneris largitatem, et in hac ob-

Introdusă în format electronic de Google

stinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit.

Cap. 42. — *Quod infirmis omni hora cibum sumere liceat. Ex conc. Magontiensi, cap.* 25.

Infirmis licet omni hora cibum potumque sumere, quotiescunque desiderant.

Cap. 43. —*De illis sacerdotibus qui morientibus pœnitentiam denegaverint. Ex decretis Julii papæ* (*ad calc. decret. Julii*).

(26, *q.* 6, *c. Si presbyter.*) Si quis presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus dicit : *Quacunque die fuerit conversus peccator, vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* xviii). Vera enim conversio [*al.* confessio] in ultimo tempore potest esse, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est (*Luc.* xxiii), sicut latro unius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso in hora ultimæ confessionis.

Cap. 44. — *Quod nulli ultima pœnitentia sit denegauda. Ex decretis Cœlestini papæ, cap.* 10 (*ep.* 2 *ad episc. Galliæ, c.* 2).

(26, *q.* 6, *c. Agnovimus.*) Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se ille expedire [se expediti, *or.*] desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam sic promittat peccatori : *In quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei* (*Ezech.* xxxiii). Et iterum : *Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur, et vivat* (*ibid.*). Salutem ergo homini adimit quisquis mortis tempore pœnitentiam [speratam *inseritur in orig. et Gr.*] denegaverit, et desperaverit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dextram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna pœnituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit.

Cap. 45. —*Ut in capite Quadragesimæ omnes publice pœnitentes in civitatem veniant, et ante fores ecclesiæ nudis pedibus et cilicio induti episcopo suo se repræsentent. Ex conc. Agath., cap.* 9.

(*Dist.* 50, *c. In capite.*) In capite Quadragesimæ omnes pœnitentes qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu et vultu proclamantes. Ibi adesse debent decani, id est archipresbyteri parœciarum, et presbyteri pœnitentum, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, et secundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Post hæc in ecclesiam eos introducat, et cum omni clero septem pœnitentiæ psalmos in terram prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens [exsurgens] ab oratione (juxta quod canones jubent) manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, et cum gemitu et crebris suspiriis eis denuntiet, quod sicut Adam projectus est de paradiso, ita et ipsi ab Ecclesia pro peccatis abjiciuntur. Post hæc jubeat ministris, ut eos extra januas ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum responsorio : *In sudore vultus tui vesceris pane* (*Gen.* iii), etc., ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum decanis, et eorum presbyteris ecclesiæ liminibus repræsententur.

Cap. 46. — *Qua auctoritate modus pœnitentiæ peccata confitentibus imponi debeat. Ex concilio Magunliensi, cap.* 10 (*Cabillon.* ii, *c.* 38).

Modus tempusque pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem probatam imponi debet a sacerdotibus. Nam qui peccatis gravibus leves quosdam et inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, *consuunt pulvillos*, secundum propheticum sermonem, *sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas* (*Ezech.* xiii). Sed discretio servanda est inter pœnitentes publice et absconse. Nam qui publice peccat, oportet ut publice multetur pœnitentia, et secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur et reconcilietur.

Cap. 47. — *Quod diversitas culparum diversitatem faciat pœnitentiarum. Ex dictis August.*

Diversitas culparum diversitatem facit pœnitentiarum. Nam et corporum medici diversa medicamenta componunt, ut aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter combustiones curent. Ita et spirituales medici diversis curationum generibus animarum vulnera sanare debent. Sed quia hoc paucorum est, ad purum scilicet cuncta cognoscere et curare, et mederi, atque ut integrum salutis statum valeant revocare, ideo solerter admonemus doctum quemque sacerdotum Christi, ut non ex suo sensu, sed secundum canonum statuta, et traditiones Patrum universa disponat, et conditionem utriusque sexus, ætatem, paupertatem, causam, statum, personam cujusque pœnitentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis inspiciat, et secundum hæc ut sibi visum fuerit, ut sapiens medicus, singula quæque dijudicet

Cap. 48. — *Quod multi sint fructus pœnitentiæ. Ex dictis ejusdem.*

Multi sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur. Non enim tantum

Introdusă în format electronic de Google

simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, ut illud apostolicum : *Pœnitemini igitur*, inquit, *et convertemini, ut deleantur peccata vestra* (*Act.* III). Et illud propheticam : Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris (*Isa.* XXX). Propter illum nudum gemitum, et propter illud nudum nomen pœnitentiæ nullus salvabitur, sed per veram confessionem, et sacerdotis intelligentis consilium, et per charitatis affectum, et per eleemosynarum fructum peccatorum moles subruitur.

CAP. 49. — *Cur canones non perfecte præfigant unoquoque crimine tempus et mensuram pœnitentiæ. Ex dictis Hieronymi* (126).

(*De pœnitent. dist.* 1, *c. Mensuram.*) Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia, idcirco non satis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant, qualiter unumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt. Quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum quam mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide et conversatione pœnitentum abbrevianda præcipiunt, et negligentia protelanda existimant. Tamen [Exstant tamen impositi] pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ sunt impositi, juxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ, cum sit facile per eosdem modos vindictam et censuram canonum æstimare.

CAP. 50. — *De illis, qui pœnitentiam sibi injunctam adimplere festinant. Ex Pœnitentiali Romano.*

Unumquemque hominem accedentem ad pœnitentiam, si videris acriter et assidue stare in pœnitentia, statim remissius age adversus eum. Qui vero potest implere quod impositum est ei, noli prohibere, sed permitte. Magis enim laudandi sunt hi qui celeriter debitum pondus persolvere festinant, quia jejunium debitum est pondus, et sic amandum his qui pœnitentiam agunt, quia si jejunaverit et compleverit quod illi mandatum est a sacerdote, purificabitur a peccatis. Quod si iterum ad pristinam consuetudinem peccati reversus fuerit, sic est quomodo *canis, qui revertitur ad vomitum proprium* (*Prov.* XXVI). Omnis itaque pœnitens, non hoc solum debet jejunare quod illi mandatum est a sacerdote, verum etiam postquam compleverit ea quæ illi jussa sunt, debet quantum ipsi visum fuerit jejunare. Si enim egerit ea quæ illi sacerdos præceperit, illa peccata tantum quæ confessus est remittentur. Si vero postea ex sua voluntate jejunaverit, mercedem sibi acquiret et regnum cœlorum. Qui ergo totam septimanam jejunat pro peccatis, Sabbato et Dominica die manducet et bibat quidquid ei appositum fuerit. Custodiat tamen se a crapula et ebrietate. Quia omnis luxuria de ebrietate nascitur. Ideo beatus Paulus prohibuit, dicens : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V), non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate.

CAP. 51. — *Ut quotiescunque aliqui ad pœnitentiam accesserint, sacerdotes jejuniis et orationibus cum eis communicare debeant. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Quotiescunque Christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, et nos communicare cum eis debemus in jejunio unam aut duas septimanas, aut quantum possumus, ut non dicatur nobis, quod sacerdotibus Judæorum dictum est a Domino : *Væ vobis legis peritis, qui aggravatis homines, et imponitis super humeros eorum onera gravia, et importabilia, ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas* (*Luc.* XI). Nemo enim potest sublevare cadentem sub pondere, nisi inclinaverit se, ut porrigat ei manum. Neque ullus medicorum vulnera infirmantium potest curare, nisi fetoribus fuerit particeps. Ita quoque nullus sacerdotum vel pontifex peccatorum vulnera curare potest, aut animabus peccata auferre, nisi præstante sollicitudine et oratione lacrymarum. Necesse est ergo, vos fratres charissimi, sollicitos esse pro peccantibus, quia simus alterutrum membra. Ideoque et nos si viderimus aliquem in peccatis jacentem, festinemus eum ad pœnitentiam per nostram doctrinam revocare, et quotiescunque dederis consilium peccanti; simul quoque da illi pœnitentiam statim, quantum debeat jejunare, aut eleemosynis redimere peccata sua, ne forte obliviscaris quæ tibi jam dixerat, et iterum tibi necesse sit interrogare, et forsitan erubescat iterum peccata sua confiteri, et invenietur jam amplius judicari.

CAP. 52. — *Quod contingat hominem interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccare. Ex concilio Cabillonensi* II, *cap.* 52.

Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut et ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus itaque est peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat, quia aut cogitatione, aut (quod est gravius) opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, et cæteræ hujusmodi animæ pestes tanto periculosius lædunt quanto subtilius serpunt.

CAP. 53. — *De incestis occulte commissis. Ex dictis August.*

Si quis incestum occulte commiserit, et sacerdoti occulte confessionem egerit, indicetur ei remedium canonicum [canonum] quod subire debuisset,

(126) Id habes in præfatione Pœnitentiarii illius cujus supra meminimus ad cap. 23

Introdusă în format electronic de Google

si ejus facinus publicatum fusset. Verum quia latet commissum, detur ei a sacerdote consilium, ut saluti animæ suæ pro occulta pœnitentia proficiat, hoc est, ut veraciter ex corde se graviter deliquisse confiteatur, et per jejunia et eleemosynas, vigilias atque sacras orationes cum lacrymis se purgare contendat, et sic se ad spem veniæ pro misericordia Dei pervenire confidat.

Cap. 54. — *Quod inter publice et absconse pœnitentes discretio observanda sit. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 21 (*concil. Remens. c.* 31, *et Cabil.* II, *c.* 38).

Ut discretio servanda sit inter pœnitentes, qui publice, et qui absconse pœnitere debeant.

Cap. 55. — *Ut ex corde pœnitentem magna exhilaratione sacerdotes suscipiant. Ex dictis Basilii episcopi* (*in Reg. brev. resp. ad inter.* 8).

(26. *q.* 7, *c. Pœnitentem.*) Pœnitentem ex corde ita oportet suscipi, sicut Dominus ostendit, cum dicit, quia convocavit amicos suos et vicinos dicens : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quam perdideram* (*Luc.* XV).

Cap. 56, — *De his qui jam cessaverunt peccare, et perfecte pœnituerunt, ut communio eis in ipsa pœnitentia concedatur. Ex conc. Laodicensi, cap.* 2.

(26, *q.* 7, *c. His qui.*) De his qui facinoribus diversis peccaverunt, et perseverantes in oratione [confessionis et pœnitentiæ, *inser. in orig.*], conversionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus post pœnitentiæ tempus impensum propter clementiam et bonitatem Dei communio concedatur.

Cap. 57. — *De lapsis in ordinibus sacris, si restaurari possint. Augustinus ad Petrum Diaconum de fide scribens, ait* (*cap.* 3) :

Omni homini in hac vita esse potest utilis pœnitentia, quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, et pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio, dicens : Si conversus fueris, et ingemueris salvus eris (*Isai.* XXX). Et alio loco dicitur. *Fili, peccasti, ne adjicias iterum, sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur* (*Eccli.* XXI). Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat, cui Deus in persona beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens : *Quæ alligaveris super terram, erunt ligata et in cælis ; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cælis* (*Matth.* XVI). In quacunque igitur ætate homo veram peccatorum suorum egerit pœnitentiam, et vitam suam, Deo illuminante, correxerit, non privabitur munere indulgentiæ, quia Deus, sicut per prophetam dicit, non vult mortem peccatoris, quantum A ut revertatur a via sua mala, et vivat anima ejus (*Ezech.* XXXIII). Verumtamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque nostrum sancta Scriptura benigne præmonet, dicens : *Ne tardaveris converti ad Dominum, et ne differas de die in diem ; subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli.* V). Dicit etiam beatus David : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare* B *corda vestra* (*Psal.* XCIV). Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis : *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, se adhortumini vosmetipsos per singulos dies, nec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati* (*Hebr.* III). Obdurato ergo vivit corde qui se non convertit, desperans de indulgentia peccatorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum criminum perversitate remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis, scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas justissimi judicis, quæ non dimiserit misericordia cle- C mentissimi Redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit, absolvitque conversos, ita justitia repellet et puniet obduratos. Hi sunt, qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum (*Matth.* XII). *Hactenus August.* Nam et de hoc Isidorus Hispalensis episcopus ad inquisitionem Massonis episcopi, ita rescripsit, dicens (*dist.* 50, *Domino sancto*) : « Verum quod sequenter in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in hujusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. » Hæc diversitas hoc modo distinguitur. D Illos enim ad pristinos officii gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi, qui neque a vitio corruptionis [correpti, *or.*, corporis *Grat.*] emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia ut necesse sit illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiam, reconciliationem meruerunt divinæ pietatis ; hi non immerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. Id autem ne forte magis

Introdusă în format electronic de Google

ambiguum sit, divinæ auctoritatis sententia confirmetur, Ezechiel enim propheta sub typo prævaricatricis Hierusalem ostendit post pœnitentiæ satisfactionem pristinum restaurari posse honorem : *Confundere*, inquit, *o Juda, et porta ignominiam tuam* (*Ezech.* XVI). Et post paululum : Et tu, inquit, et filiæ tuæ revertimini ad antiquitatem vestram [ab iniquitate vestra]. (*Ibid.*) Quod dixit : *Confundere*, ostendit post confusionis, id est, peccati opus debere quemque erubescere, et [post confessionem, *insereur in or.*] pro admissis sceleribus verecundam frontem humi prostratam demergere, pro eo quod dignum confusionis perpetraverat opus. Deinde præcepit ut portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate quod peccaverat. Sicque revocari secundum prophetam ad priorem statum poterit.

CAP. 58. — *Quod anima multis gentibus nobilior, et multis urbibus pretiosior sit, ideoque si lapsa fuerit, admodum deflendam. Excerptum de libro S. Joannis Constantinopolitani ad Theodorum, cap.* 59 (127).

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum (*Jer.* IX), opportunius multo nunc a me, quam tunc a propheta Dei, dicitur? Licet enim non urbes multæ, nec gens integra lamentanda sit, anima tamen flenda est, multis gentibus nobilior multisque urbibus pretiosior. Nam si unus, qui fecerit voluntatem Dei melior est quam multitudo iniquorum (*Eccl.* XVI), melior ergo et tu eras quondam quam multitudines Judæorum. Propter quod nemo miretur, si forte prolixioribus ego nunc utar lamentationibus, et amariores profundam fletus, quam tunc propheta profudit. Non enim urbis (ut dixi) captæ excidia defleo, nec vilis vulgi captivitatem lamentor, sed insignis animæ lapsum, et templi in quo Christus habitabat, excidium. Hæc enim lamentatio insignis animæ, quam ego defleo, tanto est illa durior et amarior quanto et verior. *Paulo post.* Inde utique est quod ego irremediabiliter plango, quia novi, et incessabiliter lugeo dum recordor, usquequo iterum te tripudiare [repedare] videam ad prioris gloriæ statum. Quod etsi apud homines impossibile videtur, apud Dominum tamen omnia possibilia sunt (*Luc.* I). Ipse est enim qui allevat de terra *inopem, et de stercore* erigit *pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui.* Ipse est *qui sterilem facit matrem* super filios *lætantem* (*Psal.* CXII). Non ergo dubites, neque desperes mutari te posse in melius. Si enim tantum potuit diabolus, ut a celsis virtutum fastigiis in profundum te duceret malorum, quanto magis poterit Deus ad bonorum verticem revocare, et non solum in id te restituere, quod fuisti, sed beatiorem multo quam prius videbaris efficere! Tantum ne concidas animo, neque spem abscidas bonorum. Ne quæso te, ne accidat tibi quod impiis solet. Non enim peccatorum multitudo in desperationem adducit animam, sed impietas. Impiorum ergo est desperare salutem, non peccatorum. *Hæc aliunde petita sunt.* Unde divina misericordia pollicetur, dicens : *Gaudium erit in cælo coram angelis Dei super uno peccatore* (*Luc.* XV). *Et post pauca.* Stantibus, si ceciderint, minatur pœnam Dominus; lapsis, ut surgere appetant, promittit misericordiam. Illos terret, ne præsumant in bonis; illos refovet, ne desperent in malis. (*De pœn. homil.* 80, *ad pop. Antioch.*) Justus es? iram pertimesce, ne corruas. Peccator es? præsume de misericordia, ut surgas. (*Ex super. lib. ad Theod.*) Et sicut lapsus [lapis] gravissimus cervicibus animæ incumbens, eam semper deorsum in terram cogit aspicere, ad Deum vero sursum non sinit oculos levare, sic virilis est animi, ducere a cervicibus animæ suæ pondus, ut canat cum propheta Domino : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum, donec misereatur nostri* (*Psal.* CXXII). *Post pauca.* Etenim mulier illa, quæ in Evangeliis drachmam quam perdiderat, invenit, convocat amicas et vicinas, ut congratulentur ei (*Luc.* XV). Et ego convocabo amicos tuos, meosque et vicinos nostros, deprecabor eos convenire, non ut gaudeant, sed ut lugeant mecum, nec ut gratulentur, sed ut lamententur, et ingentem planctum sublevatis ad cœlum una mecum vocibus reddant, dicendo ad eos : Ululate mecum, amici, plangite, et profundite fontes fletuum : non quia auri pondus immensum, nec talenta auri perdiderim, sed quia horum omnium charior, et omni auro, omnique gemmarum nobilitate pretiosior amicus, nescio quomodo lapsus, usque in idipsum fertur perditionis profundum. *Post aliquot paginas non ita procul ab epilogo prioris parænesis.* Noli desperare de lapsu, ne cadas; qui enim alium desperat, habet veniam; qui vero desperaverit semetipsum, nullam, quia ille non est dominus mentis alterius. *Aliquanto inferius, sed præter diversam translationem nonnullis etiam immutatis.* Sicut ergo et anima, si semel salutem suam cœperit desperare, jam nec intelligit quomodo vel in quæ mala præcipitetur, ita et qui desperatione capti sunt, intolerabiles fiunt, et per omnes malitiæ vias discurrunt. Exsurge, exsurge, quæso, expergiscere aliquando, et diabolicam hanc depone temulentiam. Parce cunctis, qui pro tua desperatione desperant, ne putent se viam virtutis incedere, si te ad eam redisse non videant. Respice, quæso te, quantus nunc mœror omnium sanctorum fratrum habeat chorum, et quanta lætitia atque exsultatio incredulis fiat, quantaque eis ad præcipitia luxuriæ decrescat [de te crescat] auctoritas. Nec erit post hæc aliquis, qui quolibet lapsu dejectus non statim resurgere cupiat, et statim se reparare festinet.

CAP. 59. — *Quod nullus a consolatione vulnerati*

(127) Tomo V, ex parænesi ad Theodorum lapsum, nisi quod hæc vetus est translatio. Porro numerum hunc capitis referendum puto ad Pœnitentiarium, ex quo hæc videntur desumpta.

Introdusă în format electronic de Google

fratris se subtrahere debeat. Item Joannis Constantinopolitani ad eumdem Theodorum De lapsu Baccharii, cap. 60 (128).

Ubi est misericordia Christianæ religionis, quam magister noster sacrificio docuit esse meliorem? (*Matth.* IX.) Ecce jacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitans, et vos quasi sine vulnere revertimini, nec consolationem plagæ illius deferre tentatis. Nolite esse sine formidine, fratres, fortiorem percussit inimicus, ut facilior ei aditus esset ad reliquos. Ut quid ergo spernitis vulneratum, aut sicut putatis et mortuum? Melior concubina Saul filia Respha (129), quæ corpora defunctorum, quos David pro Gabaonitarum ultione percusserat, eousque accincta sacco, hoc est cilicio, custodivit, *donec* eis roraret *aqua de cælo* (*II Reg.* XXI), id est, B donec pro venia eorum misericordiæ cœlestis scintilla defluxerat [stilla defluret]. Melior fuit ille Judas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos damnata de Jamnia civitate idolorum dona prostraverant (*II Mach.* XII). Ut quid rogo medicus noster inter librorum suorum loculos tot constituit genera pigmentorum, si nihil est ex emplastris ejus quo sanari possit vulnus, quod percussit inimicus? Et si placet, aperiamus scholam medicinæ nostræ, et a principio canonis vulnerum ac medicaminum species perquiramus. Ecce in ipsius introitu scholæ, occurrunt illi seminis carnalis auctores, qui venenato serpentis dente percussi, non statim pœnæ mortis addicti sunt, sed ejecti de paradisi deliciis, id est, C de Ecclesiæ libertate et sacri communione mysterii [ministerii].

CAP. 60. — *De eadem re. Ex epistola Joannis Constantinopolitani ad Theodorum.*

Unde vides quia peccati contagione maculamur? Ne, quæso, beatissime mi, fratrem nostrum, in profundum putei sub iniqui principis potestate demersum, desperationis lapidibus obruamus. Imitemur illum Æthiopem qui sanctum Jeremiam in lacu ab iniquo rege demersum, assumptis 30 hominum auxiliis, et missis ad eum pannis et funibus veteribus, liberavit (*Jer.* XXXVIII). Facilis esto ad lapsum ruinamque miserorum. Porrige manum jacenti fratri, qui confusus pudore peccati nec erigere se, D aut oculos audet attollere. Comple legem Moysi: Cecidit asinus fratris sub pondere, hoc est, caro evicta peccato, acclina te, et humilia, et subleva de ruina (*Deut.* XXII). Quid erubescis conjungi homini peccatori? Respice illum, qui dicit: Noli nimium esse justus (*Eccli.* XVII). Magister noster a latronibus vulneratum, non solum cura dignum judicat, verum etiam ad stabulum suum et ovile perduxit (*Luc.* X). Et tu ergo collige fratrem, quem diabolus atro percussit. Consigna stabulario, id est beato episcopo, qui si aliquid in eo impenderit, amplius a Domino consequetur.

(128) Nisi mentitur inscriptio mutila est parænesis ad Theodorum.

(129) *Locus corruptus, forte sic restituendus*: Melior Respha filia Ahia concubina Saul.

CAP. 61. — *De eadem re. Ex epistola ejusdem Joannis Constantin. ad Theodorum* (130).

Evangelicus sermo dixit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum* solus. *Si te audierit, lucratus es* eum (*Matth.* XVIII), et cætera quæ continet sermo præcepti. Vide quid dicat: Ne exhilarentur filii incircumcisorum (*II Reg.* I). Filii enim incircumcisorum sunt homines sæculi, in præputii sui errore et gentilitate viventes. Hi ergo exhilarantur, cum audiunt ruinam militis Christi. Peccatum igitur celetur, et adhibeatur emendatio. Nos autem consolationis linteamina, et cœlestis spei pigmenta tribuamus. Ipse autem infra sepulchrum secreti sui confessus, peccati pudore contineatur, ubi conscientiæ verme laceretur, qui totas in eo obliviat [oblingat] putredines peccatorum, donec nullum ex se fetorem famæ turpis emittat.

CAP. 62. — *De eadem re. Item ex epistola ejusdem Joannis ad Theodorum* (131).

Qualiter rogo de misericordia Dei possumus desperare, qui etiam Pharaonem arguit, quare nequaquam pœnitere dignatus sit, dicens: Brachia Pharaonis regis Ægypti contrivi, et non est deprecatus ut daretur in eo sanitas, et redderetur ei virtus ad comprehendendum gladium? (*Ezech.* XXX.) Salomon ille mirabilis, qui meruit astritici Dei, hoc est, sapientiæ Dei copulari (*Sap.* IX), in alienigenarum incurrit amplexus, et vinculo libidinis laqueatus, etiam sacrilegii horrore se polluit, quia simulacrum Camos Moabitico idolo fabricavit (*III Reg.* XI). Sed quia per propheticam vocem culpam erroris agnovit, nunquam misericordiæ cœlestis extorris est. At forsitan dicas: In neutro Testamento lego, neque eum pœnituisse, neque misericordiam consecutum, etc.

CAP. 63. — *De eadem re. Ex decretis Siricii papæ, cap.* 14 (*ep.* 1 *ad Himerium, c.* 14).

(*Dist.* 50, *c. Illud quoque.*) Illud quoque nos par fuit prævidere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur [solemniter non conceditur, etc.] clericorum, ita et post pœnitentiam ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci. Quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerant vasa vitiorum.

CAP. 64. — *De eadem re. Ex decretis Gelasii papæ, cap.* 17 (*ep.* 1 *ad epis. per Lucaniam, c.* 20).

Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submota, non solum de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed, nec aliqua correctione penitus succedente, ad divinum ministerium honoremque contendere. Nonnullos autem in ipsis ordinibus constitutos, gravibus delinquentes facinoribus non repelli, cum et Apostolus clamet: Nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis

(130) Nec hoc ibi reperitur.

(131) Et hæc desiderantur

Introdusă în format electronic de Google

(*I Tim.* v), et majorum veneranda constituta pronuntient, hujusmodi etiam, si forte subrepserint, tam qui ante peccaverunt, dejectos oportere depelli, quam sacræ professionis [promissionis] oblitos, prævaricatoresque sancti propositi, procul dubio submovendos (*Nicæni conc., c.* 9 *et* 10).

Cap. 65. — *De illis qui loca sanctorum sub prætextu religionis inconsulte peragrant. Ex concilio Cabillonensi, cui interfuit Carolus rex, cap.* 45 (*conc. Cabil.* II).

Nam et a quibusdam qui Romam, Turonumve et alia quædam loca sub prætextu orationis inconsulte peragrant, plurimum erratur. Sunt presbyter et diacones, et cæteri in clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, et ministerio suo fungi debere, si prædicta loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant impune se aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum qui acquirendi census gratia sub prætextu Romani sive Turonici itineris multa acquirunt [conquirunt], multos pauperes opprimunt, et quod sola cupiditate faciunt, orationum sive sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant. Sunt pauperes qui vel ideo id faciunt ut majorem habeant materiam mendicandi, de quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illo se pergere mentiuntur, vel quia tantum sunt vecordes ut putent se sanctorum locorum sola invisione a peccatis purgari, non attendentes quod ait beatus Hieronymus (*ep. ad Paul., cujus init. :* Bonus homo) : « Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. » De quibus omnibus imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia exspectetur. Qui vero peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parœciis, confessi sunt, et ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo eleemosynas largiendo, mores componendo, vitam emendando, apostolorum limina, vel quorumlibet sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.

Cap. 66.—*De omni peccatore, quod quoties ceciderit, toties resurgere debeat. Ex dictis Zosii cujusdam eremitæ.*

Dum quidam frater abbatem Zosium tali sermone frequenter requireret, dicens : « Quid faciam, pater, quoniam cecidi? » Ille respondit : « Surge, inquit. » Illo vero, se exsurrexisse, et iterum cecidisse professo, respondit : « Iterum adhuc surge. » Cum autem frater se frequenter surrexisse et frequenter cecidisse narraret, eodem vero senex utebatur sermone, exclamans : « Ne desistas surgendo. » Cui frater ait : « Usquequo possum surgere, pater, explana. » Senex dixit : « Usquequo aut in bono opere, aut in malo deprehensus [depressus] occumbas. In quo enim opere fuerit homo deprehensus [depressus] in eo judicabitur.

Cap. 67. — *Quod justum sit Dei homini, quod se reprehendat. Ex dictis Pimenis cujusdam eremitæ.*

Quidam frater requisivit abbatem Pimenem, dicens : « Quid est, pater, quod dicit Apostolus : *Omnia munda mundis?* » (*Tit.* I.) At ille dixit ei : « Si quis ad hunc sermonem pervenire potuerit, ut eum intelligat, videbit se minorem esse totius creaturæ. » Cui frater : « Et quomodo possum minorem me videre ab eo qui homicida est? » Respondit senex : « Si potuerit homo ad hunc sermonem Apostoli pervenire, et viderit hominem qui forte occidit alium, dicit in semetipso : Iste quidem hoc solum fecit, ego autem omni hora homicidium committo, me ipsum interficiens. » Et cum frater requireret quomodo posset fieri, respondit : « Hæc sola est hominis justitia, ut semetipsum reprehendat. » Tunc enim justus est, cum sua peccata condemnat.

Cap. 68.—*Ut nullus fratrem condemnet antequam Deus illum dijudicet. Ex dictis cujusdam eremitæ.*

Venit aliquando abbas Isaac in cœnobio, et vidit illic fratrem negligentem, et iratus jussit eum expelli de cœnobio. Cum ergo regrederetur ad habitaculum suum, venit angelus Domini, et stetit ante ostium cellulæ ejus, dicens : « Non te permitto ingredi. » At ille rogabat ut culpa ejus manifestaretur. Et respondens angelus dixit : « Dominus transmisit me, dicens : Vade, dic Isaac : Ubi jubes ut mittamus illum fratrem qui peccavit? » At ille egit mox pœnitentiam, dicens : « Peccavi, Domine, indulge mihi. » Et dixit ei angelus : « Exsurge, indulget [indulgeat] tibi Dominus, sed ne iterum hoc facias, ut quemquam condemnes, antequam illum Dominus judicet. Tulerunt homines sibi judicium, et non mihi illud dimittunt, dicit Dominus. » Hoc autem dictum est, quia si contigerit de illis perfectis aliquem vel in parvo peccare, non mox perdatur.

Cap. 69. — *Quod justa obedientia justis muneribus remuneretur. Ex dictis ejusdem.*

Quidam ex Patribus, in exstasi positus, vidit quatuor ordines ante Deum; et primus quidem ordo erat hominum infirmantium, et gratias agentium Deo. Secundus vero erat eorum qui hospitalitatem sectantur, et in hoc ministrant. Tertius autem illorum qui solitudinem sectantur [sectantur, et non vident homines]. Quartus vero eorum qui propter Deum in obedientia subjecti sunt Patribus. Erat ergo illis tribus ordinibus hic ordo superior qui obedientiam exhibebat, et habebat torquem auream, et majorem gloriam præ cæteris possidebat. Dicit autem senex ei qui sibi hoc in exstasi demonstrabat : « Quare hic ordo quartus majorem cæteris gloriam habet? » Ille autem respondit ei dicens : « Quia isti alii omnes habent aliquam requiem ad implendas proprias voluntates [adimplendo quamvis in bonis operibus proprias, etc.]. Hic ergo qui obedientiam exercet omnes voluntates relinquens, totus pendet in voluntate patris jubentis, et ideo majorem gloriam præ cæteris est sortitus.

Cap. 70. — *De illis qui ex industria peccant, et promittunt sibi quamdam impunitatem peccandi,*

Introdusă în format electronic de Google

propter largitionem eleemosynarum. Ex concilio Cabillonensi, cap. 36 (*conc. Cabil.* II).

Sed nec hoc prætereundum putavimus quod quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem quamdam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim exstinguit peccata, juxta illud : *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna* exstinguit peccata (*Eccli.* III), sed ea quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea vero quæ ex industria ad cujuslibet libidinem explendam ideirco fiunt, ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt, quia qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo quis ideirco peccare debet, ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim et corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio et contritio debet reducere ad veniam.

Cap. 71.—*De his qui peracta pœnitentia ad pristina redeunt volutabra. Ex decretis Siricii papæ, cap.* 10 (*ep.* 1 *ad Himerium, ep. c.* 5).

(33, *q.* 2, *c. De his vero.*) De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui, acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et ad volutabra redeuntes (*Prov.* XXVI; *II Petr.* II), et militiæ cingulum, et ludicras voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetiere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur. Sacræ ministeriorum celebritati (quamvis non mereantur) intersint : a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correcti, et ipsi sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur; quibus tamen, quoniam carnali fragilitate cecciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam et circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.

Cap. 72. — *De pœnitente femina, quæ, defuncto viro, alii nubere præsumpserit. Ex concilio* II *Arelatensi, cap.* 3 (*cap.* 21).

Pœnitentes feminæ, quæ defunctis viris aliis nubere præsumpserint, vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceantur. Hæc etiam de viris in pœnitentia positis placuit observari.

Cap. 73. — *Quod in danda pœnitentia nulla sit personarum acceptio. Ex concilio* II *Cabillon., cap.* 34, *cui interfuit Carolus rex.*

Quia igitur, Apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, et in omnibus judiciis cavenda est (*Rom.* II ; *Ephes.* VI ; *Col.* III; *Act.* X), multo magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus sacerdotum unquam aut gratia, aut odio alicujus personæ secus judicet quam quod in canonibus sacris invenerit, aut quod illi secundum sanctarum Scripturarum auctoritatem, et ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam, propter personæ cujuslibet acceptionem, his quos sanare cupiunt cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multo magis his observandum est qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis et mortificatione corporis. *Cor* autem *contritum et humiliatum Deus non* despicit (*Psal.* L).

Cap. 74. — *De illis qui peccata sua sine condigna pœnitentia sibi relaxari arbitrantur. Ex dictis August.*

Quisquis ergo malorum operum sine condigna pœnitentia quemquam veniam a Deo percipere posse dixerit, penitus errat, et cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est, proprii erroris et alienæ deceptionis.

Cap. 75. — *Quod tandin laborare quisque debeat, donec possideat Christum. Ex dictis Gregorii.*

Usque tunc laborare debet homo, usquequo possideat Christum. Qui autem semel illum adeptus fuerit, jam non laboret. Permittit tamen Dominus laborare electos suos, ut rememorent tribulationum labores, unde semetipsos custodiant, timentes ne tantos labores amittant. Nam et filios Israel ideo Deus per desertum quadraginta annis circumduxit, ut, rememoratis tribulationibus, non redirent retrorsum.

Cap. 76. — *Ut nullus episcopus seu presbyter alterius pœnitentem sine litteris sui episcopi suscipiat. Ex epistola Felicis papæ, cap.* 2 (3 *ep. decretalis, c.*6).

Curandum vero maxime, et omni cautela providendum, ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius civitate, vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixit, sine episcopi vel presbyteri testimonio et litteris, ad cujus pertinet parœciam, suscipiat.

Cap. 77. — *Quod pœnitentes secundum canones, nisi peracta pœnitentia, communicare non debeant. Ex dictis Pii papæ, cap.* 10.

Pœnitentes non debent communicare ante consummationem pœnitentiæ.

Cap. 78. — *Quod pro ethnico et publicano sit habendus, qui pro peccato commisso pœnitere noluerit. Ex dictis August.*

(26, *q.* 7, *c. Erga eum.*) Erga eum qui pro peccato commisso non pœnitet, tales esse debemus, sicut Dominus præcepit dicens : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Et sicut Apostolus jubet : Subtrahite *vos*, inquit, *ab omni fratre inordinate ambulante, et non secundum traditionem quam* tradidi vobis (*II Thes.* III).

Cap. 79. — *Quod a licitis se abstinere debeat, qui illicita se commisisse meminerit. Ex dictis Gregorii papæ (hom.* 20).

Qui se illicita meminit commisisse, a licitis etiam studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo

Introdusă în format electronic de Google

satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa.

Cap. 80. — *Quod nulli post pœnitentiæ actionem ad militiam sæcularem redire liceat. Ex epistola Leonis papæ, cap.* 25 (*ep.* 92, *c.* 10 *De pœniten.*).

(*Dist.* 5, *c. Contrarium vero.*) Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat : *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis* (*II Tim.* II). Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

Cap. 81. — *De eadem re. Ex concilio* II *Arelatensi, cap.* 3 (*cap.* 2).

(*Dist.* 50, *c. Hi qui.*) Ili qui post sanctæ religionis [Si qui post sanctum religionis, etc.] propositum apostatant, et ad sæculum redeunt, et postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, communionem non accipiant sine pœnitentia, quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti, et quicunque ille est, post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat. Quod si præsumpserit, alienus ab Ecclesia habeatur.

Cap. 82. — *Quod nullus religiosus et sanctus careat peccato. Ex dictis August.* (*De eccles. dogm., c.* 86).

Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ viribus, sed propositi adjumento per gratiam Dei acquirimus sanctitatem, et ideo veraciter se omnes sancti pronuntiant peccatores, quia in veritate habent quod plangant, et si non reprehensione conscientiæ, certe mutabilitate et mobilitate prævaricatricis naturæ.

Cap. 83. — *Quod pœnitentes a conviviis et ornamentis abstinere debeant. Ex decretis Lucii papæ, cap.* 5.

Quod pœnitentes a conviviis et ornamentis atque variis veste abstinere debeant, et discordes pellantur ab ecclesia donec ad pacem redeant.

Cap. 84. — *Ut presbyter pœnitentes non reconciliet, nisi episcopus suus jubeat. Ex concilio Africano, cap.* 30 (*cap.* 10, *et Carth.* III, *c.* 32).

(26, *q.* 6, *c. Presbyter.*) Ut presbyter non interrogato [inconsulto, *orig.*] episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi, absentia episcopi, necessitate compellente.

Cap. 85. — *Quod ordinati in gravioribus peccatis deprehensi, non manus impositionem, ut laici, accipere debeant. Ex concilio* V *Carthaginensi, cap.* XXVII.

(*Dist.* 50, *c. Confirmatum est.*) Item confirmatum est ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur, neque unquam permittendum ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

Cap. 86. — *De clericis qui corporali delicto delinquunt, si restaurari possint. Ex epistola Isidori ad Masonem.*

(132) Nulla est in hujusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum nequaquam reparandum prioris ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officii gradus redire præcepit canon, quos pœnitentiæ præcesserit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi qui neque a vitio corporis emendantur, et hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiant.

Cap. 87. — *De his qui altario Dei serviunt, si subito flenda carnis fragilitate corruerint. Ex conc. Ilerdensi, cap.* 5.

(*Dist.* 50 *et* 15 *c. Hi qui altario.*) Hi qui altario Dei serviunt, si subito flenda carnis fragilitate corruerint, et Domino respiciente digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare. Ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si iterato, velut canes, ad vomitum reversi fuerint, et velut sues, in volutabris immersi fuerint (*Prov.* XXVI; *II Pet.* II), non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem non nisi in exitu percipiant.

Cap. 88. — *Quod conjugati in Quadragesima abstinere debeant ab uxoribus. Ex conc. Eliberitano, c.* 5 (*in fragm.*).

Qui in Quadragesima ante Pascha cognoverit uxorem suam, et noluerit abstinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium videlicet 25 solidorum ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem et sine consuetudine acciderit, 40 dies pœniteat.

Cap. 89. — *De illis qui in Quadragesimæ diebus carnem manducare præsumunt. Ex conc. Tolet.* VIII, *cap.* 9.

Quicunque sive inevitabili necessitate atque fragilitate, et evidenti languore seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium attentare præsumpserit, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut in ipsius anni circulo ab omni esu carnium abstineat, quia sacris diebus abstinentiæ disciplinam oblitus est.

Cap. 90. — *De fratre peccante non ad mortem. Ex Epistola Joannis evangelistæ* (*I Joan.* V)

Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, postulet pro eo, et dabit ei vitam Deus. Si quis

(132) Habetur supra c. 57, et citatur dist. 50, *Domino sancto.*

Introdusă în format electronic de Google

usque ad mortem peccat, quia est peccatum usque ad mortem, non pro eo dico ut quis roget.

Cap. 91: — *Quod difficile sit graviter peccanti sub gradu, manere in gradu. Ex dictis Hieronymi.*

Quicunque dignitatem gradus divini non custodiunt, contenti fiant animam salvare. Reverti enim in eum gradum in quo antea fuerant difficile est.

Cap. 92. — *De eadem re. Item ejusdem.*

Qui sub gradu peccat, debet excommunicari, quia magna est dignitas hujus nominis. Tamen potest redimere animam suam post pœnitentiam; ad priorem enim gradum venire difficile est.

Cap. 93. — *De eadem re. Ex dictis Augustini.*

Qui sub gradu cecidit post pœnitentiam, contentus fiat baptizare, communionem dare infirmis, et altario tantummodo ministrare.

Cap. 94. — *De eadem re. Ex dictis Isidori.*

Isidorus in angelo Ephesi præposito (*Apoc.* II) sacerdotem ostendit, juxta Malachiam qui dicit: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II). Candelabrum enim sacerdotis, quia charismata intelliguntur honoris, tunc penitus juxta Joannem movetur, quando post delicta, neglecta pœnitentia, admissa scelera non deflentur. Non enim dicit quia cecidisti, movebo candelabrum tuum; sed, nisi pœnitentiam egeris, movebo candelabrum tuum.

Cap. 95. — *Quod post 7 annos pœnitentem sacerdotem censura canonum in pristinum statum remeare præcipiat. Item Isidorus.*

Canonum censura post septem annos remeare pœnitentem sacerdotem in statum pristinum præcipit, non expletione proprii arbitrii, sed potius ex sententia divini judicii. Nam legitur quia Maria soror Aaron prophetissa dum obtrectationis adversus Moysen incurrisset delictum, illico stigmate lepræ percussa est. Cumque petisset Moysen [Moyses], ut emundaretur, Dominus præcepit eam extra castra egredi septem diebus, et post emundationem rursus eam castris reverti (*Num.* XII). Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita, sordidissimis corruptionum maculatur erroribus, moretur extra castra septem diebus, id est a collegio sanctæ Ecclesiæ septem annis projiciatur, quibus post emendationem vitiorum [vitæ] expletis, loci, sive pristinæ dignitatis recipiat meritum.

Cap. 96. — *De illis qui scabiem aut vermiculos comedunt, vel urinam bibunt. Ex Pœnitentiali Bedæ.*

Qui comedit scabiem aut vermiculos qui pediculi dicuntur, vel urinam bibit, sive stercora comedit, si infantes sunt vel pueri, vapulent; si in virili ætate, septem dies pœniteant, et utrique cum impositione manus episcopi sanentur.

Cap. 97. — *De illis qui animalia a bestiis dilacerata, vel laqueis strangulata comedunt. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Animalia quæ a lupis seu a canibus lacerantur, nor sunt comedenda, nec cervus nec capreus, si mortui inventi fuerint, nisi forte ab homine adhuc viva occidantur prius, sed porcis et canibus dentur. Aves vero, et animalia cætera, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda, nec si oppresserit accipiter, et si sic mortua inveniuntur, quia in Actibus apostolorum præcipitur abstinere a fornicatione, a sanguine suffocato, et idololatria (*Act.* XV).

Cap. 98. — *De avibus si hominem occiderint. Item ejusdem.*

Apes si occidunt hominem, ipsæ quoque occidi festinentur, mel tamen manducetur.

Cap. 99. — *De porcis et gallinis, si sanguinem hominis comederint. Item ejusdem.*

Si porci vel gallinæ sanguinem hominis comedunt, mox occidantur, et intralia projiciantur, et cætera caro manducetur. Si autem tardatur occisio, non comedatur. Si autem cadavera laceraverint mortuorum, macerentur, et post anni circulum comedantur. Si autem porci occiderint hominem, statim interficiantur et sepeliantur.

Cap. 100. — *De illis qui carnem immundam vel morticinam comedunt. Item ejusdem.*

Qui manducat carnem immundam, aut morticinam, aut dilaceratam a bestiis, 40 dies pœniteat. Si enim necessitate famis contingit, multo levius est.

Cap. 101. — *De illis qui cibum immunda manu tactum comederint, vel si canis, aut aliquod animal immundum cibum tetigerit. Item ejusdem.*

Quod si casu quis immunda manu cibum tangit, vel si canis vel pilax, aut catus, musve aut animal immundum sanguinem hominis edit, non nocet. Et qui pro necessitate famis manducat animal quod immundum videtur, vel avem, vel bestiam, misericorditer pœniteat.

Cap. 102. — *De illis qui sanguine aliquo immundo polluuntur. Item ejusdem.*

Qui sanguine, vel quocunque immundo polluitur, si nescit qui manducat, leve est. Si autem scit, pœniteat juxta modum pollutionis.

Cap. 103. — *De illis qui sanguinem aut semen biberint. Item ejusdem.*

Qui sanguinem aut semen biberit pro aliqua re, tres annos pœniteat.

Cap. 104. — *De piscibus mortuis in flumine inventis. Item ejusdem.*

Piscis mortuus in flumine inventus, non est edendus, quia non est venatio hominis. Si vero piscando tactus fuerit, et ipso die inventus fuerit, qui non hæsitat, manducet; qui autem dubitat, non manducet.

Cap. 105. — *De clericis qui a dæmonio vexantur. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 6.

Si quis clericus vexatus fuerit a dæmonio, decem annos pœniteat, et inter audientes sit, et ad sacros ordines non adducatur. Si bene egerit, et per Dei gratiam [misericordiam] liberatus fuerit, sit in reliquis officiis ecclesiasticis.

Cap. 106. — *De illis qui parentum honorem non servant. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si quis inhonoraverit patrem aut matrem, tres annos pœniteat. Quod si manum levaverit, aut percusserit, septem annos pœniteat.

Cap. 107. — *Quod pœnitenti nulla negotia exer-*

Introdusă în format electronic de Google

cere conveniat. Ex decretis Leonis papæ (ep. 91, c. 9, De pœnit.).

(*Dist. 5, c. Qualitas.*) Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus, et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi. Quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.

Cap. 108. — *Ut sacerdotes nulli pœnitentiam injungant ex corde, sed auctoritate. Ex concil. Maguntiensi, cap.* 24.

Omnibus his actis ventilata est ratio pœnitentiæ, ut sacerdotes certius intelligerent quomodo confessiones recipere, et pœnitentiam secundum canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare [indicere].

Cap. 109. — *Ut unusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat. Ex eodem conc. cap.* 5.

Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut unusquisque presbyter diversitatem illorum sciat, et ab illis, Domino auxiliante, se intelligat custodire, et aliis prædicare.

Cap. 110. — *Ut sacerdotes diligenter examinent confitentium peccata. Ex eodem, cap.* 6.

Ut episcopi et presbyteri examinent qualiter confitentibus peccata dijudicent, et tempus pœnitentiæ constituant.

Cap. 111. — *Ut singuli presbyteri capitula auctoritativa habeant ad succurrendum pœnitentibus. Ex eodem, cap.* 26.

Ut unusquisque presbyter capitula habeat de majoribus et minoribus vitiis, per quæ cognoscere valeat, vel prædicare subditis, ut caveant ab insidiis diaboli.

Cap. 112. — *De presbyteris qui culpas peccantium reticent vel minus digne pœnitentes ad reconciliationem adducunt. Ex decr. Alexandri I papæ (ad calc. decret.)*

Ut nemo presbyterorum xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, imo detrimentum spirituale a quocunque publice [publico vel, *orig.*] peccante, vel incestuoso accipiat, ut episcopo vel ministris ejus peccatum illius reticeat, nec pro respectu cujusque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis alienis communicans peccatis hoc episcopo innotescere detrectet, nec a quoquam pœnitente aut gratiam, aut favorem aut munus suscipere præsumat, aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat, vel quocunque livore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat, quia hoc Simoniacum, et Deo et hominibus contrarium est.

Cap. 113. — *De illis qui truncationes membrorum fecerint. Ex Pœnitentiali Romano.*

Qui per rixam, ictu, debilem vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, et medium annum pœniteat. Si non habuerit unde reddat, unum annum pœniteat. Si laicus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum quantum nocuit, et si non habet unde reddat, solvat in opera proximi, A sui, quandiu ille infirmus est, et postea 40 dies pœniteat in pane et aqua.

Cap. 114. — *De eadem re. Ex Pœnitentiali Bedæ:*

Qui ictum proximo dederit, et non nocuerit, tres dies pœniteat in pane et aqua. Si clericus, annum vel dimidium. Si quis alicui quodlibet membrum voluntate sua [voluntarie] truncaverit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane et aqua. Parvuli invicem se percutientes, tres dies. Si vero adolescentes, viginti dies pœniteant.

Cap. 115. — *De illis qui ducatum præstant, et deprædatores super Christianos ducunt. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si quis præbet ducatum super Christianos, ut deprædentur, et non acciderit strages Christiano- B rum, tres annos pœniteat. Sin vero ejectis [abjectis] armis usque ad mortem mundo mortuus vivat.

Cap. 116. — *De illis qui per amorem venefici fiunt. Ex pœnitentiali Theodori.*

Si quis per amorem venificus fit, et neminem perdiderit, si clericus est, unum annum pœniteat in pane et aqua; si subdiaconus, duos; si diaconus, tres, unum ex his in pane et aqua. Et laicus dimidium annum pœniteat, maxime si per hoc mulieris partum deceperit quisque, tres annos unusquisque superaugeat in pane et aqua, ne homicidii reus sit.

Cap. 117. — *De illis qui hæreticis nescientes se in aliquibus commiscuerint. Ex decr. Eutychiani papæ.*

Si quis dederit vel acceperit communionem de manu hæretici, et nescit quod catholica Ecclesia contradicit, postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, et neglexerit, et postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat; alii judicant septem, et humanius quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum missam celebrare in Ecclesia catholica, et nescit, quadraginta dies pœniteat; si pro reverentia ejus, annum integrum pœniteat; si pro damnatione Ecclesiæ catholicæ et consuetudinis Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam. Si habuerit decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica, in congregationem hæreticorum, et aliis persuaserit, et D postea pœnitentiam egerit, duodecim annos pœniteat, quatuor annos extra ecclesiam, et sex inter auditores, et duos adhuc extra communionem. De his in canone dicitur, ut decimo anno communionem sine oblatione recipiant. Si episcopus aut abbas jubet monacho suo pro hæreticis mortuis missas cantare, non licet, et non expedit obedire eis. Si presbytero contigerit ubi missam cantaverit, et alius recitaverit nomina mortuorum, et simul nominaverit hæreticos cum catholicis, si post missam intellexerit, hebdomada pœniteat; si frequenter fecerit, annum integrum pœniteat. Si quis autem pro morte hæretici missam ordinaverit, et pro religione sua ejus reliquias ibi tenuerit, et nescit differentiam catholicæ fidei, et postea intellexerit, pœnitentiamque ege-

Introdusă în format electronic de Google

rit, reliquias ibi debet igne concremare, et annum A pœniteat. Si autem scit et neglexerit, pœnitentia commotus decem annos pœniteat. Si quis a fide catholica discesserit sine ulla necessitate, et postea ex toto animo pœnitentiam acceperit, tres annos extra ecclesiam, id est, inter audientes, juxta Nicænum concilium (*cap.* 11), septem annos in ecclesiis inter pœnitentes, et duos annos adhuc extra communionem pœniteat.

Cap. 118. — *De illis qui comedunt aut bibunt ab immundis animalibus tactum vel intinctum. Ex Pœnitentiali Romano.*

Qui comedit vel bibit intinctum a familiari bestia, id est cane vel catto, et scit, centum psalmos cantet. Si nescit, duos dies jejunet; vel si redimere voluerit, quinquaginta psalmos cantet. Qui dederit ali- B cui liquorem, in quo mus, vel mustela mortua inventa sunt, si laicus est, septem dies pœniteat. Si in cœnobiis contigerit, trecentos psalmos cantet. Qui postea noverit quod talem potum biberit, centum quinquaginta psalmos cantet. Si quis semicoctum comederit inscius, tres dies pœniteat, vel Psalterium cantet, sciens autem septem dies pœniteat. Pro modico furto 20 dies pœniteat, qui est 20 annorum. Puer qui est decem annorum, aliquid furti faciens, septem dies pœniteat. Si quis tinxerit manum in aliquo cibo liquido, et non idonea manu, 100 palmatis emendetur. Si in farina, aut in aliquo cibo sicco, aut in pulte, aut in lacte coagulato mus vel mustela mortua inveniuntur, quod in circuitu ejus est, totum projicietur foras, quod reliquum est C manducetur.

Cap. 119. — *Quod diabolus internas cogitationes animæ non videat, sed ex motu quandoque corporis intelligat. Ex dictis Augst.* (*De eccles. dogm.*, *c.* 81).

Internas animæ cogitationes diabolum non videre certissimum est, motu vero has corporis ab illo et affectionum indiciis colligi, experimento didicimus; secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur : *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (*II Par.* VI).

Cap. 120. — *De eadem re. Item ejusdem* (*ibid.*, *c.* 82).

Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt; bonæ autem cogitationes semper a Deo sunt.

Cap. 121. — *De illis qui alios in culpa sua defendere nituntur. Item ex dictis ejusdem.*

Reos sanguinis non defendat Ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat.

Cap. 122. — *De eadem re. Ex decretis Eusebii papæ, cap.* 15.

Ut qui alium in culpa sua defendere vel excusare nititur, excommunicetur

Cap. 123. — *Ut pœnitentia conjugatis, non nisi ex consensu detur. Ex concilio Arelatensi* II, *cap.* 6 (*cap.* 22).

Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

Cap. 124. — *Quot modis animæ defunctorum solvi debeant. Ex dictis Gregorii* (*August. lib. De cur. pro mort.*, *c.* 2).

Animæ defunctorum quatuor modis solvuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut jejunio cognatorum.

Cap. 125. — *De nutriendis infirmis. Ex dictis Hieronymi.*

Nutrire infirmos et fovere Christum nihil interest. Nutriendus enim est infirmus, quia Christus infirmum se esse profitetur (*Matth.* XXV).

Cap. 126. — *Quod non noceant mala præterita, si non placeant præsentia. Ex dictis Augustini.*

Non nocent mala præterita, si non placeant præsentia, præcipue si multis eleemosynis sint expiata.

Cap. 127. — *De illis qui hospites recipere neglexerint. Ex Pœnitentiali Romano.*

Quicunque hospites non recipit in domo sua, sicut Dominus præcepit, et propter hoc regna cœlorum promisit (*ibid.*), quanto tempore hospitibus humanitatem denegavit, et mandata evangelica juxta possibilitatem suam non adimplevit, nec pedes lavit, nec eleemosynam dedit, tanto tempore pleniter in pane et aqua, si non emendet, pœniteat.

Cap. 128. — *Ut clerici superflua pauperibus eregant. Ex Pœnitentiali Romano.*

Clericus habens superflua, donet ea pauperibus. Sin autem, post pœniteat tempore quo vivat, in contritione, et in pœnitentia remotus vivat.

Cap. 129. — *De illo qui alicui fratri suum imputat peccatum, priusquam seorsum eum arguerit. Item ex eodem.*

Qui peccatum imputando fratri imponit, priusquam seorsum arguat eum, satisfaciens ei, tres dies pœniteat.

Cap. 130. — *De illis qui diu reticent peccata. Ex pœnitentiali Bedæ.*

Sciendum vero est, quanto quis tempore moratur in peccatis, tanto ei augenda [agenda] est pœnitentia.

Cap. 131. — *De illo qui aliquem in ira percusserit. Ex concilio Rothomagensi, cap.* 9.

Si quis alium per iram percusserit, et sanguinem effuderit; si laicus est, 20 dies pœniteat; clericus, 30. Illi autem qui gradum habent, amplius compelli debent. Diaconus, sex menses; presbyter, unum D annum; episcopus, duos annos et sex menses.

Cap. 132. — *De illis qui ad feriendum hominem surrexerint, volentes eum occidere, sed non potuerunt. Ex Pœnitentiali Romano.*

Qui ad feriendum hominem surrexerit, volens eum occidere, tres hebdomadas pœniteat. Si clericus fuerit, 6 menses. Quod si vulneraverit, 40 dies pœniteat. Si clericus, clericum, annum totum; sed et pecuniam pro modo vulneris cui inflixit tribuat.

Cap. 133. — *De illis qui reticuerint peccatum fratris, quod est ad mortem. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Qui reticuerit delictum fratris quod est usque ad mortem (*I Joannis* V), neque eum corripuerit, juxta regulam evangelicam, primo inter se et ipsum solum, deinde inter alios, deinde ad Ecclesiam culpam

Introdusă în format electronic de Google

referens (*Matth.* XVIII), si necesse fuerit, et quanto tempore fuit, tanto pœniteat.

CAP. 134. — *Quod non licet diacono pœnitentiam dare alicui. Ex Pœnitentiali Romano.*

Non licet diacono alicui dare pœnitentiam, sed episcopus aut presbyter dare debet.

CAP. 135. — *Ut pœnitentia quæ dilata est, cum petita fuerit, non denegetur. Ex decretis Leonis papæ, cap.* 21 (*ep.* 92, *c.* 7, *De pœniten.*).

(*Dist.* 1, *c. Pœnitentia quæ.*) Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde pœnitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.

CAP. 136. — *De illis qui despiciunt eos, qui fideliter agapas fecerint. Ex concilio Gangrensi, cap.* 11.

(*Dist.* 42, *c. Quis despicit.*) Si quis despicit eos qui fideliter agapas, id est convivia pauperibus exhibent, et propter honorem Domini convocant fratres, et noluerit communicare hujuscemodi vocationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit.

CAP. 137. — *De illis qui dicunt se non habere peccata. Ex concilio Africano, cap.* 70 (*cap.* 81, *et conc. Milev. c.* 6).

Item placuit, ut quod ait sanctus Joannes Apostolus : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I), quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim apostolus, et adjungit : *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate* (*ibid.*). Ubi satis apparet hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim dicere apostolus : Si dixerimus, non habemus peccatum, nosmetipsos extollimus, et humilitas in nobis non est. Sed cum ait : *Nosmetipsos decipimus, et veritas in nobis non est*, satis ostendit eum qui dixerit se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

CAP. 138. — *De illis sanctis, qui dicunt in Oratione Dominica :* Dimitte nobis debita nostra. *Ex eodem conc. cap.* 71 (*cap.* 81, *et conc. Milev. c.* 7).

Item placuit ut quicunque dixerit in Oratione Dominica ideo dicere sanctos : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI), ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores; et ideo non dicere unumquemque sanctorum, dimitte mihi peccata mea, sed *dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim et justus erat apostolus Jacobus cum dicebat : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III). Nam quare additum est, *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret et psalmo, ubi legitur : *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Et in oratione sapientissimi Salomonis : *Non est homo qui non peccet* (*III Reg* VIII; *II Paral.* VI; *Eccle.* VII). Et in libro S. Job : In manu omnis hominis signum, ut sciat omnis homo infirmitatem suam (*Job* XXXVII). Unde etiam Daniel sanctus et justus cum in oratione pluraliter diceret : *Peccavimus, iniquitatem fecimus* (*Dan.* IX), et cætera quæ ibi veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur (quemadmodum quidam sentiunt), hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit : *Cum orarem et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Domino Deo meo* (*ibid.*), noluit peccata nostra dicere, sed populi sui dixit et sua, quoniam futuros istos, qui tam male intelligerent, tanquam propheta, prævidit.

CAP. 139. — *De illis qui se affligunt de obitu charorum. Ex epistola Anastasii I papæ, Neriano nobilissimo viro directa.*

Nos autem qui novimus, qui hoc credimus et docemus, contristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis in culpa sit nobis. Nam diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc agere quod quisque prædicator quærit [contra quod quis. præd. queritur. *orig.*] justitiam amans, dicente Apostolo : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent* (*I Thess.* IV). Hac itaque, frater charissime, ratione perspecta, studendum nobis est, ut (sicut diximus) non de mortuis affligamur, sed affectum viventibus impendamus, quibus et pietas ad utilitatem, et sit ad fructum dilectio. Depone ergo, charissime, mœrorem, et assume spiritualem fructum lætitiæ, ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, servorumque ejus profectum, et vitæ hujus quæcunque sunt spatia æternis divinisque officiis illustrare contende, ut qui insignem te præstitit, reddat sibi per sæcula clariorem.

CAP. 140. — *De illis qui sibi ipsis voluntarie mortem inferunt. Ex concilio* I *Bracarensi, cap.* 10 (*cap.* 34).

(23, q. 5, *c. Placuit ut hi.*) Placuit ut hi qui sibi ipsis voluntarie aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam usurparunt. Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.

CAP. 141. — *De eadem re. Ex concilio Cabillonensi, cap.* 5 (*Antisiodor. conc., c.* 17).

Quicunque se propria voluntate aut in aquam dejecerit [jactaverit *orig.*], aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut cuilibet voluntarie se morti tradiderit, istius oblatio non recipiatur (paululum variat *in orig.*).

CAP. 142. — *De illis qui cum infidelibus cibum sumere præsumunt. Ex conc. Eliberitano, cap.* 50.

Si vero clericus vel fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstinere, ut possit emendari.

CAP. 143. — *De illis qui apostatant, et ad idololatriam*

Introdusă în format electronic de Google

se convertunt. Ex eodem conc. (*id habet Siricius papa ep.* 1, *c.* 3).

Actum est etiam quosdam Christianos ad apostasiam (quod dici nefas est) transeuntes et idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos, quos a Christi corpore et sanguine, quo dudum redempti fuerant renascendo, jubemus abscindi, et si resipiscentes forte aliquando fuerint, ad lamenta conversi, his, quandiu vivunt, agenda pœnitentia est, ut in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda, dicente Domino : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII).

Cap. 144. — *De eadem re. Item ex eodem* (*conc. Arelat.* I, *c.* 23).

De his qui apostatant, et raro se ad ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate arrepti, petunt communionem, placuit non dandam eis communionem, nisi revelaverint fidem suam rectam, et egerint [revelaverint, et egerint. *Sic codex concilii*] dignos fructus pœnitentiæ.

Cap. 145. — *De illis qui Christiana mancipia captivaverint. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Si quis aliquem hominem quolibet ingenio captivaverit, aut transmiserit, tribus annis pœniteat.

Cap. 146. — *De illis qui domum, vel aream proximi sui incenderint. Ex Pœnitentiali Romano.*

Si quis domum vel aream cujuscunque voluntarie igne cremaverit, sublata vel incensa omnia restituat, et tribus annis pœnitentiam agat.

Cap. 147. — *De illis qui libidinose obtrectaverint puellam aut mulierem. Ex eodem.*

Si quis obtrectaverit puellæ aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum; si clericus est, quinque dies; si laicus, tres dies pœniteat. Monachus vel sacerdos a ministerio divino suspensi, si aliquid tale fecerint, 20 dies pœniteant. Scriptum est enim : Neque tetigeritis neque obtrectaveritis turpitudinem feminarum.

Cap. 148. — *De illis qui in balneo cum mulieribus se laverint. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Si quis in balneo cum mulieribus se lavare præsumpserit, tres dies pœniteat, et ulterius non præsumat.

Cap. 149. — *De administratione xenodochiæ* [synodochiæ] *et decimæ. De eodem.*

Si quis xenodochias [synodochias] pauperum administrat, vel decimas populi susceperit, et si quis exinde vel suis lucris sectandum aliquid subtraxerit, quasi rerum alienarum invasor, reus [rerum] damnum restituat, et sub canonico judicio reformetur, et agat pœnitentiam annis tribus. Scriptum est enim : Talem dispensatorem Dominus quærit, qui sibi de suis nihil usurpet.

Cap. 150. — *Ut feminæ menstruatæ non offerant.*

Ut mulieres menstruo tempore non offerant, nec sanctimoniales, nec laicæ. Si præsumpserint, tres hebdomadas pœniteant.

Cap. 151. — *De illis feminis quæ ante mundum sanguinem ecclesiam intraverint, et quæ nupserint his diebus. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Mulier quæ intrat ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, si masculum genuerit, 33 dies pœniteat; si feminam, 46. Si qua autem præsumpserit ante tempus præfinitum ecclesiam intrare, tot dies pœniteat in pane et aqua, quot ecclesia carere debuerat. Qui autem concubuerit cum ea his diebus, decem dies pœniteat in pane et aqua.

Cap. 152. — *Quod monachi sæcularibus pœnitentiam dare non debeant. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 22.

Liberi non sunt monachi ad dandam pœnitentiam sæcularibus.

Cap. 153. — *Ut pœnitentes ante peractam pœnitentiam non reconcilientur. Ex eodem concilio, cap.* 23.

Non reconcilientur pœnitentes, si necessitas non coegerit, nisi post actam pœnitentiam.

Cap. 154. — *Ut qui ad confessionem veniunt, primum de livore invidiæ et avaritia interrogentur. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Sane quia de livore invidiæ, et de ira, necnon et de avaritia, ut superius digestum est, oriuntur homicidia, recte (ut arbitror) censuimus de ipso vitio, primum qualiter sacerdotali judicio canonice penitus sit corrigendum ostendere, ac deinde, secundum ordinem vitiorum, ita remedium subsequatur quo facilius undecunque pœnitens purgari voluerit, sine dilatione in singulis capitulis inveniatur.

Cap. 155. — *De illis qui soli Deo peccata sua confitenda esse affirmant. Ex Pœnitentiali Theodori* (*et conc. Cabil.* II, *c.* 33, *De pœniten.*).

(*Dist.* 1, *c. Quidam Deo.*) Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, ut Græci; quidam vero sacerdotibus confitenda esse perecnsent, ut tota sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat ut et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, et hoc perfectorum est, et cum David dicamus : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Sed tamen apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem, ut salvemur (*Jac.* V). Confessio itaque quæ Deo soli fit, quod justorum est, peccata purgat. Ea vero quæ sacerdoti fit docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis et sanitatis auctor et largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administrationem, plerumque medicorum operatione.

Cap. 156. — *De illis qui accipiunt pœnitentiam, et plus desiderant temporis constituti expletionem, quam peccati remissionem. Ex Pœnitent. Bedæ* (*conc. Cabillon.* II, *c.* 35,

Multi (quod non sine dolore dicendum est) in pœnitentia non tam peccati remissionem quam temporis constituti exspectant expletionem. Et si carnium et vini usus eis interdictus est, mutata non voluntate, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, intantum deliciis suis indulgent ut deliciosius his interdictis aliorum ciborum, vel potionum appetitu vivere cognoscantur. Spiritualis autem abstinentia, quæ in pœnitentibus potissimum vigere debet, quorumdam

Introdusă în format electronic de Google

ciborum ac potionum perceptiones [illecebras], et desiderium fugere debet. Ille, inquam, magis parcimoniæ servire censendus est, qui sibi non solum quarumdam rerum perceptiones, sed delectationes corporis penitus interdicit.

Cap. 157. — *Quod secundum canonum et pœnitentialium statuta pœnitentiæ dandæ sunt. Ex conc. Magguntiensi, cap.* 20 (*Cabilonen.* II, *c.* 37).

Cum igitur omnia concilia canonum quæ recipiuntur sint a sacerdotibus legenda et intelligenda, et per ea sit eis vivendum et prædicandum, necessarium duximus ut ea quæ ad fidem pertinent, et ubi de exstirpandis vitiis, et plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur, et bene intelligatur et in populo prædicetur.

Cap. 158. — *Ut nullus injustas mensuras, et pondera injusta, et a civibus non collaudata, lucri causa dare præsumat. Ex eodem conc. cap.* 21.

Ut mensuræ et pondera justa fiant, sicut in divinis legibus sancitum est (*Lev.* XIX; *Prov.* XI *et* XX), et in capitulari Dominico continetur, et iste sacer conventus statuit, sic omnibus nobis observare placet. Et si quis justas mensuras et justa pondera lucri causa mutare præsumpserit, in pane et aqua 20 dies pœniteat.

Cap. 159. — *De matre quæ infantem suum juxta focum posuerit, et sua negligentia mortuus est. Ex concilio Triburiensi, cap.* 14, *cui interfuit Arnulphus rex* (*cap.* 37, *sed aliis verbis*).

Mater si juxta focum infantem posuerit, et alius homo aquam in caldariam miserit, et ebullita aqua infans superfusus mortuus fuerit, pro negligentia mater pœniteat, et ille homo securus sit.

Cap. 160. — *De viris ordinatis, quorum peccata sunt occulta. Ex concilio Toletano.*

De viris ordinatis, quorum occulta peccata sunt, nec manifeste ab aliquo argui possunt; si salubriter compuncti pro peccatis suis confessionem episcopo sive presbytero occulte faciunt, bonum mihi videtur, ut secundum id, quod sibi decretum fuerit, ab episcopo sive presbytero pœnitentiam agant, non tepide nec tarde, sed ferventer et sollicite; ac si se veniam peccatorum a Domino percepturos, et gradum se retenturos confidant.

Cap. 161. — *Ut nullus præsumat pœnitentiam dare vel confessionem audire, nisi episcopus, aut presbyter. Ex Pœnitentiali Romano.*

Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt, sic nec pœnitentiæ judicia alii usurpare debent.

Cap. 162. — *Quod, absente presbytero, liceat diacono suscipere pœnitentes, necessitate tamen cogente. Item ex eodem.*

Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem.

Cap. 163. — *De temporibus quibus se continere debeant conjugati ab uxoribus. Ex concilio Eliberitano.*

In tribus quadragesimis anni, et in die Dominico et in quarta feria, et sexta, conjugales se continere debent, nec illis diebus copulari quandiu gravata fuerit uxor, id est, a quo die filius in utero motum fecerit, usque ad partum; a partu post 33 dies, si filius est; si autem filia, post 56.

Cap. 164. — *De femina quæ filium suum sponte occiderit. Ex eodem.*

Si mater filium suum sponte occiderit, 15 annos pœniteat, et nunquam mutet, nisi in die Dominico. Mulier autem paupercula si fecerit pro difficultate nutriendi, 5 annos pœniteat.

Cap. 165. — *De illis qui in Dominico die nupserint. Ex conc. Triburiensi, cap.* 51.

Si quis nupserit die Dominico, petat a Deo indulgentiam, et quatuor dies pœniteat.

Cap. 166. — *De illis qui confessa iterant. Ex concilio Toletano.*

Ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur.

Cap. 167. — *De pœnitentia fidelium, ut confessio eorum non publice fiat. Ex epistola Leonis papæ, cap.* 2 (*ep.* 80 *ad epis. Campan., c.* 2).

Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi, a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De pœnitentia scilicet quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum genere peccatorum libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, amoveatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo fertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

Cap. 168. — *De abstinentia carnis et sagiminis in subscriptis temporibus. Ex Concilio Salegunstadt habito, cap.* 1.

Ut quatuordecim dies omnes Christiani ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ in abstinentia carnis sint et sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante natalem Domini similiter, et in vigilia Epiphaniæ, et in omnium vigiliis apostolorum, et in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, et in vigilia sancti Laurentii; necnon etiam in vigilia Omnium Sanctorum, adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate, et nisi aliquis sit qui proprio voto majori abstinentia uti velit.

Cap. 169. — *Quibus temporibus etiam legitima conjugia contrahere non liceat. Ex eodem, cap.* 3.

De legitimis autem conjugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab Adventu

Introdusă în format electronic de Google

Domini usque in octavas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque in octavas Paschæ, nec in supra notatis 14 diebus ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus.

Cap. 170. — *Ut presbyter qui post galli cantum bibit, nisi necessitas cogat, sequenti die missam celebrare non audeat. Ex eodem conc., cap. 4.*

Decretum est etiam in eodem concilio ut presbyter aliquis post galli cantum æstivis noctibus bibens, proximo die missam non celebret; hiemalibus similiter, nisi necessitas cogat.

Cap. 171. — *Ut presbyter non amplius quam tres missas in die celebret. Ex eodem concilio, cap. 5.*

Item decretum est ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare præsumat.

Cap. 172. — *Ut nemo corporale ad exstinguendum incendium in ignem projiciat. Ex eodem concilio, cap. 6.*

Conquestum est etiam in sancto concilio, de quibusdam stultissimis presbyteris, ut quando incendium videant, corporale Dominico corpore consecratum ad exstinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem projiciant. Ideoque decretum est, sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

Cap. 173. — *De hoc, si duo inculpati fuerint in adulterio et unus negat, alter profitetur, quid inde agendum sit. Ex eodem, cap. 7.*

Interrogatum, si duo in adulterio inculpati fierent C [fuerint], et unus profiteretur, et alter negaret, quid inde agendum esset. Decretum est etiam a sancto concilio ut ille, qui negaverit, probabili judicio se expurget. Et qui professus fuerit, digne pœnitentiam agat.

Cap. 174. — *Ut nemo in ecclesiam gladium portet.* [*Ex eodem, cap. 8.*]

Decretum etiam in eodem concilio ut nemo gladium in ecclesiam portet, regali tantum excepto.

Cap. 175. — *Ne mala colloquia in ecclesia, aut in atrio ecclesiæ fiant. Ex eodem, cap. 9.*

Statuit etiam sancta synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes pene jam inolevit, omnino prohibeatur: hoc est, quod colloquia sua in atrio alicujus ecclesiæ constituunt habenda, et tunc ea D in ipsa maxime exercent ecclesia, ubi orationes et divina tantum fieri æquum est officia.

Cap. 176. — *De Evangelio:* In principio erat Verbum (*Joan.* 1), *et missis peculiaribus, ne fiant nisi suis temporibus. Ex eodem, cap. 10.*

Quidam etiam laicorum, et maxime matronæ, habent in consuetudine ut per singulos dies audiant Evangelium: *In principio erat Verbum*, et missas peculiares, hoc est, de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele, et ideo sancitum est in eodem concilio ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, et nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinatione. Et si voluerint ut sibi missæ cantentur, de eodem die audiant missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.

Cap. 177. —*De computatione consanguinitatis. Ex eodem, cap. 11.*

Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater et soror primi sint. Hoc autem statuit sancta synodus, sicut etiam ab antiquis Patribus decretum est, ut ita non esset, sed ut nepos et neptis, id est, filius fratris ac filia sororis, primi habeantur.

Cap. 178. — *Ut ædificia laicorum in atrio ecclesiæ non ponantur. Ex eodem, cap. 12.*

Statutum est etiam ut ædificia laicorum, quæ ecclesiis adjuncta sunt, auferantur, et nulla in atrio ecclesiæ ponantur, nisi tantum presbyterorum.

B Cap. 179. — *Ut nullus laicus Ecclesiam suam presbytero commendet sine licentia episcopi. Ex eodem concil. cap. 13.*

Item decretum est ut nullus laicorum alicui presbytero suam commendet Ecclesiam, præter consensum episcopi, sed eum prius mittat episcopo suo, vel ejus vicario, ut probetur si scientia, ætate, et moribus talis sit ut sibi populus Dei commendetur.

Cap. 180. — *Si duo de adulterio accusati fuerint, quid inde faciendum sit. Ex eodem, cap. 14.*

Statuit quoque sancta synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, et ambo negaverint, et orant sibi concedi, ut alter illorum utrosque divino purget judicio; si unus in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

Cap. 181. — *Ut bannitum jejunium ab omnibus diligentissime observetur. Ex eodem, cap. 15.*

Decretum est etiam, ut omnes bannitum jejunium, in quocunque episcopio celebratur, diligentissime observent. Et si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

Cap. 182. — *De illis qui Romam proficisci cupiunt. Ex eodem, cap. 17.*

Decrevit quoque sancta synodus, ut Romam nullus eat, nisi cum licentia sui episcopi, vel ejus vicarii.

Cap. 183. — *Ut carina* [For. *carena*] *non dividatur pœnitenti. Ex eodem cap. 17.*

D Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus presbyterorum cuiquam pœnitenti carinam dividere præsumat, si infirmitas non intervenerit.

Cap. 184. — *De illis qui pœnitentiam a sacerdotibus accipere nolunt. Ex eodem concil., cap. 18.*

Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam a sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus apostolicus omnia sibi dimittat peccata; sancto visum est concilio ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire, si velint, ab episcopo proprio licentiam et litteras ad apostolicum ex iisdem rebus deferendas accipiant.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 185. — *Ut omnis pœnitens dum carinam suam jejunat, de loco ad locum non migret. Ex eodem cap.* 19.

Decretum est etiam, ut omnis pœnitens dum carinam suam jejunat, de loco ad locum non migret, sed ibi permaneat, ubi suam acceperit pœnitentiam, ut proprius sacerdos sibi præbeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles insidias [injurias, *or.*] jejunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacifice possit jejunare, diligentissime commendet.

Cap. 186. — *Ut nullus presbyter quemquam pœnitentem in ecclesiam introducat. Ex eod. cap.* 20.

In eodem quoque concilio decretum est ut nullus presbyterorum quemquam nisi jussu episcopi in ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.

Cap. 187. — *Quanto tempore pœnitere debeat qui hoc vel illud fecerit. Ex pœnitentiali laicorum.*

Si quis hominem occiderit sponte, 7 annos pœniteat ; si immeritum, 10 annos pœniteat. Si diaconum, 14 annos pœniteat. Si presbyterum, 21 annos pœniteat. Si quis hominem non sponte occiderit, 3 annos pœniteat. Si in publico bello, annum unum pœniteat. Si quis hominem debilitaverit, 3 quadragesimas pœniteat. Si membrum principale alicui tulerit, 3 annos et dimidium pœniteat. Si quis Sodomitice, vel cum pecude semel peccaverit, 7 [duodecim] annos pœniteat. Si consuevit, 14 annos pœniteat. Si fornicatur inter femora semel, 4 quadragesimas pœniteat. Si consuevit, 3 annos pœniteat. Si parvulus oppressus hoc patitur, una quadragesima pœniteat. Si per semetipsum, duabus quadragesimis pœniteat. Si consuevit, uno anno pœniteat.

Si quis adulterat semel, 5 annos pœniteat ; si dupliciter, 10 annos pœniteat. Si quis raptum fecerit, 3 annos, uno de his foris ecclesiam pœniteat. Si quis nonnam corruperit, 7 annos pœniteat ; si quis consanguineam, 5 annos pœniteat Si quis divinos consulit, 3 annos pœniteat. Si quis sacrilegus vel perjurus exstiterit, septem annos pœniteat. Si quis jurat contra pacem, uno anno pœniteat, et cum eleemosynis redimat. Si quis pertinaciter odit, excommunicetur.

Cap. 188. — *Pœnitentia mulierum.*

Si qua mulier duobus fratribus nupserit, 5 annos pœniteat. Si qua partum necat, aut excutit sponte ; si jam vivit, 12 annos pœniteat ; si non vivit, sex annos pœniteat, et semper sexta feria jejunet. Si mater dormiens filium vel filiam oppresserit, tribus annis pœniteat. Si infans alicubi ceciderit et obierit, parens unum annum pœniteat. Si infans mortuus fuerit per negligentiam sine baptismo, tribus annis pœniteat, uno ex his foris ecclesiam, et semper sexta feria jejunet.

Cap. 189. — *Pœnitentia illius anni, qui in pane et aqua jejunandus est, isto ordine observari debet.*

Pœnitentia unius anni, qui in pane et aqua jejunandus est, talis esse debet. In unaquaque hebdomada, 3 dies, id est, secundam feriam, quartam feriam, sextam feriam in pane et aqua jejunet Et tres dies, id est, tertiam feriam, quintam et sabbatum a vino, medone, mellita cerevisia, a carne et saginine, et a caseo et ovis, et ab omni pingui pisce se abstineat. Manducet autem minutos pisciculos, si habere potest. Si habere non potest, tantum unius generis piscem, et legumina, et olera, et poma, si vult, comedat, et cerevisiam bibat. Et in diebus Dominicis, in Natali Domini illos quatuor dies, et in Epiphania Domini unum diem. Et in Pascha usque in octavum diem, et in Ascensione Domini, et Pentecoste 4 dies, et in missa sancti Joannis Baptistæ, et sanctæ Mariæ, et 12 apostolorum, et sancti Michaelis, et sancti Remigii, et Omnium Sanctorum, et sancti Martini, et in illius sancti festivitate qui in illo episcopatu celebris habetur. In his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis, id est utatur eodem cibo et potu quo alii. Sed tamen ebrietatem et ventris distentionem semper in omnibus caveat.

Cap. 190. — *Modus pœnitentiæ secundi anni.*

Iste annus secundus est ab illo anno qui in pane et aqua observandus est, et post illum jejunandus, qui etiam dandus est illis qui viros ecclesiasticos sponte occidunt, et in consuetudine habent Sodomiticum scelus, et in consuetudine habent contra naturam peccare, et in ecclesiis homicidia sponte committunt, et ecclesias incendunt, et in ecclesiis adulteria committunt, et qui alia hujusmodi perpetraverint. Pœnitentia illius anni talis esse debet, ut duos dies, id est, 2 et 4 feriam in unaquaque hebdomada jejunet, usque ad vesperam, et tunc reficiatur de sicco cibo, id est, pane et leguminibus sicci, sed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis, unum eligat ex his tribus, et utatur ; et cerevisiam bibat, sed sobrie ; et tertium diem, id est sextam feriam, in pane et aqua observet, et tres quadragesimas jejunet, unam ante Natalem Domini, secundam ante Pascha, tertiam ante missam sancti Joannis. Et si totam quadragesimam ante missam sancti Joannis implere non possit, post missam impleat. Et in his tribus quadragesimis jejunet duos dies in hebdomada ad nonam, et de sicco cibo comedat, ut supra notatum est, et sexta feria jejunet in pane et aqua, et in diebus Dominicis, et in Natali Domini illos 4 dies, et in Epiphania Domini unum diem, et in Pascha usque in octavum diem, et in Ascensione Domini, et Pentecoste quatuor dies, et in missa sancti Joannis Baptistæ, et sanctæ Mariæ, et 12 apostolorum, et sancti Michaelis, et sancti Remigii, et Omnium Sanctorum, et sancti Martini, et in illius sancti festivitate, qui in illo episcopatu celebris habetur. In his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis. Sed tamen ebrietatem, et ventris distentionem semper in omnibus caveat.

Cap. 191. — *De illis qui jejunare possunt et adimplere quod in Pœnitentiali scriptum est.*

Qui jejunare potest et implere quod in Pœnitentiali scriptum est, bonum est, et Deo gratias referat. Qui autem non potest, per misericordiam Dei consi-

Introdusă în format electronic de Google

lium damus tale, ut nec sibi, nec alicui necesse sit, A nec desperare, nec perire.

CAP. 192. — *De redemptione illius anni, quem in pane et aqua jejunare debet.*

Pro uno die quem in pane et aqua jejunare debet, quinquaginta psalmos genibus flexis in ecclesia, si fieri potest, decantet. Sin autem, in loco convenienti eadem faciat, et unum pauperem pascat, et eodem die, excepto vino, carne et sagimine, sumat quidquid velit.

CAP. 193. — *Alio modo ex eodem.*

Si autem talis est, quod tam diu in genibus jacere non possit, faciat autem sic : infra ecclesiam si fieri potest, sin autem, in uno loco stando intente, 70 psalmos per ordinem decantet, et pauperem pascat, et eo die, excepto vino, et carne et sagimine, B sumat quidquid velit.

CAP. 194. — *Item alio modo.*

Qui in ecclesia genua flexerit centies, id est, si centies veniam petierit, si fieri potest ut in ecclesia fiat, hoc justissimum est. Si autem hoc fieri non potest, secreto in loco convenienti eadem faciat. Si sic fecerit, eo die, excepto vino, carne et sagimine, sumat quidquid placeat.

CAP. 195. — *Item alio modo.*

Qui psalmos non novit, unum diem quem in pane et aqua pœnitere debet, dives tribus denariis, et pauper uno denario redimat, et eo die, excepto vino, carne et sagimine, sumat quidquid velit.

CAP. 196. — *Item alio modo.*

Pro uno die quem in pane et aqua pœnitere debet, tres pauperes pascat, et eo die, excepto vino, carne et sagimine, sumat quod placet.

CAP. 197. — *Item alio modo.*

Quidam dicunt 20 palmatas valere pro uno die.

CAP. 198. — *De redemptione unius hebdomadæ, qua in pane et aqua jejunare debet. Ex eodem.*

Pro una hebdomada quam in pane et aqua jejunare debet, trecentos psalmos genibus flexis in ecclesia decantet. Si autem hoc facere non potest, tria psalteria in ecclesia, vel in loco convenienti intente decantet. Et postquam psallerit, excepto vino, carne et sagimine, sumat quidquid velit.

CAP. 199. — *De redemptione unius mensis, quem in pane et aqua jejunare debet.* D

Pro uno mense, quem in pane et aqua jejunare debet, psalmos mille ducentos flexis genibus decante. Si autem hoc facere non potest sine flexione genu, sedendo, aut stando, in ecclesia, si fieri potest, sin autem, in uno loco 1680 psalmos decantet. Et omni die, si velit, et se abstinere non vult, reficiat se ad sextam, nisi quartam feriam et sextam jejunet ad nonam. Et a carne, et sagimine, et a vino totum mensem se abstineat; alium autem cibum postquam psalmos supradictos decantaverit, sumat. Isto ordine totus ille annus redimendus est.

CAP. 200. — *De illis qui jejunare non possunt, et psalmos nesciunt, quomodo pœnitentiam unius anni quem in pane et aqua jejunare debent, redimere possint.*

Qui vero psalmos non novit et jejunare non potest, pro uno anno, quem in pane et aqua jejunare debet, det pauperibus in eleemosynam 22 solidos, et omnes sextas ferias jejunet in pane et aqua, et tres quadragesimas, id est 40 dies, ante Pascha, et 40 dies ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, et si ante festivitatem aliquid remanserit, post adimpleat, et 40 dies ante Natalem Domini. In istis tribus quadragesimis quidquid suo ori præparatur in cibo vel potu, vel cujuscunque generis sit, illud æstimet quanti pretii sit vel esse possit, et medietatem illius pretii distribuat in eleemosynam pauperibus et assidue oret, et roget Deum ut oratio ejus et eleemosynæ apud Dominum acceptabiles sint.

CAP. 201. — *Item redemptio illius anni, quem in pane et aqua jejunare debent. Ex Pœnitentiali Theodori.*

Item qui jejunare non potest, et observare quod in Pœnitentiali scriptum est, faciat quod sanctus Bonifacius papa constituit. Pro uno die quem in pane et aqua jejunare debet, roget presbyterum ut missam cantet pro eo, nisi sint crimina capitalia, quæ confessa prius lavari cum lacrymis debent, et tunc ipse adsit et audiat missam, et devote ipse offerat propriis manibus panem, et vinum manibus sacerdotis, et intente respondeat, quantum sapit, ad salutationes, et ad exhortationes sacerdotis, et humiliter Deum deprecetur, ut oblatio quam ipse et pre- C sbyter pro se et pro peccatis suis Deo obtulerint, Deus omnipotens misericorditer per angelum suum suscipere dignetur. Et eo die, excepto vino, et carne et sagimine, comedat quidquid vult, et sic redimat reliquos anni dies.

CAP. 202. — *De illis qui jejunare non possunt, et habent unde redimere possint.*

Si quis forte non potuerit jejunare, et habuerit unde possit redimere ; si dives fuerit, pro 7 hebdomadibus, det solidos viginti; si non habuerit unde tantum possit dare, det solidos decem; si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Neminem vero conturbet, quia jussimus dare solidos 20, aut minus, quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos 20, quam pauperi tres. Sed attendat unusquisque cui dare debeat, sive pro redemptione captivorum, sive super sanctum altare, sive Dei servis, sive pauperibus in eleemosynam.

CAP. 203. — *De illis qui non possunt adimplere quod in Pœnitentiali scriptum est.*

Qui non potest sic agere pœnitentiam, ut superius diximus, faciat sic : si tres annos continuos jejunare debet, et jejunare non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in eleemosynam solidos 26. In secundo anno eroget in eleemosynam solidos 20. In tertio anno, solidos 18, hi sunt solidi 64. Potentes enim homines plus dare debent, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur (*Luc.* XII). Et qui illicita committunt, etiam a licitis se abstinere

Introdusă în format electronic de Google

debent, et corpus debent affligere jejuniis, vigiliis et crebris orationibus. Caro enim læta trahit ad culpam, afflicta autem reducit ad veniam.

CAP. 204. — *De illis qui jejunare non possunt, et non habent unde redimere possint. Ex Pœnitentiali Bedæ.*

Qui jejunare non potest, et non habet unde redimat, et psalmos novit, pro uno die quem in pane et qua jejunare debet, tribus vicibus *Beati immaculati in via*, usque ad, *Ad Dominum cum tribularer*, decantet ; et sexies, *Miserere mei, Deus.* Et septuagies prosternat se in terram, et per singulas genuflexiones, *Pater noster* decantet. Qui autem psalmos nescit, pro uno die quem in pane et aqua jejunare debet, centies prosternat se in terram, et per singulas genuflexiones, *Pater noster* dicat.

A CAP. 205. — *De redemptione 77 annorum. Ex Pœnitentiali Romano.*

Item alio modo 12 triduanæ singulæ cum Psalteriis 3 impletis, et cum palmatis 300, per singul Psalteria, excusant unius anni pœnitentiam. Et 2 biduanæ similiter cum 3 psalteriis, et cum 300 palmatis per singula psalteria, excusant duos annos, 75 psalmi cum totidem veniis per noctem, et cum palmatis trecentis excusant biduanam. Centum psalmi cum veniis per noctem, et cum palmatis 300 excusant triduanam. Centum viginti missæ speciales singulæ cum 3 psalteriis, et cum trecentis palmatis excusant annum. Centum solidi dati in eleemosynam annum excusant.

DECRETI PARS DECIMA SEXTA.

De officiis laicorum et causis eorumdem.

CAP. 1.—*Tropica disputatio beati Clementis, quanta vel qualia mundi discrimina patiatur Ecclesia.*

Ait beatus Clemens Petri successor apostoli in epistola prima ad Jacobum fratrem Domini, Hierosolymitanum videlicet episcopum : « Mare hic mundus habeatur. Ventorum vero varietates, turbinum diversis tentationibus conferantur. Persecutiones, tribulationes, et pericula fluctibus exæquentur. Terreni vero spiritus qui vel de torrentibus, vel de vallibus spirant, pseudoprophetarum et seductorum, seu pravæ doctrinæ verba dicantur. Promontoria vero et loca confragosa, hi qui in potestatibus sæculi sunt judices, et pericula minantur et mortes. Bithalassa vero loca, quæ duplicibus unde fallacis æstibus verberantur, dubiis mente, et de promissionum veritate nutantibus conferantur [atque his qui irrationabili fidem nostram ratione discutiunt, *inseritur in or.*]. Hypocritæ vero et dolosi, piratis similes habeantur. Jam vero rapidus vortex et tartarea charybdis, et saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt quam peccata ? Restat igitur ut hæc navis cursu prospero tuta possit portum desideratæ urbis intrare, et ita Deo precem fundere, ut naufragantes mereantur audiri. »

CAP. 2.—*Ut episcopi impositam a Deo sibi curam in populis protegendis non ambigant. Ex concil. Toletano* IV, *cap.* 31.

Episcopi in protegendis populis ac defendendis, impositam a Deo sibi curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt judices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant, et si contempserint emendare,

B anathematizentur.

CAP. 3. — *De illis qui in episcopiis præaam fecerint. Ex concilio Carthaginensi, cap.* 8.

Ut si quis quemlibet exspoliaverit, et admonente episcopo non reddiderit, excommunicetur.

CAP. 4. — *Ut episcopi potestates admoneant, ut pauperes non opprimant. Ex concilio Aurelianensi, cap.* 4.

Ut judices aut potestates [potentes, *orig.*] qui pauperes opprimunt, si commoniti a pontifice suo non emendaverint, excommunicentur.

CAP. 5. — *De eadem re. Ex concil. Maguntiensi* 1, *cap.* 8 (*sub Leone III*).

Ut episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas prævidere, regere, et gubernare, atque dispensare, C secundum canonum auctoritatem, volumus ut laici in eorum ministerio obediant episcopis, ad regendas Ecclesias Dei, viduas et orphanos defendendos, et ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam : et episcopi consentientes comitibus et judicibus ad justitias faciendas : et ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium neque per perjurium, aut per præmium lex justa in aliquo depravetur.

CAP. 6. — *De sæcularibus Ecclesiam vel clericum injuste calumniantibus. Ex concilio Agathensi, cap.* 32.

(5. *q.* 6, *c. Si quis vero sæcularium.*) Si quis sæcularium pro calumnia Ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, et evictus fuerit, ab ecclesiæ D liminibus et catholicorum communione (nisi digne pœnituerit) arceatur.

CAP. 7. — *Ut contemptores canonum excommunicen-*

Introdusă în format electronic de Google

tur. Ex concil. Carthaginensi, cap. 15. (*sub Jul. I, c.* 14.)

Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici honore priventur.

Cap. 8.—*De prævaricatoribus divinarum legum. Ex concil. apud Lauriacum, cap.* 10 (*cap.* 1).

Si quis publicus divinæ legis prævaricator, vel pro manifestis criminibus sanctorum canonum contemptor repertus fuerit, ac sanctorum Patrum constitutionibus episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur.

Cap. 9. — *Quod non liceat imperatoribus vel cuiquam potentum aliquid agere contra divinum mandatum. Ex concil. Adriani papæ, cap.* 16 (*post concilium Nicænum* II *ex diversis collec.*).

Non licet ergo imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divinitatis præsumere, nec quidquam quod evangelicis propheticisque seu apostolicis regulis obviet, agere. Injustum enim judicium et definitio injusta, regio metu vel jussu a judicibus ordinata non valeat. Nec quidquam quod contra evangelicam, et propheticam, aut apostolicam doctrinam, constitutionemque eorum sive sanctorum Patrum actum fuerit, stabit. Et quod ab infidelibus aut hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.

Cap. 10. — *Ut nemo contra canones esse præsumat. Ex concil. Triburiensi, cap.* 10 (*ex capitulis Adriani papæ*).

(*Dist.* 10. *c. Constitutiones.*) Ut constitutiones contra canones et decreta præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sint momenti.

Cap. 11.—*De imperatoria lege. Ex decretis Pii papæ, cap.* 5.

(*C. Lege imperatorum.*) Lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

Cap. 12. — *Quando canonica ventilantur, nisi sint religiosi, laici non intersint. Ex concilio Cabilonensi, cap.* 6.

Quando ea quæ canonica sunt ventilantur, vel quando regularia examinantur, neque aliquos laicos interesse, nisi religiosos, oportet, et nisi hos tantummodo, qui in propria appellantur persona.

Cap. 13. — *Ut laici in synodo, nisi clericis jubentibus, docere non audeant. Ex conc. Carthagin.* IV, *cap.* 98.

Laici in synodo, præsentibus clericis, nisi ipsis jubentibus, docere non audeant.

Cap. 14. — *Quod populus docendus sit, non sequendus. Ex decretis Cælestini papæ, cap.* 22 (*epist.* III, *cap.* 5).

(*Dist.* 62, *c. Docendus.*) Docendus est populus, non sequendus, eosque si nesciunt quid liceat, quidve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus. Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram canonicam minime defuturam.

Cap. 15. — *De illo qui contra decretum episcopi venerit. Greg. dictum.*

Si quis venerit contra decretum episcopi, ab Ecclesia abjiciatur.

Cap. 16. — *Quod admonendus sit imperator, ut constitutis apostolicæ sedis obtemperet. Ex decretis Anastasii papæ* (*Anast. II, ad Anastasium Augst., cap.* 6).

Illud vero peculiarius pro amore imperii vestri, et beatitudine quæ [qua] consequi poterit regnum, pro apostolico officio prædicamus, ut (sicut decet, et Spiritus sanctus dictat) monitis nostris obedientia præbeatur, ut bona omnia vestra respublica consequatur, sicut in Exodo promittitur : *Si audieris vocem Domini Dei tui, et quæ placent feceris coram eo, et obedieris præceptis ejus, et custodieris omnem justitiam ejus, omnem infirmitatem, quam importavi Ægyptiis, non importabo in te. Ego enim sum Dominus qui salvum facio te* (*Exod.* I). Et illic iterum tuba potentissima canitur : *Et nunc*, Israel, *quid Dominus Deus tuus postulat a te aliud, quam ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo ex toto corde, et ex tota mente tua? Custodi præcepta Domini Dei tui, et justitias quas ego mando tibi* (*Deut.* X). Hæc me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos habens Domini in Evangelio verba : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum qui me misit* (*Luc.* X). Nam et Apostolus concinens Salvatori nostro ita loquitur : *Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis* (*I Thess.* IV). Pectus clementiæ vestræ sacrarium est publicæ felicitatis, ut per instantiam vestram, quam velut vicarium præsidere jussit in terris, evangelicis, apostolicisque præceptis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera, compleantur.

Cap. 17. — *Generalis admonitio regum. Ex Registro sancti Gregorii ad Aldebertum regem Anglorum, cap.* 263 (*lib. regist.* IX, *epist.* 60).

Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ potestatis [pietatis] impendat. Quod in Anglorum gente factum cognovimus, cui vestra gloria idcirco est præposita ut bona quæ vobis concessa sunt, etiam subjectæ vobis genti superno beneficio restaurentur. Et ideo, gloriose fili, eam quam accepisti divinitus gratiam sollicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica, idolorum cultus insequens fanorum ædificia everte. Subditorum mores in magna vitæ munditia exhortando, terrendo, corrigendo et boni operis exempla monstrando, ædifica, ut illum retributorem invenias in cœlo cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet cujus vos honorem quæritis et servatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam piissimus imperator, Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Deo Domino nostro Jesu Christo secum subdidit, seque cum subjectis populis tota ad eum

Introdusă în format electronic de Google

mente convertit. Unde factum est ut antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione prædecessores suos, quanto et in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti regibus ac populis sibimet subjectis festinet infundere, ut et antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, et quanto in subjectis suis etiam aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat. *Paulo post.* Præterea scire vestram gloriam volumus, quia sicut in Scriptura sacra ex verbis Domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi jam terminus juxta est, et sanctorum regnum venturum est, quod nullo unquam poterit fine finiri. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent, quæ antea non fuerunt, videlicet immutationes aeris, terroresque de cœlo, et contra ordinationem [ordinem] temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræmotus per loca (*Matth.* XXIV; *Luc.* XXI); quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies subsequentur. Vos itaque si qua ex his evenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis, quia ideirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse solliciti, et de mortis hora suspecti, ut venturo Judici in bonis actibus inveniamur præparati.

CAP. 18. — *Alia admonitio principum. Ex Registro Gregorii, ad Justinum prætorem Siciliæ. cap.* 2 (*lib.* I *regist.*, *ep.* 2).

Quod lingua loquitur, attestatur conscientia, quia dudum vos, et nullius dignitatis occupationibus implicatos, multum dilexi multumque veneratus sum. Ipsa namque incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebat ut diligi etiam a nolente debuisset. Et cum vos venisse ad administrandam prætu-ram [præfecturam] Siciliæ audirem, valde gavisus sum; et quia quamdam inter vos atque ecclesiasticos simulationem subrepere comperi, vehementissime contristatus sum. Nunc vero quia et vos administrationis cura, et me studium hujus regiminis occupat, in tantum vos recte diligere specialiter possumus, in quantum generalitati minime nocemus. Unde per omnipotentem Dominum rogo, in cujus tremendo judicio nostrorum actuum posituri rationem sumus, ut ejus respectum semper gloria vestra ante oculos habeat, et nunquam quodlibet, ex quo inter nos vel parva dissensio proveniat, admittat. Nulla vos lucra ad injustitiam pertrahant. Quam sit vita brevis aspicite; ad quem quandoque ituri estis judicem, qui judiciariam potestatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum est quod cuncta lucra hic relinquimus, et solas dispensativorum [dispendiosorum] lucrorum causas nobiscum ad judicium deportamus. Illa ergo nobis sunt commoda quærenda, quæ nequaquam mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis vitæ finis ostendat.

CAP. 19. — *Item adhortatio principum. Ex registro Gregorii, ad Gennadium patricium et exarchum, cap.* 72 (*lib.* I, *ep.* 73).

(23, *q.* 4, *c. Si non.*) Si non ex fidei merito et Christianæ religionis gratia tanta excellentiæ vestræ bellicorum actuum prosperitas eveniret, non summopere miranda fuerant, cum sciamus hæc etiam antiquis bellorum ducibus fuisse concessa. Sed cum futuras, Deo largiente, victorias non carnali providentia, sed magis orationibus prævenitis, fit ut hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat [dispensat]. Ubi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio, quæ et bella vos frequentet appetere non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandæ causa reipublicæ in qua Deum coli conspicimus, loquitur, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat? Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in hac vita constituunt, ita et internorum [internorum, *habet Greg.*] ornamenta ex corde mundo procedentia, in futura vita cœlestium gaudiorum participatione glorificant.

CAP. 20. — *Qualiter studendum sit regibus, sacerdotum vel populi peccata ulcisci. Ex registro Gregorii ad Brunichildem reginam Francorum, cap.* 272 (*lib.* IX, *ep.* 64).

Cum scriptum sit: *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum* (*Prov.* XIV), tunc regnum stabiliri creditur, cum culpa quæ cognoscitur, citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione pervenit (quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus), ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter conversari ut et audire nobis opprobrium et lamentabile sit referre. Ne ergo postquam hujus nequitiæ huc usque se tetendit opinio, aliena pravitas aut nostram animam, aut vestrum regnum peccati suo jaculo feriat, ardenter ad hæc debemus ulciscenda consurgere, ne paucorum fames multorum esse possit perditio. Nam causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim pro populi peccatis se intercessor objiciat, si sacerdos qui exorare debuerat, graviora committat: Sed quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, ut personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ una cum aliis sacerdotibus hæc et subtiliter quærere, et secundum Deum debeat emendare. Nec enim dissimulanda sunt quæ dicimus, quia qui emendare potest et negligit, participem se, procul dubio, delicti constituit. Providete ergo animæ vestræ, providete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, providete provinciis, et priusquam Creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione hujus sceleris studiosissime cogitate, ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modo diutius et clementer exspectat. Scitote

Introdusă în format electronic de Google

autem quia magnum Deo nostro sacrificium placationis offeretis, si tanti labem facinoris de vestris citius finibus amputatis. Data die x Kal. Julii, indictione IV.

CAP. 21. — *Unde supra. Ex registro ad Theodoricum regem Francorum, cap.* 274 (*lib.* IX, *ep.* 53).

Excellentiæ vestræ index cordis epistola quanta in vobis fulgeat cum regia potestate prudentia, ita luculenti copia sermonis edocuit ut dubium esse non valeat quidquid laudabile de vobis fama narraverit. Et quoniam exhortationem nostram adeo regiis animis per laudis prædicamenta placuisse signastis, ut quidquid ad Dei nostri cultum, quidquid ad ecclesiarum reverentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, studiose statui et velitis in omnibus custodire, iterata vos per vestram mercedem [pro vestra magna mercede] adhortatione pulsamus, ut congregari synodum jubeatis. Et sicut dudum scripsimus corporalia in sacerdotibus vitia, et Simoniacæ hæresis pravitatem omnium episcoporum definitione damnari, atque a regni vestri amputari finibus faciatis, nec plus illic [illis] per pecuniam obtinere quam præcepta Dominica præcipiunt permittatis. Nam dum omnis avaritia idolorum sit servitus (*Col.* III), quisquis hanc in dandis honoribus et maxime ecclesiasticis, vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem quam negligit videatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum adversarios studete esse solliciti, ut per hoc quod Dei nostri inimicis fideliter repugnatur, et hic feliciter ipsius protectione regnetis, et ad æterna postmodum gaudia, ejus duce gratia, veniatis.

CAP. 22. — *Quod multorum solamen sit, si prudentes viri regibus adhæreant. Ex registro Gregorii, ad Asclepiodotum patricium Gallorum, cap.* 271 (*lib.* XII, *ep.* 17).

Prudentes viros (sicut estis) regibus adhærere multorum solamen est. Nam dum præstari sibi locum ad animæ datum utilitatem intelligunt, certum est quia mercedis causas alias, ubi inveniunt, non præponunt.

CAP. 23. — *Ut regum adversarii excommunicentur. Ex concilio apud Lauriacum, cap.* 14 (*cap.* 3).

Si quis potestati regiæ (quæ non est, juxta Apostolum, nisi a Deo [*Rom.* XIII]) contumaci et inflato spiritu contradicere vel resistere præsumpserit, et ejus justis et rationabilibus imperiis secundum Deum et auctoritatem ecclesiasticam obtemperare noluerit, anathematizetur

CAP. 24. — *De illis qui principi non obediunt. Ex concilio Toletano.*

In libro Regum legitur : Qui non obedierit principi, morte moriatur (*I Reg.* XXVI). In concilio autem Agathensi præcipitur ut anathematizetur.

CAP. 25. — *De illis qui in adversitate propriæ gentis, aut patriæ, culpabiles inveniuntur. Ex eodem concilio* (*Tolet. conc.* VI. *c.* 12, *quanquam non iisdem verbis*).

Nobis igitur ratio persuasit synodaliter decernere, ut quicunque laicorum adversitate propriæ gentis, aut patriæ, vel regiæ potestatis ad exteras partes se conferendo noxius fuerit, ultra repertus perpetua sit excommunicatione damnatus, et nunquam illi præter in ultimo mortis suæ, communio tribuatur.

CAP. 26. — *Ut nullus præsumat, principe vivente, alium eligere regem. Ex eodem conc.* (*cap.* 17).

Quanquam in concilio anteriori (*c.* 4, *conc. Tolet.* V), quod anno primo gloriosissimi principis nostri habitum est, de hujusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterata, juxta quod convenit, custodire. Itaque regis vita constante, nullus sibi aliquo opere, vel deliberatione, seu cujuscunque dignitatis laicus, seu gradu episcopatus, presbyterii, aut diaconii consecratus, cæterisque clericatus officiis deditus, futurum regem provideat contra viventis regis utilitatem et procul dubio voluntatem, blandimento vel suasione per eamdem spem, aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim et valde exsecrabile a Christianis debet haberi futuri temporis illicitis prospicere, et vitæ suæ ignaros ventura disponere. Quod si quisquam jam talia iniqua deliberatione cum quocunque est meditatus, hoc sibi noverit esse sacerdotali moderamine concessum, ut si venialiter possit, hoc sine mora præsentis principis auribus studeat publicare. Si autem obticeat, et deliberationis suæ machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate.

CAP. 27. — *Ut nemo intendat in interitum regis. Ex eodem concil.* VI, *cap.* 18 (*cap.* 2 *et* 3 *Toletan. conc.* V).

Jam quidem in antecedente universali synodo saluti nostrorum principum constat esse consultum, sed libet iterare bene sancita, et digna auctoritate munire salubriter ordinata. Ideoque contestamur coram Deo, et omni ordine angelorum, coram prophetarum atque apostolorum, vel omnium martyrum choro, coram omni Ecclesia catholica et Christianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis nece attrectet, nemo regni eum gubernaculis privet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni sibi usurpet, nemo quolibet machinamento in ejus adversitatem sibi conjuratorum manum associet. Quod si in copiam horum quisquam nostrorum temerario ausu præsumptor exstiterit, anathemate divino percussus, absque ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio.

CAP. 28. — *De fidelibus regum. Ex eodem concil.* VI, *cap.* 14.

Proinde ut anno primo serenissimi principis nostri decrevit concilium sanctum (*cap.* 6, *conc. Tolet.* V), omnes qui pro fideli obsequio, et sincero servitio voluntatibus vel jussis paruerint principis, totaque

Introdusă în format electronic de Google

intentione salutis ejus, custodiam vel vigilantiam habuerint regni, a successoribus nec a dignitate, nec a rebus pristinis causa repellantur injusta, sed et nunc ita pro uniuscujusque utilitate principis moderentur discretione, sicut eos prospexerit necessarios esse patriæ, et sic illis impertiatur benignitas ut in cæteris maneat gratia et potestas, quatenus ita omnia in rebus juste conquisita lucrentur, ut posteris relinquendi, vel quibus voluntas eorum decrevit conferendi, spontaneo fruantur arbitrio. Cæterum si infidelis quisquam in capite regio, aut inutilis in rebus commissis exstiterit, in clementiæ ejus manu, posteritatis nutu constet hujusmodi moderatio. Nefas est enim in dubium deducere jus potestatis, cui omnium gubernatio superno constat delegata judicio. Quod si post ejus discessum quispiam repertus fuerit ejus vitæ fuisse infidelis, quidquid largitate ipsius in rebus habuit conquisitis careat, confiscandum, et fidelibus largiendum.

Cap. 29. — *De regum sobole. Ex eodem concilio* VI, *cap.* 16.

Sicut insolentia malorum regum odiosa semper et exsecrabilis existit subjectis, ita bonorum provida utilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis talem errantem Christianum videat, qui regiam sobolem, aut posteritatem conetur exspoliare rebus, aut privare dignitatibus? Quod deinde ne fiat, generalis promatur de filiis principis sententia nostra, id est, de præsentis excellentissimi Chintillani regis posteritate dentur apta nobis decreta, ut ea quæ synodus (*cap.* 4, *conc. Tolet.* V) præterito anno in hac ecclesia habita constituit, circa omnem posteritatem ejus universitas regni sui conservet, hoc est, ut præbeatur filiis [ejus] dilectio benigna et firma, et tribuantur ubi loci opportunitas exhibuerit, defensiones ad adminicula justa, ne de rebus juste profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principum, aut alicujus impensis, aut etiam proprietate debitis, fraudentur qualibet insidia calliditatis, neve a quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis. Quia dignum est ut cujus regimine habemus securitatem, ejus posteritati decreto concilii impertiamus quietem.

Cap. 30. — *Quod quidquid commotus animus fecerit, hoc justum putat. Ex registro Gregorii ad Mauricium Augustum, cap.* 25 (*lib.* II, *ep.* 61, *seu c.* 100).

Omnipotenti Deo reus est qui serenissimo domino, in omne quod agit et loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus, in hac suggestione mea, neque ut episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed jure privato loquor. Quia, serenissime domine, et illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. (*D. Gregor. l.* VIII *Regist., ep.* 12 *ad Guidiscalcum duc. Camp.*, et citat. 11, q. 3, c. *Illa præpositorum.*) Illa præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum prius quam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore, justum putat ira quod fecerit.

Cap. 31. — *Quod laici presbyteros, qui ecclesias illorum tenent, non aliud quam divinum officium facere cogant. Ex dictis Augustini.*

Admoneo, vos, dilectissimi, Deum timere, sacerdotes honorare, reddentes eis debitum sanctitatis, ut vobis adjuvantibus ipsi inconturbati valeant atque securi salutaria prædicare, et regulam atque vigorem ecclesiasticum conservare, ita ut clerici omnes suis subjaceant episcopis, et ab illis doceantur. Præceptum quippe est a Domino : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Luc.* XX). Apostolicum præceptum vobis mando, ut nullus sæcularis clericum in suum habeat obsequium, sed illi, cujus signaculum in capite habet (*II Tim.* II), mente deserviat et corde, educatus in his quæ a suo præcipiuntur episcopo. Detestabile est enim et iniquum opus clericum in ludis inveniri, aut cum accipitribus vel venationibus degere vitam, tantisque scenicis causis sauciatum ad episcopatum aut presbyterium, vel quibuslibet sacerdotalibus officiis accedere, non bonis, sed malis vitiis plenum. Scriptum namque est : *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Psal.* XCVI). Nam et hoc hortamur Christianitatem vestram, ut juxta sanctorum canonum instituta, nec ecclesiis a vobis fundatis aliunde veniens presbyter suscipiatur, nisi a vestræ Ecclesiæ fuerit episcopo consecratus, aut ab eo per commendatitias litteras suscipiatur. Multi enim sibimetipsi mendaces, multoties servi cujusquam fugam arripientes dominis suis semetipsos quasi consecratos presbyteros annuntiant, dum non sint. Sunt autem ministri diaboli, et non Dei, et qui eos suscipiunt similiter, quia scriptum est : *Videbas furem, et cum eo currebas* (*Psal.* XLIX), etc.

Cap. 32. — *Ut Judæi super Christianos non ponantur. Ex conc. Meldensi, cap.* 3.

Ne Judæi administratorio usu sub ordine villicorum atque exactorum Christianam familiam regere audeant, nec eis hoc a quoquam fieri præcipiatur. Si quis vero contra hæc agere præsumpserit; si episcopus, presbyter, aut diaconus fuerit, proprio submoveatur gradu. Si vero monachus fuerit, communione privetur. Similiter et laicus. Et si perseveraverint inobedientes, anathematizentur.

Cap. 33. — *Quod sancta Ecclesia unum Patrem habeat in cælis. Ex concil.* II *Cabilonensi, cap.* 51.

Quia ergo constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sunt nobiles et ignobiles, servi, coloni, inquilini, et cætera hujusmodi nomina, oportet ut quicunque eis prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant, et misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis, et quibusdam debitis; sciantque eos fratres suos esse, et unum habere Patrem

Introdusă în format electronic de Google

Deum, cui sic clamant : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI), unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima, et gubernatio opportuna adhibenda est. Disciplinæ indisciplinate vivendo auctorem suum offendunt, gubernationes in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destitutæ, fatiscunt.

CAP. 34. — *De illo qui pro catholica fide tribulationes patitur. Ex concil. Carthag.* IV, *cap.* 45.

Christianum catholicum qui pro catholica fide, et pro ecclesiasticis rebus et Christiana religione tribulationes patitur, omni honore a sacerdotibus honorandum, etiam et per diaconum ut victus ei ministretur, decretum est.

CAP. 35. — *De hæredibus, si jussa testatoris non impleverint, ut episcopus adimpleat. Ex concilio Maguntiensi, cap.* 1.

Si hæredes jussa testatoris non adimpleverint, ab episcopo loci illius omnis res quæ his relicta est canonice interdicatur, cum fructibus et cæteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur.

CAP. 36. — *Ut laici, quamvis religiosi, ecclesiastica non disponant. Ex eodem concilio, cap.* 5 (*conc. Rom.* III *sub Symmacho, c.* 5).

(16, *q.* 7, *c. Laicis.*) Laicis, quamvis religiosis, nullo modo de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi unquam attribuatur facultas.

CAP. 37. — *De illis qui res ecclesiæ a regibus petunt. Ex concilio Lugdunensi, cap.* 11.

Qui res ecclesiæ petunt a regibus et horrendi cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, et a communione Ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur.

CAP. 38. — *De eo, si episcopus ecclesiasticum, et comes sæculare placitum una die condixerint. Ex concilio Triburiensi cap.* 9, *cui interfuit rex Arnulfus.*

Cum autem episcopus Ecclesiam a Domino Deo sibi commissam regens, episcopatum circumeundo perrexerit, et placitum canonice constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit, atque comes eadem die sciens placitum ab episcopo condictum, vel nesciens placitum cum populo suum condixerit, et banno illuc venire præceperit, placitum comitis omnes postponant, et comes ipse, idemque populus post episcopum festine pergant, scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide catholica invigilare, non cumulum pecuniarium, sed lucrum congregare animarum. Unde in eadem epistola beati Clementis : « Vestrum, qui legatione domini fungimini, est docere populos : eorum vero est vobis obedire, ut Deo. » Et in epistola Alexandri papæ successoris Evaristi : « Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit. Et sicut multis nocet, ita a multis est arguendus ; et quia Dei causam impedit, et statum Ecclesiæ conturbat, ideo a liminibus ejus arceatur. » Quapropter nullus comes, nullusque judex, nullus omnino in clericatu vel sæculari habitu constitutus, legationem episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. Ut autem unanimitas et concordia sit inter episcopos et comites, placuit ut si quis episcopus domi residens conventum populi esse voluerit, et comes nihilominus in ipsa eademque die placitum condixerit, effectum obtineat, qui prior judicaverat, salva tamen dignitate et potestate episcopi.

CAP. 39. — *De regibus bene regentibus. Ex dictis Isidori* (*lib.* III *De summo bono, c.* 48).

Qui in hoc sæculo bene temporaliter imperat, sine fine in perpetuum regnat, et de gloria sæculi hujus ad æternam transmeat gloriam. Qui vero prave regnum exercent, post vestem fulgentem et lumina lapillorum, nudi et miseri ad inferna torquendi descendunt. Reges a *recte agendo* vocati sunt ; ideoque recte faciendo regis nomen obtinetur, peccando amittitur. Nam et viros sanctos *proinde reges* vocari in sacris eloquiis invenimus, eo quod recte agant, sensusque proprios bene regant, et motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Recte igitur illi reges vocantur, qui tam semetipsos quam subjectos bene regendo modificare noverunt. Quidam ipsum nomen regiminis ad immanitatem transvertunt crudelitatis, dumque ad culmen potestatis venerint, in apostasiam statim labuntur, tantoque se tumore cordis extollunt, ut cunctos subditos in sui comparatione despiciant, eosque quibus præesse contigit non agnoscant. Quibus congrue per Ecclesiasticum dicitur : *Ducem te constituerunt? noli extolli* (*Eccli.* XXXII.) Dum mundi reges se cæteris sublimiores sentiunt, mortales tamen se esse cognoscant, nec regni gloriam, qua in sæculo sublimantur aspiciant, sed opus quod secum ad inferos deportent, intendant. Si ergo carebunt hujus temporibus gloria, illa agant quæ post finem sine fine possideant. Dum Apostolus dicat : *Non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII), quomodo per prophetam de quibusdam potestatibus dicitur : *Ipsi regnaverunt, sed non ex me?* (*Ose.* VIII.) Quasi diceret : Non me propitio, sed me [etiam summe, *orig.*] irato. Unde inferius per eumdem prophetam dicit : *Dabo*, inquit, *tibi regem in furore meo* (*Ose.* XIII). Quo manifestius elucet, bonam malamque potestatem a Deo ordinari, sed bonam propitio, malam irato. Reges quando boni sunt, muneris esse Dei, quando vero mali, sceleris esse populi. Secundum meritum enim plebeium disponitur vita rectorum, testante Job : *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi* (*Job* XXXIV). Irascente enim Deo talem rectorem populi suscipiunt qualem pro peccato merentur. Nonnunquam pro malitia plebis etiam reges mutantur, et qui ante videbantur esse boni, accepto regno, fiunt iniqui.

CAP. 40. — *De eadem re. Ex dictis ejusdem* (*ibid.*, *c.* 49).

Qui recte utitur regni potestate, ita se præstare omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine

Introdusă în format electronic de Google

claret, tanto in semetipso humiliet mentem, proponens sibi exemplum humilitatis David, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter sese dejiciens, dixit : Vilis incedam, et vilis apparebo ante Dominum qui me elegit (*II Reg.* VI). Qui recte utitur regni potestate, formam justitiæ factis magis quam verbis instituet. Iste nulla prosperitate erigitur, nulla adversitate turbatur. Non innititur propriis viribus, nec a Domino recedit cor ejus. Regni fastigio humili præsidet animo. Non eum delectat iniquitas, non inflammat cupiditas. Sine defraudatione alicujus ex paupere divitem se facit, et quod juxta potestatem a populis extorquere poterat, sæpe misericordia clementia donat. Dedit Deus principibus præsulatum pro regimine populorum, et illis eos præesse voluit, cum quibus una est eis nascendi moriendique conditio. Prodesse ergo debet populis principatus non nocere, nec dominando premere, sed condescendendo consulere, ut vere sit utile hoc potestatis insigne, et dono Dei pro tuitione utantur membrorum Christi. Membra enim Christi fideles sunt populi, quos dum ea potestate quam accipiunt, optime regunt, bonam utique vicissitudinem Deo largitori restituunt. Bonus rex facilius ad justitiam a delicto regreditur, quam de justitia ad delictum transfertur. Ut noveris hoc esse casum, illud propositum. In proposito ejus esse debet, nunquam egredi a veritate. Quod si casu titubare contigerit, mox resurgere.

Cap. 41. — *De patientia regum. Ex dictis ejusdem (ibid., c. 50).*

Plerumque princeps justus etiam malorum errores dissimulare novit, non quod iniquitati eorum consentiat, sed quod aptum tempus correctionis exspectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire. Multi adversus principes conjurationis crimine deteguntur, sed probare volens Deus clementiam principum, illos male cogitare permittit, istos non deserit. De illorum malo bene istis facit, dum culpas quas illi agunt, isti mira patientia indulgent. Reddere malum pro malo vicissitudo est justitiæ. Sed qui clementiam addit justitiæ, non malum pro malo culpatis reddit, sed bonum pro malo offensis impertit.

Cap. 42. — *De delictis regum. Ex dictis ejusdem (ibid.).*

Difficile est principem regredi ad melius, si vitiis fuerit implicatus. Populi enim peccantes judicem metuunt; reges autem, nisi solo Dei timore metuque gehennæ coerceantur, libere in præceps proruunt, et per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur. Quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo; et quanto splendoris honore quisque celsior est, tanto, si delinquit, peccato major est. *Potentes* enim *potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). Cui enim *plus* committitur, plus ab eo exigitur (*Luc.* XII), etiam cum mensura [usura] pœnarum. Reges vitam subditorum facile exemplis suis vel ædificant vel subvertunt, ideo principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat, peccati ejus impunita licentia. Nam rex qui ruit in vitiis cito viam ostendit erroris. Sicut legitur de Jeroboam, qui peccavit et peccare fecit Israel (*III Reg.* XII). Illi autem ascribitur quidquid exemplo ejus a subditis perpetratur. Sicut nonnulli bonorum principum Deo placita facta sequuntur, ita facile multi prava eorum exempla sectantur. Plerique autem apud iniquos principes, necessitate magis quam voto, mali existunt, dum imperiis eorum obediunt. Nonnulli autem sicut prompti sunt sequi reges in malum, sic pigri sunt initari illos in bonum. Sæpe unde mali reges peccant, inde boni justificantur, dum præcedentium cupiditatem et malitiam corrigunt. Nam re vera peccatis eorum communicant, si quod illi diripuerunt, isti retentant. Cujus peccatum quisque sequitur, necesse est ut ejus pœnam sequatur. Neque enim erit impar supplicio, cujus errore quisque par est ac vitio.

Cap. 43. — *Quod reges legibus teneantur. Ex dictis ejusdem (ibid., c. 5).*

(*Dist.* 9, *c. Justum est.*) Justum est principem legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura quæ in subjectis constituunt. Justa est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi non licere patiantur. Sub religionis disciplina sæculi potestates subjectæ sunt. Et quamvis culmine regni sint prædíti, vinculo tamen fidei tenentur astricti, ut fidem Christi suis legibus prædicent, et ipsam fidei prædicationem moribus bonis conservent.

Cap. 44. — *De disciplina regum in Ecclesia. Ex dictis ejusdem (ibid.).*

(23, *q.* 5, *c. Principes sæculi.*) Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet [impleat] per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur [coerceantur], ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et sic venerationem meretur, ut virtutem potestatis impertiat [et ut venerationem accipiat, virtutem, etc. *Sic hodie Grat. et Isid.*]. Cognoscant principes sæculi Deo debere reddere se rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget cui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.

Cap. 45. — *Cur Deus alios ad libertatem, alios*

Introdusă în format electronic de Google

autem ad servitutem discreverit. Ex dictis ejusdem.

Propter peccatum primi hominis humano generi pœna divinitus illata est servitutis, ita ut quibus aspicit non congruere libertatem [dignitatem], his misericordius irroget servitutem. Et licet peccatum humanæ originis per baptismi gratiam fidelibus cunctis dimissum sit, tamen æquus Deus ideo discrevit hominibus vitam, alios servos constituens, alios dominos, ut licentia male agendi servorum, potestate dominantium restringatur. Nam si omnes sine metu fuissent, quis esset, qui a malis quempiam cohiberet? Inde et in gentibus principes regesque electi sunt, ut terrore suo populos a malo coercerent, atque ad recte vivendum legibus subderent. Quantum pertinet ad rationem, *non est personarum acceptio apud Deum* (*Ephes.* VI; *Col.* III), qui *mundi elegit ignobilia, et contemptibilia et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ne glorietur omnis caro* (*I Cor.* I), hoc est, carnalis potentia coram illo. Unus enim Dominus æqualiter et dominis fert consultum et servis. Melior est subjecta servitus quam elata libertas. Multi enim inveniuntur Deo libere servientes sub dominis constituti flagitiosis, qui, etsi subjecti sunt illis corpore, prælati tamen sunt mente.

CAP. 46. — *Ut nullus servus monachus fiat invito domino suo. Ex Chalcedonensi conc., cap.* 4 (*action.* 15, *q.* 16, *c. Qui vere pureque*).

Nullum recipi in monasteriis servum obtentu monachi, præter domini sui conscientiam voluimus. Transgredientem vero hanc diffinitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus.

CAP. 47. — *De eadem re. Gelasius per Lucaniam, Brutios et Siciliam episcopis* (*epist.* 1, *c.* 16).

Quisquis episcopus, presbyter et diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, serviles et originarias personas apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiasticæ servituti, vel religiosis congregationibus putaverint applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum et subscriptione [sub scripturæ testim. *orig.*], vel testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas, periculum se honoris sui non ambigant communionisque subituros.

CAP. 48. — *Ne mancipia manumissa servituti denuo mancipentur. Ex concilio Aurelianensi tempore Childeberti regis, cap.* 7 (*Aurel.* V).

Quæcunque mancipia ab ingenuis dominis servitute laxantur, in ea libertate maneant quam tunc a dominis perceperunt. Hujusmodi libertas, si a quocunque pulsata fuerit, cum justitia ab Ecclesiis defendatur, præter eas culpas, pro quibus leges collatas servis revocare jusserunt libertates.

CAP. 49. — *Exemplum ejusdem rei. Gregorius Mariano episcopo Ravennæ* (*l.* VII *regist., ep.* 21).

Joannes, præsentium portitor, queritur uxorem suam, molestias Georgii cujusdam refugientem, diu in septis venerabilibus residere, et nullum hactenus invenire solatium. Cujus quia de conditione esse A controversiam asserit, et vestræ eam fraternitati petiit commendandam, his vos hortamur affatibus, ut eidem mulieri servata æquitate tuitionem debeatis impendere, et a nullo eam contra rationis ordinem gravari aliquo modo permittatis.

CAP. 50. — *De eo, si quem ecclesiasticæ familiæ episcopus servitute laxaverit. Ex Agathensi concilio. cap.* 6 (*cap.* 7).

(12, *q.* 2, *c. Si quos de servis.*) Si quos de servis Ecclesiæ bene meritis episcopus libertate donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri, cum eo quod eis manumissor in libertate contulerit. Quod tamen jubemus 20 solidorum modum, in terrula, vineola, vel hospitiolo tenere. Quod si amplius datum fuerit, post manumissoris mortem B Ecclesiæ revocetur.

CAP. 51. — *Ut libertos, si opus fuerit, Ecclesia tueatur, cap.* 28 (*cap.* 29).

(*Dist.* 87, *c. Libertos legitime.*) Libertos, legitime a dominis suis factos, Ecclesia, si necesse fuerit, tueatur. Quod si quis ante audientiam aut pervadere eos, aut exspoliare voluerit vel præsumpserit, ab Ecclesia repellatur.

CAP. 52. — *Exemplum hujus rei. Ex concilio Toletano* IV, *cap.* 73 (*cap.* 71).

Dist. 87, *c. Liberti qui a quibuscunque.*) Liberti quicunque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum Patrum constituerunt, sacerdotali defensione a cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum, sive in peculio quod habere noscuntur. C

CAP. 53. — *De eadem re. Ex Vita beati Gregorii, lib.* III, *cap.* 45 (*auct. Joan. diac. R. Eccl.*).

Libertatem cujusque hominis Gregorius contra judicum insolentias, liberis nihilominus vocibus defendebat.

CAP. 54. — *De eadem re. Gregorius Leontio exconsuli* (*lib. Regist.* VIII, *c.* 51).

Unum hoc bene et constanter novi, quia et si quam in rebus publicis fraudem fecit libertinus, substantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, ut taceam, quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam, quod vestra opinio vehementer gravatur, piissimi tamen imperatoris nostri tempora omnino fuscantur. Hoc enim D inter reges gentium, et imperatorem regum distat, quia reges gentium domini servorum sunt; imperator vero, Romanorum dominus liberorum. Unde et vos quidquid agitis, prius quidem servata justitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis

CAP. 55. — *De mancipiis fugitivis, ne quis ecclesiastico jure illa tueatur. Item, Petro subdiacono.*

Plerosque cognovimus de amissis mancipiis conqueri dicentes quia, si servus cujuspiam fortasse fugiens dominum suum, juris ecclesiastici se esse professus est, rectores Ecclesiæ protinus hunc ut servum ecclesiastici juris habeant, nullo agentes judicio, sed servi vocem defendentes. Quod

Introdusă în format electronic de Google

mihi tantum displicet, quantum a veritatis judicio abhorret. Unde volo ut experientia tua, quæcunque ita facta cognoverit, postposita tarditate, corrigat, et talia quæque mancipia, si qua nunc jure ecclesiastico habentur, sicut sine judicio ablata sunt, ita restitui ante judicium decet, et si quid in eis sanctæ Ecclesiæ legitime competit, tunc eorum possessores debent ordinata actione pulsari.

CAP. 56. — *Quomodo defendere se debeat, qui libertate donatus ad servitutem revocatur. Capitularium lib.* III, *cap.* 43.

Si quis per chartam ingenuus dimissus fuerit, et a quolibet homine in servum interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suæ libertatis proferat, et in sua libertate perseveret. Si vero legitimus actor defuerit, testimonio bonorum hominum qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerat, se defendere permittatur. Si vero testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ ejusdem cancellarii manu firmatæ sint vel scriptæ, suam chartam, quæ tertia est, veram et legitimam esse confirmet. Cancellarius autem talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus fuisset et acceptus. Si autem qui interpellatus fuerit ad servitium, nec actorem nec testimonia habuerit, neque alias duas chartas ad suam confirmandam invenire potuerit, tunc is qui eum interpellavit, secundum legem ipsam chartam falsam efficiat, et servum conquirat.

CAP. 57. — *Ne servo credatur culpiam crimen imponenti. Capitular. lib.* VI, *cap.* 46.

(2, *q.* 7 *et* 8. *De accusat. v. can. si testes, et per totam* 4, *q.* 2 *et* 3.) Servo penitus non credatur, si super aliquem crimen objecerit, aut si etiam dominum suum crimine impetierit. Nam etiamsi in tormentis positus exponat quod objecit, credi tamen illi non oportet.

CAP. 58. — *Item, ne servilis conditionis personæ contra aliquem testantur, nisi ingenui desint. Cap.* 159.

Libertus vel liberta in nullis negotiis contra quemquam testimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus causis, ubi ingenuitas deesse cognoscitur, sicut permissum est et de servis.

CAP. 59. — *Servi testimonio adversus dominum minime standum. Lib.* VII, *cap.* 208.

Si servi facinora dominorum confessi sunt, nullo modo audiantur, nisi forte eos deferant majestati.

CAP. 60. — *De eadem re Codicum lib.* IV *cap.* 20, *titulo* VIII (*tit.* XX, *l.* VII).

Servos pro dominis, quemadmodum adversus eos, interrogari non posse, pro facto autem suo posse interrogari non ambigitur.

CAP. 61. — *Item de eadem re. Lib.* IX, *cap.* 1, *tit.* XX (*tit.* I, *l.* XX).

Si quis ex familiaribus, vel ex servis cujuslibet domus, cujuscunque criminis delator atque accusator emerserit, ejus existimationem, caput, vel fortunas periturus, cujus familiaritati vel dominio inhæserit, ante examinationem judicii in ipsa expositione criminum, atque accusationis exordio, ultore gladio feriatur.

CAP. 62. — *Liberti patronos accusantes perinde puniendi ac servi, tit.* XXI (*ibid. l.* XXI).

Liberti, si accusatores manumissorum, hæredumve eorum præsumpserint esse, eodem quo servi supplicio tenebuntur, luituri pœnas ante prohibitæ delationis exordium.

CAP. 63. — *Libertum ad ingratitudinem erga patronum revocari debere in servitutem. Novellarum constitutio* 69, *cap.* 2.

Si libertus contra patronum suum ingratus fuerit, rescindi debet libertas; cavere autem oportet ingratitudines, quæ legibus cognitæ sunt, veluti si libertus manus suas contra patronum moveat, vel si contumelias atroces ei fecerit, vel si magnum et intolerabile damnum ei dederit, id est, si ad dedecus ejus pertinentes injurias effuderit. Si enim horum aliquid patronus vel liberi ejus probaverint, ad pristinum statum convictus revertatur libertus.

CAP. 64. — *Quæ personæ a publica accusatione arceantur. Ex concilio Carthaginensi* VII, *cap.* 2.

(4, *q.* 1, *c. Diffinimus eum, et* 4, *q.* 6, *c. Omnibus quibus.*) Omnes servi, vel proprii liberti ad accusationem publice non admittantur, omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones, aut turpitudinibus subjectæ personæ; hæretici etiam, sive pagani, seu Judæi. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda est.

CAP. 65. — *Ne libertus Ecclesiam cujus antea servus fuerat, accusare præsumat. Ex Tolet. concil.* IV, *cap.* 69 (*cap.* 67).

(12, *q. c. Episcopus qui mancipium.*) Liberto adversus Ecclesiam, cujus juris exstitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet ut in servitutem propriæ Ecclesiæ revocetur, cui nocere conatur.

CAP. 66. — *De eodem. Ex Hispalensi conc.* II, *cap.* 9 (*cap.* 8).

(12, *q.* 2, *c. Octava discussio.*) Libertorum statum, qui contra episcopum suum, vel patronam Ecclesiam nituntur, decidi potius quam conservari convenit, ut quorum libertas perniciosa est, sit salutifera servitus, et qui superbire noverunt adepta libertate elati, perdita discant [ræditi, discant, *orig.*] obedire subjecti.

CAP. 67. — *Liberti, eorumque posteri qualiter cum rebus ab Ecclesia sibi commissis agere debeant. Ex Tolet. conc.* IX, *cap.* 16.

Libertis Ecclesiæ eorumque propagini ex omnibus quæ de jure Ecclesiæ noscuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium transactione quacunque deducere. Sed si ex his quælibet fortasse vendere voluerint, sacerdoti ejusdem Ecclesiæ offerent convenienter emenda, earumque rerum pretia, ut eis placuerit, aut dispensent, aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei suæ censum nullo modo transire permittimus. Suis autem filiis, vel propinquis ejusdem vel servitio vel patrocinio sub

Introdusă în format electronic de Google

jugatis, quæcunque vendere vel donare voluerint, aditus omnino patebit.

Cap. 68. — *Famulos ad ecclesiam confugientes contra voluntatem dominorum suorum non esse tuendos. Gregorius Bonifacio episcopo.*

(17, *q.* 4, *c. Metuentes.*) Metuentes famuli dominos si ad Ecclesiæ septa confugerint, intercessionem debent quærere, non latebras, ne hæc ipsa præsumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius etenim noster vir spectabilis Petrus queritur servum suum in ecclesia S. Clementis diutius commorari, cui cum deputasset sacramenta præstari, illum egredi nulla ratione voluisse. Et ideo supradictus homo de præsenti cum eo quem elegerit esse mittendum, cum de impunitate ejus sacramenta præbuerint, eum facias ad dominum suum modis omnibus remeare. Aut si in hac pervicacia forte perstiterit, post sacramentum sibi præstitum, reddatur invitus.

Cap. 69. — *De eadem re. Idem Petro subdiacono Campaniæ* (*lib. Regist.* II, *epist* 1, *seu c.* 46).

Mancipia si qua in monasterio Sancti Severini, vel in alia ecclesia ejusdem castelli de civitate refugerint, mox ut ad notitiam tuam pervenerit, nullo modo illic ea immorari permittas, sed intra civitatem in ecclesiam revocentur. Et si justam contra dominos suos querelam habuerint, congrua ordinatione de ecclesiis exire necesse est. Si vero venialem culpam commiserint, dominis suis accepto de venia sacramento, sine mora reddantur.

Cap. 70. — *Ne quis mancipia clericorum pro suis occupet. Ex Arelatensi concilio, cap.* 6.

Si quis mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiam fugientibus, crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.

Cap. 71. — *Si quis fugitivum servum clam domino suo susceperit, quo damno mulctetur. Codicum lib.* VI, *cap.* 1, *titulo* IV (*tit.* I, *l.* 4).

Quicunque fugitivum servum in domo vel in agro inscio domino ejus susceperit, cum compari alio vel 20 solidis reddat.

Cap. 72. — *Quod furti reus sit, qui servum a domino suo quolibet modo alienaverit, tit.* VI (*tit.* II, *l.* 4).

Alienum servum sine voluntate domini qui sciens vendidit, seu donavit, vel alio modo alienavit, nihil ei diminuere potest. Et si contrectet, vel apud se detinuerit, furtum facit.

Cap. 73. — *Ne quis apostolicæ sedis censura manumissum, ad servitium retrahat. Gregorius Anthemio subdiacono* (*lib.* I *Regist. ep.* 55).

Præsentium lator Gaudentius [Gaudiosus *est apud Gregor.*] insinuavit nobis, ab actoribus sanctæ Romanæ (cui Deo auctore præsidemus) Ecclesiæ, sibi violentiam irrogari, asserens quod filios suos juri prædictæ velint Ecclesiæ vindicare. Oblatis etenim ab eo documentis, novimus Siricam uxorem præsentium portitoris, ab Ætia quondam beatæ memoriæ, Morenæ cuidam feminæ titulo donationis fuisse largitam, et ab eadem Morena per epistolam manumissam. Et ideo indecens esse credimus ut progeniti ex libera muliere filii ad servitium retrahantur. Propterea experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, ut his ipsis documentis, sicut et nos didicimus, exuto a curis animo, diligenter intendat, quatenus si documenta nulla sunt ab Ecclesiæ parte, quæ documentis hujus hominis debeant obviare, ab ejus se molestia sine aliqua retractatione suspendat. Durum est enim ut, si alii pro mercede sua libertates tribuunt, ab Ecclesia, quam tueri hæc oportuerat, revocentur.

Cap. 74. — *Servum non esse fugitivum qui ad amicum domini sui, causa intercessionis confugerit. Pandectarum lib.* XXI, *tit.* I (*tit.* I, *l.* 43).

Qui ad amicum domini deprecaturus confugit, non est fugitivus. Imo si ea mente aut non impetrato auxilio, domum non revertatur, nondum fugitivus est.

Cap. 75. — *Quod servus fugiens, servi per hoc jugum non abjiciat, lib.* XLIV, *titulo secundo* (*lib.* XLI, *tit.* III).

(*L.* XV, § *Si servus quem.*) Si servus quem possidebam, fugerit, etiamsi pro libero gerat, videbitur a domino possideri. Sed hoc tunc intelligendum est, cum si is apprehensus fuerit, nolit pro libertate sua litigare; nam si paratus est litigare, non videbitur a domino possideri, cui se adversarium præparavit.

Cap. 76. — *De dominis si famulis intolerabiles fiant tit.* VIII.

De his servis qui ad ædem sacram vel statuam principum confugiunt, præcepit (Divus Antoninus) ut si intolerabilis videatur dominorum sævitia, cogantur servos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis detur. Et recte; expedit enim reipublicæ ne quis re sua male utatur. Cujus rescripti ad Ælium Martianum emissi verba sunt hæc; dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, ne cuiquam hominum jus suum detrahatur. Dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur his, qui juste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerint, et si vel durius habitos quam æquum est, vel infami injuria affectos cognoveris, vendere jube, ita ut in potestatem domini non revertantur.

Cap. 77. — *Exemplum vindictæ in eos qui se justas habere causas mendaciter fingunt. Gelasius Joanni episcopo Vivanensi* [*Viennensi* legit Grat.]

(17, *q.* 4, *c. Uxor Felicis.*) Uxor Felicis et filia Romam (quia sic oportuit) pervenerunt. Siquidem hunc ipsum primum se ad barbarorum basilicam conferentem, seque bonas causas habere jactantem, egredi sub hac conditione præcepimus, ut si actus suos fideliter et rationabiliter allegaret, nihil contra eum prorsus asperum fieri, durumque pateremur. Alioquin si contra fidem et utilitatem dominicam venisse probaretur, ipse sibimet imputaret atque ordinationi congruæ subjaceret. Qui superveniente

Introdusă în format electronic de Google

filio nostro viro spectabili Orthasio, sic est ad singula quæque convictus, ut os aperire non posset, et vera esse quæ huic objicerentur, propria voce fateretur. Ideoque tenetur mancipatus custodiæ.

Cap. 78. — *Quod homicidii reus non sit, qui alienum servum insidiantem sibi occiderit. Pandect. lib.* IX, *tit.* II (*tit.* II, *l.* 4).

Si servum tuum latronem insidiantem mihi, occidero, securus ero. Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum, ita permittit occidere, si is telo se defenderit, ut tamen æque cum clamore testificetur.

Cap. 79. — *Quod dominum par culpa constringat, si quem eo sciente servus occiderit. Tit.* IV (*tit.* IV, *l.* II).

Si servus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat; ipse enim videtur dominus occidisse. Si autem inscienter, noxalis est. Nec enim debuit maleficio servi in plus teneri quam ut noxæ eum dedat.

Cap. 80. — *Pœnitentia ejus qui proprium servum extra judicis conscientiam peremerit. Ex Aauthensi conc., cap.* 60 (*cap.* 62).

Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii, reatum sanguinis emundabit [emend., *or.*].

Cap. 81. — *Si quis peccaverit, in eo non in substantia ejus vindicandum. Gregorius Petro subdiacono Siciliæ* (*lib.* I *regist., epist.* 42).

(16, *q.* 6. *c. Cognovimus.*) Cognovimus quod si quis ex familia Ecclesiæ culpam fecerit, non in ipso, sed in ejus substantia vindicetur. De qua re præcipimus ut, si quis culpam fecerit, in ipso, sicut dignum est vindicetur; a commodo autem ejus abstineatur. Nisi forte parum aliquid, quod in usum exsecutoris qui ad eum mittitur, proficere possit [non possit *habet Greg.*].

Cap. 82. — *Qualiter admonendi sint servi. Greg. in Pastorali, lib.* II, (*parte* III, *admonitione* 6).

Servi admonendi sunt ne dominos despiciant, ne Deum offendant, si ordinationi illius superbiendo contradicant.

Cap. 83. — *Item admonitio servorum. Ambrosius super Epistolam primam ad Corinthios.*

Si qui *sub jugo* sunt *servi, dominos suos dignos omni honore* existiment, *ne nomen Dei et doctrina blasphemetur* (*I Timoth.* VI). Hæc de illis scribit Apostolus, qui infideles habent dominos, præcipiens eis, ut omne obsequium suis præbeant dominis, licet sint a pietate alieni.

Cap. 84. — *De eadem re. Ejusdem, in argumento Epistolæ ad Philemonem.*

Servos omne servile obsequium suis dominis præbere præcipit Apostolus cum omni sollicitudine, sive impios habeant, sive pios dominos.

Cap. 85. — *Qualiter dominus servum placare debeat injuste a se læsum. Sermo Augustini in Quadragesima De fraterna concordia, qui sic incipit :* Dies isti sancti (*hom.* 40, *lib. quinquag. Hom.*)

Aliquando dominus homo peccat in servum suum, quia etsi ille dominus est, ille servus, ambo tamen servi alieni sunt, quia ambo Christi sanguine redempti sunt; tamen durum videtur, ut hoc etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si forte dominus peccat in servum suum injuste litigando, injuste cædendo, dicat illi: Ignosce mihi, da mihi veniam quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire. Quid ergo? ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum. Et si non potest servo dicere, quia non oportet: Da mihi veniam, blande illum alloquatur; blanda enim appellatio, veniæ est postulatio.

Cap. 86. — *De servo qui res detinet alienas. Codicum libro* III, *cap.* 32, *tractat.* 20 (*tit.* XXXII, *l.* 20).

Non servum, quem res tuas detinere assueveras, sed ejus dominum de rebus repetendis conveniendum esse perspicis.

Cap. 87. — *Quod mancipium furtim et injuste distractum dominus sine pretio vindicabit, tract.* 23 (*l.* XXIII).

Si mancipium tuum per vim aut per furtum ablatum alii ex nulla justa causa distraxerunt, vindicanti tibi dominum, solvendi pretium nulla necessitas irrogetur.

Cap. 88. — *De servis furtim arbores succidentibus, cap.* 41, *tract.* 2 (*tit.* XLI, *lib.* 2).

Si servi vestri, inscientibus vobis, aut etiam prohibentibus, furtim arbores cæciderunt, frustra veremini, ne ex persona eorum ultra noxæ deditionem sitis obstricti, cum ex delictis servorum domini ignorantes, vel prohibentes, ita condemnari debeant, ut aut noxæ dedere servum, aut condemnationes sufferre in sua habeant potestate.

Cap. 89. — *Quod patronis vel dominis peccantibus, liberti vel servi sint innocentes, cap.* 15, *titulo* V (*lib.* IV, *tit.* XIII, *l.* 5).

Ex patroni, vel ex domini contractu, liberti vel servi conveniri non possunt.

Cap. 90. — *Si servus mutuam accepit pecuniam, quidquid ex ea in usum domini transierit, domino solvendum, cap.* 20, *tit.* I (*tit.* XXV, *l.* 1).

Servus tuus, pecuniam mutuam accipiens, ita dominum te institoria actione obligavit, si cum eum officio alicui, vel negotiationi exercendæ præponeres, etiam ut faceret, ei permissum a te, probetur. Quod si ea actio locum non habet, si quid in rem tuam versum probabitur, actione in eadem re proposita cogeris exsolvere.

Cap. 91. — *De eodem, titulo* III (*tit.* XXV, *l.* 3).

Institoria adversus eum actio competit, a quo servum mensæ præpositum dicis, si ejus negotii causa, quod per eum exercebatur, depositam pecuniam nec redditam, potest probari.

Cap. 92. — *De eadem re, cap.* 26. *tit.* III (*tit.* XXVI *l.* 3).

Etiam si neque mandante, neque subscribente, neque jubente domino, pecuniam mutuam Priscæ dedisses, tamen ea quantitas si in rem dominæ ejus justis erogationibus versa est, apud suum judicem eam conveni, consecuturus secundum juris formam, id quod tibi deberi apparuerit.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 93. — *Neminem contra patronum suum publice posse clamare, lib.* VI, *cap.* 6, *titulo* I (*lib.* IV, *tit.* VI, *l.* 1).

Contra patronum tuum famosam actionem instituere non potes.

Cap. 94. — *Nulli servilis conditionis inscio domino vel invito licere possessionibus præjudicium facere, lib.* IX, *cap.* 16, *tit.* VIII (*lib.* VIII, *tit.* XVI, *l.* 8).

Nexum non facit prædiorum, nisi persona quæ jure potuit obligare. Per servum autem, procuratorem, colonum, vel actorem, conductoremve præjudicium possessioni, invito vel inscio domino, imponi non posse, in jure et legum auctoribus declaratur.

Cap. 95. — *De partu ancillæ, si inscio vel invito domino expositus fuerit, cap.* 2, *titulo* I (*tit.* LII, *l.* I).

Si invito vel ignorante te, partus ancillæ tuæ expositus est, repetere eum non prohiberis; sed restitutio ejus (si non a fure vindicaveris) ita fiat, ut si qua in alendo eo, vel forte ad discendum artificium juste consumpta fuerint, restituantur.

Cap. 96. — *Item de partu servili titulo* II *tit.* LII. *l.* II).

Unusquisque sobolem suam nutriat; quod si exponendam putaverit, animadversioni quæ constituta est, subjacebit. Sed nec dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus, si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem, voluntas quæ misericordiæ est amica, non collegerit. Nec enim suum dicere poterit, quem pereuntem contempsit.

Cap. 97. — *Ne quis puerum cujuscunque conditionis expositum sibi vindicet in servum, titulo* III (*tit.* LIII, *l.* 3).

Sancimus nemini licere, sive ab ingenuis genitoribus puer parvulus procreatus, sive a libertina progenie, sive servili conditione maculatus, expositus sit, eum puerum in suum dominium vindicare, sive nomine dominii, sive ascriptione, sive colonariæ conditionis. Sed neque his qui eos nutriendos sustuleruut licentiam concedi penitus cum quadam distinctione [districtione] ita eos tollere, et educationem eorum procurare sive masculi sint sive feminæ, ut eos vel loco liberorum, vel loco servorum, aut colonorum habeant, sed nullo discrimine habito, hi qui ab hujusmodi hominibus educati sunt, liberi et ingenui appareant.

Cap. 98. — *De servis damnatis, quid rerum suarum ad dominos pertineat, cap.* 50, *tit* I (*lib.* IX, *tit.* XLIX, *l.* 1).

Servorum capitis criminibus damnatorum peculia dominis non auferri notum est; sed quod servum dominus habuisse probaverit, recipiet.

Cap. 99. — *Quod dominus servum defendere possit in judicio accusatum, cap.* 2, *tit.* II (*lib.* IX, *tit.* II, *l.* 2).

Si cuidam crimini servus obnoxius postulatur, dominus eum defendere potest, et in judicio sistere accusatoris intentionibus responsurum.

Cap. 100. — *Quod libertatem non amittat, si quis territus apud judicem servum se esse mentiatur. Capitularium lib.* VII, *cap.* 342.

Qui metu et impressione alicujus terroris, apud acta præsidis servum se esse mentitus est, postea statum suum defendendi, non præjudicatur.

Cap. 101. — *De eo qui a servo alieno aliquid comparaverit nesciente domino suo, lib.* V, *cap.* 506.

Si quis ex servo alieno aliquid comparaverit nesciente domino suo; si dominus infirmam voluerit esse emptionem, reddet pretium emptori, ut emptio nihil habeat firmitatis.

Cap. 102. — *Quod uterque anathema sit, et servus qui dominum suum superbe fugerit, et is qui eum ad hujusmodi fugam incitaverit. Hieronymus ad Paschasium Alexandrinum.*

De servo qui fugerat dominum suum interrogabas, si ille in illa fuga mortuus fuerit, utrum liceret pro eo orare, an non. Hoc in divinis libris non invenimus prohibitum; sed tamen ab apostolis firmiter præceptum, ut *servi* sint *subditi in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis* (*I Petr.* II), et in Gangrens. concilio (*cap.* 3), ita scriptum est: «Si quis servum sub prætextu divini cultus doceat proprium dominum contemnere, ut sic discedat ab ejus obsequio, anathema sit.» Unde datur intelligi quia si ille anathema meruit qui docet servum proprium contemnere dominum, et ab ejus obsequio discedere, quanto magis ille qui dominum spernit, et ejus servitio subdi noluerit! Sed tamen distantia est inter illum qui per superbiam fecerit, et illum qui per necessitatem coactus est crudelitate domini sui

Cap. 103. — *Ne patroni et liberti mutuo sese testimonio impetere cogantur. Pandect. lib.* XXII (*tit.* V, *l.* 4).

Nec patroni patronæve adversus libertos, neque liberti adversus patronos cogantur testimonium dicere.

Cap. 104. — *Dominos habere potestatem in servos servandi eos atque perdendi. Lib.* XLIV, *tit.* VIII.

Apud omnes æque gentes animadvertere possumus dominis in servos vitæ necisque potestatem esse, et quodcumque per servum acquiritur, id domino acquiritur.

Cap. 105. — *Quod furtum non faciat, qui rem ancillæ propriæ, quoquo modo donaverit. Instit. lib.* II, *tit.* VI.

Si is ad quem ancillæ pertinet ususfructus, partum suum esse credens, vendiderit aut donaverit, furtum non committit; furtum enim sine affectu furandi non committitur

Cap. 106. — *De servis malefacientibus. Lib.* III, *tit.* XXX (*lib.* IV, *tit.* VIII).

Ex maleficiis servorum, velut si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut injuriam commiserint, noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur aut litis æstimationem sufferre, aut hominem noxæ dedere. Noxa autem est corpus quod nocuit, id est servus; noxia ipsum maleficium, velut furtum, damnum, rapina, injuria. Summa autem ratione permissum est noxæ deditione perfungi. Namque erat iniquum nequitiam eorum ultra ipsorum corpora dominis damnosam esse. Dominus noxali judicio servi sui nomine

Introdusă în format electronic de Google

conventus, servum actori quidem noxæ dedendo liberatur, nec minus perpetuum ejus dominium a domino transfertur. Si autem damnum ei cui deditus est resarcierit, quæsita pecunia auxilio prætoris invito domino, manumittetur. *Item, aliquanto post.* Si dominus in servum suum aliquid commiserit, nec si manumissus vel alienatus fuerit servus, ullam actionem contra dominum habere potest.

CAP. 107.—*De his quæ filii acquirunt et servi, lib.* III, *tit.* XXIX.

Admonendi sumus acquiri nobis non solum per nosmetipsos, verum etiam per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per servos nostros, et filios, ut tamen quod per servos quidem nobis acquiritur, totum nostrum fiat; quod autem per liberos quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit acquisitum, hoc dividatur secundum imaginem rerum proprietatis, id est ususfructus quem nostra decrevit constitutio, ut quod ab actione commodum perveniat, hujus usumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio servetur.

CAP. 108.—*Exemplum justæ ultionis, ne quis alienum servum corrumpere vel sollicitare præsumat, lib.* IV, *tit.* I (*tit.* II).

Illud quæsitum est, cum Titius servum Mævii sollicitaverit, ut quasdam res domino subriperet, et ad eum perferret, et servus id ad Mævium pertulerit; Mævius dum vult Titium in ipso deprehendere, permisit servum quasdam res ad eum perferre: utrum furti, an servi corrupti teneatur Titius, an neutro. Et cum nobis super hac dubitatione suggestum est, et antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti neque servi corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodo, nos hujusmodi calliditati obviam euntes, per nostram decisionem sanximus, non solum furti actionem, sed etiam servi corrupti contra eum dari. Licet enim is servus deterior a sollicitatore minime factus est, et ideo non concurrant regulæ quæ servi corrupti actionem introducant, tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis servi introductum est, ut sit ei pœnalis actio imposita, tanquam si re ipsa fuerit servus corruptus, ne ex hujusmodi impunitate, et in alium servum qui possit corrumpi tale facinus a quibusdam perpetretur.

CAP. 109.—*De servo cum quo negotium gestum fuerit, tract.* VI, *tit.* VII.

Si jussu domini cum servo negotium gestum fuerit, in solidum prætor adversus dominum actionem pollicetur, scilicet quia qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur.

CAP. 110.—*De dominis et servis quomodo sese sibi conformare debeant. Prosper, lib.* II *De vita contemplativa, cap.* 3.

Domini servos velut eorum in Christo conservi, misericorditer tractent, et servi dominis ita ex corde deserviant ut voluntatem non solum dominorum suorum, sed etiam Dei hoc ipsum jubentis efficiant.

CAP. 111. — *De hominibus ecclesiastici juris, ne testamenti sibi paginam faciant. Gelasius Honorio episcopo.*

(13, *q.* 2, *c. Illud etiam.*) Illud etiam sinceritatem tuam non latere volumus, ad nos fuisse perlatum, quod ampliatus conductor, quem non solum servum constat Ecclesiæ, sed ita rationibus a multis temporibus implicatum, ut, etiamsi esset ingenuus, donec ratiocinia cuncta deduceret, modis omnibus obnoxius haberetur, ausu temerario molitus fuerit condere paginam testamenti, cujus omne peculium ecclesiastico juri legibus non dubitetur obstrictum. Quapropter his præsumptionibus vice nostra, tua fraternitas contradicat, nec fieri prorsus aliqua subreptione permittat. Ac si eidem quidquam humanitatis forte contigerit, quia grandævus esse memoratur, mox ejus sine dilatione substantiam unanimitas tua filiis ejus duntaxat, quibus patrimonium probatur commissum, sub fideli descriptione contradat, donec temporibus universis quibus hoc patrimonium gubernasse cognoscitur, partes Dominicas cogatur reddere indemnes.

CAP. 112.—*Ne quis servum judicet alienum. Thelesphorus papa fratribus episc.*

Tu quis es qui judicas alienum servum? (*Rom.* XIV.) Procul dubio transgressor es legis Dei et apostolorum atque prophetarum, et non solum harum, sed etiam humanarum. Omnes enim leges, tam divinæ quam humanæ, alienum servum judicare prohibent.

CAP. 113. — *De eadem re uberius. Institutionum lib.* IV, *tit.* IV.

Servis ipsis quidem nulla injuria fieri intelligitur, sed domino per eos fieri videtur. Non tamen iisdem modis quibus etiam per liberos et uxores. Sed ita cum quid latrocinii commissum fuerit, et quod aperte ad contumeliam domini respicit, veluti si quis alienum servum verberaverit; et in hunc casum actio proponitur. At, si quis servo convicium fecerit, vel pugno eum percusserit, nulla in eum actio domino competit. Si communi servo injuria facta sit, æquum est non pro ea parte qua dominus quisque est, æstimationem injuriæ fieri, sed ex dominorum persona, quia ipsis fit injuria. Quod si ususfructus in servo Titii est, proprietas Mævii, magis Mævio fieri injuria intelligitur. Sed si libero qui tibi bona fide servit, injuria facta sit, nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine id experiri poterit, nisi in contumeliam tuam pulsatus sit; tunc enim competit et tibi injuriarum actio. Idem ergo est et in servo alieno bona tibi fide servienti, ut toties admittatur injuriarum actio, quoties in contumeliam tuam ei injuria facta sit.

CAP. 114.—*Quod plerumque illicite oppressi Ecclesiæ patrocinium quærunt subjecti. Aug. super Joan. parte* I, *tract.* 44.

Aliquando illicito jugo et improbo subjecti fugiunt ad ecclesiam, qua retinentur ingenui a servitute. Interpellatur episcopus, et nisi curet operam

Introdusă în format electronic de Google

impendere ne ingenuitas opprimatur, immisericors deputatur.

CAP. 115.—*De rebus defuncti testatoris. Novellarum Justiniani constitut.* 1, *cap.* 1.

Si quis parentem, vel filium, vel fratrem, vel patronum hæredem constituerit, et legatum sive fidei commissum ab eo legibus non incognitum alicui reliquerit, si quidem voluntatem defuncti scriptus hæres impleverit, et sine frustratione legatum exsolverit, habeat firmiter hæreditatem defuncti, et judicio potiatur ejus cujus everti judicium passus non est. Si autem reluctandum esse voluntati testatoris existimaverit, et legatario moras fecerit, in tantum ut etiam legatarius judicem adeat, et victricem sententiam capiat, et tamen nihilominus hæres moras similiter faciat, et post judicialem calculum, annale prætereat spatium, tunc solam legitimam portionem sibi debitam hæres institutus habeat, et reliquam partem amittat.

CAP. 116. — *Ut infra annum hæres legata solvat, cap.* 4.

Intra annum modis omnibus relictum præstetur legatum; initium autem anni esse oportet illud tempus, quo judiciali sententia reus admonitus est propter legati solutionem; anno autem transacto, hæres qui legata non solverit, hæreditatem testatoris amittat.

CAP. 117.—*Quid creditorem agere oporteat, cui debitum die statuto non solvitur, const.* 4, *cap.* 1.

Si quis crediderit alicui, et fidejussorem vel mandatorem acceperit, vel eum qui pecuniam pro eo constituerit, non prius contra tales personas actiones moveat suas quam adversus ipsum reum principalem egerit, eumque inopem invenerit vel in solidum, vel pro parte. Postquam enim egentia laborare noscitur reus sive in solidum, sive pro parte, tunc contra fidejussores vel mandatores creditorem intendere oportet. *Item, ibid. c.* 2. Hæc autem sic intelligenda sunt ut nullam facultatem habeat creditor res vindicare, priusquam personales actiones exerceat, tam contra ipsum reum principalem quam contra fidejussores ejus et mandatores, eosque non solvendo esse appareat.

CAP. 118. — *Qui mutuam acceperit pecuniam quid facere debeat, si pecuniam non habuerit quam reddat, cap.* 2, (*ibid. c.* 3).

Si quis pecuniam mutuaverit, debitor autem pecuniam non habuerit, mobilem rem creditori præstet, si habet. Si autem rem mobilem non habeat, tunc immobilem rem suam, si habet, vendere debet, et pecuniam debitam ex pretio rei solvere. Sin autem emptorem non inveniat, tunc prædium quod optimum habet creditori suo præstet, et actione qua obstrictus est liberetur. Ubi autem emptorem prædii sui invenerit, caveat creditori pecuniam debitam soluturum se, et post cautionem liceat ei constituere venditionis contractum. Creditoris autem appellatione significatur non solum is qui mutuam dedit A alicui pecuniam, sed etiam omnes qui aliquam actionem contra aliquem habent.

CAP. 119.— *Quid fieri debeat de bonis capitaliter damnati, cap.* 10

Capitali crimine damnatorum bona, non ad lucrum præsidis perferri, sed cognatis punitorum reddi oportet.

CAP. 120.—*Ut allegationes litigatorum permaneant ut sunt, donec princeps accipiat tempus justitiam judicandi. Constitutio* 24, *cap.* 2

Si consultatio speretur, et princeps occupatus non possit senatum ad hoc ipsum colligere, allegationes litigatorum maneant in eadem figura, et nullum præjudicium patiantur, quamvis tempus statutum transactum sit, usque eo videlicet donec princeps vacationem habens, senatores convocaverit. B

CAP. 121.— *Ut lenones nusquam esse sinantur, imo et manuscripta eorum inania sint. Constitutio* 31 *cap.* 1.

Constit. 14, § *Item, Si quis.*) Hæc constitutio jubet neminem lenonem esse, neque in urbe imperiali, neque in provinciis et hoc prohibere debent prætores et præsides. Ultimo enim supplicio subjiciuntur qui contra constitutionis normam lenones esse ausi sunt. Omnia autem instrumenta et fidejussiones apud lenones interpositas, vel a lenonibus contra bonos mores factas, infirmas atque invalidas esse constitutio jubet.

CAP. 122. — *Quo supplicio plectatur incestum matrimonium, Constitutio* 32 *cap.* 1.

C (*Const.* 12, § 1.) Si quis nefarium et incestum atque damnatum matrimonium contraxerit, liberos autem ex priore legitimo matrimonio non habuerit, statim suis facultatibus careat, et dos quæ data est ei fisci juribus vindicetur. Post publicationem autem et cinguli sui patiatur amissionem, et exsilio puniatur. Quod si vilior sit, et corporali quæstioni subsistat, et uxor ejus, contra leges nupta, easdem pœnas patiatur, scilicet si nulla justa excusetur ignorantia.

CAP. 123. — *Qualiter nepotes et neptes avi vel aviæ hæreditates inter se partiantur. Constitutio* 34 *cap.* 4.

(*Constit.* 18, § *Neque illo quidem.*) Si quis nepotes ex filio reliquerit et ex filia, nepotes vel neptes pariter ad hæreditatem ab intestato avi defuncti vocentur, et non minus tertiam partem sicut ante capiant, sed integram portionem consequantur, nepotes ex filia talem accipiant nati qualem accipiunt nepotes ex filio procreati. D

Item (*eodem* §.) Si avia decesserit nepotibus ex filio et neptibus ex filia derelictis, omnes pariter ad hæreditatem aviæ suæ vocentur, et omnino nulla sit differentia, utrum omnes nepotes sint an neptes, utrum ex filio an ex filia procreati sint.

CAP. 124. — *Quid patiatur debitor qui tempore redditionis voluerit frustrare creditorem. Constitutio* 35 *cap.* 4.

(§ *Studium vero.*) Si quis prolata manu sua negaverit et dixerit talem scripturam suam non esse, postea actor probatione vexetur, et aliis difficultati-

Introdusă în format electronic de Google

bus [*Haloand.* Et hoc habentem suas litteras, ut in ea comprobanda magnis negotiis actor implicari cogatur. *Ita quoque Græcus codex.*] *Post pauca,* vel si litteras quidem suas agnoverit, dixerit autem pecuniam sibi numeratam a creditore non esse, in utrumque casum convictus, in duplo debitam quantitatem præstet. Quod si judex contra præsentem legem judicaverit, ipse pœnam actoris reddat. Si quis autem dixerit sibi nullam adnumeratam esse pecuniam, postea autem confessus sit, et dixerit se etiam particulares solutiones solvisse, quamvis re vera persolverit, attamen nihilominus integram sortem exsolvat.

CAP. 125.— *De muliere nubente intra annum luctus, ut infamis sit.*

(*Const.* 22, § *Ac primæ.*) Si mulier post mortem B mariti, necdum annali spatio completo, ad secundas properaverit nuptias, omni quidem modo inter infames erit. Sed si quidem liberos ex priori matrimonio non habeat, infamiam quidem solvere poterit, si preces imperatori porrexerit, et divino principis nutu priori opinioni restituta fuerit, res autem a priori marito sibi relictas nullo modo lucrabitur.

CAP. 126. — *De muliere quæ secundo nubens, res filiis suis ante donatas retrahere tentaverit, cap.* 55.

(§ *Mater sane.*) Si mulier liberis suis res quasdam donaverit, posteaque ad secundas pervenerit nuptias, et ingratitudinis velamento donationem semel a se factam revocare maluerit, nullo modo hoc poterit C facere, nisi specialiter probaverit, vel quod vitæ ejus filius insidiatas sit, vel quod ei manus impias intulerit, vel quod tales insidias concinnaverit ut facultatibus suis totis privaretur.

CAP. 127.— *Quod mulier secundo nubens, privilegia prioris mariti amittat, cap.* 24.

(§ *Neque item.*) Mulier, quæ ad secundas migraverit nuptias, privilegiis vel dignitatibus prioris mariti non utitur.

CAP. 128. — *De liberta patroni sui uxore, cap.* 25.

(§ *Hujusmodi eleganter autem.*) Si liberta mulier patrono suo copulata nuptiis quidem ejus renuntiaverit, ad secundum autem matrimonium migrare voluerit, id facere invito patrono non poterit, alioD quin si contra voluntatem ejus nupserit, non fiunt nuptiæ, sed ut meretrix conjuncta esse videtur.

CAP. 129.— *De muliere quæ liberorum suorum tutelam assumens, denuo nubere vult, cap.* 27.

(§ *Ad hæc : Si tutelam.*) Si mulier liberorum suorum tutelam administraverit, et post inchoatam administrationem ad secundas voluerit migrare nuptias, prius filiis suis impuberibus tutorem petere debet, eique administrationis suæ rationem reddere, et post, reddita ratione, si debitrix appareat, debitum suum persolvere debet, deinde si velit, ad matrimonium secundum perveniat. Si autem hac observatione contempta secundas contraxerit nuptias, non solum res ipsius, id est matris, liberis ejus hypo-

A thecæ titulo supponatur, sed etiam res vitrici ex præsentis constitutionis auctoritate.

CAP. 130.—*De muliere quæ intra annum luctus citra matrimonium conceperit, ut perinde infamis sit ac si nupsisset. Constit.* 58, *c.* 2.

(*Const.* 59, § *Fin.*) Si mulier defuncto marito antequam annus legitimus transeat, ad secundas nuptias non migraverit, more autem meretricum ab aliquo stuprata conceperit et pepererit, ut sit clarum id quod natum est defuncti mariti non esse, easdem pœnas patiatur, quas ex superiori constitutione patitur ea quæ ante tempus legitimum nuptias secundas contraxerit.

CAP. 131. — *Quales testes adesse oporteat hæretico contra hæreticum, vel orthodoxo contra hæreticum, aut certe catholicis invicem litigantibus. Constitutio* 42, *cap.* 2.

(*Constit.* 45, § *Fin.*) Si hæreticus contra hæreticum litiget, liceat cuivis alium hæreticum testem adducere. Sin autem orthodoxus contra hæreticum litiget, pro orthodoxo quidem hæretici etiam testimonium valeat, contra orthodoxum autem solius orthodoxi testimonium valeat. Orthodoxis autem litigantibus, ad testimonium nullus hæretico pateat aditus.

CAP. 132.—*Quod ad dirimendam partium controversiam unum sufficiat jusjurandum. Constitutio* 45, *cap.* 2.

(*Constit.* 50, § *Fin.*) Omnes litigatores postquam jusjurandum suum addunt, quia non delationis nec calumniæ causa, nec vexandi adversarii gratia probationes in tota causa ab adversario suo exigant; nam antea in unoquoque capitulo, cum litis litigator ab adversario suo probationes exegisset, jurare compellebatur, quod non calumniæ causa complura sacramenta præstaret; ideoque unum jusjurandum sufficiat.

CAP. 133.— *Judiciarie conventus quanto secum spatio deliberare debeat, et ne quis judicem spernat. Constitutio* 48, *cap.* 3.

(*Constit.* 55, § *Sed et illud sub finem.*) Si quis ex sententia judicis admonitus fuerit, habeat post admonitionem 29 dierum spatium.

Item (Ubi vero.) Intra vicesimum diem litis contestatio facta nullius momenti est. Si quis autem judicem recusaverit, et alium pro eo petierit, eumque iterum recusare maluerit, ut aliquem sibi judicem petat, non audiatur.

CAP. 134. — *Quid pati debeat qui debitorem suum ægrotantem molestare, vel defuncti funus impedire præsumpserit. Constitutio* 52, *cap.* 1.

Si quis debitorem suum ægrotantem et periclitantem mori, molestare voluerit pro debito suo, non liceat ei hoc facere, cum neque uxori ejus, neque liberis aliquam inquietudinem afferre permittatur, neque signa ædibus ejus imponere, nisi post mortem debitoris consistente [*Haloand.*, non prius decreto et legitimo ordine post ejus mortem, qui debere dicebatur custodito] judicialis calculus probatus fuerit, et legitima ordinatio secuta sit, sed neque mortuo debitore deductionem ejus, et funus impe

Introdusă în format electronic de Google

diat. Si enim tale aliquid perpetraverit suis actionibus cadit, sive justas habeat intentiones, sive non, et non solum debitam sibi quantitatem amittat, sed etiam alterum tantum hæredibus ejus pro injuria defuncti præstare compellatur, et non sufficiunt istæ pœnæ, cum et tertia pars bonorum ejus publicetur, et ipse infamia notetur.

Cap. 135. — *De tutoribus pupillorum. Constit.* 63, *cap.* 1.

(*Constit.* 72, § *Fin.*) Ab initio antequam administrationi se immisceant tutor vel curator cujusvis personæ, sacramentum præstare compellitur per divinas Scripturas, quod omnia gesturus est quæ pupillo commoda esse putaverit. Eadem dicimus et de iis qui curas egerint.

p. 136. — *De his qui res suas apud alios deponunt. Constitutio* 64, *cap.* 1.

(*Const.* 73, § *Si quis igitur.*) Si quis depositum in alicujus cautelam dare voluerit, necessarii sunt ei tres testes. Nam litteræ depositarii solæ non sufficiunt depositori, ad plenissimam depositi dati probationem. Testimonia autem sic exhiberi oportet, ut dicant testes quod sub præsentia sua vel susceptum est depositum, vel quod depositarius suscepisse conscripsit.

Cap. 137.—*Qua cautela conficienda sint instrumenta, cap.* 2.

Post pauca. Si quis sine tabellione componere instrumentum maluerit, sive de mutuo, sive de deposito, sive de aliqua quacunque causa, tres testes C adhibeat. Alioquin litteræ ipsius solæ credendæ non sunt. Nulla autem differentia est, utrum subscripsissent testes, an præsentibus eis instrumentum compositum esset.

Cap. 138. — *Item de eodem, cap.* 5.

(§ *Sed et si instrumenta.*) Instrumenta quoque quæ apud tabellionem componuntur, subscriptione testium sicut dictum est, muniri præcipimus ante completionem, scilicet a tabellione insertam.

Cap. 139. — *Quomodo manifestanda sit veritas absque scriptura, cap.* 10.

(§ *Fin. ibid. Nam si quis.*) Si sine scriptura aliqui contraxerint, liceat eis vel testimoniis vel jurisjurandi religione veritatem manifestare, scilicet D actore quidem testes producente.

Cap. 140. — *Quod a principe confirmari debeat filiis testamentum defuncti patris naturalis. Item.*

(*Const.* 74, § *Sit igitur licentia.*) Liceat patri in testamento suo legitimos successores sibi scribere filios naturales, ut tamen illi post mortem parentis supplicent imperatori, et testamentum patris ostendant, et principe annuente intantum capiant paternitatem, inquantum scripti sunt.

Cap. 141. — *Quomodo filii naturales efficiantur legitimi. Item.*

Post pauca. Legitimis filiis natis non aliter legitimi naturales fiunt, nisi dotalia instrumenta pater cum matre eorum confecerit.

A Cap. 142. — *Matrimonium consensu contrahi, etiam sine dotis promissione aut scriptura alia. Constitutio* 65.

(§ *Illud quoque ibi, quoniam autem.*) Si quis divinis tactis Scripturis, juraverit mulieri legitimam se eam uxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit.

Cap. 143. — *Quod ei liceat episcopum appellare, cui provinciæ præses fuerit infensus. Constitutio* 66, *cap.* 2.

Si cui præses provinciæ suspectus esse videtur, et litigare apud eum solum noluerit, liceat ei ad episcopum invocare, ut cum ipso considente causam audiat, et vel amicali compositione litigatores transB gere faciant. vel cognitialiter, ita tamen ut sententia legibus consentanea imponatur.

Cap. 144. — *De liberto qui patrono suo fuerit ingratus. Constit.* 69, *cap.* 1

(*Const.* 78, § *Statuimus.*) Si libertus circa patronum suum ingratus fuerit, rescindi debet libertas. Cavere autem oportet ingratitudines quæ legibus cognitæ sunt, veluti si libertus manus suas contra patronum moveat, vel si contumelias atroces ei fecerit, vel si magnum et intolerabile damnum ei dederit, id est si ad dedecus ejus pertinentes injurias effuderit; si enim horum aliquid patronus vel liberi ejus probaverint, ad pristinum statum convictus libertus revertitur.

Cap. 145. — *Ancillam si dominus manumiserit et uxorem duxerit, etiam filii ejus liberi sint, quos de eo adhuc in servitute genuit, cap.* 5.

Si quis libertam suam uxorem ducere voluerit, dotalia instrumenta cum ea componat, et habebit legitimam uxorem, quamvis ipse summa dignitate præfulgeat. Et si liberi ex tali connubio procreati fuerint, legitimi successores patri suo succedunt. (*cap.* 4). Si quis ex ancilla sua liberos habuerit, eamque manumittere velit, et dotalibus instrumentis factis uxorem legitimam habere, compositione instrumentorum dotalium liberi ejus manumitti videntur.

Cap. 146. — *De eo qui cum monachis et sanctimonialibus causam habuerit. Constitutio* 70, *cap.* 1.

D Si quis cum monachis aut sanctimonialibus habeat litigium, non audeat monachum vel sanctimonialem ad civilem judicem accusare vel trahere, sed magis adeat civitatis episcopum. Ille enim æstimabit utrum repræsentari principalis persona [principalis personæ] debeat, an per œconomos, vel apocrisiarios defendi, cum omni scilicet honestate, ita ut episcopus legibus et canonibus consentaneam sententiam proferat.

Cap. 147.—*Quomodo sententia proferatur. Constit.* 75, *cap.* 5.

Judices sententiam scriptis dicant, et provocationes condemnato non denegentur, nisi forte appellare aliquis maluerit, vel contumax in absentia fuit; nam et tertia provocatio præjudi-

Introdusă în format electronic de Google

cata est, et contumaces condemnati appellare non possunt.

CAP. 148. — *Ne cum litigatorum sacramento arbiter eligatur, cap.* 12.

In summa constituimus posthac licitum non esse ut cum sacramento litigatorum arbiter eligatur. Etsi enim suam contra jus sententiam dederit, ipse denuo rationem daturus est.

CAP. 149. — *Qualiter lites componi debeant, cap.* 14.

Omnes lites secundum leges et constitutiones dirimantur, quamvis jussio nostra vel pragmatica sanctio contrarium statuerit.

CAP. 150. — *Quid faciat qui contra clericum querimonium habuerit. Constitutio* 74, *cap.* 1.

Si quis cum clerico litigium habuerit, si quidem de causa pecuniaria, adeat prius episcopum, cujus judicio clericus suppositus est. Ille autem sine damno, sine dilatione, competentem finem liti impositurus est. Sin autem noluerit episcopus litem dirimere, tunc ad civiles judices disceptatio causæ perveniat. Ubi autem causam dirimere episcopus vult, sine scriptura omnia procedant, et definitiva sententia ab eo sine scriptis inferatur. Quod si de criminali causa litigium emerserit, tunc competentes interpellati consentaneum legibus terminum causæ imponant, ita tamen ut disceptatio litis duorum mensium spatium non excedat, a litis contestatione numerandum. Non aliter autem puniatur clericus, nisi obnoxius repertus sacerdotio nudatus fuerit ab episcopo suo, vel clericatus honore. Sin autem crimen ecclesiasticum est, tunc secundum canones episcopo soli causæ examinatio, et pœna procedat, nullam communionem aliis judicibus in hujusmodi causis habentibus.

CAP. 151. — *Neminem posse plures concubinas simul habere. Constit.* 79.

Nemo intelligatur concubinam habere, qui cum multis mulieribus concumbere solet. Nam quemadmodum qui legitimam uxorem habet, aliam habere durante eodem matrimonio non potest, ita et qui unam concubinam habet, non potest alias eo tempore habere.

CAP. 152. — *Quod non sit audiendus testis, nisi probabilis vitæ, et quomodo judicandæ sint tergiversationes debitorum. Constit.* 80, *cap.* 1.

Nullius recipiatur testimonium, nisi ejus qui sit bona opinione, vel quem dignitas commendat, vel militia, vel vitæ honestas, vel artis titulus laudabilis, vel etiam aliorum testium vox, de bona vita ejus consentiens. Alius autem testis vilissimus si productus in judicio fuerit, liceat judici si hoc æstimaverit, tormentis eum subigere. Si quis autem scripserit se debere alicui pecuniam, postea autem dicat se sine scriptis eam solvisse, non audiatur, quamvis testes produxerit, nisi secundum observationem nostræ constitutionis, sic tamen ut testes duorum alterum dicant, vel quod præsentibus ipsis et ad ipsum rogatis debitor creditori pecuniam solvit, vel quod ad hoc ipsum accepti audierint creditorem dicentem pecuniam sibi solutam fuisse. Non admittimus autem testimonia eorum qui dicere solent transeuntes se audisse aliquem dicentem pecuniam sibi solutam esse · sed nec tabulariorum sola præsentia sufficit, nisi testes quoque rogati subscripserint. *Item.* Plurium et bonorum testimonia sequi oportet, et eos qui contraria dixerint, si quidem per errorem, convenit admittere; sin autem per astutias aliquas, tormentis subjicere.

CAP. 153.— *Testis qui putatur ingenuus, quando servus fuerit comprobatus, testimonium ejus nihil valere, cap.* 4.

Si testis productus servus esse dicatur, ille autem dicat se liberum esse, siquidem ingenuum : scribatur quidem testimonium ejus, postea autem si probatus fuerit servus, nullius momenti sit. Sin autem libertinum se esse dixerit, siquidem instrumentum manumissionis suæ ostenderit, dicat testimonium; sin autem in alio loco dicat instrumenta sui status habere, scribatur quidem testimonium ejus; postea autem si non produxerit instrumenta, nullius momenti sit.

CAP. 154. — *Testem non audiendum quem inimicum ejus esse claruerit, contra quem productus est, cap.* 5.

Si quis dixerit testem productum inimicum suum esse, si quidem ex criminali causa, omnino non dicat testimonium. Sin autem ex alia occasione, dicat testimonium, sed præscriptio ejus ei opponatur.

CAP. 155. — *De eo qui se mediatorem partium profitetur.*

Si quis mediatorem partium se dixerit, ideoque se non oportere in dubium testimonium in alterutrum eorum dicere, illi autem consenserint ut producatur, consequens est ut in hoc casu etiam invitus testimonium dicat.

CAP. 156. — *Ut testes non producantur nisi præsentibus adversariis, cap.* 7.

Testium productio non aliter habeatur, nisi præsente quoque adversaria parte, vel contumaciter non veniente, scilicet ut salva præscriptio competat, quam opponendam existimaverit. Contumaciter autem non videtur abesse qui ex necessitate bfuit forte enim intra loca sanctorum fugerat.

CAP. 157. — *De muliere quæ post obitum viri filiorum tutelam acceperit. Constit.* 84, *cap.* 1.

Si mater marito defuncto filiorum suorum tutelam gubernare maluerit, renuntiet secundis nuptiis in judicio sine jurejurando; res autem suas impuberi filio suo obliget, atque ita ei tutela committatur.

CAP. 158. — *Ut nullus qui ecclesiæ non communicat, functiones publicas agat. Constitutio* 99, *cap.* 1.

Nullus hæreticus militet, vel curas publicas gerat. *Item.* Omnino eos qui non communicant in Ecclesia

Introdusă în format electronic de Google

hæreticos vocamus, quamvis nomen Christianorum usurpent.

CAP. 159. — *Maritus accusaturus uxorem adulterii, necesse habeat inscribere. Constit.* 105, *cap.* 7.

Si in adulterio maritus putaverit suam uxorem convinci, prius debet inscriptiones deponere vel contra mulierem vel contra adulterum, et si talis accusatio vera comprobata fuerit, tunc repudium mittat.

CAP. 160. — *Quando mulier repudium mittat marito, cap.* 8.

Si vitæ mulieris quocunque modo insidiatus fuerit maritus, vel si aliis hoc facientibus conscius, non manifestaverit mulieri, et secundum leges eam non vindicaverit, si castitati mulieris insidiatus fuerit, vel aliis eam in adulterium prodere conatus fuerit; item si maritus ei de adulterio inscriptiones posuerit, et adulterium probare non poterit, liceat mulieri repudium mittere marito. *Item.* Illis pœnis subjiciatur maritus si adulterii accusationem non probaverit, quas mulier passura fuisset, si convicta fuisset. *Item.* Si in eadem domo in qua mulier cum ipso habitat, contemnens eam, cum alia muliere inveniatur in domo manens, vel in eadem civitate degens in alia domo cum alia muliere frequenter manens convincatur, et semel et bis criminatus, vel per parentes suos, vel per parentes mulieris, vel per alias idoneas personas, hujusmodi turpitudine nisi abstinuerit, liceat mulieri dissolvere nuptias.

CAP. 161. — *Quomodo maritus adversus eum quem habet susvectum adulterii procedere debeat, cap.* 14.

Si quis suspicatus fuerit de aliquo velle eum pudori uxoris suæ illudere, liceat ipsi marito testationes in scriptis habitas ad suspectum hominem mittere, et ter ei denuntiare per ipsas testationes et idoneos testes continentes, ne cum uxore sua inveniatur; et si post tres testationes in scriptis habitas, et idoneos homines habentes, invenerit eum quem contestatus est cum uxore sua, vel in sua domo vel in domo mulieris, vel in domo illius adulteri, vel in popina, vel in prastino, liceat marito sine ullo periculo manibus suis eum occidere. Sin autem in alio loco deprehenderit eum colloquium habentem cum uxore sua, convocatis idoneis testibus tribus, per quos possit probare apud judicem invenisse eum cum uxore sua colloquium habentem, tradat eum judici; et si judex invenerit post tres testationes hominem suspectum collocutum mulieri fuisse, nullo alio exquisito, quasi adulterum puniat.

CAP. 162. — *De eadem re, cap.* 15.

Si post tres contestationes invenerit maritus uxorem suam in sacro loco cum suspecto homine colloquium habentem, tradat eos ecclesiæ defensori vel aliis clericis, ut separatim custodiantur in periculo defensoris vel clericorum, ut auditos judex mittat ad religiosum civitatis episcopum, et auctoritate ipsius accipiat eos, et pœnis contra adulteros positis utrosque afficiat, nullo alio requisito, si post tres contestationes inventus est cum muliere locutus. Est autem justissimum neque adulteros, neque raptores mulierum sacrorum septis vindicari, et multo magis si quis de ipso adulterio intra saera alienæ mulieri locutus est. Et generaliter definimus, si quis invenerit uxorem, vel filiam, vel neptem, vel nurum deprehenderit cum aliquo colloquium habentem, et suspicatus fuerit turpitudinis causa eos convenisse, liceat ambos tradere defensori ecclesiæ vel aliis clericis, periculo eorum separatim custodiendos, donec judici innotescere fecerit, et ille secundum leges personas acceperit, et causam discusserit.

CAP. 163. — *De his qui ad judicium venire aliqua necessitate impediuntur. Pandectarum libro.*

(*Lib.* II, *tit.* XI, § *Si quis judicio.*) *Si quis* judicio se sisti promiserit, et valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus, se sistere non possit, exceptione adjuvatur. *Item* (*paulo post,* § *Quod diximus*): Quod diximus succurri ei etiam qui tempestate aut vi fluminis prohibitus non venit, tempestatem sic intelligere debemus sive maritima sive terrestris sit, tempestatemque intelligere debemus talem, quæ impedimento sit itineri vel navigationi. Vis fluminis etiam sine tempestate accipienda est. Vim fluminis intelligimus, si magnitudo ejus impedimento sit, sive pons solutus sit, vel navigium non stetit. Si quis tamen cum posset non incidere in tempestatem vel in fluminis vim, si ante profectus esset, vel tempore opportuno navigasset, ipse se arctaverit, nunquid exceptio ei *minime* prosit? quod quidem causa cognita erit statuendum. Nam neque sic arctandus erit, ut possit ei dici, cur non multo tempore ante profectus est quam dies promissionis veniret? Neque iterum permittendum est ei, si quid sit quod ei imputetur, causari tempestatem vel vim fluminis. Quid enim, si quis cum Remæ est et ipso tempore promissionis sistendi, et nulla necessitate urgente, voluntatis causa in municipium profectus sit, nonne indignus est cui hæc exceptio patrocinetur? Aut quid si tempestas quidem in mari fuit, terra autem iste potuit venire, vel flumen circumire? Æque dicendum est non semper ei exceptionem prodesse, nisi angustiæ non paterentur terra iter metiri vel circumire, cum tamen vel flumen sic abundasset ut implesset omnem locum in quo sisti oportuit, vel aliqua fortuita calamitas eumdem locum evertit, vel præscientiam venienti periculosam fecit; ex bono et æquo et hic exceptio ei accommodanda est. Simili modo exceptio datur ei, qui cum ad judicium venire volebat, a magistratu retentus est, et retentus sine dolo malo ipsius. Nam si ipse hoc affectavit, vel causam præstiterit, non ei proderit exceptio, sed ipsi quidem dolus ejus oberit, cæterorum non oberit qui malo dolo fecerant ut retineretur, sed si privatus eum detinuerit, nullo

Introdusă în format electronic de Google

modo ei proderit hæc exceptio. *Item* (*ibid. l.* IV, § *Illud.*). Si funere quis domestico impeditus non venit, debet ei exceptio dari.

CAP. 164. — *Item de feriis.*

(*Lib.* II, *tit.* XII, *l.* I.) Ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire, oratione divi Marci exprimitur, quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt. Sed si prætor aut per ignorantiam vel socordiam evocare eos perseveraverit, hi qui sponte venerint siquidem sententiam dixerint, præsentibus illis et sponte litigantibus sententia valebit, tametsi recte non fecerit, qui eos evocaverit. *Item* (*ibid. l.* III.) Solet etiam messis, vindemiarumque tempor ejus dici de rebus quæ tempore vel morte perituræ sunt, veluti furti, damni, injuriæ, injuriarum atrocium quæ de incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata rapuisse dicuntur, et si quæ similes sunt.

CAP. 165. — *De pactis.*

(*Tit.* XIV, *l.* XXVII, § *Pacta quæ.*) Pacta quæ turpem causam continent, non sunt observanda. *Item* (*ibid.*, *l.* XXVIII.) Contra juris civilis regulas pacta conventa, rata non habentur.

CAP. 166. — *Item, contrahentem matrimonium illicitum, infamem fieri.*

(*Lib.* III, *tit.* II, *l.* XIII, § *Cum autem.*) Si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituat, quam uxorem ducere vel non potest, vel fas non est, erit notatus.

CAP. 167. — *De solutionibus.*

(*Tit.* V, *l.* XXXIX.) Solvendo quisque, pro alio licet invito et ignorante, liberat eum. Quod autem alicui debetur, alius sine voluntate ejus non potest jure exigere.

CAP. 168. — *De eo quod metus causa sit.*

(*Lib.* IV, *tit.* II, *l.* I.) Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo. *Item* (*ibid. l.* III, § *Sed vim.*) Vim accipimus atrocem, et eam quæ adversus bonos mores fiat, non eam quam magistratus recte intulit, scilicet jure licito et item jure honoris quem sustinet. (*Ibid. l.* IX.) Metum autem præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi ejus. (*Lib.* IV, *tit.* VI, *l.* III.) Metus autem causa abesse videtur qui justo timore mortis vel cruciatus corporis conterritus abest.

CAP. 169. — *Quis reipublicæ causa absit.*

(*Lib.* IV, *tit.* VII, *l.* XVI.) Reipublicæ causa eos solos abesse intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti sunt.

CAP. 170. — *Ne quis sit judex vel arbiter in re propria.*

(*Lib.* IV, *tit.* VIII, *l.* LVI.) Item. Si de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest.

CAP. 171. — *Nautæ, caupones, stabularii, unde mercedem accipiant.*

(*Lib.* IV, *tit.* IX, *l.* V.) Nauta, et caupo, et stabularius mercedem accipiunt non pro custodia, sed nauta ut trajiciat vectores, caupo ut viatores manere in caupona patiatur, stabularius ut permittat jumenta apud eum stabulari, et tamen custodiæ nomine tenetur, nam et fullo et sarcinator non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt, et tamen custodiæ nomine ex locato tenentur.

CAP. 172. — *Quod securus sit qui alienum servum sibi insidiantem occiderit; et de quibusdam aliis, lib.* IX, *tit.* II (*lib.* IV).

Itaque si servum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero. Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Lex duodecim Tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit: ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdum autem deprehensum ita permittit occidere, si is et telo defenderet, ut tamen æque testificetur. *Item* (*ibid.*, *l.* X). Qui occiderit adulterum deprehensum servum alienum, hac lege non tenebitur. *Item* (*ibid.* § *In hac quoque.*) Si quis in stipulam suam, vel spinam, comburendæ ejus causa, ignem immiserit, et ulterius evagatus et progressus ignis alienam segetem vel vineam læserit, inquiramus num imperitia ejus aut negligentia id accidit; nam, si die ventoso id fecerit, culpæ reus est. Nam et qui occasionem præstat, damnum fecisse putatur. In eodem crimine est, et qui non observavit ne ignis longius procederet. At si omnia quæ oportuit observavit, vel subita vis venti ignem longius produxit, caret culpa. *Item* (*ibid. l.* XXXIX). Qui pecus alienum in agro suo deprehenderit, non jure id includit, nec agere illud aliter quam (ut supra diximus) quasi suum, sed abjicere debet sine damno, vel admonere dominum ut suum recipiat.

CAP. 173. — *Quod dominus quoque culpabilis sit, quo sciente servus aliquem occiderit. Titulo* IV (*lib.* II).

Si servus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat; ipse enim videtur dominus occidisse. Si autem insciente eo, noxalis est actio; nec enim debuit ex maleficio servi in plus teneri quam ut noxæ eum dedat.

CAP. 174 — *De condictione, causa data, causa non secuta.*

Item. Ob rem igitur honestam datum ita repeti potest, si res propter quam datum est secuta non est. Quod si turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest.

CAP. 175. — *Quod mandare intelligitur, qui mandari ab alio patitur ut sibi credatur, lib.* XVII, *tit.* I (*lib.* XVIII).

Qui patitur ab alio mandari ut sibi credatur, mandare intelligitur.

CAP. 176. — *Nullius momenti esse societatem dolo ac fraude compositam, tit.* II.

(*Lib.* III, § *Societas.*) Societas si dolo malo, aut fraudandi causa coita sit, ipso jure nullius momenti est, quia fides bona contraria est fraudi et dolo. *Item* (*ibid.*, *l.* LIII). Quod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæsitum est, in societatem non oportere converti [conferri] palam est, quia delictorum turpis ac fœda communio est. *Item* (*lib.* LVII). Si maleficii societas coita sit, constat nullam esse societatem.

Introdusă în format electronic de Google

Generaliter enim traditur rerum inhonestarum nullam esse societatem.

CAP. 177. — *Non esse fugitivum qui ad amicum deprecaturus confugerit, lib.* XXI, *tit.* I.

(*Lib.* XLIII, § *Qui ad amicum.*) Qui ad amicum deprecaturus confugit, non est fugitivus, imo si ea mente ut non impetrato auxilio domum non revertatur, non est fugitivus.

CAP. 178. — *Rem non alienari quæ minoris venditur quam mandatur, tit.* II.

Si quis rem meam vendidit minoris quam mandavi, non videtur alienata.

CAP. 179. — *Ad quem probatio causæ pertineat, lib.* XXII, *tit.* III.

Ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat.

CAP. 180. — *Qui testes sint cogendi, vel non, tit.* V, *lib.* IV.

Ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve qui priori gradu sint. Item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentum, viri, uxoris. Et ne patroni vel patronæ, adversus libertos, neque liberti adversus patronum cogantur testimonium dicere.

CAP. 181. — *Qui testes non sint idonei, lib.* VI.

Item. Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest ut testes sint. *Item* (*lib.* IX). Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. *Item* (*ibid., l.* XVI). Qui falso vel varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a judicibus puniuntur. *Item* (*ibid., l.* XVII). Pater et filius qui in potestate ejus est, item duo fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, testes utrique in eodem testamento, vel eodem negotio fieri possunt : quoniam nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. *Item* (*ibid. l.* XVIII). Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonium in judicio dicendi jus habere.

CAP. 182. — *Qualiter sponsalia fieri debeant. Item lib.* XXIII (*tit.* I, *l.* II).

Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium : et ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiamfamilias consentire oportet. *Item* (*lib.* XII). Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem dissentiendi a patre licentia conceditur, si indignus moribus, vel turpis sponsus ei a patre eligitur.

CAP. 183. — *Item, de diversa qualitate et conditione nubentium, lib.* XIII.

Filiofamilias dissentiente, sponsalia ejus nomine fieri non possunt. *Item* (*lib.* XIV). In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis. Quapropter a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores quam 7 annis. *Tit.* II (*lib.* XVI, § *Furor.*) Furor contrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est : sed recte contractum non impedit. *Item* (*lib.* XXIV). In liberæ mulieris consuetudine, non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit. *Item* (*lib.* XLIII, § *Quæ in adulterio.*) Quæ in adulterio deprehensa est, quasi publico judicio damnata est. Proinde si adulterii condemnata esse proponatur, non tantum quia deprehensa est, erit notata, sed quia et publico judicio damnata. Generaliter definiendum est, donec certum est maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium.

CAP. 184. *Diuturnos mores plerumque pro jure teneri. Instit. lib.* I, *tit* II.

(§ *Ex non scripto.*) Ex non scripto in jus venit, quod usus probavit. Nam diuturni mores consensu utentium comprobati, legem imitantur. *Item. Paulo post.* Ea quæ ipsa sibi quæque civitas constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu principis, vel alia postea lege lata.

CAP. 185. — *De his qui de utrisque parentibus ingenuis, vel diversa conditione generantur, tit.* IV.

(§ *Ingenuus.*) Ingenuus, id est, qui statim ut natus est, liber est, sive ex duobus ingenuis matrimonio editus, sive ex libertinis, sive ex altero libertino et altero ingenuo. Sed et si quis de matre libera nascitur patre servo, ingenuus nihilominus nascitur : quemadmodum qui ex matre libera et incerto patre natus est, quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam habuisse matrem eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et econtrario si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit eum qui nascitur liberum nasci : quia non debet calamitas matris ei nocere qui in utero est Ex his et illud quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta peperit, liberum an servum pariat. Marcellus probat liberum nasci ; sufficit enim ei qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse; quod et verum est.

CAP. 186. — *Quod æque puniri debeat qui sine causa proprium, quam qui alienum servum occiderit, et varia causatio de fugitivis servis. Tit.* VIII, *lib.* I.

(§ *Nam apud omnes.*) Apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem esse, et quodcunque per servum acquiritur, id domino acquiri.

Item. § *Sed hoc tempore.* Qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur quam qui servum alienum occiderit. *Post pauca.* Pius Antoninus consultus a quibusdam præsidibus provinciarum, de his servis qui ad ædem sacram, vel statuam principum confugiunt, præcepit ut si intolerabilis videatur dominorum sævitia, cogantur servos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis detur. Et recte, expedit enim reipublicæ ne quis re sua male utatur. Cujus rescripti ad Ælium Marcianum emissi verba hæc sunt : Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, ne cuiquam hominum jus suum detrahatur; dominorum interest ne auxilium contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis qui juste

Introdusă în format electronic de Google

deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerunt, et si vel durius habitos quam æquum est, vel infami injuria affectos cognoveris, vendere jube, ita ut in potestatem domini non revertantur.

Cap. 187. — *Quod plures ex una domo testes alieno negotio adhiberi possint, libro* II, *titulo* X.

§ *Pater.* Duo fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, utrique testes in uno testamento possunt fieri, quia nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi. In testibus autem non debet esse qui in potestate testatoris est.

Cap. 188.—*Quinam testamenta facere possint, lib.* II, *tit.* XII.

§ *Non tamen.* Non omnibus licet facere testamentum : statim enim ii qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent. *Item.* § *Præterea testamentum.* Testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi judicium est. Item furiosi, quia mente carent. Neque ad rem pertinet, si impubes postea pubes factus, aut furiosus postea compos mentis factus fuerit, et decesserit. Furiosi autem si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur. § *Item. Surdus.* Item surdus et mutus non semper testamentum facere possunt. Utique autem de eo surdo loquimur qui omnino non exaudit, non qui tarde exaudit. Nam et mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tarde loquitur.

Cap. 189. — *De filiis ancillæ quos de domino suo forte genuerit, et postmodum manumissa et legitime copulata, alios liberos procreaverit, libro* II, *tit.* II.

Si quis mulierem in suo contubernio copulaverit, non ab initio affectione maritali, ea tamen cum qua potuerit habere conjugium, et ex ea liberos sustulerit, postea vero affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiosque vel filias habuerit, non solum eos liberos qui post dotem editi sunt, justos, et in potestate esse patris, sed etiam anteriores, quia et iis qui postea nati sunt occasionem legitimi nominis præstiterunt, obtinere censuimus, etiam si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce subtracti fuerint.

Cap. 190. — *Nihil valere quod turpi ex causa promittitur, tit.* XVIII.

(*Instit. lib.* III, *tit.* XX. § *Quod turpi*). Quod turpi ex causa promissum est, veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.

Cap. 191. — *Vim atque injuriam propellendam, lib.* I, *tit.* II.

(*Pandect. lib.* I, *tit.* I, *l.* III) Ut vim atque injuriam propulsemus; nam jure hoc venit ut quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse æstimetur.

Cap. 192. — *Quod lex prælerita sic errata remittit, ne tale quid ulterius fiat. Item tit.* II (*tit.* III, *l.* XXII).

Cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat.

Cap. 193. — *De his qui diverse nascuntur, titulo* V, *lib.* XII.

Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, et ideo credendum est eum qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse. *Item* (*ibid.*, *l.* XIX.) Cum legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur, vulgo quæsiti matrem sequuntur. *Item* (*ibid.*, *l.* XXIII.) Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt vel qui possunt quidem, sed eum habent quem habere non licet. *Item* (*lib.* XXIV.) Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur. *Item* (*lib.* XXVI.) Qui in utero sunt, in toto pene jure civili intelliguntur in rerum natura esse; nam et legitimæ hæreditates his restituuntur, ita ut si prægnans mulier ab hostibus capta sit, id quod natum erit, quamvis apud bonæ fidei emptorem pepererit, tanquam furtivum usu non capitur. *Item* (*lib.* I, *tit.* VI, *l.* VIII.) Furiosus licet ducere uxorem non possit, retinere tamen matrimonium potest.

Cap. 194. — *De illicito pacto. Ex lege Theodosiana.*

Si inter aliquos conveniat, ut de admittendo crimine, vel inferenda violentia, vel faciendo quod leges aut honestas prohibet, aut de rebus alicujus, aut de bonis inventis aliqui paciscantur; hæc pacta valere non possunt.

Cap. 195. — *De re, mediante scriptura, duobus diversis temporibus tradita. Item lib.* V.

Si aliquis unam rem per legitimas scripturas duobus donaverit, uni prius et alteri postea, non quærendum est in his donationibus qui prius qui posterius acceperit, sed qu irem tradente donatore possederit, is eam cui est tradita possidebit. Nec interest utrum in parentes, an in extraneos facta sit talis donatio.

Cap. 196. — *De petitione debiti.*

Licet prior petitor offerat sacramentum, tamen cum nulla probatio est debiti, is qui accusatur potest fidem suam jusjurandi religione firmare.

Cap. 197. — *De eadem re.*

Si quando pulsatus repetendi pecuniam obtulerit sacramentum, et ille ei jusjurandi necessitatem ultro concesserit, non potest postea ab eo debitum postulare.

Cap. 198. — *Pro re obtinenda quis debeat jurare.*

Hæres ejus cui pecunia credita dicitur, ad sacramentum vocari non potest, quia quid egerit actor suus ad integrum scire non potuit.

Cap. 199. — *De impensis in res commodatas factis, et ad quid commodatarius teneatur.*

Quidquid in rem commodatam ob morbum, vel aliam rationem impensum est, a domino recipi potest. Si facto incendio, ruina, naufragio, aut quolibet simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur

Introdusă în format electronic de Google

eo nomine is cui commodata est, nisi forte cum possit rem commodatam salvam facere, suam prætulit. Si servum vel equum vel quæcunque alia aliquis ab altero ad usum tantum servienti commodata susceperit, et eos ad pugnam vel ubi vitæ periculum incurrant duxerit, ad redditionem commodatæ rei merito a domino retinetur. Si facto pretio rem vendendam aliquis cujuscunque crediderit, et dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Cæterum si rem acceptam, non rogante domino, sed permittente eo qui accepit, dum velit venundare, perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum. Creditor si sine conditione pignus sibi depositum tenens ter debitorem suum convenerit, ut soluto debito pignora sua recipiat. Quod si debitor noluerit post tres admonitiones, soluto debito, pignora sua suscipere, creditor distrahendi pignoris liberam habebit potestatem.

Cap. 200. — *De sociis.*

Sicut lucrum, ita damnum inter socios communicatur, nisi quid culpa socii vel fraude eversum sit.

Cap. 201. — *De pactis.*

Pacta quæ ab invitis contra leges constitutionesque fiunt, nullam vim habere indubitati est juris. Item, pactum quod mala fide est factum, irritum esse debet. Privata conventio juri publico nihil derogat.

Cap. 202. — *Quæ actiones in hæredes transeant.*

In criminalibus causis si quis antequam moriatur, non fuerit de facti sui scelere conventus atque convictus, si post ejus obitum quod ab eo cuipiam reddendum erat, fuerit apud successores ejus fortasse repertum, hoc tantum ab hærede reddendum est, quod ad eum cognoscitur pervenisse. Cæterum in tali re hæres nec ad pœnam, nec ad aliquam satisfactionem tenetur obnoxius.

Cap. 203. — *Qui debeant jurare*

Lex præcipit ut probatio non a possessore, sed a petitoris partibus requiratur, quia omnem probationem ab eo quæri debere dicit, qui petitam rem desiderat obtinere, non ab illo qui se juste tenere contendit, præter illum tantum casum, ubi interrogare necesse est possidentem, utrum ex sua persona, an ex successione cœperit possidere.

Cap. 204. — *De juramento testium, et qualiter judicabitur qui sic et sic deliquerit.*

Testes priusquam de causa interrogentur, sacramento debent constringi, ut jurent se nihil falsi esse dicturos, honestioribus autem magis quam vilioribus fides adhibeatur. Unius autem testimonium, quamlibet splendida et idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum. Si quis ingenuus ingenuum vel servum percusserit, ut sanguis non exeat, pro unoquoque ictu usque ad tres solidos culpabilis judicetur. Si vero homo ecclesiasticus aut regius hoc fecerit, sol. 3. Similiter si servus homini ecclesiastico, vel regio, vel franco hoc fecerit, solidos 3, aut cum 6 juret. Si servus ingenuo aut regio, vel ecclesiastico homini sanguinis effusionem fecerit, 3 solid. et dimidio culpabilis judicetur, aut cum 6 juret. Similiter si ingenuus, regius, aut ecclesiasticus homo servo os fregerit, 9 sol. culpabilis judicetur, aut cum 6 juret. Quod si servus homini franco hoc fecerit, 36 sol. aut cum 6 juret. Si vero regio aut ecclesiastico homini hoc fecerit, sol. 9. Quod si servus servum percusserit bis vel ter, propter pacis studium 4 denar. judicetur. Si sanguinem effuderit, sol. 3 et dimidium; si os ei fregerit, 5 sol. Quod si oculum, auriculam, pedem, nasum excusserit, 18 sol., aut cum 6 juret. Si quis ingenuus ingenuam percusserit, 18 sol. culpabilis judicetur, aut cum 6 juret. Si quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, vel si eum transpunxerit, vel intra coxas plagaverit, 36 sol. culpabilis judicetur, aut cum 6 juret. Si pollicem ingenuus ingenuo excusserit, 50 sol., si pollex ibidem pependerit, 36 sol. Si secundus *digitus unde* sagittatur, excussus fuerit, 36 sol. componatur. Si quis alicui manum vel pedem truncaverit, vel oculum effoderit, auriculam vel nasum amputaverit, 100 sol. culpabilis judicetur. In omni vero mancatione, si membrum mancatum pependerit, medietatem componat, quam componere debuerat, si ipsum membrum abscissum fuisset. Si medium digitum excusserit, 15 sol.; si quartum vel quintum, similiter; si dentem, 5 sol. Si quis hominem in capite ita plagaverit ut sanguis ad terram cadat, 15 sol. culpabilis judicetur. Ista omnia si negaverit, cum 6 juret. Si quis hominem regium vel ecclesiasticum interfecerit, 100 sol. culpabilis judicetur, aut cum 12 juret. Si servum, 36 sol. aut cum 6 juret. Unde autem liber homo 15 sol. persolvit, regius homo vel ecclesiasticus medietatem componat, vel deinceps quantumque culpa ascenderit. Si quis ingenuus ingenuum interfecerit, et eum cum ramis cooperuerit, vel in puteo, vel in quocunque loco celare voluerit, quod dicitur mortridum, 600 sol. culpabilis judicetur, aut cum 72 juret. Ubicunque autem de solidis accedunt, simili modo 72 juratores.

Cap. 205. — *Lex de diversis causis. De lege Theodosiana.*

Qui autem aliquem in carcerem detrusit, ut aliquid ab eo ei extorqueretur, quidquid ob hanc causam factum est, nullius est momenti. Dolus est cum aliud agitur, aliud simulatur. Qui dolum vel metum adhibuit, ut res ad alium transiret, uterque de vi et dolo actione tenebitur. Si quis id quod minori ætate gessit, postquam major effectus est silentio suo et taciturnitate revocare noluerit, de hac re integri restitutionem retinere non potest.

Cap. 206. — *Ut anathema sit omnibus sæcularibus quicunque clerico cuilibet injuriam fecerit. Capitular. lib.* v, *cap.* 102.

Quicunque judex aut sæcularis, presbytero, aut diacono, aut cuilibet clerico, aut de junioribus absque audientia episcopi, vel archidiaconi, vel archipresbyteri injuriam inferre præsumpserit, ana-

Introdusă în format electronic de Google

thema ab omnium Christianorum consortio habeatur.

Cap. 207. — *De latronibus, qui quali sententia paulatim multandi sint, Capitul. l.* VI.

De latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed unum oculum perdat. De alia vero culpa nasus ipsius latronis truncetur. De tertia culpa, si non emendaverit, moriatur.

Cap. 208. — *Ne infames personæ testes fiant, cap.* 309.

Placuit ut testes non admittantur qui sunt socii criminis, nec infames, nec calumniatores, vel cæteri quos canones et lex prohibet.

Cap. 209. — *De eadem re, cap.* 313.

Placuit, ut qui de se confessus est, super alium non credatur.

Cap. 210. — *Unius testimonium non recipiendum, cap.* 314.

Ut testimonium unius hominis non accipiatur. Nam, si ex utraque parte plures sint, veraciores atque religiosiores et honestiores eligantur, qui sacramento suum confirment testimonium, nihil se falsi esse dicturos.

Cap. 211. — *Nequaquam homicidii esse reum, qui noctu furem res furtivas gestantem occiderit, cap.* 343.

Fur nocturno tempore captus in furto, dum res furtivas secum portat, si fuerit occisus, nulla ex hoc homicidio querela nascatur.

Cap. 212. — *Quid facto opus sit ei qui nesciens a fure aliquid comparaverit, cap.* 344.

Si quis de fure nesciens aliquid comparaverit, quærat accepto spatio venditorem. Quem si non potuerit invenire, probet se cum sacramento et testibus innocentem, et quod apud eum cognoscitur restituat, et furem quærere non desistat. Quod si furem celare voluerit, et perjurans post ea detectus fuerit, tanquam ille fur ita iste in crimine damnetur.

Cap. 213. — *De eo qui alterius animal quodcunque occiderit, cap.* 345.

Si quis occulte, vel in die, alterius caballum, aut bovem, aut aliquod animal occiderit, et negaverit, et postea exinde probatus fuerit, tanquam furtivum componat.

Cap. 214. — *De eodem, cap.* 346.

Si quis causa faciente occiderit alienum animal, et non negaverit, simile dare non tardet et cadaver mortui accipiat.

Cap. 215. — *De eo qui furtivam rem scienter emerit, cap.* 347.

Si quis furtivam rem scienter emere præsumpserit, et exinde probatus fuerit, similem reddat illi cujus pecuniam comparavit, salva videlicet ejus justitia in altero.

Cap. 216. — *De eo qui latronis rem furtivam scienter acceperit custodiendam, cap.* 248.

Si quis de latrone furtivam rem scienter ad custodiendum acceperit, quasi fur componat.

Cap. 217. — *De eo qui communem viam alicui clauserit, cap.* 353.

Si quis viam publicam, aut lithostratum, vel viam communem alicui clauserit contra legem, cum sua lege componat, et clausuram quam ibi fecit tollat. Quod si negare voluerit, cum 12 sacramenta talibus juret.

Cap. 218. — *De eodem, cap.* 354.

Si quisquam convicinalem vel pastoralem clauserit, cum sua lege componat, et ipsam viam aperiat. Similiter, et de semita faciendum est.

Cap. 219. — *De eo qui fontem vel puteum per invidiam coinquinaverit, cap.* 355.

Si quis fontem quacunque invidia coinquinaverit vel maculaverit, emendet eum primo, ut nulla sit coinquinationis in eo suspicio, et cum lege sua vicinis hoc emendet. Si autem plurimorum vicinorum puteus fuerit, compositionem inter se mutuentur.

Cap. 220. — *De eo cui metallum aliquod vel species aliquæ fuerint commodatæ, cap.* 356.

Si cui aurum, vel argentum, aut ornamenta, vel quæcunque species fuerint commodatæ, sive ad custodiendum traditæ sint, vel vendendæ, et in domo ipsius cum rebus suis forsitan fuerint incendio crematæ, una cum testibus qui commodata susceperant, præbeat sacramenta nihil exinde suis profuisse compendiis, et nihil cogatur exsolvere, excepto auro et argento quod ardere non poterat. Si vero quæ commodata fuerant, furto probantur ablata, ei qui commodata perdiderat spatium tribuatur, donec furem sua investigatione perquirat, et si eum invenerit, commodatori res proprias tantummodo reformare procuret. Compositio vero furti ad eum qui habuit commodata pertineat. Quod si fur non fuerit intra statutum tempus inventus, medietas rerum commodatarum domino suscipiente reddatur. Damnum vero medium utrique sustineant, et si, postmodum dominus apud eum qui commodaverit quæcunque fuerint suppressa, repererit, sicut furtiva ab eo exigantur.

Cap. 221. — *De eo qui quamcunque rem alienam sine voluntate domini sui vendiderit, cap.* 365.

Si quis vendiderit res alienas sine voluntate domini sui, aut servum, aut ancillam, aut quamcunquerem, ipsam legibus reddat. Et si ipsam non potest invenire, duos consimiles et æqualis meriti, reddat.

Cap. 222. — *De damno dato, cap.* 366.

Si quis alicujus caballo, vel bovi, vel cujuslibet quadrupedi unum oculum excusserit, appretietur illud pecus quod valet. et partem tertiam componat.

Cap. 223. — *De eo qui latronem hospitio receperit. Capitularium lib.* VI, *cap.* 293.

Quicunque post illam missam sancti Joannis præteriti anni cuidam latroni mansionem [manumissionem] dederit, si Francus est, cum 12 similibus Francis juret quod latronem eum fuisse non scisset, licet pater ejus sit aut frater, vel aliquis propinquus. Si hoc jurare non potuerit, et ab alio convi-

Introdusă în format electronic de Google

ctus fuerit quod latronem in hospitio suscepisset, A quasi latro sit, quia infidelis est noster et Francorum; et qui illum suscepit similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, et tamen non scit firmiter, juret solus quod nunquam eum audisset nec per veritatem nec per mendacium latronem; aut sit paratus, si ille postea de latrocinio convincitur, ut similiter damnetur.

Cap. 224. — *Servum non audiendum crimen alicui impingentem, cap.* 344.

Servo penitus non credatur si super aliquem crimen objecerit, aut si etiam dominum suum in crimine impetierit. Nam si in tormentis positus exponat quod objicit, credi tamen illi nullo modo oportebit.

Cap. 225. — *De his apud quos pars rapinæ deprehensa fuerit, cap.* 355. B

Apud quem scelus agnoscitur, et pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos nominare cogatur. Quos si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quod si honestior persona est, et pro scelere rationem reddat, et quæ ablata vel eversa fuerant quadrupliciter restituat. Quod si certe apud servum rapinæ pars reperiatur, centum quadraginta flagella publice extensus accipiat, et socios suos nominare non differat.

Cap. 226. — *De levioribus peccatis dilationem esse præstandam, et de sceleribus convictos si appellare voluerint, non audiendos. Capitular., lib.* VII, *cap.* 181.

In civilibus causis vel levioribus criminibus legum dilatio præstanda est. Homicidæ, adulteri, maleſici, venefici convicti, si appellare voluerint, non audiantur. C

Cap. 227. — *Si quis alicui rem suam tradiderit venundandam, cap.* 298.

Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, et dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Cæterum si rem acceptam, non rogante domino, sed permittente eo qui accepit, dum vellet venundare, perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum.

Cap. 228. — *De creditis rebus, cap.* 299.

Creditor si sine conditione pignus sibi depositum tenens, ter debitorem convenerit ut soluto debito pignora sua recipiat, et debitor noluerit post tres admonitiones soluto debito pignora sua recipere, creditor distrahendi pignoris habebit liberam potestatem. D

Cap. 229. — *De debitis solvendis, et de compensatione, cap.* 303

Si quis debeat alicui solidos decem, et ille qui debet de quacunque ratione debeantur illi a creditore suo solidi 5 et veniens creditor totos 10 solidos a debitore petat; si probaverit ille debitor sibi ab eo quinque solidos deberi, quare illum in solidum pro totis 10 solidis convenit, causam perdat, qui noluit debitum compensare. Similis ratio est de frumento, vel de aliis speciebus.

Cap. 230. — *Si filiofamilias inscio patre pecunia fuerit commodata, cap.* 304.

Qui filiofamilias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodavit, eam nec vivente nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.

Cap. 231. — *De pignoris venditione, cap.* 313.

Si quis creditor, debitore in solutionem tardante, rem sibi pro debito positam distraxerit, si quid amplius acceptum fuerit quam debebatur, quod amplius acceptum est restituatur debitori.

Cap. 232. — *Si quis rem alienam minoris vendiderit, cap.* 308.

Si quis cuilibet mandet ut rem suam 10 solid. vendat, et ille eam octo vendiderit, pretium quod ei mandatum est, quidquid minus ab emptore percepit mandatori complere compellatur; venditio tamen rescindi non potest.

Cap. 233. — *Ut nemo contra voluntatem defuncti faciat, cap.* 326.

Omnibus qui contra voluntatem defuncti faciunt ut indignis auferatur hæreditas

Cap. 234. — *De eodem, cap.* 327.

Qui per testamentum sibi aliquid derelictum acceperit et vindicaverit, et voluerit contra voluntatem defuncti agere, licentiam penitus non habebit.

Cap. 235. — *De eo qui ad lædendam alterius famam, scripturam aut verba contumeliosa confixerit.*

Qui in alterius famam in publico scripturam aut verba contumeliosa confinxerit [confixerit], et repertus scripta non probaverit, flagelletur. Et ea qui prius invenerit, rumpat; si non vult auctoris ficti causam incurrere.

Cap. 236. — *De vace servanda. Capitularium lib.* III, *cap.* 61.

De latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur.

Cap. 237. — *De pace et justitia intra patriam servanda.*

De pace et justitia intra patriam, sicut sæpe per alia capitula jussi adimpletum fiat.

Cap. 238. — *De violata immunitate Ecclesiæ. Capit. lib.* IV, *cap.* 13.

Si quis aut ex levi causa, aut sine causa, hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, et unus alterum in ecclesia fugerit, et ibi se defendendo eum interfecerit, et si hujus facti testes non habuerit, cum 12 juratoribus legitimis per sacramentum affirmet se defendendo eum interfecisse, et post hæc 10 sol. ad partem ecclesiæ quam illo homicidio polluerat, et insuper bannum nostrum solvere cogatur. Is vero qui interfectus est, absque compositione jaceat. Ac deinde interfector secundum judicium canonicum congruam facinori quod admisit pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset, et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, dominus ejus juxta quod wergelt illius est, ad ecclesiam persolvat

Introdusă în format electronic de Google

aut eum si voluerit eidem ecclesiæ tradat. De ecclesiastico et fiscalino beneficiario servo volumus ut pro una vice wergeldis ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si in atrio ecclesiæ, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est, hujuscemodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, vel componatur. Si vero porta ecclesiæ non est sacrata, eodem modo componatur sicut componi debet quod immunitate violata committitur.

CAP. 239. — *Liber homo seu servus quomodo se de furto purgare debeat, cap.* 27.

Si liber homo de furto accusatus fuerit, et res proprias habuerit, in mallo ad præsentiam comitis se adhramiat [adharmiat]. Et si res non habet, fidejussores donet, qui eum adhramire [adharmire], et in placitum adduci faciant. Et liceat ei prima vice per sacramentum se secundum legem ideneare, si potuerit, aut si alia vice, duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto et fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum sacramento excuset ; nisi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad supplicium tradi debeat.

CAP. 240. — *Ut injustæ consuetudines noviter illatæ tollantur, cap.* 45.

De injustis occasionibus et consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa, et telonia in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde juste census exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine ubi nullum obstaculum est, ut auferantur. Antiqua autem ad nostram notitiam deferantur

CAP. 241. — *Ut forestes novæ dimittantur, cap.* 63.

De forestibus nostris, ut ubicunque fuerint, diligentissime inquirant quomodo salvæ sint et defensæ, et ut comitibus denuntient, ne ullam forestem noviter instituant, et ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere debeant.

CAP. 242. — *De pacto legum.*

Communes causas absentibus consortibus alii consortes agere possunt, si illi qui præsentes sunt caveant acceptum esse illis qui absentes sunt, quidquid fuerit judicatum, aut in præsenti fidejussorem dederint, ut omnia quæ definita fuerint implere non differant.

CAP. 243. — *De pervasore finium.*

Si quis pervasor finium fuerit approbatus, eo quod priusquam aliquid judicio finiretur, id quod alter tenuerat invasisset, non solum illud quod male pervasit, amittat, sed ne unusquisque rem alienam occupet, cum fuerit in causa devictus, pervasor juris alieni tantum spatii restituat. quantum præsumpsit invadere.

CAP. 244. — *De rebus venalibus.*

Cum inter ementem atque vendentem fuerit res definito pretio comparata, quamvis plus valeat quam ad præsens venditur, hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit illè qui comparasse probatur ; et si voluerit revocare qui vendidit, nullatenus permittatur.

CAP. 245. — *Item de eodem.*

Prior ordinatio legis fuerat, ut si unus ex consortibus pro quacunque necessitate rem vendere voluisset, extraneus emendi licentiam non haberet, sed hoc melius probatur indultum, ut quicunque de suis rebus libero utatur arbitrio, et prætermissis consortibus vel propinquis, cui voluerit vendendi liberam habeat potestatem.

CAP. 246. — *De dotalibus*

Si contigerit ut maritus uxore superstite moriatur, quæcunque a muliere marito in dote data fuerant, ad suum dominium feminæ revocabunt, nec hæredes defuncti mariti hoc vendicare præsumant.

CAP. 247. — *De eo qui capitali objectione pulsatur, lib.* IX.

Quicunque alium de homicidii crimine periculosa vel capitali objectione pulsaverit, non prius a judicibus audiatur quam se similem pœnam, cum reo intendit, conscripserit subiturum ; et si servos alienos accusandos esse crediderit, se simili inscriptione constringat, futurum ut supplicia innocentum servorum aut pœna capitis sui, aut facultatum amissione compenset. Ante inscriptionem nemo efficiatur criminosus, nam inscriptione per ordinem facta, tunc a judice suscipiendus est reus, et custodiæ cum accusatore tradendus est, ea tamen ratione ut tam accusati quam accusatoris dignitas æstimetur, et unumquemque ante discussionem ita judex faciat custodire, ut eorum natalis aut dignitas patiuntur. Sane ii qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, a judice non credantur, quia jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus. est.

CAP. 248. — *De famosis libellis.*

Qui famosam chartam ad cujuscunque injuriam et maculam conscripserit, et in secreto vel in publico affixerit, inveniendamque projecerit, illum contra quem proposita est chartula non nocebit, nec famæ ejus aliquid derogabit. Sed si inveniri potuerit qui hujusmodi chartulam fecit, constringatur ut probet quam conscripsit; qui si etiam quæ scripsit probare non potuerit, fustigetur, qui infamare maluit quam accusare.

CAP. 249. — *De eo qui per inscriptionem aliquem accusaverit, lib.* IX.

Quicunque inscriptione præmissa cujuscunque criminis reum accusare voluerit, ab eo die quo inscripsit intra annum peragat propositas actiones. Qui si distulerit, infamis effectus, bonorum suorum quarta parte multabitur

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 250. — *Ut intra annum criminalia negotia terminentur, cap.* 18.

Judices qui inscriptione præmissa criminana negotia audire cœperint, a die inscriptionis si inducias aut accusator aut reus petierit, intra annum præstare debebunt, ut hæc actio intra anni circulum finiatur. Quod si accusator intra annum quæ proposuit probare distulerit, absoluto reo pœnam suscipiat legibus superioribus comprehensam. Quod si talis persona sit ad cujus deformitatem infamia non pertineat, exsilio deputetur. Tamen, si inter accusatorem et reum ita judice præsente convenerit, ut pro inscriptione utriusque partis integræ induciæ tribuantur, debet a judice non negari futurum, ut pars quæ post inducias fuerit superata, districtiori sententia feriatur.

CAP. 251. — *Si quem pœnituerit se alium criminaliter accusasse, cap.* 20.

Si quem pœnituerit accusasse criminaliter, et inscriptionem fecisse de eo quod probare non potuerit, si ei cum accusato innocente convenerit, invicem se absolvant. Si vero judex eum qui accusatus est criminosum esse cognoverit, et inter reum et accusatorem factum per corruptionem consensum, de colludio pœnam excipiat legibus constitutam. Abolitionem invito reo postquam fuerit officii custodiæ traditus, intra dies 30, accusatori petenti dari permittimus, post hoc tempus nisi reus consentiat, censemus non esse tribuendam. Si criminis accusator intra dies 30 abolitionem petierit, etiam invito reo a judice concedatur, et liberi et accusatus, et accusator abscedant. Post 30 vero dies quam accusatus custodiæ fuerit traditus, nisi abolitionem et reus et accusator a judice petierint, accusatori soli non esse præstandam. Quod si testes exhibiti ad petitionem accusatoris fuerint, et in custodiam missi fuerint, et abolitio præstita penitaque (*sic*) fuerint, sumptus quos fecerunt testes, eis accusator exsolvat. Nam, si testes exhibiti ab accusatore pœnæ subjacuerint, etiamsi consentiant partes, abolitio a judicibus denegetur; sed aut in accusatum si convictus fuerit, aut in accusatorem si non convicerit, legibus sententia judicis pœnam quam passurus erat reus, accusator excipiat.

CAP. 252. — *Ut judices præcipites non sint ad explendam sententiam principis ira dictatam, cap.* 30.

Si princeps cujuscunque gravi accusatione commotus quemquam occidi præceperit, non statim a judicibus quæ ab irato principe jussa sunt, compleantur, sed 30 dies qui puniri jussus est, reservetur donec pietas dominorum justitiæ amica subveniat.

CAP. 253. — *De eo si alienum animal damnum alicui fecerit. Ex lib.* I *Sententiarum Pauli.*

Si alienum animal cuiquam damnum intulerit, aut alicujus fructus læserit, dominus ejus aut æstimationem damni reddat, aut ipsum animal tradat; quod etiam de cane similiter est statutum.

CAP. 254. — *Si qualecunque animal ab aliquo irritatum damnum intulerit. Lib.* IV.

Ei qui irritatu suo feram bestiam vel quamcunque aliam quadrupedem in se irritaverit, eaque damnum dederit, neque in ejus dominum, neque in custodem actio datur.

CAP. 255. — *Ut fidejussores solutionem debiti æqualiter inter se dividant, lib.* V.

Cum multi fidejussores institerint, etiam si ad solvendum quæ promiserunt probantur idonei, et possint omnes in solidum retineri, tamen restitutio debiti inter eos dividenda est, ut unusquisque id quod eum pro portione sua contigit, exsolvat.

CAP. 256. — *De his qui in contumeliam alicujus scripturam composuerint. Ex libro* V.

In eos auctores qui famosos libellos in contumeliam alterius proposuerint, extra ordinem usque ad relegationem insulæ vindicatur ista temeritas.

CAP. 257. — *Ne quis judici convicium inferre præsumat, cap.* 11.

Convicium judici ab appellatoribus fieri non oportet, alioquin infamia notantur. Confessi debitores pro judicatis habentur; ideoque ex die confessionis tempora solutionis præstituta computantur.

CAP. 258. — *De eo qui legitime vocatus ad judicem venire noluerit, cap.* 16.

Quicunque tribus auctoritatibus [actionibus] judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam exstinguit, fuerit evocatus et præsentiam suam apud eum judicem, a quo ei denuntiatum est exhiberi noluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest, quinimo nec refractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum.

CAP. 259. — *De eo qui in judicio appellare voluerit, cap.* 19.

Si quando dum causa a judice auditur, sacramentum petente ex litigatoribus uno, alter obtulerit litigator, qui judicibus appellare voluerit, tunc appellare debet, quando sacramentum offertur, non postquam juratur.

CAP. 260. — *De eo qui præjudicium timens fidejussorem dare noluerit, cap.* 30

Si quando inter litigatores de damno præsentiæ sui fidejussoris contentio est, si aliquis in cautione verborum præjudicium timeat, et propter hoc fidejussorem dare nolit, potest certum aliquid de rebus suis pœnæ causa deponere; sed, si contra eum fuerit judicatum, et ipse defuerit, perdet quod deposuit.

CAP. 261. — *De personis a quibus non sunt res accipiendæ. Capitularium libro* I, *cap.* 83.

Statutum est ut nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione possunt rerum propriarum exhæredari. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 262. — *De mansis uniuscujusque ecclesiæ, cap.* 85.

Sancitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque alio servitio attribuatur, et presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel de hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum, et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendatur.

CAP. 263. — *De villis novis et ecclesiis in eis noviter constitutis, cap.* 86.

Sancitum est de villis novis et ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decimæ de ipsis villis ad easdem ecclesias conferantur.

CAP. 264. — *Ne quis sacra vasa in pignus dare vræsumat, cap.* 87.

De sacris vasis ecclesiæ quæ in pignus a nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est ne deinceps a quoquam fieri præsumatur, nisi solummodo necessitate redimendorum captivorum compellente.

CAP. 265. — *De his quæ ad causam Dei res suas tradere volunt, cap.* 35.

Qui res suas pro anima sua ad causam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis. Et quæ honestæ factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant.

CAP. 266. — *De teloniis. Ex* III *lib. Capitularium, cap.* 12

Placet nobis ut antiqua et justa telonia a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus quam de navigiis seu mercatis. Nova ergo seu injusta ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia in quibus nullum adjutorium itinerantibus præstatur, similiter etiam nec de his qui sine negotiandi causa substantiam suam de una domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt, telonium nullatenus ab eis exigatur.

CAP. 267. — *De servo qui damnum quodlibet perpetrat, cap.* 44.

Neminem liceat servum suum propter damnum ab illo cuilibet illatum dimittere, sed juxta qualitatem damni dominus pro illo respondeat, vel eum in compositionem, aut pœnam petitori offerat. Si autem servus perpetrato scelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non possit, sacramento se dominus ejus excusare studeat, quod hoc suæ voluntatis nec conscientiæ fuerit, quod servus eius tale facinus commisit.

CAP. 268. — *De bannitione secundum legem ad mallum, cap.* 45.

Si quis ad mallum legibus bannitus fuerit, et non venerit, si eum bannitus non tenuerit 15 sol culpabilis judicetur; sic ad secundam et tertiam. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur, donec veniat, et de re qua interpellatus fuerit, justitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus ejus quæ in bannum missæ sunt A rex interrogetur, ut quidquid inde judicaverit, fiat. Prima bannitio super noctes 7, secunda super noctes 14, tertia super noctes 21, quarta super noctes 42 fiat. Similiter et de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum usque dum rex interrogetur.

CAP. 269. — *De hominibus ad mortem judicatis, et postea eis vita concessa, si justitiam quæsierint, cap.* 47.

De illis hominibus qui propter eorum culpas ad mortem judicati fuerint, et postea eis vita fuerit concessa, si ipsi justitiam ab aliis requisierint, aut eis justitiam quærere voluerint, qualiter inter illos judicium terminetur. Primo omnium de illis causis pro quibus judicatus fueratad mortem, nullam potest B facere repetitionem, quia omnes res suæ secundum judicium Francorum in publico fuerunt revocatæ. Et si aliquid postmodum, postquam ei vita concessa est, cum justitia acquirere potuerit, in sua libertate teneat et defendat secundum legem; in testimonium autem non suscipiatur, nec inter scabinos ad legem judicandam teneatur. Et si ad sacramentum aliquid judicatum fuerit quod jurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, contendant [concedatur].

CAP. 270. — *De non cogendo ad pontem ire causa telonii, cap.* 54.

Ut nullus cogatur ad pontem ire vel ad fluvium transeundum propter telonii causas, quando ille in alio loco compensius [competentius] illud flumen C transire potest. Similiter in plano campo, ubi pons nec trajectus est, omnibus præcipimus ut ibi telonium non exigatur.

CAP. 271.—*De ninium blasphemis latronibus, cap.* 61.

De latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur.

CAP 272. — *De eo qui domum alienam cujuslibet fregerit, cap.* 65.

Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quidquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundum legem et vadios, illi cujus domus fuerit infracta et spoliata, in triplum componat, et insuper bannum Dominicum solvat. Si servus D hoc fecerit, justitiam [sententiam] superiorem accipiat, et insuper, secundum suam legem, compositionem faciat. Si quislibet homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in wadio pro servo dare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.

CAP. 273. — *De uxoribus defunctorum quam partem post obitum maritorum de collaboratione accipere debeant, ex lib.* IV, *cap.* 9.

Volumus ut uxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem collaborationis, quam simul in beneficio collaboraverunt, accipiant. Et de his rebus quas is qui illud beneficium habuit aliunde adduxit vel comparavit, vel ei ab amicis suis colla-

Introdusă în format electronic de Google

tum est, has volumus tam ad orphanos defunctorum quam ad uxores eorum pervenire. A

Cap. 274. — *De viduis, pupillis, et vauveribus, cap.* 15.

Præcipimus ut quandocunque in mallum ante comitem viduæ, pupilli et pauperes venerint, primo eorum causa audiatur et definiatur. Et, si testes per se ad causas suas quærendas habere non potuerint legemque nescierint, comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur.

Cap. 275. — *De raptu viduarum, cap.* 16.

Qui viduam intra primos 30 dies viduitatis, vel invitam, vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, id est 60 sol. in triplo componat; et si invitam eam duxerit, legem suam componat, illa vero ulterius non attingat. B

Cap. 276. — *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto, cap.* 17.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, et wergelt proximis ejus persolvat.

Cap. 277. — *De homine libero ut potestatem habeat, ubicunque voluerit res suas dare, et qualiter hoc facere debeat, cap.* 18.

Si quis res suas pro salute animæ suæ, vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo, aut cuilibet alteri tradere voluerit, eo tempore, quando intra ipsum comitatum fuerit, in quo illæ res positæ sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quod si eodem tempore quo illas tradere vult, extra eumdem comitatum fuerit, sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio quolibet loco, adhibeat sibi, vel de suis pagensibus, vel de aliis qui eadem lege vivant qua ipse vivit, testes idoneos, vel si illos habere non potuerit, tunc de aliis quales sibi meliores invenire possit, et coram eis rerum suarum traditionem faciat. Et postquam hæc traditio ita facta fuerit, hæres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper et ipse fidejussorem per se faciat ejusdem investituræ, ne hæredi ulla occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi; et si nondum res suas cum hæredibus suis divisas habuit, non ei hoc sit impedimento, sed cohæres ejus, si sponte noluerit, aut per comitem aut per missum ejus distringatur, ut divisionem cum illo faciat ad quem defunctus hæreditatem suam voluit pervenire. Et si cuilibet ecclesiæ eam tradere rogavit, cohæres ejus eam legem cum illa ecclesia de prædicta hæreditate habeat, quam cum alio cohærede suo habere debuit. Et hoc observetur erga patrem et filium et nepotem usque ad annos legitimos, postea ipsæ res ad immunitatem ipsius ecclesiæ redeant. C D

Cap. 278. — *De adulteratoribus monetæ, cap.* 31.

Quicunque falsam monetam percussisse probatus fuerit, manus ejus amputetur. Et qui hoc consensit: si liber est, 60 sol. componat: si servus, 60 ictus accipiat.

Cap. 279. — *De terra tributaria, cap.* 35.

Quicunque terram tributariam unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad ecclesiam, cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat, nisi forte talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi per donatum possit ostendere.

Cap. 280. — *De terra censuali, cap.* 37.

Si quis terram censualem habuerit, quam antecessores sui, vel ad aliquam ecclesiam, vel ad villam nostram dederunt, nullatenus eam secundum legem tenere potest, nisi ille voluerit ad cujus potestatem vel illa ecclesia, vel illa villa pertinet, nisi forte filius aut ejus nepos sit qui eam tradiderit, et ei eadem terra ad tenendum placitata sit. Sed in hac re considerandum est utrum ille qui hanc tenet dives an pauper sit, et utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, circa hunc misericorditer agendum est, ne ex toto dispoliatus in egestatem incidat, aut talem ille censum inde persolvat, qualis ei fuerit constitutus, vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat, unde se sustentare valeat.

Cap. 281. — *De debito ad opus Dominicum rewadiato, cap.* 56.

Ut debito, quod ad opus nostrum fuerit rewadiatum, talis consideratio fiat, ut is qui ignoranter peccavit, non totum secundum legem solvere cogatur, sed juxta quod possibile visum est. Is vero qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.

Cap. 282. — *De eo qui per invidiam, vel per dolum, liberi vel servi domum incenderit. Ex lib.* v *Capitularium, cap.* 351.

Si quis per aliquam invidiam, vel dolum in nocte vel in die ignem imposuerit, et incenderit liberi vel servi domum, primo omnia ædificia restituat. Et quidquid ibi arserit componat, et insuper 40 solidis sit culpabilis, et publica pœnitentia secundum judicium sacerdotum multetur. Et quanti homines de ipso incendio evaserint, unicuique secundum legem componat, et omnia quæ ibi perdiderint restituat.

Cap. 283. — *Ut si quis servum alienum injuste accusaverit, domino simile mancipium vro hoc facto reddat, cap.* 352.

Si quis servum injuste accusaverit alienum, et innocens tormenta pertulerit, domino simile mancipium pro hoc facto reddat. Si vero innocens in tormentis mortuus est, duos servos ejusdem meriti sine dilatione domino restituat.

Cap. 284. — *De eo qui causam alterius tulerit de loco suo, cap.* 340.

Si quis causam alterius tulerit de loco suo, ipsam illæsam reddat aut similem. Si vero foras aliquam traxerit et absconderit, atque negaverit interrogatus, furtivam componat.

Cap. 285. — *De venditionibus vili pretio vel cum vitio distractis, cap.* 352.

Placuit in venditione hanc formam servari. Ut

Introdusă în format electronic de Google

seu res, seu mancipia, vel quodlibet genus animalium venundetur, nemo propterea venditionis firmitatem irrumpat, quod dicit se vili pretio vendidisse, sed, postquam factum est negotium, non sit mutatum, nisi forte vitium sibi a venditore celatum invenerit. Si autem venditor dixerit vitium, stet emptio, et non sit mutata. Si autem non dixerit, mutare potest in illa die, et in alia, sive in tertia die. Et si amplius de tribus noctibus illud habuerit, postea non potest mutare, nisi forte eum invenire intra tres dies non poterit, tunc, quando invenerit, recipiat, quia vitium vendidit. Et si noluerit recipere, juret cum suis sacramentalibus, quod vitium ibi nullum sciebat in illa die, quando negotium fecit, et stet factum.

CAP. 286. — *Ut qui arrhas dederit pro quacunque re, pretium reddere compellatur, capitulo* 363.

Qui arrhas dederit pro quacunque re, pretium cogatur implere, quod placuit emptori.

CAP. 287. — *Ut peregrinos transeuntes nemo inquietet, cap.* 364.

Placuit ne peregrinos transeuntes quis inquietare præsumat, eisque nocere audeat, quia alii propter dominum, alii propter suas discurrunt necessitates. Quod si aliquis præsumptuosus fuerit, qui peregrino nocuerit vel eum assilierit, aut dispoliaverit, læserit, plagaverit, ligaverit, vendiderit, vel occiderit, ipsi peregrino sigillatim dupliciter, sicut de alio homine solet componi, aut suo seniori vel socio cum sua lege componat. Quod si mortuus fuerit, et seniorem ibi vel socium non habuerit, tunc episcopus aut sacerdotes ejusdem pagi ipsam compositionem in duplo, sicut de indigena distringente judice accipiant, et in suam eleemosynam illa tribuant, et insuper 60 sol. fisco cogatur persolvere. Et si peregrinum viventem reliquerit, omnem injuriam ei factam, et quidquid illi intulit, dupliciter (ut prædictum est) et per singula illi componat, sicut solet de infra provinciam aliquem componere. Si autem eum occiderit, ut liberum hominem de ipsa provincia, in duplo componat, et ipsa pecunia a memoratis sacerdotibus in sua detur eleemosyna. Quoniam Dominus ait : Peregrinum et *advenam non contristabis* (*Exod.* XXII).

CAP. 288. — *De eo qui alicujus quadrupedis unum oculum excusserit, cap.* 366.

Si quis alicujus caballo vel bovi, vel cuilibet de quadrupedibus unum oculum excusserit, appretietur illud pecus quod valet, et partem tertiam componat.

CAP. 289. — *De eo qui jussu regis vel ducis aliquem occiderit, cap.* 367.

Si quis jussione regis vel ducis illius qui ipsam provinciam regit, hominem occiderit, non requiratur ei, nec propterea faidosus sit, quia lex et jussio dominica occidit eum, et ipse non potuit contradicere. Princeps vero et successores ejus defendant eum, et totam progeniem ejus, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quod si propterea ipse aut ejus progenies aliquid mali passi fuerint, aut occisi, dupliciter componantur

A CAP. 290. — *De eo qui scripturas protulerit, ut veritatem ejus testibus probet, cap.* 368.

Si quis scripturam profert, veritatem ejus testibus probare debet. Quia in omnibus causis constitutum est ut scripturam prolator affirmet.

CAP. 291. — *De asino, bove, ove, omnique jumento, amico ad custodiendum tradito, cap.* 23.

Si quis commendaverit amico asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medium, quod non extenderit manum in rem proximi sui, suscipiatque dominus juramentum, et ille reddere non cogatur. Si furto sublatum fuerit, restituat damnum domino suo. Si comestum a bestia, defe-
B rat ad eum quod occisum est, et non restauretur. Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compellatur. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituatur, maxime si conductus venerit pro mercede operis sui.

CAP. 292. — *Qui seduxerit virginem desponsatam, vel dormierit cum ea, cap.* 24.

Si seduxerit quis virginem desponsatam, et dormierit cum ea, dotabit eam et habebit uxorem.

CAP. 293. — *De patre puellæ si eam dare noluerit, ut reddat pecuniam juxta morem dotis, cap.* 25.

Si pater noluerit virginem dare, reddat pecuniam juxta morem dotis quam virgines accipere consueverunt.

C CAP. 294. — *De eo qui propter Deum furtum confessus fuerit, cap.* 38.

Si propter Deum confessus fuerit homo furtum quod fecit, reddat capitalem et quintam partem desuper ei in quem peccavit.

CAP. 295. — *De his qui fidelium oblationes auferunt, vel vastant, aut sine proprii episcopi jussione dant vel accipiunt, cap.* 84.

Qui fidelium oblationes ab ecclesiis vel a jure sacerdotum auferunt, vel ablatas accipiunt, non solum aliena vota dirumpunt, sed et sacrilegium operantur, nec non et ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Quia ecclesiæ aliquid fraudari, vel auferri, sacrilegium esse a majoribus approbatur.

CAP. 296. — *Ne episcoporum vel reliquorum sacerdo-*
D *tum vita turbetur, cap.* 104.

Nullis vita præsulum turbetur excessibus, quia valde indignum est ut qui throni Dei vocantur, aliqua motione turbentur, aut inique tractentur. Unde est illud : *Qui vos tangit, quasi pupillam oculi mei tangit* (*Zach.* II)'; et illud : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X); et rursus : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII).

CAP. 297. — *Quod sacrilegium sit auferre quæ a principibus concessa sunt ecclesiis, vel quæ singuli antistites impetraverunt, et ut clerici non accusentur ad judices sæculares, sed ad episcopos proprios, cap.* 111.

Quæcunque a singulis regibus circa sacrosanctas

Introdusă în format electronic de Google

ecclesias sunt constituta, vel singuli quique antistites pro causis ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii jugi solidata æternitate serventur. Clerici etiam non sæcularibus judicibus, sed episcopali audientiæ reserventur; fas enim non est ut divini muneris ministri temporali potestati subdantur.

CAP. 298. — *De his qui ecclesiastica privilegia violant vel dissimulant, cap.* 116.

Si ecclesiæ venerabilis privilegia cujusquam fuerint temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum hoc in triplo, juxta legum sanctionem, ecclesiæ cui factum est, componatur, nobisque bannus noster in triplo, hoc est ter 40 sol. persolvatur.

CAP. 299. — *Ut socios suos nominet apud quem vars rapinæ fuerit inventa, capitulo* 137.

Apud quem scelus agnoscitur, et pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos nominare cogatur. Quod si nominare noluerit, teneatur ad vindictam.

CAP. 300. — *Contra priorum definitionem filio vel hæredi non licere venire, cap.* 150.

Filio vel hæredi contra priorum justam aut legitimam definitionem venire non liceat, quia juste repellitur præsumptio illius qui facta seniorum injuste conatur irrumpere.

CAP. 301. — *De his qui furibus conscii fuerint. cap.* 160.

Non solum ille qui furtum fecerit. sed etiam et quicunque conscius fuerit, vel furto ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, et simili vindictæ subjaceat.

CAP. 302. — *De eo qui filios non habuerit, et in eorum locum alium sibi hæredem facere voluerit, cap.* 212.

Qui filios non habuerit, et alium quemlibet hæredem sibi facere voluerit, coram rege, vel coram comite et scabinis, vel missis dominicis qui ab eo ad justitias faciendas in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

CAP. 303. — *De fugitivis et peregrinis, ut distringantur, cap.* 222.

De fugitivis ac peregrinis ut distringantur, ut scire possimus qui sint, aut unde venerunt.

CAP. 304. — *De armillis et bruniis negotiatoribus non dandis, cap.* 223.

Ut armillæ et bruniæ non dentur negotiatoribus.

CAP. 305. — *Ne quis præsumat hominem sine causa ad judicium mittere, cap.* 228.

Ut nullus præsumat hominem ad judicium mittere sine causa, nisi judicatum fiat.

CAP. 306. — *Ut nullus præsumat telonium rodaticum vel pulveraticum recipere, cap.* 243.

Ut nullus homo præsumat telonium per vias vel per villas rodaticum, nec pulveraticum recipere.

CAP. 307. — *De eo cui non recte judicatur, cap.* 253.

Ut si aliquis voluerit dicere quod juste ei non judicetur, tunc in præsentiam nostram veniat, aliter vero non præsumat in præsentiam nostram venire pro alterius justitia dilatanda.

CAP. 308. — *Ne aliquis ab ignoto homine equum, bovem, vel aliud animal emat, cap.* 294.

Ut nullus comparet caballum, bovem, aut jumentum, vel aliud animal, nisi illum hominem cognoscat qui eum vendidit, et de quo est, et ubi manet, et quis est ejus senior.

CAP. 309. — *De episcopo qui ab aliquo impetitur, ut si ipse quæstionem aliquam retulerit, per episcopos judices causa terminetur, cap.* 309.

Si quis episcopus a quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos judices causa finiatur, sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.

CAP. 310. — *Si possessor per violentiam expellatur, cap.* 354.

Quicunque violenter expulerit possidentem priusquam pro ipso judicis sententia procedat, si causam meliorem habuerit, ipsam causam de qua agitur perdat. Ille vero qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant recipiat, et quæ possedit securus teneat. Si vero illud invadit quod per judicium obtinere potuit, et causam amittat, et aliud tantum quantum invasit reddat expulso.

CAP. 311. — *Si ad diripiendum quisque alios invitasse reperiatur, cap.* 355.

Si quis ad diripiendum alios invitaverit, ut cujuscunque rem evertat, aut pecora vel animalia quæcunque diripiat, illi cujus res direpta est in septuplum quæ sublata sunt restituat; si vero qui cum ipso fuerint, ingenui sint, quinos solidos componere compellantur. Aut, si non habuerint unde componant, 150 flagella suscipiant. Si vero servi hoc sine domini voluntate commiserint, centenis quinquagenis flagellis verberentur, et ab eis res omnes integro in statu reddantur.

CAP. 312. — *Ut judicandus si ita maluerit, ad episcopale judicium dirigatur, et quidquid episcoporum fuerit sententia definitum, immobile permaneat, et ut unius etiam episcopi testimonium ratum sit, cap.* 366.

Quicunque litem habens sive possessor sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dilatatione, etiamsi alia pars refragatur, ad episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in judicio captione præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat et promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulterius retractari negotium quod episcoporum sententiis deciderit. Testimonium etiam ab uno, licet episcopo, perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. 313. — *Ex libro legum Theodosii tertio, cap.* XII, *de incestis, cap.* 410.

Quod incesti non sint legitimi hæredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ.

CAP. 314. — *Ut ita valeat commutatio, sicut et emptio, cap.* 417.

Commutatio si non fuerit per vim et metum extorta, talem qualem et emptio habeat firmitatem.

CAP. 315. — *De homicidis, maleficis, veneficis, convictis, appellare volentibus non audiendis, ex lib.* VII, *cap.* 181.

In civilibus causis vel levioribus criminibus legibus dilatio præstanda est. Homicidæ, adulteri, venefici, convicti, si appellare voluerint, non audiantur.

CAP. 316. — *De causis in judicio convincendis, et de sententia adversus absentes infirmanda, et de causis in judicio non revolvendis, et ut absentes non damnentur, et quod absentes per alium nec accusare nec accusari possint cap.* 204.

Convinci nemo potest in judicio sine testibus aut scriptura. Sententia, absente parte alia, a judice data, nullam obtinet firmitatem. Causa inter præsentes judicata, post decendium revolvi, non potest, nec inter absentes post vicendium. In causa capitali absens nemo damnetur, neque absens per alium accusatorem accusari potest.

CAP. 317. — *Ut ea quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, inconvulsa permaneant, cap.* 227.

Quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, nulla commutatione varientur. Nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Et manentibus terminis quos statuerunt patres, nemo damnet alienum, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se charitatis exerceat.

CAP. 318. — *De judicibus contra legem judicantibus, et legem audire nolentibus, cap.* 249.

Quicunque judex oblatas sibi in judicio leges vel juris species audire noluerit, et contra eas judicaverit, ex hac re convictus, in carcerem deportetur.

CAP. 319. — *Quod de criminibus definitis non liceat postmodum movere certamen, cap.* 291.

De his criminibus de quibus absolutus est, ab eo qui accusavit refricari accusatio non potest.

CAP. 320. — *De tenendis ad solutionem qui debitum promittunt, cap.* 297.

Si quis pro alterius debito se pecuniam promiserit redditurum, ad solutionem statutæ promissionis est retinendus.

CAP. 321. — *De his qui ad vendendum alterius rem acceperint, quid agendum sit, cap.* 298.

Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, et dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Cæterum, si rem acceptam, non rogante domino, sed promittente eo qui accepit, A dum vellet venundare, perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum.

CAP. 322. — *De his qui aliis aliquid debent, et ipsis ab eis aliquid debetur, ut in solutionem computentur, cap.* 303.

Si quis debeat alicui solidos decem, et ille qui debet de quacunque ratione debeantur illi a creditore suo solidi quinque, et veniat creditor, totos decem solidos a debitore petat; si probaverit ille debitor sibi ab eo quinque solidos deberi quare illum solidum pro totis decem solidis convenit, causam perdit qui noluit debitum compensare. Similis ratio est de frumento, vel de aliis speciebus.

CAP. 323. — *De his qui filiisfamilias aliquid commodaverint quid agendum sit, cap.* 304.

B Qui filiofamilias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodavit, eam nec vivente nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.

CAP. 324. — *De pervasoribus finium priusquam causa judicio terminetur, cap.* 425.

Si pervasor finium fuerit approbatus, eo quod priusquam aliquid judicio terminetur, id quod alter tenuerat invasisse, non solum illud quod male præsumpserit amittat; sed ne unusquisque rem alienam occupet, eum fuerit in causa devictus pervasor juris alieni, tantum spatii restituat quantum præsumpserit invadere.

CAP. 325. — *Quod non solum qui furtum fecerint, sed et qui ad hoc perficiendum adjutorium aut consilium dederint, furti actione sunt tenendi, cap.* 340.

C Non tantum qui furtum fecerit, sed etiam is cujus opere aut consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

CAP. 326. — *Qui sint agnati, et qui sint cognati, cap.* 341.

Agnati sunt, qui per virilem sexum descendunt. Cognati autem per femineum. Et ideo patrui vel patruorum filii agnati sunt, et non cognati; avunculi vero et avunculorum filii, cognati sunt et non agnati.

CAP. 327. — *De his qui domos effregerint, vel villas exspoliaverint, aut expugnaverint, vel rapinas fecerint, quid agendum sit, cap.* 343.

Si qui ædes aliquas villasve exspoliaverint, effregerint, expugnaverint, vel rapinas fecerint, si qui- D dem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniantur. Telorum autem appellatione omnia ex quibus saluti hominis noceri possit accipientur.

CAP. 328. — *De his qui latrones vel reliquos malefactores susceperint, cap.* 344.

Receptores aggressorum, itemque latronum, eadem pœna afficiuntur qua ipsi latrones. Sublatis enim susceptoribus grassantium cupido conquiescit.

CAP. 329. — *De his qui incendium fecerint, cap.* 345.

Si aliquis malitiæ studio incendium miserit, de hoc crimine convictus pœnis gravissimis jubetur interfici. Quod si per negligentiam factum incendium comprobatur, damnum quod cuicunque illatum fue-

Introdusă în format electronic de Google

rit, resque quæ incendio perierit, duplici satisfactione sarciatur.

Cap. 330. — *Quod hi, qui pro injuria mediocri damna subire comveluntur, infames efficiantur, cap.* 353.

Qui pro injuria mediocri æstimatæ injuriæ damna subire compellitur, quamvis civiliter videatur addictus, tamen infamis efficitur.

Cap. 331. — *De his qui res alienas violenter occupant, quidquid ibi perditum vel alienatum fuerit, eis quibus competebant vleniter restaurent, cap.* 345

Si ex rebus quas violenter aliquis occupavit, quælibet sub quacunque occasione perierint aut arserint, vel servi violenter occupati mortui fuerint, qualibet fraude illius qui occupavit id quod perit factum non videatur, tamen ab ipso quæcunque perierint reddenda sunt, qui rem juris alieni violenter visus est occupasse.

Cap. 332. — *De familiaribus, vel hominibus tam liberis quam servis dominum accusantibus, vel secreta ejus prodentibus, quid agendum sit, cap.* 440.

Si quis ex familiaribus vel ex servis cujuslibet domus, cujuscunque criminis delator atque accusator emerserit, ejus existimationem, caput atque fortunas petiturus cujus familiaritati vel dominio inhæserit, ante exhibitionem testium, ante examinatum judicium, in ipsa expositione criminum atque accusationis exordio ultore gladio feriatur. Vocem enim funestam potius intercidi quam audiri oportet. Eorum vero accusandi sacerdotes vel testificandi in eos os obstruimus, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus.

Cap. 333. — *De causis definitis minime renovandis, cap.* 450.

Flagitari judicium non debet de causa quæ definita, vel judicata est.

Cap. 334. — *De eo qui post veritatem repertam aliquid deinceps discutit, cap.* 370.

Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. Idcirco ab omnibus caute agendum est.

Cap. 335. — *De his qui servorum matrimonia dirimunt, cap.* 472.

Dictum nobis est quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud evangelicum : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX; *Marc.* X). Unde nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, et per voluntatem dominorum.

Cap. 336. — *De his qui ex industria peccant, cap.* 375.

Sed nec hoc prætereundum putamus, quod quidam ex industria peccantes propter eleemosynarum largitionem quamdam sibi promittunt impunitatem, Eleemosyna enim exstinguit peccata, juxta illud : *Ardentem ignem exstinguit aqua, et eleemosyna exstinguit peccata* (*Eccl.* III); sed ea quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea vero quæ ex industria ad cujuslibet libidinem explendam idcirco fiunt ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt. Quia, qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo idcirco quis peccare debet ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim et corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio et contritio debet reducere ad veniam.

Cap. 337. — *Ut comites et judices viles personas non admittant ad testimonium, cap.* 371

Summopere admonendi sunt comites et judices ne viles et indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere, quoniam *multi sunt* qui perjurare pro nihilo ducunt, in tantum ut pro *unius* diei satietate, aut pro quolibet parvo pretio ad juramentum conduci possint, animas suas perjurio perdere minime formidant. Quamobrem tales nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum quod non solum illi qui perjurant, sed etiam qui perjuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.

Cap. 338. — *De eo qui decimam dare neglexerit ecclesiæ cujus esse debet, alterique ecclesiæ eamdem dederit, cap.* 377.

Quicunque decimam abstrahit de ecclesia ad quam per justitiam dari debet, et eam præsumptuose, vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram ecclesiam dederit, a comite vel a misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

Cap. 339. — *De malis scavinis ejiciendis, cap.* 378.

Ut missi nostri ubicunque malos scabinos inveniunt ejiciant, et totius populi consensu in loco eorum bonos eligant, et cum electi fuerint, jurare faciant ut scienter injuste judicare non debeant.

Cap. 340. — *De melioribus et veracioribus eligendis, cap.* 379.

Ut omni comitatu hi qui meliores et veraciores inveniri possunt eligantur a missis nostris ad inquisitiones faciendas et rei veritatem dicendam, et adjutores comitum sint ad justitias faciendas.

Cap. 341. — *De scabinis qui propter munera aut amicitiam injuste judicaverint, cap.* 380.

Volumus ut quicunque de scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam injuste judicasse, per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cætero omnibus scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat.

Cap. 342. — *De eo qui res alienas malo ingenio emptas filio suo aut cuilibet personæ legitimos annos non habenti tradiderit, cap.* 381.

Quicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, et ipse homo easdem res comparatas habet per malum ingenium, proprio filio aut alteri cuilibet, nec-

Introdusă în format electronic de Google

dum legitimos annos habenti, justitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus ut, si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui juste ei tutor, aut defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hæreditate quæ ei per successionem parentum suorum legitime evenire debuit. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit vel neglexerit, sicut de cæteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primus invasit, nec non et emptores excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt intra patriam emendare cogantur, et postea sicut contemptores jussionis nostræ sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

Cap. 343. — *De eo qui de objectis se expurgare noluerit, cap.* 382.

Probat illa vera esse, quæ adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda minime vult adesse. Unde in sæcularibus legibus invenitur scriptum : Injuste victus infra tres menses reparet causam, quod si facere neglexerit, sententia quæ adversus eum collata fuerit perseveret. Et ne sit vobis contrarium, vel etiam ne miremini quod de sæcularibus legibus locutus sum in nostro judicio, quia ecclesiasticæ leges et divinæ eas recipiunt.

Cap. 344. — *Ut quos regia potestas in gratiam receperit, his etiam minores potestates communicent, cap.* 383.

Si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam sacerdotum et populorum conventus suscipere in ecclesiastica communione debebit, et quod principalis pietas recipit, nec a sacerdotibus Dei extraneum habeatur.

Cap. 345. — *Ut sæculari potentia compescantur qui monitis sacerdotum obedire contemnunt. Libelli secundi* XL, *cap.* 384.

Qui sacerdotum admonitionibus nolunt obedire, volentes in suis criminibus perdurare, oportet eos per disciplinam sæcularis potentiæ a tam prava coerceri consuetudine.

Cap. 346. — *De hominibus impari conditione conjugatis, cap.* 16.

Homines liberi qui uxores fiscalinas regias, et feminæ liberæ quæ fiscalinos regios accipiunt, nec de hæreditate parentum, nec de causa quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur.

Cap. 347. — *De eo qui latroni dederit mansionem, cap.* 23.

Quicunque latroni mansionem dederit, si Francus, cum duodecim similibus Francis juret quod ipse latronem eum fuisse non scisset. Si jurare non poterit, quasi latro judicetur.

Cap. 348. — *De rixantibus, si alter eorum quoquomodo percussus lecto decubuerit.*

Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, et jacuerit in lecto, si surrexerit et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, ita tamen ut operas et impensas ejus in medicis restituat.

Cap. 349. — *Si in apertam negligenter cisternam quoddam ceciderit jumentum, cap.* 16.

Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam, ceciderit que bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium ; quod autem mortuum est, ipsius erit.

Cap. 350. — *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, domino sciente vitiosum esse bovem suum, cap.* 17.

Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, et dividentpretium et cadaver. Si vero sciebat dominus ejus quod bos vitiosus erat, et noluit eum custodire, reddat bovem pro bove, et cadaver integrum accipiat

Cap. 351. — *De eo qui furatus fuerit ovem aut bovem, cap.* 18.

Qui furatus fuerit bovem, aut ovem, quinque boves pro uno restituat, et quatuor oves pro una.

Cap. 352. — *De fure, si inter furandum occisus fuerit, cap.* 19.

Si effregerit fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit.

Cap. 353. — *De eo qui lædit agrum vel vineam, et sinit jumentum suum aliena depascere, cap.* 20.

Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro vel in vinea, pro damni æstimatione restituat.

Cap. 354. — *De eo qui ignem accendit per quem alicui damnum evenit, cap.* 21.

Si egressus ignis invenerit spicas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddat damnum qui ignem succenderit.

Cap. 355. — *Vindicta in advocatum cupidum, cap.* 57.

Si advocatus in causa suscepta iniqua cupiditate fuerit repertus, a conventu honestorum, judiciorumque communione separetur, et videant ne judicis, et assertoris personam accipiat.

Cap. 356. — *Pœna servi delatoris domini sui, cap.* 177

Servus si super dominum suum fuerit delator etiam si objecta probaverit, puniatur.

Cap. 357. — *Omnes qui sunt anathema ne publicam habeant vocem, cap.* 215.

Omnium anathematum vox in accusatione vel testimonio, aut humano judicio plenius non audiatur.

Cap. 358. — *Ut fures et malefactores idoneis testibus convicti secundum legem moriantur, cap.* 257.

De furibus et malefactoribus, decrevimus observari ut si quinque aut septem bonæ fidei homines absque inimicitia præposita criminosum cum sacra-

Introdusă în format electronic de Google

menti interpositione esse dixerint, sicut contra legem fecit, sic secundum legem moriatur

CAP. 359. — *Ne quis debitorem teneat contempto fidejussore, cap.* 334.

Si quis contempto fidejussore debitorem suum tenere maluerit, fidejussor ut hæres ejus a fidejussione liberatur.

CAP. 360. — *De consciis alienorum peccatorum. cap.* 336.

Peccatorum alienorum conscii nisi emendationis et salutis causa prodiderint, delinquunt.

CAP. 361. — *Ut contra extraneos parentela aut propinquitas testimonium minime dicat, cap.* 348.

Fratres, sorores, uterini, patrui, avunculi, materæ, seu eorum filii, item nepotes, neptes, consobrini, vel amitini, seu etiam quidam ex propria consanguinitate in judicio adversus extraneos testimonium dicere non permittimus, nisi forsitan parentes ejusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in causa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

CAP. 362. — *Quod ea quæ Domino consecrantur, ad jus ecclesiasticum pertineant, cap.* 394.

Ea quæ Domino offeruntur vel consecrantur ad jus pertinent sacerdotum. Et sacrilegi sunt omnes qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.

DECRETI PARS DECIMA SEPTIMA

Continens speculativas sanctorum Patrum sententias de fide, spe et charitate.

CAP. 1. — *Quanta sit dignitas conditionis humanæ, et ne quis ab ea servili conditione degeneret (Aug. tract. de primi hominis creatione, tom. IX).*

Tanta dignitas humanæ conditionis esse dignoscitur, ut non solum jubentis sermone, ut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, et opera divinæ majestatis creatus sit homo, ut ex primo conditionis honore intelligeret quantum suo Conditori deberet, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium præstitit ei Conditor ut tanto ardentius amaret Conditorem, quanto mirabilius se ab eo conditum intelligeret. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Nec ob hoc solum quod sanctæ Trinitatis consilio sic ab excellentia Conditoris conditus sit [sit excellenter a Conditore conditus], sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam ipse Creator omnium eum creavit, quod nulli alii ex creaturis donavit. Quæ imago diligentius interioris hominis nobilitate est consideranda. Primo siquidem, ut sicut Deus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens, et gubernans, sicut Apostolus confirmat dicens quod *in eo vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII), sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans. Neque enim in majoribus sui corporis membris major est, in minoribus minor; sed in minimis tota, et in maximis tota. Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ quoque quamdam sanctæ Trinitatis habet similitudinem. Primo in eo, quia sicut Deus est, vivit et sapit, ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. Est quoque et alia Trinitatis similitudo in ea qua ad imaginem sui Conditoris perfectæ quidem et summæ Trinitatis, quæ est in Patre, et Filio et Spiritu sancto condita est. Et licet unius sit illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, memoriam. Quod idem fieri aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Matth.* XXII), id est, ex toto intellectu, et ex tota voluntate, et ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, ex Patre et Filio procedit Spiritus sanctus, ita per intellectum generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria, sicut facile a sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium unum aliquid, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tres dii, sed unus est Deus, tres habens personas, ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere Conditorem, ut quantum intelligitur, diligatur, et quatenus diligitur semper in memoria habeatur. Nec solum sufficit de eo intellectus, nisi fiat voluntas in amore; nec duo hæc sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus, sic ut nullum possit esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria. Et hæc de imagine habeto. Nunc vero de similitudine aliqua intellige, quæ in moribus cernenda est, ut sicut Deus creator, qui hominem ad similitudinem suam creavit charitas est, et bonus est, et justus, pacicus, mundus, et misericors [multum et misericors], et cætera virtutum insignia quæ de eo leguntur, ita homo creatus est, ut virtutes easdem haberet, quas

Introdusă în format electronic de Google

quanto plus quisque in semetipso habet, tanto propinquior est Deo, et majorem sui Conditoris gerit similitudinem. Quando vadit aliquis per devia vitiorum et divortia criminum, ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degener oberrat; tunc fiet de eo quod scriptum est: *Et homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Quis major honor potuit homini esse quam ut ad similitudinem sui Conditoris conderetur, et eisdem virtutum vestimentis ornaretur quibus et Conditor? [Ita nullum debet esse momentum, quo homo utens Dei bonitate et misericordia, non sit memor ejus (133)] de quo scriptum est: *Dominus regnavit, decorem indutus est* (*Psal.* XCII), id est, omnium virtutum et totius bonitatis decore ornatus. Sed quod majus homini potest esse dedecus, aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria Dei conditoris amissa, ad informem et irrationabilem brutorum jumentorum dilabatur similitudinem? Quapropter quisque diligentius primæ conditionis suæ excellentiam, et verendam sanctæ Trinitatis in seipso imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat, ut quando apparebit qualis sit, similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformavit.

CAP. 2. — *Quod anima cum sit incorporea corporis tamen possit habere similitudinem. Augustinus ad litteram* (*de Gen. lib.* XII, *c.* 33).

Animam vero non esse corpoream, non me putare, sed plane scire, audeo profiteri; tamen habere posse corporis et corporalium omnino membrorum similitudinem quisquis negat potest negare animam quæ in somnis videt vel ambulare se, vel sedere, vel hac atque illac egressu, aut etiam volatu ferri ac referri, quod sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem, ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus. Quanquam et illud me nondum invenisse confiteor, inferos appellatos, ubi justorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse usque ad ea loca in quibus cruciantur peccatores, ut eos solveret a tormentis, quos esse solvendos occulta sua nobis justitia judicabat, non immerito creditur.

CAP. 3. — *Quod etiam Christus secundum carnem fuit in lumbis Abrahæ quando Levi decimatus est. Augustinus* (*ibid. lib.*, X, *c.* 20).

Me non parum movet, quamvis nullius hominis anima sit in lumbis patris sui, secundum carnem tamen in lumbis Abrahæ constitutum Levi decimatum (*Hebr.* VII), et ibi constitutum secundum carnem Christum non decimatum. Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter nec Levi nec Christus in lumbis Abrahæ secundum animam, secundum carnem vero, et Levi et Christus. Sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque concurrit [cucurrit] ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ, quod [quia] et ipsum eo modo conceptum et exortum est; Christus autem visibilem carnis substantiam de carne virginis sumpsit. Ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed de longe aliter ac desuper venit. Proinde secundum hoc quod de matre accepit, etiam in [de] lumbis Abrahæ fuit. Ille est ergo decimatus in Abraham, qui licet secundum carnem tantum, sic tamen fuit in lumbis ejus, quemadmodum in sui patris etiam ipse Abraham, id est qui est sic natus de patre Abraham, quemadmodum de suo patre natus est Abraham, per *legem scilicet in membris repugnantem legi mentis* (*Rom.* VII), et invisibilem concupiscentiam, quamvis eam casta et bona jura nuptiarum non sinant valere, nisi quantum ex ea possunt generi substituendo prospicere. Non autem et ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Eadem namque caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi, terrenique hominis simul habebat et vulnus prævaricationis, et medicamentum vulneris. Vulnus prævaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur. Medicamentum autem vulneris in eo quod inde sine opere concupiscentiali in sola materie corporali per divinam conceptionis formationisque rationem de virgine assumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, et sine falsitate resurrectionis exemplum.

CAP. 4. — *Quod omnia peccata in baptismo deleantur. Aug. in Enchiridio* (*cap.* 42, 43, 44).

A parvulo enim recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibendus a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli tantum originali, majores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque male vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt. Sed ideo etiam ipsi peccato mori plerumque dicuntur, cum procul dubio non uni, sed multis peccatis omnibusque moriantur, quæcunque jam propria commiserunt, vel cogitatione, vel locutione, vel opere. Quia etiam per singularem numerum pluralis numerus significari solet, sicut ait ille:

Uterumque armato milite complent,

VIRG., II *Æneid.*, vers. 28

(133) Hæc in Aug. non leguntur.

Introdusă în format electronic de Google

quamvis hoc multis militibus fecerint. Et in nostris litteris legitur : *Ora* ergo *ut auferat a nobis* serpentem (*Num.* XXI). Non ait serpentes, quos patiebatur populus, ut hoc diceret et innumerabilia talia. Cum ergo et illud originale unum alio [plurali] numero significatur, quando dicitur in remissionem peccatorum baptizari parvulos, nec dicimus in remissionem peccati, illa contraria locutio est, qua per pluralem locutionem significatur numerus singularis, sicut in Evangelio de Herode mortuo dictum est : Mortui *sunt enim qui quærebant animam pueri* (*Matth.* II). Non dictum est, mortuus est. Et in Exodo : *Fecerunt*, inquit, *sibi deos aureos* (*Exod.* XXXII), cum unum vitulum fecerint tantum, de quo dixerunt : *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* XI). Et hic pluralem ponentes pro singulari.

CAP. 5. — *Quod in uno Adæ peccato plura inveniantur peccata. Ex eodem* (*Enchirid. c.* 45).

Quamvis et in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, et in omnes homines pertransiit (*Rom.* V), propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit ; et sacrilegium, quia Deo non credidit ; et homicidium, quia semetipsum præcipitavit in mortem ; et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est ; et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est ; et avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit appetivit (*Gen.* III) ; et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.

CAP. 6. — *Parvulos ante baptismum parentum suorum peccatis obligari. Ex eodem* (*cap.* 46).

Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia : Reddam peccata patrum in filios (*Exod.* XXXIV ; *Deut.* V), tenet eos utique antequam per regenerationem ad Testamentum Novum incipiant pertinere. (*Cap.* 18.) Quod Testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum (*Ezech.* XVIII), nec ulterius futuram in Israel parabolam illam : *Patres manducaverunt unam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt* (*Jer.* XXXI). Ideo enim quisque renascitur, ut salvetur [solvatur] in eo quidquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ male agendo postea committuntur, possunt et pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio nisi quia vitiosa est generatio, usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat : *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea me* in utero aluit (*Psal.* L). Neque hic dixit, in iniquitate vel peccato, cum et hoc recte dici possit, sed iniquitates et peccata dicere maluit. Quia etiam in illo uno quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut in eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata et alia parentum, quæ [qui etsi] non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat.

CAP. 7. — *De eadem re. Ex eodem* (*cap.* 47).

Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam usque ad patrem suum, progenitoribus suis quisque succedit, non immerito disceptari potest, utrum omnium malis actibus, et multiplicatis delictis originalibus quis cum nascitur implicetur, ut tanto pejus quanto posterius quisque nascatur. An propterea Deus in tertiam et quartam generationem de peccatis parentum eorum posteris comminetur (*Exod.* XX), quia iram suam quantum ad progeneratorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis suæ, ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere et pœnas eis debitas pendere. An aliud aliquid de re tanta Scripturis sanctis diligentius perscrutatis tractatis valeat, vel non valeat reperiri, temere affirmare non audeo.

CAP. 8. — *Originale delictum non posse solvi, nisi per Christum. Ex eodem* (*cap.* 48).

Illud tamen unum peccatum, quod tam magno in loco et habitatione felicitatis [magnum in loco et habitu tantæ infelicitatis, *sic hodie August.*] admissum est, ut in uno homine originaliter, atque ut ita dixerim radicaliter, totum genus humanum damnaretur, non solvitur ac diluitur, nisi per unum mediatorem Dei et hominum, Jesum Christum, qui solus potuit ita nasci ut ei opus non esset renasci.

CAP. 9. — *De resurrectione mortuorum. Item, ex eodem* (*cap.* 84).

Jam vero de resurrectione carnis, non sicut quidam revixerunt iterumque sunt mortui, sed in æternam vitam, sicut Christus ipse resurrexit, quemadmodum possim breviter disputare, et omnibus quæstionibus, quæ de hac re moveri solent, satisfacere, non invenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicunque nati sunt hominum, atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo potest dubitare Christianus.

CAP. 10. — *De abortivis vel informibus partibus. Ex eodem* (*cap.* 85).

Unde primo occurrit de abortivis fetibus quæstio, qui jam quidem nati sunt in uteris matrum, sed nondum ita ut jam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his qui jam formati sunt tolerari potest utcunque quod dicitur. Informes vero abortus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint ? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, ut quidquid formæ defuit impleatur ? Atque ita jam non desit perfectio quæ ac-

Introdusă în format electronic de Google

cessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia quæ accesserant tempore, ut neque in eo quod adversum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum.

Cap. 11. — *Quod resurrecturus sit infans, etiamsi recepto vitali spiritu mortuus fuerit antequam natus. Ex eodem* (*cap.* 86).

Ac per hoc scrupulosissime quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro quando incipiat homo in utero vivere. Utrum sit quædam vita occulta quæ nondum motibus viventis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur et ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus vero, ubicunque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.

Cap. 12. — *Animam non humano semine propagari, sed, formato jam corpore, divinitus creari. Augustinus dicit* (*De eccles. dogm. c.* 14).

Animas hominum non esse dicimus ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, ut Origenes finxit : neque cum corporibus per coitum seminari, sicut Luciferiani, Cyrillus et aliqui Latinorum præsumentes affirmant, quasi naturæ consequentia serviente; sed dicimus corpus tantum per conjugii copulam seminari, Dei vero iudicio coagulari in vulva, et compingi atque formari ; formato jam corpore, animam creari atque infundi, ut vivat in utero homo ex anima constans et corpore, egrediaturque vivus ex utero plenus humana substantia ; creationem vero animæ solum Creatorem omnium nosse.

Cap. 13. — *Quod duæ animæ non sint in uno homine, sed una tantum. Item Augustinus* (*ibid., c.* 15).

Non duas animas esse dicimus in uno homine, sicuti quidam Jacobus et alii Syrorum disputatores scribunt, ut una animalis sit, qua animetur corpus, et immista sit sanguini, et altera spiritualis quæ rationem ministret ; sed dicimus unam esse eamdemque in homine, quæ et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in sua substantia eligat cogitationem quam vult.

Cap. 14. — *Quod solus homo habeat substantivam animam. Item Augustinus* (*ibid., c.* 16).

Solum hominem credimus habere animam substantivam ex qua corpus vivit, et rationem suam et ingenia vivaciter tenet [quæ exuta corpore vivit, et sensus suos atque ingenia etc. *Sic hodie August.*] Neque cum corpore moritur sicut Arabs [Aratus *habet August.*] asserit, neque post modicum intervallum, sicut Zenon, quia substantialiter vivit.

Cap. 15. — *Quod pecudum animæ cum carne mortis finiantur. Item Augustinus* (*ibid., c.* 17).

Pecudum animæ non sunt substantiæ, sed cum ipsa carnis vivacitate nascuntur, et cum carne mortis finiuntur. Et ideo nec ratione reguntur, sicut Plato et Alexander putant, sed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur.

Cap. 16. — *Quod anima humana cum carne non moriatur. Item August.* (*ibid., c.* 10).

Anima humana non cum carne moritur, quia non cum carne, ut superius diximus, seminatur, sed formato in ventre matris corpore, Dei judicio dicimus eam creari et infundi, ut vivat homo intus in utero, et sic nativitate procedat in mundum.

Cap. 17. — *Quod homo constet duabus substantiis. August.* (*ibid., c.* 19).

Duabus substantiis constat homo : anima tantum et carne. Anima cum ratione sua, et caro cum sensibus suis, id est visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu, quos tamen sensus absque animæ societate non movet caro : anima vero et sine carne rationem suam integre tenet.

Cap. 18. — *Quod non sit tertius in substantia hominis spiritus, ut quidam affirmant. August.* (*ibid., c.* 20).

Non est tertius in substantia hominis spiritus, ut Didymus contendit, sed spiritus ipsa est anima. Anima vero pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore, spiritus est appellata. Anima vero ex eo vocatur quod ad vivificandum animet corpus. Tertium vero qui ab Apostolo cum corpore et anima inducitur spiritum, gratiam sancti Spiritus esse intelligamus, quam orat Apostolus ut integra perseveret in nobis (*I Thess.* v), nec nostro vitio aut minuatur aut fugetur a nobis, quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* i).

Cap. 19. — *Quod Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita, cum voluit, per incarnationis suæ mysterium etiam perdita bona reparavit. Gregorius in suis Moralibus* (*lib.* iv, *c.* 8).

Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita, cum voluit, per incarnationis suæ mysterium etiam perdita bona reparavit.

Cap. 20. — *Hominem idcirco per Christum ad Dei gratiam revocatum, quia carnis infirmitate peccavit ; apostatam vero angelum non posse revocari, quia sponte cecidit. Ex eodem* (*cap.* 9).

Duas vero ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet et humanam. Utramque vero superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit, sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro. Misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse, et eo amplius debuit apostatam angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Unde et recte Psalmista, cum misertum redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit, dicens : *Et memoratus est quia caro sunt* (*Psal.* lxxvii). Ac si diceret : Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 21. — *Quod tres Deus vitales spiritus crearit : unum, qui carne non tegeretur; alium, qui carne tegeretur, sed non cum carne moreretur; tertium, qui carne tegeretur, et cum carne moreretur. Ibid.* (*lib.* IV, *c.* 2).

Habent etiam infideles fidem, sed utinam in Deum. Quam si utique haberent, infideles non essent. Sed hinc in sua perfidia redarguendi sunt, hinc ad fidei gratiam provocandi, quia si de ipso suo visibili corpore credunt quod minime viderunt, cur invisibilia non credunt, quæ corporaliter videri non possunt? (*Ibid.*, *cap.* 3.) Nam quia post mortem carnis vivat anima, patet ratio, sed fidei admista. Tres quippe vitales spiritus creavit omnipotens Deus : unum qui carne non tegitur ; alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur ; tertium qui carne tegitur, et cum carne moritur. Spiritus namque est qui carne B non tegitur, angelorum ; spiritus qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum ; spiritus qui carne tegitur et cum carne moritur, jumentorum, omniumque brutorum animalium. Homo itaque, sicut in medio creatus est, ut esset inferior angelo, superior jumento, ita aliquid habet commune cum summo, aliquid commune cum infimo : immortalitatem scilicet spiritus cum angelo, mortalitatem vero carnis cum jumento, quousque et ipsam mortalitatem carnis gloria resurrectionis absorbeat, et inhærendo spiritui caro servetur in perpetuum, quia et ipse spiritus inhærendo carni servatur in Deum. Quæ tamen caro nec in reprobis inter supplicia perfecte deficit, quia semper deficiendo subsistit, ut qui spiritu et carne peccaverunt, semper C essentialiter viventes, et carne et spiritu sine fine moriantur.

Cap. 22. — *Quod homo in prima conditione sua libero arbitrio donatus sit. Augustinus* (*lib. De spiritu et anima*, *c.* 48).

Libertati arbitrii sui commissus est homo statim in prima conditione, ut sola vigilantia mentis adnitente, etiam perfecta custodia perseveraret, si vellet, in id quod creatus fuerat. Postquam vero seductione serpentis per Evam cecidit a naturæ bono (*Gen.* III), perdidit pariter vigorem arbitrii, non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum, nec immerito indulgeretur quod arbitrio diluisset. Manet ergo ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, [ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasionem salutis, hoc est inspirationem Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse, libere confitemur. Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante, habemus (333*),] ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. Ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus [quod adipisci desideramus], divini est muneris. Ut non labamur, adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, et cœlestis pari- A ter adjutorii; ut labamur, potestatis nostræ est et ignaviæ.

Cap. 23. — *Quod omnes homines in prævaricatione Adæ naturalem possibilitatem perdidissent. Ex decretis Cœlestini papæ, cap.* 5 (*epist.* 1, *ad episc. Galliæ*, *c.* 4).

In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis [miserantis] erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ papa Innocentio atque dicente in epistola sua ad Carthaginense concilium (*ep.* 25) : « Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens, in prævaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde B resurgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus, hujus ruina jacuisset [*ruinæ latuisset*] oppressus, nisi eum post Christi, pro sua gratia, relevasset adventus, qui per novæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit. »

Cap. 24. — *De eadem re. Ex decretis ejusdem* (*ibid.*, *c.* 7).

Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio, idem magister in epistola ad Milevitanum concilium data (*ep.* 26) prædicat, dicens : « Adverte tandem [pravissimarum mentium perversam doctrinam [o pravissimarum mentium doctrina], quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptionis ceciderit, nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis, statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus. »

Cap. 25. — *Quod homo sic positus sit in paradiso, si obediens permaneret, ut quandoque ad cœlestem patriam sine carnis morte transiret. Greg.* (*lib.* IV *Moral.*, *c.* 30).

Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad Conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem patriam angelorum quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque est immortalis conditus, ut tamen si peccaret, et mori posset. Et sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito D liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare vel mori non posset. Illi igitur post redemptionis tempus carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent.

Cap. 26. — *Quod nos carnales in hujus exsilii cæcitate nati, puero in carcere nato et nutrito comparemur* (*lib.* IV *Dialog. c.* 1).

Postquam de paradisi gaudiis culpa exigente pulsus est primus humani generis parens, in hujus exsilii atque cæcitatis quam patimur ærumnam ve-

(333*) Hæc non leguntur in Augustino.

Introdusă în format electronic de Google

nit, quia peccando extra semetipsum fusus, jam illa cœlestis patriæ gaudia, quæ prius contemplabatur, videre non potuit. Homo quippe in paradiso assueverat verbis Dei perfrui, et beatorum angelorum spiritibus cordis munditia, et celsitudine visionis interesse; sed postquam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit. Ex cujus videlicet carne, nos in hujus exsilii cæcitate nati audimus quidem esse cœlestem patriam, audimus ejus cives angelos Dei, audimus eorumdem angelorum socios spiritus justorum et perfectorum, sed carnales quique quia illa invisibilia scire non valent per experimentum, dubitant utrumne sit quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas primo parenti nostro inesse non potuit, quia exclusus a paradisi gaudiis, hoc quod amiserat, quoniam viderat, recolebat. Ili autem sentire vel recolere audita non possunt, quia eorum nullum, sicut ille saltem, de præterito experimentum tenent. Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem, illique puerum pariat : qui natus, in carcere nutriatur et crescat, cui si fortasse mater quæ genuit eum, solem, lunam, stellas, montes et campos, volantes aves, currentes equos nominet, ille vero qui in carcere natus est et nutritus, nihil aliud quam tenebras carceris sciat, et hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentum non novit, veraciter esse diffidat, ita in hac exsilii sui cæcitate nati homines, dum esse summa et invisibilia audiunt, diffidunt an vera sint, quia sola hæc in quibus nati sunt, infima et visibilia noverunt. Unde factum est ut ipse invisibilium et visibilium Creator ad humani generis redemptionem Unigenitus Patris veniret, et Spiritum sanctum ad corda nostra mitteret, quatenus per eum vivificati crederemus, quæ hic [adhuc, or.] scire per experimentum non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hæreditatis nostræ pignus accepimus, de vita invisibilium non dubitamus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet procul dubio majorum dictis præbere fidem, eisque jam per Spiritum sanctum invisibilium experimentum habentibus credere, quia stultus puer est, si matrem ideo æstimat de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quam tenebras carceris agnovit.

Cap. 27. — *Quod per semetipsum nemo bonus fieri possit. Ex decr. Cœlest. papæ (epist. 1, ad episc. Galliæ, c. 5).*

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus. Nunquid nos de eorum post hæc rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi quod boni sunt, nec illum considerant cujus quotidie gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?

Cap. 28. — *De eadem re. Ex decretis ejusdem (ibid., c. 6).*

Neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad devincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Nam quamvis hominem redimeret a præteritis ille peccatis, tamen eum sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quotidiana præstans illi remedia, quibus [nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.

Cap. 29. — *De eadem re. Ex decretis ejusdem (ibid., c. 9).*

Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus (*Joan.* xv). Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cum ad totius orbis episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur. Quod ergo, ait, tempus intervenit quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est (*Zosimus papa in ep. nobis ignota*). Superbum est enim ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates aeris hujus, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* vi). Et sicut iterum ipse dicit : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* vii). Et iterum : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* xv).

Cap. 30. — *Quod gratia divina non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur. Greg. in Moralib.*

Quod gratia Dei non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur, et lex impleatur, non sicut Pelagius ait, *facile*, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri. Illud etiam quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprie apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicunque dixerit gratiam Dei qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad remissionem solam peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non admittantur, anathema sit. Et iterum quarto capitulo : « Quisquis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum Dei, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. » Cum enim dicat Apostolus : *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (*I Cor.* viii), valde impium est ut credamus

Introdusă în format electronic de Google

ad eam que inflat nos habere gratiam Christi, et ad eam quæ ædificat non habere, cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus, ut, ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est : *Qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII), ita etiam scriptum est : *Charitas ex Deo est* (*I Joan.* IV) : Item quinto capitulo, ut quisquis dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, quanquam et si gratia non daretur non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus etiam [enim] mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait : *Sine me* difficilius potestis facere; sed ait : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV).

CAP. 31. — *Quod prædestinatio Dei ita sit ordinata, ut ea nociva quæ prædestinata sunt electorum precibus solvi queant* (*lib.* I *Dial. c.* 8).

Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerint, sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. PETRUS. Probari mihi apertius velim si potest prædestinatio precibus adjuvari. GREGORIUS. Hoc quod ego, Petre, intuli, concite volet probari. Certe etenim nosti, quia ad Abraham Dominus dixit : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI). Cui etiam dixerat : *Patrem multarum gentium constitui te* (*Gen.* XXVII). Cui rursum promisit dicens : *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris* (*Gen.* XXII, XXVI). Ex qua re aperte datur intelligi quia omnipotens Deus semen Abrahæ prædestinaverat per Isaac multiplicare, et tamen scriptum est : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ* (*Gen.* XXV). Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impleretur, quando is in quo Dominus multiplicare semen Abrahæ prædestinaverat, oratione obtinuit ut filium habere potuisset.

CAP. 32. — *De Dei prævidentia et simul providentia. Aug. in lib. de Prædest. dicit :*

Omne judicium secundum sui naturam quæ sibi subjecta sunt comprehendit. Est autem semper Deo æternus, ac præsentarius status. Scientia quoque omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam pensare quis velit qua cuncta dignoscit, non esse præsentiam, quasi futuri, sed scientiam numquam deficientis instantiæ rectius æstimabit. Unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Quid igitur dicendum est, ut necessaria fiant quæ divino lumine lustrentur, cum ne homines quidem necessaria faciant esse quæ videant? Num enim quæ præsentia cernuntur, aliquam eis necessitatem videntis addit intuitus? Minime. Atqui si est divini humanique præsentis digna collatio, uti homines hoc temporario præsenti quædam vident, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio naturam rerum proprietatemque non mutat, taliaque apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura provenient; nec rerum judicia confundit, unoque suæ mentis intuitu tam necessarie quam non necessarie ventura dignoscit. Sicuti aliquis cum pariter ambulare in terra hominem, et oriri in cœlo solem videt, quanquam simul sit, utrumque in conspectu tamen discernit, et hoc voluntarium illud esse necessarium judicat, ita igitur cuncta respiciens divinus intuitus, qualitatem rerum minime perturbat, apud se quidem præsentium, ad conditionem vero temporis, futurarum. Quo fit ut hoc non sit opinio, sed veritate potius nixa cognitio, cum exstaturum quid esse cognoscit, quod idem existendi necessitate carere non nesciat. Hic si quis dicat quod eventurum Deus videt id non evenire non posse, quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere, respondebit illi, res quidem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis nisi divini speculator accesserit. Firmatur namque idem venturum cum ad divinam notitiam refertur necessarium, cum vero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ etenim sunt necessitates : simplex una, veluti qua necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare quis sciat, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est nequit. Sed hæc minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem, quamvis eum tum cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem ergo modo si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. Atqui ea Deus futura quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fiunt per dispositionem divinæ notionis, per se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt. Fient igitur procul dubio cuncta quæ futura Deus esse prænoscit, sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ, quamvis eveniant existendo, tamen naturam propriam non amittunt, quia priusquam fierent, etiam non evenire potuissent.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 33. — *Quod divina æternitas nec fuisse, nec futurum esse habeat. Gregor. in Morat.* (*lib.* IV, *c.* 32).

Sed quia beatus Job sancto æternitatis Spiritu impletur, et fuisse vel futurum esse æternitas non habet; cui nimirum nec præterita transeunt, nec quæ futura sunt veniunt, quia cuncta per præsens videt.

Cap. 34. — *Quod cuncta quæ hominibus fiunt, absque Omnipotentis occulto consilio non veniant. Greg. in Moral. suis dicit* (*lib.* XII, *c.* 1) :

Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disponantur.

Cap. 35. — *De eadem re. Gregorius* (*lib.* XVI, *c.* 6, *quanquam non iisdem verbis*).

Nec propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur, nec Dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque quod ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinate foris est additum, sine augmento præscientiæ Dei fuit intus statutum.

Cap. 36. — *Quod Deus singulis dies suos præfigat, ut nec minui nec augeri possint. Gregorius in Moralibus* (*lib.* XII, *c.* 25).

Præfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri possunt nec minui, nisi contingat ut ita præsciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut pessimis breviores, sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lacrymarum (*IV Reg.* XX; *II Par.* XXXII; *Isa.* XXXVIII), et sicut de perversis scriptum est : Indisciplinatis obviat mors. Sed sæpe iniquus, quamvis in occulta Dei præsentia longa vitæ ejus tempora non sint prædestinata, ipse tamen qui carnaliter vivere appetit longos animo dies proponit, et quia ad illud tempus pervenire non valet quod exspectat, quasi antequam dies illius impleantur, perit. Quod tamen intelligere et aliter possumus. Plerumque enim quosdam cernimus et perverse agere, et usque ad senectutem ultimam pervenire. Quomodo enim dicitur : *Antequam dies ejus impleantur, peribit* (*Job* XV), cum in quibusdam sæpe videamus quia ætate longa jam membra deficiunt, et tamen pravitatem suam eorum desideria exsequi non desistunt.

Cap. 37. — *Quod Deus peccata dissimulet. Greg. in Moral.* (*lib.* XIV, *c.* 18).

Omnipotens Deus, quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per pœnam, et quietis tranquillitas, quæ hic inveniri non valet, alibi quæratur.

Cap. 38. — *Quod Deus cuncta disponat et consideret universorum finem. Greg. in Moral.* (*lib.* XVIII, *c.* 17).

Tempus ergo *posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat* (*Job* XXVIII). Universorum nomine et electos voluit et reprobos comprehendi. Nam bona faciens et ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinate eveniant, ipse disponens, considerat universorum finem, et patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quo ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quo de malo opere dignum se trahantur ad supplicium. Vidit finem persequentis Sauli, quo prostratus diceret : *Domine, quid me vis facere?* (*Act.* IX.) Vidit finem quasi obsequentis discipuli, quod pro commisso scelere guttur laqueo stringeret (*Matth.* XXVII), seque et peccantem puniret, et deterius puniendo deciperet. Vidit Ninivitas delinquentes, sed consideravit finem delinquentium pœnitentia correctorum (*Jon.* III). Vidit quoque Sodomam delinquentem (*Gen.* XVIII, XIX), sed consideravit finem ardoris luxuriæ, ignem gehennæ. Vidit gentilitatis finem, quod possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce clarescaret. Vidit etiam terminum Judeæ, quod ab ea luce fidei quam tenebat, obduratæ perfidiæ tenebris cæcaretur.

Cap. 39. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Fulgentii* (*lib. De prædest.*).

Neque enim est alia Dei prædestinatio, nisi futurorum operum ejus æterna præparatio. Et hic præparationem prædestinationem nominavit. Proinde sive præparationem seu prædestinationem in sanctorum dictis positum invenerimus, unum idemque significare docemur.

Cap. 40. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Ambrosii.*

His omnibus testimoniis prædestinati ostenduntur mali ad pœnam, sed non prædestinati ad peccatum. Quoniam eorum quæ facturus est Deus, prædestinator est. Quæ vero non fecit nec facturus est, ea non prædestinavit. Quia autem judicaturus est mundum et impios justo supplicio pro iniquitatibus suis damnaturus, propterea et eos prædestinavit ad pœnam, et pœnam prædestinavit illis. Ad peccatum autem eos non prædestinavit, quoniam non est Deus auctor iniquitatis. Quoniam sicut justitia ex Deo est, et omne opus bonum, ita iniquitas et omne opus pravum ex diabolo.

Cap. 41. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini*

Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors et justa divini operis sempiterna dispositio præjudicatur.

Cap. 42. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Isidori.*

Quia ergo Deus nulla necessitate compellitur, ut aliquid nolens promittat; nullius itaque adversitatis impeditur obstaculo quo id quod promisit aut minus quam vult, aut tardius faciat. Proinde potuit, sicut voluit, quosdam prædestinare ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam. Quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam. *Item, paulo superius.* In sanctis igitur coronat Deus justitiam

Introdusă în format electronic de Google

quam eis gratis ipse tribuit, gratis servavit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnat pro impietate vel injustitia quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera sua condemnat.

CAP. 43. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini.*

Fidelibus congruit credere et fateri Deum bonum et justum præscisse quidem peccatores homines, quia nihil eum latere potuit futurorum. Neque enim vel futura essent si in ejus præsentia non fuissent, non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum; quia si ad peccatum aliquod Deus hominem prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum justa punitio.

CAP. 44. — *Item de prædestinatione. Ambrosius dicit:*

Iniquos itaque quos præscivit Deus hanc vitam in peccato terminaturos prædestinavit supplicio interminabili puniendos. In quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio justissimæ laudanda est ultionis, ut agnosceretur non ab eo prædestinatum hominem ad qualecunque peccatum, quem prædestinavit peccati merito puniendum. Deus itaque omnia hominum opera sive bona sive mala præscivit, quia cum latere nihil potuit, sed sola bona prædestinavit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præscivit. Mala vero futura opera illorum quos non prædestinavit ad regnum, sed ad interitum præscivit potentissima divinitate, et ordinavit provida bonitate.

CAP. 45. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini.*

Dominus ipse suo sermone nos perdocuit in eo, quod a se ostendit paratum non solum regnum ubi lætentur boni, sed et ignem æternum ubi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Matth.* XXV). Malis autem dicturus est: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*). Ecce ad quid Deus iniquos et impios prædestinavit, id est, ad supplicium justum, non aliquod opus injustum, ad pœnam non ad culpam, ad punitionem non ad transgressionem, ad interitum quem ira justi judicis peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas provocavit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ, non culpæ. Ait enim: *Quod si volens Deus iram ostendere, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloria* (*Rom.* IX). In hac extrema sententia notandum quod de Evangelio sumens testimonium, ait prædestinatos malos in ignem æternum, eo quod dicturus est Dominus in judicio non solum bonis ut percipiant regnum Dei paratum a constitutione mundi, verum quod malis dicturus est: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Ex hoc enim approbat quod iniquos et impios Dominus prædestinaverit ad supplicium, ex eo quod illis dicturus est: *Ite in ignem æternum*. Unde qui volunt dicere quod pœna prædestinata sit injustis, non injusti prædestinati ad pœnam, viderint qualiter hujus auctoris dicta intelligant. Cui enim paratur pœna, is nimirum præparatur ad pœnam.

CAP. 46. — *Item de eodem. Augustinus.*

Vasis vero iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum; quia nec Deus peccanti homini juste inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam.

CAP. 47. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Fulgentii* (*lib. De prædest.*).

Sicut enim præscientia Dei neminem compellit ad peccatum, cum utique præscierit singulorum ante sæcula æterna peccata; ita quoque et prædestinatio ejus neminem compellit ad pœnam, licet et antequam nascatur aliquis prædestinatus sit permansuras in iniquitate ad pœnam [prædestinatus sit, si permansurus est in iniquitate, etc.].

CAP. 48. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Ambrosii.*

Sicut enim nemo potest imputare Deo quod peccat, ita quoque quod pro peccatis puniendus sit. Peccat enim propria voluntate delinquens, puniendus est autem justo judicio judicantis. Et sicut peccati causa non ex Dei præscientia descendit, quia nullus ideirco peccat, quia Deus eum peccaturum præscierit, sed idcirco, quia magis propriæ concupiscentiæ obedierit, quam præcepto prohibentis Dei a peccato; ita quoque nullus idcirco ad pœnam vadit, quia hoc in prædestinatione Dei ante fuerat. Ex eo enim quod præscitus est in peccatis permansurus, et sine pœnitentiæ fructu vitam præsentem terminaturus, ex eo deputatus est ad pœnam. Et sicut causa peccati concupiscentia est, qua magis obeditur voluntati carnis quam præcepto divino; ita pœnæ deputatio causa est peccati perpetratio, et postea pro peccato nulla digna satisfactio.

CAP. 49. — *Item de prædestinatione. Ex dictis ejusdem.*

Et Scriptura dicit: *Considera opera Domini, quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit* (*Eccle.* VII).

CAP. 50. — *Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini*

Nemo quisquam bene credit in Deum, qui dubitat præscientia illius cœlum terramque contineri, mundumque providentia divina regi. Et sicut nihil latet sapientiam ejus, ita dispositio illius universa moderatur et regit. Sicut nulla est creatura occulta in conspectu ejus.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 51.—*De creatione angelorum. Idem Augustinus (De eccles. dogm. c. 10).*

In principio creavit Deus cælum et terram, et aquam ex nihilo (*Gen.* I), et cum adhuc tenebræ aquam ipsam occultarent, et aqua terram absconderet, facti sunt angeli et omnes cœlestes virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet, et ita hic visibilis mundus ex his quæ creata fuerant [materia quæ a Deo facta fuerat. *Sic hodie August.*], factus est et ordinatus.

Cap. 52. — *Quod nihil sit incorporeum et invisibile præter solum Deum (ibid., c. 11).*

Nihil incorporeum et invisibile in natura credendum, nisi solum Deum. Qui ideo incorporeus creditur, quia ubique est, et omnia implet atque constringit. Ideo et invisibilis omnibus creaturis est, quia incorporeus est.

Cap. 53.—*Quod omnis creaturæ sit corporea. August. (ibid., c. 12).*

Creatura omnis corporea est, angeli et omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ideo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quoniam localiter circumscribuntur, sicut et anima humana quæ carne claditur, et dæmones, qui substantia [per substantiam] angelicæ naturæ sunt.

Cap. 54. — *Quod omnes intellectuales naturæ immortales sint. August. (ibid., c. 13).*

Immortales esse credimus intellectuales naturas, quia carne carent, nec habent quod cadat, ut resurrectione egeat post ruinam.

Cap. 55. — *Quod omnes apostatæ angeli ante ruinam liberum arbitrium habuerint (Gregor. lib. Mor. v, c. 27).*

Unaquæque enim res quasi tot passibus ad aliud tendit, quot mutabilitatis suæ motibus subjacet. Sola autem natura incomprehensibilis ab statu suo nescit moveri, quæ, ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Nam si angelorum substantia a mutabilitatis motu fuisset aliena, bene ab auctore condita, nequaquam in reprobis spiritibus a beatitudinis suæ arce cecidisset. Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut, si qui permanere nollent, ruerent, et qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto ex arbitrio starent, et eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.

Cap. 56. — *Cur angelorum spiritus irremissibiliter peccarint, homo vero peccans veniam meruerit. Gregor., in Moral. (lib. IX, c. 36).*

Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis admistio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid quo semetipso minor esset, accepit. Unde et apud respectum judicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis.

Cap. 57. — *Quod angeli custodes hominibus prævo nantur. Gregorius (Moral. lib. VI, cap. 31).*

Quia vero angeli hominibus præsint per prophetam testatur angelus, dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi* (*Dan.* X). Quod vero angeli a superiorum angelorum potestatibus dispensentur, Zacharias propheta perhibet, qui ait: *Ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre et loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem* (*Zach.* II).

Cap. 58. — *Quod singulis hominibus singuli angeli dentur custodes. Ex dictis cujusdam in Vitis Patrum.*

Abbas Paulus simplex habebat gratiam ut ingredientes in ecclesiam senes aspiceret, et ex ipsa facie eorum uniuscujusque cogitationes, sive malæ essent seu bonæ, sentiret. Cum ergo venissent ad ecclesiam et ingrederentur senes, vidit eos clara facie et læto animo ingredi, et angelos eorum cum gaudio pariter cum ipsis: unum autem nigrum et nebulosum habentem corpus, et dæmones hinc atque inde trahentes eum cum admisso freno in naribus, et angelum sanctum ejus de longe sequentem tristem. Beatus ergo Paulus cœpit flere amarissime, et pectus suum tondere, sedens ante ecclesiam, propter eum quem talem viderat. Omnes autem alii senes videntes eum sic flentem, cœperunt eum rogare, ut si quid in illis vidisset, cum eis ingrederetur in congregationem. Ille autem noluit ingredi, sed semper flebat propter eum quem sic viderat. Post paululum autem cum absoluta congregatio discederet, iterum omnium vultus circumspiciebat, si tales egrederentur quales ingressi sunt. Et vidit illum quem antea viderat nigrum et nebulosum, egressum de ecclesia clara facie et candido corpore, et dæmones de longe sequentes eum, et sanctum angelum ejus prope eum hilarem et gaudentem super eum nimis.

Cap. 59. — *Quod dextra Dei sit angelorum pars electa, sinistra autem ejus pars angelorum reproba. Gregorius (lib. II Moral., c. 21).*

Quid est ergo quod exercitus cœli a dextris et sinistris ejus stare perhibetur? (*III Reg.* XXII.) Deus enim qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, nec dextra nec sinistra concluditur; sed dextra Dei, angelorum pars electa, sinistra autem, angelorum reproba pars designatur. Non enim ministrant Deo solummodo boni qui adjuvent, sed etiam mali qui probent [alii qui reprobent]. Non solum qui a culpa redeuntes sublevent, sed etiam qui redire nolentes gravent. Nec quod cœli exercitus dicitur, angelorum pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aere novimus, aves cœli nominamus. Et de iisdem spiritibus Paulus dicit: *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Quorum caput enuntians ait: *Secundum principem potestatis aeris hujus* (*Ephes* II). A dextera ergo Dei et sinistra angelorum exercitus stat, quia et voluntas electorum spirituum

Introdusă în format electronic de Google

divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens, judicio districtionis ejus obtemperat. Unde et mox fallax spiritus in medium prosiliisse describitur, per quem Achab rex exigentibus suis meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret: *Egrediar et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum ejus* (*III Reg.* XXII; *II Par.* XVIII). Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta justitiæ licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccatis laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Quod ergo illic a dextris et sinistris Dei exercitus cœli astitisse describitur (*III Reg.* XXII), hoc hic inter filios Dei Satan adfuisse perhibetur. Ecce a dextris Dei steterunt angeli qui nominantur filii Dei; ecce a sinistris stant angeli, quia adfuit inter eos etiam Satam.

CAP. 60. — *Quod immundi spiritus in hoc cæli terræque medio vagentur. Gregor* (*lib.* II *Moral.*, *c.* 34).

Cœlum vero aerem dici paulo ante jam diximus; unde et aves cœli nominamus. Et scimus quod immundi spiritus qui e cœlo æthereo lapsi sunt, in hujus cœli terræque medio vagantur, qui tanto magis corda hominum ascendere ad cœlestia invident, quanto se a cœlestibus per elationis suæ immunditiam projectos vident.

CAP. 61. — *De hoc, si pax in sublimibus retineatur. Greg.* (*lib.* XVII *Moral.*, *c.* 7).

Sed inter hæc libet inquirere, si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per angelum Danieli dicitur: *Ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi* (*Dan.* X). Et paulo post: *Nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum Cum* enim *egrederer, apparuit princeps Græcorum adveniens* (*ibid.*) Quos itaque alios principes gentium, nisi angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo pax in sublimibus esse potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? sed quia certa angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus prælata sunt, cum subjectorum mores adversus se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque angelus qui Danieli loquebatur, captivis Israelitici populi in Perside constitutis prælatus cognoscitur. Michael autem eorum qui de eadem plebe in Judæa terra remanserant, præpositus invenitur. Unde et ab hoc eodem angelo paulo post Danieli dicitur: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester* (*ibid.*) De quo et hoc quod præmisimus, dicit: *Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi.* Qui dum neA quaquam simul esse, sed venire in adjutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captas in alia parte tenebatur.

CAP. 62.—*Quod diaboli voluntas sit semper inique, potestas autem ejus nunquam injusta. Greg.* (*lib.* II *Moral.*, *c.* 10).

Sciendum vero est quia Satanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas injusta, quia a semetipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem: quod enim ipse facere inique appetit, hoc Deus fieri non nisi juste permittit. Unde bene in libris Regum dicitur: *Spiritus Domini malus irruebat in Saul* (*I Reg.* XVIII). Ecce unus idemque spiritus, et *Domini* appellatur et *malus*: Domini videlicet, per licentiam potestatis justæ; malus autem, per desiderium voluntatis injustæ. Formidari igitur non debet qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est quæ, cum hostem *sævire permiserit*, ei ad usus justi judicii et injusta illius voluntas servit. Paululum vero manum postulat extendi, quia exteriora sunt quæ expetit conteri. Neque enim Satan aliquid multum se facere putat, nisi cum in anima sauciat, ut ab illa patria feriens revocet, a qua ipse longe telo superbiæ suæ prostratus jacet.

CAP. 63. — *Quod quatuor modis loquatur Deus ad diabolum, et tribus modis diabolus ad Deum. Gregor.* (*lib.* II *Moral.*, *c.* 7).

Sciendum vero est quia, sicut hoc loco discimus, quatuor modis loquitur Deus ad diabolum, tribus modis diabolus ad Deum, quia et vias injustas ejus arguit, et electorum suorum contra illum justitiam proponit, et tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, et aliquando eum *ne tentare* audeat prohibet. Injustas enim vias ejus redarguit, sicut jam dictum est: *Unde venis?* (Job I.) Electorum suorum contra illum justitiam proponit, cum ait: *Considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei super terram?* (*ibid.*) Tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, sicut dicit: *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt* (*ibid.*). Rursusque eum a tentatione prohibet, cum dicit: *Tantum in eum ne extendas manum tuam* (*ibid.*). Tribus autem modis loquitur diabolus ad Deum, cum vel vias suas insinuat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eamdem innocentiam postulat. Vias quippe suas insinuat, quia ait: *Circuivi terram, et perambulavi eam* (*ibid.*). Electorum innocentiam accusat, quia dicit: *Nunquid frustra timet Job Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum?* (*ibid.*) Tentandam eamdem innocentiam postulat, cum dicit: *Extende manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi* (*ibid.*).

CAP. 64. — *Quod non sit palma victoriæ nisi labore certaminis. Gregorius* (*lib.* I *Dial.*, *c.* 20).

Sine labore certaminis non est palma victoriæ. Unde ergo victores sunt, nisi quia contra antiqui hostis insidias decertaverunt? Malignus quippe spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro sem-

Introdusă în format electronic de Google

per assistit, si fortasse quid inveniat unde apud examen æterni judicis accusator existat. Vis etenim nosse quomodo ad decipiendum semper assistat? Quidam qui nunc nobiscum sunt rem quam narro testantur, quod vir vitæ venerabilis, Stephanus nomine, Valeriæ provinciæ presbyter fuit, hujus nostri Bonifacii diaconi atque dispensatoris Ecclesiæ cognatione proximus. Qui quadam die de itinere domum regressus, mancipio suo negligenter loquens, præcepit, dicens : « Veni, diabole, discalcea me. » Ad cujus vocem mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissolvere, ut aperte constaret quod ei ipse qui nominatus fuerat ad extrahendas caligas diabolus obedisset. Quod mox ut presbyter vidit, vehementer expavit, magnisque vocibus cœpit clamare, dicens : « Recede, miser, recede, non enim tibi sed mancipio meo locutus sum. » Ad cujus vocem protinus recessit, ita ut inventæ sint magna jam ex parte dissolutæ corrigiæ, ex parte remanserint. Qua in re colligi potest antiquus hostis, qui tam præsto est factis corporalibus, quam nimiis insidiis nostris cogitationibus insistat.

CAP. 65.— *De creatura, natura, ministerio angelorum, et de casu apostatarum. Sanctus Isidorus in libro Officiorum sic loquitur* (*lib.* I *De summo bono, c.* 10) :

Angelorum nomen officii est, non naturæ. Nam secundum naturam spiritus nuncupantur. Quando enim de cœlis ad annuntiandum hominibus mittuntur, ex ipsa annuntiatione angeli nominantur. Natura enim spiritus sunt. Tunc autem angeli vocantur, quando mittuntur. Natura angelorum mutabilis est, sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. Gratia dicimus, non natura esse incommutabiles angelos. Nam si natura incommutabiles essent, diabolus utique non cecidisset. Mutabilitati itaque naturæ suffragatur in illis contemplatio Creatoris. Inde et privatus est apostata angelus, dum fortitudinem suam non a Deo, sed a se voluit custodiri. Ante omnem creaturam angeli facti sunt, dum dictum est : *Fiat lux* (*Gen.* I). De ipsis enim dicit Scriptura : *Prior omnium creata est sapientia* (*Eccli.* I). Lux enim dicuntur, participando luci æternæ; sapientia vero dicuntur, ingenitæ inhærendo Sapientiæ. Et dum mutabiles sint natura, non tamen sinit eos contemplatio mutari divina. Ante omnem creaturam [creationem, *or.*] mundi creati sunt angeli, et ante omnem creationem angelorum diabolus conditus est, sicut scriptum est : *Ipse est principium viarum Dei* (*Job* XL). Unde et ad comparationem angelorum archangelus appellatus est. Prius enim creatus exstitit ordinis prælatione, non temporis quantitate. Primatum habuisse inter angelos diabolum excellentia prælationis constat, ex qua fiducia cecidit, ita ut sine reparatione laberetur. Cujus prælationis excellentiam propheta his verbis annuntiat : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem illius Omne lignum paradisi non est assimilatum ei, quoniam speciosiorem fecit eum Deus* (*Ezech.* XXXI). Distat conditio angeli a conditione hominis; homo enim ad Dei similitudinem conditus est; archangelus vero qui lapsus est, signaculum Dei similitudinis appellatus est, testante Domino per Ezechielem : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII). Quanto enim subtilior est ejus natura, tanto plenius exstitit ad similitudinem divinæ veritatis expressa. Prius de cœlo cecidisse diabolum liquet quam homo conderetur. Nam mox ut factus est, in superbiam erupit, et præcipitatus de cœlo est. Nam, juxta Veritatis testimonium : *Ab initio mendax* fuit, *et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII), quia statim ut factus est, cecidit. Fuit quidem in veritate conditus, sed non stando confestim a veritate est lapsus. Uno superbiæ lapsu, dum Deo per tumorem se conferunt, et homo cecidit, et diabolus. Sed homo reversus ad pœnitentiam Deo se inferiorem esse cognoscit; diabolus vero non solum hoc contentus quod se Deo æqualem existimans cecidit, insuper etiam superiorem se Deo dicit, secundum Apostoli dictum, qui ait de Antichristo : *Qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thess.* II). Diabolus ideo jam non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam. Membra vero ejus sæpe per hypocrisin deprecantur, quod tamen pro mala conscientia adipisci non merentur. Discat humana miseria quod ea causa citius provocetur Deus præstare veniam, dum infirmo compatitur homini, quia ipse homo traxit ex parte inferiori infirmitatem peccandi, hoc est ex carne, qua inclusa anima detinetur. Apostatæ vero angeli ideo veniam non habent, quia carnalis fragilitatis nulla infirmitate gravati sunt ut peccarent. Homines autem post peccatum idcirco revertuntur ad veniam, propterea quod ex lutea materia pondus traxerunt infirmitatis, ideoque pro infirma carnis conditione reditus patet homini ad salutem, sicut et Psalmista dicit : *Ipse* scit *figmentum nostrum*. Memento, Domine, quod terra sumus (*Psal.* CII). Et iterum : *Memorare*, inquit, *quæ* sit *mea substantia* (*Psal.* LXXXVIII). Postquam apostatæ angeli ceciderunt, reliqui perseverantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Unde et post cœli creationem in principio repetitur : *Fiat firmamentum. Et vocatum est firmamentum cœlum* (*Gen.* I). Nimirum ostendens quod post angelorum ruinam, hi qui permanserunt firmitatem meruerunt æternæ perseverantiæ et beatitudinis, quam antea minus acceperant. Unde oportet agnosci quod malorum iniquitas sanctorum serviat utilitati, quia unde mali corruunt, inde boni proficiunt. Bonorum angelorum numerus, qui post ruinam angelorum malorum est diminutus, ex numero electorum hominum supplebitur, qui numerus soli Deo est cognitus. Inter angelos distantia potestatum est, et pro gradium dignitate ministeria eisdem sunt distributa, aliique aliis

Introdusă în format electronic de Google

præferuntur, tam culmine potestatis quam scientia virtutis. Subministrant igitur alii aliorum præceptis atque obediunt jussis. Unde et ad prophetam Zachariam angelus angelum mittit, et quæcunque annuntiare debeat præcipit (*Zach.* II). Novem esse distinctiones, vel ordines angelorum sacræ Scripturæ testantur, id est, angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim et seraphim. Horum ordinum numerum etiam Ezechiel propheta describit sub totidem nominibus lapidum, cum de primatu apostatæ angeli loqueretur : *Omnis*, inquit, *lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, et topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, carbunculus, et smaragdus* (*Ezech.* XXVIII), quo numero lapidum ipsi ordines designati sunt angelorum ; quos apostata angelus ante lapsum, quasi in vestimento ornamenti sui affixos habuit, ad quorum comparationem dum se clariorem cunctis aspexit, confestim intumuit, et cor suum ad superbiam elevavit. Angeli semper in Deo gaudent, non in se. Malus vero ideo est diabolus, quia non quæ Dei, sed quæ sua sunt requisivit. Nulla autem major iniquitas, quam non in Deo, sed in se velle quempiam gloriari. Angeli in verbo Dei cognoscunt omnia antequam fiant in re ; et quæ apud homines adhuc futura sunt, angeli, jam revelante Deo, noverunt. Prævaricatores angeli, etiam sanctitate amissa, non tamen amiserunt vivacem naturæ angelicæ sensum. Triplici enim modo præ scientiæ acumine vigent, id est, subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum. Quoties Deus quocunque flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ apostatæ angeli mittuntur ; qui tamen divina potestate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Boni autem angeli ad ministerium salutis humanæ deputati sunt, ut curas administrent mundi, et regant omnia jussu Dei, testante Apostolo : *Nonne omnes*, inquit, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis?* (*Hebr.* I.) Angeli corpora in quibus hominibus apparent de superno aere sumunt, solidamque speciem ex cœlesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestius demonstrentur. Singulæ gentes præpositos angelos habere creduntur : quod ostenditur testimonio angeli Danieli loquentis : *Ego*, inquit, *veni ut nuntiarem tibi, sed princeps regni Persarum mihi restitit* (*Dan.* X). Et post alia : *Non est qui me adjuvet nisi Michael princeps noster* (*ibid.*). Item omnes homines angelos habere probantur, loquente Domino in Evangelio : *Amen dico vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Unde et Petrus in Actibus apostolorum cum pulsaret januam dixerunt intus apostoli : *Non est Petrus, sed angelus ejus est* (*Act.* XII). Si Deum angeli contuentur et vident, cui Petrus apostolus dicit : *In quem desiderant angeli Dei conspicere?* (*I Petr.* I.) item Deum non contuentur, nec vident quo modo, juxta sententiam Domini, *angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est?* (*Matth.* XVIII.) Sed bene utrumque est. Nam veraciter credimus quod Deum angeli et vident et videre desiderant, et habent et habere festinant, et amant et amare nituntur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu desiderii non perfruantur, desiderium hoc necessitatem habet. Necessitas ista pœnalis est et [sed a, *or.*] beatis angelis omnis pœna longe est, quia nunquam simul pœna et beatitudo conveniunt. Rursum si eos dicimus Dei visione satiari, satietas fastidium habere solet ; et scimus illos Dei visionem, quam et desiderant, fastidire non posse. Quid ergo est, nisi ut miro modo simul utrumque credamus, quia et desiderant et satiantur? Sed desiderant sine labore, et satiantur sine fastidio. Ne enim sit in desiderio necessitas, desiderantes satiantur. Et iterum, *ne sit in* satietate fastidium, satiati [satiari, *or.*] desiderant. *Vident* ergo angeli faciem Patris per satietatem, sed quia satietas ista fastidium nescit, angeli desiderant in eum prospicere semper. Ubicunque in Scripturis sanctis pro Deo angelus ponitur, non Pater, non Spiritus sanctus, sed pro incarnationis dispensatione, solus Filius intelligitur. Ante Dominicæ incarnationis adventum, discordia inter homines et angelos fuit ; veniens autem Christus pacem in se et angelis et hominibus fecit. Eo quippe nato clamaverunt angeli : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* I). Per incarnationem igitur Christi, non solum Deo reconciliatus est homo, verum etiam pax inter angelos et homines reformata est. Discordia igitur ante adventum Christi angelorum *et hominum* fuisse per id maxime intelligitur, quod salutati in Veteri Testamento ab hominibus angeli, despiciunt se salutari [resalutari] ab eis. Quod in Novo Testamento a Joanne factum, non solum revereater angelus suscipit, verum etiam ne faciat interdicit (*Apoc.* XIX, XXII). Ob hoc homo in Veteri Testamento despicitur, nec resalutatur ab angelo, eo quod homo adhuc nondum transisset in Deum. Suscipitur autem homo a Deo, et reverenter salutatur ab angelo. Nam et Mariam angelus Gabriel legitur salutasse (*Luc.* I), et Joanni angelum salutanti ab eodem angelo dicitur : *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, XXII). Per quod agnoscitur per incarnationem Dominicam pacem hominibus fuisse et angelis redditam.

CAP. 66. — *Quod supernorum civium numerus et finitus sit, et infinitus. Gregor. in Moral.* (*lib.* XVII, *cap.* 7).

Supernorum civium numerus et infinitus et definitus exprimitur, ut qui Deo est numerabilis, esse nobis innumerabilis demonstretur, quamvis aliud est assistere, aliud ministrare. Assistunt enim illæ procul dubio potestates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt. Ministrant vero hi qui ad explenda officia nuntiorum veniunt, sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et

Introdusă în format electronic de Google

quia plures sunt qui ministrant quam hi qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero infinitus ostenditur. (*Ibid.*, *c.* 8.) Angelicos vero spiritus recte Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aereas non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore sed imperio peragunt, quia quidquid agendo contra immundos spiritus appetunt, ex adjutorio cuncta regentis possunt.

Cap. 67. — *Quod omnis culpa ante discessum munere oblationis solvatur. Ex Dialog. Gregor.* (*lib.* IV, *cap.* 55).

Sed neque hoc silendum existimo quod actum in monasterio meo ante hoc triennium reminiscor. Quidam namque monachus, Justus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi, in eodem monasterio constituto, sedulo obsequi atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueverat. Hic itaque languore corporis præventus ad extrema deductus est. Cui in ipsa molestia sua frater germanus, nomine Copiosus, serviebat, qui ipse quoque nunc in hac urbe per eamdem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Justus cum jam se ad extrema pervenisse cognovisset, eidem fratri suo Copioso quia occultos tres aureos haberet innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari. Sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos in medicamine invenerunt absconsos. Quod mox ut mihi nuntiatum est, tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui; quippe quia ejusdem mei monasterii semper regula fuerat, ut cuncti fratres ita communiter viverent quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus, cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viventibus fratribus proviserem. Pretioso igitur ejusdem monasterii præposito ad me ascito dixi : Vide ut nullus ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat, sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus frater carnalis dicat quia, propter aureos quos occulte habuit, a cunctis fratribus abominatus sit, ut saltem in morte de culpa mentem ipsius amaritudo transverberet, atque a peccato quod perpetravit, purget. Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet fossam in sterquilinio facite, et in ea corpus ejus projicite, ibique super eum tres aureos quos reliquit jactate, omnes simul clamantes : *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII), et sic cum terra cooperite. In quibus utrisque rebus unam morienti, alteram vero volui viventibus fratribus prodesse, ut et illum amaritudo mortis a culpa solubilem faceret, et istos avaritiæ tanta damnatio misceri in culpa prohiberet [terreret et a culpa prohiberet]. Quod ita factum est; nam cum idem monachus pervenisset ad mortem, et anxie quæreret fratribus se commendare, A nullusque e fratribus se ei applicare, et loqui dignaretur, ei carnalis frater cur ab omnibus esset abominatus innotuit. Qui protinus de reatu vehementer gemuit, atque in ipsa tristitia e corpore exivit. Qui ita est sepultus ut dixi. Sed fratres omnes, ex eadem ejus sententia perturbati, cœperunt singuli extrema quæque et vilia, quæ eis semper habere regulariter licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare ne quid apud se esset unde reprehendi potuissent. Cum vero post mortem ejus triginta jam essent dies evoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, ejusque cum dolore gravi supplicia pensare, et si quod esset ereptionis ejus remedium quærere. Tunc evocato ad me eodem Pretioso monasterii mei præposito, tristis dixi : Diu est quod frater B ille qui defunctus est in igne cruciatur, debemus ei charitatis aliquid impendere, et eum, in quantum possumus, ut eripiatur adjuvare. Vade itaque, et ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia non immoletur [offeratur]. Qui protinus abscessit, et paruit. Nobis autem alia curantibus, atque evolutos dies non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisivit dicens : Quid est, frater? Quomodo es? Cui ille respondit : Nunc usque male fui, sed jam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. Quod C idem Copiosus pergens protinus fratribus in monasterio indicavit. Fratres vero sollicite computaverunt dies, et repererunt quod ipse dies exstitit, quo pro eo tricesima oblatio fuit impleta. Cumque et Copiosus nesciret quid pro eo fratres egissent, et fratres ignorarent quid de illo Copiosus vidisset, uno eodemque tempore, dum cognoscit ille quid isti egerant, atque illi cognoscunt quid ipse viderat, concordante simul visione et sacrificio, res apte claruit quia frater, qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam supplicium evasit.

Cap. 68.—*Quod sacra oblatio post mortem animabus prodesse possit, si non sint culpæ indissolubiles. Ex Dial. Greg.* (*lib.* IV, *cap.* 55).

Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, mul- D torum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Nam prædictus Felix episcopus a quodam venerabilis vitæ presbytero, qui usque ante biennium vixit, et in diœcesi Centumcellensis urbis habitabat, atque ecclesiæ Beati Joannis quæ in loco qui Tauriana dicitur sita est, præerat, cognovisse se asserit quod idem presbyter in eo loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties necessitas corporis exigebat, lavari consueverat. Ubi dum die quadam fuisset ingressus, invenit quemdam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, et exeunti de caloribus sabana præberet, at-

Introdusă în format electronic de Google

que omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumque hoc sæpius fieret, idem presbyter die quadam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitans dixit : Viro illi qui mihi solet tam devotissime ad lavandum obsequi, ingratus apparere non debeo, sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox ut pervenit ad locum, hominem invenit, atque ex more ejus obsequio in omnibus usus est. Lavit itaque, et cum jam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit petens ut benigne susciperet quod ei charitatis gratia offerret. Cui ille mœrens afflictusque respondit : Mihi ista quare das, Pater? Iste panis sanctus est, et ego hunc manducare non possum. Etenim quem vides, aliquando hujus loci dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intervenias, et tunc te exauditum esse cognosce, cum huc ad lavandum veneris, et me minime inveneris. In quibus verbis disparuit, et is qui homo esse videbatur, evanescendo innotuit quia spiritus fuit. Idem vero presbyter hebdomada continua sese pro eo in lacrymis afflixit, salutarem quotidie hostiam obtulit, et reversus postea ad balneum, eum minime invenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quando hanc et ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt, et signa indicant quibus per eam absoluti videantur.

Cap. 69. — *Quod beatius sit quemque liberum hinc exire, quam post mortem libertatem quærere* (*ex Dialog. Gregor., lib.* IV, *cap.* 58).

Cunctis ostendatur, quia si insolubiles culpæ fuerint, ad absolutionem prodesse minime etiam mortuis victima sacræ oblationis possit. Sed sciendum est quia illis sacra victima mortuis prosit, qui hic vivendo obtinuerint, ut eos etiam post mortem bona adjuvent quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est quod tutior via sit, ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat, dum vivit, ipse per se. Beatius quippe est liberum exire quam post vincula libertatem quærere.

Cap. 70.—*Quod nullus debeat rogare pro peccato quod est ad mortem. Gregor. in Moral.* (*lib.* XVI, *cap.* 31).

Peccatum quippe usque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ad pœnitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Joannem dicitur : *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis* (*I Joan.* V). Peccatum namque ad mortem est peccatum usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. De hoc adhuc subditur : *Obliviscatur ejus misericordia* (*Job* XXIV). Omnipotentis Dei misericordia oblivisci ejus dicitur, qui omnipotentis Dei justitiam fuerit oblitus. Quisquis enim cum nunc justum non timet, post invenire non valet misericordem.

Cap. 71. — *Quod omnes animæ electorum credendæ sint esse in cœlo, et iniquorum animæ in inferno. Ex Dialog. Gregor.* (*lib.* IV, *cap.* 28).

Inquisitioni meæ jam video sufficienter satisfactum, sed et hoc est adhuc quod quæstione animam pulsat, quia, cum superius dictum sit esse jam sanctorum animas in cœlo, restat procul dubio ut iniquorum quoque animæ esse non nisi in inferno credantur. Et quid de hac re habeat veritas ignoro. Nam humana æstimatio non habet peccatorum animas posse ante judicium cruciari. Greg. : Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ ex qua jam *justi gloriantur*, necesse est per omnia ut et injusti *crucientur*. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.

Cap. 72. — *Quod sicut finis non est gaudio bonorum, sic finis non est tormentis malorum. Ex Dial. Greg.* (*lib.* IV, *cap.* 44).

Petrus. — Nunquid nam, quæso te, dicimus eos qui semel illic mersi fuerint semper arsuros? Gregorius. — Constat nimirum et incunctanter verum est quia, sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormentis malorum. Nam cum Veritas dicat : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV), quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erit quod minatus est Deus.

Cap. 73. — *Quod non ita sit, ut quidam affirmant, quod Deus ob hoc pœnam minatus sit æternam peccantibus ut corrigeret a malis. Ex Dial. Greg.* (*proxime post*).

Petrus. — Quid si quis dicat : Idcirco Deus peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret? Gregorius. — Si falsum est quod minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. Sed quis hoc dicere, vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, falsum, quod nefas est dicere, prædicare compellimur.

Cap. 74. — *Cur peccata quæ cum fine perpetrata sunt, sine fine puniantur. Ex Dialog. Gregor.* (*Ibidem*).

Petrus. — Scire velim quomodo justum sit ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Gregorius. — Hoc recte diceretur si districtus Judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam

Introdusă în format electronic de Google

careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

Cap. 75. — *Quod pius sit Deus, et non pascatur cruciatu miserorum : justus autem, et ideo non sedatur in perpetuum ab iniquorum ultione. Ex Dialog. Greg.* (*ibid.*).

Petrus.— Sed nullus justus crudelitate pascitur, et delinquens servus a domino justo ideirco cædi præcipitur ut a nequitia corrigatur. Ad hoc enim vapulat ut emendari debeat. Iniqui autem gehennæ igni traditi, si ad correctionem non veniunt, quo fine semper ardebunt? Gregorius. — Omnipotens Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur. Quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in illis respiciant supplicia quæ evaserunt, quatenus in æternum tanto magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant quanto magis in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.

Cap. 76. — *De hoc, si ante restitutionem corporum animæ justorum in cœlum recipiantur. Ex Dial. Greg.* (*lib.* iv, *c.* 44).

Petrus. — Placet quod dicis. Sed velim nosse si nunc ante restitutionem corporum, in cœlum recipi valeant animæ sanctorum. Gregorius. — Hoc neque de omnibus justis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorumdam justorum animæ quæ a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod perfectæ justitiæ aliquid minus habuerunt? Et tamen luce clarius constat quia perfectorum justorum animæ mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod et ipsa per se Veritas testatur, dicens : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* xxiv). Quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illuc procul dubio colliguntur et animæ justorum. Et Paulus dissolvi desiderat, et cum Christo esse (*Phil.* i). Qui ergo Christum esse in cœlis non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis atque in habitatione patriæ cœlestis dicit : *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis* (*II Cor.* v).

Cap. 77. — *Quod justi in die judicii animarum simul et corporum gloria lætabuntur. Ex Dial. Greg.* (*ibid.*).

Petrus. — Si igitur nunc in cœlo sunt animæ justorum, quid est hoc quod in die judicii pro suæ justitiæ retributione recipient? Gregorius. — Hoc eis nimirum crescit in judicio, quod nunc animarum sola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruantur, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria A scriptum est : *In terra sua duplicia possidebunt* (*Isa.* lxi). Hinc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est : *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conservorum et fratrum eorum* (*Apoc.* vi). Qui itaque nunc singulas acceperunt, in judicio binas stolas habituri sunt, quia modo animarum tantummodo, tunc autem animarum simul et corporum gloria lætabuntur.

Cap. 78. — *De hoc, si boni bonos in regno, vel mali malos in supplicio agnoscant. Ex Dial. Greg.* (*lib.* iv, *c.* 33).

Petrus. — Nosse vellem si boni bonos in regno, vel mali malos in suppliciis agnoscant? Gregorius.— B Hujus rei sententia in verbis est Dominicis (*Luc.* xvi), quam jam superius protulimus, luce clarius demonstrata. In quibus cum dictum esset : *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat, sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus* subjunctum est, quod Lazarus mortuus portatus est *ab angelis in sinum Abrahæ, et mortuus dives sepultus est in inferno.* Qui *elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu ejus, et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte* C *Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam.* Cui *Abraham dixit : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Dives autem de seipso jam spem salutis non habens, ad promerendam suorum salutem convertitur, dicens : *Rogo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quibus verbis aperte declaratur quia et boni bonos, et mali malos agnoscant. Si igitur Abraham Lazarum minime recognosceret, nequaquam ad divitem positum in tormentis de transacta ejus contritione loqueretur dicens quod mala receperit in vita sua. Etsi mali malos non recognoscerent, nequaquam dives in tormentis po- D situs fratrum suorum etiam absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam pro absentium memoria curavit exorare? Qua in re illud quoque ostenditur quod nequaquam ipse requisisti, quia et boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam et dives ab Abraham cognoscitur, cui dictum est : *Recordare quia recepisti bona in vita tua;* et electus Lazarus a reprobo est divite cognitus, quem mitti precatur ex nomine, dicens : *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* In qua videlicet cognitione utriusque partis cumulus retributionis excrescit, ut et boni amplius gaudeant, qui secum eos lætari conspiciunt quos amaverunt, et mali dum cum eis torquentur quos in hoc mundo despecto

Introdusă în format electronic de Google

Deo, dilexerunt, eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat. Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos cognoscunt quos in hoc mundo noverunt, sed velut visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Nam cum antiquos Patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt quos in opere semper noverunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? Nam quidam noster vitæ venerabilis vir, religiosusque valde et laudabilis, cum ante triennium moreretur, sicut religiosi alii qui præsentes fuerunt testati sunt, in hora sui exitus Jonam prophetam Ezechielem quoque et Danielem cœpit aspicere. Quos dum venisse ad se diceret, et depressis luminibus eis reverentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est. Qua in re aperte datur intelligi quæ erit in illa incorruptibili vita notitia, si vir iste adhuc in carne positus, prophetas sanctos, quos nimirum nunquam viderat, agnovit. Solet autem plerumque contingere ut egressura anima eos etiam recognoscat, cum quibus pro qualitate culparum vel etiam præmiorum, in una est mansione deputanda; quod multi in eo exitu vident, quos aut in regno aut in supplicio pares habebunt.

Cap. 79. — *De hoc, si ignis purgatorius credendus sit qui post mortem animas a peccatis expurget. Ex Dial. Greg.* (*lib.* IV, *c.* 39).

Petrus. — Discere vellem si post mortem ignis purgatorius esse credendus est. Gregorius. — In Evangelio Dominus dicit : *Ambulate dum lucem habetis* (*Joan.* XII). Per prophetam quoque ait : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* XLIX). Quod Paulus apostolus exponens dixit : *Ecce nunc tempus acceptabile* (*II Cor.* VI), etc. Salomon quoque ait : *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos quo tu properas* (*Eccle.* IX). David quoque ait : *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXXXVII). Ex quibus nimirum sententiis constat quia qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, eo quod Veritas ait : Quia *si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo dimittetur ei, neque in futuro* (*Matth.* XII). In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequenter intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Sed tamen (ut prædixi) hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris (quæ vix sine culpa ab ipsis agitur, qui culpas qualiter declinare debeant sciunt) aut non in gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. Nam et cum Paulus dicat Christum esse fundamentum (*I Cor.* III), atque subjungat : *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum, et argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit ignis probabit; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*ibid*). Quamvis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, attamen si quis hæc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est quia illum dixit per ignem posse salvari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata majora, et idcirco duriora, atque jam tunc insolubilia, sed ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque levissima, quæ ignis facile consumit. Hoc tamen sciendum est quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac vita adhuc positus ut illic obtineat promereatur.

Cap. 80. — *Quod unus sit gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciet. Ex Dial. Greg.* (*lib.* IV, *c.* 43).

Petrus. — Quæso te : Unus esse gehennæ ignis credendus est, an quanta peccatorum diversitas fuerit, tanta quoque et ipsa æstimanda sunt incendia esse præparata? Gregorius. — Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscujusque etenim quantum exigit culpa, tantum illic sentietur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus, atque alius minus æstuat, ita illic in uno igne non unus est modus incendii, quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Cap. 81. — *Quot genera sint oblationis pro defunctis facienda. Ex dictis August.* (*Ench. c.* 110).

Quatuor sunt genera oblationis : pro valde bonis gratiarum actiones sunt, hoc est, Deo gratias agunt quia bene vixerunt; pro non valde bonis, ut plena remissio fiat; pro non valde malis, propitiationes sunt, ut tolerabilior sit damnatio; pro valde malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque consolationes vivorum sunt.

Cap. 82. — *Cur sanctorum animæ pro peccatoribus non orent, quando eos in igne æterno ardere prospexerint. Ex Dial. Greg.* (*lib.* IV, *c.* 44).

Petrus. — Et ubi est quod sancti sint, si pro inimicis suis quos tunc ardere viderint non orabunt? quibus utique dictum est : Pro inimicis vestris orate? (*Matth.* V.) Gregorius. — Orant pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque in ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait, ut det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem? (*I Tim.* II.) Petrus. — Et quomodo pro illis tunc orabit, qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Grego-

Introdusă în format electronic de Google

nius.— Eadem itaque ratio cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia de eis quos utique deputatos æterno supplicio jam noverint, ante illum jam judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt? Quod si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitæ corruptione exuti, ipsi jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo judici inhærent vis districtionis absorbet, ut omnino eis non liceat [libeat] quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.

Cap. 83. — *Quod duobus modis vita dicatur, duobus etiam mors intelligatur. Ex Dial. Gregor. (lib.* IV, *c.* 45).

Petrus. — Non est jam quod responderi debeat apertæ rationi, sed hæc nunc quæstio mentem movet : Quomodo anima immortalis dicitur, dum constat quod in perpetuo igne moriatur? Gregorius. — Quia duobus modis vita dicitur, duobus etiam modis mors debet intelligi. Aliud est namque quod in Domino vivimus, aliud vero quod in hoc quod conditi vel creati sumus, id est, aliud beate vivere, et aliud essentialiter. Anima itaque et mortalis esse intelligitur et immortalis. Mortalis quippe, quia beate vivere amittit. Immortalis autem, quia essentialiter vivere nunquam desinit, et naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cum in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita beata esse perdet, et esse non perdet. Ex qua re semper agitur [cogitur] ut et mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine patiatur.

Cap. 84. — *Quod electi seu reprobi ad loca communia deducantur in tormentis. Ex Dial. Greg. (lib.* IV, *c.* 35).

Quod vero sive electi sive reprobi, quorum communis causa in opere fuerit, ad loca etiam communia deducantur, Veritatis verba nobis satisfacerent, etiam si exempla deessent. Ipsa quippe Veritas propter electos in Evangelio dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Si enim dispar in illa beatitudine æterna retributio non esset, una potius mansio quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus et distincti bonorum ordines propter meritorum consortium communiter lætantur, et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt (*Matth.* XX), qui multis mansionibus distinguuntur, quia et una est beatitudo quam illic percipiunt, et dispar retributionis qualitas, quam per opera diversa consequuntur. Quæ nimirum Veritas judicii sui diem denuntians ait : *Tunc dicam messoribus : Colligite zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum* (*Matth.* XIII). Messores quippe angeli zizania in fasciculos ad comburendum ligant, dum pares paribus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia adducantur, quia eos locis pœnalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.

Cap. 85. — *De hoc, quod in domo Dei multæ mansiones sunt. Gregor. in Moral.* (*lib.* IV, *c.* 42).

In Evangelio Veritas dicit : *In domo patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet. Unde et non æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur (*Matth.* XX). Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt, et tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt, quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ.

Cap. 86. — *Quod illum quem semel culpa ad pœnam pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducat. Greg. in Moral.* (*lib.* VIII, *c.* 14).

Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet (*Job* VII). Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata vento impellitur ut currat; calore autem solis dissipatur, ut evanescat. Sic nimirum corda sunt hominum quæ per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant; impulsa autem maligni spiritus flatu, pravis desideriorum suorum motibus huc illucque pertrahuntur, sed districta [districto] respectu superni judicis quasi solis calore liquefiunt, et semel locis pœnalibus tradita ad operationis usum ultra non redeunt. Vir igitur sanctus elationis cursum defectumque humani generis exprimens dicit : *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet.* Ac si aperte loqueretur, dicens : In altum currendo defecit, qui superbiendo ad interitum tendit; quem si semel culpa ad pœnam pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducit.

Cap. 87. — *Quod Deus dicatur zelans, dicatur iratus, dicatur pœnitens, dicatur misericors, dicatur præscius. Gregor. in Moral.* (*lib.* XX, *c.* 24).

Deus ergo quomodo zelans est, qui in custodienda castitate nostra nullo mentis cruciatu tangitur? Quomodo irascitur, qui in ulciscendis vitiis nostris nulla perturbatione animi commovetur? Quomodo est pœnitens, qui id quod semel fecerit, te fecisse nequaquam dolet? Quomodo habet misericordiam, qui nunquam cor miserum habet? Quomodo est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt præsciantur? Et scimus quia Deo nihil futurum est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt; quippe quia omne quod nobis fuit et erit in ejus prospectu præsto est, et omne quod præsens est, scire potest potius quam præscire. Et tamen dicitur zelans, dicitur iratus, dicitur pœnitens, dicitur misericors, dicitur præscius. ut quia castitatem animæ uniuscujusque custo-

Introdusă în format electronic de Google

dit, humano modo zelans vocetur, quamvis mentis cruciatu non tangatur, et quia culpas percutit, dicitur irasci, quamvis nulla animi perturbatione moveatur, et quia ipse immutabilis id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur, quamvis rem mutet, consilium non mutet; et cum miseriæ nostræ subvenit, misericors vocatur.

CAP. 88. — *Cur Deus suos electos sic permittat mori, ut in vita illorum non ostendat cujus sanctitatis sint. Ex Dial. Greg. (lib. IV, c. 24).*

PETRUS. — Quid est hoc, quæso te, quod omnipotens Deus sic permittit mori, quos tamen post mortem, cujus sanctitatis fuerint non patitur celari? GREGORIUS. — Cum scriptum sit : Justus quacunque morte præventus fuerit, justitia ejus non auferetur ab eo ; electi qui procul dubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest si ad modicum dure moriantur ? Et est fortasse nonnunquam eorum culpa, licet minima, quæ in eadem debeat morte resecari. Unde fit ut reprobi potestatem quidem contra viventes accipiant, sed illis morientibus hoc in eis gravius vindicatur quod contra bonos potestatem suæ crudelitatis acceperunt, sicut idem carnifex qui eumdem venerabilem diaconum viventem ferire permissus est; gaudere super mortuum permissus non est. Quod sacra quoque testantur eloquia. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc in eodem itinere leo occidit (*III Reg.* XIII). Sed statim illic scriptum est : Quia stetit leo juxta asinum, et non comedit de cadavere (*Ibid.*). Ex qua re ostenditur quod peccatum inobedientiæ in ipsa morte fuit laxatum, quia idem leo qui viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit, quia is qui culpabilis in vita fuit, punita inobedientia erat jam justus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi.

CAP. 89. — *Quod miseris mors sine morte fiat. Greg. in Mor. (lib. IX, c. 48).*

Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine defectu, quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. Quia igitur et mors perimit, et non exstinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras decutit, quantum ad notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent.

CAP. 90. — *Quod in inferno peccatoribus ad consolationem ignis non luceat, sed ut magis torqueat. Greg. in Moral. (ibid., c. 49).*

Quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante usuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnalem contra præcepta Conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat.

CAP. 91. — *De eadem re. In Moralibus (eod. cap.).*

Sicut ergo electis ignis ardere novit ad solatium, et tamen ardere ad supplicium nescit, ita e diverso gehennæ flamma reprobis et nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam, ut damnatorum oculis supplicium et nulla claritate candeat, et ad doloris cumulum qualiter crucientur ostendat. Quid hic mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis et luminis, quando experimento novimus, quia et tædarum flamma lucet obscura? Tunc edax flamma comburit quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc inimite patens inferni barathrum devorat quos nunc inanis elatio exaltat; atque qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverunt, tunc cum suo duce reprobi ad tormenta perveniunt (*Ibid.*, *c.* 50) Et quamvis angelorum atque hominum *longe* sit natura dissimilis, una tamen pœna *implicat*, *quos* unus in crimine reatus ligat.

CAP. 92. — *Quod humana anima ita immortalis mori possit, et ita mortalis ut mori non possit. Greg. in Moral. (lib. IV. c. 7).*

Quia ergo nostræ mortalitatis hoc tempus non ita ut male sit, sed ita perit ut non sit, quærendum est quid sit quod non ita ut non sit, sed ita perire optatur, ut male sit. Humana enim anima seu angelicus spiritus ita immortalis est, ut mori possit, ita mortalis ut mori non possit. Nam beate vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdit, essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per supplicium amittit. A qualitate enim vivendi deficit, sed omnimodo subsistendi interitum nec moriens sentit. Ut ergo breviter dixerim, et *immortaliter* mortalis est, et mortaliter immortalis.

CAP. 93. — *Quod corporeus sit ignis gehennæ, et non indigeat alia materia nisi reproborum cruciatu. Gregor. in Moral. (lib. XV, c. 14).*

Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus ut esse valeat ignis, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut reservetur, per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus, esse, et nisi refotus, subsistere. At contra gehennæ ignis cum sit corporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inexstinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret Bene ergo de hoc iniquo dicitur : *Devorabit eum ignis qui non succenditur* (*Job* XX). Quia omnipotentis justitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum vero est quod omnes reprobi, quia et in anima et carne simul peccaverunt, illic in anima et carne pariter cruciantur.

CAP. 94. — *Cur anima in corpore manens et egrediens videri non possit. Ex Dialog. Gregor. (lib. IV, c. 5).*

GREGORIUS. — Quid mirum, Petre, si egredientem animam non vidisti, quam et manentem in corpore

Introdusă în format electronic de Google

non vides? Nunquidnam modo cum mecum loqueris, quia in me videre non vales animam meam, idcirco me esse exanimem credis? Natura quippe animæ invisibilis est, atque ita ex corpore invisibiliter egreditur, sicut in corpore invisibiliter manet. PETRUS. — Sed vitam animæ in corpore manentis pensare possum ex ipsis motibus corporis, quia nisi corpori anima adesset, ejusdem membra corporis moveri non possent. Vitam vero animæ post carnem in quibus motibus, quibusve operibus videam, dicas ut ex rebus visis esse colligam, quod videre non possum.

CAP. 95. — *Quod nullus dubitare debeat esse ea invisibilia quæ Deo invisibili subministrant. Ex Dial. Gregor.* (*Ibid., c.* 6.)

GREGORIUS. — Sicut vis animæ vivificat et movet corpus, sic vis divina implet quæ creavit omnia, et alia inspirando vivificat, aliis vero tribuit ut vivant, aliis hoc solummodo præstat ut sint. Quia vero esse non dubitas creantem et regentem, implentem et circumplectentem, transcendentem et subsistentem, incircumscriptum atque invisibilem Deum, ita dubitare non debes hunc invisibilia obsequia habere. Debent quippe ea quæ ministrant ad ejus similitudinem tendere cui ministrant, ut quæ invisibili serviunt, esse invisibilia non dubitentur. Hæc autem quæ esse credimus, nisi sanctos angelos et spiritus justorum? Sicut ergo motum considerans corporis, vitam animæ in corpore manentis perpendis animo, ita vitam animæ exeuntis a corpore perpendere debes a summo, quia potest invisibiliter vivere, quam oportet in obsequio invisibilis Conditoris manere. PETRUS.—Recte totum dicitur, sed mens refugit credere, quod corporeis oculis non valet videre.

CAP. 96. — *Quod nulla visibilia videri vel cognosci possint, nisi per invisibilia. Ex Dial. Gregor.* (*ibid.*).

GREGORIUS. — Cum Paulus dicat: *Est* enim *fides sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI), hoc veraciter dicitur credi quod non valet videri. Nam credi jam non potest quod videri potest. Ut tamen te breviter reducam ad te, nulla visibilia nisi per invisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspicit, nec tamen ipse corporeus oculus aliquid videret corporeum, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, et incassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori, remanent procul dubio oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente anima nihil vident? Hinc ergo intellige, quia quoque ipsa visibilia non nisi per invisibilia videntur. Ponamus quoque ante oculos mentis domum ædificari, immensas moles levari, pendere magnas in machinis columnas, quis, quæso te, hoc opus operatur? Corpus visibile quod illas moles manibus trahit, an invisibilis anima quæ vivificat corpus. Tolle enim quod non videtur in corpore, et mox immobilia remanent cuncta, quæ moveri videbantur visibilia corpora metallorum. Qua in re pensandum est quia in hoc quoque mundo visibili, nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando vel implendo ea quæ ratione subsistunt, et vivificat et movet invisibilia, ita ipsa quoque invisibilia implendo movent, atque sensificant [sensim vivificant] carnalia corpora quæ videntur. PETRUS. — Istis fateor allegationibus libenter victus, prope nulla jam esse hæc visibilia existimare compellor; qui prius in me infirmantium personas suscipiens de invisibilibus dubitabam. Itaque placent cuncta quæ dicis; sed tamen sicut vitam animæ in corpore manentis ex motu corporis agnosco, ita vitam animæ post corpus apertis quibusdam rebus attestantibus agnoscere cupio.

CAP. 97. — *Quod incorporeus spiritus in inferno a corporeo igne affligatur. Ex Dialog. Gregor.* (*lib.* IV, *c.* 29).

GREGORIUS. — Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem cum incorporeus spiritus sit, etiam corporeo igne teneatur? PETRUS. — In vivente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia vivificat corpus.

CAP. 98. — *Quod incorporeus spiritus vivificare possit, et ibi tenere, ubi a corporeo cruciatur igni. Ex Dial. Gregor.* (*Proxime post.*)

GREGORIUS. — Si incorporeus spiritus, s'etre, in hoc teneri potest quod vivificat, quare non pœnaliter et ibi teneatur ubi mortificatur? Tenere autem per ignem spiritum hominis dicimus, ut in tormento ignis sit vivendo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt, et quia cremari se aspicit, crematur. Sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. Quamvis colligere ex dictis evangelicis possumus quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce dives mortuus in inferno dicitur sepultus (*Luc.* XVI). Cujus anima quia in igne teneatur insinuat vox divitis qui Abraham deprecatur, dicens: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Ibid.*). Dum ergo divitem peccatorem damnatum Veritas in ignibus perhibet, quis jam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? PETRUS. — Ecce ratione et testimonio ad crudelitatem flectitur animus, sed dimissus iterum ad rigorem redit. Quomodo enim res incorporea a re corporea teneri atque affligi possit ignoro.

CAP. 99. — *De apostatis spiritibus, quod incorpore sint credendi. Ibidem.*

GREGORIUS. — Dic, quæso te, apostatas spiritus a cœlesti gloria dejectos, corporeos an incorporeos esse suspicaris? PETRUS. — Quis sane sapiens esse spiritus corporeos dixerit?

CAP. 100. — *Quod gehennæ ignis corporeus esse credendus sit. Ibidem.*

GREGORIUS. — Gehennæ ignem esse corporeum,

Introdusă în format electronic de Google

an incorporeum fateris? PETRUS. — Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo corpora certum est cruciari.

CAP. 101. — *De hoc quod scribitur, Deum nemo vidit unquam, et qualiter illud intelligendum sit. Greg. in Moral.* (*lib.* XVIII, *c.* 5).

Deum nemo vidit unquam, inquit Joannes (*I Joan.* IV). Rursumque cum testamenti veteris Patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Jacob Dominum, et ait : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum* (*Exod.* XXXIII). Vidit Dominum Job qui dixit : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te* (*Job* XLII). Vidit Isaias Dominum qui ait : *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI). Vidit Michæas Dominum qui dicit : *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris* (*III Reg.* XXII). Quid ergo est quod tot veteris testamenti Patres Deum se vidisse testati sunt, et tamen de hac sapientia quæ Deus est, dicitur : *Abscondita est ab oculis omnium viventium* (*Job* XXVIII). Et Joannes ait : *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV), nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, ut anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat? Hinc est quod Jacob qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in angelo vidit (*Gen.* XXXII). Hinc est quod Moyses qui cum Deo *facie ad faciem* loquitur, *sicut loqui solet homo ad amicum suum* (*Exod.* XXXIII), inter ipsa verba suæ locutionis dicit : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te* (*Ibid.*). Certe enim si Deus non erat cum quo loquebatur, *ostende mihi Deum* diceret, et non *ostende temetipsum*. Si autem Deus erat cum quo loquebatur *facie ad faciem*, cur petebat videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur quia cum sitiebat per incircumscriptam naturæ suæ claritatem cernere quem jam cœperat per quasdam imagines videre, ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo patres testamenti veteris Dominum, et tamen juxta Joannis vocem : *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV). Et juxta beati Job sententiam : *Sapientia*, quæ Deus est, *abscondita est ab oculis omnium viventium* (*Job* XXVIII) quia in hac mortali carne consistentibus, et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis (*Job* XXXVIII). Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc mortali carne consistentibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, etc.

CAP. 102. — *De duplici pœna damnatorum. Ex dictis Isidori* (*lib.* I *De summo bono, c.* 28).

Duplex damnatorum pœna est in gehenna, quorum et mentem urit tristitia, et corpus flamma juxta vicissitudinem [justa vicissitudine], ut qui mente tractaverunt quod perficerent corpore, simul et animo puniantur et corpore. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, et ad aliquid non habere, hoc est, habere lumen ad damnationem, ut videant impii unde doleant, et non habere ad consolationem, ne videant unde gaudeant. Apta fit comparatio de camino trium puerorum, ad exemplum ignis gehennæ. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, et arsit ad comburenda ligamina vinculorum (*Dan.* III), ita ignis gehennæ et lucebit miseris ad augmentum pœnarum, ut videant unde doleant, et non lucebit ad consolationem, ne videant unde gaudeant. Inter hujus vitæ et futuræ infelicitatis miseriam multa discretio est. Illic enim et miseria est propter cruciationem dolorum, et tenebræ propter lucis aversionem. Quorum unum in hac vita, id est miseria, est, aliud non est. In inferno autem utrumque est.

CAP. 103. — *De pœnis impiorum. Ex dictis ejusdem* (*ibid., c.* 29).

Sicut fasciculi signorum ad combustionem de similibus colligantur, ita in die judicii similis culpæ rei suis similibus jungentur, ut ex æquo pœna constringat quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum. Sicut unusquisque sanctus *in futuro* judicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ita et unusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur. Nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo, sed juxta qualitatem criminum discretio erit pœnarum, propheta firmante. De charorum suorum quoque suppliciis additur etiam pœna defunctis, sicut apud inferos diviti sermo prædicat evangelicus (*Luc.* XVI), sicut pro augendo Judæ supplicio dicit etiam psalmus : Commotione moveantur *filii ejus, et mendicent* (*Psal.* CVIII). Impii ex hoc durius in judicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt justos gloriæ beatitudinem meruisse. Cunctis videntibus est præcipitandus diabolus, quando sub aspectu omnium bonorum angelorum et hominum, cum eis qui de parte ejus erunt, in ignem æternum mittendus est. Dum sublatus fuerit diabolus ut damnetur, multi electi, qui in corpore sunt inveniendi, Domino ad judicium veniente, metu concutiendi sunt, videntes tali sententia impium esse punitum, quo terrore purgandi sunt, quia si quid eis ex corpore adhuc peccati remanserit, metu ipso quo diabolum damnari conspiciunt, purgabuntur. Hinc est quod ait Job : *Cum sublatus fuerit timebunt angeli, et territi purgabuntur* (*Job* XLI). Multos perire posse ex eis in die judicii, qui nunc electi esse videntur et sancti,

Introdusă în format electronic de Google

dicente Propheta : *Vocabit Dominus judicium ad ignem, et devorabit abyssum multam, et comedet partem domus* (*Amos* VII). Pars quippe domus devorabitur, quia illos etiam infernus absorbebit, qui nunc se esse in præceptis cœlestibus gloriantur. De quibus et Dominus ait : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo dæmonia ejecimus, virtutes multas fecimus? Tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem* ; nescio qui estis (*Matth.* VII).

CAP. 104. — *De Antichristo. Ex dictis ejusdem* (*ibid.*, *c.* 25).

Omnis qui secundum Christianæ professionis normam, aut non vivit aut aliter docet, Antichristus est. Plerique autem Antichristi tempora non visuri sunt, et tamen in membris Antichristi inveniendi sunt. Antequam veniat Antichristus, multa membra ejus præcesserunt, et pravæ actionis merito caput proprium prævenerunt, secundum Apostoli sententiam, qui jam iniquitatis mysterium operari illum affirmat, etiam antequam reveletur (*II Thess.* II). Magnitudo signorum faciet sub Antichristo, *ut electi, si fieri potest,* in *errorem* mittantur (*Matth.* XXIV). Sed si electi, quomodo sunt in errorem mittendi? Ergo ibunt in errorem titubationis ad modicum, propter multitudinem prodigiorum; non tamen dejiciendi sunt a stabilitate sua terrorum impulsu atque signorum. Unde et ideo ponitur, *si fieri potest*, quia electi perire non possunt, sed cito resipiscentes cordis errorem religione coercebunt, scientes prædictum esse a Domino ut, dum hoc fecerint adversarii, non conturbentur sancti. Tam mira facturus est prodigia et signa dum venerit Antichristus, ut etiam electis quoddam cordis gignatur scrupulum, quod tamen cito exsuperet in illis ratio, per quam scient in deceptionem reproborum, et electorum probationem eadem fieri signa. In quo tempore per patientiam gloriosi erunt sancti, non per miracula sicut sancti martyres fuerunt priores. Illi enim et persecutores sustinebunt, et facientes prodigia. Proinde et durius bellum sustinebunt, quia non solum contra persequentes, sed etiam contra miraculis corruscantes dimicaturi sunt. Gravius sub Antichristi temporibus contra Ecclesiam desæviet Synagoga, quam in ipso adventu Salvatoris Christianos est persecuta. Dum in martyres diabolus jam exercuerit magnam crudelitatem etiam ligatus (*Apoc.* XX), crudelior tamen erit sub Antichristi temporibus, quando etiam erit solvendus (*Ibid.*). Nam si tanta ligatus facere potuit, quanta solutus faciet? Quanto propinquius finem mundi diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet, ut quia se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet cum quibus gehennæ ignibus addicatur. Quanto breve tempus videt diabolus sibi restare ut damnetur (*Apoc.* XII), tanto in magna persecutionis ira movetur, divina justitia permittente, ut glorificentur justi, sordidentur iniqui, et ut diabolo durior crescat damnationis sententia.

CAP. 105. — *Quod ante diem judicii etiam electi periclitabuntur in adventu Antichristi. Greg. in Mor.* (*lib.* XIV. *c.* 12).

In diebus ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror (*Job* XVIII). Tanta enim tunc contra justos [nos] iniquitate effrenabitur ut etiam electorum corda non parvo pavore feriantur. Unde scriptum est : *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV). Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc vero contra eum certamen justitiæ et novissimi electi habere narrantur et primi, quia videlicet et hi qui in fine mundi electi reperiuntur, in morte carnis prosternendi sunt; et illi etiam qui a prioribus mundi partibus processerunt, Henoch scilicet et Elias ad medium revocabuntur, et crudelitatis ejus sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt (*Malac.* IV; *Matth.* XI *et* XVII ; *Marc.* IX). Hujus vires in tantam potestatem laxatas novissimi obstupescunt, et primi metuunt, quia, licet juxta hoc quod spiritu superbiæ sublevatur, omnem temporalem ejus potestatem despiciunt, juxta hoc tamen quod ipsi adhuc in carne mortali sunt, in qua crociari temporaliter possunt, ipsa quæ fortiter tolerant, supplicia perhorrescunt, ita ut in eis uno eodemque tempore et constantia ex virtute sit, et pavor ex carne, quia etsi electi sunt, ut tormentis vinci nequeant, per hoc tamen quod homines sunt, et ipsa metuunt tormenta, quæ vincunt.

CAP. 106. — *Item de Antichristo. Greg. in Moral.* (*lib.* XV, *c.* 28).

Vidit enim quod in fine mundi Satan hominem ingrediens, quem sacra Scriptura Antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis et prodigiis in sanctitatis ostensione elevatur ut argui ab homine ejus facta non valeant, quia cum potestate terroris adjungit etiam signa ostensæ sanctitatis. Et ait : *Quis arguet coram eo viam ejus?* (*Job* XXI.) Quis videlicet hominum illum increpare audeat, cujus visum ferre pertimescit? Sed tamen ejus viam non solum Elias et Henoch, qui in ejus exprobrationem ad medium deducuntur, sed etiam omnes electi arguunt dum contemnunt, dum virtute mentis ejus malitiæ resistunt.

CAP. 107. — *Item de Antichristo. Gregor. in Moral.* (*lib.* XV, *c.* 30).

Hoc in loco homo humana sapientia dicitur, sed cum plus sint omnes quam innumerabiles, quærendum nobis est cur *ante se innumerabiles, et post se* omnes trahere dicatur (*Job* XXI), nisi quod antiquus hostis reprobum tunc hominem ingressus, cunctos quos carnales invenerit sub suæ jugum ditionis rapit, qui et nunc priusquam appareat, innumerabiles quidem, non tamen omnes carnales trahit, quia quotidie a carnali opere ad vitam multi revocantur, adque statum justitiæ, alii per brevem, alii per longam pœnitentiam redeunt, et nunc innumerabiles rapit cum falsitatis suæ stupenda hominibus signa non exhibet; cum vero coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit,

Introdusă în format electronic de Google

post se tunc non innumerabiles, sed omnes trahit, quia qui bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractione subjiciunt. Sed sicut præfati sumus, quia plus est omnem hominem quam innumerabiles trahere, cur prius dicitur quod omnem trahit, et post in augmento innumerabiles subjiciuntur? Ratio namque expetit ut prius quod minus est, et post in augmento quod majus est diceretur. Sed sciendum quia in hoc loco plus fuit *innumerabiles* dixisse quam *omnes*. *Post se* enim *omnem hominem* trahit, quia in tribus annis et dimidio omnes quos in studiis vitæ carnalis invenerit, jugo suæ dominationis [damnationis] astringit. *Ante se* vero *innumerabiles* traxit, quia per quinque millia, et adhuc amplius annorum curricula, quamvis carnales omnes trahere minime potuit; multo tamen plures sunt in tam longo tempore hi, quos ante se innumerabiles rapit, quam omnes quos in tam brevi tempore rapiendos invenerit. Bene ergo dicitur : *Post se omnem hominem trahit, et ante se innumerabiles*, quia et tunc minus tollit, cum omnes tulerit, et nunc amplius diripit, cum corda omnium invadit.

CAP. 108. — *Quod in novissimis Israelitæ omnes per prædicationem Eliæ converti debeant. Greg. in Mor.* (*lib.* XXXV, *c.* 15).

Sed extremo Israelitæ omnes ad fidem cognita Eliæ prædicatione concurrunt, atque ad ejus protectionem quem fugerant redeunt, et tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum convivium celebratur.

CAP. 109. — *De hoc, cur in hac vita sæpius bonis male sit. Gregor. in Moral.* (*lib.* V, *c.* 1).

Cum valde occulta divina sint judicia, cur in hac vita nonnunquam bonis male sit, malis bene, tunc occultiora sunt, cum et bonis hic bene est, et malis male. Nam cum bonis male est, malis bene, hoc fortasse deprehenditur, quia et boni si qua deliquerunt, hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur, et mali bona quæ pro hac vita faciunt hic inveniunt, ut ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Unde et ardenti in inferno diviti dicitur : *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* (*Luc.* XVI). At cum bonis hic bene est, et malis male, incertum valde fit utrum boni ideo bona accipiant, ut provocati ad aliquid melius crescant, an justo latentique judicio hic suorum operum remunerationem percipiant, ut a præmiis vitæ sequentis inanescant; et utrum malos idcirco adversa feriant, ut ab æternis suppliciis corrigendo defendant, an hic eorum pœna incipiat, ut quandoque complenda eos ad ultima gehennæ tormenta perducat.

CAP. 110. — *Quod etiam omnes resurgere debeant ad tormenta, non ad judicium. Gregor. in Moral.* (*lib.* XXVI, *c.* 24).

Resurgunt etiam omnes infideles, sed ad tormenta ad judicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem Judicis in extrema examinatione non audiunt, quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerant invectione redargui non merentur. Illi saltem verba Judicis audiunt, quia ejus saltem fidei verba tenuerunt; isti in damnatione sua æterni Judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt; istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt.

CAP. 111. — *Quod omnes homines resurgere debeant. August.* (*De eccles. dogm., c.* 7).

Omnium hominum erit resurrectio. Si omnium erit, ergo omnes moriuntur, ut mors in Adam data [ab Adam ducta] omnibus ejus filiis dominetur, et maneat illud privilegium in Domino, quod de eo specialiter dicitur : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV; *Act.* II). Hanc rationem maxima Patrum turba tradente suscepimus. Verum quia sunt et alii æque catholici et eruditi viri, qui credunt anima in corpore manente immutandos ad incorruptionem et immortalitatem eos qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt, et hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte, quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.

CAP. 112.—*Quomodo intelligatur quod viri et mortui dicuntur judicandi. Idem Aug.* (*ibid., c.* 8).

Quod autem dicimus in Symbolo in adventu Domini *vivos et mortuos* judicandos, non *justos* tantum ac peccatores significari, sicut Diodorus putat, sed et vivos eos qui in carne inveniendi sunt, credimus. Qui ob hoc morituri creduntur vel immutandi, sicut alii volunt, ut suscitati continuo vel reformati a mortuis judicentur [cum ante mortuis judicentur, *sic hodie Aug.*].

CAP. 113. — *Quod angeli apostatæ, et impii homines post tormenta quasi suppliciis expurgati, justorum societate non donentur. Item Aug.* (*ibid., c.* 9).

Post resurrectionem et judicium non credamus restitutionem futuram, quam Origenes delirat, ut dæmones vel impii homines post tormenta, quasi suppliciis expurgati, vel illi in angelicam qua creati sunt redeant dignitatem, vel isti justorum societate donentur, eo quod hoc divinæ conveniat pietati, ne quid ex rationalibus pereat creaturis, sed quolibet modo salvetur. Sed nos credamus ipsi Judici omnium, et retributori justo qui dixit : *Impii ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV), ut percipiant fructum operum suorum. Et iterum : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*).

CAP. 114. — *Quod resurrectio fieri debeat in ætate perfectæ juventutis quæ profectu non indigeat. Ex dictis Isidori* (*lib.* I *De summo bono, c.* 26).

Inchoatio pacis sanctorum est in hac vita, non perfectio. Tunc autem erit plenitudo pacis, dum ad

Introdusă în format electronic de Google

Dei contemplationem absorpta carnis infirmitate convaluerint. Resurrectio mortuorum, ut Apostolus ait, *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* futura est (*Ephes.* IV), in ætate scilicet juventutis quæ profectu non indiget, et absque inclinatione defectus in perfectione ex utraque parte et plena est et robusta. Quamvis nunc filiorum Dei nomine homines fideles vocentur, tamen ex eo quod hanc servitutem corruptionis patiuntur adhuc jugo servitutis addicti, sunt accepturi plenam filiorum Dei libertatem, dum *corruptibile hoc* induerit *incorruptionem* (*I Cor*, XV). Nunc Deus *per speculum* agnoscitur (*I Cor.* XI), in futuro autem quisque electus *facie ad faciem* præsentabitur (*Ibid.*), ut ipsam speciem contempletur, quam nunc per speculum videre conatur. In hac vita electorum numero ad dexteram pertinentium, et reproborum qui ad sinistram ituri sunt, Ecclesiam Dei compleri dicitur, in fine autem sæculi zizania a frumento disjungi (*Matth.* XIII).

CAP. 115. — *Quod districtus judex ad judicium veniens, peccatorem videat ut feriat, non ut salvet. Greg. in Moral.* (*lib.* VIII, *c.* 13).

Districtus Judex ad judicium veniens, et ad salvandum non videt, et ad feriendum videt, quia quem in præsenti vita dispensationis suæ miseratione non respicit, respiciendo postmodum per justitiam exstinguit. Nunc enim peccator quisque Deum non metuit et vivit, blasphemat et proficit, quia scilicet misericors Creator quem exspectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire, sicut scriptum est : *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam* (*Sap.* XI). Sed tunc peccator cum respicitur non subsistit, quia cum districtus Judex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Quamvis hoc etiam justorum voci congruit, quorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt metuunt, dum caute considerant ante quantum Judicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, et pensant quanto reatu constricti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, et contra hæc exaggerant bona gratiæ Conditoris. Considerant prava quam districte judicet, bona opera quam subtiliter penset, et perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate judicentur. Quia hoc ipsum quoque quod juste videmur vivere culpa est, si vitam nostram cum indicat, hanc apud se divina misericordia non excusat.

CAP. 116. — *Quod in die judicii duo ordines in quatuor dividentur. Ex dictis Isidori* (*lib.* I, *c.* 27, *De summo bono*).

Duæ sunt differentiæ vel ordines hominum in judicio, hoc est electorum et reproborum. Qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Deo judicat, et alius qui judicatur. Utrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duo, dum hi qui intra Ecclesiam sunt mali judicandi sunt et damnandi. Qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt, non sunt judicandi, sed tantum damnandi. Primus igitur eorum ordo qui judicantur et pereunt, opponitur illi ordini bonorum, de quo sunt qui judicantur et regnant. Secundus eorum ordo qui non judicantur et pereunt, opponitur illi ordini perfectorum, in quo sunt hi, qui non judicantur et regnant. Tertius ordo eorum qui judicantur et regnant, illi ordini contrarius est, de quo sunt qui judicantur et pereunt. Quartus ordo eorum qui non judicantur et regnant, opponitur illi contrario ordini, in quo illi sunt qui non judicantur et pereunt. Gemina punitur sententia impius, dum aut hic pro suis meritis cæcitate percutitur ne veritatem videat, aut dum in fine damnabitur ut debitas pœnas exsolvat.

CAP. 117. — *Quod liber vitæ sit ipsa visio advenientis Judicis, quia quidquid quis fecerit, ipso viso statim intelliget. Gregor. in Moral. lib.* XXIV, *c.* 9 (*August. l.* XX *De Civ. Dei, c.* 14).

Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris (*Apoc.* XX). Liber namque vitæ est ipsa visio advenientis Judicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quidquid non fecit intelligit. *Libri aperti* referuntur, quia justorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cœlestia opere impressa cernuntur. *Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris*, quia in ostensa vita justorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod ipsi agere noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione damnantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat ; quod quidem facere electi non cessant.

CAP. 118. — *De gloria sanctorum post mortem. Ex dictis Isidori* (*lib.* I *De summo bono*, *cap.* 33).

Non faciet in futurum cor miserum justorum ex compassione damnatorum condolendi affectio ; ubi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium ut tristitiæ nullum tribuat introitum. Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior, ita sanctorum requies comparata damnationi malorum gloriosior erit ; sic justitia injustitiæ, sic virtus vitio. Crescit ergo sanctorum gloria, dum debita damnantur impii pœna. Post resurrectionem sanctis in carne promissa est cœlorum ascensio, dicente ad Patrem Christo : *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII). Si enim membra capitis sumus, et unus in se et in nobis est Christus, utique ubi ipse ascendit, et nos ascensuri sumus.

CAP. 119. — *Quod finito judicio incipiet esse cœlum novum, et terra nova. Ex dictis ejusdem* (*Aug. l.* XX *De Civ. Dei, c.* 14).

Ut ait beatus Augustinus, peracto finitoque judicio tunc esse desinet hoc cœlum et hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum et terra nova (*Apoc.* XXI). Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Unde et Apostolus dicit : *Præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* VII), figura ergo præterit, non natura.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 120. — *Contra eos qui dicunt si, post factum judicium, erit conflagratio mundi, ubi tunc esse poterunt sancti, qui non contingantur flamma incendii. Ex dictis ejusdem* (*Aug. l.* XX *De Civ. Dei, c.* 18).

Hanc quæstionem beatus Augustinus dissolvit. Quærat, ait, forsitan aliquis, si post factum judicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum novum et terra nova reponantur (*Apoc.* XXI), eo ipso tempore conflagrationis ejus, ubi erunt sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere futuros esse in superioribus partibus, quo ita non ascendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis erunt corpora ut illic sint ubi esse voluerint, sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti illæsa vivere potuerunt (*Dan.* III).

Cap. 121. — *Ut nullus se putet eleemosynis peccata sua posse redimere, nisi studeat vitam suam corrigere. Augustinus* (*Ench. c.* 70).

Sane cavendum est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt (*I Cor*, VI), quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius est quippe vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi (*Eccli.* XV), quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Cap. 122. — *Levia peccata Dominica nobis dimitti oratione, si tamen debitoribus nostris ita dimittimus, sicut et nobis dimitti volumus. Augustin.* (*ibid., c.* 71).

De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI), qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III). Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit, si quemadmodum veraciter dicitur : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI), quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Ibid.*), id est, fiat quod dicitur. Quia et ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere.

Cap. 123. — *Quod non solum tunc eleemosyna detur, quando solatium aliquod indigenti, sed etiam quando vel venia peccanti, vel disciplina datur erranti. Augustin.* (*ibid., c.* 72).

Ac per hoc ad omnia quæ utili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subjectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti [deliranti] consilium, et quod cuique necessarium est indigenti, verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati non voluntati, quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi quos inimicos putant, et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat, nec pro malis (*Rom.* XII ; *I Thess.* V; *I Petr.* III). Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur *nobis* debita nostra (*Matth.* VI).

Cap. 124. — *Perfectorum esse filiorum Dei, retribuere bona pro malis. August.* (*ibid., c.* 73).

Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus quod in nos quis peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit ; illud multo grandius et magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cum possis, audiens dicentem Jesum : *Diligite inimicos vestros ; benefacite eis qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur* (*Matth.* V). Sed dona perfectorum [sed quoniam perfectorum, *sic Augst.*] sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere.

Cap. 125. — *Quomodo ab imperfectis impleantur verba Dominicæ orationis : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*, etc. *Aug.* (*Proxime post.*).

Tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione Dominica dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), procul dubio verba sponsionis hujus implentur, si homo qui nondum ita profecit ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ei ex corde, quia etiam sibi roganti vult utique dimitti cum orat et dicit : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Ibid.*), id est, sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

Cap. 126. — *Quod nihil valeat eleemosyna quando non corrigitur vita. August.* (*ibid., c.* 75).

Sane qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Hoc enim quam late pateat non intelligunt,

Introdusă în format electronic de Google

sed ut intelligant, attendant quibus dixerit, nempe in Evangelio sic scriptum est : *Cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut prandaret apud se, et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum : Nunc, vos Pharisæi, quod deforis est calicis et catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod foris est, etiam id quod intus est fecit ? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Ibid.*). Ita ne hoc intellecturi sumus, ut Pharisæis non habentibus fidem Christi, etiam si non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto (*Joan.* III), munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant, cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est : *Mundans fide corda eorum* (*Act.* XV). Et dicat Apostolus : *Immundis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens et conscientia* (*Tit.* I). Quomodo ergo Pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent, et fideles non essent? Aut quomodo fideles [infideles] essent, si in Christum credere, atque in ejus renasci gratia noluissent [voluissent]? Et tamen verum est quod audierant : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI).

CAP. 127. — *Quod non sit vocandus inimicus qui veniam rogare disponit. Aug.* (*ibid.*, *c.* 74).

Jam vero qui eum in quem peccavit hominem rogat, sī peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sīcuī difficile erat quando inimicitias exercebat.

CAP. 128. — *Non remitti peccata nisi remittenti ex corde in se peccanti. Aug.* (*Proxime post*).

Quisquis autem roganti et peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet a Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem vero Evangelii lateat auditorem, sive electorem quis dixerit : Ego sum veritas ? (*Joan.* XIV.) Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendavit, dicens . *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta* vestra. *Si autem non dimiseritis hominibus*, nec *Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Et tamen potens est ille etiam mortuos excitare.

CAP. 129. — *Item quomodo largienda sit eleemosyna. Aug.* (*ibid.*, *c.* 76).

Qui autem vult ordinate dare eleemosynam a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX). Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus cui merito displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus, justum judicium ejus confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus : *Judicium quidem ex uno in condemnationem* (*Rom.* V). Et magnæ charitati ejus gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator : *Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Ibid.*), ut et nos veraciter de nostra miseria judicantes, et Dei charitatem quam donavit ipse, diligentes, pie recteque vivamus. Quod judicium et charitatem Dei cum Pharisæi præterirent (*Luc.* XI), decimabant tamen præter [propter] eleemosynas quas faciebant, etiam quæque minutissima fructuum suorum (*Matth.* XXIII). Et ideo non dabant eleemosynam a seipsis incipientes, secumque prius misericordiam facientes, sicut isti eas dandas putant. Propter quem dilectionis ordinem dictum est : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII). Cum ergo increpasset eos quod forinsecus se lavarent, intus autem rapina et iniquitate pleni essent, admonens quamdam eleemosynam quam sibi homo debet primitus dare, et interiora mundare : *Verumtamen*, inquit, *quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Deinde ut ostenderet quid admonuisset, et quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent eleemosynas eorum ignorare, sed *væ vobis*, inquit Pharisæis, tanquam diceret : Ego quidem commonui vos ad eleemosynam dandam, per quam vobis munda sint omnia, sed *væ vobis qui decimatis mentham, et rutam, et omne olus* (*Ibid.*), has enim novi eleemosynas vestras, ne de illis me vos nunc admonuisse arbitremini, *et præteritis judicium et charitatem Dei*. Qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, ut vobis munda essent et corpora quæ lavatis, hoc est enim omnia, et interiora scilicet et exteriora. Sicut alibi legitur : *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*Matth.* XXIII). Sed ne istas eleemosynas quæ fiunt de fructibus terræ respuisse videretur : *Hæc*, inquit, *oportuit facere*, id est, judicium et charitatem Dei, *et illa non præterire* (*Luc.* XI), id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

CAP. 130. — *Ne quis impunitatem sibi peccandi dari putet, eleemosynam dando. Aug.* (*ibid.*, *c.* 77).

Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cujusque pecuniæ impunitatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo. Non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt ut in eis semper optent, tantum si possint, impune versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X), et qui odit animam suam, non est misericors, sed crudelis; diligendo eam quippe secundum sæculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset eam secundum sæculum, et diligeret secundum Deum. Nemo autem

Introdusă în format electronic de Google

dat eleemosynam quamlibet, nisi unde det ab illo accipiat qui non eget. Et ideo dictum est : *Misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII).

CAP. 131. — *Pro inimicis similiter ut pro maximis peccatis orandum. Aug.* (*ibid., c.* 78).

Quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale illud est quod venerabilis Paulus conjugibus ait : *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum in idipsum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram* (*I Cor.* VII). Quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi, non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*Ibid.*). Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritas fateatur? Tale quiddam est ubi dicit : *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* (*I Cor.* VI.) Et paulo post : *Sæcularia igitur judicia, si habueritis*, inquit, *eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad judicandum. Ad reverentiam vobis dico : Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare* [*inter fratrem et fratrem judicare*]. *Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles* (*Ibid.*). Nam et hic posset putari judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret : *Jam quidem omnino delictum est inter vos, quia judicia habetis vobiscum* (*Ibid.*). Et ne quisquam ita hoc excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit a se judicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait : *Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* (*Ibid.*) Ut ad illud redeatur quod Dominus ait : *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi et pallium* (*Matth.* V). Et alio loco : *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere* (*Luc.* VI). Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis habere judicium ; ex qua doctrina Apostolus dicit esse *delictum* (*I Cor.* VI). Tamen cum sinit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi peccata, et alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum et cogitationum offensionibus, apostolo Jacobo confitente ac dicente : *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III), oportet ut quotidie crebroque oremus Deum, atque dicamus : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI), nec in eo quod sequitur mentiamur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*ibid.*).

CAP. 132. — *Quædam esse peccata gravia, quæ ab hominibus levia putantur. Aug.* (*Ibid., c.* 79).

Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo : Fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret? (*Matth.* V.) Cui tamen vulneri subjecit continuo medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adjungens ; mox quippe ait : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te* (*Ibid.*), etc. Aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit dies observare *et menses, et annos, et tempora* (*Gal.* IV), sicut observant *qui* certis diebus, sive annis, sive mensibus, volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Ibid.*).

CAP. 133. — *Quale peccatum clamor in Scriptura sancta appelletur. Aug.* (*ibid. c.* 50).

Hinc accedit quod peccata quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur. Quando sicut scriptum est : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Psal.* IX). Talis in divinis libris iniquitas clamor vocatur : sicut habes apud Isaiam prophetam de vinea mala : *Expectavi*, inquit, *ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem* (*Isai.* V). Unde est et illud in Genesi : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est* (*Gen.* XVIII). Quia non solum jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum etiam publice velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia in apertam consuetudinem jam venerunt ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV), exclamare compulsus sum : « Væ peccatis hominum! quæ sola insitata exhorrescimus, usitata vero pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe vivendo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur ; atque utinam, o Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus. Sed vide [videro] utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit facere. »

Introdusă în format electronic de Google

Cap. 134. — *Quod duabus ex causis peccemus. August.* (*ibid.*, *cap.* 82).

Hoc nunc dicam, quod quidem et in aliis opusculorum meorum locis sæpe jam dixi. Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit, sed profecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio justitia vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus; jam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis prævarieatores, cum id non B facimus quod faciendum esse jam novimus, vel facimus quod non faciendum esse jam scimus. Quapropter non solum si peccavimus ut ignoscat, propter quod dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI): verum etiam ne peccemus concedat [ut regat], propter quod dicimus : *Ne nos inferas in tentationem* (*Ibid.*). Ille rogandus est, cui dicitur in psalmo : *Dominus illuminatio mea, et salus mea* (*Psal.* XXVI): ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

Cap. 135. — *Sine misericordia Dei hominem infructuosam agere pœnitentiam. Augst.* (*ibid. c.* 82.

Nam et ipsa pœnitentia quando digna causa est secundum morem Ecclesiæ ut agatur, plerumque infirmitate non agitur. Quia et pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum æstimatio quam justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Unde non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam* (*II Tim.* II). Et ut Petrus amare fleret, præmisit evangelista et ait : *Respexit eum Dominus* (*Luc.* XXII).

Cap. 136. — *Irremissibile fore peccatum illius, qui non credit in Ecclesia sancta posse omnia peccata dimitti. Augustinus* (*ibid. c.* 83).

Qui vero in Ecclesia remitti peccata non cre- D dens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. De qua quæstione difficili in quodam propter hoc solum conscripto libello, enucleatissime, quantum potui, disputavi.

Cap. 137. — *De rebus ad venerabilem locum pertinentibus, non alienandis* (*Novel. Const.* 7, § *Si vero, et seq.*).

Omnes omnino sacerdotes a rerum ecclesiasticarum alienatione se abstineant, pœnas timentes quas Leoniana constitutio minatur, id est, ut is quidem qui comparaverit rem loco venerabili, reddat cujus et antea fuerat, scilicet cum fructibus aliisque emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt. Œconomus autem Ecclesiæ qui præstare omne lucrum ex hujusmodi prohibita alienatione senserit, vel qui Ecclesiæ damnum effecerit, a ministerio submoveatur, ita ut in posterum œconomus non sit. Non solum autem ipse, sed etiam successores ejus hac lege teneantur, sive archiœconomus alienaverit, sive respiciens alienantem episcopum non prohibuerit, multo magis si consenserit. Tabellionem, qui talia interdicta instrumento conscripsit, perpetuo exsilio tradi oportet. Magistratus autem qui eadem instrumenta admiserunt, et officiales qui operam dederunt, monumentis intimentur, et donationes vel certe alienationes actis intervenientibus infirmentur. Non solum magistratus, sed etiam dignitates aliæ C facultatibus suis cedant. Remittit autem constitutio ea quæ in præterito tempore acta sunt. Excipit autem quosdam contractus, quos in sequentibus exponit capitulis, per quos ecclesiarum immobiles res alienari possunt. Xenodochium, id est, locus venerabilis, in quo peregrini suscipiuntur; ptochotrophium, id est, locus venerabilis, in quo pauperes et infirmi homines pascuntur; nosocomium, id est, locus venerabilis, in quo ægroti homines curantur; orphanotrophium, id est, locus venerabilis, in quo parentibus orbati pueri pascuntur; gerontocomium, id est, locus venerabilis, in quo pauperes, et propter senectutem solam infirmi homines curantur; brephothrophium, id est, locus venerabilis in quo infantes aluntur.

NOTÆ IN DECRETUM IVONIS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Decretum Ivonis, quod tandiu delituerat, et a theologis ac jurisperitis omnibus c atum, non visum, tantopere desiderabatur, superiori sæculo vir clarissimus Joannes Molinæus summo totius Ecclesiæ bono typis primum excudi curaverat, ut ipsemet in sua præfatione docuit. Sed quia unicum ei suppetebat manuscriptum exemplar, nec satis otii ad conferenda cum illo conciliorum et Patrum originalia, accuratum plane aut absolutum edere non potuerat. Quod erat peritorum omnium desiderium, qui tantum opus tot mendis scatere dolebant : nullus tamen de eo investigando restaurandove cogitabat; cum alii aliis operibus occuparentur, alii quorum hoc sæculo maxima pars, novis auctoribus operibusque, neglectis penitus antiquis, quod maxime dolendum, toti incumberent. Nos, quia iamjam prelo subiiciendum opus audieramus, ne

Introdusă în format electronic de Google

cum suis iterum mendis cuderetur, tantaque Ivoni nostro, imo Ecclesiæ, fieret injuria, manum operi licet ex abrupto admovimus. Etenim festinantibus typographis et currente jam prelo opus aggressi, quidquid tantæ rei perficiendæ nostrisque votis satisfaciendo necessarium erat præstare non potuimus. Quid autem in hoc labore, quantum per angustias temporis licuit, præstitum sit, paucis, Lector, accipe. Primo nacti vetustissimum Ivonis Decretum manuscriptum ex illustri bibliotheca S. Victoris Parisiensis, editum cum illo contulimus, ex eoque plura adnotavimus et emendavimus. Deinde quia hodierna exemplaria conciliorum ac Patrum in aliquibus discordant ab antiquis, singula ferme Decreti capita cum pluribus tam vetustis quam hodiernis manuscriptis et excusis conferre studuimus; quam discrepantiam tum inter uncos ubi levis erat, tum ubi major in hisce notis apposuimus. Unde autem tot nævi processerint facilis est conjectura. Etenim collectionis Canonum primus auctor non fuit Ivo : unde plurimam Decreti sui partem ex præcedentibus canonum collectoribus mutuatus ipsissima eorum verba, utpote apud omnes recepta, immutare non debuit. Cum etiam et credibile sit istius sæculi exemplaria Ivoniano Decreto conformia fuisse; aut si quædam ab eo discreparent, id scribarum vitio evenisse, qui sæpe, ut fit in hodiernorum typographorum maxima parte, cum litteras non didicissent, emendate scribere non valebant. His itaque exemplaribus quæ sibi in manus devenerant, ubi coactus erat Ivo, cum emendatiora nancisci non posset usus est. Sed et amplioribus codicibus diversisque a nostris usum in multis apparet. Quod autem ad citationum diversitatem attinet, id ferebant istius sæculi exemplaria, in quo etiam Gratianus ipse Ivone nostro recentior hallucinatus est. Sed hoc posteriora nostra sæcula non sine magno labore aliqua ex parte emendarunt. Quod etiam plurima conciliorum et Patrum testimonia, quæ hodie non exstant, retulerit, mirum nemini videri debet, cum multa hodie exciderint quæ hisce temporibus habebantur, ut plura alia quæ injuria temporum magno Ecclesiæ detrimento perierunt; multa etiam adhuc delitescant, quæ, ut plurima jam nostro sæculo, e tenebris aliquando studiosorum ope eruentur. Cæterum multæ citationes quæ generatim appositæ fuerant, suis locis restitutæ sunt, quas tamen inter uncos posuimus, ne in edito exemplari, imo et *in mss. fieret* immutatio multæ etiam tum ex sacra Scriptura tum ex sanctis Patribus, additæ sunt. *Plurimum* vero in hoc opere adjuti sumus tum illo insigni mss. S. Victoris Paris., tum compluribus mss. *et excusis* novæ et antiquæ editionis voluminibus conciliorum et Patrum ex bibliotheca S. Germani a Pratis Paris., sine quibus hoc opus emendari vix potuisset. Porro quasdam notas quæ apud Gratianum habentur de industria hic omisimus; tum quia illud jam a correctoribus Romanis insigniter effectum est, et sic actum agere noluimus, quanquam illæ sint proprie hujus loci, et ad Ivonem prius quam ad Gratianum pertineant; tum quia non suppetiit tempus, quod tardius et festinante jam prelo opus aggressi sumus. Hæ ergo qualescunque sint sufficient, interim dum ampliores et lucubratiores ab eruditis, quod summopere exoptamus, parabuntur.

NOTÆ.

IN PROLOGUM.

Excerptiones. In præcedenti editione et in codice mss. S. Victoris Parisiensis, sicut etiam in omnibus Panormiæ et epistolarum Ivonis mss. et editis habetur *Exceptiones.* Sed quia recentiores dum illum citant, ut Antonius Augustinus et alii, posuerunt *Excerptiones*, ex quorumdam judicio hic editum est. Cæterum præfationem hanc quæ vere est hujus loci, ut nemini non liquet, in superioribus Ivonis epistolarum editionibus ad calcem apposuerant typographi, nec abs re, cum et inter mss. habeatur; quia tamen non est in epistola nec ad quemquam scripta reperitur, sed ad caput Decreti Ivonis, imo et Panormiæ, in omnibus tam mss. quam editis exemplaribus habetur, eam ex epistolis expunximus. Quod et recte animadvertit Juretus, qui inter epistolarum Ivonis notas hujus etiam præfationis, quæ inter epistolas numero 288 edita fuerat meminit, et eam nota illustravit, quam, quia insignis est, hoc loco inseruimus. Sic ergo ille :

Exceptiones ecclesiasticarum regularum. Typographus in superiore editione hunc tractatum adjecit fini harum epistolarum; quem multi veteres codices non habent. In aliis nonnullis reperitur mediæ parti libri intertextus. Revera non est proprie epistola, sed prologus quem olim præfixerat Ivo suo Decreto; nam se collegisse canones ecclesiasticos testatur, epist. 262 ad Pontium. Exstant duo diversa volumina, Ivonis nomine inscripta, eamdemque habent præfationem; quorum unum quod Pannormia dicitur, alterius majoris quod absolute decretum inscribitur, quasi quædam est epitome. Cujusquidem meminit Vincentius Bellovacus in Speculo, lib. XXVI, cap. 84, ubi dicit Hugonem Catalaunensem ex eodem volumine decretorum abbreviato composuisse libellum portatilem, qui summa decretorum Ivonis appellabatur. Cæterum in prisco exemplari Servini sequens titulus præfixus est huic tractatui. *Proœmium Canonum domni Carnotensis episcopi Ivonis, mirifi-*

A *cam introductionem continens ad discrete intelligendum et suscipiendum sacrorum judicia dispensationes canonum, cujus summa ac præcipua videtur esse intentio, quod quicunque ecclesiasticus doctor sacras regulas ita interpretatur et moderatur ut ad regnum charitatis cuncta quæ docuerit vel exposuerit, referat, nec peccat nec errat : cum saluti proximorum consulens, ad finem sacris institutionibus debitum pervenire intendat.* In aliis quibusdam exemplaribus strictiore verborum clausula sequens titulus apponitur: *De intelligentia et dispensatione ecclesiasticæ disciplinæ.* Quia igitur hic prologus additus fuerat primæ editioni, patior non invitus hic adjungi, ne quid lector desideret. Sane enim lectu dignissimus est. Obiter admonebo superioribus annis hanc eamdem præfationem, sed tamen decurtatam magna sui parte, tributam fuisse Hildeberto Cenomanensi episcopo, et illius epistolis adjectam in appendice Bibliothecæ sanctorum Patrum, quæ Lutetiæ primum
B prodiit anno 1579, et aliis consequentibus fecum fecit editoribus (quemadmodum suspicari licet) quod illud fragmentum invenerant insertum vetusto codici Hildeberti. Adde quod Hildebertus in quadam sua epistola testatur se disposuisse in unum volumen colligere, et ordinare decretorum excerptiones, nondum tamen ad finem perductas esse; opus enim hoc, liberum curis pectus desiderare, cujus illum immunem episcopatus fecit; bonam tamen partem explevisse, atque ad id peragendum quod restat, episcopum depositurum. Sed hæc præfatio magis redolet stylum Ivonis quam Hildeberti. Deinde nulli antiquarii (quod sciam) adnotarunt ab Hildeberto decretorum collectanea unquam fuisse divulgata.

Salutem student augere. Sic ex v. c.

Sed omnibus sanitatis remedium pro sua moderatione dispensare. Hæc addita ex priscis exemplaribus.

Aut apparitibus vincitur. Spiritualis. Correctum

Introdusă în format electronic de Google

est fide vett. codd. male antea cusum, *aut a parentibus vincitur. Spirituale.*

Illæsi evadere. Ita melius ex v. c. quam ut antea, *illi eu.*

Et superba fiunt. Id rectius ex manuscripto quod antea, *et sup. sunt.*

Iniquorum populorum cum facultas est. Alii libri perturbato verborum ordine habent *iniquorum cum facultas est populorum.*

Cum Nestorio vel sentiant, etc. Tota hæc periodus aucta et restituta fuit ope et fide antiqui exemplaris Servini; nam in reliquis mendosa. Etiam apud Gratianum passim laborat in can. 14, caus. 1, q. 7; quod accidit culpa prisci interpretis S. Cyrilli.

Parum quid a debito foras exire. Hæc etiam verba non satis apte reddita, culpa ejusdem interpretis; sententia tamen facile concipitur.

A synodo cui Carolus rex interfuit. Alii libri, *cui Carolus interfuit rex.* Sunt plures similes loci in Decreto Ivonis, unde perspicuum fit reges eo sæculo interfuisse synodorum ecclesiasticarum celebrationi. Nam parte tertia, cap. 227, legitur : *Ex concilio Belvacensi præsente Ludovico.* Et parte decima quarta, cap. 117 : *Ex concilio apud Altheum, cui interfuit Conradus rex.* Et cap. 121 : *Ex concilio Triburiensi, cui interfuit Arnulfus rex.* Item, cap. 125 : *Ex concilio apud Erphesfurt cui interfuit rex Henricus.* Et cap. ult. : *Ex concilio apud Altheum, cui interfuit Conradus rex.* Nimirum episcopi utebantur consilio principis. Nam in canone dicti concilii apud Erphesfurt dicitur : *Decrevit sancta synodus cum consilio serenissimi principis.* Convenire autem inter se debent reges et sacerdotes pacis et salutis publicæ causa.

Et papa Gelasius dicit. Sic v. c. Inepte antea, *et paparum glosa dicit*, nempe orto errore ex prava interpretatione compendiosæ scripturæ quam offendi in nonnullis membranis. *Et pap. Gl. dicit.*

AD PARTEM I.

Cap. 1. In codice ms. S. Victoris, generalis titulus hujus primæ partis habetur tantum ante tertium caput, quod incipit *credimus*, etc., sicut et in Panormia, in qua tamen prima pars incipit absolute ab hoc capite *credimus*, omissis scilicet duobus præcedentibus capitibus.

Cap. 150. Ille locus non est Gregorii, sed Zachariæ pap., epist. 9, ante medium, ubi sic ait : *Nam similiter de illo fals. ep., quem dixisti adulterati cler. et homicidæ filium*, etc., *attrectare, sed neque pœnitens aut talis quem sacri canones prohibent esse sacerdotem. De bap.*, etc.

Cap. 180. *Animarum.* In originali additur, *quas eripi volumus.*

Cap. 246. *Cum carne nascitur.* Hic locus sic videtur restituendus ex D. Gregorio : *Cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?*

Cap. 290. *Ut episc.* Sic videtur legendum : *Ut ubi episcopus et conventus*, etc.

Cap. 293. *Pueris autem quibus*, etc. Variat hæc lectio in originalibus conciliorum tomis. In Parisiensibus et Coloniensibus sic habetur : *Pueris autem, quibus quod adhuc impuberes, a pubertate vocabulum est*, etc.

Quibus satis esse non debet. In Paris. et Col. deest particula *non.*

Quisquis hæc violaverit antistitum. In Par. et Col., *quisquis hoc violaverit institutum.*

Cap. 295. Hoc caput non videtur esse illius concilii Triburiensis cujus canones exstant. Etenim caput 22 concilii Triburiensis est de adhibendo diligenti examine, si quis fidelis liber infamis cujusdam criminis accusetur. Capite autem 16, prohibetur ut nemo sepulturam morientium vendat. De chrismate vero et cæteris, quæ in hoc capite continentur, nihil.

Cap. 297. Epistola hæc, ut et multæ aliæ summorum pontificum, non distinguitur per capita.

Auctoritate. In origin. concil. habetur, *veneratione.*

Cap. 305. *Inquis priorum dicta.* In conciliis Colon. et Paris. habetur : *Inq. priorum Patrum nostrorum dicta.*

In Ecclesia Isauriæ. In Parisiensibus regiis habetur : *In Ecclesiis Isauriæ.* In Colon. *Ecclesiæ Isauriæ, Ephes. Sim. Hieros. et etiam aliarum civitatum; episcopis etiam earum civitatum.*

Ut nullo modo conjugio se recip. In orig. ita habetur : *Ut nullo modo jam se in conjugium reciperent mulieres aut viri quicunque aliqua ratione susceperint natos proprios.*

Per mundum. In concil. additur : *Et universorum error accrescat.*

A primo ergo, etc. Sic legitur : *A primo pabulo sacrati salis, et ingressus sanctæ Ecclesiæ usque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma. Ab hoc ergo primo Spiritus sancti dono usque ad septimum.*

AD PARTEM II.

Cap. 25, *Si tamen*, etc. Apud Augustinum ita legitur : *Si tamen mens sine affectu peccandi sit, nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis*, etc.

De Domini mis. Lege sic : de Domini miseratione qui peccata piæ confessioni donare consuevit *accedat.* Porro locum istum etiam citant ex D. Aug. Algerus et Gratianus, licet aliqui dubitent esse D. Augustini. Sed de hac materia habet caput integrum D. Augustinus, scilicet 3, lib. 1, ad Inquisitiones Januarii.

Cap. 63. *Fermentum.* Post hoc verbum in Victorino habentur ista : *Hic invenit Manichæos in urbe, quos etiam exsilio deportavit.*

Cap. 67. Hoc est secundum caput epistolæ 1, Decretal. Anacleti pap. initio, et sic habetur : *Ipsi autem quando Domino sacrificant*, etc.

A fronte. In orig. est *in fronte.*

Cap. 68. *Aquam sale*, etc. Ante hæc verba habetur in Victor. hic titulus : *De consversione salis et aquæ.*

Cap. 70. Est hæc epistola 2 Sixti pap. I, cap. 1. In fine hæc addenda videntur ex originali : *Et hi etiam, qui non peccaverunt mala patiantur, aut pereant, quia perit justus sæpissime pro impio.*

Cap. 74. *Ministratur.* Additur in orig. : cultusque divinus omni cum honorificentia et honestate a sacerdotibus reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur.

Cap. 75. *Concedi.* Post illud postremum verbum hæc habentur in Victorino sicut et apud Gratianum : *His ergo, frater charissime, omnibus quæ tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, respondere curavimus.*

Cap. 125. *Quod ad episcopum pertineat.* Hæc non habentur in epistola Clementis.

Quicunque obediunt ei. In origin. sic habetur : *Quicunque enim obediunt episcopis suis, videntur quidem aliquid gratiæ conferre Deo; qui autem eis non obediunt, indubitanter*, etc.

Cap. 131. *Pariterque vom.* In orig. habetur, *parit, quæ vom.*, etc., sicut et apud Gratianum,

AD PARTEM III.

Cap. 6. In originali hoc caput variat paululum in fine.

Cap. 45. *De Ecclesiis*, etc. Hoc quod in priori editione non habebatur suppletum est ex cod. ms. S. Victor.

Cap. 58. *Aut aliquo tali*, etc. In Vict. habetur tantum, *aut tali peccato discretos.*

Cap. 59. *Fuerint incensæ.* Hoc caput quod in conc. Paris. est nonum concil. Moguntiacensis sub Ste-

Introdusă în format electronic de Google

phæno V, et Arnulpho rege sic legitur : *Fuerint incensæ, in capellis missas interim liceat celebrare donec ipsæ*, etc.

Aliter omnino interdicimus. Hæc non habentur in prædicto capite 9.

Cap. 60. *In libro Regum legitur.* Hæc addidimus ex orig. et Gratiano quanquam non ita necessaria.

Cap. 61. *Divinis habeb.* In concil., *divinis supplicationibus consecrabant.*

Sic autem legitur, etc. Corruptus est hic locus, et ita restituendus : *Si autem ut legitur in concil. Laod., c. 26, quod hi qui ab*, etc.

Cap. 68. In conc. ita habet hoc caput, *ut institutio missarum sicut in metropolitana ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconensi provincia tam ipsius missæ ordo quam psallendo vel ministrando*, etc., in Paris. vero ita legitur : *De institutione missarum ut quomodo in metr. Ecc. fuerit, ita in omni*, etc., sicut supra.

Cap. 72. Hoc caput non habetur apud D. Augustinum, sed desumptum est ex regula Tarnatensi, c. 15, § 4, ut doctissime adnotavit R. P. Hugo Maynardus ordinis S. Benedicti, satis notus in Concordia regularum, c. 39. Quænam autem sit illa regula Tarnatensis videndus idem Maynardus in præludiis hujus Concordiæ ubi de variis regulis earumque auctoribus agit luculenter.

Cap. 79. *Renati.* In orig. *Arenata.*

Cap. 92. *Dominis suis.* Hæc duo verba non habentur in Victor.

Cap. 99. *Inquirendum est.* In Vict. est distinctum caput cui inest hic titulus : *De presbyteris qui ex reditibus Ecclesiæ res sibi comparaverint, et structuras ibi fecerint, et mulieres ibi posuerint ex conc. Rem., c. 10.*

Cap. 104. *De conf. cœm.* In omnibus tam conciliorum quam Gratiani et Panormiæ codicibus hoc caput incipit ab his verbis : *Sicut antiquitus*, etc., in Panormia citatur ex concil. Antiocheno, c. 5, apud Gratianum vero titulus est : *Excommunicetur qui confinia ecclesiæ frangere tentaverit.*

Cap. 105. Idem fere habetur in conc. Agathensi, c. 66, sed pro *diaconion* habet *diaconicon.*

Cap. 149. Idem habetur in synodo sexta Romana sub Symmacho papa in medio.

AD PARTEM IV.

Cap. 16. Hoc caput in conciliis paulo aliter habetur; sic enim habet Moguntiacum : *Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decrevimus observari, et a servili opere abstinere, et ut mercatus in eis minime sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur.* In conc. vero Francofordiensi, c. 21, habetur : *Ut dies Dominica a vespera usque in vesperam servetur.*

Cap. 18. Hoc caput est ex secunda versione hujus concilii ex Isidori Mercatore, in priore autem sic habebatur : *Quoniam sunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes et in diebus Pentecostes ut omnia in universis locis consonanter observentur placuit sancto concilio stantes Domino vota persolvere.* Ad marginem autem verbi *concilio* cum asterisco habetur *a Pascha usque ad octavas Pentecostes stantes*, etc., quam versionem secutus est ms. cod. S. Victor., originale vero sic habet. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ Κυριακῇ γόνυ κλίνοντες καὶ ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἐστῶτας ἔδωξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδοναι τῷ Θεῷ

Cap. 20, 21, 22. Non habentur in hoc concilio sed in capitulari Aquisgranensi Caroli Magni c. 81 et lib. I Capitularis, c. 81, licet aliquantum diversa.

Cap. 31. *Jejunia.* In conc. Paris. regiis habetur : *Jejuniorum superpositiones per*, etc.

Cap. 32. Habetur hoc apud Palladium in historia Lausiaca, cap. 52, in Vita abbatis Apollinis, non autem Apollonii. Sic autem habet : *Catholica autem et generalia jejunia non licet solvere sine ingenti necessitate. In quarta enim feria traditur Servator, et in parasceve crucifigitur. Qui ea ergo solvit, Servatorem una tradit, et una crucifigit.*

Cap. 65. *Actus etiam nomine Petri apostoli, apocryphi.* Hæc non leguntur in originali

Evang. nom. Barnabæ. Ante hoc habetur in orig. : *Evangelium nomine Mathiæ apocryphum. Evangelium nomine Petri apostoli apocryphum.* Et ad marginem habetur : *Mirum quia et hic non fiat mentio Evangelii Nicodemiani.*

Cap. 84. Ad calcem hujus capitis in Victor. hæc adduntur nescio quam ob rem : *Item : Furtum non ex sua æstimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est adulterii non grandis esse culpa perhibetur.* Quæ nec sunt hujus loci nec apud Bedam legere est.

Cap. 88. Desumptum est hoc caput ex capite I Regulæ S. Benedicti, juxta Maynardum, cujus insignem notam videre est ad illud caput initio Concordiæ regularum, § 1, ad quem lectorem remittimus, quia commentarios hic non edimus.

Instrumenta virtutum. Vulgo ex Smaragdo et S. Donastano legitur : *Exempla et instr. virt.*

Cap. 109. *De capitul.* In orig. sic legitur : *De capitulorum namque veritate et numero Nicæni concilii, cui*, etc.

Cap. 152. In fine hujus capitis in ms. Victor. habentur et hæc : *Item celebritas unius diei nonnisi accensis lampadibus intus et foris recte colitur.*

Cap. 171. In fine etiam istius hæc adduntur in Victor. : *Item : Tunc apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis grammaticæ artis profunda rimatus est.*

Cap. 225. Hæ responsiones sunt ex epistola 11 Adriani, ubi videnda nota Binii. Porro apud S. Ambrosium, lib. De Tobia, c. 20, ita habetur : *At de corporalibus quidem pignoribus sanctus etiam Esdras nos docuit*, etc.; et ad marginem habetur *Nehemiæ* V, id est II ; Esdr. V. Libro autem II, de Spiritu sancto, c. 7, ita habet S. Ambrosius : *Esdras nos docuit, dicens in quarto libro. Et in die secunda iterum creasti spiritum firmamenti*, ad marginem autem III *Esdr.* VI, in multis porro editionibus habetur in tertio libro sicut hic, sed est error sicut videre est apud Esdram, l. IV, c. VI, ex quo desumptum est hoc testimonium.

Cap. 243. Totus hic canon ad sensum non ad verba citatus est.

AD PARTEM V.

Cap. 3. Ante hoc caput habetur aliud in cod. ms. S. Victoris Paris., sed quia habetur infra in VI parte, c. 316, inutile visum est hic apponere.

Cap. 5. Non habetur hoc caput in Victor.

Cap. 8. *Damnaverint.* Post hoc verbum in conciliis ita habetur : *quia in contumacia permanens ergo primæ sedis Romanæ privilegium resipiscere a suis superstitionibus ut servaretur a prima sede apostolica noluit, et ponens*, etc.

Dioscorus ipsam, etc. Sic habet origin. : *Ipsam jam factum Dioscorum excommunicationem dictasse.*

Cap. 11. *Quia majoris*, etc. Hæc et quæ sequuntur usque ad finem capitis non habentur in Victor.

Cap. 14. De hoc et de aliis Leonis IV ad Lotharium imp. epistolis videnda nota Binii ad vitam Leonis IV.

Cap. 16. Hoc habetur iisdem prope verbis initio Vitæ Adriani II in concil. Paris.

Cap. 18. *Existimas.* In Paris. legitur, *existimetis.*

Cap. 19. Hoc caput diversum est in quibusdam ab originali.

Cap. 38. Ad calcem hujus capitis habetur et illud in ms. cod. S. Victoris : *Benedictus universis episcopis per Galliam et Europam. Sit ruinæ suæ dolore prostratus quisquis apostolicis voluerit contraire decretis ; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat,*

Introdusă în format electronic de Google

sed extorris a sancto fiat mysterio. Non de ejus judicio quisquam curam habeat, quoniam jam damnatus a sancta Ecclesia et apostolica auctoritate, suaque inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur, quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus, cui sanctæ fuerit Ecclesiæ commissa disciplina, qui non solum prælatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etium alios ne præterirent insinuare, sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare apostolicis.

Cap. 40. Caput hoc est ex epistola Adriani pap. ad Tharasium patriarcham Constantinopolitanum in actione secunda synodi septimæ, et totum ad sensum citatum est, non ad verba.

Cap. 54. *Similiter.* Ante hunc paragraphum habetur in Victor. titulus ejusmodi : *Suspecta judicia vel ad primatem vel ad sedem referantur apostolicam.*

Cap. 75. *Ordinatur.* In conc. Paris. habetur : *Promovetur.* Quæ sequuntur usque ad § *et alibi. Dolens*, etc., non leguntur in orig.

Cap. 76. *Arceri.* Post hoc verbum addenda sunt hæc ex originali : *Non sine periculo facinus tale perpetrantes.*

Cap. 120. Paulo aliis verbis, sed eodem sensu habetur in orig.

Cap. 165. *Qui posterius*, etc. Hæc et quæ sequuntur non sunt in ms. Victor., nec in Panormia, nec apud Gratianum.

Cap. 200. Hæc epistola habetur in libro tertio concilii Nicæni.

Cap. 215. Habetur post concilium Hispalense I, in fragmentis, cap. 1, et apud Burchardum, l. I, c. 115 ; sed pro *numerum* habetur in concilio *numerus.*

Cap. 216. Paulo aliter et brevius adhuc habetur in orig.

Cap. 243. *Inique gessit.* Ad calcem hujus capitis, scriptorum incuria additæ fuerant quinque aut sex lineæ tumultuariæ, quæ non sunt hujus loci, nec habentur etiam in ms. Victor., sed habentur superius, c. 54 hujus partis; propterea illas expunximus.

Cap. 270. Paulo aliter habet orig. ; sed est idem sensus.

Cap. 289. *Eos accusare.* In orig. habetur ; *Majores natu accusare* ; pro *noscitur* habetur *nescitur*, sicut et apud Gratianum.

Testimonium non dicant. In orig. et apud Gratian. legitur. *Proferant, sed præsentes de his quæ viderunt et noverunt, veraciter testimonium dicant, nec de*, etc.

Cap. 292. *Quod si*, etc. Hæc usque ad finem non sunt in orig.

Cap. 296. *Ne quis Domini sacerdotes.* In orig. ita legitur. *Ne quis Domini sacerdotibus detractiones irroget, quanto magis accusationes non ex radice charitatis prolatas!*

Cap. 308. Hic locus omnino varius est apud Gregorium, sensus tamen est idem.

Cap. 313. Hoc caput paulo aliter quo ad initium habetur apud Gratianum. Cæterum non reperitur in Decretis Leonis, sed in pervetustis pontificalibus, et habetur apud Baronium ; tomo IX Annal. ad an. 800, num. 8.

Cap. 358. *Regibus ministremus.* Apud Gratiani novissima exemplaria habetur *legibus ministremus* ; in vetustis quibusdam excusis *legibus religionis minist.*, in ms. S. Germ., *legibus* ; in tomis autem conciliorum, Coloniensi an. 1606, Regio Parisiensi, an. 1644, habetur *regibus.* De utraque lectione videntur archidiaconus in illum Gratiani locum. Cæterum epistola hæc est 16 Pelagii I, ubi et habetur fides ejusdem quam misit ad Childebertum.

AD PARTEM VI.

Cap. 7. *Ut memoriæ mandet.* Apud Isidorum habentur. *Et regnum Dei memoriæ commendat de scripturarum testimoniis, unde exerceat donum.* Et in conc. Aquisgran. sub Stephano V et Ludovico Pio, cap. 4.

Cap. 11. *Ad solam*, etc. Apud Isidorum habetur : *Sed sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio*, etc.

Cap. 20. *Archipresbyter*, etc. Hæc usque ad illa verba, *Ad primicerium* non habentur in Victorino, cui conforme est quod ad marginem appositum est a Molinæo : *Hæc non habentur in codice regio, suspectaque mihi perpetuo visa sunt quod archipresbyter subdatur archidiaconis quod vetustum non esse in canonibus conciliorum vel mediocriter versatus nemo ignorat.* Joannes Molinæus, Habentur tamen in fragmentis conc. Toletani I, fragmento 8 : vide ad marginem istius fragmenti.

Cap. 24. Paulo aliter habetur in orig : *Qui vero ex nostris parochiis aut ad titulum, aut absolute ordinari petuntur nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo et religioso*, etc.

Cap. 41. Hic canon multum differt ab orig. est tamen eadem sententia ; convenit vero maxime cum capite 88, l. I Capitularium.

Cap. 48. *claves desp.* In orig. sic habetur : *Contra traditas claves disputare et agere videntur.*

Cap. 70, 71. Hæc duo capita erant inversa in Ivone, sed ordini suo restituta sunt ex orig. et Gratiano.

Cap. 103. *Solus Moyses.* In margine habetur cum asterisco *Aaron*, quod unde acceperit Molinæus conjicere non possum nisi, forte ex codice quodam mendoso ; si quidem in Conciliorum tomis habetur *Moyses*, et ad marginem citatur *Exod.* XL, ubi agitur tantum de Moyse, cui nimirum Deus erectionem istius altaris præceperat, non Aaroni, ut clare liquet ex toto illo capite.

Cap. 123, 124. Hi duo canones non sunt proprie sextæ synodi œcumenicæ, quæ scilicet nullos edidit canones. At vero centum et tres canones qui sub nomine illius sextæ synodi circumferuntur, a conciliabulo quodam editi sunt quod post decem annos habitum est Constantinopoli in Trullo, quodque Quinisextum vulgo appellatur, et habetur in tomis Conciliorum sub nomine conciliabuli Constantinopolitani, sive concilii Quinisexti sub Sergio. Ita Binius in notis ad hæc concilia. Cæterum paulo aliter habentur quoad verba apud Ivonem, sed tamen eodem sensu.

Cap. 134. — Citatur ad sensum, non ad verba, ut in plerisque aliis.

Cap. 165. Originale Græcum sic habet : Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας μὴ παραμένοντας καὶ τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ ἁγίᾳ μετουσίᾳ ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦν τὰς τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή.

Cap. 223. Non reperitur sed habetur alio prorsus sensu in conc. Carthag. et apud Gratianum.

Cap. 231. Habetur inter epistolas Gregorii II hoc modo : *De presbytero vero, si quilibet sacerdos a populo fuerit accusatus*, etc.

Cap. 238. *Qui autem suam*, etc. Hæc non habebantur in antiquo, sed visa sunt addenda ad sensum complendum.

Cap. 242. Idem caput 15. Sic in vetustis quibusdam libris legitur : *Ut episcopi, presbyteri et diacones non sint cond. aut pr. priu. neque ullo tali negotio victum quærant, quo eos peregrinari vel ab ecclesiasticis officiis avocari necesse sit.* Ita in conc. Colon. notatur a Binio.

Cap. 243. *Si castig.* in orig. habetur : *Si castigatus per satisfactionem veniam ab episcopo noluerit promereri.*

Cap. 244. *Quia*, etc. Hæc propter sensum addita sunt ex orig.

Cap. 283. Hoc non reperitur, sed simile quiddam habetur. In conc. Metensi sub Stephano V, cap. 6

Introdusă în format electronic de Google

Et ut nemo clericorum arma portet vel indumenta laicalia induat, id est, cottos vel mantellos sine cappa non portet.

Cap. 292. Hoc caput desumptum est ex regula S. Aureliani, cap. 13, ut recte adnotavit Hugo Maynardus in Concordia regularum, c. 75, § 3.

Cap. 295. Caput hoc est idem et ejusdem concilii cum superiore, sed ex secunda editione, ut videre est in conciliis; vide etiam epistolam Evaristi pap. et Grat., dist. 93, c. *Diaconi qui quasi.*

Cap. 356. De hac re vide notam insignem Maynardi Concordiæ regularum, cap. 66, pag. 985.

Com. 358. Diversa hæc sunt ab orig. Græco, sic enim habet. Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων καὶ μοναστηρίων ὑπὸ τῶν ἐνέκαστῃ πόλει ἐπισκόπων τὴν ἐξουσίαν κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων παράδοσιν διαμένετωσαν, καὶ μὴ καταυθαδιάζεσθαι ἢ ἀφηνιᾶν τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου. Οἱ δὲ τολμῶντες ἀνατρέπειν τὴν τοιαύτην διατύπωσιν, καθ' οἱονδήποτε τρόπον, καὶ μὴ ὑποτασσόμενον τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, εἰ μέν εἶεν κληρικοί, τοῖς τῶν κανόνων ὑποκείσθωσαν ἐπιτιμίοις· εἰ δὲ μονάζοντες οἱ λαϊκοί, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι.

Cap. 359. Est idem cum præcedenti sed ex antiqua versione quæ non exstat in conciliis ut recte notant correctores Romani apud Gratianum 18, q. 2, c. *Quidam monachorum.*

Cap. 362. Tres primæ lineæ hujus capitis usque ad hæc; *item placuit* non reperiuntur in hoc concilio.

Cap. 373. *Quos vero*, etc. Locus hic corruptus erat, sed ex orig. restitutus est. Sic autem habebat. *Quos vero flagitiis ordinaverit*, et in Victorino aliquis qui voluerat emendare sic male restituerat. *Quos vero in flagitiis obligaverit.*

Cap. 395. Hoc et tria sequentia capita paululum variant in nostris S. Cypriani editis exemplaribus, sed tamen idem est sensus.

Cap. 397 et 398. Paululum differunt in orig. et sic habetur: *Verum quod sequenter in epistolis fraternitas tua nobis innotuit, videlicet quod in canone Ancyritano, capitulo* 19, *legitur: Post lapsum corporalem restaurandum honoris gradum post pœnitentiam. Et alibi legitur: Post hujusmodi delictum*, etc.

Cap. 399. Vide notas Maynardi in Concordiam regul. c. 34, pag. 542: Hoc autem caput desumptum est ex regula S. Fructuosi de qua copiose disserit idem Maynardus in præludiis ad Concordiam regularum,

Cap. 400. Habetur in fine concilii Ilerdensis nec ita recte, ut notat Antonius Augustinus, in notis ad Pœnitentialem librum Rabani Mauri ubi hic canon exstat.

Qui autem de p. Sic variat apud Rabanum et in conciliis: *Qui autem de prædictis viris per occultam confessionem mala a se absconse commissa coram*, etc.

Si se, etc. In prædictis. *Si veraciter pœnituerint et se*, etc.

Cap. 410. Non reperitur, sed habetur quiddam simile in conc. Claromont. sub Urbano II, cap. 25, his verbis: *Ne filii presbyterorum, diaconorum, vel subdiaconorum, canonicorum ad ordines vel alios ordines ecclesiasticos promoveantur, nisi monachus vel regularis canonicus fuerit.* Et in additis ad hoc concilium sic habet alius canon.: *Nec filios presbyterorum aut aliter etiam ex concubinis susceptos liberos ad presbyteratus gradum provehi liceret, nisi aliquo in monasterio religionem professi essent.* Sic et in Pictavensi, l. c. 9, et refertur cap. 1, De ætate et qualitate, etc.

Cap. 421. Omnino aliter in orig. Græco ad Latinum collato sic habetur. *Semel autem secundum hoc factos diaconos aut presbyteros, nullomodo derelinquere sacerdotium. Quod non solum in diacono et presbytero sancimus, sed etiam si subdiaconus aut forte lector fiat aliquis hunc relinquere pristinum schema (σχῆμα) et ad alteram migrare vitam, scientem quia si tale aliquid egerit secundum quod a nobis jam sancitum est aut in curiam cum substantia aut sub inopia degens ad officialem deponetur fortunam.*

Cap. 428. *Ante unius anni.* De unius anni probatione in monachis videnda est insignis nota Maynardi ad caput 65 Regulæ S. Benedicti, pag. 958 Concordiæ regularum, ubi et hujus capitis mentionem facit.

Cap. 429. Hoc caput paululum differt ab orig.; est tamen fusius in Ivone.

AD PARTEM VII.

Cap. 1. *Et neque communicare*, etc. In ultimis conciliorum editionibus sic habet: *Nec ecclesiasticis vero nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti.* Quod a textu Græco paululum differt. Μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικῆς παρενοχλεῖ πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν καταλιμπάνοντας τὰ ἴδια μοναστήρια, etc.

Cap. 5. *Liber psal.* etc. In orig. et apud Gratianum habetur: *Nunquam de manu et oculis recedat liber, discatur Psalterium ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus sit.* In Victor. *pro vigilet* habetur, *vigil et sensus.*

Cap. 33. Capitis illius sensus habetur in orig. licet paulo aliis verbis.

Mundiburdis. Vox est Germanica quæ tutores et curatores significat.

Cap. 57. *Et incest.* Hæc postrema verba quæ etiam sunt in Victor. non habentur in conc., nec apud Gratianum.

Cap. 62. *Tenere cast.* Alia lectio sic habet: *Teneant castitatem, et nulla vidua ad nuptias iterandas vi venire cogatur.*

Cap. 65. Hoc caput habetur mancum et mutilatum in Conciliis et divisum a Gratiano in duo. Unde conjici potest eum, qui hæc rescripta Nicolai I collegit ex Gratiano, et Conciliis inseruit, non vidisse Ivonem, ex quo locus ille integer restituendus videtur.

Cap. 68. Paulo fusius hic habetur quam in originali.

Cap. 85. Hoc caput paululum differt ab orig. ubi habetur, *secundum Regulam S. Benedicti.* In orig. et in ms. Vict. sicut et apud Gratianum habetur tantum *secundum Regulam.* Credo quia Regula S. Bened. quæ tunc temporis erat præcipua, κατ' ἐξοχὴν Regula dicebatur.

Cap. 93. *Ab episcopo custod.* In Africano et Carthaginensi ita legitur: *Episcopi providentia vel presbyteri, ubi episcopus absens est, in monasterio virginum vel gravioribus feminis*, etc.

Cap. 101. In orig. et Grat., sic habetur: *Mulier quamvis docta et sancta viros in conventu docere non præsumat.*

Cap. 109. *Vel consensu parentum.* Hæc absunt ab orig.

Cap. 127. In aliquibus differt ab orig.; sed recipiuntur sunt ad marginem adnotata.

Cap. 129. Epistolæ S. Bonifacii martyris habentur impressæ Moguntiæ anno 1605, per Serrarium.

Cap. 139. *Hinc potius ac noneamur ita amitti*, etc. Corruptus est hic locus et sic restituendus: *Hinc pot. adm. ita non amitti corporis sanctitatem manente animi sanctitate etiam corpore oppresso;* amittitur corporis sanctitas violata animi sanctitate etiam corpore intacto.

Intuens enim, etc. Origin. sic habet: *Innuens enim in duorum corporum commistione*, etc.

Cap. 155. Hoc caput multum differt ab hodiernis exemplaribus; est tamen idem sensus.

AD PARTEM VIII.

Cap. 69. *Non licet.* In orig. hæc adduntur: *Qui et spurii appellantur* παρὰ τὴν σποράν, i. *a satione.* Glossa vero ad marginem habet. *vel* παρὰ τὸ σπείρω. ἢ παρὰ τὴν σποράδην. *Plutarch.*

Cap. 73. *Vidualis.* Hæc vox non est in originali-

Introdusă în format electronic de Google

bus S. Augustini excusis, neque etiam in vetustissimo codice S. Germanis a Pratis.

Cap. 85. *Quanto*, etc. Hæc addidimus ex orig. quia sensum magis illustrant.

Cap. 90. Titulus hujus capitis, opinor, negligentia librariorum appositus fuerat ad calcem superioris capitis, quasi ad illud pertineret, sed eum loco suo restituimus.

Cap. 91. Corruptus plane erat hic locus, sed ex originali est restitutus.

Cap. 98. *Feminam sub viro esse.* Nonnihil differt ab originalibus tam mss. quam excusis. Sic autem habet : *Feminam sub patre antequam nubat, et sub viro nuptam noluit lex vovere, ita aliq.* etc. *suam, id est, in aliquarum rerum lat. con. abst. ut in eisdem votis feminea non prævaleat* (ms. S. Germ. *valeat*) *auctoritas. Ita ut* (ms. S. Germ.) *si adhuc innuptæ*, etc. *et sit omnino. Lex* non est in ms., nec in excusis.

Cap. 101. In orig. sensus est integrior.

Cap. 103. *Ipsum corpus.* Orig. sic habet : *Ipsum corpus tuum templum in te est Spiritus sancti.* Sicut ad marginem notatum est. Eodem modo habetur in ms. S. Germani a Pratis.

Cap. 116. *Cum persona.* Ita legitur in orig. : *Cum personam quam*, etc. *fatigat quotidie conterit, quando vult ad judicium educit quando*, etc. *præceperat, quis est qui dicere possit quantis malis introducta submittitur.*

Cap. 152. *Post pœnit.* In utraque versione hujus concilii sic habetur : *Post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt.*

Cap. 153. *Quod dico competentibus.* In orig. habetur : *Quod dico competentibus et fidelibus, audiant pœnitentes. Quod dico fidelibus, dico et competentibus et pœnitentibus.*

Sufficiant vobis uxores. In orig. sequitur *aut nec uxores.*

Cap. 162. *Secund. eccles. reg.* In Græco est κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κάνονα. Canon autem ille ecclesiasticus est ex conc. Neocæsariensi memorato supra ab Ivone, c. 160; videndus hic Binius ad hunc canonem conc. Laodiceni.

Cap. 170. *Rapiunt.* Sequitur in orig. *vel consensu parentum acciniunt.*

Pœnitentia. In orig. additur, *et sponso legaliter multa componat* et ad marginem habetur, *forte multam.*

Propulsatus. Additur : *et canonice nequiverit approbari secundum sanctorum Patrum statuta, se purgare coguatur.*

Cap. 178. Apud Grat. 27, q. 2, et 33, q. 1, cap. *Quod autem interrogasti* citatur ex Gregorio Juniore; sic etiam Capitul. l. VI, c. 55.

Cap. 181. Hoc caput non reperitur in Tribur. nisi quod idem fere est sensus, non tamen omnino similis. Differt etiam multum apud Gratianum.

Cap. 203. Ad calcem hujus cap. hæc videntur addenda ex orig.: *Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.* Ex altera versione *non edere eum*, etc.

Cap. 213. Non sunt eadem verba in Tribur. est tamen fere idem sensus.

Cap. 228. *Quæ est apost. præcip.* Hæc addita sunt ad illustrationem hujus loci.

Cap. 232. *Comparem s.* In orig. habetur : *comp. s. et bos requirit et equus*, etc. et supra loco *alius* habetur *frequenter*, pro *defecerit* est *defuerit.* Et sic in duobus mss. S. Germani.

Cap. 255. *Ita manente in se vinculo.* In orig. additur : *Fœderis conjugalis uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi*, etc.

Cap. 261. Hoc caput omnino depravatum erat; unde ad marginem in præcedenti editione Molinæus apposuerat *locus obscurus*, nempe quia hoc tempore nondum erant excusa Hincmari opera. Ipsum autem ex editis recens exemplaribus restituimus.

Cap. 286. *Uxores duxerint.* Hæc duo verba non sunt in origin.

Cap. 295. *Expetendo honorem.* Neque hæc duo habentur in orig.

Cap. 301. Non habetur hoc caput loco citato, sed simile quid in eodem concil., c. 7.

Cap. 303. *Et peccatum non est*, etc. Corruptus est hic locus, et sic restituendus ex orig. et Gratiano : *Et quod peccatum non est solvi inter peccata credi omnino non debet.*

Cap. 315. *Connubio.* In conc. habetur *convivio*, quod videtur aptius. Sic enim Græcum exemplare : Εἰς γάμους δεραμυνάτων μὴ ἐστιᾶσθαι, *ad nuptias bigamorum non convivari* : vel, *in nuptiis ejus qui duas uxores ducit non convivari*, vel, *convivio secundarum nuptiarum non interesse*, vel, *in nuptiis bigami non prandere*, ut habent tres versiones.

AD PARTEM IX.

Cap. 1. *Cum his*, etc. In orig. sic habetur : *Cum his pater incertus sit.*

Cap. 8. Hoc caput variat apud Baronium qui tom. II Annal., ad an. 998, num. 1, ita illud refert : *Pater tuus*, etc. *ab antec. nostro Gregorio V, cum episc. qui placito interfuerunt reprehensi sunt, ut postea ad sedem*, etc. Alicubi autem in quodam ms. habetur *excommunicati*, ut in margine adnotavimus, in qua sic legendum, *alias sensus non est integer.*

Cap. 16. *Et matris.* Hæc addidimus ex orig. quia necessaria sunt ad sensum.

Cap. 46. Ante hoc caput habetur illud in ms. S. Victoris Paris.: *Ex epistola Gregorii pap. episcopis Galliæ missa. Progeniem suam unumquemque ad septimam decernimus observare generationem, et quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus.*

Cap. 69. *Nec ipsi*, etc. In orig. habetur : *Nec illa adultera soror, nec ille vir qui cum illa adulteravit alios unquam accipiant.*

Cap. 113. Desumptum est hoc caput ex Palladio Historia Lausiacæ. c. 68, sed paulo expressius; sic enim habet : *Videte ne quis, qui noctu phantasiam habuit mulieris, audeat accedere ad sancta sacramenta. Ne quis ex vobis visis et phantasiis pulsus somniet; nam qui absque phantasiis fiunt fluxus seminis, casu fiunt, nec ex uniuscujusque libero animi arbitrio insunt, sed absque voluntate. Procedunt enim ex natura, et ex redundanti materia excernuntur. Quocirca nec sunt peccato obnoxii; visa autem ac phantasiæ procedunt ex libera eligendi voluntate et sunt argumentum mali animi.* Hinc apparet caput hoc intelligendum esse de pollutionibus nocturnis, quæ ex præcedentibus turpibus cogitationibus accidunt, si culpa nostra non ex infirmitate contingant, ut clarius patet ex testimonio D. Gregorii apud Ivonem nostrum, part. II, cap. 52, ubi hanc quæstionem mirabiliter elucidat. De hoc etiam vide Cassianum collat. 22, cap. 4, 5 et 6; et D. Thomam, III part., q. 80, art. 7.

Cap. 120. Hoc caput diversum est in textu D. Augustini.

AD PARTEM X.

Cap. 25. *Perfect. consequi.* In Græco habetur τοῦ τελείου μετάσχειν, quo verbo sæpius utitur hic concilium pro communione ad quam scilicet pœnitentes, post peractam pœnitentiam, admittebantur, ut se cum cæteris fidelibus ad perfectam gratiam plenamque communionem admissos esse intelligerent. Ita Binius ad hoc concilium ex Baronio. De hac re videndus canon 18 conc. Nannetensis sub Formoso.

Cap. 31. *Treva Dei.* Ad marginem hujus capitis in præcedenti editione habebatur : *Treva Dei videtur proprium nomen esse alicujus loci.* Sed non recte, ut in lectione conciliorum paulisper versatis constat; unde hoc ex peritorum judicio expunximus. Erat autem treva vel trevia vel treuga Dei induciæ quædam ab Ecclesia institutæ, quibus ab omni lite, hostilitate et vexatione quacunque abstinere oportebat. De hac multa dici poterant, sed impediunt pro-

Introdusă în format electronic de Google

perantes typographi. Omnium instar erit insignis nota quæ habetur in appendice ad conc. Claromontanum sub Urbano II, in fine tomi XXVI Conciliorum editionis ultimæ Parisiensis, ex typographia regia, anno 1644, ad quam lectorem remittimus.

A

AD PARTEM XII.

Cap. 77. *Unusquisque enim prop.* In origin. ita habetur : *Unusquisque enim sicut ante altare stans Dei timorem habet præ oculis, et propriam conscientiam mundam servat Deo, quod in memoria retinet, nullatenus habet intermittere, quoniam os quod ment.*, etc.

Cap. 85. *Jusserunt.* Post hæc additur in origin.: *Omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse censuerunt, et non solum*, etc.

AD PARTEM XIII.

Cap. 10. *Juxta formam divinitus datam.* Hæc non habentur apud Ivonem, sed restituta sunt ex orig. et Gratiano ob sensum.

Cap. 50. Hoc caput habetur in secunda regula Patrum codicis ms. Floriacensis, cujus initium est : *Cum in nomine Domini cum fratribus nostris convenissemus*, ut recte notat Maynardus.

B

Cap. 62. *A sacerdotibus*, etc. Hæc usque ad *noluerint* addita sunt ex orig. ad pleniorem sensum.

Cap. 77. In Regula S. Fructuosi, c. 17, in fine sic habetur de monachis loquens : *Ebriosus quis si repertus in cœnobio fuerit, superiori sententiæ subjacebit, sive is qui citra permissum abbatis sive præpositi alicubi litteras destinaverit, vel ab alio destinatas acceperit*, ut notat Maynardus ad caput 50 Concord. reg., § 13.

AD PARTEM XIV

Cap. 3. . naicis. Origin. habet *judicii.*

Ante rectitud. operis. In origin. habetur, *ante rectitudinis operationem.*

Cap. 4. *Interno.* In orig. inseritur per parenthesim, *quia maledicto debeant feriri.*

Cap. 5. *Aliter enim*, etc. Orig. sic legit : *Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe justitiæ judicio*, etc.

C

Cap. 34. *Mandatum ei dirigere.* Mandatum hoc loco idem est ac nuntium, significatio, legatio. Et sic hoc declarat aliquid per internuntium significare. Melius Gallice, *lui mander quelque chose*, plura Maynardus in notis ad hoc caput.

Cap. 75. Ex hoc et sequenti cap. compendiose collecta fuit forma publicandi anathematis, id est, excommunicationis solemnis pro gravioribus culpis, quæ habetur parte tertia Romani Pontificalis, cap. *De ordine excommunicandi et absolvendi.*

Cap. 88. *Matrim.* In orig. additur, *et dicit hoc non esse peccatum*

Cap. 95. *Nisi ea*, etc. Hæc non habentur apud Isidorum, sed a Burchardo et Ivone, unde sint addita, non liquet.

Cap. 107. Hoc caput paululum differt ab originali.

Cap. 110. Hoc caput apud Burchardum citatur etiam *ex dictis Basilii*, verum *ex S. Isidoro* apud Grat., 11, q. 3, c. *Qui consentit.* Sed in neutro habetur, verum in Regula Orientalium, et in Regula S. Pachomii, ut recte notavit antiquitatis studiosissimus indagator Maynardus in Concord. regul., c. 74. Ex quo hujus capitis citationem restituimus.

Cap. 124. *Cur canones interd. eis.* In orig. brevius, *cur non eis qui*, etc. Et sic in Moguntino et Wormatiensi legitur.

AD PARTEM XV.

Cap. 19. *Prius eum tond.* In origin. desunt hæc : *Aut in cinere et cilicio habitum mutare faciat, nisi prius aut.* Desunt etiam ista : *Aut relata fuerit aut Sæpius enim laicis.* Post hæc non habetur *cum feminis.*

Cap. 22. In origin. magna est differentia in verbis.

Cap. 29. *Et in per*, etc. Hæc corrupta sunt. Melius originale *in periculi urgentis instantia.*

Cap. 36. *Ne obl.*, etc. In Moguntino ita legitur : *Ne obl. excommunicatione alieni ex consortio bonorum fiant.*

Unct. olei. In Moguntino habetur : *Unct. Dei.* Cætera sunt similia.

Cap. 57. In fine, *innotuit.* In origin. et apud Gratianum sic habetur : *Innotuit, videlicet quod in canone Ancyritano, cap. 19, legitur : Post lapsum corporalem restaurandum honoris gradum post pœnitentiam ; alibi vero legitur : Post hujusmodi*, etc. Vide supra ad c. 397 et 398, part. VI.

Cap. 141. Hoc caput paululum variat in orig.

AD PARTEM XVI.

Cap. 8. *Criminibus.* Nonnihil variat originale, quod sic habet : *Criminibus erga ecclesiastica justa et rationabilia judicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus monitis ecclesiasticis ac sanctorum Patrum constitutionibus contradictor vel subsannator comprobatus fuerit, si monitis episcopalibus obtemp.*, etc.

Cap. 23. *Auctoritatem ecclesiasticam.* In orig. additur *ac jus civile.*

Partis decimæ septimæ plurima capita cum originalibus contulimus, sed per angustias temporis non licuit varietatem, quæ non maxima tamen est, adnotare, unde urgentibus nimium typographis finem hic imponere coacti sumus.

Introdusă în format electronic de Google

PANORMIA SEU DECRETUM[134]

D. IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI,

Restitutum, correctum et emendatum opera et diligentia Melchioris a Vosmediano, artium et sacræ theologiæ doctoris,

Cum indice locupletissimo nunc recens ab eodem D. doctore Vosmediano summa cum diligentia composito.

(Lovanii, ex officina Antonii Mariæ Bergagne, bibliopolæ jurati, anno 1557, in-12, cum gratia et privilegio regis ad sex annos.)

EPISTOLA DEDICATORIA

Philippo maximo Hispaniarum, Angliæ, Franciæ et Neapolis, etc., regi Catholico, ac fidei defensori, Melchior a Vosmediano, artium et sacræ theologiæ doctor, ejusdem regiæ majestatis a sacris ac xenodochii regiæ curiæ præfectus.

Majores nostri, Philippe maxime rex Catholice, summa diligentia contendere nitebantur, ut probatissimos quosque auctores undecunque conquirerent et conquisitos, nulli parcentes pecuniæ, conscribi curarent, et ingenti studio conscriptos conservarent : unde factum est ut fervens illud litterarum studium in dies apud eos magis succresceret et præstantium hominum ingenia ad eorum lectionem excitarent. Quare nos illis multum debemus qui hanc curam publicam suscepere, ut eorum laboribus adjuti, studia nostra magis quotidie promoverentur. Quod mihi certe contigit, cum in concilio œcumenico Tridentino (cui ad sex fere integros annos interfui) in *Panormiam* seu *Decretum* doctissimi Ivonis Carnotensis incidi. Nec tamen desideratum potui habere, cum tamen non exiguo labore illud in concilio, et apud Venetos bibliopolas, et alibi conquisitum non posse invenire, et ingenti hujus libri desiderio tenerer, apud Anglos Londini in regia tuæ majestatis curia agens, illum quærere per bibliothecas, cum publicas tum privatas minime destiti ; sed quem quæsitum invenire non potui, casu reperi, nec unum exemplar, sed duo : alterum a sexaginta fere annis impressum, alterum vero in pergamena charta vetustissimis characteribus manuscriptum. Quæ mihi tam grata fuere ut Anglicæ peregrinationis immemor, inventus liber laborem alioqui non exiguum longe superasse videretur. Et ne tantus labor periret, et tempus (quod pretiosissimum est) per manus dilaberetur, accingor, lego et perlego, et multa cum diligentia percurro librum (imo exemplaria illa duo) quæ cum referta pulchra doctrina, sanctis legibus, sanctissimisque Patrum institutis invenirem et locupletissimo indice (quo carebat) a me composito ornarem, et emendarem per omnia librum pretiosissimum ac reipublicæ Christianæ longe utilem et necessarium in lucem emitterem, ne tantus thesaurus maneret absconditus, et lucerna sub modio nulli profutura lateret hac in re nullis peperci laboribus, nullis vigiliis, ut liber hic infinitis fere mendis quibus scatebat, expurgatus, non jam aliena veste (ut erat) sed propria potius eniteret, et omnium manibus versaretur, qui ad omnium utilitatem ingenti studio, maxima diligentia, ac miro ingenio a doctissimo Ivone conscriptus fuerat. Cum igitur vetustissimus sit mos dicare libros principi viro, cui ego istum dicare possem, aut deberem, nisi tibi Philippe, principum maxime et regum optime, qui me in tuam plane regiam familiam nil tale cogitantem evocasti ? Aut cui potissimum librum qui de justitia et jure totus agit, dicari merito debuisset, quam tibi regum potentissime, qui innumeris regnis præes, et jus tot nationibus tamque variis dicas ? Cum demum justitiæ munus sit, id distribuere (ut Aristoteles ait) quod est secundum cujusque dignitatem, patrias consuetudines tueri et instituta, servare scriptas leges et veracem esse in controversiis, et stare conventionibus, cui potissimum Panormia hæc de legibus cum verissimis, tum sanctissimis æque conveniret quam tibi? ut ex ea in promptu habeas, quæ decreta, quæ Patrum sanctiones, quæ statuta majorum prodesse reipublicæ possint, quæ leges sint, ad quarum normam, qui sub tuo degunt imperio (quod Dei munere toto terrarum orbe amplissimum est) se componere debeant. Aut cui pulcherrimum hunc sanctissimarum legum, Romanæ Ecclesiæ et sancti auctoris librum dicarem, imo auctor ipse (si in vivis ageret) dicaret, quam tibi, rex catholicæ fidei defensor, qui relictis amplissimis tuis præter alia multa utriusque Siciliæ et Indiarum provinciis (quæ innumeræ sunt) ad divisos toto orbe Britannos te contulisti, ut ibi una cum heroe incomparabilis virtutis serenissima Maria conjuge tua, fidem propagares, et eam si non mortuam, certe pene exstinctam reviviscere, imo de morte ad vitam veluti excitares ; quod veri Christiani principis munus, ea animi moderatione, ea patientia et mansuetudine, ea dexteritate et prudentia fecisti, ut intra paucissimos dies, Christiana fides, a Britannis jam exsul, revocaretur, schisma longe maximum aboleretur, et nomen pontificis summi in terris Christi Dei optimi maximi (fremant licet hæretici) vicem gerentis, quod audire apud eos nefas erat, et audiretur, et in honore (ut par erat) haberetur, et templa

(134) Panormiam a Decreto non distinguit. Vide Dissertationem in Decretum Ivonis, supra col. XLIX. Edit.

Introdusă în format electronic de Google

quæ quondam plena populo erant, et tunc tanquam deserta habebantur, frequenti populo non multo post dies, et innumeris missarum sacrificiis ornata, tua cura et sollicitudine, multa cum gratiarum ad Deum actione vidimus, non sine multorum nefandorum hominum gemitu, cum nonnullorum tamen congratulatione: reliquerat enim ibi Dominus septem millia virorum, qui non curvaverant genua sua ante Baal; audierat etiam clamantem sub altari sanguinem beati martyris Joannis Fischerii Roffensis episcopi, incomparabilis sanctimoniæ, et insigni litteratura viri, et Thomæ Mori Angliæ cancellarii longe meritissimi, et monachorum Carthusiensium, et aliorum qui pro tuenda Catholicæ fidei veritate, mortis constantissime subiere tormentum, ut æterna apud Deum vita fruerentur; suscitaverat enim Dominus te, rex optime, idemque maxime principem super has Britanni populi oves, ut eas pasceres, ut quod infirmum est consolidares, quod ægrum sanares, quod confractum alligares, quod abjectum reduceres, denique ut quod perierat quæreres, quæ omnia zelo domus Dei et Christianæ fidei (qua ferves) succensus, ita præstitisti, ut nedum regem optimum ageres, verum etiam animarum pastorem et apostolum fuisse videaris. Nam ita regni habenas moderaris, ut solum rex esse videaris, et ita plantandæ propagandæque fidei et religioni Christianæ ac exstirpando schismati perniciosissimo incubuisti, ut et apostolus et animarum pastor censearis et ita utrique muneri obeundo adstitisti, ut neutri deesse videaris. Nec hæc narro, ut tuas decantem laudes, quas etiam modestissimus non libenter audis, sed ut res gestas quas vidimus ad Dei optimi maximi gloriam referamus. Tu igitur, regum optime, opus hoc sub tuam clientelam suscipito, nec quale sit munus offerentis respicias, sed qua sit tibi mente oblatum. Vale, Philippe maxime, rex Catholicæ fidei defensor atque propagator, et Deus te nobis servet incolumem, vincas, valeas, et multis annis imperes.

Bruxellæ, 15 Martii 1557.

D. MELCHIOR A VOSMEDIANO

CHRISTIANO LECTORI.

Non ejus sum mentis, Christiane ac candide Lector, ut putem plus deberi his qui inventis addunt, quam ipsis inventoribus; quamvis sciam multum utrisque deberi, istis quia invenerunt, illis vero quia inventa ne perirent, servarunt. Qua in re prospexi ipse Ivoni nostro sancto Carnotensi episcopo, juris consultissimo, qui cum anno a Christo Deo nostro nato, millesimo nonagesimo floruisset, et ante sexaginta fere annos, prelo excussus in lucem prodiisset, tam mutilus, tam lacer, tam mancus erat, ut jam non Ivonis, sed alterius potius Panormiam, *seu* Decretum *judicares; quæ certe res tam meum commovit animum, ut cum eum ita affectum Londini reperissem, quem diu ante anxie quæsivissem, hominis bene de civili et ecclesiastica republica meriti, conditionem miseratus, eum perpurgare, et a mendis vindicare, atque a tenebris in lucem revocare statuerim. Sed cum rem aggrederer, quod in frontispicio facile esse videbatur difficillimum postea apparuit. Inveni enim tam multa depravata loca, tam corrupta, tam male citata (imo non citata) ut vix sperarem posse me tantum superare laborem. Sed cum labor improbus omnia vincat, Deo auspice, rem sum aggressus, cujus ejus auxilio innumera menda, quibus abundabat exemplar sustuli. Multa præterea ab Ivone nostro, ex conciliis tum generalibus tum provincialibus, multa ex Patribus, multa ex summorum pontificum decretis, non tamen indicatis fontibus unde hausta erant, adducebantur, quæ meo Marte omnia restituta invenies. Desiderabantur ex conciliis quinquaginta et eo plures citationes: ex sacris doctoribus centum triginta; ex pontificum sanctionibus totidem propemodum desiderabantur; quas omnes non sine magnis et vigiliis et laboribus indicatis in margine auctoribus, libris et capitibus, ad suos fontes retuli. Ad hæc centum summaria, quæ desiderabantur, adjeci; et capitum distinctiones toto opere apposui: præter alia multa quæ ipse restitui et emendavi. Denique pro Ivone sene, muto, lacero, manco et sordido, juvenem, loquentem, ornatum, suis omnibus membris integrum et elegantem, tibi, Christiane lector, reddimus; ut eum agnoscere, alloqui et jucundissima ejus consuetudine frui cum voluptate et fructu possis. Et ne quid ad suave facileque cum eo colloquium deesset, in singulos libros alphabeticum materiarum et titulorum, eadem alphabeti serie contexui. Adjeci præterea tertium, longe locupletius, quo præcipua rerum capita, et illustriores per totum opus sparsæ sententiæ, ea dexteritate et diligentia indicantur, ut facile, studiose lector, ex eo uno possis, non jam Ivonis umbram ut ante, sed eum ipsum Ivonem vivum intueri, reconditam hominis eruditionem intelligere, et divini illius ingenii ornamenta, summa cum utilitate et admiratione possis. Tandem duas epistolas nunquam antea in lucem editas, ejusdem auctoris addidi ut integer Ivo prodiret. Qui etsi post Isidorum qui Patrum decreta primus in magnum unum volumen redegit, et post Burchardum episcopum Wormatiensem, qui eamdem rem tentavit septuaginta ante Ivonem nostrum annis tam feliciter tamque acute in eodem est versatus argumenti genere, ut ante Gratiani tempora hoc Ivonis decreto uterentur jurisconsulti, sicut nunc Gratiani et merito cum perspicacissimo sit ingenio, doctrina gravissimus et locupletissimus, et facundia non vulgari. Ex eo namque habes quomodo juste, sancte, integre, decenter, et ex æquo omnibus præsideas, quomodo insidias arceas, discordiasque tollas, contumeliam prohibeas, crimina punias, et peccata debita severitate compescas, et quæ denique pro meritorum diversitate, et bonis præmia, et malis justa supplicia inferas. Habes igitur, Christiane lector, Ivonem nostrum cum theologis juris peritissimum, et cum jure consultis theologum gravissimum, et variæ lectionis virum, non mutilum, non mancum, non mendis redundantem, non corruptum ut antea; sed perfectum, integrum, verum et emendatum, nec nudum ut antea, sed multis jam indicibus et annotatiunculis, tanquam vestibus ornatum: eo igitur, piissime et Christiane lector, fruere, et si quid inveneris, quod minus arrideat, mihi adscribito (homo enim cum sim, nihil a me humani alienum puto); si quid vero quod placeat, Deo gratias agito, et eumdem pro me orato. Vale.*

Bruxellæ, 15 Martii 1557.

Introdusă în format electronic de Google

Hanc, Christiane Lector, Epistolam D. Ivonis de his qui uxores adulteras dimittere cupientes aliis adhærere volebant, inveni in meo exemplari vetustissimo manuscripto, et quia nunquam fuerat impressa, ne te ea fraudarem, typis eam excudi curavi atque Panormiæ adjicere.

Vale et Deum pro me ora.

—

Umberto [*leg.* Daimberto], Dei gratia Senonensium archiepiscopo, Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum humili devotione servitium

De Hierosolymitanis, etc.

(*Exstat nunc hæc epistola inter Ivonianas ordine centesima vicesima quinta. Vide tomum sequentem, col.* 136.)

—

MELCHIOR A VOSMEDIANO PIO LECTORI.

Curaveram, Christiane Lector, ut epistolas duas D. Ivonis juris utriusque peritissimi, quas in meo exemplari vetustissimo inveneram, in lucem emitterem, sed unam, ad Umbertum, (difficile tamen) potui legere, potui etiam transcribere. Altera vero ad Ulricum, non tam corrosis, quam deletis pene characteribus nec ad lucem solis, nec in medio sole, neque luce intensa, nec ea remissa, multis in locis ullo modo valui legere, ita ut tam penitus desperassem posse me eam in lucem edere. Sed cum vexatio det intellectum in id (divina adjutrice gratia) incidi experimentum, ut quod legi nullo modo poterat, facile legi possit, facile etiam transcribi, quod feci, ut tu eu fruaris, et me tuis orationibus apud Deum optimum maximum juves.

Vale. Bruxellæ.

—

Ivo, Dei gratia Carnotensis minister dilecto sibi in Christo fratri Ulrico salutem.
In litteris tuis continetur, etc.

(*Vide inter Ivonis epistolas sequentis tomi, col.* 160.)

INCIPIT PROLOGUS PANORMIÆ

IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI

De multimoda distinctione Scripturarum sub una castorum eloquiorum contentarum.

(Capitulis 42 constat hic prologus, quorum 1-34 prologum *Decreto* præmissum ad verbum repræsentant. Rubricarum seriem cum uniuscujusque capituli initio damus. Capitula 35-42, quæ nonnisi ad *Panormiam* spectant, integra exhibentur. Edit. Patr.)

—

Cap. I. Exceptiones ecclesiasticarum regularum, etc.

Cap. II. *De intentione divinæ paginæ.*

Habet enim omnis ecclesiastica disciplina, etc.

Cap. III. *Quod omnis boni magistra sit charitas.*

Quicunque ergo ecclesiasticus, etc.

Cap. IV. Item, hæc attendens, diligens lector intelliget, etc.

Cap. V. *De admonitione*

Et prima quidem admonitio, etc.

Cap. VI. *De indulgentia.*

Indulgentia vero, quantum nobis videtur, etc.

Cap. VII. *De præceptionibus et prohibitionibus.*

Præceptiones itaque et prohibitiones, etc.

Cap. VIII. Clericus post actam de crimine damnabili pœnitentiam, etc

Cap. IX. Tale est illud in Evangelio, etc.

Cap. X. *De dispensatione*

Multa quoque principes Ecclesiarum, etc.

Cap. XI. *Neophyti prohibentur a sacerdotio.*

Sicut sanctæ Ecclesiæ Romanæ, etc.

Cap. XII. *Quæ constitutiones valeant temperari, et quæ non.*

Idem et prælaxatus Leo papa, etc.

Cap. XIII. *Non semper in eos qui peccant, vindicta est exercenda* (Aug. ad Bonif.).

Si, inquiunt, oportet ut nos extra Ecclesiam et adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, etc.

Cap. XIV. *Leviter occulta, severius autem punienda sunt ab Ecclesia delicta manifesta* (Aug. *contra epist. Parmen.*, lib. III, cap. 2).

Quando cujusquam crimen notum est, etc.

Cap. XV. *Quod a multitudine peccatur vel ab eo qui multitudinem habet sociam ab Ecclesia non punitur, sed differtur* (*ibid.*).

Neque enim potest esse salubris a multis correctio, etc.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XVI. *Ob populum multum crimen permanet inultum* (ibid.).

Revera cum contagio peccandi multitudinem invaserit, etc.

CAP. XVII. *De eodem.*

Turba autem iniquorum, etc.

CAP. XVIII. *Per manus impositionem confirmentur qui ab hæreticis baptisma accipiunt* (LEO I papa, ep. 77, ad Nicetam, c. 7).

Soleo audire in potestate esse judicis, etc.

CAP. XIX. *Quæ pro necessitate conceduntur, eadem cessante cessabunt* (INNOC. I papa, ep. 22, c. 5).

Sacerdotum summa deliberatio hæc fuit, etc.

Sed hoc canones apud Nicænam constituti de Novatianis fieri permiserunt. Prius ille canon a Patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere, vel quid, vel qualiter ab eisdem sensum sit vel præceptum.

CAP. XX. « De his, inquit, qui nominant seipsos Catharos, id est mundos, et aliquando veniunt ad Catholicam Ecclesiam, placuit sanctæ et magno synodo, ut accepta manus impositione sic maneant in clero. »

CAP. XXI. Simili dispensatione beatus Gregorius papa a Nestoriana hæresi revertentes in suis gradibus recipi jubet, ita scribens ad episcopos in Hibernia Catholicæ Ecclesiæ.

CAP. XXII. « Igitur ad veritatem Nativitatis Christi, » etc.

CAP. XXIII. *Ex dispensatione quædam tolerantur, quæ canonum rigor condemnat* (CYRILL., ep. ad Maxim. diac. Antioch.).

Habemus simile quid in epistola Cyrilli, etc.

CAP. XXIV. *De eodem* (ead. epist.).

Ut autem non existimemur amare contentionem, etc.

CAP. XXV. *De eodem* (CYRILL., ep. ad Januar. et Armich. presb.).

Dispensationes rerum, etc.

CAP. XXVI (*ibid.*). Et hæc scribo cognoscens quod pietas tua, etc.

CAP. XXVII (*ibid.*). Igitur ne refugiat pietas tua, etc.

CAP. XXVIII. Eadem discretionis moderatione Romani usi sunt pontifices, etc.

CAP. XXIX. Quidam quoque Romani pontifices, etc.

CAP. XXX. Sed ad reprimendam quorumdam presbyterorum, etc.

CAP. XXXI. Quia vero episcoporum plurimi, etc.

CAP. XXXII. *Lapsi post ordinem, habita condigna pœnitentia, sunt restituendi* (CYRILL. ep. ad Joan. Antioch.).

Plurimos etiam episcopos, etc.

CAP. XXXIII. Quæcunque imperator, etc.

CAP. XXXIV. Possemus de hujusmodi plurimas rationes, etc.

CAP. XXXV. Prima pars hujus libri continet de fide et de hæresibus diversis, de sacramento fidei et baptismate, et ministerio baptizandorum et consecrandorum et consignandorum, et consignatorum, et de observatione singulorum, et quid conferat baptismus; quid confirmatio; de sacramento corporis et sanguinis Christi, de missa et sanctitate aliorum sacramentorum.

CAP. XXXVI. Secunda pars continet de constitutione Ecclesiæ et oblationibus fidelium, de dedicatione et consecratione ecclesiarum et altarium, de sepultura et presbyteris, et de eorum ecclesiis, de decimis, de legitima possessione, et de confugientibus ad ecclesiam, de sacrilegio, de libertorum tutela, de alienatione et communicatione rerum ecclesiarum, de scripturis et authenticis conciliis, de consuetudinibus, de jejunio et eleemosyna

CAP. XXXVII. Tertia pars continet de electione et consecratione papæ, archiepiscoporum, de ordinibus, de clericis, et de laicis ordinandis et non ordinandis, de mutatione episcoporum, de ordinatis non reordinandis, de continentia ordinatorum, de simoniace ordinatis et ordinatoribus, qui omnino sunt deponendi, et qui misericorditer reconciliandi, de professione hæreticorum, de lapsis in sacris ordinibus, qui non debeant ministrare et qui misericorditer ad ministrandum possint accedere, de clericis homicidis qui non debent ministrare, de usuariis, de servis per ignorantiam ordinatis, qui debeant manere in ordinatione, qui non. De clericis ebriosis, scurrilatoribus, de monachis, de ætate qua possint parentes contradicere religioni filiorum, et qua non possint, de viduis, et virginibus velatis, de abbatissis.

CAP. XXXVIII. Quarta pars continet de primatu et dignitate Romanæ Ecclesiæ, de conciliis convocandis, de provincia quoque quomodo sit constituenda, de potestate primatum et metropolitanorum episcoporum, de negotiis et causis clericorum ubi debeant tractari, de spoliatis revestiendis, de accusatione, et quo ordine, et a quibus personis, et adversus quas personas debeat vel non debeat fieri, de testibus qui, et quomodo et quot, et in quo negotio testificari debeant vel non, de induciis, quo tempore et quanto tempore dandæ, de subterfugientibus, quanto tempore et qua ratione exspectari debeant. De judicibus quales debeant esse, et quando sententiam judicii debeant proferre, de appellatione, quo tempore et qua ratione debeat fieri, et de pœna male appellantium.

CAP. XXXIX. Quinta pars continet de clericis sola infamia sine testibus accusatis, quota manu se debeat purgare, de causis et negotiis laicorum, de vocatione excommunicandorum, de licita et illicita excommunicatione, de absolutione, de illis qui excommunicatis infidelitate aut sacramento astricti sunt, qui possunt sine perjurio absolvi ab illo sacramento, de hæreticis post mortem excommunicandis, quod sit communicandum non ex nomine excommunicatis.

CAP. XL. Sexta pars continet de nuptiis, quo scilicet tempore et inter quas personas, et qua de

Introdusă în format electronic de Google

causa debeant fieri, de tribus quæ perfectum reddunt conjugium, de perfecto et imperfecto conjugio, de concubinis. De conjugibus quorum alter sine altero continentiam vovit, vel religionis habitum sumpsit, de uxoribus quæ viris in captivitatem ductis, aliis nupsere. Quod sit conjugium inter personas ejusdem religionis, vel fidei, hoc est inter gentiles, et inter Judæos, inter personas vero quæ non sunt ejusdem religionis vel fidei, non potest fieri conjugium. Quibus de causis non debeat solvi conjugium. Cujusmodi conjunctio non facit conjugium, de separatione conjugii, non ob causam fornicationis.

Cap. XLI. Septima pars continet de separatione conjugii ob causam fornicationis carnalis. De viro qui cum alterius uxore fornicatur, quia post mortem mariti non potest eam habere uxorem, de interfectoribus conjugum suarum. De fornicatione spirituali quod propter eam licite dimittatur uxor. De reconciliatione conjugum, de sacramentis quod debent viri facere mulieribus, et mulieres viris suis, quando reconciliantur, de subjectione qua debent uxores subjici viris suis. Qua ratione non debet fieri conjugium inter parentes, de eo quod unus vir non potest duas commatres ducere unam post aliam. De eo qui cum filiola sua, aut cum matre sua, aut qui filium suum baptizavit, aut cujus uxor filium suum, aut privignum suum de sacro fonte levavit, aut ad confirmationem tenuit, et ideo voluit separari, in quo ramusculo consanguinitatis possunt conjugia fieri, de accusatione consanguinitatis, et a quibus personis debet fieri; de inquirenda parenteia, et de incestuoso conjugio, dissidio, et de gradibus consanguinitatis recto transverso ordine depositis.

Cap. XLII. Octava pars continet de homicidio spontaneo, et non spontaneo, et quod potest fieri sine peccato; de eo qui quemlibet clericum occiderit, quid debeat emendare. De eo qui percusserit mulierem in utero habentem, et abortierit, utrum homicidium fecerit, necne; de incantationibus et diverso genere magicæ artis; de natura dæmonum: de sortibus, de observatione dierum et mensium: de juramento quod debeat teneri necne, et quos habeat comites: de omni genere mendacii.

INCIPIT PANORMIA IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI.

LIBER PRIMUS

De fide, de diversis hæresibus, de baptismate, et ministerio baptizandorum, et baptizatorum, consecrandorum et signandorum, etc.

Cap. I.

Credimus unum Deum esse Patrem, et Filium et Spiritum sanctum: Patrem eo quod habeat Filium, Filium eo quod habeat Patrem, Spiritum sanctum eo quod sit ex Patre et Filio. Pater ergo principium deitatis, qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nonnunquam Pater, a quo Filius natus, a quo Spiritus sanctus non natus, quia non est Filius, neque ingenitus quia non est Pater, neque factus est Spiritus sanctus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo Patre, et Deo Filio Dei pro Patre æternus, eo quod habeat Filium æternum cujus æternus sit Pater: Filius æternus eo quod Patri et Spiritui sancto coæternus. Spiritus sanctus æternus eo quod sit Patri et Filio coæternus. Non confusa in una persona Trinitas, ut Sabellius dicit; neque separata aut divisa in natura divinitas, ut Arius blasphemat, sed alter in persona Pater, alter in persona Filius, alter in persona Spiritus sanctus. Unus in natura, in sancta Trinitate Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus.

Cap. II. *De incarnatione Christi.*

Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut qu erat in divinitate Patris Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius, neque Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset nativitate Filius. Dei ergo nativitate filius, hominis factus est Filius, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utroque nativitate filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus, verus homo, verus Filius.

Cap. III.

(23, q. 3, c. *Quidam autem.*) Non ergo duos Christos, neque duos Filios, sed Deum et hominem unum Filium, quem propterea, et Unigenitum dicimus, et manentem in duabus naturis, sicut ei naturæ veritas contulit, non confusis naturis neque immistis, sicut Timothiani volunt, sed societate unitis. Deus ergo assumpsit hominem, homo in Deum transivit, non naturæ visibilitate, sicut tertii Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem, nec homo in divinam glorificatus.

Introdusă în format electronic de Google

in Deum, quia mutabilitas vel visibilitas naturæ et diminutionem et abolitionem facit substantiæ. Creditur a nobis sine confusione conjuncta Trinitas, sine separatione distincta. Natus est ergo Dei Filius ex homine et non per hominem, id est non ex viri coitu, sicut Ebion dicit, sed carnem ex virginis corpore trahens, et non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes et Eutiches affirmant, neque in phantasia, id est absque carne sicut Valentinus, neque Aorchi, id est putative imaginatum, sed corpus verum, non tantum carnem ex carne, sicut Marcianus, sed verus Deus, ex divinitate, et verus homo ex carne, unus Filius, et in divinitate Verbum Patris, et Deus in homine anima et caro, anima non absque sensu et ratione, ut Apollinaris. Neque caro absque anima, ut Anomacus, sed animam cum ratione sua, et carnem cum sensibus suis, per quos sensus veros in passione et ante passionem carnis suæ dolores sustinuit.

CAP. IV. *De nativitate Christi, contra Arthemonem et cæteros hæreticos.*

Neque sic natus est ex Virgine ut deitatis initium homo nascendo acceperit, quasi antequam de Virgine nasceretur Deus non fuerit, sicut Arthemon et Berillus et Marcillus docuere, sed æternus Deus homo ex Virgine natus.

CAP. V. *De nativitate Christi, contra hæreticos.*

Nihil creatum aut serviens in Trinitate credendum, ut vult Dionysius, fons Arii; nihil inæquale ut Onomius; nihil gratiæ æquale, ut vult Ethius; nihil anterius posteriusque aut minus, ut ait Arius; nihil extraneum aut officiale alterius, ut Macedonius; nihil persuasione aut subreptione insertum, ut Manichæus; nihil corporeum, ut Melito et Tertullianus; nihil corporaliter effigiatum ut Antropomorfus et Vadianus; nihil sibi invisibile, ut Origenes; nihil creaturis visibile, ut Fortunatus; nihil moribus vel voluntate diversum, ut Marcion; nihil Trinitatis essentia aut creaturarum natura deductum, ut Plato et Tertullianus; nihil officio singulare aut alteri communicabile, ut Origenes; nihil confusum, ut Sabellius, sed totum perfectum, quia ex toto unum, non tamen solitarium, ut præsumunt Silvanus et Praxeas, Pentapolitana damnabilis illa doctrina.

CAP. VI. *Quid sit homousion, contra Nestorium hæreticum.*

Homousion ergo in divinitate Patris Filius, homousion Patri et Filio Spiritus sanctus. Homousion Deo et homini unus Filius manens Deus in homine Deo in gloria Patri, desiderabilis videri ab angelis, sicut Pater et Spiritus sanctus adoratur ab angelis, et omni creatura. Non homo propter Deum vel Christus cum Deo, sicut Nestorius blasphemat, sed homo in Deum et Deus in homine.

CAP. VII. *De fide Trinitatis et unitatis inviolabiliter observanda.*

Divus Augustinus, lib. I *De Trinit.*, c. 4.

(135) Omnes quos legere potui qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum et novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divina insinuent unitatem. Ideoque non sunt tres dii, sed unus Deus. Quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; Spiritusque sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantummodo Patris et Filii Spiritus, et Pater est Filio coæternus, etiam ipse coæqualis et ad Trinitatis pertinens unitatem. Non tamen eamdem Trinitatem natam ex Virgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixam, et sepultam, et tertia die resurrexisse, et in cœlum ascendisse, sed tantummodo Filium; nec eamdem Trinitatem descendisse in specie columbæ super Jesum baptizatum, aut die Pentecostes post ascensionem Domini sonitu facto de cœlo quasi ferretur flatus vehemens, et linguis divisus velut ignis, sed tantummodo Spiritum sanctum; nec eamdem Trinitatem dixisse de cœlo: *Tu es Filius meus*, sive cum baptizatus est a Joanne (*Matth.* III), sive in monte, quando cum illo erant tres discipuli (*Matth.* XVII), aut quando sonuit vox dicens: *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII); sed tantummodo Patris vocem fuisse ad Filium factam. Quamvis Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur (136). Nam quo intellectu homo Deum capit, qui ipsum intellectum suum quo eum vult capere, nondum capitur. Si autem hunc jam capit attendat diligenter nihil in eo esse in sui natura melius et videat utrum ibi videat ulla lineamenta formarum, nitores colorum, speciosam granditatem, partium distantiam, molis distentionem; aliquas per intervalla locorum motiones, vel aliquid ejusmodi. Nihil certe istorum invenimus in eo, quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est in nostro intellectu quo sapientiam capimus, quanto capaces sumus. Quod ergo non invenimus, id est in meliore nostro, non debemus in illo quærere quod longe melius est meliore nostro, ut sic intelligamus Deum si possimus quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu continentem omnia, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui commutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deus ita cogitat, et nondum potest omnino invenire quid sit, pie tamen cavet quantum potest de eo aliquid sentire quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel

(135) De Consecr., dist. 3, c. *Omnes*. Et ostendit quid proprie ad Patrem, quid ad Filium, et quid ad Spiritum sanctum pertinet.

(136) Abhinc quæ sequuntur usque ad finem hujus cap. non habentur in cap. *Omnes qui*, De Consecr., dist. 3.

Introdusă în format electronic de Google

si melius appellatur hoc essentia, quam Græci usiam vocant.

Cap. VIII. *De sacramento baptismatis; de originali peccato et remedio ejus.*

D. Augustinus ad Petrum diaconum, c. 26.

(De Consecr., dist. 4, c. *Firmissime.*) Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur cum originali peccato nasci impietati subditum, morticque subjectum, et ob hoc natura ira filium nasci, de qua dicit Apostolus : *Eramus enim natura filii iræ sicut et cæteri.* A qua ira nullus liberatur, nisi per fidem Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, quia ipse est Agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Cap. IX. *Quod parvuli qui sunt in utero matrum damnantur, et adulti nisi baptizentur.*

Item D. Augustinus ad Petrum, c. 27.

(De Consecr., dist. 4, c. *Firmissime.*) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non introibit in regnum cœlorum* (*Joan.* III), firmissime tene et nullatenus dubites : non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive jam de matribus nati sunt sine sacramento sancti baptismatis quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuere, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione traxere.

Cap. X. *Sicut nunc in baptismate, et ita olim in circumcisione remittebantur peccata.* Vel sic : *Quod ante adventum Christi, fides, sacrificium, circumcisio idem valuit quod modo baptismus.*

D. Gregorius, *Moralium in Job* l. IV, c. 2.

(De Consecr., dist. 4, c. *Quod autem.*) Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ab Abrahæ stirpe prodierant mysterium circumcisionis.

Cap. XI. *Originale peccatum nunc in baptismate, olim in circumcisione remittebatur.*

D. Augustinus, lib. II *De nuptiis et concupiscentia*, c. 11.

(De Consecr., dist. 4, c. *Ex quo.*) Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum fidei justitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat parvulis originalis veterisque peccati, sicut etiam baptismus ex illo valere incœpit, ad innovationem hominis ex quo institutus est.

Cap. XII. *Parvulis in baptismate offerentium prodest fides.* Vel sic : *Quid prosit parvulis baptismus, statim post baptismum mortuis.*

D. Augustinus, lib. III *De libero arbitrio*, c. 23.

(De Consecr., dist. 4, c. *Illud perscrutari.*) Illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid parvulis prosit, cum eo accepto plerumque moriuntur, priusquam ex se quidquam cognoscere potuerint, qua in re satis pie recteque creditur prodesse parvulo eorum fides, a quibus consecrandus offertur, et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisquis sentiat quod sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem, commoda sit.

Cap. XIII. *Solutio canonis præcedentis. Aliorum fide et promissione, parvuli baptizantur.*

D. Isidorus, lib. II *De officiis eccles.*, c. 24.

(De Consecr., dist. 4, c. *Parvuli.*) Parvuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nesciunt, sicut et ægri, muti et surdi quorum vice alius profitetur ut pro eis respondeat dum baptizantur.

Cap. XIV. *Simile de ægrotantibus, non valentibus loqui.* Vel sic : *Aliorum testimonio ægrotantes sunt baptizandi.*

Conc. Carthag. III, c. 34.

(De Consecr., dist. 4, c. *Ægrotantes.*) Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium (sui) dixerint, baptizentur, similiter et de pœnitentibus agendum.

Cap. XV. *Argumentum a contrario sensu canonis præcedentis.* Vel sic : *Quod non baptizantur qui respondere possunt nisi respondeant in baptismo.*

D. Augustinus, lib. V *De baptismo*, c. 24.

(De Consecr., dist. 4, c. *Cum pro parv.*, § *At si pro eo.*) Si pro eo qui respondere potest in baptismo alius respondeat, non itidem valet, ex qua regula, illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet : *Ætatem habet, ipse pro se loquatur* (*Joan.* IX).

Cap. XVI. *Generale baptisma non nisi Sabbato sanctæ Paschæ et Pentecostes celebretur.* Vel sic : *Nemo baptizetur in Natali Domini, Epiphaniæ, seu apostolorum, vel sanctorum festivitatibus, nisi necesse fuerit.*

Leo papa I, epistola 1 ad Imerium Tarraconensem.

(De Consecr., dist. 4, c. *Non ratione.*) Non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur, ut passim et libere Natalitio Christi seu Apparitione, nec non apostolorum seu martyrum festivitatibus innumeræ, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur, cum sibi hoc privilegium apud nos, et apud Ecclesias omnes Dominicum Pascha specialiter cum sancto Pentecoste defendat.

Cap. XVII. *Quod duo tempora sunt baptizandi, scilicet Paschæ et Pentecostes.*

Item, Leo papa episcopis per Siciliam constitutis, epist. 1.

(De Consecr. dist. 4, c. *Duo tempora*; et c. *Non potest eadem dist.*). Evidenter agnoscitis in baptizandis electis qui secundum apostolicam regulam exorcismis scrutandi sunt, jejuniis sanctificandi, et frequentibus prædicationibus imbuendi sunt, duo tantum tempora, Pascha et Pentecosten, esse servanda.

Cap. XVIII. *Qua ratione Christus Dominus noster*

Introdusă în format electronic de Google

voluerit baptizari in festo Epiphaniæ, et quod alia gratia confertur in baptismate Spiritus sancti qua nos renascimur, et in baptismo Joannis.

Item Leo papa episcopis per Siciliam constitutis, epist. 4.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si quis autem.*) Si quis autem Epiphaniæ festivitatem quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc æstimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidem putant quod in eodem Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam fuisse, aliam rationem, nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi sic voluit baptizari quomodo et voluit circumcidi, hostiamque emundationis pro se offerri, ut qui factus erat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret et sub lege (*Gal.* IV), quam non venerat solvere, sed adimplere, et implendo finire, sicut beatus Apostolus prædicat dicens : *Finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X). Baptismi autem sui condidit in se sacramentum, quia in omnibus primatum tenens (*Coloss.* I), se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxere sanguis redemptionis et aqua baptismatis.

CAP. XIX. *Quod omni tempore sit baptizandum, urgente necessitate.*

Leo I, epist. 4.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si quis ex necessitate.*) Porro qui ex necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis et naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari. Hæc ergo vestræ indicimus charitati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu, quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

CAP. XX. *In solemnitate paschali et Pentecostes catechumeni sunt baptizandi.*

Conc. Gerund., cap. 4.

(De Consecr. dist. 4, c. *De catechum.*) De catechumenis baptizandis id decretum est, ut in Paschæ solemnitate vel Pentecostes, cæterisque solemnitatibus infirmi tantum debeant baptizari.

CAP. XXI. *Nisi necessitate cogente, inter Pascha et Pentecosten nullus baptizare præsumat.*

Gelasius clero et plebi Tarent.

(De Consecr. dist. 4, c. *Venerabilis.*) Venerabilis baptismi sacramentum nisi in paschali solemnitate et Pentecostes tradere non præsumat episcopus, exceptis ægritudine laborantibus, quibus mortis urgente periculo talibus oportet, ne in æternum pereant, remediis subveniri

CAP. XXII.

GREGORIUS AUGUSTINO.

Baptizari, vel ipsam mulierem, vel hoc quod genuerit si mortis periculo urgetur, vel ipsa hora qua gignit, vel hoc quod gignitur, eadem hora qua natum est nullo modo prohibetur.

CAP. XXIII. *Quod soli sacerdotes debent baptizare.* Vel sic : *Nemo nisi sacerdos baptizare præsumat.*

Isidorus, lib. II *De officiis eccles.*, c. 24.

(De Consecr. dist. 4, c. *Constat.*) Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum, ejusque ministerium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi in his qui procul absentibus ultima languoris cogat necessitudo [necessitas] : quod et laicis fidelibus plerumque permittitur.

CAP. XXIV. *Quod laici debent baptizare in necessitate.*

Gelasius episcopis per Lucaniam et Siciliam constitutis.

(De Consecr. dist. 4, c. *In necessitate.*) Laicis Christianis baptizare plerumque conceditur.

CAP. XXV. *Nullo modo mulier debet baptizare.* Vel sic : *Non præsumat mulier baptizare.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Mulier.*) Mulier baptizare non præsumat.

CAP. XXVI. *Etiam laici, necessitate cogente, baptizare possunt.*

Augustinus ad Fortunatum.

(De Consecr. dist. 4, c. *In necess.*) In necessitate cum episcopi et presbyteri aut quilibet ministrorum non inveniuntur, et urget periculum ejus qui petit, ne sine isto sacramento vitam finiat hanc, etiam laicos dare solere sacramentum quod acceperunt, audire solemus.

CAP. XXVII. *Paganus potest baptizare.* Vel sic : *Non reiteretur baptisma quod a pagano ministratur.*

Ex Decretis Isidori episcopi.

(De Consecr. dist. 4, c. *Romanus.*) Romanus pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum sanctum subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.

CAP. XXVIII. *Hæreticus potest baptizare.* Vel sic : *Non reiteratur baptisma quod in nomine Trinitatis ministratur.*

D. Augustinus ad Orosium, l. II, q. 65.

(De Consecr. dist. 4, c. *Quamvis.*) Quamvis unum baptisma sit et hæreticorum, et eorum scilicet qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant et Ecclesiæ Catholicæ, tamen quia foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes.

CAP. XXIX. *Judæus potest baptizare.* Vel sic : *Non reiteratur baptisma si a Judæo ministratur.*

Nicolaus ad consulta Bulgarorum, c. 3.

(De Consecr. dist. 4, c. *A quodam.*) A Judæo quodam, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid inde agendum sit consulitis, hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis vel tantum in nomine Chri-

Introdusă în format electronic de Google

sti, sicut in apostolorum Actibus legitur, baptizati sunt, unum quippe idemque est, quia non illorum, sed ejus est, ut sanctus Ambrosius exponit.

Cap. XXX. *Quod baptismus a bonis et a malis ministris datus, semper est bonus.* Vel sic : *Sicut per bonum, ita per malum ministrum, æque baptisma ministratur.*

D. Augustinus contra Cresconium, lib. III, c. 69.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si inter.*) Si inter bonos ministros cum sit alius alio melior, non est melior baptismus qui per meliorem datur, nullo modo est malus qui etiam per malum datur quando idem baptisma dat ; et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est.

Cap. XXXI. *Non merita ministrorum, sed virtus Christi in baptismate operatur.*

Aug., *in Joan.* tract. v.

(De Consecr. dist. 4, c. *Baptismus.*) Baptismus talis est qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur. Item, quid noverat Baptista Dominum. Quid non noverat potestatem baptismi Dominici in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum. Potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et in malos. Item : Ego dico, et nos dicimus omnes, quia justos oportet esse per quos baptizatur, quia oportet esse justos tanti judicis ministros. Sunt ministri justi si volunt, si autem nolnerunt esse justi qui in cathedra Moysi sedent, securum me fecit magister meus, de quo Spiritus ejus dicit : hic est qui baptizat, item : quos baptizavit Judas, Christus baptizavit. Si ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit, non timeo ebriosum, adulterum, homicidam, quia columbam attendo per quam mihi dicitur : hic est qui baptizat. Iterum homicida dedit baptismum Christi, quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur.

Cap. XXXII. *Baptismus et sacrilegium hæreticorum, non sunt sacramenta.* Vel sic : *Quod inveniatur ab apostolis dictum, « ministerium meum, Evangelium meum, » sed nunquam, « baptisma meum. »*

D. Augustinus l. III *De unico baptismo*, c. 11.

(De Consecr. dist. 4, c. *Nunc autem.*) Nunc autem sicut hæresis hæreticorum, sicut error ipsorum est, et sicut sacrilegium dissensionis ipsorum est, sic etiam baptismus, qui Christi est, debet dici ipsorum.

Cap. XXXIII. *Ejusdem argumenti ac præcedens.*

D. Aug., *ibid.*, l. V, c. 13.

(De Consecr. dist. 4, c. *Cum tantum.*) Cum tantum valeat baptismus per hominem contemptibilem quantum per Apostolum datus, ita nec illius, nec istius, sed Christi esse cognoscitur. Item : Invenimus dictum ab apostolis *Et gloriam meam* (*Philipp.* II), quamvis utique a Domino impertitum atque donatum, baptismum autem nemo eorum meum dixit omnino. Neque enim omnium æqualis est gloria, nec ministrant æqualiter omnes, nec æquali prudentia sunt omnes præditi, et in Evangelio alius alio melius operatur, et ideo dici potest alius alio doctior in ipsa doctrina salutari. Alius autem alio majus minusve baptizatus dici non potest, sive ab inferiore, sive a majore baptizetur,

Cap. XXXIV. *De eodem.*

D. Augustinus, lib. IV *De baptismo*, c. 15.

(De Consecr. dist. 4, c. *Satis.*) Satis ostendimus ad baptismum qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto, sentiat aliter quam doctrina cœlestis insinuat.

Cap. XXXV. *Quod omnis homo accedens ad baptismum debet primo agere pœnitentiam si facultas fuerit.* Vel sic : *Non transit in novam vitam quem non pœnitet veteris vitæ.*

D. Augustinus, lib. II *De pœnitentiæ medicina*, c. 2.

(De Consecr. dist. 4, c. *Omnis.*) Omnis qui jam arbiter suæ voluntatis constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur soli parvuli immunes sunt, nondum enim uti possunt libero arbitrio.

Cap. XXXVI. *De eodem.*

D. Augustinus, ep. 108, ad Seleucianum.

(De Consecr. dist. 4, c. *Agunt.*) Agunt homines ante baptismum pœnitentiam de prioribus peccatis, ita tamen ut etiam baptizentur, sicut scriptum est in Actibus apostolorum, loquente Petro ad Judæos ac dicente : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* I).

Cap. XXXVII. *Quot diebus ante baptisma debet Judæus agere pœnitentiam.* Vel sic : *Quadraginta dierum abstinentia Judæis baptizandis additur.*

D. Gregor. Faustino defensori, lib. VII, ep. 24.

(De Consecr. dist. 4, c. *Ne, quod absit.*) Ne, quod absit, longa dilatio retro possit Judæorum animos revocare, cum fratre nostro episcopo loci illius, ut pœnitentia ac abstinentia 40 diebus indicta, aut die Dominica, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizes.

Cap. XXXVIII. *Quod auctoritate Domini ante baptismum homines debent catechizari.* Vel sic : *Officium baptizandi catechumeni præveniat.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 25.

Ante baptismum catechizandi debent in homine prævenire officium, vel fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. Item : Prius ipse Jesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superlinivit, et sic ad aquas Siloe misit, quia prius debet baptizandus fide credulus admitti, ut sciat cujus gratiæ in eo est particeps, et cui jam debitor fiat deinceps.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XXXIX. *Quo tempore catechumeni ad exorcizandum sunt deferendi.* Vel sic : *Quot diebus catechumenus ante baptismum debet instrui.*

Conc. Bracar. II, c. 8.

(De Consecr. dist. 4, c. *Ante viginti.*) Ante viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni currant, in quibus viginti diebus omnino symbolum quod est, *Credo in Deum Patrem*, spiritualiter doceantur.

CAP. XL. *In unaquaque ecclesia, catechumeni baptizandi exorcizari possunt.* Vel sic : *Sacerdotes uniuscujusque ecclesiæ catechismos facere possunt.*

Nicolaus papa Joanni archiep. Raven.

(De Consecr. dist. 4, c. *Catechismi.*) Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque Ecclesiæ possunt fieri sicut in hac sancta Romana Ecclesia, cui, Deo auctore, ministerium famulatus nostri exhibemus, solemniter fieri comprobantur.

CAP. XLI. *Quod significat exsufflatio in baptismo et quare baptizandi exorcizentur et exsufflentur.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 27.

(De Consecr. dist. 4, c. *Postquam.*) Postquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendaverit dominium et per abrenuntiationem, a prioris possessoris se alienaverit servitio, exsufflatur ab eo sæva potestas, ut per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens malignus spiritus.

CAP. XLII. *De eodem.*

Augustinus, *De Symbolo*, lib. I.

(De Consecr. dist. 4, c. *Sicut nostis.*) Sicut nostis, parvuli et exsufflantur et exorcizantur ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem ut possideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur aut sufflatur, sed ille sub quo sunt qui sub peccato nascuntur.

CAP. XLIII. *Quare signatur baptizandus in corde et in fronte.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 27.

(De Consecr. dist. 4, c. *Postea.*) Postea signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis tam in fronte quam in corde, ut ipse apostata diabolus in vase suo pristinæ suæ interemptionis cognoscens signum, jam sibi sciat deinceps esse alienum.

CAP. XLIV. *Quare super baptizandis orationes dicuntur. Et quid significat sal in os missum.*

Rabanus, *ibid.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Ex hinc.*) Ex hinc jam dicuntur super eum orationes ut fiat catechumenus. Tunc datur baptizando sal benedictum in os, ut per sal typicum sapientiæ conditus fetore careat iniquitatis, ut nec a vermibus peccatorum ultra putrescat, sed magis illæsus servetur ad majorem gratiam percipiendam.

CAP. XLV. *Quare sal initiatur catechumenis.*

Beda *in lib. I Reg.*, c. 27.

(De Consecr. dist. 4, c. *Sal cœlestis.*) Sal cœlestis sapientiæ quo initiantur catechumeni in cunctis operum nostrorum sacrificiis, offerre jubemur.

CAP. XLVI. *Quare baptizandi iterum exorcizantur.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 27.

(De Consecr. dist. 4, c. *Dehinc.*) Dehinc iterum exorcizatur, ut diabolus suam nequitiam cognoscens justum super se Dei judicium timens recedat ab homine nec jam contendat eum arte sua subvertere, ne baptismum consequatur, sed magis honorem Deo creatori suo exhibens reddat opus Deo creatori suo.

CAP. XLVII. *De eodem. Sacerdotes exorcizando dæmonia repellunt.*

Greg., hom. 29 super Evangelia.

(De Consecr. dist. 4, c. *Sacerdotes.*) Sacerdotes cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi dæmonia ejiciunt ?

CAP. XLVIII. *Quare de saliva aures et nares tanguntur.*

Rabanus *ubi supra.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Postea.*) Postea eis tanguntur nares et aures cum saliva et dicitur eis verbum evangelicum quod Jesus dixit quando mutum et surdum sanavit tangens cum sputo linguam ejus et mittens digitum in auriculam ejus dixit : *Ephpheta, quod est adaperire* (*Marc.* VII). Hoc enim sacramentum hic agitur ut per salivam typicam sacerdotis et tactum, sapientia et virtus divina sabitem ejusdem catechumeni operetur, ut aperiantur illi nares ad capiendum odorem notitiæ Dei, ut aperiantur illi aures ad audiendum mandata Dei sensusque in intimo cordis respondendum.

CAP. XLIX. *Quare nares et non ora baptizandorum episcopus tangit.*

Ambrosius, lib. I *De sacramentis*, c. 1.

(De Consecr. dist. 4, c. *Propter gloriam.*) Propter gloriam muneris et operis non os tangit episcopus, sed nares. Quare nares ? Ut bonum odorem accipias pietatis æternæ.

CAP. L. *Quare inungitur a sacerdote in pectore et inter scapulas.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 27.

Deinde a sacerdote inungitur ut sacrum baptisma cum fide accepta custodiatur, ungitur illius hujus pectus de oleo sanctificato, cum invocatione sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ hominis hostis inimici in eo resideant, sed in fide sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur ; ungitur et inter scapulas de eodem oleo ut undique muniatur et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

CAP. LI. *Quare baptizati a sacerdote ungantur.*

Ambros., lib. I *De sacramentis*, c. 2.

(De Consecr. dist. 4, c. *Venisti.*) Venisti ad fontem et ingressus es, considera quid videris, quid locutus sis, et repete diligenter, occurrit tibi levita, occurrit tibi presbyter, unctus es quasi athleta Christi ut ad baptismum catechumenus accedas.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. LII. *Verba erroris per imperitiam prolata non impediunt aquæ sanctificationem.*

Aug., lib. VI *De unico baptismo*, c. 25.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si non sanct.*) Consecretur fons et ad ipsum baptismum catechumenus accedat. Si non sanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam peccator effundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres, in ipsa Ecclesia non sanctificant aquas

CAP. LIII. *Verba erroris per imperitiam prolata modo impediunt aquæ sanctificationem.* Vel sic : *Imperitus minister sanctificat aquam, licet per verba evangelica quibus consecratur baptismus, quamvis multa contra fidem proferret in illa sanctificatione.*

Aug., lib. V *De unico baptismo*, c. 25.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si non sanctif.*, sub init.) Multorum enim preces emendantur quotidie si doctioribus fuerint recitatæ, et multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem. Nunquid si manifestetur aliquot baptizatos cum illæ preces dictæ super aquam fuissent, jubentur denuo baptizari. Quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus, et quia illa vel certe cuncta evangelica verba, sine quibus non potest baptisma consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuetur quæcunque in prece vitiosa contra fidei regulam dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur. Nam utique hæreticus si offerat precem vitiosam, nec bonum habet charitatis affectum, quo possit illa imperitia superari, et ideo similis est ei quicunque in ipsa Catholica immundus vel invidus, et malevolus quales hic arguit Cyprianus, offerat etiam (ut fieri solet) aliquam precem in qua loquatur contra regulam fidei (multi quippe irruunt in preces non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, et per ignorantiæ simplicitatem non eas volentes discernere utuntur eis, arbitrantes quod bonæ sint) nec tamen quod in eis perversum est evacuat illa quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius evacuatur.

CAP. LIV. *Non transit in aquam baptismi malitia benedicentis.*

Aug., l. III *De baptismo*, c. 10.

(De Consecr. dist. 4, c. *Non est aqua.*) Non est aqua profana et adultera super quam Dei nomen invocatur, etiamsi a profanis et adulteris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est.

CAP. LV. *Quid significant mysteria quæ in fonte baptismatis celebrantur.* Vel sic : *Quomodo intelligitur, « Credis in Deum, in sanctam Ecclesiam, et remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem. »*

Aug., hom. 3 ad neophytos.

(De Consecr. dist. 4, c. *Prima ig.*) Prima igitur et secunda prædicatione de his tantum locuti sumus, quæ vobis priusquam ad fontem veniretis, juxta catholicæ regulæ instituta tradidimus, et quid significaret unctio, quæ diversis corporis vestri partibus adhibita, diversum intellectum designat, prout Deus dignatus est dare, interpretati sumus, cum ostendimus vos per oleum sanctificationis ad auditum plenæ fidei præparatos, et in bonum odorem Christi vocatos ex toto corde, et ad renuntiandum diabolo esse communitos. Nunc vero de interioribus jam mysteriis locuturi sumus, quæ in ipso sacro fonte celebrata sunt. Emissa enim certissima cautione, quia vos abrenuntiare omnibus pompis et operibus ejus, et omni fornicationi diabolicæ spopondistis descendentes in fontem sacrum ; fontem redemptionis, fontem sanctificatum virtute cœlesti. Item : in hoc fonte antequam vos toto corpore intingeremus, interrogavimus : *Credis in Deum Patrem omnipotentem ?* Respondistis : *Credo.* Rursus interrogavimus : *Credis et in Jesum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine ?* Respondistis : *Et credo.* Item interrogavimus : *Et in Spiritum sanctum ?* Respondistis similiter : *Credo.* Hoc autem fecimus juxta Domini nostri Jesu Christi salvatoris imperium. Qui cum ad Patrem in cœlum ascenderet, discipulis, id est apostolis mandavit dicens : *Euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Item : Quod autem interrogavimus : *Credis sanctam Ecclesiam et remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem*, non eo modo interrogavimus ut quomodo in Deum creditur : Sic : *In Ecclesiam sanctam et Catholicam*, quæ propterea sancta et Catholica est quia recte credit in Deum. Non ergo diximus ut in Ecclesiam quasi in Deum credatis, sed intelligitè nos dicere et dixisse ut in Ecclesia sancta catholica conversantes in Deum crederetis. Crederetis et resurrectionem carnis quæ est futura.

CAP. LVI. *Quid est credere.* Vel sic : *Sacramentum fidei non tempora, ipsa fides parvulum facit fidelem.*

Aug., epist. 23, ad Bonifacium.

(De Consecr. dist. 4, c. *Nihil est.*) Nihil aliud est credere quam fidem habere, ac per hoc cum respondetur credere parvulus qui fidei nondum habet effectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem sacramenti pertinet. Item parvulum et si nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etenim fideles vocantur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo.

CAP. LVII. *Quare trina mersio debet fieri in baptismo.*

Aug. in homilia 4.

(De Consecr. dist. 4, c. *Postquam.*) Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in fonte dimersimus. Qui ordo baptismatis duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, quia accepistis baptismum in nomine Jesu Christi qui tertia die resurrexit a mortuis. Illa

Introdusă în format electronic de Google

enim tertio repetita dimersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ per quam Christo consepulti estis in baptismo et cum Christo resurrexistis in fide, ut peccatis abluti in sanctitate virtutum Christum vivatis imitando.

CAP. LVIII. *De eodem; de his qui semel, non tertio in baptismo merguntur.*

Constit. Apost., can. 150.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si quis.*) Si quis presbyter aut episcopus non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate quod dare jubetur, in Domini mortem deponatur. Non dixit mihi Dominus, In morte mea baptizate, sed *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII).

CAP. LIX. *Semel in baptismate mergere licet.* Vel sic: *Quod sufficit una mersio in nomine sanctæ Trinitatis.*

Conc. Tolet. IV, c. 5.

(De Consecr. dist. 4, c. *Propter.*) Propter vitandum schismatis scandalum vel hæretici dogmatis usum, triplicem baptismi teneamus mersionem.

CAP. LX. *Quod utrumque potest fieri, scilicet una immersio, vel trina.*

Gregorius episcopis Hispan.

(De Consecr. dist. 4, c. *De trina.*) De trina mersione baptismatis nihil verius responderi potest, quam quod ipsi sentitis, quia in una fide nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa. Nos autem qui tertio mergimus triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere, quia dum tribus substantiis una substantia reprehensibile nullatenus potest infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas et in una potest singularitas divinitatis designari.

CAP. LXI. *De eodem.*

Hieron. *In Epist. ad Ephes.*, c. 4.

(De Consecr. dist. 4, c. *Eodem modo.*) Eodem modo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum baptizamur, et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Item: Licet ter baptizetur propter mysterium Trinitatis, tamen unus baptismus reputatur.

CAP. LXII. *De his qui in nomine Christi tantum semel merguntur.* Vel sic: *Quod non sit baptizandum in nomine Patris tantum, in nomine Filii tantum, in nomine Spiritus sancti tantum.*

Pelagius Gaudentio.

(De Consecr. dist. 4, c. *Multi.*) Multi sunt qui in nomine solummodo Christi una etiam mersione se asserunt baptizari. Evangelicum vero præceptum, ipso Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino nostro Jesu Christo discipulis suis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Si revera hi de præfatis hæreticis qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodo in nomine Domini se baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cujusdam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.

CAP. LXIII. *Invocatione Trinitatis tertio in baptismate mergere debemus.*

Zacharias papa Bonifacio episcopo.

(De Consecr. dist. 4, c. *In synodo.*) In synodo Anglorum decretum firmissime præceptum et diligenter demonstratum esse dignoscitur ut quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet, quod omnino verum est, quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione sanctæ Trinitatis perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus fuerit. Hoc quoque observare in supradicto synodo voluerunt sacerdotes, ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptismum verum non posset, quod pro certo verum est, quia qui unum ex sancta Trinitate confessus non fuerit nomen, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem et Filium, si confessus non fuerit Spiritum sanctum, nec Patrem habet, nec Filium; et qui confessus fuerit Patrem et Spiritum sanctum, et Filium non confessus fuerit, nec Patrem habet, nec Spiritum sanctum, vacuus est a divina gratia.

CAP. LXIV. *Rebaptizentur qui in nomine Trinitatis baptizati non fuerunt.*

Greg., l. IX, *Epist.*, ep. 61.

(De Consecr. dist. 4, c. *Hi vero.*) Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani, et Cataphrygæ, quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti Spiritum sanctum perverso sensu esse quemdam parvum hominem Montanum credunt (quorum similes multi sunt alii) cum ad sanctam Ecclesiam veniunt baptizentur, quia baptisma non fuit quod in errore positi sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt.

CAP. LXV. *Sacerdotes baptizant, quamvis erraut in Latina lingua.* Vel sic: *De sacerdote qui per ignorantiam linguæ Latinæ in invocatione Trinitatis deliquit.*

Zacharias papa in epistola decretali

(De Consecr. dist. 4, c. *Retulerunt.*) Retulerunt nuntii tui quod fuerit in eadem provincia sacerdos qui linguam Latinam penitus ignorabat, et cum baptizabat nesciens Latine loqui, infringens linguam diceret; *Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritua sancta*, et per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare; sed sanctissime frater, si ille qui baptizavit errorem non introducens aut

Introdusă în format electronic de Google

hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizetur.

CAP. LXVI. *Quare baptizatus ungitur a sacerdote in cerebro.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 21.

(De Consecr. dist. 4, c. *Postquam.*) Postquam ascenderit baptizatus de fonte, statim signetur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari.

CAP. LXVII. *De eodem. Quid super baptizatum dicatur.*

Ambros. lib. II *De sacram.*, cap. 7.

(De Consecr. dist. 4, c. *Emersisti.*) Mersisti, venisti ad sacerdotem, quid dixit tibi? *Deus*, inquit, *Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, concessitque tibi peccatorum tuorum veniam, ipse te ungat in vitam æternam*, vide ubi unctus es in vitam æternam, inquit.

CAP. LXVIII. *Quare unguentum super caput baptizati ponitur.*

Ambros., *De iis qui initiantur mysteriis*, c. 6.

(De Consecr. dist. 4, c. *Accepisti.*) Accipis mysterium, hoc est unguentum super caput. Quare super caput? Quia *Sensus sapientis in capite ejus (Eccle.* II), sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quod post fontem super est quo perfectio fiat, quando invocatione sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.

CAP. LXIX. *Quid significat candida vestis, super caput baptizati posita.* Vel sic : *Quare candida vestis traditur Christianis.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 29.

(De Consecr. dist. 4, c. *Post. bapt.*) Post baptismum traditur Christiano baptizato vestis candida quæ significat innocentiam et puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas studio conversationis sanctæ, immaculatam servare debet, ad repræsentandum ante tribunal Christi : Cuncti vero renati, albis induuntur vestibus ad mysterium resurgentis Ecclesiæ. Item : Utuntur baptizati albis vestibus, ut quorum primæ nativitatis faciem veteris erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sanctam unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri.

CAP. LXX. *De eodem.*

Ambros., lib. *De iis qui initiantur.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Accepisti.*) Accepisti post baptismum vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris voluptatem peccatorum, et indueris innocentiæ casta velamina.

CAP. LXXI. *Quot mensibus Judæi inter catechumenos habeantur.*

Conc. Agath., c. 34.

(De Consecr. dist. 4, c. *Judæi.*) Judæi quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges catholicas venire voluerint, VIII menses inter catechumenos ecclesiæ limen introeant, et si pura fide venire noscuntur, tunc demum baptismatis gratiam mereantur. Quod si casu aliquo periculum infirmitatis inter præscriptum tempus incurrerint, et desperati fuerint, baptizentur.

CAP. LXXII. *Sicut non sunt Judæi ad fidem cogendi, ita nec conversi ab ea recedere permittantur.*

Conc. Tolet. IV, c. 56.

(De Consecr. dist. 4, c. *De Judæis.*) De Judæis autem hoc præcepit sancta synodus ; nemini deinceps ad credendum vim inferre. *Cui enim vult Deus misereatur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX). Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur vocandi potius sunt, non impellendi. Qui autem jam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Zizebuti, qui jam constat eos sacramentis divinis associatos, et baptismi gratiam suscepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini et sanguinis exstitisse participes, oportet ut fidem quam vel vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, fidesque quam susceperunt vilis ac contemptibilis habeatur.

CAP. LXXIII. *Ut Judæorum filii baptizati cum eis non habitent.* Vel sic : *A parentum separentur consortio fideles, ne in eorum involvantur erroribus.*

Item conc. Tolet. IV, c. 59.

(28, q. 1, c. *Judæorum.*) Judæorum filios vel filias baptizatos, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, tradique aut monasteriis aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius constituti, tam in moribus quam in fide proficiant.

CAP. LXXIV. *Judæis ad fidem venientibus, cum infideli nulla sit conversatio.*

Item conc. Tolet. IV, c. 61.

(28, q. 1, c. *Sæpe mal.*) Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni sunt. Nulla igitur ultra communio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum his qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. Quicunque igitur ex his qui baptizati sunt amodo infidelium consortia non vitaverint et hi Christianis donentur, et illi publicis cædibus deputentur.

CAP. LXXV. *De Judæis plerisque frequenter ad Judaismum revertentibus.*

Item conc. Tolet. IV, c. 58.

(De Consecr. dist. 4, c. *Plerique.*) Plerique qui ex Judæis dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes Christum non solum-

Introdusă în format electronic de Google

modo Judaicos ritus perpetrasse, sed etiam abominandas circumcisiones exercere. De quibus consultu piissimi ac religiosissimi domni nostri Sisemundi regis, hoc sanctum decrevit concilium ut hujusmodi transgressores pontificali auctoritate correcti, ad cultum Christiani dogmatis revocentur, ut quos voluntas propria non emendat, animadversio sacerdotalis coerceat. Eos autem quos circumciderint, si filii eorum sunt, a parentum consortio separentur; si servi, pro injuria corporis sui, libertati tradantur.

CAP. LXXVI. *De baptismo paganorum. Ante baptismum diabolo et ejus operibus renuntiare debemus.*

Rabanus, l. I *De instit. cleric.*, c. 27.

(De Consecr. dist. 4, c. *Primum.*) Primum interrogetur paganus si abrenuntiet diabolo et omnibus damnosis ejus operibus atque fallaciis cunctis, ut primum respuat errorem et sic appropinquet ad veritatem, possitque juxta Apostolum, deponere veterem hominem secundum pristinam conversationem qui corrumpitur secundum desideria erroris (*Ephes.* IV), abnegans impietatem et sæcularia desideria (*Tit.* II).

CAP. LXXVII. *Necessitate cogente, in catechismo, et confirmatione, idem compater esse potest*

Ex Decretis Hyginii papæ, c. 10.

(De Consecr. dis. 4, c. *In catech.*) In catechismo et baptismo et confirmatione unum patrinum fieri potest, si necessitas cogat, non tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.

CAP. LXXVIII. *Non plures sed unus parvulum in baptismo suscipiat.*

Ex Decretis Leonis papæ apud Sanctum Medardum.

(De Consecr. dist. 4, c. *Non plures*) Ut non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant quam unus sive vir, sive mulier. In confirmatione quoque idipsum fiat.

CAP. LXXIX. *Qui non est baptizatus nec confirmatus, alium in chrismate vel baptismate tenere non debet.*

Conc. Mogunt., cap. 2.

(De Consecr. dist. 4, c. *In baptismo.*) In baptismo vel in chrismate non potest alium suscipere in filium ipse qui non est baptizatus et confirmatus.

CAP. LXXX. *Abbati vel monacho commatres habere non licet.*

Conc. Antissiod., c. 25.

(De Consecr. dist. 4, c. *Non licet.*) Non licet abbati vel monachis de baptismo suscipere infantes, vel commatres habere.

CAP. LXXXI. *De eodem.*

Capitularium, tit. VII, cap. 15.

(De Consecr. dist. 4, c. *Monachi.*) Monachi sibi compatres vel commatres non faciant, nec osculentur feminas.

CAP. LXXXII. *Qui in baptismo parvulos suscipiunt pro eis apud Deum fidejussores existunt.*

Ex serm. D. Aug. post Pascha qui inc.: *Hodiernus dies.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Vos ante.*) Vos ante omnia tam viros quam mulieres, qui filios in baptismo suscepistis moneo ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum exstitisse pro illis, quos nisi estis de sacro fonte suscipere: ideo eos semper admonete ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, ante omnia symbolum et orationem Dominicam, et vos ipsi tenete, et illis quos de sacro fonte accepistis, ostendite.

CAP. LXXXIII. *Neque baptizationes, neque reordinationes fieri liceat.*

Conc. Carthag. I, c. 33.

(De Consecr. dist. 4, c. *Non liceat.*) Non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel transiationes episcoporum.

CAP. LXXXIV. *De eodem.*

Aug., ep. 203, ad Maximinum.

(De Consecr. dist. 4, c. *Rebaptiz.*) Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptizare autem et Catholicum immanissimum scelus est.

CAP. LXXXV. *Non est rebaptizandus qui ab hæreticis baptizatur.*

Beda, homil. 36 in Joannis cap. III.

(De Consecr. dist. 4, c. 51, *Sive hæreticus.*) Sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus, quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizetur, non valet ille qui baptizatus est a bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio vel invocatio tanti nominis videatur annulari.

CAP. LXXXVI. *Non reiteratur baptismus quod in nomine Trinitatis ministratur.*

Aug. *De ecclesiast. reg.*, c. 52.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si qui.*) Catholica vero Ecclesia propterea non debet iterare baptismum, quia apud hæreticos datus est, ne judicare videatur ipsorum esse quod Christi est, aut eos non habere quod intus cum acceperint, amittere utique foras exeundo non possent.

CAP. LXXXVII. *Qui recedit ab Ecclesia, nec baptisma, nec jus dandi amittit.*

Aug., l. II contra epist. Parmen., c. 13.

(I, q. 1, c. *Quod quidam.*) Sacramentum baptismi est quod habet qui baptizatur, et sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur. Sicut enim baptizatus, si baptizatus decesserit, sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismum non amittit. Nulli enim sacramento injuria facienda est: si discedit a malis, uterque discedit: si permanet in malis, uterque permanet. Sicut ergo acceptatur baptismus quem non potuit amittere, qui ab unitate discesserat, sic acceptandus baptismus est quem dedit ille qui sacramentum dandi, cum discederet, non amiserat.

CAP. LXXXVIII. *Baptizati ab hæreticis debent reconciliari.* Vel sic: *Quomodo recipiantur ab Ecclesia qui in nomine Trinitatis ab hæreticis baptizantur.*

Greg. lib. IX, ep. 61, ad Quirinum.

(De Consecr., dist. 4, c. *Ab antiqua.*) Antiqua Pa-

Introdusă în format electronic de Google

trum institutione didicimus ut quilibet qui apud hæreticos in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum catholicæ, Oriens reformat.

CAP. LXXXIX. *De eodem.*

Greg. III Bonifacio.

(De Consecr., dist. 4, c. *Illi.*) Illi qui baptizati sunt per diversitatem et declinationem linguarum gentilitatis tamen, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem et sacri chrismatis unctionem confirmari.

CAP. XC. *Qui dicunt se baptizatos in nomine Trinitatis, non sunt rebaptizandi, sed tantum reconciliandi.*

Pelagius papa Gaudentio episcopo.

(De Consecr., dist. 4, c. *Nullus.*) Sin vero apud dilectionem tuam eorum qui converti volunt, manifesta confessione claruerit, quod Trinitatis nomine fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa, Catholicæ fidei reconciliare maturabis, ut tali dispositione vel dispensatione servata nihil aliter quam quod evangelica jubet auctoritas temeritatis cujusdam spiritu videatur affectum.

CAP. XCI. *Non reiteratur baptisma, cujus formam constat integre collatam.*

Leo I, ep. 90, ad Rusticum, c. 60.

(De Consecr., dist. 4, c. *Hi de quibus.*) Tu autem de quibus scripsisti qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, rebaptizandi non sunt, sed per manus impositionem virtutem Spiritus sancti accipientes, quod ab hæreticis accipere non potuere, Catholicis copulandi sunt.

CAP. XCII. *Baptizentur de quibus ignoratur an sunt baptizati.*

Greg. IV Bonifacio.

(De Consecr., dist. 4, c. *Parvulos.*) Parvulos qui a parentibus subtracti sunt, et an baptizati sint, ignoratur, ut hos baptizare debeas, secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificatur, ratio possit.

CAP. XCIII. *De eodem.*

Conc. Carthag. v, c. 6.

(De Consecr., dist. 4, c. *Placuit.*) Placuit de infantibus quoties non invenientur certissimi testes, qui eos baptizatos sine dubitatione testentur, neque ipsi per ætatem sint idonei de traditis sibi sacramentis respondere absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, similiter et de ecclesiis, quoties desuper earum hæsitatur consecratione, agendum est idem ut sine trepidatione consecrentur.

CAP. XCIV. *De eodem. Quod non probatur gestum, non intelligitur reiteratum; et ideo sit denuo baptizandus de cujus baptismo dubitatur.*

Leo I, ep. 90, ad Rusticum.

(De Consecr., dist. 4, c. *Si nulla.*) Si nulla existant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos quibus hi de quibus quæritur baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur ne manifeste pereant. In quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur acceperunt. Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur; quia temeritas non præsumptionis intervenit, ubi est diligentia pietatis.

CAP. XCV. *Valet ad salutem baptisma, etsi non ea fide parvuli offerantur.*

Aug., ep. 23, ad Bonifacium.

(De Consecr., dist. 4, c. *Non illud.*) Non illud te moveat quod quidam cum non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem; non enim propterea illi non regenerentur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

CAP. XCVI. *De his qui per ignorantiam ordinantur antequam baptizantur.*

Conc. Compend., c. 5.

(1, q. 1, *Si presbyter.*) Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non baptizatum esse baptizetur et ordinetur iterum, et omnes quos prius baptizavit.

CAP. XCVII. *De eodem.*

Ex dictis Isidori episcopi.

(1, q. 1, *Si presbyteri*; palea est ap. Gratianum.) Si quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati rebaptizari, et ipse non ordinetur. Sed Romanus pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritu Dei subministrare gratiam credit baptismi, licet paganus sit qui baptizet.

CAP. XCVIII. *De illis qui presbyteros cogunt denarios pro balsamo dare. Nec pro dedicandis basilicis vel pro sacramentis Ecclesiæ conferendis aliquid exigi debet.*

Conc. Cabilon., c. 5.

(1, q. 1, *Statuimus.*) Quidam fratres dixerunt consuetudinis antiquæ fuisse in eorum ecclesiis ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum sive pro luminaribus ecclesiæ concremandis, binos vel quaternos denarios presbyteri darent. Unde omnes uno consensu statuimus ut, sicut pro dedicandis basilicis et dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, sive pro luminaribus emendis nihil presbyteri accepturi chrisma dent. Episcopi itaque ecclesiasticis facultatibus balsamum emant, et luminaria singulis ecclesiis suis.

CAP. XCIX. *Chrismatis pannum, secundo linire, et super alium baptizatum mittere licet.*

Conc. apud Bellovacum, c. 8.

(De Consecr., dist. 4, c. *Si quis.*) Si quis volue-

Introdusă în format electronic de Google

rit chrismatis pannum iterum linire et super alium baptizatum mittere, non est absurdum.

CAP. C. *De veteri chrismate baptismata consecrare non licet.*

Conc. Lugdun., c. 3.

(De Consecr., dist. 4, c. *Si quis de alio.*) Si quis de alio chrismate quam de illo novo quod proprii episcopi largitione vel concessione accepit baptizare, nisi præoccupante morte tentaverit pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

CAP. CI. *Quod presbyteri petant chrisma a proprio episcopo, aut per se, aut per alium qui sit ejusdem ordinis.*

Conc. apud Valentias, c. 2.

(De Consecr., dist. 4, c. *Presbyteri.*) Presbyteri qui diœcesanas regunt Ecclesias non a quibuslibet episcopis, sed a suo, nec per juniorem clericum, sed per seipsos aut per illum qui ejusdem ordinis sit ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant.

CAP. CII. *Quare in aqua et nunquam in vino baptisma consecratur.*

Haimo *in Ep.* I *ad Rom.*

Fortassis quærit aliquis quare in aqua solummodo, et non aliquando in vino baptisma consecretur; cui respondit beatus Ambrosius : « Idcirco uniformiter id fieri in aqua ut intelligatur, quod sicut aqua sordes corporis aut vestimenti abluit, ita illud baptisma animæ maculas sordesque vitiorum emundando abstergit.

CAP. CIII. *Antequam chrisma infundatur ad aspergendum, aquam de fonte accipere licet.*

Capitularium, l. VI, c. 77.

(De Consecr., dist. 4, c. *In Sabbato.*) In Sabbato sancto Paschæ et Pentecostes, si quis velit aquam consecratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante chrismatis infusionem recipiat.

CAP. CIV. *Qua ratione scimus apostolos fuisse baptizatos.* Vel sic : *Discipuli Christi ejus baptismate creduntur abluti.*

Aug., ep. 108, ad Seleucianum.

(De Consecr., dist. 4, c. *Quando ab Hierosol.*) Quando ab Hierosolymis exiit Dominus Jesus cum discipulis suis in Judæam terram, et ibi morabatur cum eis, baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis (sicut nonnulli arbitrantur), sive (quod magis credibile est) baptismo Christi. Item respondit Dominus Petro : Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Unde intelligitur, quod jam Petrus fuerit baptizatus.

CAP. CV. *Apostoli omnes Christi baptismate baptizati creduntur.*

Aug., l. III *De anima et ejus orig.*, c. 9.

(De Consecr., dist. 4, c. *Si eos.*) Si eos de quibus scriptum non est, utrum fuerint baptizati, sive non, sine baptismo de hac vita recessisse contendimus, ipsis calumniamur apostolis qui præter apostolum Paulum, quando baptizati fuerint, ignoramus : sed ipsos baptizatos fuisse per hoc nobis innotescere potuit quod beato Petro Dominus ait : *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet* (*Joan.* XIII).

CAP. CVI. *Quod omnes non baptizati si pro Christo moriuntur, baptizati moriuntur.*

Aug. *De civit. Dei*, l. XIII.

Quicunque non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro baptismatis fonte.

CAP. CVII. *Quamvis recte vivat catechumenus, sine baptismo non potest salvari.*

Aug. *Contra Donat.*, c. 22.

(De Consecr. dist. 4, c. *Catechumenus.*) Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus, excepto duntaxat nisi martyrio sacramentum compleat.

CAP. CVIII. *De eodem.*

Aug. *De eccles. dogmat.*, c. 74.

(De Consecr. dist. 4, c. *Catechum.*, § *Baptizatus*, et 15, q. 1, c. *Firmissime.*) Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote et interrogatus respondet. Hoc idem martyr coram persecutore facit, qui et confitetur, et interrogatus respondet. Ille post confessionem aspergitur aqua, hic vero aspergitur sanguine, vel tingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ille qui loquitur, sed Spiritus sanctus qui in illo loquitur. Ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis Domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renuntiare, hic ipsi renuntiat et vitæ. Illi omnia peccata *dimittuntur*, isti exstinguuntur.

CAP. CIX. *Effusio sanguinis implet vicem baptismi.*

Aug., *ibid.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Baptismi.*) Baptismi vicem aliquando implere passionem de latrone illo, cui non baptizato dictus est : *Hodie mecum in paradiso* (*Luc.* XXIII), beatus Cyprianus non leve documentum assumit, quod etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod de baptismo deerat posse supplere; sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus, sed pro meritis facinorum suorum, neque qui credit passus est : sed dum patitur credit : quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), in illo latrone declaratum est. Sed tum impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excluditur; et sicut in illo latrone, quod baptismi sacramentum defuerat, complevit Omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat, sic infantibus qui baptizati moriuntur eadem gratia Omnipotentis explere credenda est : quod non ex impia

Introdusă în format electronic de Google

voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possent, nec ore confiteri ad salutem. Baptismus quidem potest inesse ubi confessio cordis defuerit. Conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.

CAP. CX. *Non tam ablutione corporis quam fide cordis baptisma constat.*

Prosper, in lib. *Sentent.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Verus bapt.*) Verus autem baptismus constat non tantum ablutione corporis quam fide cordis, quemadmodum apostolica tradit doctrina dicens : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv). Et alibi : *Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (*I Petr.* III).

CAP. CXI. *Non baptizatur cum matre quidquid in ejus corpore est.*

Aug. *contra Julian.*, l. VI, c. 5.

(De Consecr. dist. 4, c. *Si ad matris.*) Si ad matris corpus id quod in ea concipitur pertineret, ita ut ejus pars deputetur, ita non baptizaretur infans cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum etiam ipse baptizetur, non utique bis baptizatus habebitur. Non utique ad maternum corpus cum esset in utero, pertinebat. Item, si quidquid in homine est quando baptizatur et sanctificatur, sanctificari et baptizari putandum est, dicturus es, et ipsa in illo baptizari et sanctificari, quæ intestinis et vesica per egestionem corporis digeruntur ; dicturus es hominem baptizari et sanctificari in matris utero constitutum, si ad hoc sacramentum accipiendum necessitas cogat, gravidam ; et ideo baptizari jam qui nascitur jam non debere, postremo dicturus es baptizari et sanctificari febres, quando baptizantur ægroti.

CAP. CXII. *Quare non baptizatur cum matre, qui in ejus utero est.*

Isid., l. I *De summo bono*, c. 25.

(De Consecr. dist. 4, c. *Qui in maternis.*) Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest rebaptizari ; neque enim dici regeneratio in eum potest quem generatio non præcessit. Qui scelerate vivunt in Ecclesia et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAP. CXIII. *Post baptisma confirmationis sacramentum præstetur.*

Urbanus I papa, epist. 2.

(De Consecr. dist. 5, c. 1, *Omnes fideles.*) Omnes fideles per manus impositionem episcoporum, post baptismum debent Spiritum sanctum accipere ut pleni Christiani inveniantur.

CAP. CXIV. *Manus vero impositionis sacramentum majus est quam baptismus.*

Melchiades papa ad episcopos Hispan.

(De Consecr. dist. 4, c. *De his.*) De his de quibus rogastis vos idem, utrum majus est sacramentum manus impositionis episcoporum, aut baptismus, scitote utrumque magnum esse sacramentum, et sicut unum majoribus est, id est summis pontificibus accommodatum, quod a majoribus perfici non potest, ita et majori veneratione venerandum et tenendum est. Sed ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta ut ab invicem nisi morte præveniente nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non potest.

CAP. CXV. *Non ab aliis quam ab episcopis manus impositionis sacramentum perfici potest.*

Eusebius papa, epist. 3, ad episcopos Tusciæ.

(De Consecr., dist. 4, c. *Manus.*) Manus quoque impositionis sacramentum, magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur ac scitur peractum esse, nec ab aliis quam qui eorum locum tenent unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si alterum præsumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta.

CAP. CXVI. *Presbyteris baptizatos chrismate ungere licet.*

Innocentius I, epist. 1, ad Decentium episc.

(De Consecr., dist. 4, c. *Presbyter.*) Presbyteris seu extra episcopum, sive præsente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere liceat ; sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare : quod solis debetur episcopis cum tradunt Paracletum.

CAP. CXVII. *Baptizatos in frontibus presbyteros ungere non licet.* Vel sic : *Solis episcopis liceat confirmare.*

Greg. ad Januarium Caralitanum episc., *Epist.* l. III, ep. 5.

(De Consecr., dist. 4, c. *Presbyteri.*) Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate non præsumant. Sed presbyteri baptizatos ungunt in pectore ut episcopi postmodum confirment in fronte.

CAP. CXVIII. *Quare sacramentum confirmationis baptizato traditur.*

Rabanus, lib. I *De instit. cleric.*, c. 31.

(De Consecr., dist. 4, c. *Novissime.*) Novissime a summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum

Introdusă în format electronic de Google

quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate; per pontificem vero in fronte, ut in priore unctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo conseerandam; in secunda quoque ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et virtutis, in hominem venire declaretur.

CAP. CXIX. *Ad confirmationem nonnisi jejuni veniant.*

Conc. Aurelian, c. 3.

(De Consecr. dist. 4, c. *Et jejuni.*) Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus sancti possint percipere, et quia nunquam erit Christianus, nisi episcopali confirmatione fuerit chrismatus.

CAP. CXX. *Episcopi vero non nisi jejuni baptizatos confirment, nisi necessitas fuerit.*

Conc. Meldense, cap. 6.

(De Consecr. dist. 4, c. *Et episcopi.*) Ut episcopi non nisi jejuni, per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis et morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet et Pentecoste a jejunis debet celebrari baptismus, ita etiam Spiritus sancti traditionem a jejunis pontificibus convenit celebrari.

CAP. CXXI. *Secundo autem vel tertio nullus confirmetur.*

Conc. Tarracon., c. 6.

(De Consecr. dist. 4, c. *Dictum est nobis.*) Dictum est nobis quod quidam de plebe bis vel ter, vel eo amplius, episcopis ignorantibus, tamen ab eisdem episcopis confirmentur. Unde nobis visum est eamdem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere, quia bis vel amplius baptizatos aut confirmatos, non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari, vel clericali, religiosissime famulari decretum est.

CAP. CXXII. *Quæ pœnitentia sit danda bis vel ter baptizatis.* Vel sic: *De his qui ignoranter bis baptizantur.*

Theodori *Pœnitentiale*, c. 14.

(De Consecr. dist. 4, c. *Qui bis.*) Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas aliqua cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt, quasi iterum Christum crucifixerunt, per septem annos pœniteat, quarta et sexta feria, et quatuor quadragesimas abstineant (137). Si pro vitio aliquo fuerit similiter; si pro munditia putaverunt, tribus annis similiter pœniteat.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ ET CELEBRATIONE MISSARUM

CAP. CXXIII. *Non natura nascitur, sed consecratione nobis conficitur corpus et sanguis Christi.*

Ambros., lib. *De catechizandis rudibus.*

(De Consecr. dist. 4, c. *Panis et calix.*) Panis et calix non qualibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod ita fit nobis, quamvis sit panis et calix, alimentum est resurrectionis, non sacramentum religionis, non quod benedicimus, gratiasque agimus Domino in omni munere ejus, non tantum spirituali, verum etiam corporali.

CAP. CXXIV. *Quod ante benedictionem est species panis et vini, post benedictionem est corpus et sanguis Christi.*

Ambros., *De his qui mysteriis initiantur*, c. 5.

(De Consecr. dist. 4, c. *Ante bened.*) Ante benedictionem alia species nominatur; post benedictionem corpus significatur. Item, in illo sacramento Christus est. Item, qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.

CAP. CXXV. *Sub specie panis et vini, invisibilem Christi carnem et sanguinem honoramus.*

Aug. in libro *Sententiarum* Prosperi.

(De Consecr. dist. 4, c. *Nos autem.*) Nos autem in specie panis et vini quam videmus res invisibiles, id est Christi carnem et sanguinem honoramus, nec similiter has comprehendimus duas species quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit. Post consecrationem vero carnem Christi esse et sanguinem quod benedictio consecravit.

CAP. CXXVI. *Confessio Berengarii de corpore et sanguine Domini.*

(De Consecr. dist. 2, c. *Ego Bereng.*) Ego Berengarius indignus Sancti Mauritii Andegavensis Ecclesiæ diaconus, cognoscens veram Catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus diffamatus sum, quæ astruere conatur panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et non posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ et apostolicæ fidei. Sed ore et corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ, eamdem fidem me tenere, quam Dominus et venerabilis papa Nicolaus et hæc sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradidit, mihique confirmavit, scilicet panem et vinum quæ in altari ponuntur post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam ve-

(137) *Tres quadragesimas* legit Gratianus.

Introdusă în format electronic de Google

corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter non solum in sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri, juraus per sanctam et omousion Trinitatem, et per hæc sacrosancta Christi Evangelia, eos qui contra hanc fidem venerunt, cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquod contra hæc præsentire aut prædicare præsumpsero, canonum severitati subjaceam, lecto et perlecto sponte scripsi. Hanc confessionem suæ fidei de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi a Berengario Romæ coram centum tredecim episcopis factam, misit papa Nicolaus per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, et ad quæcunque loca fama pravitatis ejus ante pervenire potuit, ut Ecclesiæ quæ prius doluerant de adverso atque perverso, postea gauderent de reverso atque converso.

CAP. CXXVII. *Quod sacramentum non mutat speciem propter credentium errorem.* Vel sic : *Quare elementorum species reserventur, cum vere sit corpus Christi et sanguis.*

Ambros. l. VI *De sacramentis*, c. 1.

(De Consecr. dist. 2, c. *Forte dicas.*) Forte dicas quomodo vera caro, quomodo verus sanguis, qui similitudinem non video carnis, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dico tibi de sermone Christi qui operatur ut possit mutare et convertere genera et instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli ejus, sed audientes quod carnem suam daret ad manducandum, et sanguinem daret ad bibendum recedebant. Solus tantum Petrus dixit : *Verba vitæ æternæ habes*, et ego a te quomodo recedam ? (*Joan.* VI.) Ne igitur plures hoc dicerent, et ne veluti quidam esset horror erroris, sed maneret gratia Redemptionis, ideo in similitudinem accipis sacramentum. Sed veræ naturæ gloriam virtutemque consequeris. *Ego sum*, inquit, *panis qui de cælo descendi* (*ibid.*).

CAP. CXXVIII.

Aug. in lib. *Sententiarum* Prosperi.

Si quæris modum quo id fieri potest, breviter ad præsens respondeo : Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari utiliter non potest.

CAP. CXXIX. *Visibiles creaturæ in Christi corpus et sanguinem invisibiliter convertuntur.*

Eusebius Emisenus.

(De Consecr. dist. 2, c. *Quia corpus* § *Invisibilis.*) Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, verbo suo secreta potestate sua convertit, dicens ita : *Accipite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Et sanctificatione repetita : *Accipite, et bibite ; hoc est sanguis meus* (*ibid.*). Ergo sicut ad nutum præcipientis Dei repente ex nihilo substiterunt excelsa polorum profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia spiritualibus sacramentis, ubi præcepit virtus, servit effectus.

CAP. CXXX. *Quid sit sacrificium, et quid sit sacramentum.*

Aug., lib. X, *De civitate Dei*, c. 5.

(De Consecr., dist. 2, c. *Sacrificium.*) Sacrificium visibile invisibile est sacramentum, id est sacrum signum, est alibi sacramentum invisibilis gratiæ visibilis forma.

CAP. CXXXI. *Quid sit signum.*

Aug., lib. II, *De doctrina Christiana*, c. 1.

Signum est res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud quid ex se faciens in cognitionem venire.

CAP. CXXXII. *Post consecrationem non substantia, sed species remanet.*

Greg., in homilia paschali.

(De Consecr., dist. 2, c. *Species.*) Species namque et similitudo illarum rerum vocabula sunt quæ ante fuerunt, scilicet panis et vini : unde in fine cujuslibet missæ oratur et dicitur : *Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, ut quæ specie gerimus, rerum veritate capiamus.* Postulat quippe sacerdos ut corpus Christi quod sub specie panis ac vini nunc geritur, manifesta visione, sicuti revera est, quandoque capiatur. De qua visione Dominus in Evangelio secundum Joannem : *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV). Quamvis non improbabiliter quidam exponant hoc loco carnis et sanguinis veritatem ipsam eorum efficientiam id est peccatorum remissionem.

CAP. CXXXIII. *Qualiter intelligendum sit,* « *Nisi quis manducaverit carnem Filii hominis et biberit,* » Vel sic : *Non carnaliter sed spiritualiter corpus et sanguinem Christi debemus accipere.*

Aug., *in psal.* LIV.

(De Consecr., dist. 2, c. *Prima.*) Prima, inquit, hæresis in discipulis Christi velut a duritia sermonis ejus facta est. Cum enim diceret : *Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam* (*Joan.* IV). Illi non intelligentes, dixerunt : *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* (*Ibid.*) Dicentes, durus est hic sermo, separaverunt se ab illo et remansit cum duodecim. Discedentibus illis instruxit illos qui remanserant. *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat, caro nihil prodest. Verba quæ locutus sum ad vos, spiritus et vita sunt.* Intellexistis spiritualiter? spiritus et vita sunt (*ibid.*). Intellexistis carnaliter? Etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt spiritus et vita, qui spiritualiter non intelligis. Spiritualiter intelligere quæ locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem effusuri sunt illi qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificat vos. *Caro autem non prodest quidquam* (*ibid.*), sed quomodo illi intellexerunt sic responderunt; carnem quippe sic intellexerunt, sicut in cadavere venditur, aut in macello dilaniatur. Sciens autem Jesus ait : *Hoc vos scan-*

Introdusă în format electronic de Google

dalizat, quod dixi : Do vobis carnem meam manducare, et sanguinem meum bibere? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* (*Joan.* IV.). Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat, hinc aperuit unde fuerant scandalizati. Hi plane si intelligerent; illi autem putabant erogaturum corpus suum. Ille dixit se ascensurum in cœlum utique integrum. Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum, vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus; item : Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus, sed tamen hinc etiam nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit in uno loco esse oportet, veritas autem ejus ubique diffusa est.

CAP. CXXXIV. *Quomodo Christi corpus quod in cruce pependit, accipitur et quomodo non.*

Aug., ep. ad Irenæum.

(De Consecr., dist. 2, c. *Non hoc corpus.*) Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt illi qui me crucifigent, ipsum quidem et non ipsum. Ipsum quidem invisibiliter, non ipsum visibiliter. Unde subditur : Si necesse est illud visibiliter celebrari; necesse est tamen invisibiliter intelligi.

CAP. CXXXV. *Quid sit corpus Christi manducare et sanguinem ejus bibere.*

Aug., serm. de verbis Evang.

(De Consecr., dist. 2, c. *Quid est.*) Quid est Christum manducare? Non hoc est solum in sacramento corpus ejus accipere. Multi enim indigne accipiunt, de quibus ait Apostolus : *Qui manducat et bibit calicem Domini indigne judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* II). Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* V); tunc bibit et manducat. Qui autem non in me manet, nec ego in illo, et si accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum.

CAP. CXXXVI. *Credere in Christum est manducare et bibere Christum.*

Aug., lib. *De pœnitentiæ remed.*

Utquid paras dentem et ventrem? Crede et manducasti. Credere enim in eum, hoc est manducare panem et vinum; qui credit in eum manducat eum.

CAP. CXXXVII. *Sacramentum et res sacramenti sacrificium perficiunt.*

Aug. in libro *Sententiarum* Prosperi.

(De Consecr., dist. 2, c. *Hoc est.*) Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici modis, duobus constare visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi; sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum ipse Christus verus sit Deus et verus homo quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti corpus Christi. Item : Caro ejus est, quam forma panis operiam in sacramento accipimus, et sanguis ejus quem sub vini specie ac sapore potamus, caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum sanguinis. Carne et sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur corpus visibile Domini nostri Jesu Christi, palpabile, plenum gratia omnium virtutum et divina majestate. Item : Sicut ergo cœlestis panis qui vere Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi illius videlicet quod visibile palpabile, mortale, in cruce est positum, vocaturque *ipsa carnis immolatio*, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significanti mysterio, sic sacramentum fidei quod baptismus intelligitur, fides est.

CAP. CXXXVIII. *Quot modis caro Christi intelligatur.* Vel sic : *Quod caro et sanguis Christi dupliciter intelligitur.*

Hieron. *in Ep. ad Ephes.*, c. I.

(De Consecr., dist. 2, c. *Multipliciter.*) Multipliciter, inquit, intelligitur caro Christi et sanguis vel spiritualis illa atque divina de qua ipse ait : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI); et : *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam* (*ibid.*), vel caro mea quæ crucifixa est, et sanguis qui militis effusus est lancea.

CAP. CXXXIX. *Quid significat fractio hostiæ et sanguinis potatio?* Vel sic : *Dum hostia frangitur, passio Christi ad memoriam reducitur.*

Aug. in libro *Sententiarum* Prosperi.

(De Consecr., dist. 2, c. *Cum frangitur.*) Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur?

CAP. CXL. *Quare tres partes fiunt ex corpore Christi.* Vel sic : *Quid pars oblata in calicem missa, quid pars in altari comesta, quid tertia pars usque ad finem reservata significat.*

Sergius papa.

(De Consecr., dist. 2, c. *Triforme.*) Triforme est corpus Domini, pars oblata in calicem missa corpus Christi quod jam resurrexit monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad missæ finem remanens (138), corpus jacens in sepulcro, quia usque in finem sæculi corpora sanctorum in sepulcro erunt

CAP. CXLI. *Carnis et sanguinis comestio et potatio, Dominicæ mortis est commemoratio.*

Ambros. *in Epist. I ad Cor.*, c. V.

(De Consecr., dist. 2, c. *Quia morte.*) Quia morte

(138) Nunc nulla pars hostiæ in altari remanet usque ad missæ finem.

Introdusă în format electronic de Google

Domini liberati sumus, hujus rei memores in comedendo et potando carnem et sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus vel sanctificamus.

CAP. CXLII. *Quomodo intelligendum est, « semel immolatus est Christus et quotidie immolatur. »*

Aug. *in psal.* XXI.

(De Consecr., dist. 2, c. *Semel.*) Semel Christus mortuus est justus pro injustis, et scimus et certum habemus, et spe immobili retinemus, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Verba ista Apostoli sunt, tamen non obliviscuntur; quod semel factum est memoria nostra omni anno fit. Quoties Pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? Sed tamen anniversaria recordatio repræsentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri tanquam videamus præsentem Dominum in cruce.

CAP. CXLIII. *De eodem.*

Aug., ep. 23, ad Bonifacium.

(De Consecr., dist. 2, c. *Semel imm.*) Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento. Quod ita intelligendum est, quia in manifestatione sui corporis in distinctionem membrorum suorum omnium verus Deus et verus homo semel tantum in cruce pependit, offerens Patri seipsum hostiam vivam, passibilem, mortalem, vivorum atque mortuorum redemptionis efficacem, eorum scilicet quos altitudo divini consilii redimendos putavit præscivit, prædestinavit, vocavit, modis atque temporibus quibus id fieri congruebat.

CAP. CXLIV. *Hostia quæ semel immolata est, in recordatione suæ mortis quotidie offertur.*

Ambros. *in Epist. ad Hebr.*

(De Consecr., dist. 2, c. *In Christo.*) In Christo semel oblata hostia est ad salutem sempiternam potens. Quid igitur nos? Nonne per singulos annos offerimus, sed ad recordationem mortis ejus, et una est hostia, non multæ? Quomodo una, et non multæ? Quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium exemplum est illius, sed ipsum semper idipsum. Proinde hoc est sacrificium; alioquin quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? nequaquam, sed unus est Christus, ubique et hic plenus existens, et illic plenus. Sicut enim quod ubique offertur unum corpus est, et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex autem ille est qui hostiam obtulit nos mundantem: item ipsam offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est: hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.

CAP. CXLV. *Quod non debeant accipere corpus et sanguinem Christi, nisi jejuni, excepta necessitate.*

Aug. in libro *Respons. ad Januar.*

(De Consecr. dist. 2, c. *Liquido apparet.*) Liquido apparet quando discipuli acceperunt primo corpus et sanguinem Domini, non accepisse jejunos. Numquid tamen calumniandum est universæ Ecclesiæ quod a jejunis accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honore tanti sacramenti prius in os Christiani Dominicum corpus intret quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos apostolos arguit et emendat mensis suis ista miscere. Namque Salvator quod vehementius mysterii illius altitudinem ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum a quibus ad passionem digressus fuerat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat servaret hunc locum. Nam si ille hoc monuisset ut post cibos alios semper sumeretur, vel acciperetur, credo quod eum morem nemo mutasset. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens: *Propter, quod fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate: Si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis*, statim subtextuit. *Cætera autem cum venero ordinabo* (*I Cor.* II). Ubi intelligitur, quia multum erat ut Epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quod universa per orbem servat Ecclesia ab ipso ordinatum esse, quod nulla horarum diversitate variatur.

CAP. CXLVI. *De his qui sacrificando varie errabant.* Ex decretis Julii papæ episcopis per Ægyptum. — Cap. 1 conc. Bracar.

(De Consecr. dist. 2, c. *Cum omne.*) Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos contra divinos ordines et apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare, aliis quoque eucharistiam intinctam populis pro complemento communionis porrigere. Quosdam etiam expressum vinum sacramento Dominici calicis offerre. Alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, et in tempore sacrificii aqua partem ejus lavare et sic offerre. Quod quam sit evangelicæ atque apostolicæ doctrinæ contrarium et consuetudini ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in evangelica veritate: *Accepit Jesus panem et calicem, et benedicens dedit discipulis suis* (*Matth.* XXVI). Cesset ergo lac sacrificando offerri, quia manifestum et evidens exemplum evangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem et vinum aliud offerri non liceat. Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus suum seorsum et sanguinem commendavit: seorsum enim panis, et seorsum calicis

Introdusă în format electronic de Google

commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto tantum illi discipulo quem intincta buccella Magistri traditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret. Nam quod de expresso botro, id est de uvarum granis populus communicat, valde est omnino confusum, sed si necesse fuerit botrus in calice comprimatur, et aqua misceatur, quia calix Dominicus, juxta canonum præceptum, vino et aqua permistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice aqua vino commisceatur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credit copulatur et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut mistio non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini tantum efficientia demonstratur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque misceatur, et ideo quia jam ex hoc plurima et multiplex majorum manavit sententia, deinceps omnis talis error atque præsumptio cessare debet, ne perversorum et inordinata propago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum erit aliud in divinis sacris offerre nisi juxta antiquorum sententiam conciliorum, panem tantum et calicem vino et aqua permistum. De cætero aliter quam præceptum est faciens, tandiu a sacrificando cessabit, quandiu legitima pœnitentiæ satisfactione correptus, ad gradus sui officii redeat quod amisit.

CAP. CXLVII. *Pro infirmis eucharistiam presbyter semper habeat paratam.*

Conc. Wormat., c. 5.

(De Consecr. dist. 2, c. *Presbyter.*) Ut presbyter eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

CAP. CXLVIII. *A quibus sunt contrectanda sacramenta Dominica.*

Clemens papa, ep. 2.

(De Consecr. dist. 2, c. *Tribus grad.*, § *In tanta.*) Certe tanta in altari holocausta offerantur quanta populo sufficere debeant. Quod remanserit in crastinum non servetur, sed cum timore et tremore clericorum diligentia consumetur.

CAP. CXLIX. *Eucharistiæ communionem qui quotidie accipit, nec reprehenditur, nec laudatur.*

Aug. *De eccles. dogmat.*, c. 53.

(De Consecr. dist. 2, c. *Quotidie.*) Quotidie eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit : nam si adhuc habet voluntatem peccandi, gravari magis dico eucharistiæ perceptione quam purificari, et ideo quamvis quis peccator mordeatur, peccandi tamen de cætero non habet voluntatem, communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Dei misericordia accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico quem mortalia peccata non gravant

CAP. CL. *Ter in anno quisque fidelium communicet.* Vel sic : *Quod omnes debeant communicare ter in anno : Pascha, Pentecoste et Natali Domini, nisi teneantur criminali peccato.*

Ex epist. Fabiani papæ, c. 3.

(De Consecr. dist. 2, c. *Et si non freq.*) Et si non frequentius homines communicent, ter in anno, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminalibus impediatur, in Pascha, in Pentecoste, et Natali Domini.

CAP. CLI. *Ante sacramenti communionem a propria uxore quisque contineat.* Vel sic : *Quot diebus abstinendum sit ab uxoribus ante sacramenti communionem.*

Conc. Eliberit., c. 5.

(De Consecr. dist. 2, c. *Omnis homo.*) Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debere tres aut quatuor aut octo diebus Quod inter Catholicos non connumeretur qui in istis tribus Pascha, Pentecoste et Natali Domini non communicaverit.

CAP. CLII. *Quod histriones et magi in vitio permanentes, non sunt communicandi.* Vel sic : *Magis et histrionibus sacra non committantur mysteria.*

Cyprian., epist. 5, ad Eucratium.

(De Consecr. dist. 2, c. *Pro dilect.*) Pro dilectione tua et reverentia consulendum me æstimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione et mago illo qui apud vos constitutus adhuc ætatis suæ in dedecore perseverat, et magister et doctor non eruditorum, sed perdendorum puerorum, idem quod male didicit cæteris insinuat, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari. Haud vobiscum communicare puto nec majestati divinæ nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur.

CAP. CLIII. *Laici et feminæ non debent deferre corpus Christi ad aliquem communicandum.* Vel sic : *Sacerdotes non nisi per se divina sacramenta ministrent.*

Conc. Rem., c. 1.

(De Consecr, dist. 2, c. *Pervenit.*) Pervenit ad notitiam nostram quod presbyteri quidam tantum parvipendant divina mysteria, ut laico vel feminæ sacrum corpus Domini tradant ad efferendum infirmis, et quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committantur. Quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosissimorum advertit prudentia. Ergo interdicit per omnia synodus ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimodo presbyter per semetipsum infirmum com-

Introdusă în format electronic de Google

municet. Quod si aliter fecerit, gradum sui periculo subjacebit.

Cap. CLIV. *Quæ pœnitentia sit imponenda illi qui sacramenta evomit.*

Ex pœnitentiali Bedæ.

(De Consecr. dist. 2, c. *Si quis.*) Si quis per ebrietatem vel voracitatem eucharistiam evomuerit, XI diebus pœniteat, clerici vel monachi seu diaconi XL dies pœniteant, presbyteri LXX dies pœniteant, episcopi XC dies. Si pro infirmitatis causa evomuerit VII dies pœniteant.

Cap. CLV. *Pœnitentia sacerdotis cujus negligentia de Christi sanguine aliquid stillat.*

Ex Decretis Pii papæ, c. 5.

(De Consecr. dist. 2, c. *Si per neglig.*) Si vero per negligentiam de calice Domini stillaverit in terram, lingua lambetur, tabula radetur ; si non fuerit tabula ut non conculcetur locus conradatur et igni consumatur, et cinis in altari recondatur, et sacerdos XL diebus pœniteat. Si usque tertium, novem dies pœniteat; si usque ad quartum viginti diebus pœniteat, et linteamina quæ tetigerint stilla, minister abluat tribus vicibus calice subtus posito et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur.

Cap. CLVI. *Pœnitentia ejus qui non bene sacrificium custodit.*

Conc. Arelat.

(De Consecr. dist. 2, c. *Qui non bene.*) Qui non bene custodierit sacrificium, et mus vel aliud animal comederit, illud quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia aut pars ejus ceciderit et non inventa fuerit, XXX dies pœniteat.

Cap. CLVII. *Quæ præfationes in missa sunt cantandæ.*

Gelasius papa universis Germaniarum et Galliarum episcopis.

(De Consecr. dist. 2, c. *Invenimus.*) Cum in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum episcoporum sive cæterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, et de ecclesiasticis patribus traditam diligentius tractaremus, supervenere litteræ vestræ, et ut magis essent auctoritativæ, etiam vivæ voces præcesserunt, rogantes, ut ordinem præfationum quem sancta Romana Ecclesia hactenus haberet, nostris litteris vobis mandaremus. Tum de vestra voluntate et studio tam bono multum gavisi sumus, sacrum ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas quas longa retro vetustas in Romana Ecclesia hactenus servavit, id est, unam in albis paschalibus, aliam de Ascensione Domini, Tertiam de Pentecoste, quartam de Nativitate Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis; septimam de Sancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de Jejunio in Quadragesima tantum dicendam. Has præfationes tenet et servat sancta Romana Ecclesia, has tenendas vobis mandavimus.

Cap. CLVIII. *Nisi duobus præsentibus, presbyter missam celebrare non præsumat.* Vel sic : *Presbyter non debet celebrare missam nisi dŭobus sibi respondentibus.*

Ex Decreto Sotheris papæ, c. 10.

(De Consecr. dist. 1, c. *Hoc quoque.*) Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur, *Dominus vobiscum*, et illud in secretis *orate pro me*, apertissime convenit ut ipsi respondeatur salutationi.

Cap. CLIX. *Quatuor modis contingunt dormientibus illusiones.* Vel sic : *De multiplici genere illusionum.*

Gregorius Augustino Anglorum episcopo, cap. 2. interrog. Augustini.

(De Consecr. dist. 6, c. *Testamentum*, § *sed est in eadem.*) In illusione per somnium necessaria est valde discretio quæ subtiliter pensari debetur ex qua re accidat menti dormientis. Nam aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, vel cogitatione contingit pollutio. Equidem cum ex naturæ superfluitate, vel infirmitate evenerit, hæc omnino illusio æstimanda non est, quia hanc animus nesciens, pertulisse magis dolendum est quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde aliquem reatum animus, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi corporis Christi, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi ministerium pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere ministerium valent, illusio per crapulam facta a perceptione sacri ministerii abstinere, ut arbitror, humiliter debet; si tamen dormientis mentem turpi imaginatione concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somnio corporis positus turpibus imaginibus fœdetur. Qua in re ibi unum ostenditur, ipsa mens omnino non rea, tamen fit, vel suo judicio penitus libera, cum se etsi dormienti corpori nihil meminit vidisse, tamen vigiliis corporeis reminiscitur ingluviæ ceci disse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormienti, patet animo reatus suus. Videt enim a qua radice inquinatio illa præcesserit, quia quod cogitavit sciens, nesciens hoc pertulit. Propter talem pollutionem eo die a sacro mysterio abstinere oportet.

Cap. CLX. *Ex qua materia calix cum patena fieri debeat.*

Conc. Rem., c. 6.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ut calix.*) Ut calix Domini cum patena, si non de auro omnino, tamen ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære autem

Introdusă în format electronic de Google

aut ex auricalco non fiat calix, quia ob vini virtutem ruginem facit, pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo vel in vitreo calice præsumat cantare missam.

CAP. CLXI. *Non in serico, sed puro lineo consecretur sacrificium altaris.*

Sylvester in epilogo brevi concil. Romæ.

(De Consecr. dist. 1, c. *Consulto.* (Huic inter cætera prædicta consulto omnium constituimus ut sacrificium altaris non serico panno aut intincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto. Sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea munda sepultum est (*Marc* xv, *Luc.* xxiii).

CAP. CLXII. *Divina mysteria nuptiarum non præstentur ornatibus.*

Conc. Aurel., c. 8.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ad nuptiarum.*) Ut ad nuptiarum ornatum ministeria divina non præsentur, ut dum improborum tactu vel pompa sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri ministerii videantur indigna.

LIBER SECUNDUS.

DE CONSTITUTIONE ECCLESIARUM ET OBLATIONE FIDELIUM.

CAP. I. *De Ecclesia Catholica.*

Isid., lib. 1 *De ecclesiasticis officiis*, c. 1.

Ecclesia Græcum nomen est quod in Latinum vertitur convocatio, propter quod omnes ad se vocet. Catholica, id est universalis, ideo dicitur, quia per universum mundum est constituta, vel Catholica, quoniam generalis in eadem doctrina est ad constructionem Dei.

CAP. II. *Quod beneficiis regum et præsulum fabricatæ sunt ecclesiæ.*

Ex Decretis Melchiadis papæ, c. 12.

Denique reges et præsides ac magistratus non solum adjacentia tribuere, sed ipsi etiam ipsi largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes qui in mundo nihil possidebant, ecclesiæque fabricarentur, atque restaurarentur, Deoque et Ecclesiæ ejus rite famularentur, servisque illius supplementa absque necessitate tribuerentur.

CAP. III. *Quod auctoritate Constantini Romanus imperator principatum tenet totius mundi.*

Ex Decretis ejusdem, c. 10.

E quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum mundum in suo degentes imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandas ecclesias et prædia tribuendo constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa et fabricam templi primæ sedis beati principis Apostolorum instituit, adeo ut sedem imperialem cui quique Romani principes præsidebant, relinqueret beato Petro suisque successoribus profutura concederet.

CAP. IV. *Quod conditores basilicarum nullam habent potestatem in rebus quas ecclesiis contulerunt.*

Conc. Tolet., c. 32.

(10, q. 1, c. *Noverint.*) Noverint autem conditores basilicarum, in rebus quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta canonum instituta sicut ecclesiam ita dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere.

CAP. V. *Qui oblata ecclesiis, aut testamento relicta retinere præsumpserit, excommunicetur.*

(13, q. 2, c. *Clerici.*) Clerici autem vel sæculares qui oblationes parentum aut donatas, aut testamentis relictas retinere præsumpserint, aut quod ipsi donaverint ecclesiis, crediderint auferendum, vel monasteriis, sicut synodus sancta constituit velut necatores pauperum, quousque redeant ab ecclesiis excludantur.

CAP. VI. *Quod nemo debet ædificare ecclesiam, inconsulto episcopo.* Vel sic : *Sine designatione episcopi, nova non dedicetur ecclesia.*

Conc. Aurel. c. 3.

(De Consecr. dist. 1, c. *Nemo eccles.*) Nemo ecclesiam ædificet antequam civitatis episcopus veniat, et ibidem crucem figat publice, et atrium designet, et ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, et ad custodiam et ad stipendia custodum sufficiant, et ostenta donatione, sic domum ædificet, et postquam consecrata fuerit, atria ejusdem ecclesiæ sancta aqua conspergat.

CAP. VII. *De oblationibus fidelium quot portiones fient, et quæ cuique proveniat.*

Gelas. II episcopis per Lucaniam et Brutium.

(12, q. 2. c. *Quatuor.*) Quatuor tam de reddita, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, convenit fieri portiones. Quorum una fit pontificis, alia clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.

CAP. VIII. *De eodem. De stipendio ecclesiæ quatuor debent fieri portiones.*

Greg., resp. ad interrog. 1 Augustini.

(12, q. 2, c. *Mos est.*) GREGORIUS AUGUSTINO Cantuariorum episcopo. Mos apostolicæ sedis est ordinatis episcopis præcepta tradere. De stipendiis ecclesiæ, vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt altari, quatuor debent fieri portiones, una videlicet episcopo et familiæ propter hospitalitatem

Introdusă în format electronic de Google

atque susceptionem peregrinorum; alia clerico, tertia pauperibus, quarta in ecclesiis reparandis.

CAP. IX. *De redditibus et oblationibus ecclesiæ quatuor portiones presbytero dispensanti credantur.*

Nicolai Decretum, c. 9.

(12, q. 2, c. *De redditibus.*) De redditibus primitiarum vel decimarum, seu oblationum, quatuor partes episcopus faciat, quarum sibi unam retineat, secundam clero, tertiam fabricis vel ornamentis ecclesiæ, quartam pauperibus distribuat. Nullus vero laicorum sine consensu episcoporum de talibus habere vel possidere præsumat. Quod si fecerint, communione priventur.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ.

CAP. X. *Dedicationes ecclesiarum per* VIII *dies celebrandæ.* Vel sic : *Singulis annis octo diebus dedicationum solemnitas est celebranda.*

Felix V papa ad omnes episcopos.

(De Consecr. dist. 1, c. *Solemnitates ecclesiarum.*) Solemnitates vero dedicationum ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos sunt celebrandæ solemniter, ipso Domino dante exemplum, quia festum dedicationis omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eamdem festivitatem celebraturus venit, sicut scriptum est : *Facta sunt encænia in Hierosolymis et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis* (*Joan.* x). Quod autem octo dierum sint encænia celebranda, in libro Regum perfecta dedicatione templi reperietis (*II Reg.* III).

CAP. XI. *Iteranda est ecclesiarum dedicatio, de quarum consecratione dubitatur.*

Item Felix papa ad omnes orthodoxos.

(De Consecr, dist. 1, c. *Solemnitates*, § *De ecclesiarum.*) De ecclesiarum vero dedicatione quoties dubitatur, nec certa scriptura, nec certi testes a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse sacrandas, nec talis trepidatio iterationem incurrit, quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum.

CAP. XII. *Ecclesiæ cum dotibus suis in episcopi votestate consistunt.*

Conc. Tolet., c. 3.

(10, q. 1, c. *Sic quidam.*) Multi contra canonum constituta sic ecclesias quas ædificaverunt postulant consecrari, ut dotem quam ecclesiæ contulerunt, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere; quod factum et præteritum displicet, et in futuro prohibetur, sed omnia secundum consuetudinem antiquam ad episcopi ordinationem pertineant.

CAP. XIII. *Ecclesiarum consecratio absque missa fieri non debet.*

Ex Decretis Evaristi papæ, c. 4.

Omnes basilicæ cum missa debent consecrari semper.

CAP. XIV. *Ecclesia semel Deo consecrata, quando est iterum consecranda.*

Ex decretis Julii papæ, c. 4.

(De Consecr. dist. 1, c. *De fabrica.*) De fabrica cujuslibet ecclesiæ, si dirupta fuerit, instauranda, et si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in qua sanctuaria non fuerint diruta, nihil judicamus officere, si per eam minime aqua exorcizata jactetur, quia consecratione cujuslibet ecclesiæ, in quam Spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tamen scimus esse missarum. Et ideo, si qua sanctorum basilica a fundamentis etiam non fuerit innovata, sine aliqua dubitatione cum in ea missarum solemnitas fuerit celebrata, totius sanctificatio consecrationis implebitur : si vero sanctuaria quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum dispositione et missarum solemnitate reverentiam sanctificationis accipiet.

CAP. XV. *Quod loca Deo dedicata, non debent fieri habitacula sæcularia.* Vel sic : *Quæ semel sunt dedicata monasteria, semper monasteria perseverant.*

(Conc. Chalced., c. 24.

(19, q. 3, c. *Quæ semel.*) Ut loca quæ semel Deo dicata sunt aut monasteria fuerunt, maneant perpetuo sic; non possunt ultra fieri sæcularia habitacula.

CAP. XVI. *In usum laicorum non licet converti ligna ecclesiæ dedicata.*

Ex Decretis Eugenii papæ, c. 3.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ligna.*) Ligna ecclesiæ dedicata, non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in monasterium fratribus. In laicorum vero usu non debent admitti.

CAP. XVII. *Absque episcopi permissu in ecclesia consecrata non erigatur altare.*

Ex Decretis Hormisdæ papæ.

(De Consecr. dist. 1, c. *Nullus presb.*) Ut nullus presbyter in ecclesia consecrata, aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci vel ejus misso sanctificatum est, ut sit discretio inter sacrum et non sacrum. Nec dedicationem fingat nisi sit. Quod si fecerit, si clericus est, degradetur : si laicus anathematizetur.

CAP. XVIII. *Consecrentur ecclesiæ de quarum consecratione dubitatur.*

Conc. Meldense, c. 8.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ecclesiæ vel. alt.*) Ut ecclesiæ vel altaria quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur, et superflua altaria destruantur.

CAP. XIX. *Si in ecclesia jam consecrata cadavera mortuorum sepeliuntur, licet in ea missas celebrare si tantum fideles fuerint sepulti.*

Conc. Agrippinense.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ecclesiam.*) Ecclesia in qua cadavera mortuorum infidelium sepeliuntur,

Introdusă în format electronic de Google

sanctificare altare non liceat. Si autem consecratum prius fuit missas licet celebrari in ea.

CAP. XX. *Quando ecclesia est iterum consecranda, et salibus tantum exorcizanda.*

Ex Decretis Eugenii papæ, c. 4.

(De Consecr. dist. 1, c. *Si motum.*) Si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia. Si parietes mutantur, et non altare, salibus tantum exorcizetur.

CAP. XXI. *Quod propter adulterium et homicidium tota debeat consecrari ecclesia.*

Ex Decretis ejusdem, c. 6.

(C. 1, *De Consecr. eccles.* in 6.) Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur, et denuo consecretur.

CAP. XXII. *Non est consecranda ecclesia in qua paganus sepultus invenitur.*

Conc. Aurel., c. 6.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ecclesia.*) Ecclesiam in qua paganus sepultus est, non liceat consecrari neque in ea missas celebrare; sed jactare foras, et mundari oportet.

CAP. XXIII. *De ecclesia in qua cadavera fidelium et infidelium sepeliuntur.*

Conc. Agrippinense, c. 3.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ecclesiam.*) Ecclesiam in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet, sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus et rasis parietibus vel lignis ejus loci, reædificentur.

CAP. XXIV. *De eodem.*

Conc. Agrippinense, c. 3.

(De Consecr. dist. 1, c. *Ecclesiam*, § *Sed si hæc.*) Si hæc consecrata fuerit prius, missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint qui in ea sepulti sunt.

DE SEPULTURIS.

CAP. XXV. *De sepeliendis in ecclesiis, et ut nullus sepulturas violare audeat.*

Conc. Meldense, cap. 10

Ut nemo quemlibet mortuum in ecclesia quasi hæreditario jure, nisi quem episcopus aut sacerdos pro qualitate conversationis et vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat, nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulcro suo ejicere, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquomodo violare audeat, sed unumquemque in loco sibi a Deo parato atque concesso adventum sui judicis præstolari concordat.

CAP. XXVI. *Etiam coacti de sepultura pretium non debemus accipere.*

Hieron. in *Quæst. Hebr.*, c. 23.

(13, q. 2, c. *Postquam pretio.*) Postquam pretio victus est Ephron ut sepulcrum venderet, et acciperet argentum, licet cogente Abraham, vau littera, quæ apud illos pro *o* legitur, ablata de ejus nomine est, et pro eo Ephron appellatus est Ephrau, significante Scriptura, non eum fuisse consummatæ et perfectæ virtutis, qui potuerit vendere memoriam mortuorum. Sciant igitur qui sepulcra vendunt voluntarie, et non coguntur ut accipiant pretium, sed a nolentibus quidquam extorquent, mutari nomen suum, et perire quid de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte qui invitus accepit.

CAP. XXVII. *Pro sepultura nihil petendum.*

Gregorius papa.

Peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne, quod irreligiosum valde est, aut venalis dicatur Ecclesia, aut vos videamini de humanis mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus, studeatis quærere quolibet modo compendium.

DE PRESBYTERIS ET EORUM ECCLESIIS.

CAP. XXVIII. *Quod altaria revelationum per somnia hominum adinventa, reprobantur.* Vel sic: *Evertantur altaria quæ sine sanctorum reliquiis eriguntur.*

Conc. Afric. c. 14.

(De Consecr. dist. 1, c. *Placuit ut.*) Item, placuit ut altaria quæ passim per agros et per villas, tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyris conditæ probantur ab episcopis qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devicti teneantur, et omnino ibi nulla memoria martyrum probabiliter accipiatur, nisi aut ubi corpus, aut reliquiæ certæ, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissima origine tradatur. Namque per somnia, et per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum, ubicunque statuuntur altaria omnimodo reprobantur.

CAP. XXIX. *Quod omnis qui converti voluerit, in monasteriis ecclesiæ cujus parochiæ subest, tradatur.*

Ex Decretis Leonis papæ IX.

Relatum est auribus nostris esse quosdam perverse agentes, qui subvertere atque dividere conantur Ecclesiæ unitatem, videlicet abbates et monachi, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, et docent atque seducere non cessant sæculares homines, quos illaqueare possent ut res suas atque possessiones, in vita, sive in morte in monasteriis illorum tradant, et ecclesiis quibus esse videntur et a quibus baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, nec non pabulum vitæ cum lacte ac-

Introdusă în format electronic de Google

ceperunt vel accipiunt, nihil de bonis relinquant suis; hanc denique fidem discordiæ nos advertentes, omnibus modis inhibere volumus, et ne amplius fiat, omnimodo prohibemus, considerantes non esse bonum ut illi qui olim fuerunt socii passionum, secundum Apostolum, sint immunes a societate consolationum, et quia operarius dignus est mercede sua, ideoque præcipimus, atque jubemus, ut quicunque amodo in monasterio converti voluerit, sive in vita sive in morte, ut omnium rerum et possessionum quas pro salute animæ suæ disponi decreverit, medietatem ecclesiæ cui ipse pertinere noscatur relinquat, et sic demum in monasterium prout sibi libitum est eundi convertendique licentiam habeat. Quicunque hujus nostri decreti contradictor, convulsor ac temerator exstiterit gladio anathematis subjacebit.

CAP. XXX. *Non nisi in locis sacris missarum celebrentur solemnia.*

Conc. Tribur., c. 4.

(De Consecr. dist. 1, c. *Missarum.*) Missarum solemnia non ubicunque sed in locis ab episcopis consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.

CAP. XXXI. *Quomodo in ecclesia combusta missa potest celebrari.*

Idem *ibid.*

(De Consecr. dist. 1, c. *Concedimus.*) Concedimus etiam, si alicubi, quod, peccatis nostris exigentibus, perplurimum est factum a Northmannis et Sclavis, et a Bulgaris, et a malis Christianis seu alio qualicunque modo ecclesiæ fuerint incensæ et combustæ, in capellis cum tabula consecrata missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant. In itinere vero, si ecclesia defuerit, ut sub divo, seu in tentoriis. Item, si tabula altaris consecrata cæteraque sacrata mysteria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, missarum solemnia celebrare concedimus. Aliter omnino contradicimus.

CAP. XXXII. *Chrismate non unguntur altaria, nisi fuerint lapidea.*

Conc. Hippon., c. 6.

(De Consecr. dist. 1, c. *Altaria primo.*) Altaria si non sint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur. Ad celebranda autem divina officia ordinem quem metropolitani tenent, comprovinciales eorum observare debebunt.

CAP. XXXIII. *Quod unctionem altaris habemus a veteri lege.* Vel sic: *Sacrificia nonnisi super altare et locis Deo consecratis offerantur.*

Ex Decretis Felicis omnibus episcopis directis.

(De Consecr. dist. 1, c. *Sicut non alii.*) De ecclesiarum enim consecratione, et de missarum celebratione non alicubi quam in sacratis Domino locis, nisi magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota Novi et Veteris Testamenti præcepta. Tabernacula vero Moysi, Domino præcipiente, fecisse et consecrasse cum mensa et altari ejus, et cæteris vasis et utensilibus ad divinum cultum explendum legimus, et non solum divinis precibus eos consecrasse, sed et Domino jubente sancti olei unctione perlinisse novimus.

CAP. XXXIV. *Quod non debent consecrari altaria, nisi reliquiæ apponantur.*

Conc. Afric., c. 1.

Altaria in quibus sacra corpora vel reliquiæ martyrum non esse probantur, ab episcopo loci destruantur.

CAP. XXXV. *Presbyter in altari missam non celebrare præsumat quo eadem die episcopus celebravit.*

(De Consecr. dist. 1, c. *In altari.*) Nec in altari quo missam episcopus cantavit, eo die presbyter missam celebrare præsumat.

CAP. XXXVI. *Quod alicui corpora sanctorum de loco ad locum transferre non licet.*

(De Consecr. dist. 1, c. *Corpora.*) Deinceps vero sanctorum corpora de loco ad locum nullus transferre præsumat sine consilio principis et episcoporum sanctæque synodi licentia.

CAP. XXXVII. *Necessitate temporis episcopalium sedium mutationes fieri possent.*

Gregorius papa ad Joannem Tranensem episcopum.

(7, q. 1, c. *Temporis qualitas.*) Temporum qualitas admonet episcoporum sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia quæ securiora putamus ejusdem diœceseos loca transponere, quo et habitatores degere securius, et barbaricum possit periculum facilius declinari. Propterea te Joannem fratrem coepiscopumque nostrum Bellitranensis civitatis sedem tuam in loco qui appellatur Renati, ad Sanctum Andream apostolum præcipimus exinde transmigrare, quatenus ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, et illic consuetudinem solemnitatum dierum disponas.

CAP. XXXVIII. *Quibus ex causis loca sanctorum mutanda sunt.*

Augustinus.

(De Consecr. dist. 1, c. *Tribus.*) Tribus de causis loca sanctorum transmutanda sunt. Prima cum necessitas persecutorum loca eorum gravaverit; secunda cum difficultas locorum fuerit; tertia cum malorum societate gravantur.

CAP. XXXIX. *In privatis oratoriis licet orare, sed non missam celebrare.*

Conc. Aurel., c. 3.

(De Consecr. dist. 1, c. *Unicuique.*) Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, et ibi orare; missas ibi celebrare non licet.

CAP. XL. *Qua hora missa sit celebranda.*

Ex epist. Telesphori papæ, c. 6.

Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia eadem hora et Dominus crucifixus est et super apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur, excepta nocte Nativitatis.

CAP. XLI. *Usque ad missam catechumenorum, nullus ecclesiam ingredi prohibeatur.*

Conc. Carthag. IV, c. 14.

Ut nullum episcopus prohibeat ingredi ecclesiam

Introdusă în format electronic de Google

et audire verbum Dei, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam catechumenorum. A

Cap. XLII. *Singuli sacerdotes proprias debent ecclesias habere.*

Dionysius papa, ep. 2.

(13, q. 1, c. *Ecclesias.*) Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, et unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius parochiæ terminos aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis tantum sit contentus, et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis de omnibus sibi commissis rationem reddat, et non judicium sed gloriam pro suis actibus suscipiat.

Cap. XLIII. *De eodem.*

Conc. Rem., c. 3. B

Ut unusquisque presbyter Ecclesia una ad quam ordinatus est, contentus sit, et nullus in duabus Ecclesiis ministrare præsumat.

Cap. XLIV. *Una Ecclesia duobus sacerdotibus dividi non potest.*

Conc. Rem. c. 8.

(21, q. 2, c. *Sicut in unaquaque.*) Sicut in unaquaque Ecclesia presbyter esse debet, ita ipsa quæ sponsa ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum tantummodo habebit sacerdotem qui eam caste et sinceriter regat. Unde interdicimus ut nullus præsumat Ecclesiam non duos vel plures presbyteros dividere, quia Ecclesia Christi uxor et sponsa esse debet, non scortum sicut Calixtus papa testatur.

Cap. XLV. *Quæ pœna maneat presbyterum, qui suam reliquerit ecclesiam melioris ambitione.* Vel sic : *Qui alienam ecclesiam appetit, ab ea expulsus etiam sua careat.*

Ex concilio Meldensi.

(7, q. 1, c. *Si quis.*) Si quis de ordine sacerdotali contemptu minoris ecclesiæ, ambitiose et improbe ad potiorem aspiraverit, canonica erga eum definitio conservetur, hoc est ut utraque careat.

Cap. XLVI. *Absque consensu episcoporum, laici vresbyteros de ecclesiis non ejiciant.*

Conc. Cabilon., c. 10.

(16, q. 7, c. *Inventum est.*) Inventum est quod multi arbitrii sui temeritate, quod est gravius, deducti cupiditate, presbyteris quibuslibet absque consensu episcoporum suorum ecclesias dant vel auferunt. Unde oportet, ut canonica regula servata, nullus absque consensu episcopi sui, cuilibet presbytero ecclesiam det. Quam si adeptus juste fuerit hanc non nisi culpa gravi, coram episcopo canonica severitate, amittat. D

Cap. XLVII. *De eodem. Non liceat laicis presbyteros de ecclesia ejicere.*

Conc. Mogunt., c. 28

Ut laici non ejiciant presbyteros de ecclesiis neque constituant sine consensu episcoporum suorum.

Cap. XLVIII.

Ex eodem concilio.

Ut nullus omnino munera exigat a presbyteris propter emendationem ecclesiæ.

Cap. XLIX. *Dejiciantur a clero qui muneribus ecclesiam acquirere tentant.*

Conc. Rothom., c. 5.

(7, q. 1, c. *Sancitum est.*) Sancitum est atque omnibus modis prohibitum, ut si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico vel laico munera dare aut dedisse, aut aliam pecuniam tribuere, aut alterius presbyteri ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate, seu rapina, seu præsumptione turpis lucri gratia dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.

Cap. L. *Quod presbyter sive quilibet clericus, quodcunque post diem ordinationis acquisierit, propriæ relinquet ecclesiæ, nisi ei evenerit, vel ratione doni vel jure hæreditario.* Vel sic : *Quæsitum a rectore Ecclesiæ tempore promotionis nihil habente, præsumitur de bonis ecclesiæ quæsitum.*

Conc. Rem. c. 6.

(C. 1, extr. *De peculio.*) Investigandum est, si nil patrimonii habens presbyter, quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea prædia emit, cujus juris sunt, quoniam ecclesiæ ad quam de nihilo habenti promotus est juxta canonicam auctoritatem esse [*f.* definitur].

Cap. LI. *De his quæ sacerdotes emunt ad ecclesiæ nomen scripturam faciant.*

Conc. Agath., c. 54,

(12, q. 4, c. *Presbyter.*) Presbyter cum diœcesim C tenet, de his quæ emerit ad ecclesiæ nomen scripturam faciat, ut ab ejus quam tenet ecclesiæ ordinatione non discedat.

Cap. LII. *De his qui primum nihil habentes tempore suæ administrationis aliqua acquirunt.*

Conc. Carthag.

(12, q. 3, c. *Placuit.*) Placuit ut episcopi, presbyteri, diaconi vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinentur, et tempore episcopatus vel clericatus sui agros, vel quæcunque prædia suo nomine comparaverint, tanquam rerum dominicarum, invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi ad ecclesiam ad quam titulati sunt, eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propria libertate alicujus vel successione cognationis aliquid evenerit, faciant inde quod velint.

Cap. LIII. *Quæsita per episcopum post consecrationem sanctæ ecclesiæ relinquenda sunt.*

Conc. Carthag., c. 48.

(C. *ut unusquisque*, extrav. *De peculio.*) Ut unusquisque presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit, propriæ ecclesiæ relinquat.

Cap. LIV. *Ut canticum turpe circa ecclesias non fiat.*

Conc. Carthag.

Canticum turpe vel luxuriosum circa ecclesias atque in atriis ecclesiis fieri omnino contradicimus; quod ubique vitandum est.

Cap. LV. *De pictura ecclesiarum.*

Conc. Eliberit., c. 2.

(De Consecr. dist. 3, c. *Venerabiles.*) Placuit pi-

Introdusă în format electronic de Google

cturas in ecclesiis fieri non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.

CAP. LVI. *Item de pictura.*

Greg., epist. 2, ad D. reclusum.

(Ibid.) Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus Scripturam, hoc idiotis patet, picturam cernentibus qui ipsam ignorantes vident, quid sequi debeant in ipsa legunt, qui litteras nesciunt, unde et præcipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere, tu qui inter gentes habitas, attendere debueras ne, dum recto zelo incaute succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit quod non adorandum in ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collatum, et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condidisses, sine dubio et ea quæ intendebas salubriter obtinere, et gregem collectum non dispergere; sed potius poteras congregare ut pastoris intemeratum excelleret nomen, non culpa dispensatoris incumberet.

DE DECIMIS.

CAP. LVII. *Quod decimæ sunt Deo solvendæ quas Deus dare constituit.*

Conc. Mogunt., c. 37.

(16, q. 2, c. *Admonemus.*) Admonemus atque præcipimus ut decimæ omnino dari Deo non negligantur quas Deus dare constituit, quia timendum est ut quisquis Deo suum debitum abstulerit, ne forte Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua.

CAP. LVIII. *Excommunicentur qui decimas dare sacerdotibus nolunt, et ex quibus sunt dandæ.*

Conc. Rothom., c. 3.

(16, q. 7, c. *Omnes decimæ.*) Omnes decimæ terræ sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur, boves et oves, et capræ quæ sub virga pastoris transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur neque bonum neque malum nec alternm commutabitur. Si quis mutaverit et quod mutat et quod mutabitur sanctificabitur Domino, et non redimetur. Sed quia multi inveniuntur modo decimas dare nolentes, statuimus, ut secundum Domini nostri Jesu Christi præceptum admoneantur, semel et secundo, et tertio. Si non emendantur anathematis vinculo constringantur usque ad satisfactionem et emendationem congruam.

CAP. LIX. *Non persolvant de propriis prædiis abbates et episcopi decimas.*

Conc. Mogunt., c. 28.

(17, q. 1, c. *Questi sunt.*) Questi sunt præterea quidam fratres quod essent aliqui episcopi et abbates, qui decimas non sinerent dari ad ecclesiam, ubi illorum coloni missas audiunt. Proinde decrevit sacer iste conventus, ut episcopi et abbates de agris et vineis, quæ ad usum vel stipendia habent, decimas ad ecclesias deferre faciant (139). Familiæ vero ibidem decimas suas ferant ubi infantes eorum baptizantur, et ubi per totum anni circulum missas audiunt.

CAP. LX. *Quod auctoritate veteris legis danda sit decima.* Vel sic : *Veterum exemplo decimæ solvantur.*

Conc. Mogunt., c. 8.

(16, q. 7, c. *Decimas.*) Decimas Deo et sacerdotibus Dei dandas Abraham factis et Jacob promissis insinuat. Deinde lex statuit et omnes doctores sancti commemorant, et prophetatum erat, ut Israelitæ decimas pecorum, et frugum, et omnium primitiarum Domino darent, qui eos liberavit a decem plagis, quibus percussit Ægyptios, et in novissima plaga primogenita cunctorum disperdidit, gratiamque suis præstitit, ut impetratis pecuniis spoliarent Ægyptum. De quibus decimis Augustinus doctor venerabilis dixit : « Decimæ ex debito requiruntur. » Quod si diceret Deus, nempe meus est homo, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigatis, meus est solis calor, et, cum omnia mea sint, tu qui minus accommodas, solam decimam vix mereberis, sed reservo tibi novem, da mihi decimam; si non dederis mihi decimam auferam tibi novem. Si vero dederis mihi decimam multiplicabo novem. Cum itaque Judaicus populus præceptum decimarum tanta diligentia observare, ut de quibuscunque minimis rebus, ruta videlicet et mentha, et cyminum, ut ipse Dominus testatur, decimam daret (*Matth.* XXIII), cur non majori studio plebs evangelica eamdem implet jussionem, et cui major est cultus sacerdotum, et sincerior cultus sacramentorum? Ideo ergo dandæ sunt, ut hac devotione ipse Deus placatus largitis præstet quæ necessaria sunt, sicut superius ostendimus. Et ut sacerdotes et magistri Ecclesiæ et sollicitudine nescessitatum corporalium, sine quibus hæc vita transigi non potest, relevati liberiores fiant ad meditationem divinæ legis et doctrinæ administrationem atque spiritualis servitutis expletionem, et ut munus populi in quotidinia oblatione Domino immoletur, nec non statuta canonice in sustentatione pauperum et restauratione ecclesiarum proficiat. Quatuor enim partes

(139) Gratianus sic legit, *quæ ad suum et fratrum stipendium habent, ad ecclesias suas aeferri faciant.*

Introdusă în format electronic de Google

juxta canones fieri de fidelium oblationibus debent, ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta ad restaurationem ecclesiæ.

CAP. LXI. *Tres partes debent fieri de decimis, duæ clero et tertia episcopo.* Vel sic : *Basilicarum conditores in rebus ecclesiarum nullam potestatem se habere cognoscant.*

(10, q. 1, c. *De his.*) De his quæ ad ecclesiam a parochianis offeruntur in terris, [in vineis, in mancipiis, in peculiis, antiquorum canonum instituta serventur, ut omnia in episcopi potestate consistant. De his autem quæ altaribus offeruntur, tertia pars fideliter episcopis offeratur, duæ clericis. Decimæ autem secundum quosdam singulis annis, tertia pars, aut in tertio tota : sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, totum in quarto anno recipiant episcopi.

CAP. LXII. *Decimæ non sunt a populo redimendæ.*

Conc. Mogunt., c. 3.

(16, q. 7, c. *Decimas.*) Decimas quas populus dare [*f.* consuevit], nisi quolibet munere ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est ne fiat.

CAP. LXIII. *Jure divino omnia sunt communia ; jure vero constitutionis, hoc meum, illud vero alterius est.*

Aug. tract. VI *in Joan.*, cap. I.

(Dist. 8, c. *Quo jure.*) Quo jure defendis villas ecclesiæ, divino aut humano? Divinum jus in Scripturis habemus ; humanum, in legibus regum. Unde quisque possidet quod possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Pauperes et divites Dominus ex uno limo fecit, et pauperes et divites una terra supportat. Jure igitur humano dicitur : Hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est. Jura vero humana, jura imperatorum. Quare? Quia ipsa humana jura per imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano. Tolle jura imperatori, et quis audebit dicere : mea est ista villa, meus est iste servus, mea est ista domus? Si autem ut teneantur ista ab hominibus, jura acceperunt regum. Vultis ut recitemus leges ut audiatis [*al.* vultis ut reticeamus leges ut gaudeatis?]..... Relegantur leges ubi manifeste præceperunt imperatores eos qui præter Catholicæ Ecclesiæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace ponere auctorem pacis, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid nobis et imperatori? Sed, ut jam dixi, de jure humano agitur, et tamen apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges et dixit : Regem veneramini (*I Petr.* II). Dicere noli : Quid mihi et regi ! Quid tibi ergo et possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti : Quid mihi et regi ? noli dicere possessiones tuas, quia ipsa jura renuntiasti humana, quibus possessiones possidentur.

DE PRÆSCRIPTIONE ET POSSESSIONE.

CAP. LXIV. *Rusticanæ parochiæ apud episcopum qui eas possident* XXX *annis sine violentia permaneant immobiles.*

Conc. Chalced., c. 17.

(16, q. 3, c. *Per singulas.*) Per singulas ecclesias rusticanas, parochianas, sive possessiones manere immobiles apud eos qui eas retinent episcopos et maxime qui eas sine violentia jam per XXX annos tenentes gubernaverunt. Si vero intra XXX annos facta fuerit aut fiat de his altercatio, licet eis qui se dixerint læsos, propter eas movere apud synodum provinciæ certamen.

CAP. LXV. *Triginta annis ab episcopis possessæ permaneant diœceses.*

Gelasius papa I, ep. 3, ad Siculos.

(16, q. 3, c. *Præsulum*, § *Permaneant.*) Illud etiam placuit annecti, ut si (quod absit!) ecclesiæ facultates nec non et diœceses ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis lex constituit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare quod regum tempus exclusit.

CAP. LXVI. *Quadraginta annorum præscriptio religiosis domibus conceditur.*

Gregorius Petro subdiacono.

(Dist. 16, q. 5.) Si monasterium Sancti Theodori fines de quibus causatio commota est, inconcussis XL annis possedisse repertis, nullam deinceps, etiamsi quid sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit, patiaris sustinere calumniam, sed quietem eorum omnibus modis procurare.

CAP. LXVII. *Tricennalis possessio intra unam provinciam servari debet.*

Conc. Tolet. IV, c. 33.

(16, q. 3, c. *Quicunque.*) Quicunque episcopus alterius episcopi diœcesim per XXX annos sine aliqua interpellatione possederit, quamvis secundum jus legis ejus non videatur esse diœcesis admittenda, non est contra eum actio reposcendi, sed hæc intra unam provinciam, extra vero nullo modo, ne dum diœcesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

CAP. LXVIII. *Tricennalis possessio firma sit ; territorii possessio conventum non adimit.*

Conc. Tolet. IV, c. 34 et 24.

(16, q. 3, c. *Sicut diœcesim.*) Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conventum non adimit. Ideoque basilicæ quæ novæ conditæ fuerint, ad eum procul dubio episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

CAP. LXIX. *Spatia quæ definita fuerint, tempore præscribi non possunt.*

Gelasius Justo episcopo.

(16, q. 4, c. *Dilectio tua.*) Dilectio tua studeat quæsita omnium fideliter rerum veritate. Si de spatiis quibus memoratur orta contentio, definitio

Introdusă în format electronic de Google

dudum certa processit, intemerata servetur. Alioquin, si nihil unquam constiterit terminatum, tunc de præscriptione temporum, si qua pars confidet, præbeat sacramentum, ut tamen quæ hactenus possedisse probabitur, jusjurandum sinas offerre.

CAP. LXX. *De incendiariis ecclesiarum.*

Ex Decretis Eugenii papæ.

(17, q. 4, c. *Si quis.* — *Palea.*) Si quis ecclesiam comburit, XV annos pœniteat, et eam sedulo restituat, et pretium suum pauperibus tribuat

CAP. LXXI. *Communione privetur fidelium, qui possessiones Deo sacratas fastu superbiæ inhoneste tractaverit.*

Conc. Mogunt., c. 7.

(Dist. 50, c. *Si quis per superbiam*, cum seq.) Quisquis fastu superbiæ elatus Dei domum ducit contemptibilem, et possessiones Deo sacratas atque ad honorem Dei sub rege immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractaverit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetraverit, quasi invasor et violator ecclesiæ, quæ est domus Dei vivi, communione omnium fidelium abscidatur.

DE CONFUGIENTIBUS AD ECCLESIAM.

CAP. LXXII. *Si raptor cum rapta ad ecclesiam confugerit, quid fieri?*

Conc. Aurel., c. 4.

(36, q. 1, c. 3, *De raptoribus.*) De raptoribus autem feminarum id constituendum censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit, et feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, et parentibus reddatur, et raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, liberam eundi facultatem habeat (140). Si vero parentes mulieris ecclesiasticis viris obedire noluerint, excommunicentur.

CAP. LXXIII. *Ante securitatem acceptam, de atrio ecclesiæ fugitivus non cogatur exire.*

Conc. Aurel., c. 5.

(17, q. 4, c. *Id constituimus*, § *Servus etiam.*) Servus qui ad ecclesiam confugerit et pro qualibet culpa, si a domino pro commissa culpa ecclesiasticum sacramentum susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur, et postquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus; si aliquid pro eadem culpa qui accusatur, probatus fuerit pertulisse, pro contemptu Ecclesiæ et prævaricatione fidei a communione Catholicorum, sicut superius comprehensum est, extraneus habeatur. Si vero servus, pro culpa sua ab ecclesia defensatus, sacramentum domini sui, clericis exigentibus, de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

CAP. LXXIV. *Post præstitam securitatem, servi restituantur dominis.*

Gelasius Bonifacio episcopo.

(Summatim ex 17, q. 4, c. *Metuentes.*) Servus post sacramentum sibi præstitum reddatur invitus.

CAP. LXXV. *Fugientem ad ecclesiam nemo studeat abstrahere.*

Ex libro Capitulorum.

(17, q. 4, c. *Reum ad eccl.*) Servum confugientem ad ecclesiam, seu in atrium ecclesiæ, aut in officinas regularium fratrum vel in curtim, vel in domum episcopi, quia hæc in antiquis canonibus pro immunitate tenentur, nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor Dei et sanctorum ejus præ omnibus servetur, sed rectores ecclesiarum pacem et vitam ac membra ei cum juramento obtinere studeant. Tamen legitime componat quidquid inique fecerat, et si, insecutor magistris Ecclesiæ obedire noluerit, canonice constringatur.

CAP. LXXVI. *Segregetur ab ecclesia clericus qui servum vel discipulum suum ad eam confugientem verberare præsumit.*

Conc. Ilerdense, c. 5.

(17, q. 4, c. *Nullus cleric.*) Nullus clericorum servum aut discipulum suum ad ecclesiam fugientem extrahere audeat vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec digne pœniteat, a loco cui honorem non dedit, segregetur.

CAP. LXXVII. *Qua ratione sunt reddendi inimici fugientes ad ecclesiam.*

Conc. Chalced., c. 5.

(17, q. 4, c. *Metuentes.*) Similiter in Moticensi synodo decretum est, ut hi qui fugiunt suos inimicos, aut in ecclesiam, aut in atrium ecclesiæ, aut in domum, aut in claustrum regularium, non inde abstrahantur, nisi prius super sacra securitate accepta a persecutore, de morte, debilitate et pœnarum genere sint securi, et si servi sint illorum a quibus insequuntur, ita ut ei cujus rei criminosi fuerint, de satisfactione conveniat. Quod si is qui super sacra prius juraverat convictus fuerit juramentum violasse, reus perjurii a communione privetur quousque satisfaciat.

CAP. LXXVIII. *De atrio ecclesiæ, quod* XXX *passibus clauditur, nisi prius data securitate fugiens non abstrahatur.*

Conc. Tolet. I, c. 12.

(17, q. 4, c. *Definivit.*) Pro his qui quolibet metu vel terrore ecclesiam oppetunt, consentiente pariter ac jubente domino nostro Eringio rege, hoc secundum concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad ecclesiam sanctam residentes inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis vel damni seu spoliationis residentibus in loco sancto inferre,

(140) Gratianus sic legit, *aut ad serviendum subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem.*

Introdusă în format electronic de Google

sed esse potius his ipsis qui ecclesiam petunt per A omnia licitum intra XXX passus ab ecclesiæ januis progredi, in quibus triginta passibus uniuscujusque ecclesiæ in toto circuitu reverentia defendatur. Sic tamen ut qui ad eam confugiunt, in extraneis vel longe separatis ab ecclesiæ domibus nullo modo accedant, sed in hoc sancto XXX passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progredientes, aditum obtinebunt, ut acquisitæ naturæ usum debitum exeant locis, et nullo teneantur eventu necessitudinis, qui se dominicis defendendos commiserunt claustris. Si quis autem hoc decretum violare tentaverit, ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, et severitatis regiæ feriatur sententia. Ipsos tamen qui ad ecclesiam confugium fecerunt, si juxta priscorum canonum instituta, hi qui eos repetunt, sacramenta reddiderunt, et sacerdos ecclesiæ illius ab ecclesiæ non abstraxerit foribus, aut fuga talium, si venerit, sacerdoti quærenda est, aut damnorum sententia, secundum electionem principis hujusmodi sacerdotibus irroganda.

DE SACRILEGIO.

CAP. LXXIX. *De multiplici genere sacrilegii et pœnæ ejusdem.*

Joannes VIII in libro Gothicæ legis.

(17, q. 4, c. *Quisquis.*) Sacrilegium enim committitur, si quis infregerit ecclesiam, vel XXX ecclesiasticos passus, qui in circuitu ecclesiæ fuerint, vel in domibus quæ infra XXX prædictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo, vel auferendo, seu qui injuriam vel ablationem rerum intulerint clericis arma non ferentibus, vel monachis, sive Deo devotis ecclesiasticis personis. Non enim capellæ infra ambitum murorum castellorum sunt, muniuntur vel ponuntur in hac observatione. Similiter etiam sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, quia quod non potest computari in crimine sacrilegii, secundum C mundanarum legum censuram debet emendari, vel secundum morem patriæ.

CAP. LXXX. *De pœna sacrilegii.*

Idem in eodem libro.

(17, q. 4. c. *Quisquis.*) Inspectis legibus Romanis ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus, a Justiniano imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam in decem libras auri optimi, sed nos leviorem legem præcipimus esse tenendam, quæ a Carolo est B constituta, pro principe de compositione sacrilegii videlicet XXX libras argenti examinati, id est sexcentorum solidorum summam *argenti purissimi.* Ideoque quisquis fuerit inventus reus sacrilegii, istam leviorem compositionem det ipsis episcopis vel abbatibus, sive personis ad quas querimonia sacrilegii juste pertinuerit. Et si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tandiu excommunicationi subjaceat, usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hæc obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum psalmis et hymnis non deferatur ad sepulturam, et præcipimus ut in fine codicis mundanæ legis scribatur hæc lex; hucusque lex papæ.

CAP. LXXXI. *Excommunicentur qui confinia ecclesiæ frangere tentaverint* (141).

Conc. Agath., c. 28.

(17, q. 4, c. *Sicut antiquitus.*) Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus ita ut major ecclesia per circuitum LX passus habeat. Capellæ vero vel minores ecclesiæ, XXX. Qui autem confinium confringere tentaverit, aut personam hominis, vel bona ejus inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit, quousque emendet, et quod rapuerit reddat, excommunicetur.

DE LIBERORUM TUTELA.

CAP. LXXXII. *In libertate ecclesia tuetur liberos.*

Conc. Agath., c. 29.

(Dist. 87, c. *Liberos.*) Liberos legitime a dominis suis factos, ecclesia, si necesse fuerit, tueatur. Quod si quis ante audientiam, aut pervadere eos aut exspoliare voluerit, vel præsumpserit, ab ecclesia tueatur.

CAP. LXXXIII. *Quod ecclesia debet tueri libertos legitime factos.* Vel sic : *A sacerdotibus defendantur liberti qui in servitutibus revocantur.*

Conc. Tolet. IV, c. 71.

(Dist. 87, c. *Liberti.*) Liberti, quibuscunque manumissi sunt atque ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum Patrum D constituerunt, sacerdotali defensione a cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum sive in peculio quod habere noscuntur.

CAP. LXXXIV. *Confugientes ad ecclesiam extrahere non licet.*

Conc. Arausic. I, c. 6.

(Dist. 87, c. *Eos*, § *In ecclesia quoque.*) In ecclesia manumissos, vel per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem, vel in obsequium, vel ad colonariam conditionem vi premere tentaverit, animadversione ecclesiastica coercebitur.

(141) Nota quod per leges plures excipiuntur extr. De immunit. eccl., c. *Int.*

Introdusă în format electronic de Google

DE ALIENATIONE ET COMMUTATIONE RERUM ECCLESIASTICARUM.

CAP. LXXXV. *Quod episcopus res ecclesiæ alienare aut donare non debeat absque concilio clericorum.*

Conc. Tolet., c. 4.

(12, q. 2, c. *Sine except.*) Hæc sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit, res ecclesiæ alienare, quoniam et antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid vero quod utilitatem non gravet, ecclesiæ, pro suffragio monachorum ab ecclesiis ad suam parochiam pertinentium dederint, firmum maneat, peregrinorum, vel clericorum, vel egenorum necessitate salvo jure ecclesiæ præstare permittuntur pro tempore quæ potuerint.

CAP. LXXXVI. *De eodem.*

Conc. apud Valentias. Leo papa.

(12, q. 2, c. *Sine except.*, § *Irrita episcopo.*) Irrita erit episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio ecclesiasticæ rei absque collaudatione et subscriptione clericorum.

CAP. LXXXVII. *Quod quæ inconsultæ factæ sunt, licite a successoribus emendantur.* Vel sic : *Permutatio rerum ecclesiasticarum facta in casu non concesso, seu non servata solemnitate juris, est revocanda per successorem.*

Ex concilio apud Belvacum.

(Extrav. *De rerum permut.*, c. *Ut commutationes.*) Ut commutationes rerum ecclesiasticarum valde caveantur et subtilissime, si aliquando fieri debent, inspiciantur. Quæ inconsulte factæ sunt, juxta decreta canonum Hilarii papæ, quas illicite decessorum episcopus admiserit, vel ab aliis illicite commissæ sint, ab eo qui successor est emendentur.

CAP. LXXXVIII. *De his qui primum nihil habentes tempore suæ administrationis aliqua acquirunt.*

Conc. Bracar., c. 35.

(2, q. 3, c. *Placuit.*) Quicunque presbyter de jure tituli sui quolibet modo aurum, argentum, vel vestes, vel geminas quoque si sint, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta divina aliquid in perpetuum alienare tentaverit, donator, alienator ac venditor honoris sui mulctetur amissione.

—

QUI LIBRI AB ECCLESIA SUNT RECEPTI.

CAP. LXXXIX.

Nihil aliud in Ecclesia legatur aut cantetur, nisi quæ auctoritatis divinæ sunt, et Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa nomina angelica colantur, sed ea tantum quæ prophetica et evangelica docet Scriptura, id est, Michael, Gabriel, Raphael.

Genes.	unus.
Exod.	unus.
Leviti.	unus.
Num.	unus.
Deuter	unus.
Judic.	unus.
Reg.	unus.
Ruth	unus
Paralip	unus.
Psalm.	unus.
Salom.	unus.
Job	unus.
Ezechiel	unus.
Daniel	unus.
Oseæ	unus.
Amos	unus.
Micheæ	unus.
Joel	unus.
Abdiæ	unus.
Jonæ	unus.
Nahum	unus.
Habacu	unus.
Sophoniæ	unus.
Aggæi	unus.
Tobiæ	unus.
Esdræ	unus.
Esther	unus
Judith	unus.
Mach.	unus.
Isaiæ	unus.
Jeremiæ cum Cinoth, idest Lamentationibus suis.	
Zachariæ	unus.
Malachiæ	unus
Evangeliorum	unus.
Secundum Matth.	unus.
Secundum Marcum	unus.
Secundum Lucam	unus.
Secundum Joannem	unus.
Actuum Apostolor.	unus
Epistolæ Pauli	unus
Ad Rom.	una.
Ad Cor	una.
Ad Gal.	una.
Ad Ephes.	una.
Ad Philipp.	una.
Ad Coloss.	una.
Ad Thess.	una.
Ad Thimot.	una.
Ad Philemon.	una.
Ad Titum	una.
Ad Hebræos	una.
Apocalyp. Joan.	una.
Jac. apost.	una.
Petri apost.	una.
Joan. apost.	una.
Judæ zelotis	una.

Introdusă în format electronic de Google

XC. *Quibus temporibus legendi sunt libri in ecclesia.*

Gelasius papa I cum LXX episcopis statuit.

In Septuagesima ponunt Pentateuchum usque in dies XI ante Pascha; a quinta decima die ante Pascha ponunt Jeremiam usque ad cœnam Domini. In cœna Domini legunt tres lectiones de Lamentatione Jeremiæ, *Quomodo sedet sola.* Et tres lectiones de Tractatu S. Augustini in psalmo VII, *Exaudi orationem meam cum deprecor.* Et tres de Apostolo ubi ait in Epistola ad Corinthios : *Convenientibus vobis in unum* (*I Cor.* II). Secunda lectio sic incipit : *Similiter postquam cœnavit* (*Luc.* XXII). Tertia : De spiritualibus autem : *Nolo vos ignorare*, fratres (*I Cor.* X). In Parasceve, tres de Lamentatione Jeremiæ lectiones, et tres de Tractatu sancti Augustini in psalmo sexagesimo, *Exaudi*, *Domine*, *deprecationem*; et tres in Apostolo ubi ait in Epistola ad Hebræos : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Secunda lectio sic incipit : *Omnis namque pontifex.* Tertia : *De quo nobis grandis sermo est.* In Sabbato sancto, tres lectiones de Lamentatione Jeremiæ; et tres De tractatu sancti Augustini in psalmo LXIII : *Exaudi orationem meam;* et tres de Apostolo, ubi ait in Epistola ad Hebræos : *Christus assistens pontifex;* secunda lectio ubi ait : *Testimonium enim;* tertia, *umbram habens.* In Pascha Domini, homilias ad ipsum diem pertinentes. Infra hebdomadam homilias. In octava Paschæ ponunt Actus apostolorum, et Epistolas canonicas, et Apocalypsim, usque in octavam Pentecosten. In octava Pentecostes ponunt librum Regum et Paralipomenon, usque in Kalendis Augusti. In Dominica prima Augusti, ponunt Salomonem usque in Kalendis Septembris : et tunc ponunt Job, Esther, Tobiam, Esdram, Judith, usque in Kalendis Octobris. In Dominica prima Octobris ponitur liber Machabæorum usque in Kalendis Novembris. In Dominica prima mensis Novembris ponunt Ezechiel, Daniel, et minores prophetas, usque in Kalendis Decembris. In Dominica prima Decembris ponunt Isaiam prophetam usque in Nativitatem Domini. In Natali Domini legunt primum de Isaia tres lectiones. Prima lectio, *Primo tempore;* secunda, *Consolamini;* tertia, *Consurge;* deinde leguntur sermones vel homiliæ ad ipsum pertinentes. In Natali S. Stephani, homilias de ipso die; in Natali S. Joannis, similiter; in natali Innocentum, similiter; in Natali sancti Sylvestri, similiter. In octava Natalis Domini homilias de ipso die. In Dominica prima post Nativitatem Domini, ponunt Epistolas Pauli, usque in Septuagesimam. In Epiphania lectiones tres de Isaia. Prima incipit : *Omnes sitientes;* secunda, *Surge illuminare;* tertia, *Gaudens gaudebo in Domino.* Deinde leguntur sermones vel homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

CAP. XCI. *Qui libri sunt recepti ab Ecclesia Romana, et quæ concilia.*

Ex Decretis ejusdem.

(Dist. 16, c. *Sancta.*) Sancta Romana Ecclesia, post illas Veteris et Novi Testamenti Scripturas quas regulariter suscepimus, etiam has non prohibet suscipi Scripturas : sanctam synodum Nicenam 318 Patrum, mediante Maximo, Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus damnatus est; sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit; sanctam synodum Ephesinam primam, in qua Nestorius damnatus est, cum consensu beatissimi Cœlestini papæ, mediante Cyrillo, Alexandrinæ sedis antistite, et Archadio episcopo ab Italia destinato; sanctam synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutichiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt. Sed et si qua sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, præter illorum quatuor *auctoritatem*, et custodienda et recipienda decrevimus. *Jam nunc* subjiciendum est de opusculis sanctorum Patrum quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur : Opuscula beati Cypriani martyris et Carthaginensis episcopi; item, opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi; item, opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi; item, opuscula beati Joannis Constantinopolitani episcopi; item, opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi; item, opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi; item, opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi; item, opuscula beati Augustini Hipponensis episcopi; item, opuscula beati Hieronymi presbyteri; item, opuscula beati Gregorii episcopi; item, opuscula beati Prosperi viri religiosissimi; item, opuscula beati Leonis papæ *ad Flavianum*, Constantinopolitanum episcopum *destinata*, cujus textum si quispiam usque ad unum tota disputaverit, et non ea venerabiliter in omnibus acceperit, anathema sit. Item, opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum qui in nullo a sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviarunt, nec ab ejus fideli prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communionis gratia Dei usque ad ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus. Item, decretales epistolas quas beatissimi papæ ab urbe Roma diversis temporibus pro diversorum Patrum consultatione dederunt venerabiliter suscipiendas sunt. Item, gesta sanctorum martyrum quæ multipliciter tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita Catholicorum esse dubitet et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis virtutibus, sed Dei gratia et adjutorio, universa tolerasse, sed ideo secundum antiquam auctoritatem vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui scripsere nomina, penitus ignorantur, ab infidelibus aut dictis superflua, aut minis apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut cujusdam Cirici et Julittæ matris ejus, sicut Gregorii aliorumque hujusmodi passiones quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ, propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oc-

Introdusă în format electronic de Google

retur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia, omnes martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneremur. Item, Vitas Patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis et omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus Hieronymus scripsit, cum omni honore suscepimus. Item, actus beati Sylvestri apostolicæ sedis præsulis, licet ejus qui scripsit, nomen ignoremus, a multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ. Item, scriptura de inventione Dominicæ crucis, et alia scripta de inventione Joannis Baptistæ, nonnullæ quidem revelationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt, sed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint, beati Pauli apostoli præcedat sententia : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* XIX). Item, Rufinus vir religiosus, plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas autem scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus, in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus quæ beatum prædictum Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solum de Rufino, sed et de universis, quos vir sæpius nominatur, zelo Dei et fidei religione reprehendit. Item, Origenis nonnulla opuscula, quæ vir religiosissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. Item, Chronica Eusebii Cæsariensis atque ejusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro texuerit, et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripsit librum, propter rerum tamen singularem notitiam, quæ ad institutionem pertinet, usquequaque non dicimus renuendos. Item, Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessaria adversus paganorum calumnias ordinavit, miraque brevitate contexuit. Item, venerabilis viri Sedulii paschale opus quod heroicis descripsit versibus, insigni laude proferimus. Item, Vincentii nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed imitamur. Cæterum quæ ab hæreticis conscripta, quæ prædicta sunt, nullatenus recipit vel catholica et apostolica Romana Ecclesia. E quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, et a catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

CAP. XCII. *Historia ecclesiastica commendatur.*

Cassiodorus in prologo *Tripartitæ historiæ.*

Historia ecclesiastica quæ a cunctis Christianis valde necessaria comprobatur a tribus Græcis auctoribus mirabiliter constat esse conscripta, uno scilicet Theodorico venerabili episcopo, et duobus disertissimis viris Sozomeno et Socrate, quos nos per Epiphanium scholasticum latino credentes eloquio, necessarium duximus eorum dicta deflorata in unius styli tractatu, Domino adjuvante, perducere, et de tribus auctoribus unam facere dictionem. Item, legat intrepidus, qui, Domino adjuvante, ad opuscula pervenerit, multum utilitatis et notitiæ lucratus, si quæ posita sunt, per hos duodecim libros memoriæ suæ sollicita mente condiderit.

CAP. XCIII. *Sapientiæ liber commendatur.*

Aug. ad Prosperum et Hilarium *De vita sanctorum.*

Non debuit repudiari, sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles pœnitentes catechumenos cum veneratione divinæ auctoritatis audiri. Item, qui sententiis tractatorum instrui voluit, oportet ut istum librum Sapientiæ, ubi legitur : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius* (*Sap.* IV), omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sic eum anteposuerunt etiam temporibus proximis apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt. Item, liber Sapientiæ, qui tanta numerositate annorum legi meruit in Ecclesia Christi, nullam pati debet injuriam, quoniam resistit eis qui pro meritis hominum falluntur.

CAP. XCIV. *De Hist. eccles. Eusebii.*

Aug. *De doctrina Christiana*, l. II.

Quod Eusebius fecit de temporum historia divinorum librorum quæstiones, quæ in usum ejus flagitant, suscipimus.

CAP. XCV. *De Hieronymi et Gennadii libris* De eccles. script.

Isid., *Etymol.* l. III, c. 7.

Hieronymus atque Gennadius ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes ordine persecuti sunt, eorumque studia in unum voluminis indiculo comprehenduntur.

CAP. XCVI. *De Dionysio Areopagita.*

Beda *in Act. apost.*

Dionysius Areopagita episcopus ordinatus Corinthiorum rexit Ecclesiam gloriose, multaque ad utilitatem Ecclesiæ pertinentia, quæ hactenus manent ingenii sui volumina reliquit. Cognomen a loco cui præerat accipiens Areopagus.

CAP. XCVII. *De sancto Benedicto.*

(Greg., in *Dialog.* l. II.) Benedictus scripsit monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.

CAP. XCVIII. *De Gelasii scriptis.*

Gelasius fecit libros quinque adversus Nestorium et Eutichem, fecit et tractatus in modum Ambrosii. Item, libros duos adversus Arium. Fecit autem et sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone, et epistolas fidei delinato sermone multas.

CAP. XCIX.

Gregorius servus servorum Dei, Secundo episcopo.

Inter sacra missarum solemnia, ex his quæ diebus certis in Ecclesia hac legi ex more solent Evangelii sancti lectiones exposui XL, et quorumdam quidem dictata expositio assistenti plebi est

Introdusă în format electronic de Google

recitata per notarium : quarumdam vero explanationem coram populo ipse locutus sum, atque, ut loquebar, excepta est. Item, easdem homilias eo quod dictæ sint ordine in duobus codicibus ponere curavit, et priores quidem quæ dictæ sunt, 20, et posteriores totidem.

CAP. C.

Quod dicitis neque Sardicense concilium, neque decreta alia nos habere sanctorum Patrum vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur, maxime cum Sardicense concilium quod penes vos in vestris regionibus actum est, omnis Ecclesia recipit; qua ratione conveniat ut hæc sancta Constantinopolitana Ecclesia objiceret, et, ut dictum est, non reciperet?

CAP. CI.

Agatho papa omnibus episcopis.

Sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini præcepti voce firmatæ.

CAP. CII.

Gesta v synodi, die 3.

Sequimur per omnia sanctos Patres et doctores Ecclesiæ : Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum et Gregorium Misenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum, et suscipimus omnia quæ de recta fide et condemnatione hæreticorum exposuere; suscipimus autem et alios sanctos et orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque in finem vitæ suæ prædicaverint.

CAP. CIII. *Auctoritate Romani pontificis, sancta octo concilia corroborantur.*

Liber diurnus. Professio Rom. pont.

(Dist. 16, c. *Sancta.*) Sancta octo universalia concilia, id est, Nicænum, Constantinopolitanum secundum, Ephesinum primum, quintum et sextum; item Constantinopolitanum, sextum; item Nicænum, quartum et quintum, octavum, quoque Constantinopolitani usque ad unum apicem immutilata servare, et pari honore et veneratione digna habere, et quæ prædicaverunt et statuerunt omnibus modis sequi et prædicare, quæcunque condemnaverunt, ore et corde condemnare confiteor.

CAP. CIV. *De quatuor conciliis principalibus in proœmio canonum.*

Quo tempore cœperunt canones generalium conciliorum, ut Isidorus ait in libro sexto Etymol., capitulo 18 : a temporibus Constantini imperatoris cœperunt. Inter cætera autem concilia, quatuor constat esse venerabiles synodos, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, ut totidem paradisi flumina : horum prima Nicæna synodus CCCXVIII episcoporum sub Constantino Augusto imperatore peracta est, in qua Arianæ perfidiæ condemnata est blasphemia, quam de inæqualitate Trinitatis idem Arius Alexandrinus presbyter asserebat. Consubstantialem Deo Patri Dei Filium eadem sancta synodus definivit. Hæc synodus acta est temporibus Sylvestri papæ Romani, Macharii Hierosolymitani episcopi, Alexandri Alexandrini. De hac autem synodo Leo papa in epistola ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum sic ait : « Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque CCCXVIII episcopis quantumlibet et copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre, cum tanto divinitus privilegio, Nicæna sit synodus consecrata; ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum constitutione fuerit diversum. » Beatus quoque Ambrosius hoc Nicænum concilium in libro De Trinitate his verbis in immensum affert : « De conciliis id potissimum sequitur quod CCCXVIII sacerdotes tanquam Abrahæ lecti judicio consona *fidei virtute* victores velut tropæum, *toto orbe terrarum* subactis perfidis extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum quod eodem numero in conciliis habeamus oraculum quod in historia pietatis exemplum est. »

CAP. CV. *Apostolorum canones sunt recipiendi.*

Zephirinus papa, ep. 1, ad episcopos per Siciliam.

(Dist. 16, c. *Sexaginta.*) Sexaginta apostoli sententias præscripserunt; cum aliis quamplurimis episcopis et servandas censuerunt. Athanasius, Alexandrinus, Marco, papæ, Sylvestri successori.

CAP. CVI. *Epistola Athanasii postulantis capitula Nicæni concilii.*

(Dist. 16, c. *Septuaginta.*) Septuaginta Nicæni concilii capitula, quæ de præfata *synodo* jubente domino meo Alexandro decreta omnium episcoporum attuli quæ sunt igne combusta optamus ut a sanctæ sedis Ecclesiæ vestræ auctoritate percipere per præsentes legatos mereamur. Item, præsentibus nobis octoginta in memorata synodo capitula tractata sunt, scilicet XL a Græcis Græca edita lingua, XL Latinis similiter edita lingua Latina; sed visum est CCCXVIII episcopis Sancto Spiritu repletis in prædicto concilio maxime jam dicto Alexandro et apostolicæ sedis apocripariis, ut X capitula adunarentur aliis, atque congruis locis inserentur, et ad formam LXX discipulorum vel totius orbis terræ linguarum LXX tanti, et tam excellentis concilii capitula fierent, quæ omnium Christianorum informarent orbem.

CAP. CVII. *Nicæni concilii viginti tantum capitula habentur.*

Stephanus Luthobio Mogunt. episc., c. 20

(Dist. 16, c. *Viginti.*) Viginti tantum capitula Nicæni concilii in Ecclesia Romana habentur, sed quo neglectu cætera defecerint, ambiguum est. Arbitrantur plurimi ea Antiocheno inserta concilio esse.

CAP. CVIII. *De synodo secunda.*

Isid., l. VI *Etymolog.*, c. 16.

(Dist. 15, c. *Canones*, § *Secunda.*) Secunda syno-

Introdusă în format electronic de Google

dus, CL Patrum, sub Theodosio seniore Constantinopoli congregata est, quæ Macedonium Spiritum sanctum Deum esse negantem condemnans, consubstantialem Patri Filioque Spiritum sanctum demonstravit, dans symboli formam quam totum Græcorum et Latinorum confessio in ecclesiis prædicat. Hæc synodus acta est, temporibus Damasi papæ Romani, Cyrilli Hierosolymitani episcopi, Nestorii Contantinopolitani.

CAP. CIX. *De synodo tertia.*

Idem *ibid.*

(Dist. 15, c. *Canones*, § *Tertia.*) Tertia synodus, Ephesina prima, CC episcoporum sub Juniore Theodosio Augusto edita est, quæ Nestorium duas in Christo asserentem personas, justo anathemate condemnavit, ostendens manere in duabus naturis unam Domini nostri Jesu Christi personam. Hæc synodus acta est tempore Cœlestini papæ Romani, Juvenalis Constantinopolitani episcopi, Cyrilli Alexandrini.

CAP. CX. *De quarta synodo.*

Idem *ibid.*

(Dist. 15, c. *Canones*, § *Quarta.*) Quarta synodus Chalcedonensis CCCCXXX sacerdotum sub Martiano principe habita est. In qua Eutichen Constantinopolitanum abbatem, Verbi Dei et carnis unam esse naturam pronuntiantem et ejus defensorem Dioscorum quondam Alexandrinum episcopum, et ipsum rursus. Nestorium cum reliquis hæreticis, una Patrum sententia prædamnavit; prædicans eadem synodus Christum Deum sic natum de Virgine ut in eo substantiæ et divinæ et humanæ confiteamur naturam. Hæc synodus acta est temporibus Leonis papæ Romani, Juvenalis Hierosolymitani episcopi; Anasthasii Constantinopolitani. Hæ sunt quatuor synodi principales fidei naturam plenissime continentes, sed et si qua sunt concilia, quæ sancti Patres Spiritu sancto pleni sanxerunt. Post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore.

CAP. CXI. *De quinta synodo.*

Beda *De temporibus*, c. 38.

Quinta Constantinopoli temporibus Julii papæ sub Justiniano principe contra Theodorum et omnes hæreticos.

CAP. CXII. *De synodo Aquileiensi.*

Synodus Aquiliæ facta ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Sergii monitis instructa, et ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consensit.

CAP. CXIII. *De temporibus conciliorum.*

Beda *ibid.*

(Dist. 16, c. *Sexta.*) Sexta synodus Constantinopoli celebrata est et Græco nomine ascripta temporibus papæ Agathonis, exsequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis et episcopis CL residentibus.

CAP. CXIV. *De eodem.*

Beda *ibid.*

Leo Junior suscepit sanctam sextam synodum quæ per Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est Græco eloquio scripta, exsequente ac residente piissimo et clementissimo Magno principe Constantino.

CAP. CXV. *De eodem.*

Anastasius Biblioth. in prolog. *Hist. Rom. pont.* « Sufficere arbitror ad præconium Theophanii chronographi, quod approbatus apostolica sede, quando scilicet vicarii ejus cum CCCL Patribus in Nicæna urbe secundo convenientes universalem synodum celebrarunt. Siquidem et laus ejus in eodem VIII sancto concilio reperitur.

CAP. CXVI. *De eodem.*

Adrianus papa ad Carolum, cap. 25.

Ipsam septimam synodum suscepimus, nam si eam minime recepissemus, ad suum pristinum vomitum erroris fuissent reversi Græci, qui pro tot millibus animarum Christianorum interitu habemus reddere rationem.

CAP. CXVII. *Constitutiones synodi sextæ.*

Sexta synodus, c. 2.

(Dist. 16, c. *Quoniam sanctæ*, § *Item confirmatus.*) Confirmamus sanctorum Patrum canones et synodos, I Nicænam, Antiochenam, Neocæsariensem, Grangrensem, Antiochenam, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, Sardicensem, et Carthaginensem, et opuscula Theodosii, Alexandri episcopi et martyris, et Gregorii Thaumaturgi seu Trincegisti Neocæsariensis episcopi, Athanasii, Alexandrini episcopi, Basilii Cæsariæ Cappadociæ episcopi, Gregorii Nisenii, Gregorii theologi, Amphilocii Iconentis episcopi, Timothei Alexandrini episcopi, Germani Constantinopolitani episcopi, Cypriani Carthaginensis episcopi et synodum suam Nichephotio. Quod dicitis (142) neque Sardicense concilium, neque decretalia nos habere sanctorum Patrum vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur; maxime cum Sardicense concilium quod penes vos in vestris regionibus actum est, et omnis Ecclesia recipit, qua ratione convenerit, ut hæc sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret, et, ut dictum est, non retineret? Quod in ecclesiasticis auctoritas canonum, et decreta Romanorum pontificum præferenda sunt dictis Augustini, Hieronymi et aliorum

CAP. CXVIII. *Aliorum scripturæ Romanorum pontificum decretis non sunt præponendæ.*

Leo IV episcopis Britanniæ.

(Dist. 20, c. *De libellis.*) De libellis et commentariis aliorum, non convenit aliquos judicare et sanctorum conciliorum canones relinquere, vel decre-

(142) Dist. 16, cap. *Quod dicitis.*

Introdusă în format electronic de Google

talium regulas, quæ habentur apud nos simul cum canonibus, quibus in omnibus ecclesiasticis utuntur judiciis, id est, apostolorum, Nicænorum, Ancyritanorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Sardicensium, Carthaginensium, et eum illis regulæ præsulum Romanorum Sylvestri, Cirici, Innocentii, Zozimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Simmachi, Simplicii, Ormisdæ et Gregorii Junioris. Isti omnino sunt per quos judicant episcopi, per quos episcopi similiter et clerici judicantur. Nam si tale emerserit vel contingerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc illorum quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidoris, vel cæterorum similiter sanctorum doctorum similium, si reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda vel promulganda, vel ad apostolicam sedem referatur de talibus. Quam ob causam luculentius et magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa quæ diximus sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulantur, sive sit episcopus, sive clericus, vel laicus non indifferenter receperit, convincitur, nec apostolicam, nec Catholicam fidem, nec sancta vera Christi quatuor Evangelia utiliter et efficaciter ad effectum suum retinere vel credere probatur.

CAP. CXIX. *In Scripturis canonicis mendacia non admittuntur.*

Aug., ep. 8, ad Hieron.

(Dist. 9, c. *Ego solis.*) Ego solis illis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid firmissime credam, aut si aliquid in eis offendero quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem quam vel mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, vel minime intellexisse non ambigam (143). Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores et canonicas vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat persuadere potuerunt.

CAP. CXX. *Scripturis canonicis tractatorum litteræ deserviunt.*

Aug. in prolog. l. III *De Trinit.*

(Dist. 9, c. *Noli meis.*) Noli meis litteris quasi Scripturis canonicis inservire, sed in illis et quod non credebas cum inveneris, incunctanter crede. In istis autem et quod ante certum non habebas nisi certum intellexeris, noli firmum retinere.

CAP. CXXI. *De eodem.*

Aug. ad Hieron.

Mihi videtur exitiosissime credi aliquid in sacris libris esse mendacium, id est eos homines per quos nobis illa scriptura ministrata est, aut conscripta, aliquid in suis libris fuisse mentitos. Alia quæstio est utrum scriptorem sacrarum Scriptorarum mentiri oportuerit: imo non alia, sed nulla quæstio est.

CAP. CXXII. *De eodem. Exempla pontificum.*

Sergii papæ temporibus, Justinianus imperator concilium in regia urbe fieri jussit. In quo et legati sedis apostolicæ convenerunt, et decepti subscripserunt. Compellebat autem et ipsum subscribere. Sed nullatenus acquievit, pro eo quod quædam capitula extra ritum ecclesiasticum fuerint in eis annexa

CAP. CXXIII. *De doctrina librorum apocryphorum qui a sanctis Patribus damnati sunt æterna damnatione.*

(Dist. 15, c. *Sancta*, § *In primis.*) Ariminensem synodum a Constantino cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, extunc et in æternum confitemur esse damnatam. Item, Itinerarium nomine Petri apostoli *quod appellatur*, sancti Clementis libri VIII apocryphi. Actus nomine Andreæ apostoli apocriphus. Actus nomine Thomæ apostoli apocriphus. Actus nomine Petri apostoli apocriphus. Actus nomine Philippi apostoli apocriphus. Evangelia nomine Thadæi apostoli apocripha. Evangelia nomine Barnabæ apostoli apocripha. Evangelia nomine Thomæ apostoli quibus manichæi utuntur apocripha. Evangelia nomine Bartholomæi apostoli apocripha. Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocripha. Evangelia quæ falsavit Hircius, apocripha. Liber de infantia Salvatoris apocriphus. Liber de Nativitate Salvatoris et de sancta Maria, vel de obstetrice Salvatoris apocriphus. Liber qui appellatur Pastoris apocriphus. Libri omnes quos *fecit Lentitius* discipulus diaboli apocriphi. Liber qui appellatur fundamentum apocriphus. Liber qui appellatur thesaurus, apocriphus. Liber qui est de filiabus Adæ vel Genesis apocriphus. Pentametrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus apocriphum. Liber qui appellatur actus Theclæ et Pauli apocriphus. Liber qui appellatur nepotis apoc. Liber proverbiorum ab hæreticis transcriptus et sancti Sixti nomine signatus, apocriphus Revelatio Pauli apocripha. Revelatio quæ appellatur Thomæ apostoli apocripha. Revelatio quæ appellatur Stephani apoc. Liber qui appellatur transitus sanctæ Mariæ apoc. Liber qui appellatur pœnitentia Adam apocriphus. Liber Diogenes nomine gigantis, qui post diluvium cum dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur, apoc. Liber qui appellatur Testamentum Job apoc. Liber qui appellatur pœnitentia Origenis apocriphus. Liber qui appellatur pœnitentia Cypriani apocriphus. Liber qui appellatur Jamne et Mambre apocriphus. Liber qui appellatur Sors apostolorum apoc. Liber Susannæ apoc. Liber canonum apostolorum apoc. Liber phisiologus ab hæreticis conscriptus et beati Ambrosii nomine præsi-

(143) Hunc textum aliter legit Gratianus. Sed tamen eadem utrobique servatur sententia.

Introdusă în format electronic de Google

gnatus apoc. Historia Eusebii Pamphili apoc. Opuscula Tertulliani sive Africani apoc. Opuscula Montani et Priscillæ et Maximillæ apoc. Opuscula Joviniani et Galli apoc. Omnia opuscula Fausti Manichæi apoc. Opuscula alterius Clementis Alexandrini apocri. Opuscula Cassiani presbyteri Galli apoc. Opuscula Victorini Pictaviensis apoc. Opuscula Fausti Reginensis Galliarum apoc. Opuscula Frumentii apocripha. Epistola Jesus ad Abagarum apocr. Passio Cirici et Julittæ apoc. Passio Georgii apoc. Scriptura quæ appellatur Salomoni contradictio apoc. Philactaria omnia quæ non ab angelo ut confingunt, sed magis a dæmone conscripta sunt apoc.

Hæc et his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Elion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus qui simili errore defecerunt; Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus Apollinaris, Valentinus sive Manichæus, Faustus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus Sabatius, Calixtus, Donatus, et Eustachius, Julianus, Pelagius, Julianus et Laticnsis Cœlestinus, et Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Lanpedius, Dioscorus, Euticius, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit; Acha-tius Constantinopolitanus cum consortibus suis, nec non et omnes hæreses quas ipsi et eorum discipuli sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinemus, non solum repudiata, verum et ab omni Catholica et Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

CAP. CXXIV. *Exceptis quinquaginta capitulis canones apostolorum inter apocrypha deputantur.*

Leo IX, ep. ad Nicetam abb. de monast. Studii.

(Dist. 16, c. *Clementis.*) Clementis librum I, et Petri apostoli Itinerarium et canones apostolorum numeraverunt sancti Patres inter apocripha, exceptis capitulis quinquaginta quæ decreverunt regulis Orthodoxæ fidei adjungenda.

CAP. CXXV. *Item de canonibus apostolorum.*

Synodus sexta, c. 2.

(Dist. 16, c. *Placuit.*) Placuit huic synodo sancte, ut amodo confirmata et rata sint canonum apostolorum LXXXV; epistola Isidori in capite canonum. Isidorus servus Christi, lectori conservo suo : « Propter eorum auctoritatem cæteris conciliis præposuimus canones qui dicuntur apostolorum, licet a quibusdam apocrihi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, et sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas posuerunt constitutiones. » Item, primus ordo, ut prædictum est, de celebrando concilio insertus habetur, et post modum canonum apostolorum, ac apostolicorum a sancto Clemente usque ad sanctum Sylvestrum, decretorum ac diversorum conciliorum breviarium est, interpolatum sequens ordinem suum.

CAP. CXXVI. *De Vitis Patrum.*

Adrianus papa ad Carolum M., cap. 17.

Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minime in Ecclesia leguntur. Nam ab Orthodoxis titulatæ suscipiuntur et leguntur. Magis enim passiones sanctorum martyrum sacri canones censentur ut liceat eas et in Ecclesia legi cum anniversarii dies eorum celebrentur.

CAP. CXXVII. *De scripturis apocryphis.*

August. contra Faustum, tit. III, c. 2.

Legunt Scripturas apocryphas Manichæi, nescio an quibus autoribus fabularum, sub apostolorum nomine factas, ut quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritate sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti homines et justi et docti, qui tunc in hac vita erant, examinari poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. Ibi tamen legunt apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus et prorsus incognitus, ut a quodam ministro palma percussum, imprecatum fuisse homini continuam sævamque vindictam. Nam cum egressus fuisset ad fontem ut inde aquam convivantibus ministraret, cum leo rugiens interemit, manumque ejus qua caput apostoli levi ictu percussit, a corpore evulsam, secundum vocem ejusdem apostoli id optantis atque imprecantis, canis attulit mensis in quibus ipse discumbebat apostolus.

CAP. CXXVIII. *De eodem.*

Item, c. 128.

Quod beata Maria patrem habuerit ex tribu Levi sacerdotem quemdam, nomine Joachim, canonicum non est.

CAP. CXXIX. *De eodem.*

Hieronymus *De institutione filiæ.*

Cavent omnia apocrypha et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotatur, multoque in his admista vitiosæ et grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere.

CAP. CXXX. *Libros gentilium non legat episcopus.*

Conc. Carthag. IV, c. 16.

(Dist. 37, c. *Episcopus.*) Episcopus gentilium libros non legat hæreticorum, aut pro necessitate et tempore.

CAP. CXXXI. *Reprehenduntur sacerdotes qui, omissis Evangeliis, comœdias legunt.*

Hieron. ad Amandum, *De filio prodigo*

(Dist. 37, c. *Sacerdotes.*) Sacerdotes Dei, omissis evangeliis et prophetiis videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus, et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.

CAP. CXXXII. *Beatus Hieronymus ab angelo verberatur, quod Ciceronis librum legebat.*

Beda, lib. II *De pressuris eccles.*

(Dist. 37, c. *Legimus.*) Legimus de beato Hiero-

Introdusă în format electronic de Google

nymo, quoniam cum librum legeret Ciceronis, ab angelo esse correptum, eo quod vir Christianus, paganorum intenderet figmentis.

CAP. CXXXIII. *Non prohibeantur clerici sæculares litteras legere.*

Beda in lib. II *Reg.*

(Dist. 37, c. *Turbat acumen.*) Turbat acumen legentium et deficere cogit, qui eos a legendis sæcularibus litteris omnimode æstimat prohibendos, quibus ubi librorum inventa sunt utilia, quasi sua sumere licet. Alioquin Moyses et Daniel sapientia vel litteris Ægyptiorum, Chaldæorumque non paterentur erudiri, quorum tam superstitiones quam delicias horrebant, nec ipse magister gentium aliquos versus poetarum suis vel scriptis indidisset vel dictis.

CAP. CXXXIV. *Sæculares litteræ legendæ sunt ne ignorentur.*

Ambros., Procem. *Expos. in Luc.*

(Dist. 37, c. *Legimus.*) Legimus aliqua ne negligantur; legimus ne ignoremus; legimus non ut teneamus, sed ut repudiemus.

CAP. CXXXV. *Grammatica legenda est ut per eam sacræ Scripturæ intelligantur.*

Hieron. *in Epist. ad Tit.*, lib. VII.

(Dist. 37, c. *Si quis artem.*) Si quis grammaticam artem noverit, vel dialectica ut recte loquendi rationem habeat, et inter falsa et vera dijudicet, non improbamus, geometria quoque et arithmetica et musica habent in sua scientia veritatem, sed non est scientia illa scientia pietatis. Scientia pietatis nosse legem, intelligere prophetas, Evangelio credere, apostolos non ignorare.

CAP. CXXXVI. *De eodem.*

Idem *ibid.*

(Dist. 73, c. *In fine.*) Grammaticorum autem doctrina potest proficere ad vitam dum fuerit in meliores usus assumpta.

CAP. CXXXVII. *Quare prohibeatur Christianus poetica figmenta legere.*

Isid., l. III *De summo bono, c. 13.*

(Dist. 73, c. *Ideo prohib.*) Ideo prohibetur Christianis legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum. Non enim solum thura offerendo immolatur dæmonibus, sed eorum dicta libentius capiendo.

DE LEGIBUS.

CAP. CXXXVIII. *Lex imperatorum ecclesiastica jura dissolvere non potest.*

Nicolaus papa ad episc. in conc. apud Convicinum congreg.

(Dist. 10, c. *Lege impp.*) Lege imperatorum non in omnibus ecclesiasticis controversiis utendum est, præsertim cum inveniatur evangelicæ sanctioni aliquoties obviare.

CAP. CXXXIX. *De eodem.*

Idem *ibid.*

(Dist. 10, c. *Lege impp.*, § *Lex impp.*) Lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

CAP. CXL. *De eodem.*

Adjecta Capitul., c. 17.

(Dist. 10, c. *Lege impp.*, § *Imperiali judicio.*) Imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi, non quod imperatorum leges quibus sæpe Ecclesia contra hæreticos utitur, sæpe contra tyrannos atque contra pravos quoque defenditur (dicamus penitus renuendas, sed quod eas evangelicis, apostolicis atque canonicis decretis quibus postponenda sunt), nullum posse inferre præjudicium, asseramus.

CAP. CXLI. *Nihil quod evangelicis regulis obviat, imperatori agere licet.*

Octava synodus Symmachi papæ.

Non licet imperatori vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina præsumere, nec quidquam quod evangelicis, propheticis, apostolicis in regulis obviat, agere.

CAP. CXLII. *Qualis debeat esse lex.*

Isid., *Etymol.* lib. V, c. 10.

(Dist. 4, c. *Erit autem lex.*) Erit lex honesta, justa, possibilis, secundum consuetudinem patriæ, loco temporive conveniens, necessaria, *utilis*, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in cautione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.

CAP. CXLIII. *De legibus sic est judicandum cum instituuntur, non cum institutæ sunt.*

Aug., *De vera relig.*, c. 13.

(Dist. 10, c. *In istis.*) In istis temporalibus legibus quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ ac firmatæ, non licet judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.

CAP. CXLIV. *Quare vocantur Theodosianæ leges.*

Isid., *Etymol.* c. 1.

(Dist. 7, c. *Firmiter*, § *Postea.*) Theodosius minor Augustus, ad similitudinem Gregoriani et Hermogeniani codicem factum institutionum Constantini imperatoris sub proprii cujusque imperatoris titulo disponit, quæ a suo nomine Theodosianas vocavit.

CAP. CXLV. *De legibus Justiniani.*

(Ff. *De origine juris.*) Justinianus Augustus, leges Romanorum quarum prolixitas nimia erat, et inutilis dissonantia, mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique multis voluminibus habebantur, intra XII libros coarcta-

Introdusă în format electronic de Google

vit. Idemque volumen codicem Justiniani appellari præcepit. Rursus, singulorum magistratuum, sive judicum leges quæ usque ad duo millia pene libros erant extensæ, L librorum numerum redegit, eumque Codicem Digestorum, sive quod Justinianus diversa legis volumina diversis nominibus appellavit, Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor enim Institutionum libros in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur noviter composuit. Novas quoque leges quas ipse statuerat, in unum redactas, Codicem Novellarum appellari sancivit. Item : Tunc apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis grammaticæ artis profunda rimatus est.

CAP. CXLVI. *De eodem.*

Anastas. Biblioth. in *Hist. Rom. pont.*

(§ *Quibus*, c. *De n. co. compen.*, c. 146.) Removit Justinianus Augustus contrarias regulas, faciens singularem codicem, et vocans eum novellas institutiones, in quibus non permittit principem, in quibus præest, tenere possessionem, aut ædificare domum, aut hæreditari extraneam personam, nisi quis sibi cognatus existat.

CAP. CXLVII. *Principum placita animo jus condendi facta, habent vim legis generalis, nisi sint facta ad certas personas, quia tunc personas non egrediuntur.*

Institutionum lib. I, c. 2.

(Leg. *Quod principi*, § *Quodcunque*; ff. *De constit. pr.*, § *Quodcunque*, instit. De jure nat. gen. civili.) Quodcunque imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat; hæ sunt quæ constitutiones appellantur. Plane ex his quædam sunt personales, quæ non ad exemplum trahuntur, quod non hoc princeps vult. Nam quod alicui ob merita indulsit, vel si cui pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non transgreditur.

CAP. CXLVIII. *Præfatio quinti capitularis.*

Præcedentes quatuor libelli nonnulla gloriosorum Caroli atque Ludovici imperatorum continent capitula. Item, quæ postmodum a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ Pipini, Caroli, Ludovici, didicimus in jam dictis libellis minime inserta esse, pro Dei omnipotentis amore, et sanctæ Ecclesiæ, ac servorum ejus atque totius populi utilitate, fideliter investigare curavimus, et in tribus sequentibus libellis distinctæ, cum suis codicibus coadunare ac Ludovico, Lothario atque Carolo nobilissimis regibus, filiis videlicet Ludovici imperatoris piissimi, habenda et omnibus Christianorum fidelibus tradenda, scribenda non distulimus. Item, his ita peractis, est in fronte primi libri posita Zachariæ epistola omnibus episcopis, ac reliquis ecclesiasticis ordinis gradibus, et cunctis ducibus, atque comitibus, omnibus Deum timentibus, per Gallias et Francorum provincias constitutis directa, sicut in ea continetur, quam sequuntur synodales conventus quos sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ, legatus Bonifacius Maguntiensis Ecclesiæ archiepiscopus vice supradicti Zachariæ papæ una cum Carolo Magno Francorum principe canonice tenuit, ut agnoscant omnes hæc prædictorum principum capitula maxima apostolica auctoritate fore confirmata.

CAP. CXLIX. *Leges imperatorum custodiri oportet.*

Leo III Lothario Augusto.

(Dist. 10, c. *De capitulis.*) De capitulis vel præceptis imperialibus, nostris nostrorumque pontificum et prædecessorum irrefragabiliter custodiendis et conservandis, quanto valuimus et valemus, Christo propitio, et nunc et in ævum conservaturos, omnibus modis profitemur. Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.

CAP. CL. *Leges principum, aut regulas Patrum contemni non licet.*

Gelasius Rufino et Aprili episcopis.

(Dist. 10, c. *Quis autem.*) Quis autem leges principum aut Patrum regulas, aut admonitiones modernas, dicat contemni, nisi qui impunitum sibi æstimet tantum transire commissum.

CAP. CLI. *Serventur ab omnibus Romanis principibus leges.*

Idem Theodorico regi.

(Dist. 10, c. *Certum.*) Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, nullo magis circa reverentiam beati Petri apostoli pro suæ felicitatis augmento velle servari.

CAP. CLII. *Romana lex nullius temeritate debet corrumpi.*

Leo IV Lothario Augusto.

(Dist. 10. c. *Vestram.*) Vestram flagitamus clementiam, ut sicut hactenus lex Romana viguit absque universis procellis, et pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur, propriumque vigorem obtineat.

CAP. CLIII. *Leges imperatorum in adjutorium Ecclesiæ licet assumere.*

Aug. contra Petilianum.

(Dist. 10, c. *Si in adjutorium*). Si in adjutorium vestrum terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus : fecit hoc Paulus cum adversus injuriosos Romanum civem se esse testatur.

CAP. CLIV. *Supplicium acquirit qui justis imperatorum legibus non obtemperat; at, contra, præmium, qui non vult obtemperare legibus quæ contra veritatem Dei feruntur.*

Aug., ep. 50, ad Bonifacium.

(Dist. 9, c. *Imperatores*, § *Quicunque.*) Quicunque autem legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Quicunque vero legibus imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CLV. *Non est resistendum consuetudini, cui canonica non obstat auctoritas.*

Nicolaus Michaeli imperatori.

(Dist. 12, c. *Scit sancta.*) Scit sancta Romana Ecclesia quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, si illis canonica non obstat auctoritas, quando una fides per dilectionem operans uni Deo omnes commendat.

CAP. CLVI. *Quod consuetudines diversæ in diversis Ecclesiis constitutæ maneant, si contra fidem non sunt, et veritati consentiunt.*

Leo III Lothario Augusto.

(Dist. 12, c. *Ridiculum.*) De consuetudinibus quas nobis opponere nisi estis, scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obstitit auctoritas, pro qua eis obviare debemus, nil judicamus vel eis resistimus. Item, Igmaro archiepiscopo: Ridiculum est et satis abominabile dedecus ut traditiones quas antiquitus a Patribus suscepimus infringi patiamur.

CAP. CLVII. *Laudabilis est consuetudo quæ nihil fidei contrarium usurpat.*

Pius papa.

(Dist. 11, c. *Consuetudinem.*) Consuetudinem laudamus quæ tamen contra fidem Catholicam nil usurpare dignoscitur.

CAP. CLVIII. *Ubi auctoritas deficit, mos populi et majorum instituta pro lege servantur*

Aug. ad Consulanum presb.

(Dist. 11, c. *In his rebus.*) In his enim rebus de quibus nil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei et instituta majorum pro lege tenenda sunt, et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.

CAP. CLIX. *Inviolabilis est consuetudo quæ nec humanis legibus nec sacris canonibus obviare monstratur.*

Ex dictis Basilii, c. 28.

Ecclesiarum institutiones quasdam Scripturis, quasdam vero apostolica institutione, per successores ministerio confirmatas accepimus, quadam vero consuetudine roboratas approbavit usus. Quibus par ritus et idem utrisque pietatis debetur affectus. Unde quis vel aliquantulum sacrarum expertus Scripturarum hæsitaverit? Si enim attentaverimus consuetudines Ecclesiæ non per scripturas a Patribus traditas, nihil æstimare, quantum religio detrimenti latura sit, despicientibus liquido constabit. Quæ enim, ut inde ordiamur, scriptura, salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ vel trifariam digesta super panem et calicem prolixæ orationis et consecrationis verba commendavit? Nam non modo quod continetur in Evangelio vel ab Apostolo insertum secretis didicimus, sed et alia per plura adjicimus magnam quasi vim commendantia mysteriis. Quæ orientem versus nos adorare litterarum forma præstitit? Benedicimus fontem baptismatis oleo unctionis. Huc accedit quod ter mergimus, quod baptizatos oleo ungimus, verbis abrenuntiare Satanæ et angelis ejus informamus. Unde hæc et alia in hunc modum non pauca, nisi tacita et mystica traditione a Patribus ecclesiastico more, reverentiori diligentia sunt, in ministeriis observata silentio, quam publicata scripto.

CAPUT CLX.

Constitutionum l. I, c. 1.

(Instit. de jure nat. gen. et civ., § *Ex non Scripto.*) Ex non scripto jus venit quod usus approbavit. Nam diuturni mores consensu utentium approbati, legem imitantur. Item quæ ipsa sibi quæque civitas constituit, sæpe mutari solent vel tacito consensu principis, vel alia postea lege lata.

CAP. CLXI. *Quod sit mos, et quid est consuetudo?*

Isid., *Etym.* v, 3.

(Dist. 11, c. *Mos est.*) Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta. Item consuetudo est jus quoddam moribus institutum quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Nec differt utrum scriptura an ratione consistit.

CAP. CLXII. *Quod consuetudo et usus tenendus sit, si nec legi nec rationi contrarius est.* Vel sic: *Quidquid fit, contra longam consuetudinem, revocari oportet.*

Cod. l. VIII, tit. 1.

(Dist. 12, c. *Consuetudo.*) Consuetudo præcedens et ratio, quæ consuetudinem suasit, tenenda est, et quidquid contra longam consuetudinem fiet, ad consuetudinem suam revocabit præses provinciæ.

CAP. CLXIII. *Non potest usus et consuetudo legem et rationem vincere.*

Ibid., tit. II, lib. VIII.

Consuetudinis ususque non vilis auctoritas est, verum non usque adeo valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.

CAP. CLXIV. *Radicitus est evellenda perniciosa consuetudo.*

Nicolaus papa Igmaro.

(Dist. 8, c. *Mala autem.*) Mala consuetudo non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, quæ nisi citius radicitus exstirpetur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur, et incipiunt prævaricationes et variæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari, in privilegiorum more perpetuo celebrari.

CAP. CLXI. *Pravus usus ratione superatur et lege.*

Ibid. in *Synonymis.*

(Dist. 11, c. *Usus auctor.*) Usus auctoritati cedat. Pravum usum lex et ratio vincat veritati manifesta, cedat consuetudo veritati. Plane quis dubitet veritati manifeste consuetudinem cedere. Item, nemo consuetudinem rationi et veritati præponat, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit, si ratio, si veritas obtinetur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CLXVI. *Quælibet consuetudo veritati est postponenda.*

Aug., l. IV *De baptismo*, c. 5, 6.

(Dist. 8, c. *Si consuetudinem.*) Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum fuit episcopo, quod Dominus dicit: *Ego sum, inquit, veritas* (*Joan.* XIV), non ait, ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe ut beati Cypriani utamur sententia: Quælibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est non postponenda et usus qui veritati est contrarius, abolendus.

CAP. CLXVII. *Veritate revelata, consuetudinem sibi cedere oportet.*

Aug. in lib. *De baptismo parvul.*

Revelatione igitur facta, cedat error veritati, quia et Petrus qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti.

CAP. CLXVIII. *Resecanda sunt quæ neque auctoritatibus neque moribus universitatis comprobantur.* Vel sic: *Quod usus qui nec auctoritate roboratur, et in aliis locis aut vix aut nunquam tenetur, omnino respuatur, quamvis contra fidem non constituatur.*

Aug. *ad inquisit Januar.*, ep. 119, c. 19.

Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec de conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ quas in eis constituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur sine ulla dubitatione, resecanda æstimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis et manifestissimis celebratiorem sacramentis misericordia Dei voluit esse liberam. Quam servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiam si tempus libertatis non cognoscunt, legalibus tamen sacramentis non humanis præsumptionibus subjiciuntur

DE OBSERVATIONE SABBATI ET DIEI DOMINICÆ.

CAP. CLXIX. *Non est die Sabbati feriandum.*

Greg. civibus Romæ, l. II, ep. 3.

(De consecr. dist. 3, c. *Pervenit.*) Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines, prava inter vos aliqua et sanctæ fidei adversa seminasse, ita ut die Sabbati aliquid operari prohiberent, quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerimus, qui venientes diem Sabbatum atque Dominicum ab omni facient opere custodiri, quia enim mori se et resurgere simulat, haberi vult in veneratione Dominicum diem. Et quia populum judaizare compellit, ut in exteriorem legis ritum provocet, et sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum.

CAP. CLXX. *Diebus Dominicis mercari, litigari, judicari vel jurari non debet, sed de vespera ad vesperam debent celebrari.*

Conc. Compendiense, c. 2.

(Extrav. *De feriis.*) Omnes dies Dominicas a vespera in vesperam cum omni veneratione et observatione decrevimus ab illicito opere abstinere, et ut mercatus in eis minime fiat, nec placitum, ubi aliquis ad pœnam vel ad mortem judicatur, nec sacramentum juretur in eis nisi pro pace facienda.

CAP. CLXXI. *De eodem*

Ex conc. eodem, c. 8.

(De Consecr. dist. 3, init.) Ut mercatus die Dominico in nullo loco habeatur.

CAP. CLXXII. *De eodem.*

Ex conc. eodem, c. 6.

Tria catartaria opera licet fieri in Dominica die, id est, hostilicidia, carra, vectualia vel angaria, et, si forte necesse sit, corpus cujuslibet duci ad sepulcrum.

CAP. CLXXIII. *Nec in die Dominico, nec in diebus Pentecostes in oratione genua flectantur.*

Conc. Aurel., c. 13.

(De consecr. dist. 3, c. *Quoniam.*) In Dominicis diebus vel cæteris festivis diebus, usque ad vesperam a vespera non flectant genua, sed stantes incurvati orent.

DE JEJUNIO.

CAP. CLXXIV. *Septem hebdomadibus a carne et deliciis ante Pascha clerici abstineant.*

Telesphorus in decretali sua.

(Dist. 4, c. *Statuimus* [141].) Cognoscite a nobis et cunctis episcopis, in hac sancta et apostolica sede congregatis, statutum esse ut, septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha, omnes clerici in sorte Domini vocati a carne jejunent, quia sicut discreta debet esse vita clericorum a laicorum conversatione, ita et in jejunio debet fieri discretio. Has ergo septimas hebdomadas omnes clerici a carne et a deliciis jejunent, et hymnis et vigiliis, et orationibus Domino inhærere die noctuque studeant.

(144) Concordat c. *Denique*, ead. dist., sed in fine illius c. dicitur: « Hæc etsi legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt, non observantes transgressionis reos non arguent; alias contra, nisi forte quis dicat hæc non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripto. Decretum vero necessitatem facit, exhortatio autem liberam voluntatem.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CLXXV. *Quibus temporibus jejunia celebrentur.*

Calixtus papa Benedicto episcopo.

(Dist. 76, c. *Jejunium.*) Jejunium quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decrevimus, ut sicut annus per quatuor tempora volvitur, sic et nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora.

CAP. CLXXVI. *Die Dominica et quinta feria non est servandum jejunium.*

Melchiades papa ad episc. Hispan.

(De consecr. dist. 3, c. *Jejunium.*) Jejunium Dominicæ diei, et v feriæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Christianorum et gentilium, et non veraciter credentium atque hæreticorum, vera et non falsa discretio habeatur.

CAP. CLXXVII. *Ob reverentiam sepulturæ Dominicæ, Sabbato jejunare debemus.*

Innocent. I ad Decentium.

(De consecr., dist. 3, c. *Sabbato.*) Sabbato vero jejunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicam ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulas hebdomadarum dies, ipsius diei imaginem frequentamus. Ac sicut sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quia inter tristitiam et lætitiam temporis ipsius videtur esse inclusum. Nam utique constat apostolos biduo isto in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occultasse, quod utique non dubium est eos tantum jejunasse biduo memorato ut habeat traditio Ecclesiæ isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma et per singulas utique tenenda est hebdomadas propter id quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant semel atque uno Sabbato jejunandum, ergo et Dominicum et sexta feria semel in Pascha erit utique celebrandum.

CAP. CLXXVIII. *Ut in Julio et Augusto mense jejunium non observetur.*

Ex concilio Eliberitano, cap. 23.

Jejunia seu abstinentias, per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium, Julio et Augusto, ob eorumdem infirmitatem.

CAP. CLXXIX. *Quarta et sexta feria sunt servanda jejunia.*

Ex Vita Apollonii abbatis apud Palladium.

(De consecr. dist. 3, c. *Jejunia.*) Jejunia sane legitima, id est quarta et sexta feria non sunt solvenda, nisi grandis aliqua necessitas affuerit, quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitaverat, et sexta feria crucifixus est Salvator. Videbitur ergo qui in his diebus, si non aliqua necessitate solverit statuta jejunia, vel cum tradente tradere Salvatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.

CAP. CLXXX. *Quibus mensibus et quibus mensium hebdomadibus jejunia Quatuor Temporum constituantur.*

Conc. Mogunt., c. 34.

(Dist. 76, c. *Constituimus.*) Constituimus ut Quatuor anni Tempora ab omnibus hominibus cum jejunio observentur, id est in Martio hebdomada prima; in Junio secunda; in Septembri tertia; in Decembri quarta, quæ fuerit ante vigiliam Natalis Domini, id est feria quarta, et sexta, et Sabbato veniant omnes ad ecclesiam hora nona, cum litaniis ad missarum solemnia.

CAP. CLXXXI. *De eodem.*

Conc. Salegunstad.

(Dist. 76, c. *De jejunio.*) De incerto autem jejunio Quatuor Temporum hanc certitudinem statuimus, ut si Kalend. Martii in *quarta feria* sive antea evenerit, de eadem *hebdomada jejunium* celebretur. Si autem Kalend. Martii in quinta feria aut in sexta feria, aut in Sabbato distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo, si Kalend. Junii in quarta feria aut antea evenerit, in sequenti hebdomada jejunium celebretur; et si in quinta aut in sexta feria, aut Sabbato contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est, quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes, secundam prædictam regulam, evenerit, inibi celebrandum erit; sed etiam in hebdomada ipsa solemni Pentecostes, quia vigiliam similiter et jejunium celebrare non convenit, et tunc propter solemnitatem Spiritus sancti, dalmaticis induantur, et *Alleluia* cantetur et *Flectamus genua* non dicatur.

Eodem modo de septimi mensis jejunio constitutum est, ut si Kalend. Septembris in quarta feria evenerit aut antea, jejunia in tertia hebdomada celebrentur; et si in quinta aut in sexta, aut in Sabbato contigerit, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri vero illud observandum erit ut in proximo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium, quia si vigilia in Sabbato evenerit, simul vigiliam et jejunium celebrare non convenit.

CAP. CLXXXII. *Qua computatione videatur Quadragesima anni decima, et de observatione Quadragesimæ.*

Greg., homil. 16 in Evang.

(De consecr. dist. 5, c. *Quadragesima.*) Quadragesima summa observatione est observanda ut jejunium in ea præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni. A prima igitur Dominica Quadragesimæ, usque in Pascha Domini, sex hebdomadæ computantur, quarum videlicet dies XLII fiunt. Ex quibus dum sex dies Dominicæ abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam XXXVI dies remanent, verbi gratia: si per trecentos sexaginta quinque dies annus ducitur, et nos per XXXVI dies affligimur, quasi anni decimas damus Deo, et ut sacer

Introdusă în format electronic de Google

numerus XL dierum impleantur, quæ Salvator noster suo sacro jejunio consecraverit IV dies prioris hebdomadæ ad supplementum XL dierum, addantur id est quarta feria quæ Caput jejunii subnotatur, et V feria sequens, et VI et Sabbatum. Nisi quatuor istos dies superioribus XXXVI adjunxerimus XL dies in abstinentia non haberemus. Jubemur etiam ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare. Quapropter ut omnis a nobis rite persolvatur, tollamus decimam anni, et in ea peccata nostra confitendo, corrigendo nos, jejunando, orando, eleemosynam dando abstergamus, et carnem nostram decimemus, ut ad sanctum Pascha securi pervenire possimus.

CAP. CLXXXIII. *Quibus temporibus flectentur genua.*

Conc. Aurel., c. 13.

(Dist. 30, c. *Si quis presb.*, § *Placuit.*) Ut presbyteri plebibus annuntient, quod in Quadragesima, et in jejunio Quatuor Temporum, tantummodo ad missarum solemnia genua flectere debeant, in Dominicis diebus et in cæteris festis minime. Nec quisquam ullatenus uno genu flexo orare præsumat, sicut Judæi irridentes Dominum in passione ejus fecisse leguntur, sed utraque genua in terram ponat. Ait enim Apostolus : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi* (*Ephes.* III).

CAP. CLXXXIV. *Ante missarum solemnia, circa horam nonam decantata in Quadragesima nulli comedere licet.*

Conc. Cabilon., c. 5.

(De consecr. dist. 1, c. *Solent plures.*, Solent plures qui se jejunare putant in Quadragesima, A mox ut audierint signum, ad horam nonam manducare. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missam et auditis missarum solemniis et vespertinis officiis largitis eleemosynis ad cibos accedendum est. Si vero aliquis ita necessitate constrictus fuerit ut ad missam venire non valeat, æstimata vespertini hora completa oratione sua, jejunium solvat.

CAP. CLXXXV. *Quotidiana jejunia duplicatis vel triplicatis sunt præferenda.*

Aug., ep. 65, ad Eustochium, de custodia virginitatis.

(De consecr., dist. 5, c. *Sint tibi.*) Sint tibi quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens. Ni- B hil enim prodest tibi, biduo aut triduo transmisso, vacuum portare ventrem, si pariter obstruatur, si compensantur saturitate jejunia. Illico mens repleta torpescit, et irrigata terra corporis hujus spinas et carduos germinat.

CAP. CLXXXVI. *De eadem re.*

Hieron. ad Nepotianum, de vita cleric.

Sint tibi jejunia pura, continua, moderata, id est quotidie esurire, et quotidie prandere.

CAP. CLXXXVII. Hieron. *ibid.*

Parcus cibus et semper venter esuriens, triduanis præfertur jejuniis.

CAP. CLXXXVIII. Hieron. *ibid.*

Spernitur jejunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur.

C

CAP. CLXXXIX. Isidorus.

Perfectum jejunium est, quando homo noster exterior jejunat, et interior orat.

DE ELEEMOSYNA.

CAP. CXC. *Jejunio eleemosyna jungenda.*

Diebus vero jejunii eleemosyna facienda est et cibum sive potum quo quisque debuit uti, si jejunaverit, pauperibus eroget. Quia jejunare et cibos prandii ad cœnam servare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

CAP. CXCI. *Qui de rebus concessis vel bene quæsitis eleemosynam impendit, illa placet Deo.*

Greg. ep. 110, l. VII, ad Siagrium.

(14, q. 5, c. *Eleemosyna.*) Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non illicitis et inquinate congeritur, sed quæ de rebus concessis et bene acquisitis impenditur. D

CAP. CXCII. *De multiplici genere eleemosynarum.*

Albinus seu Alcuinus.

(Dist. 45, c. *Tria.*) Tria genera sunt eleemosynarum, una corporalis, egenti dare quidquid poteris; altera spiritualis, dimittere a quo læsus fueris; tertia delinquentes corrigere, et errantem ducere in viam veritatis.

CAP. CXCIII. *Eleemosynis pecuniæ præfertur eleemosyna cordis.*

Aug. hom. 6, l. I. *Homil.*

(Dist. 45, c. *Duæ sunt.*) Duæ sunt eleemosynæ, una cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est dimittere quod læsus est. Nam dare aliquid aliquando indigenti quæris et non habes; indulgere peccato quantum volueris redundat tibi. Eleemosyna cordis multo major est quam eleemosyna corporis. Charitatis eleemosyna sine terrena substantia sufficit; illa vero quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur omnino non sufficit.

CAP. CXCIV. *Non potest fieri eleemosyna ex pecunia Simoniace acquisita.*

Greg., ep. 110, l. VII.

(1, q. 1, c. *Non est.*) Neque eleemosyna putanda est si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvetur.

CAP. CXCV. *Augustinus De doctrina Christiana.*

Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus

Introdusă în format electronic de Google

non usus rerum sed libido in culpa est. Quod igitur locis et tempori et personis conveniat diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest ut sine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretiosissimo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma, in vilissimum ardescat et sanius quisque maluerit more A Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abraham, aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores sunt nobis plures bestiæ quia vilioribus utuntur escis. Nam omnibus hujusmodi rebus non ex earum natura quibus utimur, sed eam utendi et modo appetendi, vel probandum est, vel improbandum, quod facimus.

LIBER TERTIUS.

DE SUMMI PONTIFICIS ELECTIONE.

CAP. I. *Quomodo et a quibus personis facienda sit electio summi pontificis.*

Ex Decretis Nicolai papæ, c. 1.

(Dist. 23, c. *In nomine Domini.*) In nomine Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejus 1059, mense Aprilis, indictione XII, præpositis sacrosanctis Evangeliis, præsidente quoque reverendissimo ac beatissimo Nicolao apostolico papa, in basilica Lateranensi patriarchica quæ cognominatur Constantiana, considentibus etiam reverendissimis episcopis, abbatibus, seu venerabilibus presbyteris atque diaconis, idem venerabilis pontifex, auctoritate apostolica decernens, de electione summi pontificis inquit : « Novit beatitudo vestra, dilectissimi fratres et episcopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piæ memoriæ domino Stephano prædecessore nostro, hæc apostolica sedes cui, auctore Deo deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per Simoniacæ hæresis trapezitas repetitis malleis crebrisque tunsionibus subjacuerit, adeo ut columna Dei viventis jam pene videretur nutare, et sagena summi piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi. Unde, si placet fraternitati vestræ, debemus, auxiliante Deo, futuris casibus prudenter occurrere, et ecclesiastico statui ne vel recidiva (quod absit!) mala prævaleant, in posterum providere. Quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumque sanctorum auctoritate Patrum, decernimus atque statuimus ut, obeunte hujus Romanæ universalis Ecclesiæ pontifice, inprimis cardinales episcopi diligentissime simul de electione tractantes mox Christi clericos cardinales adhibeant, sicque reliquus populus et clerus ad consensum novæ electionis accedant, nimirum præcaventes ne venalitatis morbus qualibet occasione subrepat. Et ideo religiosissimi viri præduces sint in promovendi pontificis electione, reliqui autem sequaces. Et certe rectus ac legitimus hic electionis ordo perpenditur, si perfectis diversorum regulis Patrum sive gestis, etiam illa beati prædecessoris nostri Leonis sententia recolatur. « Nulla, inquit, ratio sinit ut inter episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, B nec a comprovincialibus episcopis, cum metropolitani judicio consecrati. »

Quia vero sedes apostolica *cunctis in orbe terrarum* præfertur Ecclesiis, atque ideo super se metropolitanum habere non potest, cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum antistitem, ad apostolici culminis apicem provehunt. Eligatur autem de ipsius Ecclesia, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia sumatur salvo debito honore, et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui inpræsentiarum rex habetur, et futurus imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam sibi concessimus et successoribus suis, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint.

C Quod si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita electio fieri in urbe non *possit*, cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicis laicisque, licet paucis, jus potestatis obtineant eligere apostolicæ sedis pontificem, ubi congruentius judicaverint. Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscunque hominum conatus, malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est, in apostolica sede juxta consuetudinem intronizari non valeat, electus tamen sicut papa auctoritatem obtineat, regendi sanctam Romanam Ecclesiam, et disponendi omnes facultates illius, quod beatus Gregorius ante suam consecrationem fecisse cognovimus. Quod si quis contra hoc nostrum decretum, D synodali sententia promulgatum per seditionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus vel intronizatus fuerit, auctoritate divina, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, perpetuo anathemate, cum suis auctoribus, fautoribus, sequacibus, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus subjiciatur, sicut antichristus, et invasor, et destructor totius christianitatis; nec aliqua super hoc ei audientia aliquando reservetur, sed ab omni ecclesiastico gradu quocunque prius fuerat, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tanquam pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus. Quisquis hujus nostræ

Introdusă în format electronic de Google

decretalis sententiæ temerator exstiterit, et Romanam Ecclesiam sua præsumptione confundere et perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, et cum impiis qui non resurgunt in judicio reputetur. Omnipotentis scilicet Dei Patris et Filii et Spiritus sancti contra se iram sentiat, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum præsumit confundere Ecclesiam, in hac vita et in futura furorem sentiat. *Fiat habitatio* ejus *deserta, et in tabernaculis* ejus *non sit qui inhabitet* (*Psal.* LXVIII): *Fiant filii ejus orphani et uxor ejus vidua* (*Psal.* CVIII). *Commotus amoveatur ipse atque filius ejus, et mendicent et ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus et diripiant alieni labores ejus* (*ibid.*). Orbis terrarum pugnet contra eum, et cuncta elementa sint ei contraria et omnium quiescentium in terra merita illum confundant, et in hac vita super eum apertam vindictam ostendant. Observatores autem hujus nostri decreti, et omnipotentis Dei gratia protegat, et auctoritas beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omnium peccatorum, vinculis absolvat. »

Nicolaus episcopus sanctæ catholicæ Ecclesiæ et Romanæ huic decreto a nobis promulgato, sicut supernis legitur descripsi. Bonifacius Dei gratia Albanensis episcopus subscripsi. Gumbertus sanctæ Ecclesiæ Silvæ Condinæ (*f* Candidæ) subscripsi. Petrus Ostiensis Ecclesiæ episcopus subscripsi. Et cæteri episcopi numero LXXIV cum presbyteris et diaconibus subscripserunt.

Stephanus papa, quia sancta Romana Ecclesia cui, auctore Deo, præsidemus, a plurimis patitur violentias, pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque imperiali notitia et suorum legatorum præsentia pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui scandala vetent fieri, volumus ut cum instituendus est pontifex, convenientibus episcopis et universo clero eligatur, ex præsente senatu et populo, qui ordinandus est, et sic electus ab omnibus præsentibus legatis imperialibus consecratur, nullusque sine periculo sui juramenta vel promissiones aliquas, nova adinventione audeat exstorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne vel Ecclesia scandalizetur et imperialis honorificentia minuatur.

CAP. II. *Si papa de electione sui successoris ante decernere non potuerit.* Vel sic : *Quorum vota debeant prævalere in electione summi pontificis.*

Ex Decretis Symmachi papæ, c. 4.

(Dist. 79, c. *Si transitus.*) Si (quod absit!) transitus papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris non possint ante decernere, ut supra placuit, siquidem in unum se totius convenerit ecclesiastici ordinis electio consecretur electus episcopus. Si tamen, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa, eorum de quibus certamen emerserit, convincat sententia plurimorum, sic tamen ut sacerdotio careat qui captus promissione non recto judicio de electione decreverit.

CAP. III. *Non licet alicui episcopo contra Romanorum pontificum decreta aliquid agere.*

Ex Libro diurno Rom. pont.

(25, q. 1, c. *Omnia decretalia.*) Profiteor diligentius et vivacius omnia decreta canonica prædecessorum nostrorum pontificum, quæ vel synodaliter statuerunt et probata sunt confirmare, et indiminuta conservare, et sicut ob eis statuta sunt in sui vigoris stabilitate custodire. Quæque vel quosque condemnaverunt vel abdicarunt, simili sententia condemnare et abdicare.

CAP. IV. *Apostolicæ sedis auctoritas contra sanctorum statuta aliquid condere non valet.*

Ex eodem libro.

(25, q. 1. c. *Contra statuta*; concord. c. *Cum isto.*) Nihil de traditione quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam et servatam reperi, diminuere vel mutare aut aliquam novitatem admittere, sed frequenter ut eorum discipulus et sequi illa totis mentis meæ conatibus quæ tradita canonice comperio, observare ac venerari profiteor.

CAP. V. *Non eligatur in episcopatu, nisi in sacris ordinibus constitutus.*

Conc. Benevent., cap. 1. Urbanus papa.

(Dist. 70, c. *Nullus.*) Nullus in episcopatum eligatur, nisi qui sacris ordinibus religiose vivens inventus est; sacros autem ordines dicimus, diaconatus, presbyteratus, hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse. Super his solis præceptum apostoli habemus; subdiaconos vero quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente, concedimus, sed rarissime si tamen spectatæ sint vitæ, religionis et scientiæ. Quod ipsum non sine Romani pontificis vel metropolitani licentia firmiter fieri permittimus.

CAP. VI. *Si plures eligantur, quis debeat præponi.*

Ex Decretis Leonis, c. 1.

(Dist. 63, c. *Clerici* et c. seq.) Cum de summi pontificis electione tractabitur, ille omnibus præponatur quem cleri plebisque consensus concorditer postulaverit, ita ut si in alium fortasse partium se vota diviserint, metropolitani judicio, is alteri præferatur qui majoribus studiis juvatur et meritis, tamen ut nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne plebs invita episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licet habere quem voluit.

Introdusă în format electronic de Google

DE ELECTIONE ET CONSECRATIONE EPISCOPORUM ET PRESBYTERORUM.

CAP. VII. *Quod clerus episcopum sibi non de altera, sed de sua eligat Ecclesia, nisi dignus in sua non inveniatur.*

(Dist. 61, c. *Nullus invitis.*) Nullus invitis detur episcopus (nisi) cleri et plebis et ordinis consensum et desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsi clero, cui episcopus est ordinandus nullus dignus, quod evenire non credimus, potuit reperiri. Primum enim reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur, habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegerit ætate. In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vindicare mercedem, sit facultas clericis renitendi si se viderint prægravari, ut quem sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeat, refutare. Qui si non debitum præmium vel liberum de eo qui eos recturus est, debent habere judicium.

CAP. VIII. *Quod laica persona nullam habeat vocem in electione episcopi.*

Synodus octava, c. 11. ex canone apost.

Promotiones et consecrationes episcoporum concordant prioribus conciliis clericorum electione ac decreto et episcoporum collegio fieri hæc sancta et universalis synodus definivit et statuit atque jure promulgavit; neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitani aut cujuslibet episcopi, ne videlicet inordinata et incongrua hinc fiat electio vel contentio, vel confusio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum vel cæterorum laicorum habere conveniat sed silere et attendere sibi usquequo regulariter collegio Ecclesiæ suscipiat finem regulariter electio futuri pontificis. Si vero quisque laicorum ad contractandum et cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujuscemodi laico cum reverentia, si forte voluerit obtemperare se assistentibus. Taliter enim dignum pastorem sibi regulariter ad suam clerus Ecclesiæ salutem promovet.

De eodem.

(Dist. 63, c. *Nullus*, § *Quisquis.*) Quisquis autem sæcularium principum vel potentum, vel alterius dignitatis laicus adversus communem, consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat quod Ecclesia de electione et ordinatione proprii præsulis se velle monstravit.

CAP. IX. *Non recipiatur a comprovincialibus, qui regia ordinatione episcopale culmen est adeptus.*

Canones Paris. sub Ludov. imp.

(Dist. 61, c. *Si per ordinationem.*) Si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit a comprovincialibus loci ipsius episcopis recipi penitus nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum cognoscunt. Si quis de comprovincialibus recipere contra interdicta præsumpserit sit a fratribus segregatus, et ab ipsorum omnium charitate semotus.

CAP. X. *Cæteris assentientibus, cum tribus comprovincialibus ordinetur episcopus.*

Ex decretis Aniceti, c. 1.

(Dist. 64, c. *Comprovinciales.*) Si archiepiscopus obierit, et alter ordinandus archiepiscopus fuerit electus, omnes ejusdem provinciæ episcopi ad sedem metropolitani conveniant, ut ab omnibus ipse ordinetur. Oportet autem qui illis omnibus præesse debet, ut ab omnibus illis eligatur et ordinetur. Reliqui vero comprovinciales episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus a tribus jussu archiepiscopi consecrari possunt episcopi, sed melius est si ipse cum omnibus eum, qui *dignus* est, elegerit, et eum pariter consecraverit *pontificem*. Et licet istud, necessitate cogente, concessum sit, illud autem quod de archiepiscopi consecratione præceptum atque prædictum est, id est ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus mutari licet, quia qui illis præest, ab omnibus episcopis, quibus præest, constitui debet. Sin autem aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita ejus erit (*sic*) acta ordinatio.

CAP. XI. *Quod archiepiscopi post suam consecrationem ab apostolico pallium debeant suscipere, et fidem suam exponere.* Vel sic: *Intra tres menses fidem suam exponere et pallium postulare a Romana Ecclesia quisque metropolitanus studeat.*

Ex decretis Damasi papæ, c. 1.

(Dist. 100, c. *Quoniam quidam.*) Quoniam quidam metropolitanorum, fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctæ sedi apostolicæ exponere detrectantes, usum pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio viduatis ecclesiis non sine periculo protelatur, placuit ut quisquis metropolitanus qui ultra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi dignitate careat, sitque licentia metropolitanis aliis post secundam et tertiam commonitionem viduatis Ecclesiis cum consilio Romani pontificis ordinando episcopos subvenire. Si vero consecrandi episcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi neque alicubi consecrationis donum percipiat, imo metropolitani sui judicio cedat.

CAP. XII. *Ordinationes episcoporum qua hora fieri debeant.*

Anacletus, ep. 2, ad episc. Italiæ.

(Dist. 75, c. *Ordinationes.*) Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica, ab omnibus qui in eadem fuerint provincia episcopis, sunt celebrandæ,

Introdusă în format electronic de Google

qui simul convenientes, scrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus precibus celebretur, et manus cum sanctis Evangeliis, quæ prædicaturi sunt imponentes Dominica die, hora tertia orantes, sacraque unctione more prophetarum, exemplo regum capita ungentium eos more apostolorum et Moysi ungentes, quia omnis sanctificatio constat ex Spiritu sancto, cujus virtus invisibilis est sancto chrismati permista, et hoc ritu solemnem celebrent ordinem.

CAP. XIII. *Quare die Dominico ordinationes sacerdotum celebrentur.*

Leo I, ep. 79.

(Dist. 75, c. *Quod die Dominico.*) Quod die Dominico ordinationes sacerdotum celebrantur, non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica novimus doctrina venire, Scriptura manifestante, quod cum apostoli Paulum et Barnabam ex Spiritus sancti præcepto ad evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus (*Act.* XIII), ut intelligamus quantam et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum videatur negligenter impletum, et id eo pie et venerabiliter apostolicis morem gesseris institutis. Si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias quibus Deus præesse voluit, etiam ipse reservaveris, ut his qui consecrandi sunt, nunquam benedictio nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuatur. Cui a vespere Sabbati constat initium ascribi quæ tantis divinarum mysteriis dispensationum est consecrata, ut quidquid a Domino insignius est constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hoc mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi et mors interitum, et vita accepit principium.

CAP. XIV. *Quid pontifex, quid diaconus, quid notarius facere debeat, in ordinatione episcopi.*

Ordinando episcopo pontifex manum imponat, evangelicam vero lectionem minister legat, confirmationis epistolam notarius scribat.

CAP. XV. *Quod nullum episcopum metropolitanus consecret sine tribus episcopis, ad minus, aliis episcopis assensum dantibus.*

Ex conc. Aurel., c. 1.

(Dist. 53, c. *Extra*, et dist. 55, c. *Non debet*, c. *Nec episcopi*; extr. *De temp. ordin.*) Nullus episcopus sine metropolitani permissu, nec episcopus metropolitanus, sine tribus comprovincialibus episcopis præsumat episcopum ordinare, ita ut alii comprovinciales episcopi admoveantur, ut se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua fuerit dubitatio, majori numero metropolitanus in electione consentiat.

CAP. XVI. *Episcopales sedes, non longo intervallo a se debent disjungi.*

Greg., cap. 8 Respons. ad interrog. Aug. Cantuar.

(Dist. 80, c. *Fraternitatem.*) Fraternitatem tuam ita volumus episcopos ordinare, ut ipsi sibi episcopi non longo intervallo sibi disjungantur, quatenus nulla sit necessitas ut in ordinatione episcopi convenire non possint. Nam episcoporum ordinatio, sive aggregatis tribus aut quatuor episcopis fieri nullatenus debet.

CAP. XVII. *De episcopis non ordinandis a pauciori-bus quam a tribus episcopis.*

Anacletus in Decret. c. 1.

(Dist. 66, c. *Porro.*) Si omnes simul convenire non potuerint, assensum suis precibus præbeant ut ab ipsa ordinatione animo non desint. Porro et Hierosolymitanum primum episcopum Jacobus, qui Justus dicebatur, et secundum carnem Domini nuncupatus est frater, a Petro, Jacobo et Joanne apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantes formam eorum, ut minus quam a tribus episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, nullatenus ordinetur, et communi voto ordinatio celebretur.

CAP. XVIII. *Quid faciant episcopi in ordinatione alterius episcopi, et qualiter ordinetur episcopus.*

Conc. Carthag. IV, c. 2.

(Dist. 23, c. *Episcopus.*) Episcopus, cum ordinatur, duo episcopi manus imponant, et teneant evangeliorum codicem, et super caput et super verticem ejus, et uno fundente super eum benedictionem, reliqui omnes episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.

CAP. XIX. *Ex dictis Theodori archiepiscopi.*

In ordinatione episcopi, ipse qui ordinat, missam celebrare debet et qui ordinatur similiter.

CAP. XX. *Ex conc. Araus.* I, c. 10.

(Dist. 53, c. *De abjectione.*) De abjectione et ambitione ejus quem duo præsumpserint ordinare episcopi in vestris provinciis placuit de præsumptoribus, ut sicubi contigerit duos episcopos, tertium consecrare, et ipse et auctores damnabuntur, quo cautius ea quæ sunt antiquitus statuta serventur.

CAP. XXI. *Qui ordinandi sunt, feria quarta ad examinationem conveniant.*

Conc. Nannet., c. 3.

(Dist. 24, c. *Quando episc.*) Episcopus quando ordinationes facere disponit, omnes qui ad sacrum Ecclesiæ ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem vocandi sunt ad civitatem unam, cum presbyteris qui eos præsentari debent. Et tunc episcopus e latere suo eligere debet sacerdotes et alios prudentes viros non ignaros divinæ legis et exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene litterati, si in lege Domini instructi, diligenter investigent: ante omnia, si fidem catholicam teneant firmiter, et verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem quibus cura committitur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti a vero devient, ut indignum et minus idoneum ad sacros ordines suscipiendos,

Introdusă în format electronic de Google

manibus episcopi applicent. Quod si fecerint, et ille qui indigne accesserit ab altari removebitur, et illi qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo jam damnati, ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, et sic Sabbato qui probati sunt inventi episcopo præsententur.

CAP. XXII. *Caste se victuros promittant, in diaconos vel presbyteros ordinandi.*

Conc. Tolet. IV, c. 26.

(Dist. 28, c. *Quando presb.*) Quando presbyteri aut diaconi per parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub Dei timore, et dum eos tali professione obligaverit, sanctam disciplinam retineant.

CAP. XXIII. *Officialem libellum ab episcopo accipiant presbyteri cum ordinantur.*

Conc. Tolet. IV, c. 26.

(Dist. 38, c. *Quando presb.*) Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant ; ne per ignorantiam de ipsis divinis sacramentis offendant : ut quando ad litanias, vel ad concilium venerint, episcopo suo reddant rationem, qualiter susceptum officium celebrent et baptizant.

CAP. XXIV *Quæ sint sacerdotibus necessaria ad sciendum.*

Ex dictis Augustini.

(Dist. 38, c. *Quæ ipsis.*) Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sint ad discendum, id est liber sacramentorum, lectionarius, baptisterium, computus, canones pœnitentiales, psalterium, homiliæ per circuitum anni, Dominicis diebus et singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus, si unum defuerit, sacerdotis nomen in eo vix constabit, quia valde periculosæ sunt minæ evangelicæ quibus dicitur. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XIII).

CAP. XXV. *De temporibus ordinationis.*

Ex Decretis Gelasii papæ, c. 4.

(Dist. 76, c. *Ordinat. presb.*) Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, et Sabbati jejunio circa vesperas, ipsas ordinationes noverint celebrandas nec cujuslibet utilitatis causa, seu presbyterum seu diaconum his perferre audeant, qui ante ipsos fuerunt ordinati.

CAP. XXVI. *Ex conc. Meld., c. 6.*

Si qui ordinari petunt nullatenus ordinentur, nisi in loco certo et religioso, vel etiam civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita et conversatione, atque doctrina illorum certitudo possit agnosci.

CAP. XXVII. *Nullus ordinandus est absolute.*

Conc. Chalced. c. 6, act. 11.

(Dist. 70, c. *Neminem.*) Nullum absolute ordinari debere presbyterum, aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico constitutum, nisi manifeste in ecclesia suæ civitatis aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii, hic, qui ordinetur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Qui vero absolute ordinantur, decrevit synodus irritam haberi hujuscemodi manus impositionem, et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.

DE ÆTATE ORDINANDORUM.

CAP. XXVIII. *Episcopus vel presbyter non sit ordinandus ante tricesimum annum.*

Conc. Agath., c. 16.

(C. *Episcopus*, § *Presbyterum.*) Episcopum vero vel presbyterum ante triginta annos, id est antequam ad viri perfecti ætatem perveniat, nullus metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem, quod aliquando evenit, aliquo errore culpentur.

CAP. XXIX. *Ante* XXX *annorum ætatem, presbyter non ordinetur.*

Ex decretis Fabiani papæ ad Oriental. in conc. Neocæs.

(Decr. 78, c. 30, *Presbyter*, et dist. *Si quis.*) Si quis XXX ætatis suæ non impleverit annos, nullomodo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus, quia et ipse Dominus XXX annorum baptizatus est, et sic cœpit docere (*Matth.* IV). Non oportet ergo qui ordinandus est, usque ad hanc ætatem legitimam consecrari.

CAP. XXX. *Quando diaconus sit ordinandus.*

Conc. Carthag. III, c. 4.

(Dist. 77, c. *Placuit.*) Placuit ut ante viginti quinque annos ætatis, nec diaconi ordinentur, etiam si valde sint digni, nec virgines consecrentur, et ut rector populum non salutet.

CAP. XXXI. *Minoribus* XXV *annis levitica non præstetur benedictio.*

Conc. Tolet. V, c. 19.

(Dist. 77, c. *In veteri.*) In veteri lege ab anno XXV levitæ in tabernaculo servire præcipiuntur (*Num.* VIII) ; cujus auctoritatem in canonibus sancti Patres secuti sunt. Nos et divinæ legis non præcepti immemores, infantes et pueros levitas facimus ante legitimam ætatem atque experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat a nobis et divinæ legis et canonum admonetur sententiis, sed XXV annorum diaconi ordinentur, ita ut, secundum apostolorum præceptum, *probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes* (*I Tim.* III).

CAP. XXXII. *Ex Decretis Nicolai*, c. 6.

De ordinatis infra annos viginti grave nobis imminet periculum, quia prius se de victoria jactant quam debellare videantur aut sciant, id est, prius officia sacræ castitatis conscientia per cupiditatem arripiunt quam jacula incentiva naturæ experiri possint. Idcirco sacri canones sanxerunt ut sub-

Introdusă în format electronic de Google

diaconus non ordinetur ante XIV annos, nec diaconus ante XXV, nec presbyter ante tricesimum. Deinde si dignus fuerit, ad episcopatum eligi potest; quod nos quoque pari modo servari jubemus.

CAP. XXXIII. *Qualiter ordinetur presbyter.*

Conc. Carthag. IV, c. 3.

(Dist. 23, c. *Presbyter.*) Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas super caput illius juxta manum episcopi ponant.

CAP. XXXIV. *Qualiter ordinatur diaconus.*

Ex eodem conc. et c. eodem.

(Dist. 23, c. *Diaconus.*) Diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manus super caput illius ponat, qui non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

CAP. XXXV. *Qualiter subdiaconus ordinetur.*

Ex conc. eodem, c. 5.

(Dist. 23, c. *Subdiaconus.*) Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, et aquæ manile ac manutergium.

CAP. XXXVI. *Qualiter acolythus ordinatur.*

Ex conc. eodem., c. 6.

(Dist. 23, c. *Acolythus.*) Acolythus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda luminaria ecclesiæ mancipari. Accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum in eucharistiam sanguinis Domini.

CAP. XXXVII. *Qualiter exorcista ordinatur.*

Ex conc. eodem, c. 7.

(Dist. 23, c. *Exorcista.*) Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: *Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum.*

CAP. XXXVIII. *Qualiter lector ordinatur.*

Ex conc. eodem, c. 8.

(Dist. 23, c. *Lector.*) Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam atque ingenium, post hæc spectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus est dicens: *Accipe, et esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint.*

CAP. XXXIX. *Qualiter ostiarius ordinatur.*

Ex conc. eodem, c. 9.

(Dist. 23, c. *Ostiarius.*) Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradit ei episcopus claves ecclesiæ, de altario dicens ei: *Sic age quasi redditurus Deo rationem, pro his rebus quæ istis clavibus recluduntur.*

CAP. XL. *Qualiter psalmista ordinetur.*

Ex conc. eodem, c. 10.

(Dist. 23, c. *Psalmista.*) Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi, sola jussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: *Vide quod ore cantes, corde credas, et quod corde credis operibus probes.*

DE OFFICIIS ILLORUM QUI SUNT ORDINANDI.

CAP. XLI. *Quod episcoporum et caterorum sit officium in Ecclesia.*

Isid., ep. ad Leofrid. Cordub.

(Dist. 25, c. *Perlectis.*) Perlectis sanctitatis tuæ litteris, gavisus sum quod optatam salutem tuam earum relatu cognovi. De his autem quæ in consequentibus insinuare eloquii tui sermo studuit, gratias ago Deo quod sollicitudinem officii pastoralis impendis; qualiter et quomodo ecclesiastica officia ordinentur perquiris. Et licet omnia prudentiæ vestræ sint cognita, tamen quia affectu fraterno me consulis, ex qua parte qua valeo expediam, et de omnibus Ecclesiæ gradibus, quid ad quem pertineat, eloquar. Ad ostiarium namque pertinent claves ecclesiæ, ut claudat et aperiat templum Dei, et omnia quæ sunt intus extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos et infideles excludat. Ad exorcistam namque pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcizando imponere. Ad acolythum pertinet præparatio luminariorum in sacrario; ipse cereum portet, ipse suggesta pro eucharistia calicis præparet. Ad psalmistam pertinet officium canendi, scilicet dicere benedictiones, laudes, sacrificium, responsoria et quidquid pertinet ad cantandi peritiam. Ad lectorem pertinet lectiones pronuntiare, et ea quæ prophetæ vaticinaverunt populis prædicare. Ad subdiaconum pertinet calicem et patenam ad altare Christi deferre, et levitis tradere, eisque ministrare, urceolum quoque et aquæ manile et manutergium tenere, episcopo et presbytero et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi in baptismo vel in chrismate, in patena et in calice. Oblationes quoque inferre et disponere in altare, componere etiam mensam Domini atque vestire, crucem ferre, et prædicare Evangelium et Apostolum ad populos. Nam sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconus Novum prædicare præ-

Introdusă în format electronic de Google

ceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum et recitatio nominum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum; ipse hortatur orare, ipse clamat, et pacem ipse annuntiat. Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere et benedicere dona Dei. Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris et confectio chrismatis. Ipse prædicta officia et ordines ecclesiasticos distribuit, ipse sacras virgines benedicit, et dum præcesserit unusquisque in singulis ordinibus, ipse tamen est præordinator in cunctis.

Hi sunt ordines et ministeria clericorum, quæ tantum auctoritate pontificali in archidiaconi cura, et primicerii ac thesaurarii sollicitudine dividuntur. Archidiaconus enim imperat subdiaconibus et levitis; ad quem ista pertinent ministeria : ordinatio vestiendi altari, a levitis cura incensi et sacrificii necessaria sollicitudo. Quis levitarum Apostolum et Evangelium legat; quis preces dicat, seu responsorium in Dominicis diebus aut solemnitatem decantet? Sollicitudo quoque parochiarum et ordinatio, et jurgia ad ejus pertinent curam; pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggeret sacerdoti. Ipse ambit parochias cum jussione episcopi, et ornamenta et res basilicarum vel parochiarum, gesta libertatum ecclesiasticarum; episcopo item refert collectam pecuniam, ipse de communione accipit et episcopo defert; et clericis partes proprias iisdem distribuit. Ab archidiacono episcopo nuntiantur excessus diaconorum; et ipse denuntiat sacerdoti in sacrario jejuniorum dies atque solemnitatum, et ab ipso in ecclesia publice prædicantur. Quando vero archidiaconus absens est, vicem ejus diaconus sequens adimplet. Ad primiscerium pertinent, acolythi, exorcistæ, psalmistæ, atque lectores. Signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitæ honestate et officium cantandi, et peragendi sollicite lectiones, psalmum, laudes, offertorium, responsorium quis clericorum dicere debeat; ordo quoque et modus psallendi in choro pro solemnitate et tempore; ordinatio quoque pro luminaribus deferendis. Si quid etiam necessarium fuerit pro reparatione basilicarum quæ sunt in urbe, ipse denuntiet sacerdoti. Epistolas episcopi pro diebus jejuniorum parochianis per ostiarios ipse dirigat; clericos quos delinquere cognoscit, ipse distringat; quos vero emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat, basilicarios ipse constituet, et matriculas ipse disponit. Quando autem primicerius absens est, ea quæ dicta sunt ipse exquirat qui ei aut lege est proximus, aut eruditione. His exemplis certus ad thesaurarium pertinet ostiariii basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario et sacrificiis.

DE QUALITATE ORDINANDORUM.

Cap. XLII. *Non prohibetur a sacris ordinibus, qui a medicorum incisione claudus efficitur.*

Conc. Hilerd., c. 20.

(Dist. 55, c. *Si quis in infirmitate.*) Si quis in infirmitate positus, clericus in medicorum incisione claudus efficitur, promoveri eum ad sacros ordines non denegamus.

Cap. XLIII. *Non est ordinandus qui partem digiti volens sibi abscidit.*

Innocentius Felici episc. Nucer.

(Dist. 55, c. *Qui partem.*) Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipse volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero aliquo casu contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte percussit, hos canones præcipiunt et clericos fieri; et si in clero fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas est judicata, quæ sibi fuit causa ferro incidere quod scilicet et alii id facere dubitare non possit. In istis vero casibus meruit veniam.

Cap. XLIV. *Non prohibetur a clero qui digitum sibi casu abscidit.*

Stephanus Roberto episc. Aletens.

(Dist. 55, c. *Lator præsentium.*) Lator præsentium, Flavinius scilicet clericus ad sanctam sedem apostolicam veniens, detulit a te nobis directam epistolam qua indagare studuisti, cum a Northmannis nuperrime captum sinistræ digitum manus haberet abscissum, sciscitans si hic ad ecclesiasticum ordinem valeat promoveri, an non. Quod etiam nos reperientes, quia solertia magis super hoc sollicita a sede apostolica doceri flagitat, normam justitiæ semper sequi desiderans studium tuæ sanctitatis merito collaudamus, reverentiam tuam scire volentes, quoniam si ita est, quod a Northmannis digitum habeat abscissum, ad promovendum, si aliter dignus fuerit, non ei nocebit, eo quod quis de his qui a dominis sive a medicis vel a paganis sponte tale quid patiuntur : quod sacri censeant canones. dilectionem tuam latere non credimus, quid ei obviare debere, si ita est minime reperimus moventes religionem tuam, ut circa illum ita peragat, qualenus et pro eo magnam mercedem incurrat, et desiderium istius canonicæ ei institutionis auctoritate non obviant, Deo adjuvante, perficiat.

Introdusă în format electronic de Google

QUI LAICI DEBEANT ORDINARI.

Cap. XLV. *Qui tempore baptismi uxores habent, si postea religiose vixerint, clerici fieri non prohibentur.*

Innocentius I Felici episc. Capuan. ep. 4, c. 4.

(Dist. 53, c. *Laici.*) Laici vero qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio illorum in nullo vacillet; qui autem clerici juncti sunt aut monasteriis, ex quo baptizati sunt, hæserint, si non concubinam nec pellicem norint, si in omnibus vigilaverint operibus non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem assumi, ita sane ut in eis serventur tempora a majoribus constituta, ne cito quilibet lector, non cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat.

Cap. XLVI. *Ad clericalem gradum suscipiuntur qui nullo obsequio retento, a dominis suis libertatem recipiunt.*

Conc. Tolet. IV, c. 72.

(Dist. 54, c. *Quicunque.*) Quicunque libertatem a dominis ita percipiunt, ut nullum sibimet obsequium patronus in eis retentet, isti, si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur qui directa manumissione absoluti esse noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus ad ecclesiasticum ordinem sunt promovendi, ne quando voluerint eorum Domini, fiant ex clericis servi.

Cap. XLVII. *Illitterati et corpore vitiati non promoveantur ad clerum.*

Gelasius papa, c. 16.

(Dist. 36, c. *Illitteratos.*) Illiteratos quoque, aut aliqua parte corporis vitiatos vel minutos, nullus præsumat ad clericatus ordinem promovere, quia nec litteris carens sacris, potest esse aptus officiis, et vitiosum Deo nihil prorsus offerre legalia præcepta. Sanxerunt, similiter, qui seipsos abscindunt.

Cap. XLVIII. *De servili conditione nullus ad sacros ordines deveniat.*

Conc. Tibur., c. 5.

(Dist, 54, c. *Nulli.*) Ut nulli de servili conditione, ad sacros ordines promoveantur, nisi a dominis legitimam libertatem consequantur propriam. Cujus libertatis charta ante ordinationem in ambone publice legatur, et si nullus contradixerit, rite consecrabuntur. Porro servus non canonice consecratus, postquam de gradu ecciderit, ejus conditionis sit cujus fuerat et ante gradum.

Cap. XLIX. *Viduarum mariti vel habentes numerosa conjugia si ad sacerdotium promoti fuerint, arceantur a sacerdotali nomine, et ab omnibus ecclesiasticis officiis.*

Leo in Decret. c. 4.

(Dist. 83, c. *Quisquis.*) Leo urbis Romæ episcopus omnibus episcopis. Quicunque ad sacerdotium vel viduarum mariti, vel habentes numerosa conjugia promoti fuerint, ab omnibus ecclesiasticis officiis, et sacerdotali nomine apostolicæ sedis auctoritate jubemus arcere.

Cap. L. *In Decretis Hilarii, cap.* 2.

Hilarius Romanæ Ecclesiæ episcopus synodo residens dixit: Cavendum est in primis, ne ad sacros gradus qui uxorem virginem non duxit, aspiret. Repellendi sunt etiam quicunque in secundæ uxoris nuptias contra apostolica conveniunt præcepta.

Cap. LI. *Filii presbyterorum a sacris prohibentur officiis.*

Ex decretis Greg. et Urban. II, de filiis sacerd.

(Dist. 56, c. *Presbyt. filios* et *Osius.*) Presbyterorum filios a sacris altaris mysteriis removendos decernimus, nisi aut in cœnobiis, aut in monasteriis regularibus religiose fuerint probati conversari

Cap. LII. *Qui de sacerdotibus nati apostolicæ sedi præfuerunt.*

Ex lib. Pontific.

(Dist. 56, c. *Osius.*) Felix tertius, natione Romanus ex patre Felice fuit presbytero, a temporibus Odoacri regis usque ad tempora Theodorici regis. Item, Gelasius natione Afer, ex patre Valerio episcopo, sedit annos quatuor, menses VIII, dies XXIX. Item, Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano presbytero, sedit menses XI, dies XXIII. Item, Silverius natione Campanus, episcopus Romanus ex patre Ormisda, sedit annum unum, menses V, dies IX. Item, Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano subdiacono, sedit annos III et dies XXII. Item, Joannes IV, natione Dalmatica, ex patre Venantio scholastico, sedit annum unum menses novem, dies XIX. Item, Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro episcopo de civitate Hierosolymitana, sedit annos sex, menses quinque, dies XVIII.

Cap. LIII. *Filii sacerdotum non prohibentur ab episcopatu, si cæteræ virtutes in eis inveniantur.*

Urbanus archiep. Bartholomæo Turon.

(Dist. 56, c. *Cenomanensem.*) Cenomanensem electum, eo quod filius sacerdotis dicitur, si cæteræ in eum virtutes conveniunt, pro tempore non rejicimus, sed suffragantibus meritis patienter suscipimus, non tamen ut pro regula in posterum assumatur sed ad tempus Ecclesiæ periculo consulatur.

Cap. LIV. *Quia simpliciter vult quando multa faciunt pro aliquo et unum tantum, contra eum non debet impediri ejus promotio ut vult g. n.*

Urbanus II papa episcopo Legon.

(Dist. 56, c. *Cenomanensem.*) Quia simpliciter ad apostolicam sedem veniens humiliter confessus es peccatum, quod pontificii tui videbatur officium impedire, videlicet quod ex matre procreatus sis non legitima, quam vivente propria uxore, pater tuus cognovisse cognoscitur, nos apostolicæ mansuetudinis gratia immunem te a cæteris quæ sacerdotium impediunt criminibus tam tui professionem

Introdusă în format electronic de Google

quam fratrum qui tecum sunt testimonium agnoscentes, et vitam tuam religiosam audientes, ab hujus te peccati vinculo absolutum, in suscepti officio sacerdotii confirmamus.

CAP. LV. *Tempore sinceritatis dignitas accepta, sequenti infirmitate non amittitur.*

Gelasius Palladio episc.

(Dist. 55, c. *Præcepta canonica.*) Præcepta canonica quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut ad sacerdotium debiles non patimur venire, ita et si quis actu fuerit constitutus in eo aut fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suæ sinceritatis accepit. Stephanus siquidem presbyter petitorio nobis deflevit, ablato quod haberet in subditis. Olim sibi ante plurimos annos collatam presbyterii dignitatem, quam revera immaculati corporis susceptt judicio. Sed nuper propter provinciæ vastitatem Tusciæ, quam præ omnibus provinciis barbarorum feritas diversa sectantium, et ambiguitas invexit animorum, cum imminentes gladios evadere, fugæ præsidio niteretur, acutis sudibus decurrentia septa transiliens, inferiores partes corporis inseruisse suggessit, quæ vix adhibita curatione biennio potuisse abstergi, et ideo, frater charissime, supradicto locum suum dignitatemque ejus restitue, quatenus sacrosancta mysteria sicut consuevit, exerceat. Nec enim convenit ob hoc auferri ante susceptum ordinem in quo postmodum in valetudinem corporis casu probatur faciente collapsus.

CAP. LVI. *Non excluduntur a clero qui a medicis vel a barbaris, vel a dominis suis castrantur.*

(Dist. 55, c. *Si quis per ægritudinem.*) Si quis per ægritudinem naturalia a medicis habuerit secta, similiter et qui a barbaris, aut dominis fuerint castrati, et moribus digni fuerint, hos canon admittit ad clericatus officium promoveri. Si quis autem sanus, non per disciplinam religionis et abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati a Deo corporis, existimans posse a se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si jam ante fuerat promotus ad clerum, prohibitus a suo ministerio deponatur.

CAP. LVII. *Eunuchi quidam et si coeant et semen emittant, illud* tamen est ad gignendum inane.

Isid., l. x Etymol.

Eunuchus Græcum est, quod est *spado;* horum quidam coeunt, sed tamen virtus in semine nulla est. Liquorem habent et emittunt semen, sed ad gignendum inane et invalidum

CAP. LVIII. *Innocentius papa primus epist. 22 ad episcopos Macedoniæ.*

(1, q. c. *Ventum* circa fin.) Nostræ Ecclesiæ lex est, venientibus ab hæreticis qui tamen ibi baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.

CAP. LIX. *Bigamus non est ordinandus.*

Conc. Aurel. III, c. 8.

(Dist. 55, c. *Nullus.*) Ut bigami vel pœnitentes vel repudiatarum mariti ad sacerdotium non promoveantur. Energumeni non solum assumendi non sunt ad clerum, sed inventi ab officio removendi.

CAP. LX. *Non ordinetur clericus ex pœnitentibus*

Conc. Carthag. IV, c. 68.

(Dist. 50, c. *Ex pœnitentibus.*) Ex pœnitentibus quamvis bonus clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia se ordinis tempore non prodit fuisse in pœnitentia.

CAP. *Causa necessitatis, pœnitentes ad clerum admittuntur.*

Conc. Tolet. II, c. 2.

(Dist. 50, c. *Placuit.*) Placuit ut pœnitentes non admittantur ad clerum nisi tantum si necessitas aut usus exigerit, ut inter ostiarios deputentur, vel inter lectores, ita ut Apostolum et Evangelia non legant. Si qui autem ante ordinati sunt, inter subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant aut sacra contingant. Eum vero dicimus pœnitentem, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.

CAP. LXII. *Conc. Aurel.*, c. 8.

Si quis de laicis post uxorem aliam cujuscunque conditionis cognoverit mulierem, in clerum nullatenus admittatur.

CAP. LXIII. *Nisi quinque episcoporum litteris designetur, transmarinum hominem ad clericatum nullus suscipiat.*

Anastas. papa, ep. ad Germ. et Burgund. episc.

(Dist. 98, c. *Transmarinos.*) Transmarinos vel incognitos homines, in clericatus honorem nolite suscipere, nisi 5 aut eo amplius episcoporum chirographis sint designati, quia multa per subreptionem solent evenire. Ideo et hæc summopere sunt cavenda.

CAP. LXIV. *Clerici ab episcopo alterius civitatis non ordinentur.*

Innoc. I papa, ep. 2, ad Victricium Rothom.

(Dist. 71, c. *De aliena.*) De aliena Ecclesia clericum judicare aut ordinare, nullus usurpet, nisi ejus episcopi precibus exoratus concedere voluerit, quod etiam Nycæna synodus videtur continere. Abjectus a sua Ecclesia clericus, ab altera non suscipiatur Ecclesia.

CAP. LXV. *Sine litteris commendatitiis, clericus extra suam ecclesiam non ministret.*

Conc. Chalced., cap. 25.

(Dist. 5, c. *Hortamur.*) Ut si quis clericus et laicus ad alteram properat ecclesiam et suscipitur præter commendatitias epistolas, et qui susceperit et qui susceptus est communione privetur.

CAP. LXVI. *Absque formata clerici peregrini non suscipiuntur.*

Conc. Aurel., c. 8.

(Dist. 7, c. *Nullum.*) In concilio Antiocheno, similiter et in Chalcedonensi præcipitur, ut fugitivi

Introdusă în format electronic de Google

clerici et peregrini a nullo recipiantur nec ordinentur, nisi commendatitiis litteriis, et sui episcopi, vel abbatis licentia. A

Cap. LXVII. *Nullus suscipiat monachum, sine abbatis permissu.*

Conc. Agath., c. 27.

Clericis vel monachis sine commendatitiis epistolis licentia non pateat evagandi.

DE MUTATIONE EPISCOPORUM VEL SACERDOTUM.

Cap. LXVIII. *Ex Decretis Calixti papæ.*

(7, q. 1. c. *Scias frater.*) Calixtus urbis Romæ episcopus, omnibus episcopis. Si episcopus causa utilitatis fuerit mutandus, non per se hoc habet, sed fratribus invitantibus, et auctoritate hujus sanctæ sedis faciat, non ambitus causa, sed utilitatis vel necessitatis. B

Cap. LXIX, *Necessitatis vel utilitatis causa, episcoporum mutationes fieri possunt.*

Antherus papa episcop. Bœtic. et Tolet.

(7, q. 1, c. *Mutationes.*) Antherus præsul Romanus, episcopis omnibus. Mutationes episcoporum, scitote, communi utilitate vel necessitate fieri licere, sed non propria voluntate cujusquam aut dominatione. Petrus sanctus magister noster et princeps apostolorum de Antiochia civitate, utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere possit. Eusebius quoque de quadam parva civitate, utilitatis causa mutatus est in Alexandriam; similiter Felix de civitate qua ordinatus C erat electione civium propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum et apostolorum concilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate in civitatem, nec transfertur de minori ad majorem, qui non suo libitu aut, ambitu hoc facit, sed necessitate quadam, aut utilitate aliorum et concilio ad potiorem transfertur. Nec etiam transfertur de minore civitate ad majorem qui hoc non ambitu nec propria voluntate facit, sed aut vi aut propria sede pulsus, aut necessitate coactus aut utilitate loci, aut populi non superbe, sed humiliter ab aliis cum hujus sanctæ sedis auctoritate translatus et intronizatus est. Nam sicut episcopi habent potestatem regulariter ordinare episcopos et reliquos sacerdo- D tes, quoties necessitas aut utilitas coegerit supradicto modo et mutari, et intronizare potestatem habet, non tamen sine auctoritate sacrosanctæ Romanæ sedis. Alia est enim causa utilitatis et necessitatis, et alia avaritiæ et præsumptionis et propriæ voluntatis.

Cap. LXX. *Non ambitione sed synodali auctoritate de Ecclesia ad Ecclesiam, episcopus transeat.*

Conc. Carthag. IV, c. 27.

(7, q. 1, c. *Episcopus de loco.*) Ut episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus, sane si utilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto, in pœnitentiam synodi transferatur, nihilominus alio ejus loco, episcopo subrogato, inferioris vero gradus sacerdotes vel alii clerici, confessione episcoporum suorum possent ad alias Ecclesias transmigrare.

Cap. LXXI. *Ex dictis Augustini.*

Interdicendum est ut nullus ordinatus migret de sua parochia ad aliam, nec ad limina apostolorum causa orationis, suæ Ecclesiæ cura derelicta, nec ad palatium causa interpellandi. Quod si fecerit, nihil valet hujuscemodi demigratio, et hoc omnibus demandandum, ut qui causa orationis ad limina apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, et sic proficiscantur, quia a proprio suo episcopo aut sacerdote, ligandi sunt aut fovendi non ab extraneo.

Cap. LXXII. *Ex concilio Aurelianensi, cap.* 2.

De presbyteris aut diaconibus qui solent dimittere loca sua in quibus ordinati sunt, et ad alia loca se transferunt, placuit ut his in locis ministrent, quod si de locis suis ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.

Cap. LXXIII. *Quod non licet clerico inscribi in duabus ecclesiis.*

Conc. Chalced., c. 12.

(Dist. 70, c. *Sanctorum canon.*, § *Omnino autem.*) Non licet clericum in duarum civitatum conscribi simul ecclesiis, sed in qua ab initio ordinatus est, ministret, nec ad aliam confugiat, quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem. Hæc autem faciens revocari debet ad suam ecclesiam in qua primitus constitutus est, et ibi tantummodo ministrare.

Cap. LXXIV. *Ex concilio Arelatensi, cap.* 12.

Statutum est ut presbyteri, sicut hactenus factum est, indiscrete per diversa non mutentur loca, nec ab episcopis, nec a prælatis, ne forte propter eorum absentiam et animarum pericula et Ecclesiarum in quibus constituti sunt, negligantur officia.

Cap. LXXV. *Ex concilio Cabilonensi* II.

Presbyter proprio loco dimisso et ad alium migrans, non recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, et se innocenter vixisse in parochia in qua ordinatus est sub testibus probaverit, litteras etiam habebit, in quibus sunt nomina episcopi et civitatis impressa. Quibus cognitis, et talibus inventis quibus fides adhiberi possit, recipiatur.

Introdusă în format electronic de Google

DE ORDINATIS NON REORDINANDIS.

CAP. LXXVI. *Semel consecratus iterum consecrari non debet.*

Gregorius Joanni episc. Raven., l. VIII, ep. 32.

(Dist. 68, c. *Sicut semel.*) Illud quod dicitis ut ille qui ordinatus est iterum ordinetur, ridiculosum valde est. Sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet ; ita qui consecratus est semel, in eodem ordine iterum consecrari non valet, sed si quis pro levi culpa forsitan ad sacerdotium venerit, pro culpa indici pœnitentia debet, et iterum ordo servari.

CAP. LXXVII. *Qui recedit ab Ecclesia, nec baptisma nec jus dandi amittit.*

Augustinus adversus Parmentanum, l. II.

(1. q. c. *Quod quidam.*) Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Ideoque in catholica Ecclesia utrumque non liceat iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, et præpositi qui pro bono pacis correcto errore schismaticorum suscepti sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia agerent quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correptum est, non in sacramentis quæ ubicunque sunt ipsa, sunt, ut cum expedire Ecclesiæ judicatur, ut præpositi eorum convenientes in Catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed super eos manent ; ideo non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramenti fiat injuria. De his qui ab Ecclesiæ catholicæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio quin habeant et dare possint, sed perniciose habeant, perniciose tradant. Extra vinculum pacis sunt hi. Neutri sacramento injuria facienda est. Sicut non recte habet qui ab unitate discedit, sed tamen habet, et ideo redeunti non redditur, sic tamen non recte dat, qui a Bonoso habet, sed tamen dat, et ideo quod ab eo accipit, venienti ad unitatem non iteratur.

CAP. LXXVIII. *Augustinus de unico baptismo.*

(1. q. c. *Quod quidem*, § *Sed tamen aliud.*) Aliud est non habere aliquid, aliud est non jure habere vel illicite usurpare. Non ideo itaque non sunt sacramenta Christi et Ecclesiæ, quia eis illicite utuntur, non hæretici solum, sed omnes iniqui et impii, sed tamen illi corrigendi, aut puniendi : illa vero agnoscenda sunt et veneranda.

CAP. LXXIX. *Sacerdotes nomen Domini invocant, Dominus autem benedictionem præstat.*

Augustinus l. Quæst. q. 2, ex Vet. Test.

(1. q. c. *Dictum est.*) Augustinus in libro Quæstionum Veteris Testamenti : Dictum est in Numeris a Domino ad Moysen et Aaron : Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos, ut gratiam traditam per ministerium ordinantis [ordinati] transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis abesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis vel officii, hinc advertamus. Dictum est autem de nequissimo Caipha interfectore Salvatoris inter cætera : *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetavit* (*Joan.* XI) ; per quod ostenditur Spiritum sanctum datorem gratiarum, non personam sequi aut digni vel maligni, sed ordinem traditionis, ut, quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus, vel officii ministerium exhibeat : Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

CAP. LXXX. *Qui damnatur a synodo, quomodo in secundo innocens reparetur.*

Conc. Mogunt. IV, c. 28, et Conc. Tolet. IV, c. 27.

(11, q. in c. *Episcopus*, c. 80.) Episcopus presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu episcoporum : si episcopus est, horarium annulum, et baculum ; si presbyter horarium et patenam ; si diaconus horarium et albam ; si subdiaconus patenam et calicem. Sic et reliqui gradus eam reparationem sui recipiant, quam cum ordinarentur perceperunt.

CAP. LXXXI. *Redeuntes ab hæreticis sunt reordinandi.*

Urbanus II Petro episc. Pistor. et Rustico abb.

(1, q. 7, c. *Daibertum*. Concord. c. *Odardus*, extr. De solution.) Daibertum a Nezelone, licet Simoniaco non Simoniace ejusdem confessione comperimus, in diaconum ordinatum, et beati Innocentii papæ sententia constat declaratum, quod Nezelon hæreticus, quem constat ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, dare nil potuit ei qui manus imposuit. Nos ergo tanti pontificis auctoritate firmati, et Damasi papæ testimonio roborati, qui ait reiterari oportere quod male actum est, Daibertum ab hæreticis corpore et spiritu digressum, atque utilitati Ecclesiæ pro viribus insudantem ex integro, necessitate Ecclesiæ ingruente, diaconum constituimus, eo quod non reiterationem æstimari censemus, sed tantum integram diaconi dationem, quandoquidem, ut prædiximus, qui nihil habuit, nil dare potuit.

CAP. LXXXII. *Romana Ecclesia a Domino primatum accepit.*

Anacletus ad episc. Italiæ, ep. 2.

(Dist. 21, c. *In Novo Test.*) In Novo Testamento post Christum Dominum, a Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente ei Domino : *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Marc.* XVI). Hic ergo ligandi solvendique potesta-

Introdusă în format electronic de Google

tem primus a Domino accipit, primusque ad fidem populum suæ prædicationis virtute adduxit. Cæteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt. Qui etiam jubente Domino in toto orbe dispersi, evangelium prædicaverunt. Ipsis quoque decedentibus in loco eorum surrexere episcopi. Quorum ordinatio prætaxato fieri debet ordine et modo. Quos qui receperit et verba eorum, Dominum recipit. Qui autem spernit eos, eum quoque a quo missi sunt, et cujus funguntur legatione spernit, et ipse indubitanter spernitur a Domino. Videntes autem ipsi apostoli, messem esse multam et operarios paucos rogaverunt dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam. Inde electi ab eis sunt LXX discipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum loco constituti sunt in Ecclesia.

CAP. LXXXIII. *Ex Decret. Clement. papæ, c.* 30.

Episcopus vero vicem apostolorum, legem Domini docuisse dicebat, et reliquorum discipulorum vicem tenere presbyteros debere insinuabat, et si quis aliquem ex his scandalizaverit, gravissimam inferre prædicabat pœnam. Cunctos se invicem diligere et adjuvare debere, et neminem ab adjutorio se abstrahere instruebat.

DE CONTINENTIA ORDINANDORUM.

CAP. LXXXIV. *Actus* 2 *synodi Stephani papæ, cap.* 4, *occidentalis, non orientalis Ecclesia castitatis votum obtulit.*

(Dist. 31, c. *Aliter.*) Aliter se habet orientalium traditio Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum sacerdotes, presbyteri, diaconi, subdiaconi, matrimonio copulantur. Totius autem Ecclesiæ vel Occidentalium, nullus sacerdotum a subdiaconis usque ad episcopum, licentiam habet conjugium sortiendi.

CAP. LXXXV. *Dissuasu Pannutii Nicena synodus non constituit, quod presbyteri cum suis uxoribus non dormirent.*

Histor. tripart., in c. 14, l. II.

(Dist. 31, c. *Nicæna.*) Nicæna synodus volens corrigere hominum vitam in Ecclesiis commorantium, posuit leges quas canones vocamus, in quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem ut episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, cum conjugibus quas ante consecrationem duxerunt, non dormirent. Surgens autem Pannutius confessor contradixit. Honorabiles confessus nuptias, et castitatem dicens esse cum propria conjuge concubitum, suasitque concilio, ne talem legem poneret, gravem esse asserens causam, quæ aut ipsis aut eorum conjugalibus, occasio fornicationis existeret; et hoc quidem Pannutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit, synodusque laudavit sententiam ejus, et nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate non necessitate permisit.

CAP. LXXXVI. *Non in perpetuum, sed tempore oblationis a complexu suarum uxorum sacerdotes abstineant.*

Sexta synodus, c. 23.

(Dist. 31, c. *Quoniam.*) Quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum eos qui ordinati sunt diaconi vel presbyteri, confiteri quod jam suis copularentur uxoribus, nos antiquum sequentes canonem, apostolicæ diligentiæ et constitutionis sacrorum virorum, legales nuptias, et amodo valere voluimus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem, in tempore opportuno. Quicunque ergo dignus fuerit inventus subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hinc nullo modo prohibentur ad talem ascendere gradum, pro uxoris suæ cohabitatione, nec in tempore ordinationis suæ profiteri cogatur, quod abstinere debeat a legalis uxoris familiaritate. Item : Oportet eos qui altari ministrant, in tempore oblationis sanctorum continentes esse in omnibus, ut a Deo possint consequi quod simpliciter postulant. Si quis igitur præsumpserit, contra apostolicos canones, aliquos presbyterorum et diaconorum privare a contactu et communione legalis uxoris suæ, deponatur. Similiter presbyter, aut diaconus, qui religionis causa uxorem expellit, excommunicetur. Si vero in hoc permanserit, deponatur.

CAP. LXXXVII. *Diaconi non prohibeantur a ministerio pro nuptiis, si in ordinatione dicunt se continere non posse.*

Conc. Ancyrit. c. 10, juxt. II translationem.

(Dist. 28, c. *Diaconi.*) Diaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, et dixerunt se velle conjugio copulari, quoniam sic manere non possunt hii, si postmodum uxorem duxerint, in ministerio maneant, propterea quod episcopus licentiam dederit. Quicunque sane tacuerint et susceperunt manus impositionem, et confessi continentiam, et postea nuptiis obligati sunt, a ministerio sane cessare debent.

CAP. LXXXVIII. *Diaconi si casti sint, non prohibentur in ministerio constitui.*

Conc. Tolet. c. 2.

Placuit diaconos, si vel integri vel casti sunt, etiam si uxores habeant, in ministerio constitui.

CAP. LXXXIX. *Qui castitatem non promisit, ab uxore separari non cogatur.*

(Dist. 31, c. *Ante triennium.*) Ante triennium omnium Ecclesiarum subdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ, suis uxoribus nullatenus misceantur, quod mihi durum atque inconveniens videtur, ut qui usum continentiæ non invenit, neque castitatem promisit, compellatur a sua uxore separari, atque per hoc (quod absit!) in deterius cadat. Unde videtur mihi ut a præsenti die episcopis omnibus dicatur ut nullum sul dia-

Introdusă în format electronic de Google

conum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit, quatenus et præterita mala quæque per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, et futura caute caveantur. Qui vero post eamdem prohibitionem quæ ante triennium facta est continenter cum suis uxoribus, vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt, atque ut in bono permaneant exhortandi. Eos autem qui post prohibitionem factam, se a suis uxoribus continere noluerint, ad sacrum ordinem nolumus promoveri, quia nullus debet ad altaris ministerium accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

CAP. XC. *Non fiat subdiaconus, qui se caste victurum non promittit.*

Leo IX adversus viceabbatem monast. Studii.

(Dist. 28, c. *Nullum.*) Apud nos, nec ad subdiaconatus gradum admittatur, nisi perpetuam continentiam, etiam a propria conjuge profiteatur; nec post gradum cuiquam uxorem ducere conceditur.

CAP. XCI. *Presbyter ducens uxorem, ab ordine deponatur.*

Conc. Neocæs. c. 1.

(Dist. 28, c. *Presbyter.*) Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut ad alterum properaverit conjugium, extra Ecclesiam pelli debet, et ad pœnitentiam inter laicos redigi.

CAP. XCII. *Sacerdotibus semper castitas servanda præcipitur.*

BEDA, *super Luc.*, .. 1, c. 2.

(Dist. 31, c. *Sacerdotibus.*) Sacerdotibus ut semper queant altari assistere, semper ab uxoribus abstinendum est, castitas observanda præcipitur.

CAP. XCIII. *Qui divinis sacramentis inserviunt, continentes esse oportet.*

Conc. II Carthag., c. 2.

(Dist. 31, c. *Episcopos.*) Episcopos, diaconos, presbyteros, ita ut placuit, ut decet, sacrosanctos antistites, aut Dei sacerdotes et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes in omnibus esse decet.

CAP. XCIV. *Sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis misceri non debent.*

Innocentius I Victori episc. Rothom. ep. 2, c. 9.

(Dist. 31, c. *Tenere debet Ecclesia.*) Tenere debet Ecclesia omnimodo, ut sacerdotes et levitæ cum suis uxoribus non misceantur, quia ministri divini quotidianis necessitatibus occupantur. Scriptum est enim : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XI) Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei, anno vicis suæ de templo non discedebant, sicut de Zacharia legimus (*Luc.* I), nec domum suam omnino tangebant. Quibus utique propter sobolis successionem usus fuerat relaxatus, et quia ex alia tribu et præterquam de semine Aaron, ad sacerdotium nullus præceptus erat accedere [nullus accedere permittebatur] : quanto magis hi sacerdotes vel levitæ, pudicitiam ex die ordinationis observare debent, quia vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies qua vel a sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacent.

CAP. XCV. *Qui ab uxoribus suis abstinent, ad sacrificia admittuntur.*

Innocentius Exupero episc. Tolet.

(Dist. 31, c. *Eos ad sacrificia.*) Eos ad sacrificia fas sit admitti qui non exerceant, vel etiam cum uxore, carnale officium.

CAP. XCVI. *Sacerdoti cui est semper orandum, matrimonio semper est carendum.*

Hieronymus adversus Jovinianum.

(Dist. 31, c. *Si laicus.*) Si laicus et quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali, sacerdoti cui semper offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum, ergo semper carendum matrimonio.

CAP. XCVII. *Non ordinetur diaconus, nisi castitatem fuerit professus.*

Martinus papa in lib. Martini episc. Bracar., ex synod. Græc.

(Dist. 27, c. *Diaconus.*) Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, et dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, et ordinatus fuerit, et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio, et vacet a clero.

CAP. XCVIII. *Diaconus cum uxore sua, aut presbyter incontinens, ab officio removeatur.*

Hormisda papa ad episcop. per provinc.

(Dist. 1, c. *Si quis diaconus.*) Si quis diaconus aut presbyter post acceptam benedictionem leviticam, cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio removeatur.

CAP. XCIX. *Subdiaconus continentiam observare oportet.*

Gregorius Bonifacio episc. Reg. lib. III, ep. 5.

(Dist. 32, c. *Subdiaconis tuis.*) Subdiaconibus tuis, hoc quod de singulis statuimus, decrevimus observari, nec illam diffinitionem nostram cujusquam contumacia sinas, aut temeritate corrumpi.

CAP. C. *Subdiaconibus carnale connubium interdicitur.*

Innocentius Anastasio episc. Thessal.

Ad exhibendum tantæ perfectæ continentiæ puritatem nec subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut et qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent, sint singulares.

CAP. CI. *Beneficio et officio careant, qui post diaconatum uxoribus vacant.*

Urbanus II, in synod. apud Melch.

(Dist. 33, c. *Eos qui.*) Eos qui post diaconatum uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officioque atque beneficio Ecclesiæ carere decrevimus. Quod si ab episcopo commoniti se non correxerint, principibus licentiam indulgemus, ut eorum feminas mancipent servituti. Si vero episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsius officii interdictione multentur.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. CII. *Qui uxorem ducere volunt, ante ordinem subdiaconatus hoc faciant.*

Sexta synodus, c. 7.

(Dist. 32, c. *Si quis.*) Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerunt nuptiali lege muliebri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciant.

Cap. CIII. *Excludendi sunt a suorum graduum dignitate, subdiaconi, et deinceps si continentes esse nolunt.*

Dominico patriarcha Grad

(Dist 32, c. *Erubescant.*) Erubescant impii, et aperte nos intelligant, judicio Spiritus sancti eos qui in tribus sacris gradibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu positi, mulierculas non abjecerint, et caste non vixerint, excludere ab eorumdem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur. Secretorum autem cognitor et judex est Deus.

Cap. CIV. *Ad sacros ordines non accedat, nisi virgo aut probatæ castitatis.*

Urbanus II, in synod. Meld.

(Dist. 32, c. *Nemo.*) Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatæ castitatis, et qui usque ad subdiaconatum unicam et virginem uxorem habuerit.

Cap. CV. *In tribus gradibus constituti etiam ab uxoribus abstineant.*

Conc. Carthag., c. 4.

(Dist. 32, c. *Placuit.*) Placuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos secundum priora statuta, et abstinere ab uxoribus. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. Cæteros vero clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque ecclesiæ consuetudinem observare debere.

Cap. CVI. *Ministris altaris cum episcopis et presbyteris est eadem lex continentiæ.*

Leo Rustico Narbon. epist. 90, c. 3.

(Dist. 31, c. *Lex continentiæ.*) Lex continentiæ eadem est altaris ministris quæ episcopis atque presbyteris, qui cum essent laici, sive lectores licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt, sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit, unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos dimittere uxores et quasi non habeant habere, quo et salva sit castitas connubiorum, et cessent opera nuptiarum.

Cap. CVII. *In minoribus ordinibus constituti, uxorem ducant, nisi voto aut religioso habitu prohibeantur.*

Leo XI adversus Niceiam abbat. Stud.

(Dist. 32, c. *Seriatim.*) Seriatim et aperte prosequamur quod sancta Romana Ecclesia de gradibus clericorum ait : « Clericos enim, ostiarios, lectores, exorcistas, acolythos, si extra votum et habitum monachi inveniantur, et continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur. Non autem viduam, aut repudiatam, quia propter hoc nec deinceps ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laicus nisi virginem sortitus uxorem, aut bigamus ad clericatum potest ascendere. Quod si quis ex præfatis ordinibus desiderat ad subdiaconatum accedere, non potest sine consensu uxoris suæ, ut fiat de carnali deinceps conjugium spirituale, nemine eos cogente. Nec permittitur postea uxor jungi eidem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius.

Cap. CVIII. *Extra sacros ordines constituti, ducant uxores et exterius stipendia accipiant.*

Gregorius Augustino episc. Angl.

(Dist. 32, c. *Si qui vero sunt.*) Si qui sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui si continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipiant.

Cap. CIX. *Canones apostolorum, c. 27.*

In nuptiis qui ad clerum profecti sunt, præcipimus ut, si voluerint, uxores accipiant : sed lectores cantoresque tantummodo.

Cap. CX. *Non licet clericis alterius sectæ uxorem accipere.*

Conc. Chalced. c. 14.

(Dist. 32, c. *Quoniam in quibusdam.*) Quoniam in quibusdam provinciis concessum est lectoribus, et psalmistis, uxores ducere, constituit sancta synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius uxorem.

Cap. CXI. *Lectores aut uxores ducant, aut continentiam profiteantur.*

Conc. Carthag., c. 3

(Dist. 32, c. *Lectores.*) Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

Cap. CXII. *Non habitent cum clericis mulieres, nisi quæ naturali fœdere omnem suspicionem excludunt.*

Conc. Nicæn., c. 3.

(Dist. 32, c. *Interdixit.*) Interdixit per omnia sancta synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, non alicui omnino qui in clero est licere subintroductam mulierem habere, nisi forte matrem aut sororem aut amitam, aut etiam eas idoneas personas quæ fugiunt suspiciones.

Cap. CXIII. *Presbyter causa religionis non contemnat propriam uxorem.*

Canones apostolorum, c. 6.

(Dist. 28, *Si quis decuerit.*) Episcopus aut presbyter propriam uxorem nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si vero abjecerit, excommunicetur.

Cap. CXIV. *Presbyter uxorem suam quasi sororem diligat, et quasi hostem fugiat.*

Gregorius, l. IV Dialog.

(Dist. 32, c. *Presbyter.*) Presbyter quidam commissam sibi regebat ecclesiam, cum magno timore Domini, qui ex tempore accepti ordinis, presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius nunquam accedere sinebat, eamque sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat. Habent quippe sancti viri hoc proprium : nam ut semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscindunt, unde idem vir nequam per eam incurreret culpam, sibi, per eam, etiam ministrari refutabat necessaria.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CXV. *Episcopus vel presbyter, uxorem propriam a sua cura non abjiciat.*

Leo IX adversus Nicetam abb. de magisterio Studii.

(Dist. 31, c. *Omnino.*) Omnino confitemur non licere episcopo, presbytero, diacono, subdiacono propriam uxorem causa religionis abjicere a cura sua, sed ut ei victum et vestitum largiatur, sed non cum illa ex more carnaliter jaceat, sic et sanctos apostolos legimus egisse, beato Paulo dicente. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut frater Domini et Cephas* (I Cor. VIII) ; vide insipiens quia non dixit : nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet ut mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen deinceps foret inter eos ulterius carnale conjugium.

Ambros. *in ev. II ad Cor.*, c. 116.

Omnes apostoli, Joanne et Paulo exceptis, habuerunt uxores.

DE SIMONIACE ORDINATIS ET EORUM ORDINATORIBUS.

CAP. CXVI. *Episcopus beneficium emens vel vendens, ab officio et beneficio ecclesiastico suspendatur.*

Ex Canon. apost., c. 30, tit. 3.

(1, q. 3, c. *Si quis.*) Quisquis episcopus, aut presbyter, aut abbas per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipse et ordinator ejus, et a communione sancta modis omnibus abscindatur, et sit anathema sicut Simon magus a Petro.

CAP. CXVII. *A sacerdotio est alienus, qui per pecuniam ordinat, vel ordinatur.*

Conc. Bracar. III, c. 8.

(1, q. c. *Qui per pecuniam.*) Quicunque pro conferendo cuiquam sacerdotii gradu, aut munus quodcunque aut promissiones muneris antequam ordinetur acceperit, vel etiam postquam ordinatus fuerit, in aliquo se pro hoc ipso præsumpserit munerari, sive ille qui dederit, sive qui acceperit, juxta sententiam Chalcedonensis concilii, gradus sui periculum sustinebit.

CAP. CXVIII. *Damnatur episcopus, qui per pecuniam ordinationem facit.*

Conc. Chalced., c. 2.

(1, q. 1, c. *Si quis episcopus.*) Si quis episcoporum, accepta pecunia ordinationem fecerit, et sub pretium deduxerit, impreciabiliter pecunia ordinationem fecerit, sive coepiscopum, sive presbyterum sive diaconum aut quemcunque alium qui connumeratur inter clericos promoverit, aut accepta pecunia ordinaverit œconomum, id est defensorem sive paromanarium ; quicunque hoc meditatus fuerit, si convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum. Et qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex hujuscemodi mercimonio et consecratione probrosa, sed sit alienus et dignitatis et sollicitudinis ejus, quam per pecuniam acquisivit. Sed et ille qui tam turpibus et illicitis intercessor apparuit, si quidem clericus fuerit, de proprio decidat gradu ; si vero laicus, sive monachus fuerit, anathema sit.

CAP. CXIX. *Qui dona Dei vendunt vel emunt, pariter a Deo damnantur.*

Gregor., homilia in Evang. 39.

Vendentes et ementes de templo eliminat Christus (*Matth.* XXI), quia vel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Dei emere nitantur, damnat. Item, in templo vendentes sunt qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur. Justitiam enim vendere est hanc pro præmii acceptione servare. Ementes vero in templo sunt, qui dum hoc quod justum est proximo persolvere volunt, dumque rem jure debitam contemnunt, dato patronis pretio emunt peccatum.

CAP. CXX. *Quid sit columbas vendere.*

Gregor., homil. 4 in Evang., 40.

Columbas vendere, est impositionem manus qua Spiritus sanctus datur non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare.

CAP. CXXI. *De multiplici genere Simoniacorum.*

Gregor., Tract. Evangel.

(1, q. 1, c. *Sunt nonnulli.*) Sunt nonnulli, qui quidem nummorum ex ordinatione præmia non accipiunt, et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur atque de largitate eadem laudis summodo retributionem quæruntur. Illi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis, nummum favoris exigunt. Unde bene cum virum justum describeret propheta, ait : *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII). Neque enim dicit, qui excutit suas manus a munere, sed adjunxit *ab omni munere*, quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa. Munus a manu pecunia, munus a lingua favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum pecuniam nullam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

CAP. CXXII. *Vendentes vel ementes honores ecclesiasticos, nullam sui ordinis potestatem exercere permittas.*

Urbanus Hermanno episc. Metens.

Vendentes vel ementes honores ecclesiasticos, et sacerdotes, diaconos, et subdiaconos conjugatos, quam diu in suo errore permanserint nullam sui ordinationis potestatem in Ecclesia habere permittas.

CAP. CXXIII. *Qui ecclesiastica beneficia emerit, ecclesias quoque emere probatur.*

Ex Decretis Paschalis papæ, c. 18.

(1, q. 3, c. *Si quis autem.*) Si quis autem objec-

Introdusă în format electronic de Google

rit non consecrationes emi, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis ecclesia, aut episcopus aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum vendit alterum, sine quo nec alterum haberi provenit, neutrum vendere non reliquit. Quam tamen abjectionem sacer penitus canon determinat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel regulæ subjectum, adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut mediatores quoque hujus anathematis mucrone incidat.

CAP. CXXIV. *Qui gratiam quam a Deo accipiunt, non gratis exercent, venditores columbarum sunt.*

Ex Homil. Bedæ in Joan. c. 2.

(1, q. 3, c. *Non solum.*) Non solum venditores sunt columbarum, et Dei faciunt domum negotationis, qui sacros ordines largiendo pretium pecuniæ vel laudis, vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem quam Domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causa retributionis exercent contra illud Petri apostoli: *Qui loquitur quasi sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum* (*I Petr.* IV). Quicunque ergo tales sunt, si nolint jubente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de actibus suis, ne faciant domum Dei, domum negotiationis.

CAP. CXXV. *Simoniacis in dignitate servanda, nulla est misericordia impendenda.*

Nicolaus Junior.

(1, q. 1, c. *Erga.*) Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed juxta canonum sanctionem, et sanctorum Patrum decreta, eos omnino damnamus, ac deponendos eos apostolica auctoritate sancimus.

CAP. CXXVI. *De eo qui ordinatur ab illo quem scit Simoniacum esse.*

Ex eodem.

(1, q. 1, c. *De cætero.*) De cætero statuimus si quis in posterum ab eo quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator et consecratus non disparem damnationis sententiam subeant; sed et uterque depositus pœnitentiam agat, et privatus a propria dignitate persistat.

CAP. CXXVII. *De multiplici genere Simoniacorum.*

Nicolaus, in decretis, c. 11.

(1 q. 2, c. *Statuimus.*) Nicolaus episcopus omnibus episcopis. Statuimus decretum de Simoniacis tripertita hæresi, id est de Simoniacis, Simoniace ordinatoribus vel ordinatis, et de Simoniacis Simoniace a non Simoniacis, et Simoniacis non Simoniace a Simoniacis. Simoniaci Simoniace ordinati vel ordinatores, secundum ecclesiasticos canones, a proprio gradu decidant. Simoniaci quoque Simoniace a non Simoniacis ordinati, similiter ab officio male accepto removeantur. Simoniacos autem non Simoniace a Simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate concedimus permanere in officio.

DE PROFESSIONE HÆRETICORUM.

CAP. CXXVIII. *Hæreticum resipiscentem nemo suscipiat nisi episcopus ejusdem loci reconciliaverit.*

Sylvester papa in Decretis, c. 2.

Sylvester papa in generali residens synodo dixit: « Constituimus ut presbyterum Arianum resipiscentem nemo suscipiat, nisi episcopus ejusdem loci reconciliaverit, et sacrosancto chrismate per episcopalis manus impositionem sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaverit. »

CAP. CXXIX. *Sacerdotes hæreticorum episcopi honoribus non habentur digni.*

Innocentius in Decretis, ad Alexand. episc., c. 3.

(1, q. 1, c. *Arianos.*) INNOCENTIUS papa Romanus ALEXANDRO Antiocheno episcopo: « Arianos cæterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii ac ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate. Quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod itaque in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti percipitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate, illisque ministeriis arbitramur, quoniam cum a catholica fide eorum auctores discederent, perfectionem Spiritus quam acceperant amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt (quæ maxime in ordinationibus operatur) qui per impietatis suæ perfidiam fidem Domini perdiderunt, propter quod fieri non potest ut eorum profanos sacerdotes dignos Dei honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos (ut dixi) ad sancti Spiritus percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipiamus. Gravitas itaque tua ad notitiam coepiscoporum, vel per synodum, si potest, vel per nostram recitationem litterarum faciat pervenire, est hoc quod ipse tam necessario percunctatus es, et nos tam eliminate respondimus communi omnium coepiscoporum consensu, studioque servetur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CXXX. *Redeuntes ab hæreticis, sunt reordinandi.*

Innocentius I ad episcop. Macedon., ep. 22.

(1, q. 7, c. *Per illicitam*; 1, q, 1, c. *Ventum.*) INNOCENTIUS RUFO et EUSEBIO episcopis : « Ordinati ac hæreticis vulneratum per illam manus impositionem caput habent; ubi autem vulnus infixum est, medicina est adhibenda qua possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta cum cicatrice esse non poterit, atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honor locum habere non potest. Nam si, ut legitur : *Qui tetigerit immundum immundus erit* (*Levit.* XXII), quomodo tribuetur ei quod munditia ac puritas consuevit accipere? Sed Ecclesia asserit eum qui honorem amisit, honorem dare non possit, neque illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Aquiescimus, et verum est certe, quia quod non habuit quis, dare non potuit, damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit, et qui particeps factus est damnationis quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum; verum dicitur, vera ac justa legitimi sacerdotis benedictio auferre potest omne vitium quod a vitioso fuerat injectum. Et si ita est applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, omnium criminum, rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri, nullus sit locus pœnitentiæ, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. Sed nostræ lex Ecclesiæ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. »

CAP. CXXXI. *In Decretis Leonis*, c. 6.

LEO Urbis Romæ episcopus, JANUARIO episcopo omnibusque cujuslibet ordinis. « Clericus, qui Catholicam deserens communionem, hæreticæ se pravitati miscuerit, si ad Ecclesiam et communionem Catholicam reverti voluerit, prius errores suos et ipsos auctores suos damnatos a se sine ambiguitate fateatur, et propriæ manuscriptis protestationibus plene et aperte loquatur, et sic in eo gradu in quo erat, sine aliqua promotione recipiatur. Qui tamen pro magno habeat beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in eo quo invenitur ordine, stabilitate perpetua permaneat, si tantum iterata tinctione non fuerit maculatus. Non levem apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros ordines promovendos judicaverit. Quod si cum grandi et gravi examinatione promotio est, ceditur inculpatis, multo magis non licere suspectis. Igitur apostolica auctoritate præcipimus ut circonspecte ab omnibus amodo impleantur, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem et laudabiliter suggesta sunt et salubriter ordinata. »

CAP. CXXXII. *Exemplo Cyrilli ad Joannem Antiochenum.*

« Ego illo nomine scripturam quam manu mea scripsi, profiteor sequens sanctum judicium Patrum Nicæni synodi CCCXVIII, vel Chalcedonensis synodi universale concilium, cujus definitionem sedes apostolica confirmavit, quod etiam beatissimi papæ Leonis epistola, ad sanctæ memoriæ Flavianum Constantinopolitanæ urbis episcopum, data prædicatione lucidissime veritatis exposuit. Confiteor unum eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Dei Patris, perfectum eumdem in deitate, perfectum eumdem in humanitate, Deum verum et hominem verum, et ipsum eumdem ex anima rationali et carne; consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eumdem secundum humanam rationem in omnibus similem, absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem; in novissimis vero diebus eumdem et propter nostram salutem de virgine Maria natum, quæ eumdem Deum peperit secundum humanitatem, unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, individue inseparabiliter cognitum,. nequaquam naturarum differentia sublata, propter unionem, sed potius salva manente proprietate utriusque naturæ, in unam, *non in* duas concurrisset personas, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum verum Dominum Christum, sicut olim prophetæ, de eo vel ipse nos Christus per semetipsum Dominum erudivit. Qui autem ita non sentiunt, cum Nestorio et Eutychete, vel eorum sectatoribus æterno anathemate dignos esse pronuntio. »

CAP. CXXXII *bis. Consecratio dici non potest quæ ab excommunicatis hominibus est facta.*

Greg. Maximo Salonit.

Auditur inauditum nefas, quod post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione quoque nostra ordinantiumque te facta est, cæsis presbyteris diaconibusque manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem nos consecrationem nullo modo dicere possumus, quia ab excommunicatis est hominibus consecrata.

DE LAPSIS POST EORUM ORDINATIONEM.

CAP. CXXXIII. *De sacris ordinibus lapsi reparari non possunt.*

Gregorius Januario episc, Calarit., l. III, ep. 26.

(Dist. 50, c. *Pervenit.*) Pervenit ad nos etiam quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante pœnitentiam ad ministerii sui officium revocari. Quod omnino prohibemus, et in hoc sacratissimi canones contradicunt. Qui ergo

Introdusă în format electronic de Google

post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccato carnis fuerit, sacro ordine ita careat ut ad altaris ministerium ulterius non accedat.

CAP. CXXXIV. *Non ingrediantur ecclesiam, presbyteri, diaconi, vel subdiaconi qui in crimine fornicationis jacent.*

Gregorius ad Ital. et Theuton.

(Dist. 81, c. *Si qui presbyteri sunt.*) Si qui sunt presbyteri vel diaconi, vel subdiaconi qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex Dei parte omnipotentis, et sancti Petri auctoritate ecclesiæ introitum usque dum pœniteant et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum eorum audire præsumat officium, quia benedictio eorum convertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, Domino testante per prophetam : *Maledicam*, inquit, *benedictionibus vestris* (*Malach.* VII). Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrunt Samuele testante et beato Gregorio instruente : *Peccatum ariolandi est, non obedire : et scelus idololatriæ, non acquiescere* (*I Reg.* XV). Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis dum Chistianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit.

CAP. CXXXV. *Non audiatur missa presbyteri concubinam habentis.*

Nicolaus Jun. et Alexander, l. III *De lapsis.*

(Dist. 32, c. *Nullus*, et c. *Præter.*) Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde et ipsa sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione posuit dicens : « Quicunque presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Leonis papæ de castitate clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli præcipimus, et contradicimus, ut missam non cantet, neque evangelium vel epistolam legat ad missam, neque in presbyterio cum his ad divina officia, quæ præfatæ constitutioni fuerint inobedientes, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat, quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo concedente, præcedat. »

CAP. CXXXVI. *Non potest restitui in sacerdotium, cujus crimen fuerit manifestum.*

Nicolaus Carolo archiep., et concil. Wormat.

(Dist. 50, c. *Sacerdotes.*) Sacerdotes si in fornicationis ceciderint laqueum, et criminis manifestus ostensus fuerint actus, sacerdotii non possunt habere honorem secundum canonicæ institutionis auctoritatem.

CAP. CXXXVII. *Qui voluptatem officio præposuerit, modis omnibus submoveatur.*

Innocentius Exuperio Tolos.

(Dist. 82, c. *Proposuistis.*) Proposuistis quid de his observari debeat quos in diaconi ministerio, aut in officio presbyteri positos, incontinentes esse aut fuisse generati filii prodiderunt. De his manifesta est divinarum legum disciplina, et beatæ recordationis Siricii episcopi monita evidentia emanaverunt, ut incontinentes in officiis pontificalibus positi omni honore ecclesiastico privarentur, nec admittantur ad tale ministerium quod sola continentia oportet impleri.

CAP. CXXXVIII. *Officio et beneficio privetur episcopus, presbyter aut diaconus, uxorem suscipiens vel susceptam retinens.*

Alexander II ad episc. et reg. Da mat.

(Dist. 81, c. *Si quis amodo.*) Si quis amodo episcopus, presbyter aut diaconus feminam acceperit, vel receptam retinuerit, proprio gradu decidat usque dum ad satisfactionem veniat, nec in choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus ecclesiasticis habeat.

CAP. CXXXIX. *De eodem.*

Alexander II ad eosd.

(Dist. 81, c. *Si quis sacerdotum.*) Si quis sacerdotum, vel diaconorum, vel subdiaconorum, officium contumaciter deponens, feminam sibi potius eligit, sicut sponte ob fornicationem dimittit officium, ita ob prævaricationem dimittere cogatur et invitus beneficium.

CAP. CXL. *De eodem.*

Alexander II populo Mediol.

(Dist. 81, c. *Eos etiam.*) Eos etiam qui ut fornicari eis liceat, divinum officium dereliquerint, et a Deo recedentes diabolo et ejus operibus serviunt, sicut se justissime ab officio alienos faciunt, ita beneficio ecclesiarum privatos esse judicamus.

CAP. CXLI. *Qui post ordinationem suam labitur, depositus remanebit.*

Martinus papa Amando.

(Dist. 50, c. *Qui semel.*) Qui semel post ordinationem in lapsu decidit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci.

CAP. CXLII. *Gregorius Venantio episcopo Luneusi.*

Statuimus diaconum abbatem quem de portu Veneris judicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere vel posse aliquomodo reparari, quem quidem sacro ordine privatum in pœnitentia te deputare convenit. Cujus si postea actus et conversatio meruerit, priorem inter monachos, ubi tu tamen decreveris, standi locum obtineat. Subdiaconi quoque quos simul culpa constringit, ab officio suo irrevocabiliter depositi, inter laicos communionem accipiant. In portu autem Veneris loco lapsi, diaconum alium qui hoc officium implere debeat, ordinabis.

CAP. CXLIII. *Clericus adulterasse convictus, vel confessus, in monasterio retrudatur.*

Synod. Aurelian., c. 7; concil. Aurelian. III.

(Dist. 81, c. *Si quis.*) Si quis clericus adulterasse aut confessus fuerit aut convictus, depositus ab officio suo communione concessa in monasterio toto vitæ suæ tempore trudatur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CXLIV. *De eodem.*

Pelagius Constantino defens.

(Dist. 81, c. *Romanus.*) Romanus Ecclesiæ Thianensis clericus, pro crimine adulterii quod admisisse perhibetur, clericatus ordine deposito, in monasterio hic in urbe Romana ad agendam pœnitentiam ex vestra jussione detrusus est.

CAP. CXLV. *Lavsi in suum ordinem reparari non possunt.*

Gregorius Constantino episc. Mediol.

(Dist. 50, c. *Si lapsis.*) Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia conceditur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria quis concipere non formidat. Et post pauca : Illud pro omnibus studete cavere, ut lapsos in sacro ordine nullius vobis supplicatio aliquomodo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata, credatur esse vindicta.

CAP. CXLVI. *Presbyter post lapsum nulla ratione in sacro ordine reparari valet.*

Gregorius in Decret., ad Savin. lib. VII, ep. 25.

(Dist. 50, c. *Presbyterum.*) Gregorius Sabiniano episcopo. « Presbyterum de quo nos fraternitas tua latoris præsentiam legatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse cognoscas. Circa quem tamen minus agendum est propter commissum facinus, quia facili dicitur professione confessus. »

CAP. CXLVII. *Hic determinat contrarium, et vult quod lapsi reparari possunt.*

Gregor. ad secundum, l. VII, ep. 53.

(Dist. 50, c. *Quia sanctitas.*) Sanctitas tua a nobis requisivit ut tibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi scriberem, dum de tali officio post lapsum resurgendi scriberemus, dum dicis de hoc canones diversos te legisse, diversasque sententias alias resurgendi alias nequaquam. Nam nos generaliter a Nicæna synodo incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, qui ipsam sequentes in cunctis sententiis unanimes concordant. Hos ergo præcedentes Patres sequimur, quia auctoritate Dei a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes usque in quartum altaris ministerium hanc formam servandam cognoscimus, ut sicut minorem major præcedit honore, ita sit in crimine. Et quem major insequitur culpa, major ei implicetur vindicta, et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, et fructum ejus non colligere? aut domum construere et illic non habitare? Post dignam enim satisfactionem credimus lapsum posse redire ad honorem, Propheta dicente : *Nunquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat?* (*Psal.* XL.) Et : *Qui aversus est, non revertetur?* (*Jer.* VIII.) Quid est ergo gravius carnale delictum admittere sine quo pauci inveniuntur, aut Dei Filium jurejurando negare? In quo A peccato ipsum beatum principem apostolorum Petrum (*ad cujus* corpus nos indigni sedemus) lapsum esse cognoscimus; sed post negationem, pœnitentia secuta est; et post pœnitentiam indulgentia data est, quia illum ab apostolatu non dejecit quem ante seipsum negaturum prædixit. Tibi hæc, fili mi, dicta sufficiant, ut illum quem conspicis delicta fletu delere, non dubites in conspectu divinitatis misericordiam consequi, quia nullum peccantem reversum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit.

CAP. CXLVIII. *Clerici post lapsum, suis ordinibus reparari possunt.*

Calixt. papa in Decr. ad episc. Galliarum.

B (Dist. 50, c. *Ponderet*, § *Errant.*) CALIXTUS papa Romanus, dilectis episcopis per Galliam constitutis. — « Errant qui putant Domini *sacerdotes*, post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, et suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, et suum sacerdotium condigne custodierint. Et ipsi quidem qui hoc putant, non solum errant, sed etiam traditas Ecclesiæ claves despicere videntur, de quibus dictum est : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* (*Matth.* XVI). Alioquin hæc sententia aut Domini non est, aut vera est. Nos vero indubitanter, tam Domini sacerdotes, quam reliquos fideles, post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam : *Nunquid* C *qui cadit non adjiciet ut resurgat?* (*Psal.* XL.) Et : *Qui aversus est, non revertetur?* (*Jer.* VIII.) Et alibi : *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII), et per prophetam David pœnitentiam agentem dicit : *Redde* mihi *lætitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me* (*Psal.* L). Ipse namque post pœnitentiam, et alios docuit, et sacrificium Deo obtulit, dans exemplum doctoribus sanctæ Ecclesiæ, si lapsi fuerint, et condignam Deo pœnitentiam gesserint, utrumque facere posse. Docuit enim quando dixit : *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*ibid.*). Sacrificium obtulit pro se, dum dicebat : *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus* (*ibid.*). Videns autem D Propheta scelera sua mundata per pœnitentiam, non dubitavit prædicando et, Domino liberante, errare aliena; lacrymarum effusio tenet animi passionem : satisfactione autem impleta avertitur animus ab ira, superabundant peccata, superabundat et misericordia. *Quoniam apud Deum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX). Mundetur ergo homo a peccato, et resurgit gratia Dei a lapso, et in pristino manet officio, juxta prædictas auctoritates. Videat ne amplius peccet, ut sententia Evangelii maneat cum eo, quæ ait : *Vade, et ne amplius noli peccare* (*Joan.* VIII). Sententiam itaque fratres, quæ misericordiam vetat, non solum tenere, sed et audire refugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus et sacrificiis.»

Introdusă în format electronic de Google

Cap. CXLIX. *Qui sunt reparandi post lapsum, vel quando.*

Isidorus ad Massan. episc. c. 1.

(Dist. 50, c. *Domino.*) Domino sancto meritisque beato fratri Massano episcopo, Isidorus episcopus, salutem. — Quod in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, videlicet quod in canone Ancyritano, capitulo 19, legitur, post lapsum corporalem, restaurandum honoris gradum post pœnitentiam. Alibi vero legitur, post hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum, hæc diversitas hoc modo solvitur. Illos enim ad pristinos gradus canon redire præcepit, quos pœnitentiæ præcesserit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi, qui neque a vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est determinanda sententia ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem recepisse merentur divinæ pietatis, hi non immerito consequentur adeptæ dignitatis gradum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse cognoscuntur remedium vitæ. Id autem ne forte magis sit ambiguum, divinæ auctoritatis sententia confirmatur. Ezechiel quidem propheta sub typo prævaricatricis Jerusalem ostendit post pœnitentiæ satisfactionem pristinum restaurari posse honorem. *Confundere*, inquit, *o Juda, et porta ignominiam tuam* (*Ezech.* XVI). Et post paulutum : *Et tu*, inquit, *et filiæ tuæ* et *revertemini ad antiquitatem vestram* (*ibid.*). Quod dicit *confundere*, ostendit post confessionem, id est peccati opus debere quemquam erubescere, et post confessionem pro admissis sceleribus verecundam frontem, humoque prostratum demergere, pro eo quod dignum confusione perpetravit opus. Deinde præcepit ut post ignominiam et dejectionem sui nominis sive dignitatis, revertatur ad suam antiquitatem. Ergo dum quisque post opus confusionis suæ confunditur, atque ignominiam portans depositionem suam cum humilitate luget, revocari secundum prophetiam ad priorem poterit statum. Item, Joannes evangelista Angelo Ephesi Ecclesiæ inter cætera quædam similia scripsit: *Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam et prima opera fac. Alioquin veniam, et movebo candelabrum de loco ejus* (*Apoc.* II). Ecce, in quantum valui, concilii Ancyritani antiquam plane et plenam auctoritate, sententiam sacris testimoniis explanavi, ostendens eum posse restaurari in proprio ordine, qui per pœnitentiæ satisfactionem noverit propria delicta deflere. Qui vero negligit nec luget quæ gessit, nec lugenda sine ullo pudore religionis, vel timore judicii divini committit, eum nullo modo posse ad pristinum gradum restaurari cognoscas. In fine autem epistolæ hujus hoc adjiciendum putavi, ut quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius concilii magis teneatur sententia, cujus antiquior aut potior existat auctoritas.

Cap. CL. *Qui confitetur se ante ordinationem peccasse, non sacrificet, convictus autem deponatur.*

Martinus episc. Brac., ex Synod. Græc.

(15, q. 8, c. *Si quis presbyter.*) Si quis presbyter ante ordinationem peccaverit et post ordinationem peccata confessus fuerit, quod ante erraverat, non offerat, sed tamen pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipse confessus fuerit, sed ab alio publice convictus, nec hoc ipsum habeat, ut nomen presbyteri portet. Similiter de diaconibus observandum est, ut si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconi teneat.

Cap. CLI. *Presbyter qui ante ordinationem confitetur se corporaliter lapsum, postea non offerat.*

Ex conc. Neocæs. c. 1.

(15, q. 8, c. *Qui admisit.*) Presbyter si præoccupatus corporali peccato promoveatur, et confessus fuerit de se quod ante ordinem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quod si de seipso confessus non fuerit, et argui manifeste nequiverit, potestatis suæ judicio relinquetur.

Cap. CLII. *Qui valeant reparari post lapsum, vel non.*

Rabanus, l. Pœnit. c. 1.

(Dist. 50, c. *De his vero.*) De his vero visum est nobis scribendum esse qui sacros ordines habent et ante vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc distantia esse debet, ut hi qui deprehensi vel capti fuerint publice in perjurio, furto, atque fornicatione, et cæteris hujusmodi criminibus, secundum sacrorum canonum instituta a gradu proprio deponatur, quia scandalum est populo Dei tales personas superpositas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Nempe inde detrahuntur homines sacrificio Dei, sicut quondam filiis peccantibus Heli fecisse leguntur (*I Reg.* II), et rebelles hinc atque contrarii existentes pravis exemplis eorum quotidie pejores fiunt. Qui autem de prædictis peccatis abscondite a se admissis per occultam confessionem coram oculis Dei, pœnitente etiam sacerdote, qui in eis inducturus est pœnitentiam, confitentur, et semetipsos graviter deliquisse queruntur, sive per jejunia et eleemosynas, vigiliasque et sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint, his etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.

Introdusă în format electronic de Google

DE CLERICO HOMICIDA.

CAP. CLIII. *Post patratum homicidium, sacerdotale officium ministrare non potest.*

Joannes VIII Cœnomant. episc. Utic.

(Dist. 50, c. *Miror.*) Miror minus doctam scientiam tuam putare sacerdotem, post patratum homicidium in sacerdotio posse ministrare, imo, quod est ineptius, nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam clemens tamque perversi sensus tale quid destinaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio privatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium.

CAP. CLIV. *Qui casu homicidium facit, ex dispensatione in ordine suo permaneat.*

Urbanus II Gwarnerio episc. Narbon.

(Dist. 50, c. *Clerico.*) Clerico jacente lapidem, puer dicitur interemptus; nos pro amore Dei et tuo, in eodem ordine eum permanere permittimus, ut tamen semper in pœnitentia et timore Domini permaneat.

CAP. CLV. *Steph. V Sigeberto Corsicæ episcopo.*

(Dist. 30, c. *Quia.*) Quia te quasi obnoxium judicas eo quod a Saracenis captus es, homines interfecisse videris, bene facis. Sed quoniam non sponte tua interfecisse cognosceris, inde canonicæ nulli modo judicaris.

DE USURIS.

CAP. CLVI. *Degradatur clericus, qui usuras accipere detegitur.*

Conc. Eliber., c. 20.

(Dist. 47, c. *Si quis.*) Si quis clericus detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari et abstinere.

CAP. CLVII. *Diaconus, presbyter, et episcopus, exigens usuras, nisi desierit, deponatur.*

Canones apost.

(Dist. 47, c. *Episcopus.*) Episcopus aut presbyter, aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut certe damnetur, aut desinat et communione privetur.

CAP. CLVIII. *Clericus non accipiat plusquam accommodavit.*

Conc. Agath.

(Dist. 14, q. 4, c. *Nullus clericorum.*) Ut nullus clericorum amplius recipiat quam accommodaverit; si pecuniam, pecuniam; si speciem, speciem; eamdem quantam dederit accipiat, et quidquid aliud tantum quantum dederit.

CAP. CLIX. *Pro pecunia quam clericus mutuo dedit, justo pretio species accipere potest.*

Martinus papa, ex conc. Tarrasc. c. 2.

(14, q. 4, c. *Si quis clericus.*) Si quis clericus in necessitate præstiterit solidum, hoc vel de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuerit venundari. Cæterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit sine ullo augmento suscipiat.

CAP. CLX. *Quidquid supra datum exigitur, usura est.*

Hier., l. VI in Ezech.

(14, q. 3, c. *Putant.*) Putant quidam usuram tantum esse in pecunia, quod providens Scriptura divina omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Item, alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram appellari et superabundantiam quidquid illud est, si ab eo quod dederunt plus acceperint.

CAP. CLXI. *Quando amplius quam debetur exigitur, usura accipitur.*

Conc. Agath. c. 1.

(14, q. 1, c. *Usura.*) Usura est ubi amplius requiritur quam datur, verbi gratia: Si dederis solidos x, et amplius quæsieris; vel dederis frumenti modium unum, et super aliquid exegeris.

CAP. CLXII. *Turpe lucrum sequitur qui minus emit ut plus vendat.*

(14, q. 4, c. *Quicunque.*) Quicunque tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium vini, et servat usque dum venundetur deinde quatuor aut sex, aut amplius; hoc turpe lucrum ducimus.

DE SERVIS NON ORDINANDIS.

CAP. CLXIII. *Capitulorum* l. I, c. 82.

Si quilibet servus dominum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus pretio conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate, vel fraude ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est ut deponatur, et dominus ejus eum accipiat. Si vero avus et pater, ab alia patria in aliam migrans in eadem provincia filium genuerit, et ipse filius ibidem educatus, et ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, et utrum servus sit ignoraverit, et postea veniens dominus ejus legibus eum acquisierit, si dominus ejus in libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat; si vero eum cum catena servitutis a castris Dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat.

CAP. CLXIV. *Servus si latenter irrepserit ad sacerdotium, peculii amissione multetur.*

Gelasius papa Marano et Justo episc.

(Dist, 54, c. *Ex antiquis.*) Actores siquidem illustris viri filii nostri Amandi graviter conqueruntur, homines juri suo debitos, alios jam in clericos, alios jam subdiaconos ordinatos, cum non solum post modernum concilium quod tantorum collectus

Introdusă în format electronic de Google

pontificum sub omnium saluberrimæ provisionis assensu constat esse perfectum, hujusmodi personas suscipere non deberent, verum etiam si qui forte in divinæ cultum militiæ ante fuerint, ignorantia faciente, suscepti, eliminati prorsus et exuti religioso privilegio ad dominorum possessiones justa debuerint admonitione compelli, et ideo, fratres charissimi, eos quos supradicti viri actores in clericatus officio monstraverint, detineri discussos et obnoxios approbatos, custodito legum tramite, sine intermissione restituite, ita ut si quis jam presbyter reperitur, in eodem gradu peculii sola amissione permaneat. Diaconus vero aut vicarium præstet, aut si non habuerit, ipse reddatur. Residua officia sciant neminem posse ab hac noxietate, si convincitur, vindicari, quatenus hoc ordine custodito, nec dominorum jura, nec privilegia ulla ratione turbentur.

CAP. CLXV. *Servus clericus factus servituti obnoxius manet.*

Gelasius Ercul. Stephan. et Just. episc.

(Dist. 54, c. *Frequens.*) Actores illustris feminæ Placidæ petitorii oblatione conquesti sunt Sabinum Marcellianensis sive Clusionatus urbis antistitem, Antiochum servum juris patronæ suæ absentis dominæ, occasione captata, ad presbyterii honorem usque perductum, ejusque fratrem Leontium clericalis officii privilegio decorasse. Et ideo, fratres charissimi, inter supradictos auctores, et eos qui conditionis extremæ repetuntur, objectu, cognitionem vobis nostra auctoritate deputamus, ut, omnium veritate discussa, si revera sibi objectam maculam, justæ refragationis non potuerit ratione divellere, Leontium clericum, quem gradus definitus legibus non defendit, ad sequendam cognitionis suæ necessitatem modis omnibus exhibete. Antiochum vero, quia per sacerdotium jam non potest recolligi, si in sua Ecclesia in hoc in quo est, desiderat domina collocare, non velut redditum sibi habeat, sed pro ministeriorum celebratione susceptum.

CAP. CLXVI. *Quando servus sit ordinandus, et quando non.*

Constitutio V Novell. c. 23.

(Dist. 54, c. *Si servus.*) Si servus, sciente et non contradicente domino, in clero sortitus sit, ex hoc ipso liber et ingenuus fiat : si enim ignorante domino consecratio facta fuerit, liceat domino intra annum tantum conditionem probare et proprium servum recipere. Sin autem servus, sciente domino vel ignorante, secundum ea quæ diximus, ordinatus fuerit, ex ipso honore clericatus libertatem meretur, et si postea ministerium ecclesiasticum reliquerit, et ad laicorum vitam transierit, in servitium trahatur.

DE VITA CLERICORUM.

CAP. CLXVII. *Non licet episcopo habere canes ad venandum.*

Conc. Aurel. c. 8.

(Dist. 34, c. *Episcopum.*) Episcopum, presbyterum, diaconum, canes ad venandum, aut accipitres, aut hujusmodi res habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate detectus sæpius fuerit, si episcopus est, tribus mensibus a communione privetur; presbyter duobus mensibus; diaconus, uno, ab omni officio et a communione suspendatur.

CAP. CLXVIII. *Proprii gradus amissione multentur militaria arma clerici ferentes.*

Ex conc. eodem, c. 18.

(24, q. 8, c. *Quicunque ex clero.*) Quicunque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus et religioso habitu præbeant; quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo et sæculo militare.

CAP. CLXIX. *Honore privetur episcopus, vel presbyter, qui magos vel aruspisces consulunt.*

Conc. IV Tolet. c. 30.)

(26, q. 5, c. *Si quis episcopus.*) Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum aruspices aut ariolos, aut certe augures vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus monasterii curam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum sacrilegii solvat.

CAP. CLXX. *Diaconus presbyter et episcopus ebrietati et aleæ deservientes, nisi desierint, communione priventur.*

Canones apost. c. 13.

(Dist. 35, c. *Episcopus.*) Episcopus, presbyter, aut diaconus aleæ aut ebrietati deserviens, aut desinat aut certe deponatur. Subdiaconus aut lector, aut cantor similia faciens communione privetur, similiter et laicus.

CAP. CLXXI. *Ludus tabulæ fugiendus.*

Augustinus, Serm. in litan.

Luxuriosum et saluti animæ contrarium tabulæ ludum velut seminarium peccatorum non solum his diebus, sed etiam omni tempore fuge.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CLXXII. *Sumat seipsum.*

Conc. Carthag.

(Dist. 46, c. *Clericos.*) Clericos scurriles, et verbis turpibus joculatores ab officio detrahendos censemus.

CAP. CLXXIII. *Adulator vel proditor clericus ab officio degradetur.*

Ex conc. eodem.

(Dist. 46, c. *Clericus.*) Clericus qui adulationibus et proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

DE RELIGIOSIS.

CAP. CLXXIV. *Monachi qui sunt in civitatibus, episcopo debent esse subjecti.*

Conc. Chalced. c. 3.

(16, q. 1, c. *Qui vere.*) Qui vere et pure solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. Quia tamen quidam sunt monachi habitantes indifferenter per civitates, nec non et monasteria, seipsos præsumptione propria commendantes, placuit neminem aut ædificare, aut constituere monasteria, aut oratorii domum, sine conscientia ipsius civitatis episcopi. Eos vero qui per singulas civitates seu possessiones monasterii sunt, subjectos esse debere episcopo, et quieti operam dare, atque conservare jejunia et orationes in locis quibus semel se Deo devoverunt, permanentes, et neque communicare ecclesiasticis neque sæculares aliquas altrectare actiones, relinquentes propria monasteria, nisi forte jubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius civitatis episcopo, et neminem servorum suscipi in monasterium ut cum iis sit monachus, nisi cum domini propria conscientia. Prætereuntes vero hæc decrevimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur. Convenit ergo civitatis episcopo curam sollicitudinemque necessariam monasteriis exhibere.

CAP. CLXXV. *In populari frequentia monachi esse non debent.*

Hieron. ad Paulin. presb.

(10, q. 1 c. *Si cupis esse.*) Si cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus? Quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum; habent unumquodque propositum principes suos, et ut ad nostra veniamus, episcopi, presbyteri habeant ad exemplum apostolos et apostolicos viros quorum honores possidentes habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos et Antonios, Julianos, Hilarios, Macharios; habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, et serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis: non multum distat in vitio vel decipere posse vel decipi. Christianum quem senseris tibi semper aut crebro de nummis loquentem, excepta eleemosyna quæ indifferenter omnibus patet, institorem potius habeto quam monachum. Præter victum et vestitum, et manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant.

CAP. CLXXVI. *Monachus non habet officium doctoris sed plangentis.*

Hieron. ad Ripar. et Desid. presb.

(16, q. 1, c. *Monachus.*) Monachus non doctoris habet officium, sed plangentis, qui vel se, vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum, qui sciens imbecillitatem suam et vas fragile quod portat, timeat offendere ne *impinguat* et corruat, et frangatur; unde et *mulierum maximeque* adolescentularum vitet aspectum, et in tantum castigator sui sit, ut etiam quæ tuta sunt pertimescat. Cur, inquis, pergis in eremum? videlicet ut te non videam, non audiam, in tuo furore non movear, ut tua bella non patiar. Ne me capiant oculi meretricis, nec forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus, respondebis. Hoc non est pugnare, sed fugere. Stans in acie adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Noto spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.

CAP. CLXXVII. *Hieron. ad Rustic. monac.*

Mihi oppidum carcer, et solitudo paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam, *quid* de hac singularitate censemus? Moyses, ut *præesset* populo Judæorum, XL annis eruditur in eremo. Pastor ovium, hominum factus est *pastor*. Apostoli de piscatione lacus Genesareth ad *piscationem* hominum transierunt. Tunc habebant patrem, rete, naviculam, secuti sunt Dominum, protinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem suam, et ne virgam quidem in manu habentes.

CAP. CLXXVIII. *Hieron. ad eumdem.*

Facito aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Sic apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, et aliis tribuebant refrigeria, quorum prosperitatibus debebant metere carnalia; cur tu in usus tuos successura non præpares? In desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem habent, ut nullum absque opere ac labore suscipiant, non tam propter victus necessaria quam propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, et instar fornicantis Jerusalem cum omni transeunte divaricent pedes suos.

CAP. CLXXIX. *Ecclesiastica officia nec avida electione monachi suscipiant, nec blandiente desidia respuant.*

August. ad Eustoch.

(16, q. 1, c. *Vos autem.*) Vos autem, fratres, ex-

Introdusă în format electronic de Google

hortamur in Domino, ut propositum vestrum custo- A diatis, et usque ad finem vitæ perseveretis, ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo cum mansuetudine, portantes eum qui nos regit, qui nos dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus præponatis Ecclesiæ, cui parturienti si nulli boni ministrari velint, quomodo nasceremini non inveniretis.

CAP. CLXXX. *Ad clericatus militiam non eligantur, desertores monasteriorum.*

August. ad Aurel., epist. 76.

(16, q. 1, c. *Ex his.*) Ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere solemus. Nisi forte sicut B vulgares dicunt : Malus chorausa, bonus symphoniacus est, ita iidem vulgares de nobis jocabuntur dicentes : Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendum, si ad tam rumosam superbiam monachos suberigimus, et tam gravi contumelia clericos dignos putamus, in quorum numero sumus, cum etiam aliquando bonus monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia et tamen desit instructio necessaria aut personæ regularis integritas.

CAP. CLXXXI. *Ille debet abbas institui quem sua congregatio et possessionis dominus ordinari poposcerit, et non extranei.*

Gregorius papa.

(18, q. 2, c. *Abbatem et quam sit*, § *Defuncto.*) Defuncto vero abbate cujuscunque congregationis, C non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit, et qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum. Neque constituto abbate quælibet persona quacunque occasione præponatur, nisi forte existentibus (quod absit!) criminibus, quæ sacri canones punire monstrant. Pariter autem custodiendum est, ut invito abbate ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium, tolli exinde monachi non debeant.

CAP. CLXXXII. *Non potest deseri propositum monachi sponte susceptum.* D

Leo Rustico episc. Narb.

(20, q. 3, c. *Propositum.*) Propositum monachi, proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere ; unde et qui relicta singularitatis professione ad militiam, et ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgari debet, quia etsi innocens militia est, et honestum potest esse conjugium ; electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est.

CAP. CLXXXIII. *Monachus ante unius anni probationem non fiat.*

Calixtus III Hugoni Trev. et Theoderico Virdun.

(17, q. 2, c. *Nos*, § *Benedicti.*) Beati Benedicti canonica, quæ et præcipue patris et prædecessoris nostri S. Gregorii papæ constitutio est, interdicit monachum ante unius anni probationem effici.

CAP. CLXXXIV. *Ante probationem triennii nullus in monasterio suscipiatur.*

Ex Decretis Bonifacii.

(17, q. 2, c. *Si aliquis.*) Si aliquis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præstetur, et si intra tres annos aut servus aut colonus, aut libertus, quæratur a domino suo, reddatur ei cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem triennium non fuerit requisitus, postea quæri non potest, nisi sit tam longe ut inveniri non possit; sed tamen ea B quæ ad monasterium adduxit, servi dominus accipiat.

CAP. CLXXXV. *Impubes monasterium ingressus post annum a parentibus revocari non potest.*

Conc. Magunt. c. 20.

(C. 2, *De reg. et trans. ad relig.*) Si quis ante legitimos annos tonsuratus est, sine consensu parentum suorum, et si ipsi parentes infra annum non reclamaverint ad principem, aut ad proprium episcopum, aut ad missum domini, in ipso clericatu permaneat, sicut is de quo superius dictum est. Si vero privatæ personæ infra annum reclamationem fecerint, ipsi sive parentes eorum hoc per legem exsolvent, quod contra eos contraxerunt. Ille vero qui ante legitimos annos tonsuratus est, utrum in eadem tonsura permanere debeat necne, in potestate sit parentum. Si vero is qui tonsuratus est alicujus servus fuerit, domino per legem emendetur quidquid de ejus servo contra eum contractum est. Ille vero qui tonsuratus est, utrum in eadem tonsura permaneat, in potestate sit domini sui. Si vero hi qui liberi sunt ante legitimos annos aut post, hoc modo, sicut superius tractatum est, tonsurati sunt, et ad gradus ecclesiasticos pervenerint, in eisdem gradibus permanere cogantur. Si vero servus qui superius taxato modo tonsuratus est, et ad gradus ecclesiasticos pervenerit, domino suo per legem emendetur, et ei redditus in suo gradu permaneat. Hoc et de velandis puellis observandum est.

CAP. CLXXXVI. *Tonsura vel vestis religiosa, in minori ætate suscepta, a parentibus irrita fieri potest.*

Conc. Tolet., c. 6.

(20, q. 2, c. *Si in qualibet.*) Si in qualibet minori ætate, vel religionis debitam vestem, vel tonsuram in utroque sexu filiis, aut unus aut ambo parentes dederint, aut certe nolentibus vel nescientibus se susceptam, non mox visam abdicaverint, in filiis, sed vel coram se, vel coram episcopo palamque in conventu, eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem habitum reverti ipsis filiis, quandoque penitus non licebit, sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revo-

Introdusă în format electronic de Google

centur, et sub strenua districtione hujuscemodi observantiæ inservire cogantur. Parentibus sane filios suos religioni tradere non amplius, quam ad quartum decimum annum ætatis licentia poterit esse. Postea vero an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum. Quisquis autem vel abolitione tonsuræ vel sæcularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem, et excommunicationis censuram accipiat, et religioni semper inhæreat.

DE VIRGINIBUS, VIDUIS ET ABBATISSIS.

CAP. CLXXXVII. *Usque ad annos* XII *paternæ voluntatis puella subjaceat arbitrio.*
Conc. Tribur. c. 24.

(20, q. 2, c. *Puella.*) Virgines quæ ante duodecim annos insciis mundiburdis suis, sacrum velamen capiti suo imposuerunt, et illi mundiburdi annum et diem hoc tacendo consenserunt, in sancto proposito permaneant, et si in prædicto anno et die pro illis se proclamaverint, petitioni eorum assensus præbeatur, nisi Dei forte timore tacti, cum eorum licentia in religionis habitu perseverent.

CAP. CLXXXVIII. *Ex concilio Carthaginiensi*, c. 11.

Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo episcopo offertur in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni et sanctimoniæ aptis.

CAP. CLXXXIX. *Non nisi certis diebus velamen imponitur ipsis virginibus.*
Ex Decretis Gelasii, c. 21.

(20, q. 1, c. *Devotis virginibus.*) Devotis quoque virginibus nisi aut in Epiphania aut in Albis paschalibus, aut in apostolorum Natalitiis, sacrum minime imponatur velamen, et non ante viginti quinque annos, nisi forte, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur.

CAP. CXC. *Ante vigesimum quintum annum virgines non consecrentur.*
Ex Decretis Pii papæ.

(20, q. 1, c. *Virgines.*) Ut virgines non velentur ante XXV annos, nisi forte necessitate periclitantis virginalis pudicitiæ, et non sunt consecrandæ in alio tempore, nisi in Epiphania, et in Albis paschalibus, et in apostolorum Natalitiis, nisi causa mortis urgente.

CAP. CXCI. *Ex Decretis Pii papæ*, et conc. Milev. c. 16.

Item, placuit ut quicunque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, vel cum petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquando mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra XXV annos, non ei obsit consilium, quod de isto numero annorum constitutum est.

CAP. CXCII. *Damnationem habebit, si nupserit quæ virginitatem vovit.*
Hieron. ad Lucian.

(Dist. 22, c. *Si nupserit.*) Si nupserit virgo non peccavit. Non illa virgo quæ se semel cultui Dei dedicavit; harum enim si qua nupserit, habebit damnationem quod primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis objecerint, quanto magis de virginibus; prævalebit, cum his etiam non liceat quibus aliquando licuerit.

CAP. CXCIII. *Incestæ sunt virgines quæ post consecrationem nubunt.*

(Dist. 27, c. *Virgines.*) Virgines enim quæ post consecrationem nupserunt, non tam adulteræ quam incestæ sunt.

CAP. CXCIV. *Abbatissa præsumens velare virginem vel viduam excommunicetur.*
Ex Decretis Euticiani papæ, c. 15.

(20, q. c. *Statuimus.*) Nihilominus etiam in quibusdam locis inditum invenimus usum stultitiæ plenum, et ecclesiasticæ auctoritati contrarium, ea videlicet quod nonnullæ abbatissæ, et aliquæ ex sanctimonialibus, viduis et puellis virginibus, contra fas velum imponere præsumant, et ideo nonnullæ injuste velatæ putant se liberius suis carnalibus posse inservire, et suas voluptates explere. Quapropter statuimus ut si abbatissa aut quælibet sanctimonialis post hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam aut puellam velare præsumat, judicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

CAP. CXCV. *Bonifacius martyr Hildrivaldo regi Anglorum.*

Apud Græcos et Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui in hoc reus fit, ut proprie de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, si reus fuerit inventus, ut cum velata et consecrata nonna concubuisset, ab omni gradu sacerdotii Dei prohiberetur. Propter hoc, fili mi, sollicite considerandum est quanti ponderis hoc peccatum esse videtur ante oculos æterni judicis, quod facientem inter idololatriæ servos constituet, et a divino ministerio altaris abjiciet, licet ante veracta pœnitentia reconciliatus sit Deo.

CAP. CXCVI. *Ex concilio Rothomagensi*, c. 9.

(27, q. 1, c. *Viduas autem.*) Statutum est viduas non velari debere; similiter et hoc statutum est, ut si quispiam presbyterorum deinceps hujus constitutionis normæ contumaciter transgressor exstiterit, scilicet ut aliquas viduas velare præsumat, quia et hoc episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat, similiter et de puellis virginibus a presbyteris non velandis; statutum est ut si quis ho-

Introdusă în format electronic de Google

facere tentaverit, tanquam transgressor canonum damnetur.

CAP. CXCVII. *Quod viduæ nullo modo sunt velandæ.*

Martinus papa, in conc.

(27, q. 1, c. *Viduas autem.*) Viduas autem velare pontificum nullus tentet, prout statutum est in Decretis Gelasii, capitulo 13, quod nec auctoritas divina nec canonum forma præstitit. Quæ si propria voluntate continentiam fuerit professa, vel in ejusdem Gelasii capitulo 21 legitur ejus intentio pro se reddat rationem Deo, quia sicut, secundum apostolum, si continere se non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic secum habita deliberatione promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Nos autem auctoritate Patrum suffulti in hoc sacro conventu sancimus et libere judicamus, si sponte velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, et in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debet, licet sacramento confirmare velit eo tenore et ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum posset deponere.

CAP. CXCVIII. *Non est viduis fas, post susceptam velamen, a sacro proposito discedere.*

Conc. Aurel. c. 3.

(27 q. 1, c. *Viduas quæ.*) Viduas quæ ab altari sacrum velamen acceperunt, spontanea voluntate sacræ conversionis, decernit sancta synodus in eodem proposito permanere. Non enim fas esse decernimus ut postquam se semel Deo sub velo consecraverint, et inter velatas oblationem obtulerint, iterum eis concedi Spiritui sancto mentiri.

CAP. CXCIX. *Non permittitur viduæ post professionem continentiæ votum deserere.*

Nicolaus Carolo archiep.

(27, q. 1, c. *Vidua.*) Vidua quidem quæ capiti imposuerit sacrum velamen, si inter cæteras velatas feminas in ecclesia oraverit, et oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens, nunquam religionis velamen deponere, a religionis observantia discedere non præsumat.

CAP. CC. *Ante professam continentiam nubant viduæ quibus volunt.*

August. *De bono viduit.*

(27, q. 1, c. *Viduæ.*) Viduæ quæ se continent nubant antequam professæ continentiam Deo voveant; quod nisi reddant, jure damnantur.

CAP. CCI. *Professionem viduitatis coram episcopo factam, post habitum susceptum, nulli violare permittitur.*

Conc. Araus. c. 6.

(27, q. 1, c. *Viduitatis.*) Viduitatis servandi professionem coram episcopo in secretorio habitam, imposita coram episcopo veste viduali, dicimus non esse violandam; ipsam talis professionis desertricem merito esse damnandam decernimus.

CAP. CCII. *Modus et solemnitas faciendæ professionis hoc ordine servetur.*

Conc. Tolet. c. 5.

(27, q. 1, c. *Omnes.*) Omnes feminæ venientes ad sacram religionem et pallio capita contegant, et conscriptam roboratamque professionem faciant, scripturamque: post quam scripturam non sinantur relabi ad prævaricationis audaciam. Quæ vero ex his omnibus fuerint repertæ animum aut vestem in transgressionem dedisse, excommunicationis sententiam ferant, et rursus mutato habitu in monasteriis donec diem ultimum claudant, sub ærumnis arduæ pœnitentiæ permaneant religatæ.

CAP. CCIII. *Transire non possunt viduæ et virgines post religionis propositum ad nuptias.*

Gelasius in Decret. ad Sicil.

(27, q. 1, c. *Neque viduas.*) Neque viduas ad nutias transire patimur, quæ religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis ætatem egisse contigerit.

CAP. CCIV. *De viduis et virginibus quæ a religionis proposito discedunt.*

Gregor. papa ad Bonifac.

(27, q. 1, c. *Viduas a proposito.*) Viduas a proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consuluit dilectio tua, frater charissime, credo te nosse a sancto Paulo et multis sanctis Patribus nisi convertantur, olim esse damnatas. Quas et nos apostolica auctoritate damnandas et a communione fidelium atque a liminibus ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediant suis episcopis, et ad bonum quod cœperunt, invite aut voluntarie revertantur. De virginibus autem non velatis, si deviaverint, a sanctæ memoriæ prædecessore nostro papa Innocentio taliter decretum habemus. Hæ vero quæ necdum sacro velamine sint tectæ, tamen in proposito virginitatis semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si nupserint, aliquando tempore his agenda pœnitentia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis pollicitatio quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit, etc. Nam si virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem nisi veniant excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis et maturioris sapientiæ ac consilii existunt, virorumque consortio multoties usæ sunt, et habitum religionis assumpserunt, et demum apostataverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ, a nobis et ab omnibus fidelibus a liminibus ecclesiæ, et a cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, et carceribus tradendæ, qualiter juxta beatum apostolum Paulum: *Tradere hujusmodi hominem Satanæ ut spiritus salvus sit in die Domini* (*I Cor.* III). De talibus enim Dominus per Moysen loquitur: *Auferte malum de medio vestri* (*Deut.* XIII). De quibus et per Prophetam ait: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum; manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (*Psal.* LI). De talibus namque et eorum similibus eisdem consentientibus dicitur, quia non

Introdusă în format electronic de Google

solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, rei sunt (*Rom.* I).

CAP. CCV. *Quæ sanctimonialem se esse finxerat, nubere non valet.*

Nicolaus ad Adalwinum archiepisc. Vienn.

(Dist. 27, c. *Quod interrogasti.*) NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro ADALWINO sanctæ Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo. — Quod interrogasti de femina quæ post obitum viri sui velamen sacrum super caput suum imposuit et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse; postea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, et non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, et revertatur ad id quod spopondit, et in sacro ministerio permaneat quod inchoavit.

CAP. CCVI. *De eodem.*

(Dist. 27, c. *Nam si consenserimus.*) Nam si consenserimus quod omnia ecclesiastica sacramenta quisque prout vult fingat, et non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus turbabitur, nec Catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum flcte accipere, et in Christianitate se permansurum finxisse, cum per apostolum fraude ejus detecta, quod sibi futurum esset prænuntiatum fuit. Ait enim : *Pecunia tua tecum sit in perditionem; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de nequitia hac tua, et roga Deum ut forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse* (*Act.* VIII). Ideo tales, nisi resipiscant, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicut Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt (*Act.* V).

CAP. CCVII. *Filii perditionis sunt qui violant corpora feminarum consecratarum.*

Conc. Arel. c. 4.

(27, q. 1, c. *Sciendum.*) Sciendum est omnibus quod Deo sacratarum feminarum corpora, per votum propriæ sponsionis, et verba sacerdotis Deo consecrata templa esse, Scripturarum testimoniis comprobantur, et ideo violatores earum sacrilegi ac juxta Apostolum, filii perditionis esse noscuntur (*II Thess.* II).

CAP. CCVIII. *Viduæ quales eligi debeant, Apostolus dixit* (*I Tim.* V).

Præcipe, inquit, *ut* viduæ *irreprehensibiles sint; vidua eligatur non minus* LX *annorum... in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit*, etc. *Adolescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia fidem irritam fecerunt, simul et otiosæ... loquentes quæ non oportet. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam.*

CAP. CCIX. *Abbatissæ secundum Sancti Benedicti Regulam professæ, singulariter vivant, nec foras habeant sine sui episcopi licentia.*

Conc. Magunt. c. 13.

Abbatissas autem cum sanctimonialibus omnino recte et juste vivere censemus. Quæ vero secundum Regulam Sancti Benedicti professionem fecerunt, singulariter vivant. Sin autem canonice vivant pleniter et sub diligenti cura custodiam habeant, et in claustris suis permaneant, nec foras exitum habeant, sed et ipsæ abbatissæ in monasteriis sedeant, nec foras vadant, sine licentia et consilio episcopi sui.

CAP. CCX. *Abbatissa maximam curam habeat monialium quas secum foras ducit.*

Conc. Magunt. c. 26.

Abbatissa nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui; et si quando foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit, curam habeat maximam, ut nulla eis detur occasio peccandi.

CAP. CCXI. *Abbatissæ cura qualis esse debeat erga sanctimoniales.*

Conc. Grat. c. 8.

Abbatissa diligentem curam de congregatione sibi commissa habeat, et provideat, ut in lectione et officio, in modulatione psalmorum, ipsæ sanctimoniales strenuæ sint; et in operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem reddiura, in conspectu Domini, et stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi aut potus peccare compellantur.

CAP. CCXII. *Sanctimoniales e monasterio non egrediantur, nisi abbatissa mittente, urgente necessitate.*

Conc. Magunt. c. 14.

Sanctimoniales, nisi forte abbatissa sua pro aliqua necessitate urgente mittente, nequaquam de monasterio egrediantur.

CAP. CCXIII. *Mulier quæ mutavit habitum propter continentiam, si virilem amictum sumat, anathema sit.*

Ex Conc. Gang. c. 14.

Si qua mulier propter continentiam, quæ putatur, mutaverit habitum, et pro solito muliebri amictum virilem sumat, anathema sit.

CAP. CCXIV. *Mulieri crines attondenti, quæ pœna debeatur.*

Conc. eodem, c. 17.

Si qua mulier propter divinum cultum (ut æstimat) crines attondat, quos ei Dominus ad subjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit.

CAP. CCXV. *Quod episcopus sæpe visitare debet monasteria sanctimonialium.*

Conc. Rothom. c. 3.

(18, q. 4, c. *Non semel.*) Ut episcopus monasteria monachorum et sanctimonialium frequenter introeat, et cum gravibus et religiosis personis in earum conventu residens, eorum vel earum vitam et

Introdusă în format electronic de Google

conversationem diligenter excutiat, si quid reprehensibile invenerit diligenter satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam subtiliter investiget, et si aliqua inveniatur quæ, neglecto proposito sanctitatis, clerico aut laico impudenter misceatur, acriter verberibus coerceatur, et in privata custodia retrudatur, ubi quod male commisit, digne pœniteat. Interdicatur etiam ex auctoritate sanctorum canonum, ut nullus laicus aut clericus in earum claustris et A secretis habitationibus accessum habeat, neque presbyteri, nisi tantum ad missam; expleta missa ad ecclesias suas redeant. Omnibus publice et privatim denuntiet quantum sit periculum qui sponsam Christi vitiare præsumit. Si enim ille reus tenetur qui sponsam hominis violat, quanto magis reus majestatis efficitur, qui sponsam omnipotentis Dei corrumpit?

LIBER QUARTUS.

De primatu Romanæ Ecclesiæ, et de jure metropolitanorum atque episcoporum, et de ordinatione eorum, et de sublimitate episcopali.

CAP. I. *De privilegiis Constantini imperatoris, concessis Sylvestro papæ ab eodem.*

Ex constit. Constant. imp.

Ex testamento Constantini nostri concedimus sanctis ipsis apostolis dominis meis, beatissimis Petro et Paulo per eos et Sylvestro Patri nostro summo pontifici, et universalis urbis Romæ papæ, et omnibus ejus successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti conferimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe præfertur atque præcellit palatiis, deinde diadema videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium nec non et superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare assolet collum, verum et chlamidem purpuream atque tunicam coccineam, et omnia imperialia indumenta seu dignitatem imperialium præsidentium, equitum, et conferentes imperialia sceptra simulque cuncta signabunda et etiam diversa ornamenta imperialia, et omnem professionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostræ; viris enim reverendissimis clericis in diversis ordinibus ejusdem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus, illud culmen singulare potentiæ et præcellentiæ habere sancimus, cujus amplissimus senatus noster videtur gloria adornari, id patricios atque consules effici, nec non cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgantibus decorari, et sicut imperialis militia ita et clero et sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinari decrevimus. Item D ibid.: Ipse beatissimus papa super coronam quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. Phrygium vero candido nitore splendidum resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manu nostra imposuimus, et tenentes frenum ipsius pro reverentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes successores ejus singulariter in processionibus uti ad imitationem imperii nostri. Unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii B dignitas et gloriæ potentia decoretur: ecce tam palatium nostrum, ut prælatum est, quam Romanam urbem et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates sæpe præfato beatissimo pontifici Patri nostro Sylvestro universali papæ contradentes, atque relinquentes ei vel successoribus ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanendum, unde congruum prospeximus nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, et in Byzantiæ provincia in optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, et nostrum illic constitui imperium. C Quoniam ubi principatus sacerdotum et Christianæ religionis caput ab imperatore cœlesti constitutum est, nec est justum ut illic imperator terrenus habeat potestatem.

CAP. II. *Non ab apostolicis, sed ab ipso Domino Romana Ecclesia primatum accepit.*

Anaclet. in Decret. ep. 3 ad episc.

(Dist. 25, c. *Sacrosancta.*) ANACLETUS servus servorum Dei, omnibus episcopis, et reliquis Christi sacerdotibus, salutem. — Sacrosancta Romana Ecclesia et apostolica non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut ipsi beato Petro apostolo dixit: *Tu es Petrus*, et reliqua (*Matth.* XVI). Ergo hæc apostolica sedes, cardo et caput omnium Ecclesiarum a Domino et non ab alio est constituta, et sicut cardine ostium regitur, ita hujus sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente, reguntur. Igitur si quæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus sanctæ sedis apicem eos quasi ad caput referte, ut apostolico terminentur judicio.

CAP. III. *Primatum Romanæ Ecclesiæ non aliqua synodus, sed Christus instituit*

Gelas. in Decret. c. 1.

(Dist. 21, c. *Quamvis.*) GELASIUS urbis Romæ episcopus, omnibus episcopis. Quamvis universæ

Introdusă în format electronic de Google

per orbem Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia Catholica et apostolica, nullis synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. *Tu es*, inquit Dominus, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Cui etiam data est societas beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub cæsare Nerone agonizans coronatus est, et pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, eamque in omnibus urbibus in universo mundo sui præsentia atque triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia non habens maculam nec rugam, nec aliquid hujusmodi.

CAP. IV. *In Decretis Anacleti*, c. 3.

(Dist. 22, c. *Sacrosancta.* § *Prima.*) Prima igitur sedes est cœlesti beneficio Romana Ecclesia quam, ut memoratum est, beatissimi Petrus et Paulus martyrio consecrarunt.

CAP. V. *Prima sedes nullius judicio subjacet.*

Innocentius in Decret.

(9, q. 3, c. *Nemo.*) Sylvester papa in generali residens synodo dixit : « Nemo judicabit primam sedem justitiam temperare desiderantem. Neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo, judex judicabitur. »

CAP. VI. *Minores non possunt cognoscere de causis majorum.*

Nicolaus Michaeli imper. in Decret. c. 1.

NICOLAUS servus servorum Dei, piissimo et dilectissimo filio, MICHAELI a Deo dilecto semper Augusto.

Nunc autem divina inspiratione non nos pigebit nec nobis impossibile erit ostendere vobis, si tamen audire velitis, non posse quemquam rite ab his qui inferioris dignitatis sunt, vel ordinis, judicialibus submitti definitionibus. Siquidem tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum, Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est a paganis ut templum eorum ingressus, grana thuris super prunas imponeret. Cujus rei gratia collecto numerosorum concilio episcoporum et inquisitione facta, hoc idem pontifex se egisse confessus est, nullus tamen eorum proferre sententiam ausus est, dum ei sæpissime omnes dicerent : « Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio. » Et item : « Noli audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. » Et rursus : « Quoniam ex te, » inquiunt, « justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. » Et iterum dicunt : « Prima sedes non judicabitur a quoquam. » Item in eadem : « Sed cum quodam tempore quidam contra Sixtum papam tentassent quædam mali rumoris objicere, et in concilio cui Valentinianus Augustus intererat dictum fuisse non licere adversus pontificem sententiam dare, surrexit idem protinus imperator, et in arbitrio præfati pontificis tribuit judicare judicium suum : etenim nullus pontificum juniorum vel inferiorum urbium suis actis judiciis invenitur. »

CAP. VII. *Minorum sententia majores damnari non valent.*

Nicolaus ad eumdem, ex eod. cap.

(Dist. 21, c. *In tantum.*) Item, in eadem. In tantum autem hanc præsumptionem sancti Patres, apud Chalcedoniam detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem, inter cætera idcirco potissimum, sine ulla restitutione, damnaverint, quia ponens in cœlo os suum, et lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum papam Leonem dictavit, ita ut in sententia contra ipsum prolata, hoc videantur memorare præcipue dicentes quoniam secundus excessus priorem iniquitatem valde transcendit. Præsumpsit enim excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romanæ [Ecclesiæ] Leonem. Nunquid inquisitionem fuisse factam, utrum juste an injuste Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset. Non plane, sed absque omni controversia, hoc in eo multati sunt quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet est conatus lacessere injuriis, teste Anatolio Constantinopolitano præsule, qui dicit : Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni.

CAP. VIII. *Prima sedes judicat aliorum causam.*

Symmachus papa, in synod. V, in l. Eunod.

(9, q. 3, c. *Aliorum.*) Aliorum forte hominum causas Deus voluit terminare per homines, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio, voluit beati Petri successores cœlo tantum debere innocentiam, et subtilissimæ dissensionis [subtilissimi discussoris] indagini inviolatam habere conscientiam.

CAP. IX. *De eodem.*

Gelasius episc. Dalmat.

(9, q. 3, c. *Cuncta per mundum.*) GELASIUS episcopus, omnibus. Cuncta per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta Romana Ecclesia de omni Ecclesia fas habet judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicio judicare, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus.

CAP. X. *Nemini est permissum de eo quod papa statuit judicare, vel illius sententiam retractare.*

Nicolaus papa ad Michael. imp.

(17, q. 4, c. *Nemini.*) NICOLAUS papa omnibus episcopis. Neminem sedis apostolicæ judicia judicare, aut illius sententiam retractare permissum est, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum Christi munere beato Petro apostolo divinitus collatum.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XI. *Apostolicæ sedis judicium a nemine retractandum.*

Nicolaus Michaeli imp.

(9, q. 3, c. *Patet profecto.*) Patet profecto sedis apostolicæ, cujus auctoritate majus non est, judicium a nemine fore retractandum, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio, juxta quod Bonifacius papa Rufo et cæteris episcopis per Thessaliam constitutis scribit. « Nemo, » ait, « unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis existit, nisi qui de se voluit judicari, et beatus papa Gelasius, nec de ejusdem, id est Romanæ Ecclesiæ canones unquam præceperunt judicari judicio, nec sententiæ constiterunt oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandarunt. »

CAP. XII. *In Decretis Julii papæ*, c. 2.

(9, q. c. *Cuncta.*) Julius apostolicæ sedis episcopus, omnibus episcopis. Habet sacrosancta Romana Ecclesia potestatem singulari privilegio sibi concessam, aperire et claudere januas cœlestis regni quibus voluerit.

DE CONCILIIS SYDONALIBUS.

CAP. XIII. *Bini conventus per singulos annos ab episcopis celebrentur.*

Leo papa Anastasio Tessal., ep. 6.

(Dist. 18, c. *De conciliis.*) De conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus quam sancti Patres salubriter ordinaverunt, ut semel bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci assolent, judicetur. At si forte inter ipsos qui præsunt de majoribus peccatis (quod absit!) causa nascitur, quæ provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam, de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis Patribus nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est transferatur.

CAP. XIV. *Absque Romani pontificis auctoritate, synodum aliquibus congregari non licet.*

Isidor. c. 8.

(Dist. 17, c. *Synodum episcoporum.*) Synodorum vero congregandorum auctoritas apostolicæ sedi privata commissa est potestate, nec ullam synodum generalem ratam esse legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata vel fulta; hæc auctoritas testatur canonica, historia hæc ecclesiastica roborat, hoc sancti Patres confirmant.

CAP. XV. *Ad morum correctionem et controversiarum dissolutionem bis in anno episcopale concilium fiat.*

(Dist. 18, c. *Propter, primo.*) Propter utilitates ecclesiasticas, causas earum rerum quæ dubitationem controversiamque recipiunt, optime placuit ut per singulas quasque provincias bis in anno episcoporum concilia celebrentur. Semel quidem post tertiam septimanam festi paschalis, ita ut in quarta septimana quæ consequitur, id est in medio Pentecoste, conveniat synodus metropolitano comprovinciales episcopos admonente.

CAP. XVI. *De eodem.*

Conc. Antioch. c. 16.

(Dist. 18, c. *Propter*, § *Secundum vero.*) Secunda vero synodus fiat Idus Octobris, id est XV die mensis Octobris, quem hiber periti Græci nominant. In ipsis autem conciliis adsint presbyteri, diaconi, et omnes qui se læsos æstimant et synodi experiantur examen.

CAP. XVII. *Usque ad proximam synodum a communione abstineat, qui a metropolitano vocatus absque gravi necessitate synodo adesse neglexerit episcopus.*

Conc. Agath. c. 35.

(Dist. 18, c. *Si episcopus.*) Si metropolitanus episcopus ad comprovinciales episcopos epistolas direxit in quibus eos aut ad ordinationem alicujus fratris aut ad synodum invitet, postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia aliqua, ad constitutam diem adesse non differant; quod si defuerint, sicut prisca canonum præcepit auctoritas, usque ad proximum synodum a charitate fratrum et Ecclesiæ communione priventur.

CAP. XVIII. *Communione privetur episcopus qui a metropolitano vocatus, ad synodum venire contemnit.*

Conc. Arvern. c. 15

(Dist. 18, c. *Si quis episcoporum.*) Quisquis autem episcoporum, excepta inevitabili causa vel necessitate de peragendo concilio, se absentaverit, per unius anni spatium erit a communione privandus.

CAP. XIX. *Pro se legatum ad synodum mittet, quem gravis necessitas premit.*

Ex Decretis Felicis papæ, ep. 2 ad episc. Gall.

(5, q. 1, c. *Si ægrotans.*) Quod si ægrotans fuerit episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat, susceptorus, salva fidei veritate, quidquid synodus statuerit.

CAP. XX. *De locatione metropolitani et primatis.*

Conc. Cabil. c. 6

(Dist. 18, c. *Placuit.*) Item placuit ut cæteri metropolitani, conservato primatu metropolitani episcopi, secundum suæ ordinationis tempus alius alii deferat locum.

CAP. XXI. *Ex concilio Avernensi.*

In primis placuit, ut quoties secundum statuta Patrum sancta synodus congregatur, nullus episcoporum aliquam causam prius suggerere audeat, quia ea quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem re-

Introdusă în format electronic de Google

gulæ et ad animæ remedium pertinent, finiantur.

CAP. XXII. *Exempla Bonifacii papæ ad episcopos Galliæ.*

Si inter episcopos ejusdem concilii dubitatio emerserit de ecclesiastico jure vel de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in concilio considerans rem indicet. et si non acquiescet utraque pars judicanti, tunc primas regionis inter ipsos audiatur, et quod ecclesiasticis canonibus et legibus nostris consentaneum sit, hoc fiat, et nulla pars audeat contradicere ejus calculo.

QUALITER PROVINCIÆ SUNT CONSTITUENDÆ.

CAP. XXIII. *Quæ obedientia sit exhibenda primatibus et patriarchis.*

(Dist. 19, c. *Provinciæ.*) Provinciæ autem multo ante adventum Christi tempore divisæ sunt ex maxima parte, et postea ab apostolis, et beato Clemente prædecessore nostro, ipsa divisio est renovata, et in capite provinciarum ubi dudum primates leges erant sæculi ac prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant, pro oppressionibus vel injustitiis suis ipsoque appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat, ipsis quoque in civitatibus vel in locis suis patriarchas vel primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ et ecclesiasticæ poni et esse jusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, et ipsæ nomine primatum fruerentur, et non alii. Reliquæ vero civitates metropolitanæ, quæ minores judices habebant, licet majores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui prædictis juste obedirent primatibus, sicut et in legibus sæculi ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum, aut archiepiscoporum nomine fruentur, et licet singulæ metropoles civitates, suas provincias habeant et suos metropolitanos habere debeant episcopos, sicut prius metropolitanos habebant judices sæculares. Primates tamen, ut præfixum est, et tunc et nunc habere jussæ sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniunt, et ibidem quibus necesse fuerit releventur, et juste restituantur, et bi qui injuste opprimunt juste reformentur atque fulciantur, episcoporumque causæ et summorum judicio negotiorum, salva sedis apostolicæ auctoritate, justissime terminentur.

CAP. XXIV. *Quot civitates unaquæque provincia habet.*

Pelagius in Decret. c. 1.

(6, q. 3, *Scitote.*) Pelagius papa Romanus episcopis omnibus. Scitote certam provinciam esse quæ habet x vel xi civitates et unum regem, et totidem minores potestates sub se, et unum metropolitanum aliosque suffraganeos x vel xi episcopos judices ad quorum judicium omnes causæ referantur, et ut ab his omnibus juste consona voce decernantur, nisi ad majorem auctoritatem fuerit ab his qui judicandi sunt appellatum, unde non oportet ut degradetur, vel deshonoretur unaquæque provincia, sed apud semetipsam habeat judices sacerdotes, et episcopos, singulos videlicet juxta ordines suos. Et quicunque causam habuerit, a suæ judicibus provinciæ judicetur, et non ab alienis, nisi, ut jam prælibatum est, a judicandis fuerit appellatum.

DE DIGNITATE ET POTESTATE PRIMATUM ET ARCHIEPISCOPORUM.

CAP. XXV. *Non vocentur primates, nisi qui primas sedes tenent.*

Anicetus papa episcopis Gall.

(Dist. 99, c. *Nulli.*) Nulli archiepiscopi, primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates quarum episcopos apostoli et successores apostolorum regulariter patriarchas et primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem episcoporum primatem constitui. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur.

CAP. XXVI. *Nullus metropolitanus sine comprovincialium concilio aliorum causas agere præsumat.*

(49, q. 3, c. *Si autem aliquis.*) Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit, et sine provincialium omnium præsentia vel episcoporum consilio, aut causas eorum, aut alias causas, nisi ad eas tantum quæ ad suam propriam pertinent parochiam, agere, aut eos gravare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnia episcoporum judicia terminare præcepta sunt, ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, et cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longitudinem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, grave ad hanc sedem ejus causam deferre fuerit, tunc ad ejus primatum causa deferatur, et penes ipsum hujus sanctæ sedis auctoritate judicetur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XXVII. *Quod nullus primatum vel archiepiscoporum debent aliquem de alterius parochia excommunicare.*

Calixtus papa ep. 2 episc. Gall.

(19, q. 3, c. *Nullus primas.*) Nullus primas vel metropolitanus diœcesani Ecclesiam vel parochiam, aut aliquem de ejus parochia præsumat excommunicare, vel judicare, vel agere aliquid absque ejus consilio vel judicio, sed hoc observent quod ab apostolis, ac Patribus, ac prædecessoribus nostris statutum est, et nobis confirmatum, id est si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo pertinet propriam parochiam, sine consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum extra agere aliquid tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, et quod egerit, irritum habeatur et vacuum.

CAP. XXVIII. *In alterius parochia nisi eo vocante aliquid agere non licet.*

Cœlestinus episcopis Gall.

(9, q. 3, c. *Nullus.*) Nullus primas, nullus metropolitanus episcopus, nullusque reliquorum episcoporum alterius adeat civitatem, aut possessionem accedat quæ ad eum non pertinet, alterius episcopi parochiam super ejus dispositionem, nisi vocatus ab eo cujus juris esse dignoscitur, ut quisquam ibi vel disponat, vel ordinet, aut judicet si sui gradus honore potiri voluerit. Si aliter præsumpserit damnabitur, et non solum ille, sed cooperantes et consentientes ei, quia sicut ordinatio, ita ejus et judicatio, et aliarum rerum dispositio prohibeatur.

CAP. XXIX. *In suffraganei parochia, nihil absque ejus consilio metropolitanus agat.*

Nicolaus Radulpho archiepisc. Bitur.

(19, q. 3, c. *Conquestus.*) Conquestus apostolatui nostro frater noster Sigedodus archiepiscopus Narbonensis, quos clericos suos eo invito, ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto quasi jure patriarchatus tui disponas, cum hoc neque antiquitas, *cui sancti Patres sanxere reverentiam*, habeat, et auctoritas sacrorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis quas apud se terminare non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio suo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus, ita ut secundum Nicænas regulas, sua privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet episcopali privilegio decreverit honorare.

DE NEGOTIIS ET CAUSIS CLERICORUM.

CAP. XXX. *Nullus clericus propter aliquam causam intret curiam sæcularem.*

Ex Decret. Sylvest. c. 10, in synod. Rom.

(11, q. 1, c. *Nullus clericus.*) Nemo clericus vel diaconus, vel presbyter, propter aliquam causam intret in curiam nec ante judicem cinctus causam dicere præsumat, quoniam omnis curia quasi a cruore dicitur, et si quis clericus accusans clericum in curiam introierit, anathema suscipiat.

CAP. XXXI. *Apud sæcularem judicem nullus clericus conveniatur nisi permissu ipsius episcopi.*

Marcellinus papa in Decretis, c. 2.

(11, q. 1, c. *Clericum.*) Marcellinus præsul Romanus, omnibus episcopis. Clericus cujuslibet ordinis, absque pontificis sui permissu, nullum præsumat ad sæculare judicium protrahere, nec laico quemlibet clericum liceat accusare.

CAP. XXXII. *Ad sæculare judicium nemo clericus est pertrahendus.*

Cornelius in Decret., c. 2.

(11, q. 1, c. *Continua.*) CORNELIUS episcopus, RUFO coepiscopo. Nullus sacerdotum causam suam alieno committat judicio, nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatus; sed unusquisque comprovinciales judices et notos habeat, nisi aliquam vim temerariæ multitudinis timuerit, aut infestos, vel suspectos sibi judices habuerit, pro quibus causis ad majoris auctoritatis judices, et ad alias provincias appellare et convenire concessum est.

CAP. XXXIII. *Intra provinciam et a comprovincialibus tantum causa est audienda.*

Stephanus in Decret., c. 2.

(3, q. 6, c. *Ultra.*) STEPHANUS episcopus, omnibus episcopis. Ultra provinciarum terminos accusandi licentia nor progrediatur. Sed omnis accusatio intra provinciam audiatur, et a provincialibus terminetur, nisi ad sedem apostolicam tantum fuerit appellatum.

CAP. XXXIV. *Qualiter volens accusare sacerdotem debet se habere.*

Anacletus ad episc. Ital. ep. 2.

(2, q. 7, c. *Accusatio.* § *Sed si quis.*) ANACLETUS urbis Romæ episcopus, omnibus episcopis.—Si quis adversus pastores, vel Ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio commoniti, ea sanent quæ sananda sunt, ut charitative emendentur quæ juste emendanda cognoverint. Si autem aliqui eos priusquam egerint hoc, lacerare, accusare aut infestare præsumpserint, excommunicentur, et minime absolvantur, antequam per satisfactionem dignam egerint pœnitentiam, quoniam injuria eorum ad Christum pertinet, cujus legatione funguntur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XXXV. *Communione privetur, qui privatim adversus episcopum conqueritur priusquam familiariter eum conveniat.*

Alexand. in Decret. c. 1, ep. 1.

(2, q. 7, c. *Si quis erga.*) Alexander apostolicæ Ecclesiæ episcopus, omnibus orthodoxis : Si quis erga episcopum vel actores Ecclesiæ, se quamlibet et justam querelam habere crediderit, non prius primates aut alios adeat judices quam ipsos a quibus se læsum æstimat, conveniat familiariter, non semel sed sæpissime, ut ab eis ad suam justitiam accipiat excusationem. Si autem secus egerit, ab ipsis et ab aliis communione privetur, tanquam apostolorum Patrumque aliorum contemptor.

CAP. XXXVI. *Populus sacerdotem arguere vel increpare non debet.*

Pius papa ep. 1 ad episcopos.

(6, q. 1, c. *Oves pastorem.*) Oves pastorem suum non reprehendant, plebs episcopum non accuset, nec eum arguat vulgus, quia *non est discipulus super magistrum* (*Luc.* VI). Episcopi a Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam a subditis aut pravæ vitæ hominibus non sunt arguendi aut accusandi, aut lacerandi.

CAP. XXXVII. *Laici in episcoporum accusatione non sunt recipiendi.*

(2, q. 7, c. *Non est a plebe.*) Non est itaque a vulgaribus hominibus arguendus, vel accusandus episcopus licet sit inordinatus, quia pro meritis subditorum disponitur vita rectorum.

CAP. XXXVIII. *Exempla Calixti papæ*, c. 1.

Doctores ergo qui et Patres vocantur, magis portandi quam reprehendendi sunt, nisi in recta fide erraverint.

A CAP. XXXIX. *Oves pastorem suum, nisi a fide exorbitaverit, non debent accusare.*

Eusebius papa ad episc. Alex. epist. 2.

(2, q. 7, c. *Oves suo pastori.*) Oves vero quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenus accusare possunt, quia facta pastorum, oris gladio ferienda non sunt, quanquam recte reprehendenda videantur.

CAP. XL. *Exempla Anacleti papæ scripta omnibus sacerdotibus Christi*, c. 1.

(Ex c. *Si hæreticus*, et *Quod dicitur*, 29, 7.) Doctor a fide exorbitans, erit a fidelibus corrigendus : sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus; quia rectores Ecclesiæ a Domino sunt judicandi, sicut ait Propheta : *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Psal.* LXXXI).

CAP. XLI. *Oves pastorem suum, nisi a fide exorbitaverit, non debent accusare.*

Fabian. in Decret. c. 2.

(2, q. 7, c. *Oves.*) Fabianus præsul, omnibus episcopis. Statuentes apostolica auctoritate jubemus, ne pastorem suum oves quæ ei commissæ fuerint, nisi in fide erraverit, reprehendere audeant. Si autem a fide deviaverit, erit corrigendus prius secrete a subditis. Quod si incorrigibilis (quod absit!) apparuerit, erit accusandus ad primates suos, aut ad sedem apostolicam. Pro aliis vero actibus suis, magis tolerandus est ab omnibus, etiam sibi subditis, quam accusandus, aut publice derogandus, quia cum in eis a subditis delinquitur, ejus ordinationi obviatur, qui eos pertulit, *eis dicente* Apostolo : *Dei ordinationi resistit qui potestati resistit* (*Rom.* XIII).

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

CAP. XLII. *Episcopos suis sedibus spoliatos ad judicia vocari prohibetur.*

Zephyrinus ad episc. Ægyp. in II Decret.

Annuntiatum est sedi apostolicæ per apocrisiarios vestros quosdam fratrum nostrorum, episcoporum videlicet ab Ecclesiis et sedibus propriis pelli, suaque auferri eis supellectilia, et sic nudos et exspoliatos ad judicia vocari, quod omni ratione caret, cum constituta apostolicorum eorumque successorum et præcepta imperatorum, ac constitutiones legum id ipsum fieri vetent.

CAP. XLIII. *Nullus spoliatus sit accusandus nisi primo fuerit restitutus.*

Zephyrinus ad episcop. Ægyp. epist. 2.

(2, q. 2, c. *Præceptum est.*) Præceptum est ergo in antiquis statutis episcopos ejectos atque suis rebus exspoliatos Ecclesias proprias recipere, et primo sua omnia eis reddi. Et demum si quis eos juste accusare voluerit, æque periculo facere. Judices esse decernentes, episcopos recta sapientes, et in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur. Item : nec eos prius respondere debere, quam omnia sua eis et Ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.

CAP. XLIV. *Ante restitutionem aliquis ad causam revocari non debet.*

Felix I ad episc. Gall., ep. 2.

(3, q. 2, c. *Si episcopus.*) Si suis fuerit episcopus aut Ecclesiæ rebus sibi commissæ exspoliatus, aut (quod absit!) quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus, a sede propria ejectus, in detentione aliqua a suis civibus fuerit sequestratus, tunc canonice ante in pristino statu restituatur, cum omni privilegio sui honoris, et sua omnia quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerint, legibus redintegrentur, nec convocari aut judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minime tamen judicandus advenire sponte elegerit. Nullatenus ergo a quoquam cogatur antequam integerrime omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio legali ordine redintegrentur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XLV. *Nec convocari ad synodum nec in aliquo debet judicari spoliatus,*

Eusebius ad episc. Alexand. et Ægypt. ep. 2.

(2, q. 2, c. *In scripturis.*) Eusebius papa in secundo Decretali suo : « In scripturis vestris reperimus quosdam episcopos in vestris partibus a propriis ovibus accusatos aliquos ex suspicione, et aliquos ex certa ratione, idcirco quosdam suis rebus exspoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos, quos sciatis nec ad synodum comprovincialem, nec ad generalem posse convocari, nec in aliquo judicari, antequam cuncta quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur.

CAP. XLVI. *De eodem.*

Julius I, c. 1.

(2, q. 2, c. *Nullus potest.*) Item, nec convocari ad causam, nec judicari potest exspoliatus vel expulsus, quia non habet privilegium quo exspoliari possit jam nudatus.

CAP. XLVII. *Ante litem contestatam potestati cuncta sunt restituenda.*

Joannes papa.

(2, q. 2, c. *Antiquitus.*) Unde et antiquitus decretum est, omnes possessiones et omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante litem contestatam, præceptor vel primas possessori restituat. Item : Est in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, ut qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde in Evangelio scriptum est : *Quod si aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XVII). Et in legibus sæcularibus cautum habetur : Qui rem subripit alienam, illi cujus res direpta est, in undecuplum quæ sublata sunt, restituat.

CAP. XLVIII. *Ante restitutionem aliquis ad causam revocari non debet.*

Felix papa ad episc. Gall. ep. 2.

(3, q. 2, c. *Si episcopus.* § *Præsul vero.*) Præsul vero cum omni honore statui pristino reddatur, et A ipse dispositis ordinatisque libere ac secure de suis tunc regulariter infra quatuor aut quinque, aut sex, aut septem menses juxta quod possibilitas ei fuerit, et non ante convocatus ad tempus concilio legitimo et canonico destinatum veniat ad causam, et si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat.

CAP. XLIX. *Nullus debet accusari, dum suis rebus fuerit spoliatus.*

Ex Decretis Felicis pap. epis.

(2, q. 2, c. *Nullus episcoporum.*) Nullus enim episcopus, qui suis rebus exspoliatur, aut a sede propria vi, aut terrore depulsus, antequam omnia sibi ablata legibus restituantur, et ipse pacifice annum vel plus suis fruatur honoribus, sedique B propriæ sit regulariter restitutus, juxta canonum institutionem accusari, iudicari, aut damnari non potest.

CAP. L. *Post restitutionem inducix præstandæ sunt.*

Eusebius episcopis Alexand. et Ægyp., ii Decret.

(3, q. 2, c. *Prius.*) Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, et Ecclesias quæ sibi sublatæ sunt, cum omni privilegio suo restitui, et postmodum, non sub angusti temporis spatio; sed tantum spatium temporis eis indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodum convocentur, et ab omnibus quibusque suæ provinciæ episcopis audiantur.

CAP. LI. *In Decretis Felicis,* c. 10.

Ille vero qui vi aut terrore, vel timore, a sede C pulsus aut suis rebus exspoliatus fuerit, non prius vocetur ad synodum quam ei omnia legibus reintegrentur.

CAP. LII. *Post restitutionem inducix præstandæ sunt.*

(3, q. 2, c. *Tandiu.*) Et tandiu in sede propria pacifice et potestative cuncta disponens resideat, quandiu expulsus vel exspoliatus suis visus est carere rebus.

—

DE ACCUSATIONIBUS.

CAP. LIII. *Accusatio non debet fieri in scriptis.*

Stephanus in Decret. c. 2.

(2, q. 8, c. *Per scripta nullus.*) STEPHANUS sanctæ apostolicæ et universalis Ecclesiæ Romanæ episcopus, omnibus episcopis. Per scripta nullius accusatio suscipiatur, sed propria voce, si legitima et digna accusatoris persona fuerit, præsente videlicet eo quem accusare desiderat, quia nullus absens per alium accusari potest aut accusare.

CAP. LIV. *Absentes nec accusari nec judicari possunt.*

Felix I ad episcopos Gall. ep. 2.

(3, q. 9, c. *Absente adversario.*) Felix episcopus, universis episcopis. Absente vero adversario non audiatur accusator, nec sententia, absente parte alia, a judice dicta, ullam obtinebit firmitatem D neque absens per alium accusare aut accusari potest.

CAP. LV. *Accusatio non debet fieri in scriptis.*

Conc. Carth. c. 60; Calixt. pap. c. 2.

(2, q. 8, c. *Per scripta.*) Nullus ergo doctorum per scripta accusetur; decernimus non credi accusatori, qui absente adversario causam suggerit, ante utriusque partis discussionem.

CAP. LVI. *Criminaliter accusans vel accusatus per se experiatur.*

Adrianus papa, c. 1.

(5, q. 7, c. *Quærendum*; 5, c. *Si plures* § De accus.; 3, c. *In criminalibus.*) In criminalibus causis, nec accusator, nisi per se aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur.

—

Introdusă în format electronic de Google

CAP. LVII. *Majores natu non accusent, nisi qui sint rectæ fidei et conversationis*

Felix episcopis Galliæ, Decret. 2, ep. 2.

(2, q. 7, c. *Quærendum*; 50, c. *Si plures* § De accus.) Si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, cujus sint conversationis et fidei, atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant. Quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis et rectæ fidei, viri hi videlicet qui omni suspicione careant, et bonæ vitæ clareant, neque infames existant.

CAP. LVIII. *Sacerdotes nonnisi a viris idoneis et probatis accusari possunt.*

Anacletus episcopis Gall. ep. 2.

(2, q. 7, c. *Accusatio quoque.*) Accusatio eorum super qua consulere nos voluistis, nonnisi ab idoneis et probatissimis viris, qui et suspicionibus et sæcularibus sceleribus careant, fieri debet, quia Dominus sacri sui corporis tractatores a vilibus et reprobis ac non idoneis personis infamari noluit nec calumniari, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes a templo ejecit.

CAP. LIX. *Nisi opinione discussa, non audiantur accusatores episcoporum.*

Evaristus episcopis Afric. ep. 2.

(2, q. 7, c. *Si qui sunt.*) Si qui sunt vituperatores, aut accusatores episcoporum vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a judicibus Ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur æstimationis suspicio vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quove merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia, vel odio, alii cupiditate ista præsumpserint.

CAP. LX. *Qui legem suam sponte transgreditur, ante suam reversionem recte agentes accusare non potest.*

Anaclet. in Decret. ep. 1, De oppres. episc.

(3, q. 4, c. *Beatus.*) ANACLETUS urbis Romæ episcopus, omnibus episcopis. Accusandi vel testificandi licentia denegetur his qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint; transgressores enim sponte legis suæ violatores, apostatæ nominantur. Omnis apostata refutandus est, nec in accusationem recte agentium aut testimonium suscipiendus est.

CAP. LXI. *Nec clerici in accusatione laicorum, nec laici in accusatione clericorum sunt suscipiendi.*

Fabian. ad episc. Orient. c. 2 Decret. ep. 2.

(2, q. 7, c. *Sicut sacerdotes.*) Fabianus episcopus episcopis urbis Romæ omnibus. Sicut sacerdotes vel clerici reliqui a sæcularium laicorum excluduntur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi et alienandi criminatione; et sicut isti ab illis, ita et illi ab istis non recipiuntur, quia sicut Domini sacerdotum conversatio segregata debet esse ab eorum conversatione, ita et litigatio, quia servum Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes.

CAP. LXII. *Inimici non possunt accusare.*

Stephanus II in Decret.

(3, q. 5, c. *Accusatoribus.*) Repellantur cohabitantes inimicis et omnes laici, quia infestationem blasphemiæ, affectio amicitiæ incitare solet. Nec illi videlicet laici in nostra sunt recipiendi accusatiœ qui vos in sua volunt recipere infamatione.

CAP. LXIII. *Hæretici Judæi vel pagani Christianos accusare non possunt.*

Gaius papa, in Decret. c. 1.

(2, q. 7, c. *Pagani.*) GAIUS papa, FELICI episcopo. Pagani vel hæretici, sive Judæi non possunt Christianos accusare, aut vocem infamationis inferre.

CAP. LXIV. *Qui in primo capitulo deficit in alio non admittitur.*

Conc. Carthag. VII, c. 3.

(3, q. 10, c. *Placuit.*) Placuit ut quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex his de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.

CAP. LXV. *Nuper inimici accusatores vel testes esse non possunt.*

Fabianus in Decret. c. 2.

(3, q. 5, c. *Accusatores.*) FABIANUS papa, omnibus fidelibus. Statuimus eos ad accusationem non recipi qui sunt suspecti, aut qui heri, aut nudiustertius vel dudum fuerunt inimici, quoniam suspecti facti sunt, et qui non sunt bonæ conversationis, vel quorum vita est accusabilis, aut dubii in recta fide. Similiter quorum fides, vita et libertas nescitur, vel qui infamiæ maculis aspersi sunt, aut sceleribus irretiti. Neque eos sacerdotes debere aut posse accusare, qui rite sacerdotes fieri non possunt, nec sunt sui ordinis. Tales, fratres *charissimi*, accusationes, et injustas aut novas æmulationes prohibete pro viribus, quia contentio summopere vitanda est.

CAP. LXVI. *Quæ personæ infames habeantur.*

Stephanus in Decret. epist. 1, c. 1.

(6, q. 1, c. *Infames.*) STEPHANUS sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopus, dilectissimo fratri atque familiari amico HILARIO. Infames illas personas dicimus esse, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, et omnes qui Christianæ religionis et legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos. Sepulcrorum quoque violatores, et apostolorum successorumque eorum, reliquorumque eorum sanctorum Patrum statuta libenter violantes, et omnes qui adversus Patres armantur, quoniam in omni modo infamia notantur. Similiter et incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, et qui indigne petunt sibi loca tenere, aut facultates Ecclesiæ auferunt injuste, et qui fratres calumniantur aut accusant, et non probant, vel qui contra innocentes

Introdusă în format electronic de Google

principum animos concitandos provocant ad iracundiam, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes quos ecclesiasticæ vel sanctæ leges infames pronuntiant; hi nimirum omnes nec servi ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigami, nec illi qui curiæ deserviunt, et qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes sanctorum Patrum decretis existunt, aut qui furiose manifestantur. Hi omnes nusquam nec ad sacros gradus debent provehi, nec ad accusationem seu ad testimonium ullatenus juste possunt recipi.

CAP. LXVII. *Accusati, nisi prius se purgaverint, alios accusare non possunt.*

Ex Decret. Steph. papæ ad episc., ep. 2.

(3, q. 11, c. *Neganda primo.*) Quod neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur exuerint. Quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus incriminati sunt, nisi se pridie probaverint innocentes. Quoniam periculosa est et admitti non debet, rei adversus quemquam professio. Familiares vero et sponte professi atque sceleribus irretiti non debent admitti, nec hi qui hesterna die aut ante inimici fuerunt.

CAP. LXVIII. *De libro* IX *earumdem legum.*

Sane hi qui crimina sua in quæstione confessi sunt, si de aliis sic dicere voluerint, a judice non credantur, quia jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum confessus est.

CAP. LXIX. *Rei professio adversus quemlibet admitti non debet.*

Julius pap. in Decret., ep. 18.

(15, q. 3, c. *Nemini*, et De accusat.) Nemini de se confessio credi potest super crimen alienum, quoniam ejus omnisque rei professio periculosa est, et admitti non debet.

CAP. LXX. *Infames, eos qui sunt bonæ famæ, accusare non possunt.*

Eugenius papa, ep. 2.

(3, q. 4, c. *Alieni.*) Similiter alieni erroris socium, vel a sui voluntate propositi tramite recedentem, aut sacris Patrum regulis et constitutionibus inobedientium, suscipere non possumus nec debemus.

CAP. LXXI. *Qui non sunt recipiendi in accusatione.*

Stephanus papa in Decret. ad episc. ep. 2.

(3, q. 4, c. *Nullus.*) Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec a quoquam credatur, quæ ab eis vel dicuntur, vel conscribuntur. Eos dico anathematizatos esse, quos episcopi sui scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant.

CAP. LXXII. *Ad accusationem non admittatur qui in excommunicatione perseverat.*

Conc. Carth. VII, c. 1.

(4, q. 1, c. *Definimus.*) Definimus eum rite ad accusationem non admitti, qui postea quam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus sive laicus, accusare voluerit.

CAP. LXXIII. *Hæretici probantur qui schismate vel excommunicatione perseverant, habetur.*

Nicolaus Michaeli imperatori.

(4, q. 1, c. *Quod autem.* § *Si vero.*) Si ecclesiasticum fuerit crimen coepiscopo illatum, tunc probari oportet accusantium personas, ut primo quidem hæreticis non liceat contra orthodoxos episcopos accusationes pro ecclesiasticis negotiis facere. Sed ne hos hæreticos esse denegetis, audite sequentia: Hæreticos, inquiunt, esse dicimus, tam eos qui olim ab Ecclesia projecti sunt, quam qui post hæc a nobis anathematizati sunt. Porro si adhuc nec sic creditis, quod subditur, audite: Præter hos aiunt autem et eos qui fidem quidem sanam simulant vel negant confiteri; schismaticos etiam et eos qui seorsum a communicantibus nobis episcopis collectas faciunt: deinde vero et siquidem ab Ecclesia super causis quibusdam fuerint reprehensi et projecti aut excommunicati sive ex clero, sive ex laicali ordine, nec his licere accusare episcopum antequam proprio crimine primitus exuantur. Similiter autem et eos qui sub accusatione prioris existunt, non ante esse acceptabiles in episcopi accusationem, aut aliorum clericorum, quia innoxios semetipsos illatorum sibi ostenderunt criminum.

CAP. LXXIV. *Convicium non est pro accusatione habendum.*

Fabianus papa ad Hilar. episc., ep. 3.

(3, q. 3, c. *Si quis iratus.*) Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit, vel imposuerit, convicium non est pro accusatione habendum. Sed permisso tractandi spatio, si id quod iratus dixit per scripturam se probaturum esse fateatur, ut si fortasse resipiscens, quæ pro iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut criminis reus habeatur.

CAP. LXXV. *De pœna illius qui succubuerit in accusatione.*

(2, q. 3, c. *Omnis.*) Omnis ergo qui crimen objicit, se probaturum scribat. Revera ibi semper causa agatur, ubi crimen committitur. Et qui non probaverit quod objicit, pœnam quam intulerat, ipse patiatur.

CAP. LXXVI. *Qui alium accusat in judicio, reum indicet, et inscriptionem patiatur.*

Sixtus pap.

(2, q. 8, c. *Quisquis.*) Accusationis ordinem talem dicimus et servari jubemus, id est si quis clericorum in crimine impetitur, non statim reus æstimetur, quia accusari potuit, ne subjectam innocentiam faciamus, sed quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem supplicii habita tamen dignitatis æstimatione. Nec forte sibi noverit licentiam mentiendi, cum

Introdusă în format electronic de Google

calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

CAP. LXXVII. *Damasus papa*, ep. 1.

(4, q. 4, c. *Nullus*. § *Inscriptio.*) Inscriptio primo fiat ut talionem calumniator recipiat, quia ante inscriptionem nemo debet judicari vel damnari cum et sæculi leges hoc retineant.

CAP. LXXVIII. *Stephanus episcopis Gall., in Decret.*

(L. *Infamis*, et 3, q. 7, c. *Infames*, ff. De postulat.) Infamis enim persona nec procurator potest esse nec cognitor.

CAP. LXXIX. *Stephanus in* II *Decretali omnibus episcopis.*

Nullus alienigena aut accusator eorum fiat aut judex.

CAP. LXXX. *Quilibet in causa duas personas gerere non valet.*

(4, q. 4, c. *Nullus* in primo.) DAMASUS papa Romanus, STEPHANO archiepiscopo. Accusatores et judices non idem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusari unusquisque in suo ordinabiliter loco.

CAP. LXXXI. *Accusator vel testis, vel judex aliquis simul esse non potest.*

Fabianus in Decret. c. 4.

(4, q. 4, c. *Nullus.*) Nullus unquam præsumat accusator simul esse et judex, et testis, quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est judices electos, accusatores idoneos, defensores congruos atque testes legitimos. Judices autem debent uti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione, ad minuendam causam.

CAP. LXXXII. *Nullum seretur judicium, nisi rationabiliter habitum.*

D. Gregorius Joanni defens., l. II, ep. 50.

(2 q. 1, c. *In primis*, § *Quia igitur.*) Quod quidam frater de faisis se capitulis accusatum nec aliquid ordinabiliter factum, sed injuste condemnatum se asserit, diligenter quærendum est. Primo si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas examinanda est, si digna exsilio, vel depositione fuerit, si eo præsente, qui accusatus est sub jurejurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, si ipse licentiam respondendi aut defendendi se habuerit, sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cujus conditionis sunt, cujusve sint, ne forte aliquas contra præfatum pastorem inimicitias labuissent, utrum vero testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sunt, si scriptis judicatum est, et partibus præsentibus semper sententia recitata est, quod si forte hæc solemniter acta non sunt, neque causa probata est quæ exsilio vel depositione digna fuit, in ecclesiam suam omnibus modis revocetur

DE TESTIBUS IN ACCUSATIONE RECIPIENDIS.

CAP. LXXXIII. *Qui ab accusatione repelluntur, aut ad annum* XIV *nondum pervenerint, testes esse non possunt.*

Conc. Carth, VII, c. 4; Nicolaus papa.

(4, q. 3, c. *Testes.*) Testes autem ad testimonium non admittendos esse censemus, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel quos ipse accusator de sua domo produxerit; ad testimonium autem intra annos XIV ætatis suæ non admittantur.

CAP. LXXXIV. *Nuper inimici testes esse non possunt.*

Anacletus in Decret., ep. 3.

(3, q. 5, c. *Accusatores.*) Testes autem esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci velint. Inoffensus igitur accusator et testium affectus quærendus est et non suspectus.

CAP. LXXXV. *Consanguinei vel familiares adversos extraneos testimonium non dicant.*

Calixtus papa in Decret., ep. 2, ad episc. Gall.

(3, q. 5, c. *Consanguinei.*) Consanguinei adversus extraneos testimonium non dicant, nec familiares de eadem domo prodeuntes, sed si voluerint, et invicem consenserint, inter se tantummodo parentes testificentur et non in alios. Neque testes suspecti recipiantur, quia propinquitatis et familiaritatis ac damnationis affectio veritatem impedire solet. Amor carnalis et timor atque avaritia plerumque sensus hebetant humanos, ut quæstum pietatem putent, et pecuniam quasi mercedem prudentiæ.

CAP. LXXXVI. *Sacerdotes accusare vel in eos testificari non valent, qui ad sacerdotium prohibentur eligi.*

Damas. in Decret., ep. 3, ad Stephan. archiep.

(2, q. 7, c. *Testes.*) Testes usque ulla infamia aut suspicione vel manifesta macula et vera fidei plenitudine instructi esse debent, et tales quales ad sacerdotium eligere divina jubet auctoritas, quoniam ut antiquorum tradidit auctoritas, sacerdotes criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eumdem non debent, nec possunt provehi honorem. Item: homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos magosque cucurrerunt, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi.

CAP. LXXXVII. *Accusare non potest proditor neque calumniator.*

Iguinus papa in Decret.

Proditoris vero nec calumniatoris vox audiatur. Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, quoniam ejus rei professio periculosa est, et admitti non debet.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. LXXXVIII. *Accusare non possunt erroris socii, et sacris Patrum regulis inobedientes.*

(3, q. 4, c. *Alieni erroris.*) Similiter alieni erroris socii vel a sui voluntarie propositi tramite recedentem, aut sacris Patrum regulis et constitutionibus inobedientem suscipere non possumus nec debemus.

In decretis Sylvestri papæ, capit. 3. — Sylvester papa I in Epilogo brevi concilii Romani.

CAP. LXXXIX. *Quilibet clericus non est in publico examinandus.*

Sylvester pap. in Decret. et conc. Rom.

(11, q. 1, c. *Testimonium.*) Sylvester papa in generali residens synodo dixit : Nullus laicus audeat inferre crimen clerico. Testimonium autem clerici adversus laicum nemo suscipiat. Clericum vero quemlibet in publico nemo examinare præsumat, nisi in Ecclesia.

CAP. XC. *Nullus clericus inferioris ordinis accusare præsumat clericum superioris ordinis, nec laicus episcopum.*

Sylvester papa in Decret., c. 3.

In consensu subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus episcopo vel alicui in ordinibus posito, crimen aliquod possit inferre, et ut presbyter adversus episcopum, diaconus adversus presbyterum, subdiaconus adversus diaconum, acolythus adversus subdiaconum, exorcista adversus acolythum, lector adversus exorcistam, ostiarius adversus lectorem nullo modo aliquam præsumat dicere accusationem.

CAP. XCI. *Quot testibus episcopus vel presbyter vel reliqui clerici sunt communicandi.*

(2, q. 5, c. *Præsul.*) Præsul autem non damnabitur nisi in LXXII testibus. Presbyter autem cardinalis, nisi in XL testibus non damnabitur, diaconus autem cardinalis urbis Romæ nisi in XXVII testibus non damnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi in VII testibus non condemnabuntur. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia.

CAP. XCII. *Infamis vel sacrilegus, religiosum Christianum accusare non potest.*

Enticianus in Decret., ep. 2, advers. episc. Sicil.

(3, q. 4, c. *Nulli unquam.*) Nulli unquam infami, atque sacrilego de quocunque liceat negotio adversus religiosum Christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dare, nec de qualibet re, actione vel inscriptione Christianum impetere.

CAP. XCIII. *Testes non dicant testimonium, nisi de his quæ præsentialiter et veraciter noverint.*

Calixtus papa ep. 2, ad episc. Gall.

(3, q. 9, c. *Testes.*) Testes per quamcunque scripturam testimonium non proferant, sed præsentes ex his quæ cognoverunt et viderunt veraciter testimonium dicant. Nec de aliis causis vel negotiis testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum facta esse noscuntur.

CAP. XCIV. *Gregorius Joanni defensori*, c. 40.

(C. *Licet*, Extr. De test. et Barb. l. *Test.* c. De test., et 3, q. 9, c. *De his.*) Quærendum utrum testimonium ex auditu dixerint, aut specialiter certe se scire testati sunt, si scriptis judicatum sit et partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si forte hæc solemniter acta non sunt, neque causa probata est qui exsilio vel depositione digna sit, in Ecclesiam suam modis omnibus revocentur.

CAP. XCV. *Pius papa, VIII a Petro, fratribus per Hispaniam.*

Apostolus, inquit, adversus presbyterum inscriptionem non esse recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus (*I Tim.* v). Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus præcavenda sunt, quanto magis de episcopis? *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum* (*Matth.* XVIII).

CAP. XCVI. *Stephanus V Astulfo.*

(2, q. 4, c. *Veniens*; extr. *De testibus.*) Nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex, unius testimonio etiam idoneo, quempiam condemnat vel justificat.

CAP. XCVII. *Quot testibus quisque clericorum convinci debeat.*

Conc. Brac. II, c. 9.

(2, q. 4, c. *Placuit.*) Placuit ut si quis aliquem clericorum maculæ fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli apostoli duo vel tria testimonia requirantur. Quod si non potuerit datis testimoniis approbare quod dixit, excommunicationem accusator accipiat.

CAP. XCVIII. *Venienti ad judicium, inducie non negantur.*

Felix Anastasio, c. 14.

(3, q. 3, c. *Cum accusatus.*) Felix papa in primo Decretali suo. Cum accusatus ad judicium venerit, si voluerit, et necesse fuerit, inducie ei petenti a Patribus constitutæ absque impedimento concedantur, et judices a se electi tribuantur.

CAP. CXIX. *Accusatus potest, si timuerit, eligere sibi locum congruum in quo absque timore testes habere valeat.*

Ut in loco unde est ille qui accusatur, aut si ibi aliquam temerariæ multitudinis vim metuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore, si necesse fuerit vel expoposcerit, testes habere et absque impedimento suam canonice sententiam finire valeat, quia per subreptionem multa evenire solent.

CAP. C. *Ante exitum causæ per appellationem recedere licet.*

Euticianus papa episcopis Sicil., ep. 2.

(2, q. 6, c. *Non ita.*) Non ita in ecclesiasticis agendum negotiis, sicut in sæcularibus. Nam in sæcularibus, postquam legibus vocatus venerit et in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere. In ecclesiasticis vero dicta causa recedere licet si necesse fuerit, aut si se prægravari viderit.

Introdusă în format electronic de Google

DE INDUCHS.

CAP. CI. *De induciis in criminalibus pulsatis dandis.*

Damasius episc. ad Steph. archiep., ep. 3.

(3, q. 3, c. *Inducix.*) Induciæ autem accusatis in criminalibus episcopis, sex mensium vel eo amplius concedendæ sunt.

CAP. CII. *Quot mensium induciæ episcopis præstandi sunt.*

Felix in Decret. c. 20.

(3, q. 3, c. *De induciis.* § *Induciæ vero.*) FELIX papa Romanus, ANASTASIO episcopo. Induciæ non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, ut accusati se præparare, et universos communicatores in provinciis positos convenire et testes præparare atque contra insidiatores se pleniter armare valeant. Quidam autem ad repellenda impedimentorum machinamenta, et suas præparandas responsiones et testes confirmandos, et consilia episcoporum atque amicorum quærenda, annum et sex menses mandaverunt concedi. Quidam vero annum in quo plurimi concordant. Minus autem quam VI menses non reperi.

CAP. CIII. *De induciis præstandis* c. primo.

Eutherius in Decret., c. 1.

(3, q. 3, c. *Induciæ primo.*) ELEUTHERIUS Romanæ Ecclesiæ episcopus, omnibus episcopis. Induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid propere agi a quacunque parte videatur, quia per subreptionem multa proveniunt.

CAP. CIV. *Sententia definitiva debet fieri causa cognita.*

(30, q, 5. c. *Judicantem.* § *Nec litigantibus.*) Litigantibus autem non prius velit judex sua sententia obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione quod proponant, et tandiu actio ventiletur quousque ad rei *veritatem* perveniatur. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum forte remaneat quod annecti conveniat.

DE SUBTERFUGIENTIBUS JUDICIUM.

CAP. CV. *Judicium non subterfugiendum.*

Bonifacius papa ad episcopos Gall.

BONIFACIUS episcopus PATROCLO, REMIGIO, MAXIMO, HILARIO, SEVERO, VALERIO, JULIANO, CASTORIO, LEONTIO, JOANNI, MONTANO, MARINO et cæteris episcopis per Galliam et per VII provincias constitutis Valentinæ. Nos clerici civitatis adierunt proponentes libellum et crimina quæ Maximinum, teste tota provincia, asserunt commisisse, delegata toties cognitione illum constituta, et subterfugisse judicia, nec confisum conscientia festinasse, ut si esset innocens examinatis omnibus purgaretur, quæ toties decreta ex nostrarum quoque chartarum instructione cognovimus. Qui contrario probavit de se illa quæ dicta sunt, quia ad ea confutanda cum essent innumera a decessoribus meis provincialibus delegata est cognitio. Conventus etiam dicitur vitasse et adesse minime voluisse; et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens, quærit. Sed astuta cavillatio eorum qui versutiis credunt agendum esse consiliis, nunquam innocentiæ nomen accepit. Confitetur enim de omnibus quisquis subterfugere judicium dilationibus putatur. Veniet tamen aliquando ille qui talis perhibetur in medium judicium, nec prodest illi toties subterfugisse, quem sui actus et commissa, quocunque fugerit ea quæ objiciuntur illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem jam dignam pro ejus accusatis in nostro judicio actibus, qui cognitionem et decretum judicium sæpe credidit, declinando illudendum, dare sententiam aliquis præco, qui forsitan judicaret, et sibi qui absens est, licet sit quæsitus a nobis, reservandum esse nihil dicere maluimus intercapedine temporis data differri, cum hoc etiam ejus accusatores assererent. De cujus intentionibus et moribus fit decretum Maximinum tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto judicio præsentaret. Quem Manichæorum involutum caligine arguunt, turpique secta facta olim eum ita non posse abluere, animam in sordida probatione objectaque ei gesta synodalia proferentes, et commissis involutum undique flagitiis, nullum *cum* sanitatis habuisse respectum quem furore et insana temeritate ad sæcularium quoque judicium tribunalia subsidium quæstioni, quod in vili persona turpissimum est, objicerent, pervenisse eum ad homicidii damna asserunt gestis prolatis in medium. Et hunc talem post tanta taliaque commissa episcopatus adhuc nomen in suis latibulis vindicare, impropriæ civitatis infamia nimiis doloribus conqueruntur, et sanctum nomen vindicando sibi velle polluere.

Ideoque, fratres charissimi, quia audiendus hic præsentare se noluit, ne convictus forsitan ab accusantibus se cleris defendere possit, digna tandem aliquando præsentatum episcopali judicio pronuntiationis congrue feriri sententia judicamus, quanquam illi cum hæc docta fuerint sciamus hujus nominis jacturam esse, qui pudorem nunquam habuisse sacerdotii perhibetur, et locum suum nec modico quidem tempore perdidisse dilationem dedimus et decrevimus et vestrum debere intra provinciam judicium, et congregare synodum ante diem Kalendarum Novembris, ut, si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat. Si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lu-

Introdusă în format electronic de Google

cretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque professione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provincias litteras dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad provinciam venire cogatur et illic constituto judicio se præsentare. Quidquid autem vestra charitas de hac re dixerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit nostra ut conderet, necesse est ut auctoritate confirmetur.

CAP. CVI. *Non est a communione suspendendus, qui die statuto ad causam venire non potuit.*

Conc. Carthag. III, c. 7.

(4, q. 5, c. *Quisquis episcoporum.*) Aurelius episcopus dixit : « Quisquis episcoporum accusator ad primatum provinciæ ejus, ipse causam deferat, nec a communione privetur, cui crimen intenditur, nisi ad causam deferat suam dicendam electorum judicio die statuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc est infra spatium mensis ea die qua eum litteras accepisse constiterit, quod si aliquas vere necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem integram habeant facultatem : verum tandiu post mensem secundum non communicet donec purgetur. Si autem ad concilium universale infra anni spatium occurrere noluerit, ut vel ibi causa terminetur ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parochia communicet. Accusator vero ejus si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit, subtrahens se a communione non removeatur. Si vero aliquando defuerit subtrahens se restituto in communione episcopo, ipse removeatur a communione accusator, ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, sive ad diem constitutum occurrisse non voluisse, sed non potuisse probaverit. Illud vero placuit ut cum agere cœperit in episcoporum judicio, si fuerit causatorum persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tantum ecclesiasticas asserere voluerit. »

CAP. CVII. *Præsumitur contra illum qui dilationibus subterfugit judicium.*

Julius papa in Decret. c. 2.

(c. *Nullus.* § *De præsumptionibus.*) JULIUS Romanæ Ecclesiæ præsul episcopis omnibus. Nullus dubitat quod ita nocens judicium subterfugit, quemadmodum illud innocens ut absolvatur requirit; nec suspicione caret, qui alium calumniis derogat, falsa dixisse, cum ipse ad judicium ut probet quod intulit vocatus venire distulit.

DE JUDICIBUS ET EORUM SENTENTIIS.

CAP. CVIII. *In decretis Felicis*, c. 1.

FELIX almæ Romanæ Ecclesiæ episcopus ANASTASIO et cæteris episcopis. Judices tales esse debent, ut omni suspectione careant, et ex radice charitatis suam desiderent promere sententiam.

CAP. CIX. *Ubi ab eis quisque judicandus est quos sibi judices elegerit.*

Julius I, in Decret., c. 34.

(2, q. 1, c. *Judices autem.*) JULIUS episcopus omnibus episcopis : Judices alii esse non debent, nisi quos ipse qui impetitur elegerit, aut quos suo consensu hæc sancta sedes aut ejus primates auctoritate hujus sanctæ sedis delegaverint.

CAP. CX. *Judices prius probare debent quo animo quisque accusat, quam accusationem suscipiant.*

Judices prius probare debent suspicionem et causam aut quo animo accusator hoc faciat, et postmodum judicium suscipere : quia veritatis professionem, propinquitatis, inimicitiæ, timoris, amoris, odii et cupiditatis intentio impedire et adversa fratribus solet irrogare.

CAP. CXI. *Damnari non valet, nisi vel convictus vel confessus.*

Constantinus imperator.

(2, q. 1, c. *Judex.*) Judex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reus ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur.

CAP. CXII. *Nec suspicionis arbitrio, nec ante verum et justum judicium aliquis condemnetur.*

Melchiades in Decret.

(2, q. 1, c. *Primo semper.*) Primo semper omnia diligenter inquirere, ut cum justitia et charitate diffiniatis, neminem condemnantes ante verum et justum judicium. Nullum judicetis suspicionis arbitrio ; sed primum probate et postea charitativam proferte sententiam, et quod vultis vobis non fieri, alteri non faciatis.

CAP. CXIII. *Res dubia non definitur certa sententia. Non credantur quæ certis indiciis non demonstrantur.*

Victor in Decret., c. 1.

(11, q. 3, c. *Grave, vel quamvis* ; 30, q. 5, *Si quis.*) VICTOR papa, THEOPHILO episcopo. Audivimus quosdam apud nostros vestrosque diversa judicia fieri et incerta judicare. Incerta, charissimi, nullomodo judicemus quousque veniat Dominus qui latentia producet in lucem, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Unde Augustinus in libro De pœnitentia : Quamvis enim vera sint non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur.

CAP. CXIV. *De eodem.*

Sixtus in Decret. c. 1.

(11, q. 3, c. *De sent.* 2, q. 3; c. *Quamvis* ; 3,

Introdusă în format electronic de Google

q. 5, c. *Si quis*). Sixtus papa Romanus, episcopis per Hispaniam constitutis. Incerta nemo pontificum judicare præsumat. Et quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi certis judiciis comprobentur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur.

Cap. CXV. *In decretis Eleutherii*, c. 1.

(2, q. 1, c. *Nihil* et *De Manifest.*, § *Quia Dominus.*) Dominus noster Jesus Christus Judam esse furem sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est ejectus, sed quidquid inter apostolos egit, pro dignitate ministerii permansit.

Cap. CXVI. *Sententia non præcipitanter ferenda est.*

Eucharistius [*f.* Evaristus] in Decret. c. 2.

(2, q. 1, c. *Deus*, l. *quia*, c. *Comminati.*) Evaristus papa, omnibus episcopis. Dominus omnipotens ut nos a præcipiendæ sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ et Gomorrhæ noluit audita judicare, priusquam manifeste agnosceret quæ dicebantur. Unde ipse ait : *Descendam et videbo clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita ut sciam* (*Gen.* xviii). Deus omnipotens, cui nihil absconditum est, sed omnia manifesta sunt ei etiam antequam fiant, non ob aliud hæc per se inquirere, dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in discutiendis et judicandis fratrum negotiis essemus, et ne mala de cujusquam persona prius quisquam audeat credere quam probare. Cujus exemplo monemur ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temere indiligenter improbata indiscussa quæque quoquomodo judicemus, dicente Veritatis voce : *Nolite judicare ut non judicamini, in quo enim judicaveritis, judicabimini*, et reliqua (*Matth.* vii). Mala audita nullum moveant, nec passim dicto quisquam absque certa probatione unquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, nec præcipitando quidquam agat. Si enim Dominus cognitor omnium, Sodomorum mala quorum clamor ad cœlos usque pervenerat, omnia sciens prius nec credere, nec judicare voluit, quam ipse ea quæ cum fidelibus testibus diligenter investigans audierat, ex opere veraciter cognosceret multo magis nos humani et peccatores homines quibus incognita sunt judicia Dei præcavere, et nullum ante veram justam probationem judicare aut damnare debemus teste Apostolo qui ait : *Tu quis es qui judicas alienum servum ? suo domino stat aut cadit* (*Rom.* xiv).

Cap. CXVII. *Ordinem judiciarium manifesta non desiderat causa.*

Stephanus V papa Leoni ep. Tyan.

(11, q. 1, c. *De manifesta.*) De manifesta et nota plurimis causa, non sunt quærendi testes, ut sanctus Ambrosius in epistola ad Corinthios dicit de fornicatione sententiam exponens Apostoli : Judicis, inquam, non est sine accusatore damnare. Quia Dominus Judam cum fuisset fur, quia non est accusatus, minime abjecit. Cognito autem opere isto, pellendum illum de cœtu fraternitatis censuit. Omnes enim crimen ejus sciebant, et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habuit : in qua re nec testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat legi crimen. Et paulo post : *Absens facie, præsens autem auctoritate spiritu, qui nusquam abest, jam judicavi ut præsens, eum qui hoc admisit tradi Satanæ in interitu carnis* (*I Cor.* v).

Cap. CXVIII. *Ministrorum confessio non sit exterta, sed spontanea.*

(15, q. 6, c. *Si quandoque.*) Alexander papa, V a Petro, in suorum primo Decretalium. Si sacerdotibus vel auctoribus Ecclesiæ quædam scriptæ, quoquomodo per metum aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, velut se liberare possent, quocunque ab eis conscriptæ, vel laboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium vel nocumentum valere censemus, neque ullam eis infamiam vel calumniam, aut a suis sequestrationem bonis unquam auctore Deo et sanctis apostolis eorumque successoribus sustinere permittimus.

Cap. CXIX. *Non sunt aliqua judicanda priusquam certis demonstrantur judiciis.*

Eleutherius papa, in Decret. 1.

(30, q. 5, c. *Judicantem.*) Judicantem oportet cuncta rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi abjiciendique præbita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter. Item : non esse judicandum donec utrinque sit peroratum.

DE APPELLATIONIBUS.

Cap. CXX. *Ante datam sententiam licet alicui appellare.*

Ex Decret. Fabiani papæ Hilario episc. c. 27.

(2, q. 7, c. *Si quis judicem.*) Si quis vero episcopus judicem suspectum habuerit et gravari se viderit, libere sedem apostolicam appellet.

Cap. CXXI. *Afflicto non debet addi afflictio.*

(2, q. 7, c. *Appellantem.*) Appellantem autem non debet afflictio ulla, aut detentionis aut carceris injuriare custodia, sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare.

Cap. CXXII. *Non denegetur appellatio ei quem in supplicio sententia definivit.*

Fabianus papa ad Hilar., epist. 3.

(2, q. 7, c. *Liceat.* l. *Non tant.* § De appel.) Liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec vox appellandi denegetur ei quem in supplicio sententia destinaverit.

Cap. CXXIII. *Accusatus nonnisi in suo foro audiatur.*

Fabianus papa ad Hilar., epist. 3.

(3, q. 6, c. *Pulsatus.*) Pulsatus ante suum judi-

Introdusă în format electronic de Google

cem causam dicat. Et ante suum non judicem, pulsatus si voluerit taceat, et pulsatis quoties appellaverint, induciæ dentur, nec quemquam sententia non a suo judicio dicta constringat.

CAP. CXXIV. *Episcopi gravioribus casibus pulsati apostolicam sedem appellent.*

Ex Decret. Gregor. pap. ad episc. Orientales, c. 27.

(2, q. 6, c. *Omnes episc.*, et c. *Ad Romanam.*) Ut omnes episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem, et ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea sicut semper fuit pie fulciantur, defendantur, et liberentur.

CAP. CXXV. *A comprovincialibus accusatus vel judicatus, apostolicam sedem appellet.*

Sixtus papa ad Grat. episc., ep. 1.

(3, q. 6, c. *Accusatus.*) Item ex dictis Sixti papæ: Placuit ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus, in aliqua causa episcopus libenter appellet et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, ejus retractari negotium procuret.

CAP. CXXVI. *Qui gravatur a proprio metropolitano primates aut universalem sedem appellet*, vel: *Qui a proprio metropolitano se gravari putaverit, majorem sedem appellet.*

Victor ad Theophil., ep. 1.

(2, q. 6, c. *Si quis.*) Item Victor episcopus: Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud patriarcham aut primatem diœceseos, aut penes apostolicæ universalis Ecclesiæ sedem judicetur.

CAP. CXXVII. *Post latam sententiam infra quod tempus quisque appellare debeat.*

Ex legibus Theod., c. 20.

(2, q. 6, c. *Propter superfluam.*) Propter superfluam appellatorum licentiam, ne in retractandis vel revocandis sententiis, liberum habere arbitrium viderentur, et tempora appellationis et pœnæ constitutæ sunt, ut quicunque apud judicem qui causam ejus audivit, appellare, et ad alium provocare voluerit, infra dies appellet, et in his ipsis diebus v ad judicem ad quem provocaverit sine aliqua simulatione perveniat, et ipse dies in quo accepit litteras, in his v diebus specialiter computetur. Quod si longius iter sit, exceptis his v diebus, spatium dierum quo iter agi possit, computetur.

CAP. CXXVIII. *A quo appellantur, ad quem appellatum fuerit, dimissoriæ litteræ dirigantur.*

Ex iisdem, c. 36.

(2, q. 6, c. *Ab eo.*) Ab eo a quo appellatum est, ad eum qui de appellatione cognitus est, litteræ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgo apostoli appellantur; quarum postulatio et acceptio intra diem quintum ex officio facienda est. Ista jam superius de cautionibus et pœnis appellantium interpretata sunt, qui intra tempora præstita dimissorias non postulaverint vel acceperint, vel reddiderint, præscriptione ab agendo submoneantur, et pœnam appellationis ferre cogantur.

CAP. CXXIX. *De his qui causa dilationis appellant.*

Ex iisdem, c. 27.

(2, q. 6, c. *Quicunque.*) Quicunque non confidentia justæ causæ, sed causa differendæ moræ, ne contra eum sententia proferatur, appellaverit, vel si de facto suo confessus, ne abjiciatur appellare voluerit, hujusmodi appellationes non recipiuntur.

CAP. CXXX. *Cum possessor appellat dum eventus causæ dubius est, possessionis fructus sequestrentur.*

Ex iisdem, c. 37.

(2, q. 9, c. *Quoties.*) Quoties post auditam causam, judicem possessor appellat, fructus possessionis de qua agitur, dum sequendæ audientiæ eventus dubius est, merito sequestrantur. Nam si petitor appellaverit, hoc ab eo non potest postulare, quia non potest sequestrari, quod non habet, si propter prædia urbana vel mancipia vel jumenta appellatur, possessiones eorum vel mercedes, vel vectura, etiamsi de navis nauto agatur, deponi solet.

CAP. CXXXI. *Injuste appellans omnino puniendus est.*

Ex iisdem, c. 38.

(2, q. 6, c. *Omnimodo.*) Omnimodo puniendus est, quoties injusta appellatio pronuntiatur, sumptus quos dum sequeretur adversarius impendit, reddere cogatur, non simplos, sed quadruplos.

CAP. CXXXII. *A quibus judicibus licet provocare*, vel sic: *Excommunicetur qui judicibus suis obtemperare non vult.*

Conc. Spal. Milevit., c. 24.

(2, q. 6, c. *A judicibus*, et c. *Quisquis.*) A judicibus autem quos communis consensus elegerit, non liceat quemque provocare, et quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet episcoporum donec obtemperet.

CAP. CXXXIII. *Cum per appellationem sententia solvitur, non debet obesse ei qui non iniquo animo judicavit.*

Conc. Carthag. III, c. 10.

(2, q. 6, c. *Hoc etiam placuit.*) Placuit ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, sicut convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati. Sane si ex consensu partium judices electi fuerunt, etiam a pauciori numero quam constitutum est, non liceat provocari.

CAP. CXXXIV. *Comprovinciales et metropolitani episcoporum causas audire, sed definire non possunt.*

Zephirinus in Decret. c. 1.

(3, q. 6, c. *Quoniam.*) Quoniam quanquam a comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definire, inconsulto Romano pontifice, permissum est.

CAP. CXXXV. *Reus damnari non valet nisi convictus aut sponte confessus, et si episcopus fuerit reus,*

Introdusă în format electronic de Google

non debent ferre sententiam damnationis, sed deferre ad sedem apostolicam.

Felix I [*f.* Zephirinus] papa in Decret. ad Paternum.

(2, q. 1, c. *Primates accus.*) Zephirinus Romanæ urbis archiepiscopus, omnibus episcopis. Patriarchæ vel primates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant definitivam, quam apostolica fulti fuerint auctoritate, aut reum se confiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos convincatur testes. Qui nimirum testes minori non sunt numero, quam illi discipuli fuerunt.

Cap. CXXXVI. *Comprovinciales et metropolitani episcoporum causam audire, sed diffinire non possunt.*

Eleutherius papa in Decret.

(2, q. 6, c. *Quamvis.*) De accusationibus ergo clericorum, de quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusatores difficile est ad sedem apostolicam deferri, diffinitiva tamen episcoporum judicia huc deferantur, sicut ab apostolis eorumque successoribus multorum consensu episcoporum jam definitum est, nec in eorum Ecclesiis aliis aut præponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum juste terminentur negotia. Quando liceat apud comprovinciales et metropolitanos, atque primates eorum ventilare accusationes vel terminationes, non tamen licet definire secus quam prædictum est. Reliquorum vero clericorum apud provinciales et metropolitanos et primates et ventilare et juste finire liceat.

LIBER QUINTUS.

DE CLERICIS SOLA INFAMIA ABSQUE TESTIBUS ACCUSATIS.

Cap. I. *Infamatus tertio monitus se non corrigens, usque ad purgationem ab officio suspendatur.*

Conc. Agath. c. 4.

(C. *Si quis.* extr. De purg. et 2, q. 5, c. *Si legitimi.*) Si quis presbyter vitæ suæ negligens pravis exemplis mala de se suspicari permiserit, et populus ab episcopo juramento seu banno Christianitatis constrictus, infamiam ejus patefecerit, et certi criminatores criminis ejus defuerunt, admoneatur primo seorsum ab episcopo, deinde sub duobus vel tribus testibus. Si non emendaverit in conventu presbyterorum, episcopus eum publica increpatione admoneat. Si vero neque sic se correxerit, ab officio suspendatur usque ad dignam satisfactionem, ne populus in eo scandalum patiatur. Si vero accusatores legitimi non fuerint, qui ejus crimina manifestis indiciis probare contenderint, et ipse negaverit, tunc ipse cum sociis VII ejusdem ordinis, si valet, a crimine seipsum expurget. Diaconus vero, si eodem crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus expurget.

Cap. II. *De purgatione clericorum, si convinci non potuerint.*

Conc. Hispal., c. 10.

(2, q. 5, c. *Presbyter.*) Si quis presbyter a plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, et episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur presbyter usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur; digna enim satisfactio est, si ab eis a quibus reus creditur, post rectam securitatem de imposito crimine innocens esse manifestetur. Quod ita a nobis et a majoribus constitutum esse docetur. Sed sive canones, sive ad arbitrium episcopi sibi collegas septem conjungat, et juret in sacro coram posito Evangelio, quod eum sancta Trinitas et Christus Filius Dei, qui eum fecit et docuit quod Evangelium continet, et sancti quatuor evangelistæ, qui illud scripserunt sic adjuvent, quod ille prænominatam actionem ita non perpetraret, sicut eidem illi oblatum est, et in hac satisfactione purgatus, secure suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium Patrum secundum Leonem papam, in basilica Sancti Petri apostoli coram reverendissimo Cæsare Carolo a clero et plebe ita fecisse, commemorant, atque ita mox venerandum principem contra ejusdem sancti papæ adversarios dignæ ultionis vindictam exercuisse.

Cap. III. *Qualiter sacerdotes se purgare debent.*

Decretalis, et Leo ad Carol.

(2, q. 4, c. *Omnibus vobis.*) Omnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissime, suadente antiquo hoste, sacerdotibus diversa crimina objiciantur, sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio et satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domini genitoris vestri Pippini, sive priscis temporibus a sacris Patribus et a reliquis bonæ devotionis hominibus, sæpissime ventilatum fuerit, nos tamen pluriter et ad liquidum diffinitum reperire minime quivimus. Nostris quoque temporibus idipsum a sanctis episcopis, et reliquis sacerdotibus, et cæteris ecclesiasticæ dignitatis ministris, vestris in regnis seu in aliis Deo degentibus, nobisque una cum eis agentibus, sæpissime propter multas et nimias reclamationes quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt ventu-

Introdusă în format electronic de Google

latum est, sed qualiter consultum domini et Patris nostri Leonis apostolici cæterorumque Romanæ Ecclesiæ episcoporum et reliquorum sacerdotum, sive Orientalium et Græcorum patriarcharum, et multorum episcoporum, omniumque sacerdotum, nec non et nostrorum episcoporum omniumque Romanorum sacerdotum ac levitarum auctoritate et consensu, atque reliquorum fidelium et conciliorum nostrorum consultu diffinitum est, vos omnes utriusque ordinis ministros scire volumus. Statutum est namque ratione et necessitate, atque prædicto consultu, ut quotiescunque sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit ut recipi debeat, quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant, in canonibus pleniter expressum est; si autem, ut dictum est, ille accusator, qui canonice est recipiendus, eum cum legitimo virorum numero et honorum testium, approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonice dijudicetur, et si culpabilis invenitur, canonice damnetur. Si vero cum supra scripto prætextu approbare ipse accusator minime poterit, et hoc canonice dijudicetur. Ipse vero sacerdos, si suspiciosus et incredibilis suo episcopo aut reliquis consacerdotibus sive bonis et justis de suo populo vel de suis hominibus fuerit, vel in crimine aut prædicta suspicione remaneat cum tribus aut v vel VII bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis papæ, qui XII episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi prospexerit, et cum aliis bonis et justis hominibus se sacramento coram populo super quatuor Evangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, et quid de accusatione faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit.

CAP. IV. *De Leone qualiter se purgavit.*

De purgat. Leonis papæ.

(2, q. 5, c. *Auditum.*) Auditum est, fratres charissimi, et divulgatum est per multa loca, qualiter homines mali adversum me surrexere et debilitare voluerunt, et miserunt super me gravia crimina. Propter quam causam iste clementissimus ac serenissimus dominus Carolus una cum sacerdotibus et optimatibus suis istam pervenit ad urbem. Quamobrem ego Leo pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ a nemine judicatus neque coactus, sed spontanea mea voluntate, purifico me in conspectu vestro coram Deo et angelis ejus, qui conscientiam novit, et beato Principe apostolorum in cujus conspectu consistimus, quia istas criminosas et sceleratas res quas illi mihi objiciunt, nec perpetravi, nec perpetrare jussi. Testis est mihi Deus in cujus judicium venturi sumus et in cujus conspectu consistimus. Et hoc propter suspiciones malas tollendas, mea spontanea voluntate facio, non quasi ego hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis, nec non et fratribus et coepiscopis nostris imponam, sed ut melius abscindatis a vobis rebelles cogitationes.

CAP. V. *De Leone episcopo, quem beatus Gregorius purgationem præbere fecit.*

Ex Regist. Greg. pap. ad Just. imp. et epist. 23, ad Just. presb.

(3, q. 5, c. *Habet.*) Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opinionem eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre nostro et coepiscopo nostro sinister rumor asperserat, utrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri, et nullam in eo de his quæ dicta fuerant culpam invenimus, sed ne quid videretur omissum quod nostro potuisset cordi dubium remanere, ad beati Petri apostoli sacratissimum corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere, quibus præstitis magna sumus exsultatione gavisi, quod hujuscemodi innocentia evidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni charitate suscipiat, et reverentiam ei qualem sacerdotem decet exhibeat; nec ulla remaneat de his quæ jam sunt purgata dubietas. Et ita supradicto vos episcopo devotissime oportet in omnibus adhærere, ut congrue decenterque Deum in ejus persona videamini (cujus minister est) honorare.

CAP. VI. *Quomodo beatus Gregorius Magnus Mennam episcopum juramento purgare fecit.*

Ex Regist. ad Brunichil. regin. c. 332.

(2, q. 5, c. *Mennam.*) Mennam vero reverendissimum fratrem nostrum et coepiscopum, postquam ea quæ de eo dicta fuerint requirentes, in nullo invenimus esse culpabilem, qui insuper ad sacratissimum corpus beati apostoli Petri sub jurejurando satisfaciens, ab his quæ objecta fuerant ejus opinioni de se monstravit alienum, reverti illum purgatum permisimus absolutum. Quia sicut dignum erat ut si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonice puniremus, ita dignum non fuit, ut cum adjuvante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus.

CAP. VII. *De causa Gillandi presbyteri.*

Alexander II Romualdo episc. Cuman.

(2, q. 4, c. *Super causas.*) Super causas Gillandi presbyteri tui, de morte episcopi prædecessoris tui infamati, in medium consuluimus. Itaque circumstantium fratrum unanimi consensu tuæ dilectioni rescribimus, præfatum Gillandum presbyterum ante te præsentandum, ubi si certi accusatores defuerint, tunc dictante justitia sine omni controversia, presbyter, quæcunque ob hoc injuste amisit ac sacerdotium accipiat, et integra beneficia.

CAP. VIII. *De eodem.*

(2, q. 5, c. *Mennam.* § *Purgationem.*) Purgationem tamen ante te duobus sibi sacerdotibus jun-

Introdusă în format electronic de Google

ctis, ubi accusator cessaverit, eumdem ex se præbere tuo committimus arbitrio, vulgarem denique ac nulla canonica sanctione fultam ; legem ferventis sive frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis, quia fabricante omnino hæc sunt vel ficta invidia, nec ipsum exhibere nec aliquo modo te volumus postulare, imo apostolica auctoritate prohibemus firmissime.

CAP. IX. *Sacerdos si a populo fuerit accusatus, juramento innocentiam suam affirmet.*

Gregor. III ad Bonifac.

(2, q. 5, c. *Presbyter.*) De presbytero vel quolibet sacerdote a populo accusato, si certi non fuerint testes, qui crimini illato veritatem dicant, jusjurandum in medium faciat, et illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate cui nuda et aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.

CAP. X. *Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum querimoniam habeat, qualiter debet procedi.*

(2, q. 5, c. *Si quis presbyter.*) Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum habet aliquam quærimoniæ controversiam, episcopo præcipiente sine personarum accusatione finiatur. Laicus per juramentum, si necesse sit, se expurget. Presbyter vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim per quam corpus Christi conficitur, juramento polluetur ? Absit! Cum Dominus in Evangelio discipulis suis quorum vicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia dicat : *Nolite omnino jurare ; sit autem sermo vester , est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, ex malo est* (*Matth.* v).

CAP. XI. *Cuiquam laico clericus nihil jurare præsumat.*

Conc. Rem. c. 5.

(22, q. 5, c. *Nullus.*) Ut nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidquam supra sacra vel super sancta Evangelia juret, sed simpliciter cum puritate et veritate dicat : Est, est, non, non. Sed si est aliquid quod eis a laicis objiciatur, ad episcopum in cujus territorio est deferatur, et juxta id quod illi qui ejusdem ordinis sunt dijudicaverint, aut corrigatur, aut expurgetur.

CAP. XII. *De presbyteris non est laicis judicandum.*

Nicolaus ad Bulgaros, c. 28.

(Dist. 28, c. *Consulendum.*) Consulendum esse decernitis, utrum presbyterum habentem uxorem debeatis sustentare , et honorare, an a vobis projicere. In quo respondemus, quoniam licet ipsi valde sint reprehensibiles, vos tamen Deum convenit imitari, qui solem suum oriri facit, ut Evangelium testatur, super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v), dejicere enim a vobis ideo non debetis, quia Dominus Judam, cum esset mendax discipulus, nec de numero apostolorum dejecit, verum de presbyteris vobis qui laici estis nec judicandum est, nec de vita eorum quidquam investigandum, sed episcoporum judicio quidquid illud est, reservandum.

CAP. XIII. *Sine consilii examinatione, presbyter vel diaconus non dejiciatur.*

Nicolaus ad eosd.

(15, q. 8, c. *Sciscitantibus.*) Sciscitantibus vobis, si a sacerdote qui fuerit comprehensus in adulterio, sive de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere necne , respondemus : Non potest aliquis, quantumcunque sit pollutus, sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque sit sacerdos, quæ sancta sunt coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, usquequo episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est. Quoniam mali bona ministrando, se tantummodo lædunt. Et rea fax accensa, sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat ; et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite igitur ab omni sacerdote intrepide Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides enim est quæ vincit hunc mundum, quia non dantis meritum sed accipientis fit.

CAP. XIV. *Qui alium voluerit accusare de homicidio, debet pœnam talionis subire.*

Ex lib. VII Cod.

(L. *Si quis*, et c. *De accus.*) Quicunque alium de homicidii crimine periculosa et capitali objectione pulsaverit, non prius a judicibus audiatur, antequam se similem pœnam quam reo intendit, conscripserit subiturum.

CAP. XV. *Qui accusare servum voluerit, ad pœnam talionis se inscribet.*

(L. *Si quis servos*, c. De accus.) Et si servos alienos accusandos esse crediderit, se simili inscriptione constringat, futurum ut supplicia innocentium servorum, aut pœna capitis sui aut facultatum amissione compenset. Quicunque inscriptione præmissa cujuscunque criminis reum accusare voluerit, ab eo die quo inscripsit intra annum peragat propositas actiones. Qui si distulerit, infamis effectus bonorum suorum quarta parte multabitur.

CAP. XVI. *Accusationes probentur ante sententiam judicialem.*

Convinci nemo potest in judicio sine testibus aut judicio. Sententia absente parte alia a judice data, nullam obtinet firmitatem. Causa inter præsentes judicata post decennium revolvi non potest. Nec inter absentes post vigennium. In causa capitali nemo absens damnetur. Neque absens per aliquem accusatorem accusari potest.

CAP. XVII. *Qui debeant jurare.*

Lex præcipit ut probatio non a possessore, sed a petitoris partibus requiratur, quia omnem probe-

Introdusă în format electronic de Google

tionem ab eo quæri dicit qui petitam rem desiderat obtinere, non ab illo qui se jure tenere intendit. Præter illam tamen causam interrogare necesse est possidentem, utrum ex sua persona aut ex successore cœpit possidere

CAP. XVIII. *Qui dicit, habet probare et est affirmativa regula, non qui negat, est negativa regula.*

(L. II, *juncta gloss. ff. de probat. et est summ. Bar.*) Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.

CAP. XIX. *Testes non dicant testimonia, nisi de his quæ præsentialiter et veraciter noverint.*

(3, q. 9, c. *Testes in principio.*) Testimonio autem sic exhibere oportet, ut dicant testes quod sub præsentia sua vel susceptum est depositum, vel quod depositum est suscepisse conscripsit.

CAP. XX. *Receptio testium non est facienda contra absentem.*

(*In nomine Domini*, extr. De testim.) Testium productio non aliter habeatur, nisi præsente quoque adversaria parte vel contumaciter non veniente, A scilicet ut solita ejus præscriptio ei competat quam opponendam æstimaverit. Contumaciter autem non videtur abesse qui ex necessitate abfuit forte enim inter loca sanctorum confugerat.

CAP. XXI. *Testimonium non valet sinè juramento.*

Lex Theodos.

(C. *Nuper*, extr. De testim.; 4, q. 3, c. *Jurisjurandi*, et c. *Testes.*) Testes priusquam de causa interrogantur, sacramento debent constringi ut jurent se nihil falsi dicturos esse, honestioribus autem magis quam vilioribus fides adhibeatur. Unius autem testimonium quamvis splendida et idonea esse videatur persona, nullatenus audiendum.

CAP. XXII. *Unius testimonium non valet.*

B (C. *Veniens*, extra. *De testim.*; 4, q. 3, c. *Si testes*, etc., De test.) Ut testimonium unius hominis non accipiatur. Nam si ex utraque parte plures sint veraciores atque religiosiores et honestiores eligantur, qui sacramento suum confirment testimonium, nihilque falsi se esse dicturos.

—

DE CAUSIS ET NEGOTIIS LAICORUM

CAP. XXIII. *Cuicunque liceat sacrosanctæ sedis antistitis judicium eligere.*

Theodos. VI imperat

(11, q. 1, c. *Omnes.*) Omnes itaque causæ quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminare perpetuo jure stabilitatis firmentur. Nec ulterius liceat alterius retractari negotium quod episcoporum sententiis deciditur. Testimonium etiam licet ab uno episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur cum testimonio episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum; illud incorruptum habeatur quod a sacrosancto homine, conscientia illibatæ mentis protulerit, hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hæc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes.

CAP. XXIV. *Viles personas ad testimonium non facile judices permittant accedere.*

Theodosius imperat.

Summopere admonendi sunt comites et judices, ne viles et indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere, quoniam multi sunt qui jurare pro nihilo ducunt in tantum ut pro unius diei satietate aut pro quolibet parvo pretio, ad juramentum conduci possunt, et animas suas perdere, minime formidant. Quamobrem tales nequaquam admittimus, quia non solum qui perjurant, sed et illi qui perjuriis consentiunt, simili perdendi sunt damnatione.

CAP. XXV. *Nullius recipiatur testimonium nisi ejus quem bona opinio vel dignitas commendat.*

Constit. XXX, c. 1.

(§ *Sancimus*, c. De test.) Nullius recipiatur testi- C monium, nisi ejus qui sit bona opinione habitus, vel quem dignitas commendat, vel militia, vel vitæ honestas, vel artis titulus laudabilis, vel etiam aliorum testium vox de bona vita ejus consentiens. Alius autem testis vilissimus si productus in judicio fuerit, liceat judici, si hoc existimaverit, tormentis eum subigere. Item: Non admittimus autem testimonia eorum qui dicere solent transeuntes se audisse aliquem dicentem, pecuniam sibi sublatam esse, sed nec tabulariorum sola præsentia sufficit, nisi testes quoque rogati se subscripserunt.

CAP. XXVI. *Quid si testis dicatur esse servus.*

(L. *Si testis*, c. De test., § *De vero.*) Si testis productus servus esse dicatur, ille autem liberum se D dicat, siquidem ex nativitate impleatur testimonium ejus, postea si probatus fuerit servus, nullius momenti sit. Sin autem libertinum se esse dixerit, siquidem instrumentum manu missionis suæ ostendit, dicat testimonium; sin autem in alio loco dicat instrumenta sui status habere, scribatur quidem testimonium ejus. Postea si non produxerit instrumenta, nullius momenti sit.

CAP. XXVII. *Servi non accipientur testes contra dominos.*

Ex lege Theodos.

(L. *Servos*, q. et l. *Ex quibus.*) Servo penitus non credatur, si super aliquem crimen objecerit, aut si etiam dominum suum in crimine impetierit. Nam si in tormentis positus, exponat quod objicit, credi tunc nullo modo oportebit.

—

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XXVIII. *Hæreticus hæreticum accusare, et contra eum testificari potest.*

Novellarum constit., novella 45, c. 2.

(2, q. 7, c. *Si hæreticus.*) Si hæreticus contra hæreticum litigat, liceat cuivis eorum hæreticum testem adducere. Sin autem Orthodoxus contra hæreticum litiget, pro Orthodoxo quidem hæretici testimonium valeat. Contra Orthodoxum autem, solius Orthodoxi testimonium valeat. Orthodoxis autem litigantibus, ad testimonium nullus hæreticorum pateat aditus.

C. 5. Si quis dixerit testem productum inimicum esse, siquidem ex criminali causa, omnino non dicat testimonium. Sin autem ex aliena occasione, dicat testimonium, sed præscriptio ejus opponatur.

CAPP. XXIX-XXX. *Socii criminis non admittuntur ad testimonium.*

Novella 308.

(C. *Veniens*, extr. De test.) Placuit ut testes non admittantur qui sunt socii criminis, nec infantes, nec calumniatores, vel cæteri quos lex et canones prohibent.

CAP. XXXI. *De confitenti reo, ut super alium non credatur.*

Placuit ut qui de se confessus est, super alium non credatur.

CAP. XXXII. *Quæ sunt personæ quæ non possunt cogi ad testimonium contra propinquos.*

Novella 313 et conc. Matic., c. 6.

(L. *Julia*, ff. De test., et 4, q. 8, c. *Placuit.* C § *In lege Julia.*) Ne invito denuntietur ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino sobrinave natum, eosve qui priore gradu sunt. Item : De liberto ipsius, liberorumque ejus et parentum, viri, uxoris. Item : Ne patroni et patronæ adversus libertos, neque liberti adversus patronos cogantur testimonium dicere.

CAP. XXXIII. *De testibus idoneis vel non.*

(L. *Idonei*, ff. De test.) Item idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest ut testes sint.

CAP. XXXIV. *De eodem.*

(L. *Testes*, ff. De test.) Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est.

CAP. XXXV. *De eodem.*

(L. *Qui falso*, ff. De test.) Item : Qui falsa vel varia testimonia dixerint vel utrique parti prodiderint, a judicibus puniuntur.

CAP. XXXVI. *De eodem.*

(L. *Pater*, ff. De test.) Item : Pater et filius qui in ejus potestate est. Item : Duo fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, testes utique in eodem testamento, vel eodem negotio fieri possunt, quoniam nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi.

CAP. XXXVII. *Quod mulieres testimonium in judicio dicendi jus habent.*

(L. *Ex eo*, ff. De test.) Item, ex eo quod prohibet A lex Julia de adulteriis testimonia dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonium in judicio dicendi jus habere.

CAP. XXXVIII. *De hominibus vel feminis liberis qui fiscallinis junguntur.*

Homines liberi, qui uxores fiscallinas regias, et feminæ liberæ quæ homines fiscallinos regios accipiunt, nec de hæreditate parentum, nec de causa quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur.

CAP. XXXIX. *Anathematizatus accusare non potest nec testificare.*

Nov. 215.

(2, q. 7, c. *In sancta.*) Omnium anathematum vox in accusatione vel testimonium aut humano judicio plenius non audiatur. B

CAP. XL. *De servo domini accusatore.*

Nov. 166-7.

Servus si super dominum fuerit delator, etiamsi objecta probaverit, puniatur.

CAP. XLI. *De induciis reo aut accusatori dandis.*

Judices qui inscriptione præmissa, criminalia negotia audire cœperint, a die inscriptionis, si inducias aut accusator, aut reus petierit, intra annum præstare debebunt, ut hæc actio intra anni circulum finiatur ; quod si accusator intra annum quæ proposuerit, probare distulerit, absoluto reo pœnam suscipiat legibus superioribus comprehensam.

CAP. XLII. *Homicidis, adulteris, etc., dilatio non est præstanda.*

Ex libro VII, c. 196.

In civilibus causis vel levioribus criminibus legibus dilatio præstanda est ; homicidæ, adulteri, malefici, venefici, convicti si appellare voluerint non audiantur.

CAP. XLIII. *Sententia lata contra vere contumacem vel etiam ficte est valida.*

Ex lib. V.

(L. *Tres denunt.*, c. *Quocunque*, et 24, q. 4.) Quicunque tribus auctoritatibus judicis convictus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam extinguit, fuerit evocatus, pœnitentiam suam apud eum judicem a quo ei denuntiatus est, exhibere noluit, adversus eum quasi in contumacem judi- D cari potest ; quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt quoties in contumacem fuerit judicatum.

CAP. XLIV. *Vera esse quæ adversus se dicta sunt, probat, qui ad ea confutanda minime vult adesse.*

Cap. 340.

Probat illa vera esse quæ adversus se dicta sunt, qui ad ea confutanda minime vult adesse, unde in sæcularibus legibus invenitur scriptum : Injuste victus, intra tres menses reparet causam. Quod si facere neglexerit, sententia quæ adversus eum collata fuerit, perseveret. Et ne sit vobis contrarium vel etiam ne miremini quod de sæcularibus legibus locutus sum in nostro judicio, quia ecclesiasticæ leges et divinæ eas recipiunt.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XLV. *De servis dominorum accusatoribus.*

Impp. Arcad. et Hon. AA. Exitio, Constit. l. VI.

(L. *Si quis ex famil.*, c. *Qui accusari non possunt.*) Si quis ex familiaribus vel ex servis cujuslibet domus cujuscunque criminis delator atque accusator emerserit, ejus æstimationem caput atque fortunas petiturus, cujus familiaritati vel dominio inhæserit, ante exhibitionem testium aut examinationem judicum in ipsa expositione criminum atque accusationis exordio ultore gladio feriatur; vocem enim funestam potius intercidi quam audiri oportet, eorum vero accusandi sacerdotes vel testificandi in eos os obstruimus, quos non humanis sed divinis vocibus mortuos esse scimus.

CAP. XLVI. *Absolutus de certo crimine de eodem iterum accusari non potest.*

Conc. Mogunt.

(C. *De his*, extr. De accus.) De his criminibus de quibus quis absolutus est, ab eo qui accusavit, refricari accusatio non potest. Flagitari judicium non debet de causa quæ definita, vel judicata est. Si quis autem judicem recusaverit, et alium pro eo petierit, cumque iterum recusare maluerit, ut aliquem sibi judicem petat, non audiatur. Judices autem sententiam scriptis dicant, provocationis licentia condemnato non denegetur, nisi forte ter aliquis appellare maluerit, vel contumax in absentia fuerit. Nam et tertia provocatio præjudicata est, et contumaces condemnati appellare non possunt.

CAP. XLVII. *Servus qui fugit, si pro libero se gerat, et paratus est litigare pro libertate sua, non videbitur a domino possideri.*

Si servus quem possidebam fugerit, et si pro libero se gerat, videbitur a domino possideri, sed hoc tunc intelligendum est, si cum apprehensus fuerit, non sit pro libertate sua paratus litigare. Nam si paratus est litigare, non videbitur a domino suo possideri, cui se adversarium paravit.

CAP. XLVIII. *Per servum colonum vel procuratorem, non potest domino invito fieri præjudicium.*

Impp. Theod. et Hon. AA. Joanni papæ.

(L. *Nexum*, c. *Si res aliq.*) Nexum non facit prædiorum, nisi persona quæ jure potuit obligare. Per servum autem aut per procuratorem, colonum vel actorem conductoremve ullum præjudicium possessioni invito vel inscio domino imponi non posse, et jure, et legum auctoritatibus declaratur.

CAP. XLIX. *Qui terrore præsidis servum se esse mentitur, postea se potest defendere.*

Qui metu et impressione alicujus terroris apud acta præsidis servum se esse mentitus est, postea statum suum defendere non præjudicetur.

CAP. L. *Si emerit quisquam aliquid a servo, nesciente domino, potest dominus pretium reddere, et emptio non erit.*

Si quis a servo alieno aliquid comparaverit, nesciente domino suo, si dominus firmam noluerit esse emptionem, reddet pretium emptori, ut emptio nihil habeat firmitatis.

CAP. LI. *Vindicans servum suum a bonæ fidei possessore, debet sibi reddere expensas necessarias.*

Imp. A. Claudio.

(L. *Si invito* c. De infant. expos.) Si invito et ignorante te, partus ancillæ tuæ expositus est, repetere eum non prohiberis, sed restitutio ejus, si non a fure vindicaveris, ita fiat, ut si qua in alendo eo vel forte ad discendum artificium justum, consumpta fuerint, restituantur.

CAP. LII. *Qui exposuerit infantem suum, non potest post eum repetere ab eo qui eum recollegit et nutrivit.*

Impp. Valc. et Grat. AA. ad Probum.

(L. *Unusquisque*, c. De infant. expos.) Unusquisque sobolem suam nutriat; quod si exponendam putaverit, animadversioni quæ constituta est subjacebit, sed nec dominis, vel patronis repetendi aditum relinquimus si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem, voluntas quæ misericordiæ est amica, non collegerit. Nec suum dicere poterat, quem pereuntem contempserit.

CAP. LIII. *De eodem.*

(Ibid., 3, *Sancimus*, c. De infant. expos.) Sancimus nemini licere, sive ab ingenuis genitoribus puer parvulus procreatus, sive a libertina progenie, sive a servili conditione, maculatus expositus sit, eum puerum in suum dominium vindicare sive nomine, sive adscriptitiæ, sive colonariæ conditionis. Sed neque his qui eos enutriendos sustulerunt, licentiam concedi penitus, cum quadam distinctione eos tollere et educationem eorum procurare sive masculi sint, sive feminæ, ut eos vel loco libertorum, vel loco servorum, vel colonorum aut adscriptitiorum habeatur, sed nullo discrimine habito, his qui ab hujusmodi hominibus educati sunt, liberi et ingenui appareant.

CAP. LIV. *Qui partum suæ ancillæ, suum esse credens donaverit, vel vendiderit, furtum non committit.*

Si is ad quem ancillæ pertinet usus fructus, partum suum esse credens vendiderit, aut donaverit, furtum non committit. Furtum enim sine affectu furandi non committitur.

CAP. LV. *Bona capitali crimine damnatorum ad cognatos deveniant.*

Cod. l. IX.

(L. *De bon. præscript.* c. *Bona damnat.*) Capitali crimine damnatorum bona, non ad lucrum præsidis perferri, sed cognatis punitorum reddi oportet.

CAP. LVI. *Lenonem quemquam esse prohibere debent prætores.*

Hæc constitutio jubet neminem lenonem esse, neque in imperiali urbe, neque in provinciis, et hoc prohibere debent prætores et præsides; ultimo enim supplicii judicio subjiciuntur, qui contra constitutionis normam lenones esse ausi sunt. Omnia autem instrumenta et fidé jussiones apud lenones interpositas, vel a lenonibus contra bonos mores

Introdusă în format electronic de Google

factas, infirmas atque invalidas esse constitutio jubet.

CAP. LVII. *Qui matrimonium contraxerit et liberos ex legitima priori non habuerit suis facultatibus careat, et dos incesti matrimonii fisco vindicetur.*

(L. 1, *Qui contra*, c. *De incest.*) Si quis nefarium et incestum atque damnatum matrimonium contraxerit, liberos autem ex priori legitimo matrimonio non habuerit, statim suis facultatibus careat, et dos quæ data est ei fisci juribus vindicetur. Post publicationem autem et cinguli sui patiatur amissionem, et exsilio puniatur. Quod si vilior sit et corporali quæstioni subsistat, et uxor ejus contra leges nupta easdem pœnas patiatur scilicet, si nulla justa excusetur ignorantia.

CAP. LVIII. *De eodem.*

(L. *Si defunct.*, et c. *De suis et leg. fil. ab intest.*) Si quis nepotes ex filio reliquerit, et ex filia nepotes, vel neptes, pariter ad hæreditatem ab intestato avi defuncti vocentur, et non minus tertiam partem sicut antè accipiant, sed integram portionem assequantur ex filia nepotes ; talem accipiant nati, qualem accipiunt nepotes ex filio procreati. Item : Si avia decesserit, nepotibus ex filio et nepotibus ex filia derelictis, omnes pariter ad hæreditatem aviæ suæ vocentur, et omnino sit differentia nulla, utrum omnes nepotes sint an neptes, utrum ex filio aut ex filia procreati sint.

CAP. LIX.

(Instit. De jur. not. et civ. § *Ex non scrip.*) Ex non scripto jus venit quod usus approbavit. Nam diuturni mores, consensu utentium comprobati, legem imitantur. Item ea quæ ipsa sibi quæque civitas constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu principis, papæ, vel alia postea lege lata.

CAP. LX. *Liberti qui dicuntur ingenui, et qui testamentum possint condere, et qui non.*

(32, q. 5, c. *Liberti.*, et Instit. De ingenuis.) Ingenuus est, qui statim ut natus est, liber est, sive ex duobus ingenuis matrimonio editus, sive ex libertinis, sive ex altero libertino, et altero ingenuo. Sed etsi quis de matre libera nascitur, patre vero servo ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera et incerto patre natus est, quia vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam habuisse matrem eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit ; et e contrario si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit eum qui nascitur liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere qui in utero est. Ex his et illud quæsitum est si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla facta postea peperit, liberum an servum pariat. Et Marcellus probat liberum nasci. Sufficit enim ei qui in utero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, ut liber nascatur, quod et verum est. Non omnibus licet facere testamentum. Statim enim hi qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent. Item : Testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi judicium habent. Item, furiosi, quia mente carent; nec ad rem pertinet, si impubes postea pubes factus, aut furiosus compos postea mentis factus fuerit, et decesserit. Furiosi autem si per id tempus fecerunt testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur. Item, mutus et surdus non semper testamentum facere possunt. Utique autem de eo surdo loquitur, qui omnino non audit, non qui tarde exaudit. Nam et mutus is intelligitur qui eloqui nihil potest, non qui tarde loquitur. Cum lex in præteritum quid indulget in futurum vetat.

CAP. LXI. *Natus septimo mense dicitur legitimus*, vel sic : *Unicuique experto in sua scientia credendum est.*

Titul. 5.

(L. *Sept mens.* § De stat.) Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis. Et imo credendum est eum qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse.

CAP. LXII. *Legitime natus quoad conditionem et originem patrem sequitur, non legitime vero natus, matrem sequitur.*

(L. *Cum legit.* § De stat., *et* 32, q. 5, c. *Libert.*) Item cum legitime nuptiæ factæ sint patrem liberi sequuntur : vulgo quæsiti matrem sequuntur.

CAP. LXIII. *Qui dicuntur vulgo concepti.*

(L. *Vulg. quæsit.*, § De stat.) Item, vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt vel qui possunt quidem, sed eum habent quem habere non licet.

CAP. LXIV. *Qui dicuntur nasci lege naturæ.*

(L. *Lex nat.* § De stat.) Item, lex naturæ habet ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur.

CAP. LXV. *Partus antequam natus est dicitur in rerum natura esse, quia potest ei relinqui.*

(L. *Qui in uter.* § De stat.) Item, qui in utero sunt, in toto pene jure civili intelliguntur in natura rerum esse. Nam et legitimæ hæreditates his restituuntur, ita ut si prægnans mulier ab hostibus capta sit, id quod natum erit, quamvis apud bonæ fidei emptorem peperit, tanquam furtivum usu non capitur.

CAP. LXVI. *Res scriptis promissa ad eum pertinet qui eam jam tenet vi scripturarum, sive ordine sit primus vel ultimus hæres.*

Si aliquis unam rem per legitimas scripturas, donaverat duobus, uni prius et postea alteri, non quærendum est in his donationibus, quis prius et quis posterius accepit, sed qui rem, tradente donatore, possederit, is eam cui tradita est possidebit. Nec interest utrum in parentes aut extraneos facta sit talis donatio. Licet posterior petitor offerat sacramentum, tamen cum nulla probatione debiti is qui accusatur potest fidem suam jurisjurandi religione firmare. Si quando pulsatus pecuniam

Introdusă în format electronic de Google

repenti obtulerit sacramentum et ille ei jurisjurandi necessitatem ultro concesserit, non potest postea ab eo debitum postulare.

Hæres ejus cui pecunia credita dicitur, ad sacramentum vocari non potest, quia quæ egerit auctor suus ad integrum scire non potuit.

CAP. LXVII. *In rebus commodatis non venit casus fortuitus, nisi culpa intervenerit.*

(L. *Si ut certo.* § *Proinde.*) Quidquid in rem commodatam ob morbum vel aliam rationem impensum est, a domino peti potest, si facto, incendio, ruina, naufragio aut quolibet simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is cui commodata est, nisi forte cum possit rem commodatam salvam facere, suam prætulerit.

CAP. LXVIII. *Res commodata commodanti perit, quando jactura vel detrimentum venit ex alio usu ad quem commodata fuit.*

(L. *Si ut certo.* § *Sed interd.*) Si servum vel equum, vel quamcunque aliam rem aliquis ab altero ad usum tantum serviendi commodatam susceperit, et eos ad pugnam vel ubi vitæ periculum incurrant, induxerit, ad redditionem commodatæ rei merito a domino retinetur.

CAP. LXIX. *Contractus factus tantum gratia tradentis perit ejus periculo.*

(L. *Si ut certo*, n. *Vidend.*, et l. *Rogasti*, vers. *Quemad.*) Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque crediderit, et dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Cæterum, si rem acceptam, non rogante domino, sed permittente eo qui acceperit, dum velit venumdare, perdiderit, sibi rei peditæ ingerit detrimentum. Creditor si sine conditione pignus sibi depositum tenens, ter debitorem suum convenerit, ut, soluto debito, pignora sua recipiat. Quod si debitor noluerit post tres admonitiones soluto debito pignora recipere, creditor detrahendi pignoris liberam habebit potestatem. Si alienum animal cuicunque damnum intulerit aut alicujus fructus læserit, dominus ejus aut æstimationem damni reddat, aut animal tradat. Quod etiam de cane similiter statutum est. Et qui irritatu suo feram bestiam vel quamcunque aliam quadrupedem in se proritaverit, eaque damnum dederit, neque in ejus dominum, neque in custodem actio datur.

CAP. LXX. *Fidejussores omnes et singuli ad solvendum tenentur, cum obligatus non solvit.*

(L. *Inter Fidejus.* § *Si plures*; et ex *Adrian.* ep.) Cum multi fidejussores exstiterint, etiamsi ad solvendum quæ promiserunt, probentur idonei, et possent omnes in solidum teneri, tamen restitutio debiti et inter eos dividenda est, ut unusquisque id quod cum proportione sua contingit exsolvat. Quicunque falsam monetam percussisse comprobatus est, manus ejus amputentur, et qui hoc consentit, si liber est, LX solidos componat; si servus, LX ictus accipiat. Apud quem scelus agnoscitur et pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos nominare cogatur. Quod si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Filio vel hæredi contra priorum justam aut legitimam diffinitionem venire non liceat, quia juste repellitur præsumptio illius qui facta seniorum injuste conatur irrumpere, non solum ille qui furtum fecerit, sed etiam quicunque conscius fuerit, vel furto oblata sciens suscepit, in numero furantium habeatur, et simile vindictæ subjaceat.

CAP. LXXI. *Non comparetur res nisi certioratum sit de probitate vendentis, vel hujusmodi aliis.*

(L. *Civile.* c. *De furt.*, et l. *Major.*, c. *De fals.*) Nullus comparet caballum, bovem aut jumentum, vel aliquod animal, nisi illum hominem cognoscat qui eum vendiderit, et de quo est, et ubi manet, et quis est ejus senior.

CAP. LXXII. *Damnum ex casu plus minusve cadit in dominum rei id inferentis.*

(C. *Si bos*, extr. *De injur. et dam. dat.*) Si bos alicujus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit, vendet bovem vivum, et dividet pretium et cadaver. Si vero sciebat dominus ejus quod bos vitiosus erat et noluit custodire, reddat bovem pro bove, et cadaver integrum accipiat (*Exod.* XXI).

CAP. LXXIII. *Fur reddat etiam quintuplum furti pretium.*

Qui furatus fuerit bovem, v boves pro uno restituat, et quatuor oves pro una.

CAP. LXXIV. *Non occiditur fur diurnus sine culpa, sed nocturnus.*

(C. *Perfodiens*, extr. *De homicid.*, et l. *Itaque*, § *Lex* ad l. *Aquil.*) Si effregerit fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussus non erit reus sanguinis. Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit.

CAP. LXXIV. *Fur etsi infima deprædetur optima restituat.*

Si læserit quisquam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum ut depascatur alienam, quidquid optimum habuerit in vinea vel agro, pro damni æstimatione restituat.

CAP. LXXV. *Incendiarius tenetur de damno proveniente ex incendio.*

Si egressus ignis invenerit spicas, et comprehenderit acervos frugum sive stantes segetes in agris, reddat damnum qui ignem succenderit.

CAP. LXXVI. *Quædam rerum dominia acquiruntur jure naturali, quædam jure civili.*

Institut. 52, tit. 1.

Feræ bestiæ, volucres, et pisces, et omnia animalia quæ in terra, mari cœloque nascuntur simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, nec interest feras bestias, et volucres utrum in suo fundo quisque capiat an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur venandi aut occupandi vel alterius gratia, potest a domino, si is præviderit, prohiberi ne ingrediatur. Quidquid autem eorum ceperis eo usque tuum intelligitur esse, donec tua custodia coercetur. Cum vero evaserit custodiam tuam, et in naturalem libertatem se receperit, tuum esse desiit, et rursum occupantis fit. Naturalem autem liberta-

Introdusă în format electronic de Google

tem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo ut difficilis sit ejus persecutio. Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, ut capi possit statim tua esse intelligatur. Quibusdam placuit tuam esse, et eo usque tuam videri donec eam persequaris. Quod si desieris persequi, desinit tua esse, et rursus fieri occupantis. Alii non aliter putaverunt tuam esse quam si ceperis. Sed posteriorem sententiam non confirmamus, quia multa accidere solent ut eam non capias.

Apium quoque natura fera est. Itaque quæ in arbore tua considerint, antequam a te in alveo includantur, non magis tuæ esse intelliguntur quam volucres quæ in arbore tua nidificant. Ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Favos quoque si quos effecerint, quilibet eximere potest. Plane integra re si provideris ingredientem in fundum tuum, potes eum jure prohibere ne ingrediatur. Examen quoque in alveo tuo eo usque tuum intelligitur, donec in conspectu tuo est, nec difficilis ejus persecutio est, alioquin occupantis fit. Pavonum et columbarum fera natura est, nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine avolare et recedere solent. Nam et apes id faciunt quarum constat feram naturam esse. Cervos quoque ita quidam mansuetos habent, ut in silvas ire et redire solent, quorum et ipsorum feram esse naturam nemo negat.

In his autem animalibus quæ ex consuetudine adire et redire solent, talis regula comprobata est, ut eo usque tua esse videantur donec animum revertendi habeant. Nam cum animum revertendi desierint, etiam tua esse desinunt, et sunt occupantium. Revertendi autem videntur animum desinere habere, cum revertendi consuetudinem deseruerunt.

Gallinarum et anserum non est fera natura, idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ quas feras vocamus.

Item, alii anseres quos feras appellamus. Ideoque si anseres tui vel gallinæ tuæ aliquo casu turbati turbatæque evolaverint, licet conspectum *tuum effugerint*, quocunque tamen loco sint, tui tuæque esse intelliguntur : et qui lucrandi animo ea animalia retinet, furtum intelligitur committere.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, ET DE POTESTATE LIGANDI ATQUE SOLVENDI.

CAP. LXXVII. *Potestatem ligandi atque solvendi D. Petrus Clementi tradit.*

Clemens ad Jacobum.

Clementi trado, ait beatus Petrus, a Domino mihi traditam potestatem ligandi atque solvendi, ut de omnibus quodcunque decreverit in terris, hoc decretum sit et in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, et solvet quod expedit solvi, tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam noverit. Item : O Clemens, omnes cum tanta reverentia tua verba suscipiant, ut sciant te legem esse prædicatione veritatis, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlo : et quodcunque solveris super terram, etiam ibi esse solvendum, quoniam quidem, ut dixi, quæ oportet, ligabis, et quæ expedit solves.

CAP. LXXVIII. *Cujus vita officio non congruit, alios ligatos absolvit.*

Gregor., hom. 26 sup. Evang.

(11, q. 3, c. *Plerumque.*) Plerumque contingit ut judicis locum teneat, cujus ad locum minime concordat vita, ac sæpe agitur ut vel damnet immeritos vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis ac ligandis subditis, suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur pastor.

CAP. LXXIX. *Ligandi solvendique potestate se privat qui hanc injuste exercet.*

Greg., ex hom. eadem.

(11. q. 3, c. *Ipse lig.*, et c. *Plerumque.* § *Unde fit.*) Unde fit ut ipse ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus et non pro subjectorum moribus exercet : sæpe fit ut erga quemlibet proximum, odio vel gratia moveatur pastor.

CAP. LXXX. *De eod.*

Gregor., ex hom. eadem.

(11, q. 3, c. *Judicare* et c. *Plerumque.* § *Judicare.*) Judicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Unde recte per prophetam dicitur : *Mortificant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat : et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere nititur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi et solvendi potestas est exercenda; videndum quæ culpa præcessit, quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sententia pastoralis absolvat.

CAP. LXXXI. *Non est vera præsidentis absolutio, nisi sequatur arbitrium interni judicis.*

D. Greg., hom. 56 sup. Evang.

(11, q. 3, c. *Tunc vera.*) Tunc illa vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis, quod bene quatriduani Lazari illa resuscitatio designat quæ videlicet demonstrat, quia mortuum Dominus vocavit et vivificavit dicens : *Lazare veni foras* (*Joan.* XI); et postmodum is qui vivus fuerat egressus, a discipulis ejus est solutus sicut scriptum est : Cumque egressus esset, qui fuerat ligatus, Jesus tunc dixit discipulis : *Solvite eum, et sinite abire* (*ibid.*). Ecce illum discipuli jam

Introdusă în format electronic de Google

viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuus. Si enim discipuli mortuum solverent, factorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione nobis intuendum est quod illos non debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum per resuscitantem gratiam scimus vivificare, quæ nimirum vivificatio ante rectitudinem operis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde et huic ipsi mortuo nequaquam dicitur, revivisce, sed *Veni foras*. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsus latens in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur : *Veni foras*, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras vero per confessionem egredere qui apud te per conscientiam interius lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator; venientem vero ita solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit qui non erubescit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breviter dixerim ut sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant vel ligare.

CAP. LXXXII. *Sancti viri non ex voto ultionis, sed amoris justitiæ aliqua maledicunt.*

Gregor., *Moral.* l. IV, c. 6.

(24, q. c. *Cum sancti.*) Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine prorumpunt. Intus subtile judicium aspiciunt, et mala foris surgentia qua maledictione ferire debeatur cognoscunt, et eo maledicto non peccant quo ab interno judice non discordant. Item, Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, et aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, ut ipso primo homine peccante probatum est, cum audivit : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III), et cum Abrahæ dicitur : *Maledicentibus tibi maledicam* (*Gen.* XII). Rursum quia vero aliter maledictum non judicio justitiæ profertur, sed livore vindictæ punitur, a quo voce Pauli prædicantis cessare admonemur qui ait: *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* XII).

CAP. LXXXIII. *Injusta vincula disrumpet justitia.*

August., serm. 16, sec. Matth.

(11, q. 3, c. *Cœpisti.*) Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas eum in terra, sed ut juste alliges vide. Nam injusta vincula disrumpit justitia; cum autem correxeris et concordaveris cum fratre tuo, solvisti eum in terra, solutus erit et in cœlo.

CAP. LXXXIV. *Apud Deum maledicitur qui moribus dissonam profert sententiam.*

Hieron. sup. Epist. ad Philem.

(11, q. 3, c. *Si quis dixerit.*) Si quis dixerit justum injustum, et rursus injustum justum, abominabilis est uterque apud Deum. Similiter qui sanctum dicit non esse sanctum, et rursum non sanctum asserit sanctum, abominabilis apud Deum est.

CAP. LXXXV. *Hieronymus super Matthæum*, l. III.

Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis (*Matth.* XVI). Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non scientia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Leginus in Levitico de leprosis ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus : *Et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi, mundi fiant* (*Levit.* XIII). Non quod sacerdotes immundos faciant, sed quod habeant notitiam de leprosis et possunt discernere quis mundus immundusve sit.

CAP. LXXXVI. *Sententia pastoris, reum vel innocentem non constituit vel facit.*

Hieron. in Matth. c. XVI.

(11, q. 3, c. *Quomodo sacerdos.*) Quomodo ergo leprosum sacerdos mundum non facit, sic episcopus vel presbyter non eos qui insontes sunt, nec solvit noxios, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus sit, quis solvendus.

CAP. LXXXVII. *Aug. super Joannem*, part. I, tract. 10, l. IV, c. *Cum.*

Cum excommunicat Ecclesia in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliat Ecclesia, in cœlo solvitur reconciliatus.

CAP. LXXXVIII. *Vincula ecclesiastica non sunt contemnenda.*

Chrysost. sup. Epist. ad Hebr., tract. 4.

(Ex eod., et 11, q. 3, c. *Nemo contemnat.*) Nemo contemnat vincula ecclesiastica. Non homo est qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit, et Dominus fecit homines tanti honoris.

CAP. LXXXIX. *A Deo separamus, quos impios demonstramus.*

Ex V, synod. act. 5, l. IV.

(24, q. 3, c. *Certum est.*) Certum est quod qui impius demonstratus est, omnimodo separatus est a Deo, sicut etiam ille qui anathematizatus est, tanquam impius separatus est. Nihil enim aliud significat anathema, nisi a Deo separationem.

CAP. XC. *Episcoporum cura qualis esse debeat erga injuste facientes, quomodoque eos debeat punire.*

Conc. Meld., c. 3.

Episcopus in cujus parochia aliquis consistens aliquid injuste fecerit, et semel et bis atque tertio, si necesse fuerit, vocabit illum in sua admonitione per suum nuntium canonice ad admonitionem sive compositionem et ad pœnitentiam, ut Deo et Ecclesiæ satisfaciat quam læsit. Si autem despexeri-

Introdusă în format electronic de Google

atque contempserit ejus admonitionem et saluberrimam invitationem, feriat illum pastorali virga, hoc est sententia excommunicationis, ut a communione sanctæ Ecclesiæ omniumque christianorum sit separatus usque ad congruam satisfactionem, et dignam emendationem, quam excommunicationem idem debet episcopus seniori illius notam facere, et omnibus suis coepiscopis, et omnibus suis parochianis, ne eum recipiant usque ad satisfactionem.

CAP. XCI. *Perperam agens admonitus et non correctus, quomodo est puniendus.*

Conc. Rothom., c. 3.

Noverit charitas vestra, fratres charissimi, quod quidam vir, nomine N., diabolo suadente, postponens Christianam promissionem quam in baptismo confessus est, per apostasiam conversus post Satanam cui abrenuntiavit, et omnibus pompis ejus, vineam Christi, id est Ecclesiam ejus devastare non pertimescat, pauperes Christi quos pretioso sanguine suo redemit, violenter opprimens et interficiens et bona eorum diripiens, misimus ad eum presbyterum nostrum et litteras commonitorias semel et iterum atque tertio, invitantes eum canonice ad emendationem, et ad satisfactionem et pœnitentiam corripientes eum paterno affectu. Ait enim Dominus in Evangelio : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum* (*Matth.* XVIII). Frater in unum quemque peccat, qui in sanctam Ecclesiam peccat. Si enim sancta Ecclesia unum corpus est, cujus caput est Christus, singuli autem sumus alter alterius membra, et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; procul dubio in nos peccat, qui membra nostra lædit. Jubet ergo Dominus ut frater, id est Christianus in nos peccans, prius secrete corripiatur. Quod si has tres commonitiones et pias correctiones contemnit, et satisfacere despicit, et post hæc, inquit : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*ibid.*); id est gentilis atque paganus, ut jam non pro Christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco, membrum quod a sua compage resolvitur, et a junctura charitatis dissociatur, et omne corpus quod scandalizat, Dominus et abscindi et projici jubet dicens : *Si oculus, manus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* (*ibid.*). Et Apostolus : *Auferte*, inquit, *malum a vobis* (*I Cor.* v). Et iterum : *Si quis frater nominatur et est fornicator aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere licet* (*ibid.*). Et Joannes electus præ cæteris Christi discipulus, talem nefarium hominem salutare prohibebat dicens : *Nec ave ei dixeris, nec eum in domo tua recipias. Qui enim ei ave dicit, communicat operibus ejus malignis* (*II Joan.* x). Dominica itaque et apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum et insanabile quod medicinam non recipit ferro excommunicationis a corpore Ecclesiæ abscindamus, ne tam pestifero membro, membra reliqua corporis veneno interficiantur.

CAP. XCII. *Excommunicationis forma et verba quibus quis declarari debet excommunicatus.*

Conc. Aurel.

Dominicis igitur et apostolicis informati præceptis, judicio Patris et Filii Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, et auctoritate et potestate apostolorum et eorum successoribus a Deo concessa, una vobiscum prædictum virum a liminibus sanctæ Ecclesiæ matris excludimus, et a bonorum societate et a communione Christiana separamus, et separatum esse in æternum decernimus, id est in præsenti sæculo et in futuro. Nullus ei Christianus ave dicat, aut eum osculari præsumat. Nullus presbyter missam cum eo celebrare audeat, vel sacrosanctum corpus et sanguinem Domini tradere. Nemo ei jungatur in consortio, neque in aliquo negotio. Et si quis ei se sociaverit et communicaverit ejus operibus *malignis, noverit* se simili percussum anathemate, *his exceptis qui ob* hanc causam ei junguntur ut eum revocent ab errore et provocent ad satisfactionem, nisi forte resipuerit, et, Dei gratia inspirante, ad pœnitentiæ remedium fuerit conversus, et digna emendatione Ecclesiæ Dei quam læsit, humiliter satisfecerit.

CAP. XCIII. *Quibus culpis exigentibus aliquis sit communione privandus.*

Conc. Meld., c. 3.

(11, q. 3, c. *Nemo episc.*) Ut nemo episcoporum quemlibet sine certa et non manifesta peccati causa communione privet ecclesiastica. Sub anathemate autem sine conscientia archiepiscopi aut coepiscoporum, nullum præsumat ponere, nisi unde canonica docet auctoritas, quia anathema est æternæ mortis damnatio, et nonnisi pro mortali debet irponi crimine, et illi qui aliter non poterit corrigi.

CAP. XCIV. *Qui communicat cum excommunicatis, excommunicatus est.*

Calixtus papa episcopis Gall.

(11, q. 3, c. *Excommunicatos.*) Excommunicatos quoque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis oratione aut cibo vel potu, vel osculo communicet, nec ave eis dicat, quia quicunque in his vel in aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverint, juxta apostolorum institutionem et ipsi simili excommunicationi subjaceant.

CAP. XCV. *Excommunicatus est qui excommunicatis communicat.*

Fabianus papa, ep. 2.

(11, q. 3, c. *Sicut apostoli.*) Cum excommunicatis non communicandum. Et si quis cum excommunicato communicaverit avertendo regulas, scienter saltem in domum simul locutus fuerit vel oraverit, ille communione privetur.

CAP. XCVI. *De eod.*

Ex Martini Canon. ad laic.

(11, q. 3, c. *Cum excom.* et *Qui commun.*) Non

Introdusă în format electronic de Google

liceat communicare excommunicatis, nec in domos eorum introeuntes orare cum eis. Si autem aliquis episcopus vel presbyter, aut diaconus aut quilibet ecclesiasticus, excommunicatis communicaverit, quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam, excommunicetur.

CAP. XCVII. *Qui de clero communicant cum excommunicatis a communione priventur.*

Conc. Antioc. c. 2.

(Extr. de *Sent. excommun.*, et c. *Signif.*) Si quis de episcopis aut presbyteris, aut diaconis, seu quilibet ex clero fuerit deprehensus cum excommunicatis communicare, etiam ipse privetur a communione tanquam qui regulam confundit Ecclesiæ.

CAP. XCVIII. *Excommunicationis contrahit pœnam qui excommunicatis communicat.*

Conc. Carth. II, c. 7.

(11, q. 3. c. *Qui merito.*) Qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo episcopo aut presbytero fuerint in communione suscepti; et ipsi eisdem teneantur obnoxii refugiendo sui episcopi regulare judicium.

CAP. XCIX. *De eod.*, c. *Qui communicaverit.*

Ex conc. Carthag. IV, c. 73.

(11, q. 3, c. *Qui communicaverit.*) Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, si laicus, excommunicetur; si clericus, deponatur.

CAP. C. *Excommunicatus ab uno episcopo, ab altero in communionem recipi non debet.*

Conc. Sancen., c. 15.

Sive diaconus, sive presbyter, sive quis clericorum ab episcopo suo fuerit communione privatus, et ad alterum perrexerit episcopum, et scierit ad quem confugit, eum ab episcopo suo fuisse abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat; quod si fecerit, sciat se convocatis episcopis causam esse dicturum.

CAP. CI. *A suo episcopo excommunicatus non est ab alio recipiendus.*

Conc. Antioch. c. 6.

(11, q. 3, c. *Si quis a proprio episc.*) Si quis a proprio episcopo communione privatus est, non ante recipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur episcopo, aut certe ad synodum quæ congregatur accurrens, pro se satisfaciat.

CAP. CII. *De his qui tempore suæ excommunicationis communicare præsumunt.*

Nicolaus Epiphanio episc. in conc. Afric.

(11, q. 3, c. *Placuit.*) Sancimus ut si quis pro aliquo neglectu et crimine a proprio excommunicatus episcopo fuerit, ab alio episcopo non communicetur. Si vero ante audientiam communicare præsumpserit, damnationis suæ illatam cognoscat sententiam.

CAP. CIII. *De eod.*

Canon. apost. c. 11, et Isidor.

(11, q. 3, c. *Cum excommun.*) Si quis cum excommunicato saltem in domo locutus fuerit vel oraverit, ille a communione privetur.

CAP. CIV. *Quæ, si pœnitentia sacerdotum, qui excommunicati sacrum mysterium contingere præsumunt.*

Joan. VIII clero et ord. Salernit.

(11, q. 3, c. *De illis presbyteris.*) De illis presbyteris qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri domni papæ Nicolai excommunicati sacrum mysterium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis, sicut sacri canones statuunt, sententiam ita intulerunt, tamen quia miseratio apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut sancta communione saginati studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni tempore, secunda et quarta et sexta feria, aut a vino aut a carne penitus jejunare, et ultra lugenda nequando convenittere.

CAP. CV. *Schismatici sunt qui ab excommunicatis sacramenta accipiunt.*

Si ab his quos excommunicatos habeamus, sacramenta quæcunque accipitis, constat quod idololatriam non ut Catholici cæteri, sed ut schismatici efficeremini, dereliquisse videmini.

CAP. CVI. *De his qui cum excommunicatis communicant.*

Nicolaus Ignaro archiep. Rem.

(11, q. 3, c. *Excell. rex Car.*) Excellentissimus rex Carolus apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his qui communicant cum his qui cum Engeldrude, sæpe damnata femina communicant, quin eam cum communicatoribus et fautoribus suis pari vinculo anathematis constat astrictam. Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate freti curam de his sumere studeatis, et quia docta divinitus sanctitas tua, valde novit aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur; istudque posterius duobus prioribus strictius esse puniendum, idcirco solerter invigilet et cauta discretione dijudicet modos, quatenus hi qui ex necessitate vel ignorantia delinquunt auctoritate nostra per te absolvantur. Si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera et non simulata, vel non ex voluntate processerit, quia ut bene nosti, plerique sunt qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse. Unde Psalmista de hujusmodi: *Noluit*, inquit, *intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV). Illos autem qui studio suo obligantur, et contempta nostra interdicta postponunt, nonnisi digna satisfactione præveniente volumus a te prorsus absolvi.

CAP. CVII. *Pro modo peccati puniantur, qui excommunicatis communicant.*

Urbanus II, Genebaldo Constant. episc.

(11, q. 3, c. *Sanctis quippe.*) Sanctis quippe canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. Ipsius tamen pœnitentiæ atque absolutionis modos eo moderamine decernimus, ut quicunque seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negotii cujusquam maximi et maxime necessarii, seu convictu et salutatione, oratione vel osculo contaminaverit, cum

Introdusă în format electronic de Google

minoris pœnitentiæ medicina societatis nostræ participem sortiantur. Eos vero qui sponte, aut spontaneæ, aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ coercitione suscipi, ut cæteris metus incutiatur.

CAP. CVIII. *Regum et principum patres et magistri sacerdotes esse censentur.*

Gregorius ad Hermanum Metens. episc.

(Dist. 96, c. *Quis dubitet.*) Quis dubitet sacerdotes Christi et regum et principum omniumque fidelium patres magistros censeri. Nonne miserabilis esse insaniæ cognoscetur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlo se ligari posse, et solvi. Hæc sic beatus Gregorius in epistola ad Mauritium imperatorem directa commemorat. Constantinus magnus imperator, omnium regum et principum totius fere orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta Nicæna synodo post omnes episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam super eos dare præsumpsit, sed etiam illos dominos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ad illorum pendere arbitrium judicavit. Supradicto quoque Anastasio prælibatus papa et Gelasius persuadens ne illam intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur injuriam, subintalit dicens :

CAP. CIX. *Auctoritate sacra pontificum et regali potestate hujus mundi gubernacula reguntur.*

(Dist. 95, c. *Duo quippe.*) « Duo sunt quippe, imperator et Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt rationem examine. » Et paucis interpositis, inquit : « Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Talibus ergo institutis talibusque fulti auctoritatibus, plerique pontifices, alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Arcbadium imperatorem quia consensit ut sanctus Joannes Chrysostomus a sede sua pelleretur, excommunicavit. Alius autem Romanus pontifex regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, et Pipinum Caroli imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis absolvit : quod etiam ex frequenti auctoritate agit sancta Ecclesia, cum milites absolvit a vinculo juramenti quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius licet sanctus non tamen universalis Ecclesiæ episcopus, pro culpa quæ aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium magnum imperatorem excommunicans ab Ecclesia excludit. Qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quia regia potestate sit altior sacerdotalis gradus, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens : « Honor, « fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit « comparatis omnibus adæquari. Si regum fulgori « compares et principum diademati, longe erit in- « ferius quam si plumbi metallum ad auri fulgo- « rem compares. Quippe cum videas regum colla « et principum submitti genibus sacerdotum, et « osculata eorum dextera orationibus eorum cre- « dant se communiri. » Et post pauca : « Hæc cun- « cta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cogno- « scere, ut ostenderemus nihil in hoc sæculo ex- « cellentius sacerdotibus, nil sublimius episcopis « reperiri. » Nonne, sicut ait beatus Gregorius, recordandæ memoriæ Julius papa, tunc contra Theodoram, tunc contra Augustam damnationis promulgavit sententiam. Sic quoque Caribertus Parisiorum rex cum Theobergam legitimam uxorem suam reliquisset, et duas sorores Metroflidem et Marcovenam in uxores duxisset, a beato Germano Parisiorum episcopo excommunicatus est, et cum resipiscere nollet, non multo post divino judicio defunctus est.

CAP. CX. *Excommunicatis vinculo fidelitatis non tenemur obnoxii.*

Gregor., VII synod. Rom.

(15, q. 6, c. *Nos sanctorum.*) Prædecessorum nostrorum statuta sequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a juramento absolvimus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant, et ne eis fidelitatem observent, prohibemus.

CAP. CXI. *Antequam reconcilientur, fidelitatem excommunicatis nullus servare cogitur.*

Urbanus VII episc. Vap. et Diens.

(15, q. 6, c. *Juratos.*) Juratos milites Hugoni militi, ne ipsi quando excommunicatus est, serviant prohibere. Quod si sacramenta prætenderint, moneantur oportere Deo magis servire quam hominibus : fidelitatem enim quam Christiano principi juraverint, Deo ejusque sanctis adversanti, et eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur auctoritate persolvere.

CAP. CXII. *Pro his tribus criminibus quilibet communione privetur.*

Conc. Trib. c. 30.

(11, q. 3, c. *Certum.*) Quæsitum est in eadem synodo pro quibus causis quemlibet hominem episcopali auctoritate vinculo anathematis ligari oporteat. Atque unanimi cunctorum sententia decretum est, pro his tribus criminibus fieri debere, cum ad synodum canonice jussus venire contempserit, aut postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis; aut ante finitam causæ suæ examinationem, a synodo profugus abire præsumit.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CXIII. *Quidquid Domino consecratur, ad jus pertinet sacerdotis.*

Ex Decret. Bonifacii pap., c. 5.

(12, q. 7, c. *Nulli liceat.*) Nulli liceat ignorare omne quod Deo consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et ad jus pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis qui a Domino et Ecclesia cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, usque ad emendationem Ecclesiæque satisfactionem ut sacrilegus dijudicetur. Et si enim dare noluerit, excommunicetur.

CAP. CXIV. *Qui oratoribus pauperibus non arma ferentibus in malum obviaverint, excommunicentur.*

Ex Decret. Nicolai, c. 16.

(22, q. 3, c. *Illi qui peregrinos.*) *Nicolaus papa Romanus episcopis omnibus.* Illi qui peregrinos vel oratores cujuscunque sancti, sive clericos, sive monachos, vel feminas aut inermes pauperes deprædati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obviaverint, anathematis vinculo feriantur, nisi digne emendaverint. Pax vero illa quam treugam olim dicimus sic observetur, sicut ab archiepiscopis, episcopis unicujusque provinciæ constituta est. Qui autem eam infregerit, excommunicationi subjiciatur. Hæc igitur hujusmodi quidquid in sacris canonibus habetur authenticum sancta præfata synodus fore censuit observandum.

DE HÆRETICIS POST MORTEM EXCOMMUNICANDIS VEL NON.

CAP. CXV. *Hæretici etiam post mortem sunt excommunicandi.*

Synod. v, act. 1.

(24, q. 2, c. *Sane secundo in prin.*) Sane profertur a quibusdam qui dicunt non oportere post mortem hæreticos anathematizari, et sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum viventes hæreticos condemnaverunt, sed etiam mortuos sicut eos qui injuste damnati sunt, revocaverunt post mortem, et in sacris dipticis scripserunt, quod factum est in Joanne et in Flaviano religiosis episcopis Constantinopolitanis.

CAP. CXVI. *De eod.*

Synod. ead. act. v, et August.

(24, q. 2, c. *Sane secundo.* § *Etsi forte.*) Si forte isti libri ita designant traditorem suum, sicut Dominus designavit Judam, legatur in eis nominatim et expresse vel Cecilianum vel ejus ordinatores eorumdem librorum fuisse traditores et nisi eos anathematizavero, ipse cum eis judicer tradidisse. Quæ modo recitata sunt, Augustinus sanctæ memoriæ convenienter statuit teneri ab initio in Ecclesia. Impium enim dogma jam culpatum est et condemnatum, et eos qui tali dogmati obnoxii sunt anathematizari vult Ecclesiæ traditio, licet mortui essent; ideo et sanctæ memoriæ Augustinus dixit: « Si modo convinceretur Cecilianus de his quæ inferuntur ei, etiam post mortem illum anathematizo. » Item: « Multi episcopi congregati sunt. Et quædam de diversis causis ad ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes de ipsis statuerunt defunctis qui facultates suas hæreticis relinquunt, ita ut et post mortem anathemati subjiciantur. » Sunt autem et sancti Augustini sanctæ memoriæ epistolæ dicentes quod, si in vita sua non recte sapuerunt, licet non condemnati fuissent adhuc viventes, tamen demonstrato peccato isti et post mortem anathemati subjiciantur. Item: « Et si vera sunt quæ Ceciliano objecta sunt, et nobis aliquando possent monstrari, ipsum mortuum anathematizaremus. » Item: « Dicis licere mihi etiam de mortuis judicare, quia judicium non tantum de vivis, sed etiam de mortuis fieri potest. » Item: « Rambula sanctæ memoriæ episcopus factus Edissenæ civitatis, qui in sacerdotibus resplenduit, Theodorum Mosothenum etiam post mortem in Ecclesia anathematizavit. » Item: « Etiam Romanorum Ecclesia ante paucos annos Dioscorum qui fuit papa ejusdem Ecclesiæ etiam post mortem excommunicavit, cum nec in fide peccasset, et hoc sciunt omnes homines qui degunt hic, Romani, et maxime qui in dignitatibus existunt, qui etiam ejusdem Dioscori communicatores permanserunt usque ad ejus mortem. » Item: « Etiam Origenes si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ vel superius aliquis recurrit, post mortem inveniet anathematizatum. Quod etiam nunc in isto fecit et vestra sanctitas, et Vigilius religiosissimus papa antiquioris Romæ. » Item: « Sancta synodus dixit: « Sufficiunt quæ dicta sunt et prolata ecclesiasticam traditionem demonstrare, quod oportet hæreticos et post mortem anathematizari. »

CAP. CXVII. *Hæretici etiam post mortem sunt excommunicandi.*

Synod. ead., act. IV.

(24, q. 2, c. *Sane.*) Sancta synodus dixit: « Augustini religiosæ memoriæ, qui inter episcopos Africanos splenduit, diversæ epistolæ recitatæ sunt significantes quod oportet et hæreticos post mortem anathematizari. Talem autem ecclesiasticam traditionem et alii Africani reverendissimi episcopi servaverunt, sed et Romana sancta Ecclesia quosdam episcopos etiam post mortem anathematizavit, licet pro fide in vita sua non essent accusati, et utrumque apud nos habita gesta significant. »

Introdusă în format electronic de Google

CAP. CXVIII. *Non possunt ab Ecclesia solvi post mortem, qui in hac vita ab ea noluerint absolvi.*

Leo Rustico Narbon. episc., ep. 90.

(24, q. 2, c. *De communione.*) De communione privatis et ita defunctis horum causa de judicio observanda est, in cujus manu fuit ut talium obitus non usque ad communionis remedium differrentur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

CAP. CXIX. *Ecclesia viventes potest ligare vel solvere, non autem mortuos.*

Gregorius papa Fausto milit. magist.

(24, q. 11, c. *Legatur.*) Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore absolvisse non legimus. Et qui hoc tantum faciendi solus habuit potestatem, beato Petro apostolo principaliter mandat: *Quæcunque ligaveris super terram, erit,* etc. (*Matth.* XVI.) Super terram, inquit, nam in alligatione defunctum nunquam dixit absolvendum.

CAP. CXX. *Non respuatur ejus oblatio, qui festinans ad pœnitentiam sacerdotem invenire non potuit.*

Conc. Epanens. c. 11.

(26, q. 6, c. *Ad pœnitent.*) Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam confessus sit, et testimonium habet bonum, et non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, et dent redemptionem pro captivis.

CAP. CXXI. *A successore solvatur, qui post mortem episcopi remanet ligatus.*

Conc. Epanens.

(11, q. 3, c. *Si episcopus.*) Si episcopus ante damnati absolutionem, obitu rapitur, correptum aut pœnitentem, successori licebit absolvere.

CAP. CXXII. *Non est deneganda communio his qui in patibulis suspenduntur.*

Conc. Vormat.

(13, q. 2, c. *Quæsitum.*) Quæsitum est ab aliquibus fratribus, de his qui in patibulis suspenduntur, pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, A utrum cadavera illorum ad ecclesias referenda sint, et oblationes pro illis offerendæ sint, et missæ celebrandæ an non? Quibus respondemus, si de omnibus peccatis suis puram confessionem agentibus et digne pœnitentibus communio in fine secundum canonum præcepta danda est, cur canones communionem vel sepulturam interdicant eis qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt, et confitentur et confiteri desiderant. Scriptum est enim: *Non judicat Deus bis in idipsum* (*Nahum.* I, 9 just. LXX).

CAP. CXXIII. *Non oportet ab eorum eleemosynis post mortem abstinere, cujus in via communicare non destituimus.*

Urbanus Julimundo episc.

B (24, q. 2, c. *Sane primo.*) Sane quod super Ricardo Borelli filio, vestram egisse fraternitatem innotuit pro zelo Dei et animarum charitate, laudamus. Sed non est adeo vobis timendum, non adeo vobis est ab ejus eleemosynis abstinendum. Inter cæteros quippe nostræ fidei Patres beatus Leo doctor egregius quibus, inquit, vivis non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Constat ergo quoniam quibus vivis (ut ex opposito loquamur) communicavimus, mortuis quoque communicare possimus. Nos plane inter duo oppugnantia positi, inter impios quidem et schismaticos, schismaticis nullo modo communicare possumus, istis autem, videlicet peccatoribus et prædonibus dispen-
C sative propterea communicamus, quia hactenus Ecclesiam sustentaverunt, et se fideliores in posterum pollicentur. Alioquin oportet nos de hujus mundi partibus exire, sub qua etiam sponsione nos eis nuper in beati Petri Natalitiis absolutionem indulsimus. Quia ergo prædictus vir neque nominative excommunicatus, neque communicans excommunicatis ex nomine exiit, sed in Domini sui fide atque servitio permansit, licet nobis ejus dispensative, id est quandiu eos nos patimur, eleemosynis communicare, et defuncti animam Christianæ religionis omnibus modis adjuvare.

DE LICITA ET ILLICITA EXCOMMUNICATIONE.

CAP. CXXIV. *Qua pœna feriatur qui illicite aliquem excommunicat.*

Conc. Paris. sub Ludov.

D (24, q. 3, c. *De illicita.*) De illicita excommunicatione, lex Justiniani Catholici imperatoris, quam probat et servat Ecclesia catholica, constitutione 123, capitulo 300, libro I, decrevit ut nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hæc fieri jubent. Si quis autem adversus eum aliquem excommunicaverit, ille quidem qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate, ad gratiam sanctæ communionis redeat. Is autem qui non legitime excommunicaverit, in tantum abstineat a sacra communione tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut quod injuste fecerit, ipse juste patiatur. Et hinc sanctus Gregorius ad Joannem episcopum injuste excommunicantem inter cætera scripsit dicens: « Conatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus 30 dierum spatio sacra te communione privatum, ab omnipotente Deo tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te agnoverimus implesse remissius, non jam tantum

Introdusă în format electronic de Google

injustitiam, sed et contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, juvante Domino, severius puniendam, quia nemo propere vel præpostere, scilicet non commonitus, neque convictus est judicandus. » De conventione ante hujusmodi patratoris manifestorum criminum lex dicit : « Quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus vel tribus edictis fuerit ad judicem provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam exstinguit, fuerit vocatus, et præsentiam suam apud eum judicem a quo ei denuntiatum est, exhibere noluerit, adversus eum quasi in contumacem judicari potest, quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum. » Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conventus ex evangelica veritate Cœlestinus ad Nestorium scribens, et Ephesina synodus de eodem decernens, et beatus Gregorius ad Joannem scribens comprobat. De proprio scripto, Africanum concilium monstrat de Cresconio ut se conventus resipiscere detractaverit, suo contemptu et contumacia faciente, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Et item, beatus Gregorius de sententia judiciaria, in contumacem scribens, ad Maximum præsumptorem Salonitanum episcopum dicit : « Hortamur ut ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus servata justitia, hæc de quibus accusaris cognoscere et finire secundum canonica instituta, Christo revelante, possimus. Ita autem fac ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras, nec ipsa te absentia magis obnoxium his quæ dicuntur assignet, et nos in te hæc res non solum propter dicta crimina, quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam durius scilicet ut in contumacem cogat ex concilio ferre judicium. »

CAP. CXXV. *De his qui sine culpa cum excommunicatis communicant.*

Ex Decret. Gregor. VII.

(11, q. 3, c. *Quoniam multos.*) Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam, prout possumus, ad tempus temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, filios, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos et servientes, et omnes alios qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos qui ignoranter excommunicatis communicant. Quicunque autem aut orator aut peregrinus sive viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non per sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa dare voluerit, non prohibemus.

CAP. CXXV. *Pro peccato patris non est filius anathematizandus.*

Augustinus ad Auxilium episc., ep. 75.

(24, q. 3, c. *Si habes.*) Si habes de hac re sententiam certis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos docere digneris quomodo recte anathematizatur pro patris peccato filius, aut pro mariti peccato uxor, aut pro domini servus, aut quisquam in domo nondum etiam natus, si eo tempore quo universa domus anathemate obligata nascatur, ne ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri. Hæc enim corporalis est pœna qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus qui ejusdem impietatis participes fuerunt pariter interfectos. Tunc quippe ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur quandoque etiam moritura. Spiritualis autem pœna quæ fit quod scriptum est : *Quæ ligaveris super terram erunt ligata et in cœlis* (*Matth.* XVI), animas obligat de quibus dictum est : *Anima patris mea est; et anima filii mea est; anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Audistis fortassis aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium, forte autem si fuissent interrogati, reperirentur idonei inde reddere rationem. Ego autem si quis ex me quæsierit utrum recte fiat, quid ei respondeam non invenio. Nunquam hoc facere ausus sum de quorumdam facinoribus unanimiter adversus Ecclesiam perpetratis, nisi gravissime commoveret. Item, quomodo possumus vel Deo, vel hominibus justam reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno quod non trahunt, sicut ex Adam in quo omnes peccaverint originale peccatum spirituali supplicio puniamus? Etenim Classiani filius, etsi traxit ex patre noxam primi hominis, sacro fonte baptismatis expiandam, tamen quidquid postea qui eum genuit pater admisit peccati, ubi particeps iste non fuit, non ad eum pertingere quis ambigat? Quid dicam de conjuge? quid dicam de tot animabus in universali familia?

CAP. CXXVII. *Qui injuste est dejectus, potest interpellare proximos episcopos.*

Conc. Sard. c. 17.

(11, q. 3, c. *Si episcopus forte.*) Si quis episcopus forte iracundus quod esse non debet, cito et aspere commovetur adversus presbyterum, sive diaconum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem, et ideo habet potestatem is qui abjectus est, ut episcopos finitimos interpellet, et causa audiatur et diligentius pertractetur, quia non oportet ei negari audientiam. Et ille episcopus qui juste aut injuste eum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut probetur sententia ejus a plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter et feliciter examinentur; cum qui fuerit a communione privatus, ante cogni-

Introdusă în format electronic de Google

tionem nullus debet præsumere ut communioni A societ.

CAP. CXXVIII. *De episcopis qui innocentes aut minimis causis culpabiles excommunicant.*

(11, q. 3, c. *Episcopi.*) Episcopi si sacerdotali moderamine postposito, innocentes ac minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam baptismatis festinantes recipere fortassis noluerint, a vicinis episcopis cujuslibet provinciæ litteris moneantur, et si parere noluerint, communio illis usque ad tempus synodi a reliquis episcopis denegetur.

CAP. CXXIX. *Illicite si quis excommunicat, semetipsum, non illum condemnat.*

Ex epist. Gregorii Magni episcopo Mediol., l. II.

(24, q. 3, c. *Comperimus.*) Comperimus quod Laurentius quondam frater et coepiscopus noster, nullis in te culpis exstantibus, communione privaverit. Ideoque hujus præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage, et communionem sine aliqua sume formidine.

CAP. CXXX. *Nemo furore commotus quemquam excommunicet.*

Gregorius Maximino Syrac. episc.

Frequenter me admonuisse vos recolo, ut in proferenda sententia esse præcipites nullatenus deberetis. Et nunc ecce cognovi quia reverendissimum virum abbatem Eusebium, commota furore vestra fraternitas excommunicavit, quod ego valde miratus sum.

CAP. CXXXI. *Quæ perturbato animo quis fecit, tranquillo corrigat.*

Augustinus ad Auxilium episc., ep. 75.

Precor ut ignoscas precanti veniam excommunicato, si agnoveris culpam. Si autem nihil eum peccasse prudenter advertis, fac quod sanctum virum facere oportet, ut si tibi contingit tanquam homini qui utique homo dicit in Psalmo : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI), exclames ad Deum : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (*ibid.*), ut porrigat tibi dexteram suam, et comprimat tuam iracundiam, et tranquillet mentem tuam ad videndam faciendamque justitiam : aufer gesta ecclesiastica, quæ perturbatior quam consideratior forsitan fecisti.

CAP. CXXXII. *Vita non sententia quemlibet ligat vel solvit.* D

Rabanus de pressuris eccl., l. I.

(23, q. 3, c. *Non in perpetuum.*) Non in perpetuum damnamur, cum injuste judicamur, dicente Psalmista : *Nec damnabit illum cum judicabitur illi* (*Psal.* XXXVI). Multi denique sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitentur, sed, cum indiscrete hoc agunt, sacrilegii facinus incurrunt; et dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multo magis deterius cadunt.

CAP. CXXXIII. *Excommunicatus alium excommunicare non potest.*

Alexander II Valeriano episc. et mart.

(23, q. 1, c. *Audivimus.*) Audivimus quod Henricus, Ravennas dictus, archiepiscopus nisus sit te excommunicare, quod quia excommunicatus excommunicare non potuit, apostolica auctoritate te tuosque absolvendo mandamus exinde nunquam curare.

CAP. CXXXIV. *Ex quo episcopus fidem Ecclesiæ docet, alium excommunicare potest.*

Nicolaus pap. Michaeli episc.

B (24, q. 1, c. *Ait Cœlestinus.*) Ait Cœlestinus papa Orientalibus episcopis scribens : « *Si quis ab episcopo* Nestorio aut ab aliis qui *eum sequuntur, ex* quo talia prædicare cœperint, vel excommunicatus, vel exutus est, seu antistitis, seu clerici dignitate, hunc in nostra communione durasse et durare manifestum est, nec judicamus eum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum. »

CAP. CXXXV. *Non habentur excommunicati qui ab hæreticis excommunicantur.*

Nicolaus pap. ad clerum Constant.

(24, q. 1, c. *Aperte, inquit.*) Aperte, inquit, sedis nostræ sanxit auctoritas nullum sive episcopum, sive clericum, sive professione aliqua Christianum, C qui a Nestorio vel ejus similibus ex quo talia prædicare cœperunt, vel suo loco, vel communione dejecti sunt, vel ejectum, vel excommunicatum videri. Sed hi omnes in nostra communione fuerunt et hucusque perdurant, quia neminem dejicere vel removere poterat, quæ *prædicans talia* titubabat. Intellexisti, imperator, ex supra memoratis non potuisse, ut non dicamus prælatum suum saltem quemlibet removere qui fuerat olim remotum, nec dejicere quemquam jam ante prostrati.

CAP. CXXXVI. *Audientiam negat, qui excommunicationis suæ causam agere infra annum differt.*

Ex Decret. Gelasii pap., c. 2.

(11, q. 3, c. *Quicunque.*) Quicunque igitur intra anni spatium civiliter sive publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ clausisse aditum videantur; quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illius causam juxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam, divino judicio reservantes, quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

LIBER SEXTUS.

DE NUPTIIS ET MATRIMONIIS.

CAP. I. *Matrimonii definitio.*

Constitutiones, l. II, c. 8.

(29, q. 1, in inst. *De nupt.* in princ., et c. *Illud,* et extr. *De præsent.*) Nuptiæ sive matrimonium est viri mulierisque conjunctio, individuam consuetudinem vitæ continens.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. II. *In diebus Quadragesimæ nuptias celebrare non licet.*

Conc. Hilerd., c. 3.

(33, q. 4, c. *Non oportet.*) Quod non oporteat a Septuagesima usque ad octavas Paschæ et tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Joannis, et ab adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

CAP. III. *De eodem.*

Nicolaus ad consul. Bulg., c. 48.

(33, q. 4, c. *Nec uxorem.*) Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore, vel convenire posse nullatenus arbitramur.

CAP. IV. *Non tribuitur licentia nubendi, qui continentiam servare decreverunt.*

August. *De conjl. vitior. atque virt.*, c. 122.

(27, q. 1, c. *Nubendi.*) Nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est qui virginalem vel castimoniam vidualem nequaquam professi sunt; quibusdam autem non tribuitur, id est qui virginales et continentes esse decreverunt. Fornicatio autem nulli impune conceditur.

CAP. V. *Nuptias occultas celebrare non licet.*

Ex Decret. Hormisdæ pap., c. 6.

(30, q. 5, c. *Nullus.*) Ut nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictionem a sacerdote accepta publice nubat in Domino.

CAP. VI. *Sine publicis nuptiis nullus ducat uxorem.*

Conc. Arelat., c. 6.

(30, q. 5, c. *Nullum.*) Nullum sine dote fiat conjugium, juxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptiis quisquam nubere vel uxorem ducere præsumat.

CAP. VIII. *Qui mulieri per Scripturas jurat se nubere cum illa, eam sponsare tenetur.*

§Novellar. Constitut. c. 1.

Si quis divinis tactis Scripturis juraverit mulieri se eam legitimam uxorem habiturum, vel si in oratorio late sacramentum dederit, sit illa legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit.

CAP. VIII. *Quare feminæ velantur, dum maritantur.*

Isidor., *De officiis*, l. II, c. 19.

(30, q. 5, c. *Feminæ.*) Quod feminæ dum maritantur velantur, scilicet ut noverint semper se viris suis subjectas esse et humiles. Item: Quod nubentes post benedictionem vita uno quasi invicem vinculo copulantur, videlicet, imo fit ne compagem conjugalis unitatis dirumpant. At vero quod ea vita candido purpureoque colore permiscetur. Candor quippe est munditia vitæ; purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, ut hoc signo et continentia et lex tenenda ab utrisque admoneatur ad tempus, et post hæc reddendum debitum non negetur. Item: Quod in primis nuptiis annulus a sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis ut eorum pignore eorum corda jungantur. Unde et in quarto digito annulus inseritur, ideo quia in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat.

CAP. IX. *Nuptiæ publice celebrari debent.*

Nicolaus ad consult. Bulgar.

(30, q. 5, c. *Nostrates.*) Nostrates tam mares quam feminæ non ligaturam auream vel argenteam aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt. Sed post sponsalia quæ futurarum nuptiarum sunt promissio, fœdera quoque consensu eorum qui contrahunt et eorum in quorum sunt potestate celebrantur, et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitam desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ejus cum scripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid facere præsumat, ambo ad nuptialia fœdera producuntur, et primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum, statuuntur, sicque demum benedictionem et velamen cœleste suscipiunt.

CAP. X. *Quare sponsæ non statim tradantur.*

Augustinus, *Confession.* l. IV.

(27, q. 2, c. *Institutum*; l. *Quod dicimus*, et *Fidejussor.* § *De solut.*) Institutum est ut jam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem maritus habeat datam quam suspiraverit sponsus dilatam.

CAP. XI. *De his quorum consensus requiritur in sponsalibus.*

Pandect. l. XXIII, t. I.

(L. *In sponsal.* § *De sponsal.*) In sponsalibus consensus eorum exigendus est quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen filia semper patri consentire, nisi evidenter dissentiat.

CAP. XII. *Sponsalia consensu filiæ contrahuntur quæ filia patri consentire oportet, licet contradicere posset, si haberet justam causam contradicendi.*

Pandect., ex l. et t. iisdem.

(L. *Sponsal. cum se.* § eod.) Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium, et ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiafamilias consentire oportet. Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem dissentiendi a patre licentia conceditur, si indignus moribus vel turpis sponsus ei a patre eligitur. Filiofamilias dissentiente, sponsalia ejus nomine fieri non possunt.

CAP. XIII. *Pro sponsalibus incundis ætas non definitur.*

Pandect. ex l. et t. iisdem.

(L. *In sponsal.* § *De sponsal.*) In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est ut in matrimoniis. Quapropter a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint juniores quam septem annis.

CAP. XIV. *In desponsatione conjugium initiatur.*

Ambros., *De institut. virg.* c. 5, 6.

(27, q. 3, c. *Cum initiatur*, vel *Conjug.* pactio.)

Introdusă în format electronic de Google

Desponsata viro, conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium conjugii nomen assumitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum conjungitur puella, conjugium est, non cum viri admistione cognoscitur.

CAP. XV. *A prima fide desponsationis, coniuges verius appellantur.*

Isidor., *Etymol.* l. IX, c. 7.

(27, q. 2, c. *Conjuges.*) Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus.

CAP. XVI. *Conjugium fit etiam absque carnali commistione et concubitu.*

August. *De bon. conjug.* l. I, c. 11, et *De nupt. et concup.*

(27, q. 2, c. *Conjux.*) Conjux vocatur a prima desponsationis fide, quam concubitu non cognoverat Joseph, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax mansera!; conjugis appellatio, ubi non fuerat, nec futura erat carnis commistio. Propter quod fidele conjugium ambo parentes Christi vocari meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut et conjux matris ejus fuit : utrumque mente, non carne.

CAP. XVII. *Cum desponsata fuerit tradita et in usum deducta, rite conjux appellatur.*

Ambrosius ad Paternum, epist. 66.

(27, q. 2, c. *Si quis.*) Si quis desponsata sibi et tradita utatur, conjugium vocatur.

CAP. XVIII. *Puellam alii desponsatam alter accipere non valet.*

Siricus pap. ad Hymer. Tarrac. episc., epist. 1, c. 4.

(27, q. 2, c. *De conjugali.*) De conjugali autem violatione requisisti, si desponsatam alii puellam, alter in matrimonium possit accipere, tale conjugium anathematizamus, et hoc ne fiat modis omnibus inhibemus : quia illa benedictio quam nuptæ sacerdos imponit, apud infideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

CAP. XIX. *Puellæ desponsatæ prioribus reddendæ.*

Conc. Ancyrit., c. 11.

(27, q. 2, c. *Desponsatas.*) Desponsatas puellas et post ab aliis raptas placuit erui, et eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit.

CAP. XX. *Quomodo sponsus et sponsa ad benedictionem accedant.*

Conc. Carthag. IV, c. 13.

(30, q. 5, c. *Sponsus.*) Sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus vel paranymphis offerantur in ecclesia sacerdoti. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia benedictionis in virginitate permanent.

CAP. XXI. *Quibus temporibus debent conjuges se abstinere.*

Ambros. super Epist. ad Cor. c. 71.

(33, q. 4, c. *Si causa.*) Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad usum ipsum, quia et dies festi, et dies processionis et ipsa ratio conceptus et partus juxta legem cessare temporibus his debere monstratur.

CAP. XXII. *Secunda conjugia sicut et prima licita esse probantur.*

August., *Contra advers. leg. et proph.* l. II, c. 21.

(31, q. 1, c. *Deus masculum.*) Deus qui masculum et feminam propagandi generis causa nuptiali castitati conjunxit, et secundas nuptias quæ in uno quoque testamento permittuntur, licitas esse monstravit.

CAP. XXIII. *Illa mulier non pertinet ad matrimonium cum qua non celebratur nuptiale ministerium.*

Ex Decret Leonis pap. II, et epist. 90 ad Rustic.

(27, q. 2, c. *Cum societas.*) Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit ut præter sexus conjunctionem non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur nuptiale non fuisse ministerium.

CAP. XXIV. *Partus feminarum erit sola causa nubendi.*

Ambros. super Luc. l. I, c. 1.

(32, q. 2, c. *Pudor.*) Pudor est feminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola causa est nubendi.

CAP. XXV. *De eodem.*

Ambros., super Luc. l. II.

(32, q. 2, c. *Pudor.* § *Cum.*) Cum conjugii præmium et gratia nuptiarum partus sit feminarum, non mediocris est causa, ut virginitas Mariæ falleret principem mundi.

CAP. XXVI. *De eodem.*

Hieronym.

(32, q. 2, c. *Sicut et venial.*) Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quia prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem accipiendæ ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem, ut si alteri eorum continentia perpetua placeat, nisi alterius consensu non possit. Item : Reddere vero debitum conjugale, nullius est criminis ; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.

CAP. XXVII. *Conjuges sunt qui causa solius incontinentiæ sibimet invicem copulantur.*

August. *De bono conj.* c. 3.

(32, q. 2. *Solet.*) Solet autem quæri cum masculus et femina nec illa maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum causa, sed pro incontinentiis solius causa concubitus copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et profecto quidem fortasse non absurde hoc appellari conubium, si usque ad mortem alicujus eorum id interceos placuerit, et prolis generationem quamvis non ea causa conjuncti sunt, non tamen vitaverint: ut vel nolint sibi nasci filios vel etiam opere aliqua

Introdusă în format electronic de Google

malo agant ne nascantur. Cæterum si vel utrumque vel unum desit horum, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit donec aliam dignam honoribus, vel suis facultatibus inveniat quam in conjugium ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium.

CAP. XXVIII. *Sterilem uxorem dimittere et causa fecunditatis aliam ducere alicui non licet.*

August. *De bono conj.* c. 7.

(32, q. 7, c. *Tantum.*) Tantum valet sociale vinculum ut cum causa procreandi colligitur, nec ipsa procreandi causa solvatur.

CAP. XXIX. *Veritas nuptiarum non consistit in conjunctione maris et feminæ.*

August. contra Julian. l. 1.

(32, q. 1, c. *Non enim.*) Non in sola (ut deliras) commistione maris et feminæ nuptiarum veritas est, quamvis sine illa commistione nuptiæ filios propagare non possint. Sed alia sunt ad nuptias proprie pertinentia, quibus, ab adulteriis nuptiæ decernuntur. Sicuti est thori conjugalis fides et cura ordinate filios procreandi, et quæ maxima differentia est, bonus usus mali, hoc est bonus usus concupiscentiæ carnis, quo bono adulteri utuntur male.

CAP. XXX. *Triplex bonum conjugii fuit in parentibus Christi.*

August. *De nupt. et concup.* l. II, c. 2.

(27, q. 4, c. *Omnes.* Dist. 31, *Si sint.*) Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in ipsis parentibus Christi, fides, proles, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum ; fidem quia nullum adulterium ; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non potest sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato, sine quo concipi voluit, quia futurus erat sine peccato.

CAP. XXXI. *Clandestina conjugia fieri non debent.*

Evaristus episc. Afric. ep. 1.

Aliter legitimum non fit conjugium nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus et propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranymphis ut consuetudo docet custodita, et a proximis congruo tempore petita, legibus dotetur ac solemniter accipiatur : et biduo vel triduo orationibus vacent, et castitatem custodiant. Aliter vero præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius quam legitima connubia esse non dubitatur, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima.

CAP. XXXII. *Delinquunt qui pacta conjugiorum solemnia non complent.*

Nicolaus ad consult. Bulgar. c. 32.

Hæc sunt, præter alia quæ ad memoriam non occurrunt, pacta conjugiorum solemnia. Peccatum autem esse, si hæc cuncta nuptiali fœdere non interveniunt, dicimus.

CAP. XXXIII. *Quot sunt legitima conjugia, et quod voluntate patris raptor raptori nubere potest.*

Hieronym.

(36, q. 2, c. *Tria.*) Tria legitima connubia in Scripturis leguntur : Primum legitimum est virgo casta in virginitate viro legitimo data legitime, et reliqua quæ sequuntur in prædictis. Secundum, virgo in civitate deprehensa a viro, et illi per vim copulata, si voluerit pater ejus, dotabit eam iste vir, quantum judicaverit pater, et dabit pretium pudicitiæ ejus. Tertium filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas patris, trahet eam a viro prædicto et tradet eam alii et dotabit eam, et legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur.

CAP. XXXIV. *Uxore mortua, licet viro aliam ducere, sed non repudiatam vel desponsatam.*

(27, q. 2, c. *Additur.*) Additur itaque aliud quartum legitimum conjugium. Dum mortua fuerit uxor ejus, licet illi accipere aliam, sed non repudiatam, nec desponsatam viro, sed liberam. Similiter et mulier debet. Unde et Paulus ait : *Mulier quæ sub viro est, ligata sub lege viri est, quandiu vivit vir ejus. Igitur vivente viro ejus, vocabitur adultera, si juncta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ita ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro* (*Rom.* VII).

INTER QUAS PERSONAS CONJUGIUM POTEST ESSE.

CAP. XXXV. *Legitimo matrimonio copulatur, quæ concubinam habenti traditur.*

Ex Decret. Leonis ; epist. 9 ad Rustic. episc.

(32, q. 2, c. *Non omnis.*) Non omnis viro juncta mulier, uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, et inter æquales, et multo prius hoc ipsum Domino constituente quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud est ancilla, aliud libera (*Gal.* IV). Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit de Genesi, ubi dicitur Abrahæ : *Ejice ancillam et filium ejus ; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI). Igitur cujuslibet loci laicus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi cum conjugato dederit, nisi forte illa mulier et ingenua facta et dotata legitime et publicis nuptiis honestata videatur : quia paterno arbitrio viris con-

Introdusă în format electronic de Google

juncta carent culpa. Si mulieres quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.

CAP. XXXVI. *In contrahendo conjugio ista sunt observanda.*

Leo papa.

(30, q. 5, c. *Qualis.*) Qualis uxor esse debeat, quæ habenda est secundum legem? Virgo casta et desponsata in virginitate et dotata legitime, et a parentibus tradita, et a sponso et a paranymphis accipienda, et ita secundum legem et Evangelium publicis nuptiis honeste in conjugium et liquide sumenda et omnibus diebus vitæ suæ nisi ex consensu et causa vacandi Deo, nunquam propter hominem separanda, et, si fornicata fuerit, dimittenda. Sed illa vivente, altera non ducenda, quia *adulteri regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI), et pœnitentia illius per Scripturas recipienda.

CAP. XXXVII. *Inter patronum et libertam constat esse matrimonium legitimum.*

Ex Decret. Julii pap. c. 4.

(29, q. 2, c. *Si quis.*) Si quis ancillam suam libertate donaverit, et in matrimonio sibi sociaverit, dubitatur apud quosdam utrum legitime hujusmodi nuptiæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ et nihil impium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimaverimus.

CAP. XXXVIII. *Licet servo matrimonium contrahere.*

(19, q. 2, c. *Omnibus.*) Omnibus nobis unus est pater in cœlis et unusquisque dives et pauper, liber et servus æqualiter pro se et pro animabus eorum rationem daturi sunt. Quapropter omnes cujuscunque conditionis sint, unam legem (*quantum pertinet ad Deum*) habere non dubitamus. Ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus semel conjugio copulatus ulterius dimitti poterit

A CAP. XXXIX. *Matrimonium manet inter servos quos dominus eorum conjunxit uno eorum libero postea, et altero servo manente.*

Conc. Maliens., c. 10.

Si servum et ancillam dominus amborum in matrimonium conjunxerit, et postea liberato servo vel ancilla, non potest redimi, qui in servitio est, ideo matrimonia non solvuntur.

CAP XL. *Legitima servorum conjugia, sua auctoritate domini non dirimant.*

Conc. Cabil., c. 30.

(29, q. 2, c. *Dictum est.*) Dictum est nobis quod quidam legitima matrimonia servorum potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud Evangelium : *Quos Deus conjunxit, homo non* B *separet* (*Matth.* XIX); unde nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit et pro voluntate dominorum.

CAP. XLI. *De eo qui ancillam duxit in uxorem quam putat esse liberam.*

Conc. apud Vermer., c. 6.

(29, q. 2, c. *Si quis ingenuus.*) Si quis ingenuus homo alterius ancillam uxorem duxerit, et æstimat quod ingenua sit, si ipsa femina fuerit postea in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat. Si non potest, si voluerit, alteram accipiat. C Si autem servam eam sciverat et collaudaverat, post ut legitimam habeat. Similiter et mulier ingenua de servo alterius facere debet.

CAP. XLII. *Non licet mulieri dimittere quem sciens servum accepit in virum.*

Ex concil. eodem, c. 8.

(29, q. 2, c. *Si femina.*) Si femina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum, quia omnes unum patrem habemus in cœlis, una lex erit et viro et feminæ.

DE CONCUBINIS

CAP. XLIII. *Quod non licet habere concubinam.*

August. hom. 49.

(Dist. 34, c. *Audite.*) Audite, fratres charissimi, membra Christi et matris Ecclesiæ filii. Quod dico competentibus, audiant fideles. Quod dico fidelibus audiant competentes; quod dico fidelibus et competentibus et pœnitentibus audiant et catechumeni, audiant et omnes et timeant, et nemo contemnat. Sit mihi in consolatione vester auditus, nec vobis in testimonium dolor meus. Competentibus dico : Fornicari vobis non licet, sufficiant vobis uxores, concubinas vobis non licet habere. Audiat Deus si vos surdi estis. Audiant angeli ejus, si vos contemnitis. Concubinas vobis non licet habere, et si non habetis uxores tamen non licet vobis concubinas D habere, quas postea dimittatis et ducatis uxores. Tanto major damnatio vobis erit, si volueritis habere, et concubinas et uxores. Item, Augustinus : Quale est etiam illud quod multi virorum ante nuptias sibi concubinas adhærere non erubescunt, quas post aliquot annos dimittunt, et legitimas sic postea uxores accipiunt; unde coram Deo et coram angelis ejus contestor atque denuntio Deum et ista semper prohibuisse, et nunquam ei placuisse, et præcipue Christianis temporibus concubinas habere nunquam licuit, et nunquam licebit.

CAP. XLIV. *De eodem.*

August., *De bon. conj.*

(C. *Solet quæri;* et 32, c. 2, c. *Si aliquam.*) Si quis aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec di-

Introdusă în format electronic de Google

gnam honoribus et suis facultatibus inveniat quam comparem ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed ista cum qua cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium.

CAP. XLV. *Quis dicitur justus concubinatus.*

August., ibid.

(32, q. 2, c. *Ut concubinæ.*) Item ibidem : ut concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concubant, justum faciant concubinatum suum, posse sane fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est.

CAP. XLVI. *Concubinam non intelligitur habere qui cum multis mulieribus concumbere solet.*

Novellar. Constit. 89.

Nemo intelligitur concubinam habere qui cum multis mulieribus concumbere solet. Nam quemadmodum qui legitimam uxorem habeat, aliam habere, durante eodem matrimonio non potest, ita et qui unam concubinam habet, non potest alias eodem tempore habere.

CAP. XLVII. *A populo Dei non separat aliquem materna conditio, sed propria culpa.*

August. *De unic. bapt.*

(Dist. 56, c. *Ismael.*) Ismael ut separetur a populo Dei non obfuit mater ancilla, sed fraterna discordia, et non profuit potestas uxoris cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia, et in ancilla seminatus erat, et ex ancilla susceptus est.

CAP. XLVIII. *Consuetudo ad liberam mulierem inducit matrimonium.*

Pandect. l. XXIII, c. 2, et Bal.

(L. *In liberæ*, § *De tit. nupt.*) In liberæ mulieris consuetudine, non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit.

CAP. XLIX. *Qui non habet uxorem, loco illius concubinam habere debet.*

Conc. Tolet. I, c. 17.

(Dist. 34, c. *Is qui non.*) Si quis habeat uxorem fidelis et concubinam, non communicet. Cæterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Alias vero abjiciat, donec desinat et ad pœnitentiam revertatur.

CAP. L. *De eodem.*

Isidor., *De distant. Vet. et Nov. Test.*

(Dist. 34, c. *Christiano.*) Christiano dico non plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem, aut certo loco uxoris, si *conjux deest*, concubinam.

CAP. LI. *De eodem.*

Cod. l. IV, c. 15, tit. 4.

(Authent. c. *Servo*, et *De natis.*) Si quis sine uxore constitutus ancillam suam nomine habeat concubinam, et in eadem usque ad suam mortem consuetudine permanserit, et forsitan ex ea liberos susceperit, sancimus omnimodo non concedi hæredibus defuncti, eamdem vel liberos ejus, si etiam liberos habuerit, in servitutem deducere, sed post mortem domini eripiatur in libertatem una cum sobole sua.

CAP. LII. *De eodem.*

Constitut. l. XIV, c. 4.

(l. *Nuper.* c. *De nat. lib.*) Si quis cum muliere libera consuetudinem habeat, non affectione maritali, et ex ea filios procreaverit, eosque velit filios legitimos habere in potestate sua, liceat ei cum matre eorum instrumenta dotalia componere. Nam filii qui ante naturales erant, post compositionem instrumentorum dotalium, sui et in potestate patris efficiuntur, sive postea nati filii vivunt, sive mortui sunt, sive omnino nullus alius procreatus.

CAP. LIII. *Quid sit raptus.*

Isidor., *Etymol.* l. V, c. 26.

(27, q. 2, c. *Raptus*, et 28, q. 2, c. *Raptus.*) Raptus quippe illicitus coitus a corrumpendo dictus. Unde qui raptu potitur, stupro fruitur.

CAP. LIV. *Excommunicantur raptores viduæ vel virginis cum ipsis faventibus.*

Gregorius, Junior.

(36, q. 2, c. *Si quis.*) Si quis viduam rapuerit, vel furatus fuerit uxorem, anathema sit; si virginem, nisi desponsaverit in uxorem, anathema sit.

CAP. LV. *Quæ sit pœna raptarum puellarum.*

Conc. Cabil. c. 27.

(30, q. 2, c. *De puellis.*) De puellis raptis nedum desponsatis in Chalcedonensi concilio scriptum est : Eos qui rapuerant puellas sub nomine simul cohabitandi cooperantes et conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, ut siquidem clerici sunt, decidant de proprio gradu ; si vero laici, anathematizentur. Quibus verbis datur intelligi qualiter hujus mali actores damnandi sunt, quando participes consilii et conniventes tanto anathemate feriuntur, ut juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possint.

CAP. LVI. *Post pœnitentiam raptoris vel raptæ, relicta conjugia concedantur.*

Conc. Meldens. c. 65.

(36, 2, c. *Si autem.*) Si autem necdum eas quas rapuerant cum voluntate sub præfato desponsationis vel dotalitii nomine in conjugium sumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata, ab earum conjunctione separentur et publice pœnitentiæ subigantur. Raptæ autem parentibus legaliter restituantur. Post peractam vero publicam pœnitentiam, si ætas incontinentiam exegerit, legitimo et ex utriusque partibus placito conjugio socientur. Non in his regulam constituimus, sed ut verbis magni Leonis utamur, quod sit tolerabilius æstimamus; quod si unus ex conjugatis obierit, et is qui publicam pœnitentiam egerit superstes exstiterit, iterare conjugium non præsumat, nisi forte episcopus prævide-

Introdusă în format electronic de Google

rit aliquam concedere indulgentiam, ut gravio- A rem possit amovere offensam.

CAP. LVII. *Non est peccatum meretricem ducere in uxorem.*

Hieronym. sup. Ose. l. I, ad cap. V.

(32, q. 1, c. *Non est culpandus.*) Non est culpandus Osee propheta, si meretricem quam duxit converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus qui ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo, sed qui malus est in bonum convertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat.

CAP. LVIII. *Licet meretricibus meliorem vitam eligere, etiam si juraverint in tali professione per- mansuras, quia juramentum contra bonos mores præstitum non est obligatorium.*

Constitut. Novell.; et Bal. I, imp. benev.

(C. *De nuptiis.*) Princeps, constituit ut liceat meretricibus honestiorem vitam eligere sine alicujus amore, quamvis juratoriam cautionem exposuerint. Hi autem qui tale jusjurandum exegerunt, et contra castitatem operam suam dederunt, pœnæ nomine x libras auri persolvant iisdem meretricibus, quæ sacramenta dederunt. Pœna autem x librarum officio præsidis flagitetur. Quod si præses neglexerit, de suo patrimonio pœnam præstare cogatur, et a magistratu sibi commisso cadat, et non solum mulieribus, sed etiam hæredibus et aliis successoribus earum pœnam solvat, hoc si probatum sit quod B sacramentum a meretrice exegerit: si autem ipse sacramentum exegerit quidem a meretrice, teneatur ex pœna.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

CAP. LIX. *Secunda conjugia, sicut et prima, licita esse probantur.*

August. *De bon. viduit.*, c. 11.

(31, q. 1, c. *Quod si dormierit.*) De tertiis et quartis et ultra pluribus nuptiis, solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Item: nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties, viris mortuis, voluerit, nubat femina, nec ex meo corde propter Scripturæ sanctæ auctoritatem, quotaslibet nuptias audeo condemnare.

CAP. LX. *Quomodo Abraham excusatur a crimine fornicationis.*

August. contra Faust., lib. II, c. 5.

(32, q. 4, c. *Iste Abrahæ.*) Iste Abrahæ etiam usque ad decrepitam senectutem fornicationis objecit crimen: profecto quia et post mortem Saræ alteram duxit, ubi et si nullum intelligeretur rei abditæ sacramentum, propter id solum hoc facere debuit Abraham, ne putarent hæretici adversus populum Dei (quibus etiam Tertullianus astipulator assistit) post uxoris mortem, crimen esse ducere uxorem.

CAP. LXI. *Secunda conjugia sicut et prima licita esse probantur.*

August. contra advers. leg. et proph. l. II, c. 2.

(31, q. 2, c. *Deus masculum.*) Item, Deus qui masculum et feminam propagandi generis causa, nuptiali castitate conjunxit, et secundas nuptias, quæ in Novo quoque Testamento permittantur, licitas esse monstravit.

CAP. LXII. *Nec duæ, nec tres, nec deinceps nuptiæ sunt condemnandæ.*

Hieronym. ad Pamach. t. II, in Apolog.

(31, q. 1, c. *Aperiant.*) Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias in Domino concessisse, qui secundas et tertias nuptias non damnavi, nec primum potui damnare matrimonium. Item: Non damno bigamos, et, si dici potest, imo nec trigamos, nec octogamos. Item: ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam imo nec trigamiam, et ita licere V et VI et ultra quomodo et secundo marito nubere. C

CAP. LXIII. *Non peccat bigamus, sed prærogativa sacerdotii exuitur.*

Ambros. ad Vercell., 82, l. X.

(Dist. 26, c. *Qui sine*, et dist. 34, c. *Cognoscamus.*) Qui sine crimine est unius uxoris vir teneatur ad legem sacerdotii suscipiendi. Qui autem iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis. Item cognoscamus non solum de episcopo et presbytero apostolum statuisse, sed etiam Patres in concilii Nicæni tractatu addidisse, clericum quemquam non debere esse, qui secunda conjugia sit sortitus.

CAP. LXIV. *Bigamus reputatur qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum aliam.*

Ambros. *De offic.*, l. I. D

(Dist. 26, c. *Una tantum.*) Una tantum nec repetita nobis permittitur copula, et in ipso conjugio lex est non iterare conjugium: nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem, quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterati conjugii ad electionem muneris et ordinationis prærogativa impedimenta generentur, cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa fuerint sacramento; sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur: quod legis est, in conjugio non solvitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis qui ipse conjugia frequentavit?

Introdusă în format electronic de Google

CAP. LXV. *Qui ante baptismum habuerit unam et post baptismum aliam, ordinandus non est.*

August. *De bono nupt. conj.* c. 28.

(Dist. 26, c. *Unius*, et c. *Acutius.*) Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum et ad unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinari, nisi unius uxoris virum.

CAP. LXVI. *Qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum aliam, ordinandus non est.*

August. *De bon. conjug.* c. 18.

(Dist. 26, c. *Acutius.*) Quod acutius intellexerunt, qui nec cum, qui catechumenus vel paganus alteram habuerit, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo omnia peccata dimittuntur, sed qui dixit: *Si acceperis uxorem non peccasti, et si nupserit virgo non peccat, et quod vult faciat, non peccat si nubat* (*I Cor.* VII), satis declaravit nuptias non esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina, etiam si catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurdum visum est, eum qui excessit numerum uxorum singularem, non peccatum aliquod commisisse sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam.

CAP. LXVII. *Presbyter in nuptiis bigami non prandeat.*

Conc. Neocæsar. c. 6.

Presbyterum in nuptiis bigami prandere non convenit, quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter qui talibus nuptiis possit præbere consensum.

CAP. LXVIII. *Quæ sit vidua, vel ejecta, vel meretrix.*

Hieronym. ad Fabulum.

(Dist. 34, c. *Vidua*; 45, c. *Disciplina*; 60, c. *Latores*, Extra *De Sent. Excom.*) Vidua est, cujus maritus mortuus est, ejecta quæ marito vivente projicitur, meretrix quæ multorum libidini patet.

CAP. LXIX. *De eodem*

Valens Theod. et Arch. impp. Thatiano papæ.

(L. *Matres*, c. *Quando.*) Matres quæ amissis viris tutelam administrandorum negotiorum in liberos postulant, priusquam confirmatio officii talis in eos jure eveniat, fateantur in actis sacramento præstito ad alias se nuptias non venire. Sane in optione hujuscemodi nulla cogetur, sed libera in conditiones quas præstituimus voluntate descendat. Nam si maluerit alia optare matrimonia, tutelas filiorum administrare non debet.

CAP. LXX. *De eodem.*

Novell. Const. 27, c. 11.

(L. 1, c. *De secundis*, et l. *Solet*, c. *Mulier quæ ante annum.*) Si mulier post mortem mariti necdum annali spatio completo, ad secundas nuptias properaverit, omni quidem modo inter infames erit; si quidem liberos ex priori matrimonio non habeat, infamiam quidem solvere poterit, si preces imperatori porrexerit, et divino principis nutu priori opinioni restituta fuerit, res autem a priori marito sibi relictas nullo modo lucrabitur.

CAP. LXXI. *Mulier qui ad secundas properat nuptias, non utatur privilegiis prioris mariti.*

Mulier quæ ad secundas migravit nuptias privilegiis vel dignitatibus prioris mariti non utatur.

CAP. LXXII. *Mulier quæ filiorum tutelam habet, prius rationem tutelæ reddat, et debitum solvat, quam ad secundas nuptias accedat.*

Si mulier liberorum suorum tutelam administravit, et post inchoatam administrationem ad secundas nuptias migrare voluerit, prius filiis suis impuberibus tutorem petere debet, eique rationem administrationis suæ reddere debet; et post reddita ratione, si debitrix appareat, debitum suum persolvere debet. Deinde, si velit, ad matrimonium secundum veniet. Si autem, hac observatione contempta, secundas contraxerit nuptias, non solum res ipsius, id est matris, liberis ejus hypothecæ titulo supponatur, sed etiam res vitrici ex præsentis constitutionis auctoritate.

CAP. LXXIII. *De eodem.*

Constitut. l. LXXXIV, c. 1.

(L. 1, c. *De secundis nupt.*) Si mater marito defuncto filiorum suorum tutelam gubernare maluerit, renuntiet secundis nuptiis in judicio cum jurejurando; res autem suas filio suo impuberi obliget, atque ita ei tutela committatur.

CAP. LXXIV. *De eodem.*

Aug. *De benef. conjug.*

(32, q. 7, c. *Usque adeo.*) Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum his quibus adhæserunt. *Et post:*

Manet inter viventes quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre, sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens; habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad præmium meriti.

DE CONJUGIO ILLORUM QUORUM UNUS SINE ALTERO CONTINENTIAM VOVERIT.

CAP. LXXV. *Conjugale vinculum non solvitur, propter perpetuam continentiam, consensu utriusque conjugis servandam.*

(32, q. 7, c. *Usque adeo.*) Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnali concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur! imo firmius erit quo magis ea pacta quæ secum inierunt, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus sed voluntariis affectibus animorum.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. LXXVI. *Sine conscientia episcopi viro et uxori causa religionis divertere non licet.*

Eugen. pap. ex Synod., c. 36, sub Ludov. Loth.

(27, q. 2, c. *Si vir.*) Si vir et uxor divertere inter se pro sola religiosa vita consenserint, nullatenus sine conscientia episcopi fiat; ut ab eo loco singulariter proviso constituantur. Nam uxore volente aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvitur.

CAP. LXXVII. *Continentiæ vota non licet suscipere, nisi eamdem vitam vir ejus elegerit.*

Nicol. Carolo regi.

(27, q. 2, c. *Scripsit nobis.*) Scripsit nobis Theoberga regina se velle dignitate seu copula exui, et sola privata vita esse contentam desiderare, cui nos scripsimus, non hoc aliter fieri posse nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit.

CAP. LXXVIII. *Causa religionis conjugia solvi non debent.*

Ex epist. Greg. ad Theotiscam patriciam, l. IX.

(27, q. 2, c. *Sunt qui.*) Si dicunt aliqui religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum est quia, et si hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit: per se enim Veritas dixit: *Quod Deus conjunxit*, etc. (*Matth.* XIX). Quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis* (*ibid.*). Item: Si vir et uxor una caro sunt et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel forsitan ad illicita migrantem, quæ est ista conversio in qua eadem caro ex parte transit ad continentiam et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Item: Cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, ante actæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam astringant, et meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam quam vir appetit, mulier recuset, dividi conjugium non licet, quia scriptum est: *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier* (*I Cor.* VII).

CAP. LXXIX. *Sine uxoris voluntate, viro continere non licet.*

August. *De adult. conjug.*

(27, q. 2, c. *Si tu abstines.*) Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. Apostolus nec ad tempus, ut vacetur orationi, nisi ex consensu, voluit conjuges carnali invicem fraudare debito. Item: Si dicat vir « Dimitto quidem uxorem sine ulla causa fornicationis, sed continens permanebo, » ideone dicemus impune fecisse, quod fecit? quis hoc dicere audebit qui voluntatem Domini hoc dicentis intelligit? quoniam nec continentiæ causa dimitti conjugem voluit, qui solam fornicationis causam excepit. Item, ecce placuerit mulieri continentia, viro non placuit. Discessit a viro mulier, et cœpit vivere continenter, ipsa scilicet casta mansura, sed factura quod Dominus non vult, adulterum virum, quia cum se non continuerit, quæret alteram. Quid sumus dicturi mulieri? Nonne quod dicit Ecclesiæ sana doctrina? « Redde debitum viro, ne dum tu quæris unde amplius honoreris, ille unde damnetur inveniat. »

CAP. LXXX. *Non potest vir continentiæ vota rescindere, quæ assensu ejus mulier Deo promiserit.*

August. ad Ediciam, epist. 199.

(33, q. 5, c. *Quod Deo.*) Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera. Quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si nunquam tenuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum. Item: Non quia pariter temperabatis a commistione carnali, ideo maritus tuus esse destiterat, *imo vero tanto sanctius* inter vos conjuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis. Nihil ergo de tua veste, nihil de auro vel argento, vel quacunque pecunia, vel rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio ejus facere debuisti. Item: Est quidam pro modulo personæ habitus matrimonialis, a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis, salva religionis causa vel observantia convenire. Nunc te maritus si deponere voluerit, ne te velut viduam, illo vivente, jactares, puto quia non fuerat in hac re usque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo, quam illius abstinentiæ bono. Quod enim absurdius quam mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus quam *nigellis* vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum monachæ delectabat, hoc etiam gratius posset *marito* tuo observato exoratoque sumi, quam illo *inconsulto* contemptoque præsumi; quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? absit ut bine displiceres Deo, quod conjuge tuo nondum defuncto non induereris sicut Anna, sed sicut Susanna.

CAP. LXXXI. *Conjugati castitatem communi voto roventes, eam servent.*

August. ad Armar. et Paulin.

Possem pro modulo meo ipsos eosdem pertinentes ad dexteram regnumque cœlorum, et in suis gradibus meritis distinguere, atque ostendere quo differat vita conjugalis filios procreantium, patrum, matrum familias, verumtamen religiosorum ac piorum ab hac vita quam Deo vovistis, si nunc ad eam vovendam exhortandus esses. Sed quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, fuit liberum quo esses inferior, quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut nec debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam in viro, sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod voluisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses; minor enim esses non pejor, modo ar-

Introdusă în format electronic de Google

tem tantum (quod absit!) inferior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior si persolveris. Nec imo te vovisse pœniteat, imo gaude jam tibi non licere quod cum detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, et dicta satis [factis] imple, ipse adjuvabit qui vota tua expetit. Felix est necessitas quæ ad meliora compellit, una sola causa esse potest qua te id quod vovisti non solum non hortaremur, verumtamen prohiberemus, implere, si forte tua conjux hoc tecum suscipere animi vel carnis infirmitate recusaret. Nam et vovenda talia non sunt conjugatis nisi ex consensu et voluntate communi. Et si prope factum fuerit magis est corrigenda temeritas quam solvenda promissio. Neque Deus exigit si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum. Divina quippe per Apostolum de hac re prolata est sententia : *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (*I Cor.* VII).

CAP. LXXXII. *Non licet illi ducere uxorem, qui suam velari permiserit.*

Conc. Remens. c. 4.

(32, q. 5, c. *Qui uxorem.*) Qui mulierem suam permiserit velari, aliam non accipiat; sed similiter convertatur.

CAP. LXXXIII. *Continentiæ vota [mulieri] non licet suscipere, nisi eamdem vitam vir ejus elegerit.*

Nicol. papa ad Lothar.

(27, q. 2, c. *Scripsit nobis.*) Itaque summo studio Theobergam conjugem tuam tanquam propriam carnem fovere ac diligere procurato, et ne illam conjugem tuam tanquam propriam a te ullo pacto consentias discedere, vigilanter attendas. Unde si vult a te discedere, corripe, imo corrige eam, et a tali intentione per omnia jam revocare satage. Jam vero si amore pudicitiæ separationem quærit, et conjugalis connubii solutionem efflagitat, certum est Apostolo dicente, quia *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir* (*I Cor.* VII). Verum si et ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulationem solvere velit, tantum ne simulate fiat concedimus. Nam licet scriptum : *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX). Deus tamen et non homo separat quando divini amoris obtentu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Ergo hoc modo jus gratuito permittimus animo, celeremque præbemus assensum. Aliter enim fieri mutuam separationem vestram prohibemus.

CAP. LXXXIV. *Ad uxorem redire cogatur, qui sine ejus consensu religiosam vestem suscepit.*

Gregor. ad Adrian. Not. Panorm., lib. IX Epist. 44.

(87, q. 2, c. *Agathosa.*) Agathosa latrix præsentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici abbatis esse conversum, quique quia ad ejusdem abbatis culpam et invidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus ut diligenti inquisitione discutiat, si forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc reperit, et illum in monasterio permanere provideat, et hanc sicut promisit mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen propter quod licet viro uxorem dimittere, prædictam mulierem commisisse cognoverit, et ne illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiam si tonsuratus est, reddas, omni excusatione cessante. Nam excepta fornicationis causa viro uxorem dimittere nulla ratione conceditur, quia postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo remanere.

CAP. LXXXV. *Non debet extorqueri mulieris consensus ad continentiam Deo vovendam.*

Alexand. II Landulf.

(33, q. 5, c. *Notificasti.*) Notificasti te morte temus infirmatum esse, et peccatorum tuorum recordatione et terrore valde pavefactum, anxie quæsisse monachum fieri, et a tua uxore minis et terroribus eam occidendi ad hoc licentiam extorsisse, et sic te monachi jam vestem sine abbate sumpsisse, et monasterium petiisse : postea vero cum sanus factus esses, tuæ uxoris reclamationibus et planctibus tuæque familiæ dispersionibus utpote penitus devictus, domum remeasse et post multos dies quorumdam sapientum consilio ad jam dictæ mulieris cubile rediisse diceris : nunc autem, si tua tibi uxore uti liceat, nostrum requiris consilium. Si ita denique est ut tuus nuntius narrat, non videtur nobis rationabiliter neque sana mente id factum, quoniam cum omni homini ad monasticam vitam tendenti, legaliter sancte et juste sit peragendum, tu contra leges minaciter et violenter a tua uxore partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis doloribus exinanitus, devia secutus, nulla, ut dicitur, licentia accepta, recessisti et monasteria petiisti. Non enim violentia, sed ex pari voluntate et consensu, sicut sancti Patres dicunt, hoc fieri debet : neque vir in monasterium recipiendus est, nisi uxor illius femineum monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutaverit. Sanctus enim Basilius episcopus de hac re taliter dicit : « Si quis conjugatus vult converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illa, vivente illo per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum hujusmodi viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa relicto sæculo sequuntur Christum, si habeant ex pari voluntate consensum. Itaque, fili charissime, perpende et vide si sic canonice a tua uxore es solutus, et tua uxor ita pollicita est, et tu et illa adimplete bonum incœptum et votum vestrum. Aliter enim non debemus vobis imponere necessitatem separationis.

Introdusă în format electronic de Google

DE MULIERIBUS QUÆ, VIRIS IN CAPTIVITATE EXISTENTIBUS, ALTERI NUBUNT.

CAP. LXXXVI. *Mulier, quæ, viro suo in captivitatem ducto, alii nupserat, remeante priore illi copuletur.*

Leo pap., cap. 45.

Quod debeant feminæ quæ, captis viris et in captivitatem ductis, aliis viris nupserant, putantes interemptos maritos, remeatis a captivitate prioribus viris copulari, ut cuique id quod legitime habuit reformetur, reservetur, et recipiat unusquisque quod suum est, et redintegrentur fœdera nuptiarum.

CAP. LXXXVII. *Quæ alii nupserit putans virum suum mortuum esse illo redeunte, ad priorem redire cogitur.*

(Leo Nicetæ episc. Aquil.

(34, q. 2, c. *Cum per bellicam.*) Cum per bellicam cladem et per gravissimos hostilitatis incursus ita quædam dicatis divisa conjugia, ut, abductis in captivitatem viris, feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios interemptos putarent, aut ob iniqua dominatione nunquam crederent liberandos, et in aliorum conjugio sollicitudine cogente transierunt, cumque statu rerum, Deo auxiliante, in meliora converso, ut si nonnulli eorum qui putabantur periisse, remearint, merito charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus quæ aliis sunt junctæ viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum quod a Domino jungitur viro mulier, et iterum præceptum agnovimus ut quos Dominus junxit, homo non separet, necesse est ut legitimarum reintegranda nuptiarum fœdera credamus, et remotis his quæ hostilitas intulit, unicuique ratio id quod legitime intulit, reformetur. Denique omni studio procurandum, ut recipiat unusquisque quod proprium est, nec tamen culpabilis judicetur, et tanquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse æstimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captivitatem ducti sunt pertinebant, si in jus alienum transire potuerint, et tamen plenum justitiæ est, ut eisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus recte servatur, quanto magis, in conjugatorum redintegratione faciendum est, ut quod clade bellica turbatum est, pacis remedio reformetur, et imo si viri post longam captivitatem reversi ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, dimittendum et inculpabile judicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit.

CAP. LXXXVIII. *De eodem.*

Leo, epist. 77.

(34, q. 2, c. *Cum per.* § *Si autem.*) Si autem aliquæ mulieres ita in posteriorum virorum amore sunt captæ, ut maluerint his cohærere quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandæ, ita ut ecclesiastica communione priventur, quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis exorsit, quia sicut hæ mulieres quæ ad viros suos reverti noluerint, impiæ sunt habendæ, ita illæ quæ in affectum initum redeunt, merito laudandæ sunt.

CAP. LXXXIX. *Probo viro vel uxore de captivitate redeunte, redintegrantur conjugia.*

Innocent. pap. Rolo *episcop. ep. 9.*

(34, q. 2, *Cum in captivitate.*) Cum in captivitate Ursa mulier teneretur, aliud conjugium cum Restituta Fontanum commisisse cognoscimus, sed favore Domini reversa Ursa nos adiit, et nullo diffidente uxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, fili merito illustris, statuimus, fide Catholica suffragante, illud esse conjugium quod erat primitus gratia divina fundatum, conventumque secundæ mulieris priore superstite nec divortio ejecta nullo pacto esse legitimum.

CAP. XC. *De eodem.*

Pandect. lib. XXIV, t. 2.

(L. *Uxoris.* § *De divor.*) Generaliter definiendum est, donec certum est maritos vivere in captivitate, constitutum est nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium.

CAP. XCI. *Quæ virum in captivitate ductum sequi noluerit, maneat innupta quandiu vir ejus vixerit.*

Conc. apud Vermer.

(34, q. 2, c. *Si quis necessitate.*) Si quis, necessitate inevitabili cogente, in alium ducatum seu provinciam fugerit et uxor ejus cum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quandiu vir ejus quæ secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat.

CAP. XCII. *Furiosus et furiosa matrimonium contrahere non possunt.*

Ex Decret. Fabiani pap. c. 5.

(32, q. 7, c. *Neque furiosus.*) Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separetur.

CAP. XCIII. *Ob infirmitatem, vel damna corporis, conjugia solvi non licet.*

Nicolaus ad Carol. Magunt. episc.

(32, q. 7, c. *Hi qui.*) Hi qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sciendum de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris detruncantur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XCIV. *Consortem infidelem pars fidelis non dimittat.*

Paulus apost.

(28, q. 1, c. 1, § *Item, Apost.*) *Si quis frater uxorem habet infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illum. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare eum illa non dimittat illum. Sanctificatus enim vir erit infidelis in muliere fideli, et sanctificata erit mulier infidelis per virum fidelem* (*I Cor.* VII).

CONJUGIUM DEBET ESSE INTER HOMINES EJUSDEM RELIGIONIS.

CAP. XCV. *Bigami reputantur qui ante baptismum habuerint unam et post baptis. alteram.*

Innocent. pap. Rufo et Eusebio episc. Maced.

(28, q. 1, c. *Nunquid.*) Nunquid non erunt admittendi in hæreditatis consortio, qui ex ea susceperunt, quæ ante baptismum fuit uxor, eruntque appellandi naturales, vel quia non legitimum est matrimonium (ut nobis videtur), nisi illud quod post baptismum assumitur. Ipse Dominus dum interrogaretur a Judæis si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Ac ne de his locutus esse credatur qui post baptismum uxores sortiuntur, meminerint hoc a Judæis interrogatum, et Judæis esse responsum.

CAP. XCVI. *Bigami reputantur, qui ante baptismum habuerint unam et post baptismum alteram.*

Innocent. pap. iisdem.

(28, q. 1, c. *Nunquid.*) Et sollicitus quæro si una et eadem uxor sit, quam ante catechumenus susceperit, et postea alios [filios] susceperit, cum fidelis esset, utrum sint fratres appellandi, an non habeant postea defuncto patre hæreditatis familiæ herciscundæ consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis dicitur abstulisse. Quod enim ita judicare atque sentire absurdum est, quæ ratio est hoc malum defendi, et vacua magis opinione jactari, quam aliqua auctoritate roborari cum non possit inter peccata deputari quod lex præcipit et Deus conjunxit.

CAP. XCVII. *In fidelis potestate sit post baptismum recipere quam ante dimiserat.*

Ex Decret. Eutic.

(28, q. 1, c. *Si quis.*) Si quis gentilis gentilem dimiserit uxorem ante baptismum, post baptismum in potestate ejus erit eam habere vel non habere. Simili modo si unus ex conjugatis baptizatus est, et alter gentilis, et sequi non vult, ut dicit Apostolus, *infidelis si discedit, discedat* (*I Cor.* VII).

CAP. XCVIII *Vivente uxore prima post baptismum vir non ducat alteram.*

Conc. Meld. c. 1.

(28, q. 2, c. *Si quis.*) Si quis habuit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa post baptisma, alteram habere non potest. Crimina in baptismo solvuntur, non conjugia

CAP. XCIX. *Dolosa conditio non separat conjugium contractum.*

Conc. Tribur. c. 8

(29, q. 2, c. *Perlatum est.*) Perlatum est ad sanctam synodum quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, et post filiorum procreationem occasione divortii cujusdam servum se fecerit, utrum necessario mulierem tenere debeat, et si tenuerit, utrum illa quoque secundum sæcularem legem servituti subjici debeat. Judicatum est uxorem minime debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi, dum ille non ex consensu conjugis servum se fecit, quem liberum ipsa maritum acceperit.

CAP. C. *Quod etiam infideles sunt conjuges, et quod fideli licet dimittere infidelem.*

August. ad Pollent. *De conj. adult.* c. 13.

(28, q. 1, c. *Jam nunc.*) Jam nunc illud videamus, quod ait Apostolus: *Cæteris ergo dico non Dominus*, ad imparia scilicet, hoc est ubi non ambo fuerunt Christiani, conjugia locuturus, quod est visum mihi, eum commonendo dixisse. Quia enim conjux fidelis relinquere conjugem licite potest infidelem ideo hoc fieri non Dominus, sed Apostolus prohibet. Quod enim Dominus prohibet fieri, omnino non licet. Monet enim Apostolus, quod possit esse multorum occasio lucrandorum, ut fideles conjunges in relinquendis infidelibus, permissa licentia non utantur. Tibi autem videntur infideles quoque dimitti a fidelibus non licere quia hoc vetat Dominus, non tamen dico expedire quidem, quia hoc ne fiat monet Apostolus, qui reddit rationem cur fieri non expediat, quamvis liceat. Quid enim scis, mulier, si virum salvum facies? Aut unde scis, vir, si uxorem salvam facies? Cum etiam superius dixisset: *Sanctificatus est vir infidelis*, videlicet in muliere fideli, et: *Sanctificata est mulier infidelis in fratre*, hoc est, in Christiano. *Alioquin*, inquit, *filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt* (*I Cor.* VII). Sic ad lucrandos conjuges et filios Christo, etiam exemplis quæ jam provenerant, videtur hortatus. Cum ergo non expediat etiam infideles conjuges dimitti a fidelibus, causa evidenter expressa est. Non enim propter vinculum cum talibus pactum conjugale est servandum: sed ut quærantur in Christo recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat. Multa enim sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate, et eadem sunt in nostris officiis gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Unde prior ipse Dominus cum se tributum non debere solvere, monstrasset, solvit tamen, ne scandalizaret eos quibus ad æternam salutem gerens morem consulebat. Jam vero Apostolus, quemadmodum ista commendat, ejus verba

Introdusă în format electronic de Google

testantur ubi dicit : *Cum enim liber sim ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem* (*I Cor.* IX) ; cum paulo superius dixisset : *Nunquid non habemus licentiam manducandi et bibendi? Nunquid non habemus licentiam sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et frater Domini et Cephas? An ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi ? Quis militat suis stipendiis unquam ? Quis plantavit vineam, et de fructu ejus non edit ? Quis pascit gregem, et de lacte ejus non comedit ?* (*ibid.*) Et paulo post : *Si alii*, inquit, *potestatis nostræ jura participant, nonne magis et nos? Sed non sumus usi hac potestate, sed omnia toleramus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi* (*ibid.*).

CAP. CI. *Ab infidelibus conjugibus recedere licet, sed non expedit.*

August. ad eumdem.

(28, q. 1, c. *Sic enim.*) Item : Sic enim neque recedere ab infidelibus uxoribus vel a maritis, fideles viri vel feminæ non prohibentur a Domino, ut neque jubeantur. Nam si dimittere tales uxores juberentur, nullus locus esset consilio monentis Apostoli ne hoc fieret. Nullo modo enim quod Dominus jubet, servus bonus prohibet. Item cum ergo cœpisset gentibus Evangelium prædicare, et junctos gentiles comperisset conjugibus, ex quibus si non ambo crederent, sed unus aut una, et infidelis cum infideli consentiret cohabitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec juberi ; ideo scilicet non prohiberi, quia justitia permittit a fornicante discedere, et infidelis hominis fornicatio est major in corde, nec vera ejus pudicitia cum conjuge dici potest, quia omne quod non est ex fide peccatum est, quamvis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli conjuge quæ non habet veram. Imo autem nec juberi debuerunt fideles ab infidelibus separari, quia non contra jussionem Domini gentiles fuerunt ambo conjuncti. Quoniam ergo ab infideli, fidelem discedere non prohibet nec jubet Dominus, imo ut non discedat, Apostolus dicit, non Dominus, habens utique Spiritum sanctum in quo dare posset utile et fidele consilium conjugii, unde cum dixisset de muliere cujus vir mortuus fuerit, *Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium* (*I Cor.* VII), ne quis hoc consilium tanquam humanum et non divinum contemnendum putaret, adjecit : *Puto quod et ego Spiritum Dei habeam* (*ibid.*). Proinde intelligendum est, etiam ipsa quæ a Deo non jubentur, sed a sancto ejus famulo utiliter suadentur, eadem Domino inspirante suaderi. Absit enim ut quisquam Catholicus dixerit quod suadet Spiritus sanctus, non Dominum suadere ; cum et ipse Dominus sit, et inseparabilia sunt opera Trinitatis. Dicit enim Apostolus : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*ibid.*). Non ut hoc consilium alienum æstimemus a Domino, cum continuo sequatur et dicat : *Tanquam misericordiam consecutus a Deo ut fidelis essem* (*I Cor.* VII). Secundum ergo Deum dat consilium fidele in eo Spiritu de quo ait : *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam*. Verumtamen aliud est Domini jubentis imperium, aliud conservi secundum misericordiam charitatis quæ illi a Domino est inspirata atque donata, fidele consilium ; ibi enim aliud facere non licet, hoc autem licet ita sane, ut ipsum licitum partim quidem expediat, partim vero non expediat. Expedit enim tunc quando non solum propter justitiam, quæ coram Deo est permittitur, sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur, velut cum dat consilium non nubendi Apostolus virginibus, unde præceptum Domini se non habere testatur, licet aliud facere, id est nubere, et minus continentiæ bonum tenere in nuptiis, ipsumque licitum etiam expedit, quoniam in vetita et illicita ruituram carnis infirmitatem sic excepit honestatem nubendi ut neminem impediat ad salutem, quam magis expediret, magisque honestum esset, si virgo consilium quo præceptum eam non compellit, arriperet, tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis offert impedimentum salutis, sicut est unde jam diu loquimur, discessio conjugis fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est, sed prohibet Apostolus consilio charitatis quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solum perniciosissime scandalizantur offensi, verum etiam cum in alia conjugia cecideriut, viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficile resolvuntur. Ideo hic ubi quod licet non expedit, non potest dici : Si dimiserit infidelem bene facit, si non dimiserit melius facit, sicut dictum est : *Qui dat nuptui bene facit, qui non dat nuptui melius facit* (*ibid.*), quia non solum illud, sed utrumque pariter licet. Unde ad nihil horum præcepto Domini quisque compellitur, sed etiam utrumque expedit, aliud minus aliud amplius. Unde ad id quod amplius expedit consilio Apostoli, quicunque potest capere provocatur.

Hic autem ut de dimittendo vel non dimittendo infidelis cum fideli conjugio quæritur, utrumque quidem pariter licitum est per justitiam quæ coram Domino est, et ideo nihil horum prohibet Dominus sed non utrumque expedit propter infirmitates hominum, et ideo id quod non expedit, Apostolus prohibet, dante sibi Domino liberum prohibendi locum, quia neque id quod monet Apostolus, prohibet Dominus, neque id prohibet Apostolus quod jubet Dominus. Quod nisi ita esset, neque contra pohibitionem Domini Apostolus aliquid moneret, neque contra jussionem ejus aliquid prohiberet. Proinde in his duabus causis una de nubendo, vel non nubendo; altera de infideli conjuge dimittendo vel non dimittendo, aliquid simile invenitur, aliquid dissimile : simile quidem illud quod et ibi de-

Introdusă în format electronic de Google

cit : *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do;* et hic dicit : *Ego dico, non Dominus* (*I Cor.* VII). Quale est enim, *Præceptum Domini non habeo;* tale est, *Non dicit Dominus.* Et quale est *Consilium do*, tale est, *Ego dico.* Illud autem dissimile est quia de nubendo et non nubendo potest dici, Hoc bene fieri potest; illud autem melius, quoniam utrumque expedit, aliud minus, aliud majus. At vero de conjuge infideli dimittendo vel non dimittendo quoniam unum horum non expedit, aliud expedit, dici oportet : Qui dimittit benefacit, et qui non dimittit melius facit ; sed dici non oportet : Non dimittit, quia scilicet non expedit. Sic ergo possumus dicere, melius esse in fidelem conjugem non dimittere, quamvis liceat et dimittere, quemadmodum recte dicimus melius esse quod licet et expedit, quam id quod licet nec expedit.

His de causis factum est ut ego exponens Domini sermonem quem prolixum in monte habuit, ubi ventum est ad quæstionem de conjugibus dimittendis vel non dimittendis adhibui, consilium ab Apostolo, non præceptum Domini, ubi ait : *Cæteris autem ego dico, non Dominus* (*ibid.*), monens eos qui haberent conjuges infideles, ut consentientes habitare secum non dimitterent. Quod utique imo monendum, non jubendum fuit, quia non tanto pondere prohibendi sunt homines facere licita, quamvis non expediat, quando prohibentur pondere illicita. Si autem alicubi Apostolus etiam illa quæ jubenda sunt, monere dignetur, hoc facit parcendo infirmitati, non præjudicando jussioni. Unde sic dixit : *Non ut confundam vos scribo, sed ut filios charissimos moneo* (*I Cor.* IV). Quid habet quæstionis, ubi ait : *Ecce ego Paulus dico vobis quia si circumcidimini Christus vobis nihil proderit?* (*Gal.* V.) Nunquid etiam hic dicit : *Ecce ego dico, non Dominus?* Non sunt itaque ista similia, quia etiam illa quæ jubet Dominus, non est indignum vel contrarium, si eadem monet Apostolus. Monemus enim eos quos charos habemus ut faciant Domini præcepta vel jussa. Cum vero ait : *Ego dico, non Dominus*, ostendit, Dominum non prohibere quod ipse prohibebat. Prohibuisset autem Dominus, si esset illicitum.

Ergo secundum ea quæ superius diximus multumque versavimus, licitum erat per justitiam, sed licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam. Tu autem cui placet ita non licere quod non vetat Dominus, sed Apostolus, quemadmodum non licet quod vetat Dominus, cum exponere voluisses quid sibi vellet, quod ait : *Ego dico, non Dominus*, cum alloqueretur fideles, quibus essent conjuges infideles, dixisti quia Dominus jussit, ne conjugia sibimet diversæ religionis copularent, et ipsum adhibuisti testimonium Domini dicentis : *Non accipies uxorem filio tuo a filiabus alienigenarum, ne traducat eum post deos alienos ut pereat anima ejus* (*Exod.* XXXIV). Addidisti etiam verba Apostoli dicentis, ubi ait : *Mulier alligata est viro quandiu vir ejus vivit. Quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est, et cui vult nubat, tantum in Domino* (*I Cor.* VII), quod ita exposuisti ut adjungeres : Id est Christiano. Deinde secutus es et addidisti : Hoc est ergo Domini præceptum tam in Veteri quam in Novo Testamento, et hoc jubet Dominus, hoc docet Apostolus, ut nonnisi ejusdem religionis et fidei maneant copulata conjugia. Quare contra Domini jussum, contra doctrinam sanctam, contra præceptum Testamenti Veteris et Novi jubet Apostolus, ut diversæ fidei maneant copulata conjugia? Quia Paulus, inquit, prædicator gentium et apostolus, jam in conjugio positos non solum monet, sed etiam jubet, ut si alter ex conjugibus credidisset, alterum non credentem, secum habitare tamen consentientem, non dimitteret.

His verbis suis aliud hoc, aliud esse illud satis evidenter ostendis. Aliud illud satis quidem evidenter ostendis. Illud enim de his conjugiis agitur, quæ non sunt primitus copulata, ne nubat femina, nisi suæ religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem Id enim, ut dicis, jubet Dominus, docet Apostolus, utrumque præcepit Testamentum. Hoc autem diversum esse quis abnuat? Ibi enim agitur non de conjungendis, sed de conjunctis, ambo quippe unius ejusdemque infidelitatis fuerunt quando conjuncti sunt, sed Evangelium cum venisset, alter sine altera vel altera sine altero credidit. Si ergo aliud est hoc, quod sine scrupulo ullius dubitationis apparet, cur virum fidelem cum infideli conjugio permanere non licet? Nonne etiam Dominus, sicut Apostolus jubet? Nisi forte isto loco vacat illud quod tam fideliter ipse Apostolus ait : *An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII). Et utique Dominus est Christus. Intelligisne quid dicamus? An in hoc explanando aliquando diligentius immorabor? Attende ut rem ipsam explanandam tanquam in conspectu declarandam planiore sermone ponamus. Ecce conjuges duo unius infidelitatis ita fuerunt, quando conjuncti sunt. Nulla de his quæstio est quæ pertineat ad illam Domini jussionem, doctrinamque apostolicam et præceptum Testamenti Veteris et Novi, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare conjugium. Jam sunt conjuges, et adhuc ambo sunt infideles. Adhuc tales sunt quales fuerunt, antequam conjungerentur, qualesque conjuncti sunt. Venit Evangelii prædicator, credidit eorum aut unus aut una, sed ita ut infidelis cum fideli habitare consentiat. Jubet fideli Dominus ut infidelem dimittat, annon jubet? Si dixeris : Jubet, reclamat Apostolus : *Ego dico, non Dominus;* si dixeris, Non jubet, causam requiro. Neque illam mihi responsurus es quam tuis litteris indidisti, quia Dominus prohibet fideles infidelibus jungi ; hic enim nullo modo est ista causa, quia de jam conjunctis loquimur non de conjungendis,

Introdusă în format electronic de Google

sicut (sic) ergo tuam causam non invenisti cur non vetet Dominus quod prohibet Apostolus. Cernis enim

A jam, ut æstino, non esse ipsam causam quam putaveris esse.

QUARE NON DEBET SOLVI CONJUGIUM, ET QUOD SINE CONSENSU UTRIUSQUE NON SIT MATRIMONIUM.

Cap. CII. *Matrimonium consensu contrahitur, nec invalidatur, si consuetudo patriæ non servetur.*

Conc. Trib., c. 15.

(C. 1. Extrav. *De Sponsa.*) De Francia nobilis vir quidam nobilem de Saxonia Saxonum lege duxit uxorem. Tenuit multis annis, ex ea filios procreavit. Verum quia non iisdem legibus utuntur Saxones et Franci causatus est quod eam non sua, id est Francorum lege desponsaverit vel acceperit aut dotaverit, dimissaque illa duxit alteram. Super

B hoc definivit sancta synodus, ut ille transgressor evangelicæ legis subigatur pœnitentiæ ; a secunda conjuge separetur, priorem resumere cogatur.

Cap. CIII. *Qualiscunque sit vir, ex quo semel placuit, non est dimittendus.*

Ambros. *Examer.*, l. v, c. 7

(32, q. 5, c. *Horrendus.*) Horrendus et incultus est vir qui semel placuit : nunquid vir alius, eligendus est? Comparem suum equus diligit et si mutetur, alius trahere jugum nescit, compar alterius et se non totum putat. Tu conjugalem repudias tuum, et sæpe putas mutandum, muta, et si unodiscesserit die, superduc rivalem, et statim incognita causa, quasi cognitam pudoris exsequeris injuriam.

Cap. CIV. *Qualiscunque sit mulier, ex quo semel placuit viro, non est dimittenda.*

C

August. *De sermone Domini in monte.*

(32, q. 5, c. *Si uxorem.*) Si uxorem quisque habeat, sive sterilem, sive deformem corpore, sive debilem membris, cæcam et surdam, vel claudam, vel si quid aliud sive morbis et doloribus laboribusque confectam, et quidquid excepta fornicationis causa cogitari potest vehementer horribile, pro societate et fide sustineat.

Cap. CV. *Sterilem uxorem dimittere, et fecunditatis causa aliam ducere, alicui non licet.*

August. *De bono conjug.*, c. 7.

(32, q. 7, c. *Tantum valet.*) Tantum valet sociale vinculum, ut cum causa procreandi colligitur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Posset enim homo sterilem dimittere uxorem, et aliam ducere de qua filios habeat, et tamen non licet. Item : Manet vinculum nuptiarum, etiamsi proles cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros separare se tamen vel ipsa causa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis quibus se copulaverint adulterium committunt. Ipso autem conjugio manente, plane uxoris voluntate adhibere aliam unde communes filii nascantur, nullus commistione ac semine alterius, aut jure et potestate apud antiquos patres fas erat, utrum et nunc fas sit, temere non dixerim.

Cap. CVI. *Non licet alicui uxorem dimittere, nisi causa dissidii primum Ecclesiæ probetur.*

Conc. Carth. IV, c. 30.

(33, q. 2, c. *Sæculares.*) Si vero sæculares qui conjugale consortium nulla culpa graviori dimittunt, vel etiam si dimiserunt, et nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea matrimonia sua dimittunt, ut aut illicita aut aliena præsumant, si antequam ante episcopos comprovinciales

D dissidii causas dixerint, et priusquam *judicio* damnentur, uxores suas abjecerint, a *communione* Ecclesiæ, et sancto populi cœtu, pro eo quod fidem et conjugia maculant, excludantur.

Cap. CVII. *Quod consensus contrahentium sufficit ad matrimonium.*

Nicolaus Hicmario episc.

(27, q. 2, c. *Sufficiat solus.*) Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, quorum de conjunctionibus agitur, qui consensus cum soles in nuptiis defuerit, forte cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur, Joanne Chrysostomo magno doctore attestante, qui ait : « Matrimonium non facit coitus sed voluntas.

Cap. CVIII. *Juramento patris non cogitur puella nubere, cui nunquam consensum adhibuit.*

Urban. pap. de filio Jordani.

(31, q. 2, c. *Si verum.*) Si verum esse constiterit quod nobis legati Jordanis principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus et dolens *filiam suam* infantulam nolentem, flentem et pro viribus renitentem, non assentientibus sed valde dolentibus matre et parentela, Ramaldo Ridelli filio desponsaverit, quoniam canonum et legum auctoritate talia sponsalia, ut infra ostenditur, non approbant, ne ignorantibus leges et canones nimis durum quod dicimus videatur, ita sententiam temperamus, ut si princeps cum assensu filiæ et matris et parentelæ id quod cœptum est perficere voluerit, concedamus; sin autem, legatus noster utrasque partes audiat, et si nihil fuerit ex parte supradicti Ramaldi quod amplius impediat, ab ipso Jordano sacramentum quod ita constent hæc ut dicta sunt, accipiat, et nos canonum et legum scita sequentes deinceps non prohibemus, quin alii viro si voluerit prædicta filia ejus, tantum in Domino nubat.

Cap. CIX. *Quorum unum futurum est corpus, unus esse debet et animus, atque ideo nulla invita est copulanda alicui.*

Urban., de Sanct. Arag. reg. filia.

(31, q. 2, c. *De neptis.*) De neptis tuæ conjugio quam cuidam militi te daturum necessitatis hac articulo instante sub fidei pollicitatione firmasti, hoc æquitate dictante decernimus, ut si illa virum

Introdusă în format electronic de Google

filum omnino, ut dicitur, renuit, et in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi se prorsus deneget nupturam, nequaquam eam invitam et renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari. Quorum enim unum corpus est unus debet esse et animus, ne forte cum virgo fuerit alicui invita copulata, contra Deum Apostolique præceptum malum in eum redundare constat, qui eam conjunxit invitam, quod pari tenore de viro etiam est tenendum.

DE SEPARATIONE CONJUGII PROPTER ERROREM CONDITIONIS.

Cap. CX. *Error conditionis vitiat matrimonium.*

Novell., constitut. 33.

Si quis per errorem ancillam mulierem duxerit uxorem, liberam putans, vel econtrario si libera mulier servo per errorem juncta sit, posteaque veritas reperta fuerit, dicendum est omnino nuptias non constitisse. Inter liberum enim et ancillam, servum aut liberam mulierem nuptiæ contrahi non possunt. Quod si calliditate et conniventia domini, servus et ancilla matrimonium contraxerit cum libera persona : forte enim dominus ancillam suam ut liberam viro ingenuo conjunxit et dotem pro ea præstitit, ut propter nuptias donationem lucretur totam, vel pro parte. Si quid ergo tale contigerit, ipsa donatione dotis, et ancillam facit liberam et nuptiæ consistunt, nulla lege quantum pertinet ad servitutem, hujusmodi matrimonium concutiente. Sin autem dominus specialiter quidem in ancillæ suæ nuptias vel servi non consenserit, sciens autem quod non concubuerit, forte enim ideo hoc facit ut postea negotium moveat homini libero, quod ancillam ejus duxit uxorem, vel ingenuæ mulieri quod servo ejus nupta est. Si quid ergo tale evenerit et specialiter dominus non consenserit, attamen res sciens non prohibuerit, et nuptiæ integro jure consistant, et servilis conditionis persona eripiatur, ad ingenuitatem illo jure sine dubitatione aperto, quod liberi qui ex hujusmodi nuptiis fuerint procreati tam ingenui quam legitimi sunt.

Cap. CXI. *De eo qui ancillam duxit in uxorem, quam putat esse liberam.*

Conc. apud Vermer., c. 6.

(29, q. 2, c. *Si quis ingenuus.*) Si quis ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit, et æstimat quod ingenua sit, si ipsa femina postea in servitute fuerit detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat ; si non potest, si voluerit accipiat aliam ; si autem tamen [servam] eam esse sciebat, et collaudaverat, prout legitimam eam habeat. Similiter et mulier ingenua de servo alterius facere debet.

DE IMPOTENTIA COEUNDI

Cap. CXII. *Licet ducere aliam viro, cui sua ob infirmitatem corporis debitum reddere non valet.*

Gregor. Junior Bonifacio episcopo.

(32, q. 7, c. *Quod proposuisti.*) Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quod ejus faciat conjugalis ? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret ; sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere nubat magis ; non tamen ei subsidii opem subtrahat quam infirmitas præpedit, tamen non detestabilis culpa excludit.

Cap. CXIII. *Licet uxori ducere alium ob infirmitatem viri, reddere debitum impotentis.*

Cod. l. v, c. 19, t. 10.

(L. *In causis*, c. *De repudiis*, et c. *Litteræ*, et Extrav. *De frig.*) Si maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos continuos annos computando, coire minime propter imbecillitatem naturalem valeat, mulier possit vel ejus parentes sine periculo dotis amittendæ repudium marito mittere.

Cap. CXIV. *De eodem.*

Capitul., tit. VII, c. 20.

(22, q. 2, c. *Non est*, et Extra. *De frig.*) Si vir et mulier conjunxerunt se in matrimonio ; et postea dixerit mulier de viro non posse nubere cum eo ; si poterit probare quod verum sit, accipiat alium, eo quod juxta Apostolum, non potuit ille vir suus reddere debitum

Cap. CXV. *Si mulier probaverit quod a viro suo nunquam cognita fuerit, separentur.*

Gregorius. ad Joan. Raven. episc.

(27, q. 2, c. *Quod autem*, 33, q. 1, c. *Licet mul.*) Quod autem interrogasti de his qui matrimonio juncti sunt, et nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium ducere possit, quibus scriptum est : Vir et mulier si se conjunxerint, et postea dixerit mulier de viro quod non possit coire cum ea, si potest probare per justum judicium quod verum sit, accipiat alium ; si autem ille aliam acceperit, separentur.

Cap. CXVI. *Licet mulieri alteri nubere, quam ob frigiditatem vir cognoscere non potuerit.*

Gregor. II ad Joan. Raven. episc.

(34, q. 1, c. *Requisisti.*) De his requisisti qui ob causam frigidæ naturæ se dicunt non posse invicem operam carni dantes commisceri. Iste vero si non potest ea uti pro uxore, habeat quasi sororem. Quod si retinaculum jugale voluerint rescindere maneant utrique innupti. Nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniat ? Igitur si vir aliam uxorem vult accipere manifesta ratione patet quod suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam habuit, et ideo eam dimittere mendacii falsitat

Introdusă în format electronic de Google

molitur. Quod si mulier causatur et dicit, Volo mater esse et filios procreare, uterque eorum vii manibus propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis, jurejurando dicat, ut nunquam permistione carnis conjuncti, una caro effecti essent, tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias. Humanum dico propter infirmitatem carnis eorum; vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge. Quod si et ille aliam copulam acceperit, tum ii qui juraverunt, perjurii crimine rei teneantur, et pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia.

CAP. CXVII. *Quid de his qui maleficiis impediti, coire non possunt.*

Hincmar. Rem. episc.

(33, q. 1, c. *Si quis per.*) Si per sortiarias atque B maleficias, occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente et diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito et spiritu humiliato Deo et sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, et profusis lacrymis, ac largioribus eleemosynis et orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant, et per exorcismos ac cætera ecclesiasticæ medicinæ munia, ministri Ecclesiæ tales quamdiu annuerit Dominus, qui Abimelec ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent. Qui forte si sanari non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus quibus junctæ fuerant, prioribus quas reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.

CAP. CXVIII. *Modus istius disjunctionis.*

Conc. apud Vermer., c. 27.

(C. *Laudabilem.* Extra. *De frig.* et *malefic.*) Si qua mulier proclamaverit quod vir suus nunquam coisset cum ea, exeant inde ad crucem; et si verum fuerit, separentur. Et ita fiat quod vult.

CAP. CXIX. *In veritate viri consistat, si mulier negat se cognitam ab eo.*

Concil. Compend., c. 20.

(33, q. 1, c. *Si quis.*) Si quis acceperit uxorem et habuerit eam aliquo tempore, et ipsa mulier dicit quod non coisset cum ea; et ille vir dicit quod sic fecerit, in veritate consistat vir, quia vir caput est mulieris.

DE SEPARATIONE CONJUGII OB NON CAUSAM FORNICATIONIS.

CAP. CXX. *De eo qui dormit cum sponsa fratris sui.*

Conc. Tribur., c. 41.

(27, q. 1, c. *Quidam desponsavit.*) Vir si duxerit uxorem, concumbere cum ea non valens, et frater ejus clanculo vitiaverit eam, et gravidam reddiderit, separentur. Considerata autem imbecillitate, misericordia ejus impartiatur ad conjugium tantum in Domino.

CAP. CXXI. *Disjungantur et nunquam conjugio copulentur qui quemlibet subjectorum admiserit.*

Conc. Magunt., c. 6.

(32, q. 7, c. *Si quis viduam.*) Si quis viduam uxorem duxerit et postea cum filiastra fuerit fornicatus seu cum duabus sororibus altera manente uxore, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum D patre et filio, si quis relictam fratris, si quis neptem aut novercam, aut nurum aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignem polluerit, eos disjungi, et ulterius nunquam conjugio copulari præcipimus.

CAP. CXXII. *Ante tempus consentiendi conjugium contrahi non potest*

Nicolaus pap.

(30, q. 2, c. *Ubi non est consens.*) Ubi non est consensus utriusque non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellam in cunabulis, vel e converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum consentiat postquam venerit ad annos discretionis; non est conjugium nisi fiat utriusque consensus, etiam si pater et mater hoc fecerint et voluerint.

CAP. CXXIII. *Qui de sacro fonte suscipitur, filius est ejus a quo suscipitur.*

Nicolaus pap. ad cons. Bulg.

(30, q. 3, c. *Ita diligere.*) Ita diligere debet homo eum qui se suscipit a sacro fonte sicut patrem Item: Est inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitramur fieri non posse quodlibet non legale connubium, quando quidem nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi non permittunt. Item: Inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio jungit, quanto magis a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit. Longe igitur, inquit, congruentius filius patris mei vel frater meus appellatur is, quem gratia divina quam quem humana voluntas ut filius ejus vel frater meus esset, elegit, prudentiusque ab alterna corporis commistione secernuntur.

CAP. CXXIV. *Non separetur a viro quæ filiastrum de sacro fonte levavit.*

Nicolaus Salonit. epise

(30, q. 1, c. *Nosse.*) Nosse desideras utrum mulier quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum cum eodem viro possit copulari, quos ideo jungi posse decernimus, quia, secundum sacros canones, nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quod habens odio virum vel infirmitatem ejus non

Introdusă în format electronic de Google

considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem, maxime cum præcipiat Apostolus : *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*I Cor.* VII). Ergo si non consensu utriusque conjugis hoc factum esse probatur, ne fraudentur invicem, sed revertantur in idipsum præsertim cum dicat Apostolus : *Uxor potestatem corporis sui non habet, sed vir; similiter et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier* (*I Cor.* VII).

CAP. CXXV. *Ab uxore separetur qui filiastrum suum coram episcopo tenuit.*

Conc. apud Vermer. c. 4.

(30, q. 1, c. *Si quis filiast.*) Si quis filiastrum aut filiastram suam ante episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, et alteram non accipiat.

CAP. CXXVI. *Non separentur ab uxoribus qui filiastros suos coram episcopo tenent.*

Nicolaus pap. Rodolph. Bitur. episc.

(30, q. 1, c. *De his qui.*) De his qui filiastros suos ad confirmationem tenuerint coram episcopis id est, qui filios uxoris suæ de viro priori dum chrismantur ab episcopis super se sustinent, si in scientia, sicut asseris, fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem conjugii puniendum est. Lugeant tamen et digna pœnitentia hoc diluentes Domino dicant : *Delicta ignorantiæ nostræ ne memineris* (*Psal.* XXIV).

CAP. CXXVII. *Separentur viri ab uxoribus qui aliquo casu, natos proprios ex lavacro sancto susceperunt.*

Deusdedit papa Gordiano Hispal. episc.

(30, q. 1, c. *Pervenit.* et *Imo quia.*) DEUSDEDIT sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ episcopus, GORDIANO Hispalensis Ecclesiæ coepiscopo et fratri dilectissimo.

Pervenit ad nos diaconus sanctitatis vestræ epistolam deferens, quod quidam viri et mulieres præterito Sabbato paschali die, pro magno populorum incursu, nescientes filios suos suscepissent ex lavacro sancto. Cupis ergo scire, si pro tali ratione accidenti, viri ac mulieres debeant ad proprium usum redire an non. Nos vero ex hac re mœsti inquisivimus priorum dicta. Invenimus autem in Archivis hujus apostolicæ sedis jam talia contigisse in Ecclesia Hisauriæ et Ephesiorum simulque Hierosolymæ aliarumque etiam Ecclesiarum episcopis et earum civitatum ab hac apostolica sede volentibus scire, utrum viri ac mulieres ad proprium redirent thorum, beatæ memoriæ sancti Patres, Julius, Innocentius, Cœlestinus, cum episcoporum plurimorum et sacerdotum consensu, in ecclesia Beati Petri apostolorum principis prohibentes talia præscripserunt et confirmaverunt, ut nullo modo se in conjugio reciperent mulieres ac viri quicunque aliqua ratione suscepere natos proprios, sed separentur ne, suadente diabolo, tale vitium inolescat per mundum. Scitis quia quomodo sunt VII dona sancti Spiritus, ita sunt VII baptismi dona : a primo pabulo sacrati salis et ingressu ecclesiæ usque ad confirmationem per chrisma. A primo ergo hoc usque ad septimum, nullus Christianus suam commatrem in conjugio suscipere debet, et qui præsumpserit, tamdiu anathematis vinculo religetur, donec pœnitentiam egerit digne.

CAP. CXXVIII. *Filia spiritualis carnali filio nullo modo nubere potest.*

Zacharias pap. Theodoro Rem. episc.

(30, q. 3, c. *Pictatium.*) ZACHARIAS episcopus servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo fratri THEODORO episcopo Ticinensi.

Pictatium quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, suscipimus, per quod sciscitari voluisti, si liceat filium, cujus pater alterius filiam ex sacro baptismate susceptam, id est spiritualem ejusdem patris filiam, quod dici crudele est, matrimonio accipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse, sed bene fraternitas tua compertum habet, quod Dominus Moysi præcepit dicens : *Turpitudinem patris et matris et sororis tuæ non revelabis. Turpitudo enim tua est* (*Levit.* XVIII). Cum ergo a propria consanguinitate præcipimur abstinere, multo magis a spirituali patris nostri filia omni occasione aut argumento seposito sub nimia districtione nos cavere convenit, ne iram divinæ examinationis incidat, si quis tali facinori mistus minime restrinxerit frena luxuriæ. Unde et omnes omnino cavendi sunt a tali sceleris commistione, ne in æternum pereant. Sed hunc qui hujus perniciosæ temeritatis animæ suæ salutem despiciens impio se miscuit matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, et pœnitentiæ dignæ submittere, quatenus ab æterna erutam damnatione, animam ejus lucreris præstante Domino. De filiis autem qui ex his nati esse probantur, retulisti, si liceat eos in matrimonio copulari ; sed hi cur prohibeantur a conjugio aut pro hujusmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc absque damnatione esse prohibentur, quia nec pater pro filio, neque filius pro patre sustinebit tormenta, dicente Domino per prophetam : *Anima patris mea est, et anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII), sed et, frater charissime, de his dixisse sufficiat. Cave autem ne aliter agere subjectis concedas, ne a recto tramite inveniaris deviare.

CAP. CXXIX. *Ne quis nubat commatri spirituali.*

Ex Decret. Gregor. Jun.

(35, q. 2, c. *Si quis.*) Si quis spiritualem commatrem in conjugium duxerit, anathema sit.

Introdusă în format electronic de Google

LIBER SEPTIMUS.

DE SEPARATIONE CONJUGII CARNALIS OB CAUSAM CARNALIS FORNICATIONIS.

CAP. I. *Communione privatur qui extra causam fornicationis uxorem suam dimittit.*

(32, q. 5, c. *Præceptum.*) Præceptum Domini est ut, excepta fornicationis causa, uxor a viro dimitti non debeat, et ideo quicunque extra culpam criminis supradicti uxorem suam quacunque occasione reliquerit, quia quos Deus conjunxit, ille separare disposuit, tandiu ab ecclesiastica communione privatus sit, et a cœtu hominum Christianorum maneat alienus, quandiu societatem relictæ conjugis sinceriter amplectatur et foveat, ita tamen si jam moniti a sacerdote semel et bis et ter ut corrigerentur, ad thori suæ conjugis noluerint redire consortium, ipsi suis meritis et a palatinæ dignitatis officio separabuntur, et insuper generosæ dignitatis testimonia quandiu in culpa fuerint amissuri sunt, quia carnem suam dissidii jugulo tradiderunt.

CAP. II. *Sive vir ab uxore, sive uxor a viro causa fornicationis discesserit, alteram habere prohibetur.*

August. super Epist. ad Cor.

(32, q. 7, c. *Apostolus.*) Apostolus Paulus dixit, his qui sunt in conjugio : *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari* (*I Cor.* VII). Potest enim fieri ut discedat ea causa qua Dominus permisit : at si feminæ virum licet dimittere etiam causa fornicationis, quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius : *Et vir uxorem non dimittat ?* Quare non addidit, excepta fornicationis causa, quod Dominus permittit, nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore aut reconcilietur uxori ? Et post pauca : Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit.

CAP. III. *Non licet viro uxorem dimittere nisi causa fornicationis.*

Hieronym. ad Ocean. in epitaph. Fabiol.

(32, q. 5, c. *Præcipit Dominus.*) Præcipit Dominus uxorem non dimitti debere excepta causa fornicationis, et si dimissa fuerit, manere innuptam (*Matth.* V). Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, et vir mœchus tenendus. Item : Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur.

CAP. IV. *Mœchatur qui a viro dimissam ducere præsumit.*

August. *De serm. Domini in monte.*

(32, q. 2, c. *Dominus ad illud.*) Dominus ad illud confirmandum ut non facile dimittatur uxor, solam fornicationis causam excepit. Cæteras vero innumerabiles molestias si quæ exstiterint, *jubet pro* fide conjugii, pro castitate fortiter sustineri, et mœchum dicit etiam virum qui eam duxerit quæ soluta est a viro. Item : Fieri potest ut vir dimittat uxorem causa fornicationis quam Dominus exceptam esse voluit. Jam vero si nec *illi* nubere conceditur viro vivo a quo recessit, *neque huic* alteram ducere viva uxore quam dimisit, *multo minus* fas est illicita eum cum quibuslibet stupra committere.

CAP. V. *Nulla ratione dissolvitur conjugium quod semel initum probatur.*

August. *De adult. conjug.* l. II, c. 4.

(32, q. 7, c. *Licite.*) Licite dimittitur uxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit uxorem etiam ob causam fornicationis. Sicut autem manente in se sacramento regenerationis, excommunicatur quisquis reus est criminis, nec ullo sacramento caret, etiam si nunquam reconcilietur Deo, ita manente in se vinculo, non caret conjugii sacramento, et si nunquam reconcilietur viro. Carebit autem si mortuus fuerit vir ejus. Reus vero excommunicationis, imo nunquam carebit regenerationis sacramento etiam non reconciliatus, quia nunquam moritur Deus, cui est copulatus in baptismo.

CAP. VI. *Vinculum conjugii fornicatione non potest dissolvi.*

August. *De bono conj.*

(32, q. 7, c. *Interveniens.*) Interveniente divortio non abolebitur confœderatio nuptialis, ita ut sibi conjuges sint etiam separati ; cum illis autem adulterium committitur, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, talis est causa cum uxore. Cæterum se habere aliter jura gentium quis ignoret, ubi interposito repudio, et cui illa voluerit nubat, et ille quam voluerit ducat. Item : A viro vivo transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit. Apostatare quippe ab uno Deo et ire in alterius adulterinam superstitionem, semper est malum.

CAP. VII. *Causa fornicationis vir dimittat uxorem non tamen adulteram ducat.*

Hieronym. in Matth., c. XIX.

(32, q. 1, c. *Dixit Hieron.*) Hieronymus : Ait Dominus in Evangelio : *Quicunque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem et aliam duxerit, mœchatur ; et qui dimissam duxerit, mœchatur* (*Matth.* XIX). Sola fornicatio est quæ uxoris vincit affectum,

Introdusă în format electronic de Google

id est cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura : *Qui adulteram tenet, stultus et impius est* (*Prov.* XVIII). Ubicunque est igitur fornicatio, aut fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur; et quia poterat accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri copulæ crimen impingeret, sic priorem dimittere uxorem jubet, ut secundam prima vivente non habeat. Quod enim dicit tale est : Si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis, quare expertus infelices priores nuptias novarum intromittas periculo. Nec non quia poterat evenire ut juxta eamdem legem uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix et quæ semel fuerit adultera ob proprium non timebat, secundo non nubere præcipitur viro. Quod si talem duxerit, sub adulterii crimine sit.

CAP. VIII. *Patronus turpitudinis est qui uxorem suam adulteram dimittere noluerit.*

Chrysost. in Matth. hom. 26.

(32, q. 1, c. *Sicut crudelis.*) Sicut autem crudelis est et iniquus qui castam dimittit, sic fatuus est et injustus qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.

CAP. IX. *Post mortem viri non potest adulter adulteram in conjugium ducere.*

Conc. Trib., c. 40.

(31, q. 1, c. *Relatum.*) Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quemdam alterius uxorem stupro violasse et insuper mœchæ vivente viro suo juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxorem. Quod factum est, Tale igitur connubium prohibemus et anathematizamus.

CAP. X. *Nullus ducat in conjugium quam polluit per adulterium.*

Conc. apud Alphes., c. 6.

(31, q. 1, c. *Illud.*) Illud vero communi decreto secundum canonum instituta definimus et judicamus, ut si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio quam prius polluit adulterio.

CAP. XI. *Adulterio polluta non ducatur ab eodem in matrimonio.*

Leo pa

(31, q. 1, c. *Nullus ducat.*) Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut illam ducat in conjugium quam prius polluit per adulterium.

CAP. XII. *Post peractam pœnitentiam poterit viduam in conjugem ducere, quam, viro vivente, per adulterium polluit.*

Conc. Tribur.

(31, q. 1, c. *Si quis vivente.*) Is qui vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, et eo in proximo defuncto eamdem sumpsisse dignoscitur, omnibus modis publicæ pœnitentiæ subigatur. De quo etiam post pœnitentiam præfatam, si expedierit, servabitur regula, nisi forte idem aut mulier virum qui mortuus fuerat occidisse notetur, aut propinquitas aut alia quælibet criminalis impediat causa, quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii cum pœnitentia perpetuo permaneant. Si autem negaverit se eamdem feminam, vivente viro, nequaquam adulterasse, et præfati homicidii neuter eorum convinci potuerit, purgent legaliter famam suæ opinionis, et sumpto utantur conjugio, si alia, ut diximus, non impedierit ratio.

CAP. XIII. *Adultera in quam mortem machinatur maritus, si ad episcopum fugerit, eam non reddat marito, sed in tuto ponat loco in quo possit iste vivere.*

Conc. Tribur., c. 3.

Si cujus uxor constuprata fuerat, et propterea maritus capitali sententia delere illam machinaverit; ipsa vero urgente mortis periculo ad episcopum confugerit, et auxilium quæsierit, operosus tamen si potest episcopus laborare desudet ne occidatur. Si vero non potest, nullo modo liceat ei requirenti eam reddere ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum, sed solerti cura transmittat eam ad locum quem ipsa delegerit ut secura possit vivere. Si vero interdum maritus eam invenerit et repetierit, secundum sæculi potestatem habebit, quidquid ei agere velit. Sed audiat Augustinum dicentem : « Cum enim vir a virtute nomen acceperit, et mulier a mollitia, id est fragilitate, quare contra crudelissimam bestiam libidinis vult unusquisque uxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadat? Nam quidquid contra fidem Catholicam non licet mulieribus, nec viris licebit. Si autem eadem mulier timore perterrita a loco ubi eam destinaverit, abfugerit, et vir ejus ab episcopo semel et bis aut sæpius repetierit, si vitam ejus obtinere possit perquirat et reddat. Si autem non, omnino non reddat, maritus autem quandiu vivit, nullatenus alteram ducat. »

DE INTERFECTORIBUS SUARUM CONJUGUM.

CAP. XIV. *Non licet alicui uxorem suam adulteram occidere.*

Nicolaus Alvino archiepis.

(33, q. 2, c. *Inter hæc.*) Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit utrum marito ipsius liceat secundum humanam legem eam interficere. Sed Dei sancta Ecclesia mundanis nonquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem quo non occidit, sed vivificat.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XV. *Conjugia penitus interdicantur his qui suas conjuges occidant.*

Nicolaus Rodulpho Bitur. archiepisc.

(33, q. 2, c. *Interfectores.*) Interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis adulteram vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt nisi homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus conjugium penitus denegatur, exceptis adolescentibus de quibus est beati Leonis papæ 25 regula Decretalium, imo indulgentia servanda.

CAP. XVI. *Pœnitentia Astulphi qui propriam uxorem suam interfecit.*

Stephanus V Astulpho.

(33, q. 2, c. *Admonere.*) Admonere te cum lacrymis et gemitu multo cordis curamus, fili Astulphe, sed non filius dici debes qui ter crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi consociatam sine causa mortis, non tibi resistentem quocunque modo, non insidiantem vitæ tuæ, non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed concitatus a diabolo et impio furore inflammatus, latronum more atrocius eam gladio tuo crudelior omni bestia interemisti, et nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo, qui matri non pepercisti, filios tuos orphanos fecisti. Inducere super eam vis mortis causam post mortem, per unum homicidam et reprobum testem incusare vis mortuam. Quoniam nec Evangelium nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat vel justificat, quanto magis per istum flagitiosissimum et scelestum nec illa viva debuit condemnari, nec a te post ejus mortem accusari. Prius causa criminis subtiliter erat investiganda, et tunc si ita fuisset inventa, secundum legis tramitem debuit accipere ultionis vindictam. Nam si verum (quod absit!) fuisset sicut ille adulter mentitus est, post annos VII pœnitentia forsitan peracta dimittere eam per approbatam causam poteras si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam et vivat. Idcirco placeat tibi consilium nostrum, et fac hoc quod levius et melius videri potest. Miserere animæ tuæ ut non sit tuus tibimet ipsi homicida. Relinquere quapropter te rogamus hoc malum, secundum quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus. Ingredere in monasterium, humiliare sub manibus abbatis, et multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta supplici animo quæ tibi fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, et refrigeretur tua anima, priusquam crucieris in perpetuis flammis hoc melius et levius certissime scias.

Sin autem publicam pœnitentiam permanens in domo tua vel in hoc mundo vis agere (quod tibi pejus et durius et gravius esse non dubites) ita ut agere debeas, exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum et omnem siceram non bibas, carnem nunquam ullo tempore comedas, præterquam in Pascha et die Natalis Domini. In pane et aqua et sale pœnitentiam age. In vigiliis et jejuniis, in orationibus et eleemosynis omni tempore persevera. Armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas. Uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas. In balneo nunquam lavare. In conviviis lætantium nunquam miscere. In ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium et postes te humiliter repone. Ingredientium et egredientium simpliciter orationibus commendare. Communione corporis et sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes. In ultimo tamen exitus vitæ tuæ die, si merueris pro viatico si sit qui tribuat tibi, tantummodo venialiter ut accipias tibi concedimus.

Sunt et alia multa quæ tibi durius et satis acrius erant juxta magnum pondus peccati, infelix, adjicienda. Sed si hæc omnia quæ tibi misericorditer dicta sunt, perfecto corde, Domino auxiliante feceris et custodieris, confidimus de immensa Dei clementia remissionem te tuorum habiturum peccatorum, et secundum dictum justi bonique Pastoris resolvit te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam qui eam sanguine suo acquisivit, solutus sis in cœlis. Sin autem aliter feceris, et sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse sis tibi *judex*, et in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis. Et sanguis tuus super caput tuum, *nos alieni* a consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur, et desudare et Domini attentius misericordiam quotidie implorare.

CAP. XVII. *Potius uxore vivente aliam ducat quis, quam humanum sanguinem fundat.*

August. *De Conjug. adulter.*, c. 2.

(33 q. 2, c. *Si quod.*) Si quod verius est dicitur, non licet homini Christiano adulteram conjugem occidere, sed tantum dimittere. Quis est tam demens qui ei dicat: Fac quod non licet, ut liceat tibi quod non licet. Cum enim utrumque secundum legem Christi illicitum sit, sive adulteram occidere, sive, illa vivente, aliam ducere, ab utroque est abstinendum, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, et non faciat homicidium, ut, vivente uxore, aliam ducat, et non humanum sanguinem fundat, quod si est utrumque nefarium, non debet alterum per alterum perpetrare, sed utrumque vitare.

Introdusă în format electronic de Google

DE ADULTERIO.

CAP. XVIII. *Carolus Magnus primam repudiavit uxorem et secundam duxit, ex qua filios suscepit tres et tres filias.*

Carol. Magn. juxta Alcuin.

Cum matris hortatu filiam Desiderii regis Longobardorum Carolus duxit uxorem; incertum qua de caüsa eam post annum repudiavit, et Hildebergam de gente Suevorum præcipuæ nobilitatis feminam, in matrimonium acceperit, de qua tres filios Carolum videlicet et Pipinum et Ludovicum totidemque filias genuit.

CAP. XIX. *Non ideo minus delinquit, cui sola deest facultas.*

August. *De lib. arbitr.*

(Dist. 1, c. *Si cui.*) Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit eum id cupere, et si potestas detur esse facturum, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur.

CAP. XX. *Adulteria non sunt facienda etiam voluntate procreandi proles.*

August. ad Claudium contra Julian.

(32, q. 4, c. *Sicut non sunt.*) Sicut non sunt facienda adulteria etiam voluntate filios generandi, quemadmodum nec furta sunt facienda etiam voluntate pascendi pauperes sanctos, quod tamen faciendum est non furta perpetrando, sed bene utendo mammona iniquitatis.

CAP. XXI. *Adulterium secundum in pœnis obtinet locum.*

Clemens ad Jacob., epist. 1.

(32, q. 7, c. *Quid in omnibus.*) Quid in omnibus peccatis est adulterio gravius? Secundum namque in poenis obtinet locum quem quidem primum illi obtinent, qui aberrant a Deo etiam si vixerint sobrie.

CAP. XXII. *Quando dicitur committi adulterium.*

August. *De bono conjug.*

(32, q. 5, c. *Illæ autem.*) Adulterium est, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu cum altero vel altera contra pactum conjugale concubitur, atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis et abjectis magnum animi bonum est. Et ideo eam saluti quoque corporali, quam etiam vita ista continetur, certum est non debere postponi.

CAP. XXIII. *Mœchatur qui alicui præter matrimonii fœdus miscetur.*

Isidor. super Exodum, cap. 29.

(32, q. 5, c. *Non mœchaberis.*) Non mœchaberis, id est ne quisquam præter matrimonii fœdera aliis feminis misceatur ad explendam libidinem. Nam adulterium facit spiritaliter, qui præter suam ad alteram accedit.

CAP. XXIV. *Uxor non in potestate mariti, sed in libera custodia debet poni, cum judicium sit agendum sive de fœdere conjugum, sive de adulterii crimine.*

Nicolaus Carol. regi.

Sicut relatu multorum didicimus, Lotharius rex conventum celebrare disposuit et Thebergam reginam ex animi proprio judicio meditatur subjicere et siquidem eam præstigiis falsitatis suæ poterit exhiberi quasi non fuerit legitima sua uxor vult penitus a se sequestrare. Sin autem vult eam tanquam propriam dimittere uxorem, sed deinde quasi mœchata fuerit insimulare atque per hoc hominem suum et hominem Thebergæ ad monomachiam impellere, et si homo ipsius reginæ ceciderit disponit hanc sine dilatione perimere. Item, præterea sive de conjugum fœdere sive de adulterii crimine judicium sit agendum, nulla ratio patet Thebergam cum Lothario posse inire conflictum vel legitimum controversiæ inire certamen, nisi prius suæ potestati et consanguineis propriis sociata, inter quos etiam locus prævidendus est in quo nulla sit vis multitudinis formidanda et non sit difficile testes perducere vel cæteras personas quæ tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requiruntur. Nec idcirco diximus ut ostendamus quem legum conflictum Lotharius congredi posse autumat, cum personam quam in suis penetralibus quotidie fatigat et conterit, et quando vult ad judicium, quando vult ad claustra reducit, et quando educta fuerit, nisi ea profiteatur quæ ipse præceperit, punit. Propriæ igitur libertati committi, et omni oppressione atque potestate illius cum quo initur conflictus oportet liberari atque suis liberaliter uti, et suspectas personas convenit declinare quæ se ab obiectis ostendere cupit immunem.

CAP. XXV. *Vi extorta confessio admitti in judicio non debet.*

Nicolaus Thesberg. regin.

Nos hanc confessionem tuam quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus, nec convicium per radices extendere, nec permittimus : quod nisi evulsum intime ad multorum perniciem potest accedere. Denique, si hoc licet, omnes viri possunt quas jure sortiti sunt feminas, si eas odio habuerint, diversis afflictionibus macerare, et quod legitimæ non fuerint assumptæ, statim cogere, quin etiam ut morale crimen contra se dicant, illatis intolerabilibus pœnis compellere.

CAP. XXVI. *Clerico negotiari non licet, et ponit tempora quando vir potest coire cum sua uxore.*

August. *De Quæst. Vet. et Nov. Test.*, c. 27.

(Dist. 38, c. *Fornicari.*) Fornicari hominibus semper non licet ; negotiari vero aliquando licet. Antequam ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari ; facto iam non licet. Et Christiano cum uxore sua

Introdusă în format electronic de Google

convenire aliquando licet, aliquando non licet. Propter enim processionis dies aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur, unde A Apostolus : *Ex consensu*, ait, *abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi* (*I Cor.* VII). Nam et secundum legem in jejunio cedere et jurgari licet (*sic*), post non licet.

DE FORNICATIONE SPIRITALI.

CAP XXVII. *Quia sit fornicatio carnis et animæ.*

Isidor. Sentent. 39.

Fornicatio carnis adulterium est. Fornicatio animæ, servitus idolorum est.

CAP. XXVIII. *Quid sit conjugium adulterinum.*

August. l. 1.

Si propter fornicationem carnis permittitur uxor a conjuge separari, quanto magis in conjuge mentis fornicatio est detestandâ, id est infidelitas? Infidelis hominis fornicatio est major in corde, nec vera ejus pudicitia dici potest cum conjuge, quia *omne quod non est ex fide, peccatum est.* (*Rom.* XIV).

CAP. XXIX. *Licite dimittitur uxor, quæ virum suum cogere quærit ad malum.*

August. *De Sermone Domini in monte.*

(23, q. 1, c. *Idololatria.*) Idololatria quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio, est fornicatio. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortassis possit fidelis fieri. Item : Si infidelitas fornicatio est, et C idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse.

CAP. XXX. *De eodem.*

August. *De Serm. Dom. in monte*, l. 1.

(28, q. 1. c. *Idololat.*, § *Quis ergo.*) Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias non tantum quæ in stupris cum alienis viris ac feminis committuntur, sed omnino propter quaslibet, quæ animam utentem male a lege Dei aberrare faciunt et perniciose turpiterque corrumpi, possit sine crimine, et vir uxorem dimittere, et uxor virum, quia exceptam facit Dominus fornicationis D causam, quam fornicationem, sicut supra consideratum est, generalem et universalem intelligere coguntur. Cum autem ait, *excepta causa fornicationis*, non dixit, cujus ipsorum, viri aut feminæ. Non enim tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam uxorem quoque dimittit, a qua ipse cogitur fornicari, causa utique fornicationis dimittit, velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed et suæ : Illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur.

CAP. XXXI. *Qui fornicatur, fornicationis causa uxorem suam dimittere non potest.*

(20, q. 6, c. *Nihil iniquius.*) Nihil enim iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud : *In quo enim alterum judicas, teipsum condemnas* (*Rom.* II). Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem suam, prior debet esse a fornicatione purgatus et immunis; quod similiter etiam de femina dixerim.

B CAP. XXXII. *Sine culpa relinquetur uxor, quæ cum viro fideli habitare voluerit.*

August. *De oper. et fid.*, c. 16.

(28, q. 1; c. *Uxor legitima.*) Uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere voluerit. Non attenditur eo modo eam rectissime dimitti. Si viro suo dicat : Non ero uxor tua nisi mihi vel de latrocinio divitias conferas aut si solita lenocinia quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, aut si quid aliud aut facinorosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hæc uxor dixit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ quam carnis luxuriæ, et membrum quod eum scandalizat fortiter amputabit.

CAP. XXXIII. *Amore cujuslibet non est a fide recedendum.*

Ambrosius ad Hilarium.

(28, q. 1, c. *Si infidelis.*) *Si infidelis*, dicit Apostolus, *discedit, discedat, non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi*, id est, si infidelis noluerit esse cum conjuge fideli. Hoc agnoscat fidelis suam libertatem, non ita se subjectum deputet servituti, ut ipsam dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem, hoc et de fidelibus atque parentibus, hoc et de fratribus ac sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, cum ponitur ista conditio, ut propter Christum dimittat, si eum secum habere desiderat. Hoc ergo et de domo et de agris, hoc est de his rebus quæ jure pecuniario possidentur intelligendum est.

CAP. XXXIV. *Quæ simulacrum facit nec resipiscit, dimittatur a viro suo.*

August. *De adult. conjug.*, l. II.

(28, q. 1, c. *Non solum.*) Non solum mœchatio est illius qui carnem suam coinquinat, sed etiam qui simulacrum facit mœchatur, quod si in his factis perseverat et pœnitentiam non agit, recede ab

Introdusă în format electronic de Google

illa et noli convivere cum illa. Sin autem, et tu particeps eris peccati ejus. Propter hoc præceptum A est vobis per vos manere, sive viro, sive mulieri. Potest enim in hujusmodi pœnitentia esse.

—

DE RECONCILIATIONE CONJUGUM.

Cap. XXXV. *Adulterio purgato per pœnitentiam potest fieri reconciliatio conjugii.*

August. ad Pollent., l. II, c. 6.

(32, q. 1, c. *Quod autem.*) Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim deputamus adhuc adulteros, vel quos baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos. Hæc crimina in veteri lege nullis sacrificiis Dei mundabantur, quæ in lege Novi Testamenti sanguine sine dubitatione mundantur, et ideo tunc omnino prohibitum est ab alio viro contaminatam recipere uxorem, quamvis David Saulis filiam, quam pater ejusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam Novi Testamenti præfigurator, sine contaminatione receperit. Nunc autem postea quam Christus ait adulteræ : *Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare* (*Joan.* VIII), et quis non intelligit debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum.

Cap. XXXVI. *Viri gravius sunt puniendi de adulterio quam mulieres.*

August. ad eumd. l. II, c. 6.

(32, q. 1, c. *Indignantur.*) Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere, et exemplo regere feminas.

Cap. XXXVII. *De eodem.*

August. ad eumd., l. II, c. 6.

(32, q. 1, c. *Non erit turpis.*) Non erit turpis neque difficilis etiam post patrata atque purgata adulteria, reconciliatio conjugum, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum, non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium, adultera non vocetur.

Cap. XXXVIII. *An viro licet reverti ad mulierem adulteram.*

Hermes, l. *Pastor.*, c. 4.

(34, q. 2, c. *Ego dixi.*) Ego dixi Pastori : « Domine, si quis habuerit mulierem fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, nunquid peccat vir, si concubit cum illa? » Et dixit mihi : « Quandiu nescit peccatum ejus sine crimine est cum illa. Si autem scierit vir uxorem suam deliquisse et non egerit pœnitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, et coierit cum illa vir, reus peccati ejus erit, et particeps mœchationis ejus. » Et dixi illi : « Quid ergo si permanet in vitio suo mulier? » Et dixit : « Dimittat illam vir, et vir per se maneat. Et dixi : Quid, si mulier dimissa pœnitentiam egerit et voluerit ad virum reverti, nonne recipietur a viro suo? » Dixit : « Imo si non receperit eam vir suus peccat, et magnum peccatum sibi admittit. » Ergo debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe. Servis enim Dei pœnitentia est una. Propter pœnitentiam ergo non debet, dimissa uxore sua, aliam ducere; hic actus est similis in muliere et in viro.

—

DE SACRAMENTO ET JURAMENTO RECONCILIATIONIS.

Cap. XXXIX. *Purgatio imputati adulterii.*

De hoc quod mihi reputatum est in hac synodo, quod simul cum ista femina adulterium vel fornicationem fecissem, quod ita non feci nec culpabilem me cognosco, sic me Deus adjuvet ad illud judicium.

Cap. XL. *Separatio incestæ copulationis, et juramentum separationis.*

Ab isto die in antea cum ista femina cum qua adulterium vel fornicationem fecisti, unde disciplinam vel pœnitentiam suscepisti, amplius non adulterabis nec fornicaberis cum ea nec aliam uxorem accipies nonnisi post peractam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab episcopo aut ab ejus misso Sic te Deus adjuvet!

Cap. XLI. *Reconciliatio conjugatorum, et juramentum reconciliationis.*

(35. q. 6, c. *Ab isto secundo.*) Ab isto die in antea istam tuam conjugem N. quam injuste dimiseras, ita tenebis sicut maritus suam debet habere conjugem, et in dilectione et debita disciplina, nec illam per ullum malum ingenium a te separabis, nec ea vivente aliam accipias. Sic te Deus adjuvet!

Cap. XLII. *Juramentum reconciliationis adulteræ.*

Amodo in antea istum tuum maritum quem injuste dimiseras ita tenebis et amplexaberis, et ei in servitio et in amore et in timore ita eris subdita, et obediens sicut per rectum uxor debet esse suo subjecta marito, nec unquam ab eo te separabis nec illo vivente alteri viro te sociabis conjugio aut adulterio. Sic te Deus adjuvet!

Introdusă în format electronic de Google

QUOD MULIERES DEBENT ESSE SUBDITÆ VIRIS.

CAP. XLIII. *Mulieres suis viris debent subesse.*

August., *Quæstion. in Genes.*

Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris, et filii parentibus, quia nulla justitia est ut major serviat minori.

CAP. XLIV. *Vir est caput mulieris.*

August. *Quæst. Vet. Test.*

(33, q. 5, c. *Hæc imago.*) Hæc imago est in homine ut unus factus sit homo ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei, quasi vicarius, quia unius lex Dei habet vir imaginem [*mel.* omnis lex Dei habet imaginem]. Ideoque mulier non est facta ad imaginem Dei, sic etenim dicit : *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum* (*Gen.* I). Hinc etiam Apostolus : *Vir quidem*, ait, *non debet velare caput, quia imago et gloria Dei est. Mulier vero velat, quia non est gloria aut imago Dei* (*I Cor.* XI).

CAP. XLV. *De eodem.*

August. *Quæst.* 33 in Deut., l. IV.

(33, q. 5, c. *Satis hinc apparet.*) Satis hinc apparet quemadmodum viris feminas subditas et pene famulas lex esse voluerit uxores dum constituit, ut diceret adversus uxorem vir testimonium, unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur, ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit, sed tantummodo castigatur et damnificatur, eique perpetuo jubetur adhærere qua carere voluerat. In aliis autem causis eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si probaretur, jussit occidi ; eadem jubetur plecti pœna, qua fuerat (si verum esset) iste plectendus.

CAP. XLVI. *Vir est caput mulieris*

Hieron. in epist. ad Tit.

(33, q. 5, c. *Cum caput.*) Cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus est, quæcunque uxor non subjicitur viro, id est capiti suo, ejusdem criminis rea est cujus et vir si non subjiciatur capiti suo Christo; verbum autem Domini blasphematur vel dum contemnitur Dei prima sententia et pro nihilo ducitur, vel cum Christi infamatur Evangelium dum contra legem fidemque naturæ ea, quæ Christiana est et ex lege Dei subjecta est viro, imperare desiderat, cum etiam gentiles feminæ viris suis serviant communi lege naturali.

CAP. XLVII. *Arbitrium viri mulierem sequi oportet in omnibus.*

August. *Quæst. in Numer.*, l. IV, c. 59.

(33, q. 5, c. *Noluit itaque.*) Noluit itaque lex mulierem aliquid vovere Deo adversus animam suam, ut non aliqua rerum licitarum atque concessarum abstinentia, in ejusdem votis feminæ valeat auctoritas, sed virilis, ita ut si adhuc innuptæ concesserat vota persolvere pater, si antequam persolverit, nupserit, et viro ejus hoc cognitum non placuerit, non persolvat, et hoc omnino sine peccato, quia Deus mundavit eam sicut dicit, id est mundam indicavit. Neque hoc contra Dominum putandum est fieri, cum ipse Dominus *hoc* præceperit, hoc voluerit.

CAP. XLVIII. *Vota abstinentiæ quæ mulier, permittente viro, promiserit, illo prohibente servare non cogitur.*

August. *Quæst. in Numer.*, l. IV.

(33, q. 5, c. *Manifestum.*) Manifestum est ita voluisse legem, feminam sub viro esse, ut nulla vota ejus quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam, cum ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit lex, si prius permiserit et postea prohibuerit et hoc tamen non dixit, ut faciat mulier quod voverat, quia permissa jam prius a viro fuerat, viri dixerat esse peccatum, quia abnuit, quod prius consenserat, non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, ut quod prius vir ei concesserit, postea, si prohibuerit, contemnatur.

CAP. XLIX. *Nulla est mulieris potestas, sed in omnibus dominio viri subjecta est.*

Ambros. in l. *Quæst. Vet. et Nov. Test.*

(33, q. 5, c. *Mulierem.*) Mulierem constat subjectam sub dominio viri, et nullam auctoritatem habere, nec docere enim potest nec testis esse, nec fidem dare, nec judicare.

CAP. L. *De eodem.*

Ex Ambros. Examer. l. V, *c.* 7.

(33, q. 5, c. *Adam.*) Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam. Quem vocavit ad culpam mulier, justum est ut eam in gubernationem assumat, ne iterum femina sua facilitate labatur

CAP. LI. *De eodem.*

Ambros. in *Epist. ad Cor.* c. XI.

(33, q. 1, c. *Mulier debet.*) Mulier debet velare caput quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta (*I Cor.* XI). Et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere in ecclesia, propter reverentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, non habet potestatem loquendi, quia episcopus personam Christi repræsentat. Quasi ergo ante judicem Christum, sic ante episcopum, qui vicarius Domini est, propter reatum originalem subjecta debet videri.

QUARE INTER CONSANGUINEOS NON FIT CONJUGIUM.

CAP. LII. *Quare constitutum sit ne consanguineas ducamus uxores.*

August. *De civit. Dei*, l. XV, cap. 15.

(35, q. 1, c. *Cum igitur.*) Cum ergo genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere et conjugis ejus ex viri latere, marium feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicarent, nec essent ulli homines nisi qui ex illis

Introdusă în format electronic de Google

duobus essent nati viri conjuges sorores suas acceperunt. Quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente; habita est enim ratio rectissima charitatis, ut homines, quibus esset atque honesta concordia diversarum necessitudinum vinculis necterentur. Nec unus in uno haberet necessitudines, sed singulæ spargerentur in singulos, sic ad socialem vitam diligentius plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe et socer duarum sunt necessitudinum nomina, ut ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se porrigat charitas, utrumque autem unus Adam esse cogebatur, et filiis et filiabus suis, quando fratres sororesque conjugio jungebantur. Sic et Eva uxor ejus utrique sexui filiorum fuit socrus et mater. Quæ si duæ feminæ fuissent, mater altera, et socrus altera, copiosius se socialis dilectio colligeret. Sed hoc unde fieret non erat, quando nisi fratres et sorores ex illis duobus primis nulli homines erant. Fieri ergo debuit quando potuit, ut existente copia unde ducerentur uxores, quæ jam non erant sorores, ut non solum illud fieret, ut nulla necessitas esset, quod humano crescente genere etiam inter impios deorum multorum falsorumque cultores sic observari cernimus, ut etiam si perversis legibus permutantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsa malit exhorrere licentiam, sicque adversetur quasi nunquam licere potuerit. Copulatio igitur maris et feminæ quantum pertinet ad genus humanum quddam seminarium est civitatis. Cœlestis vero civitas opus habet ut noxam generationis evadat.

Cap. LIII. *Inter quas personas nuptiæ sunt incestæ.*

Institut. l. I, c. 10.

(Iust. *De Nuptiis*, § *Inter eas.*) Inter eas enim personas quæ parentum liberorumve locum obtinent, inter se nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium, vel aviam et nepotem, et usque ad infinitum. Et si tales personæ inter se coierent, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeo vera sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperint, non possunt inter se matrimonio jungi, in tantum ut etiam dissoluta adoptione idem juris maneat. Itaque eam quæ tibi per adoptionem filia aut neptis esse cœperit, non poteris eam in uxorem ducere quamvis eam emancipaveris. Inter eas quoque personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sane enim inter fratrem sororemque nuptiæ prohibitæ sunt, sive ab eodem patre, ab eademque matre nati sunt, sive ex altero eorumdem : sed, si quæ per adoptionem soror tibi esse cœperit, quandiu quidem constat adoptio, sane inter te et eam nuptiæ consistere non possunt, filiam uxorem ducere non licet, sed nec neptem fratris vel sororis ducere quis potest, quamvis quarto gradu sint. Cujus enim filiam uxorem ducere non licet, ejus nec neptem permittitur. Ejus vero mulieris quam pater tuus adoptavit, filiam non videris impediri ducere uxorem, quia neque naturali neque civili jure tibi conjungitur. Duorum autem fratrum vel sororum liberi, vel fratris et sororis jungi non possunt. Item amitam licet adoptivam, uxorem ducere non licet nec materteram, quia parentum loco habentur; qua ratione verum est, magnam quoque amitam et materteram magnam prohiberi ducere uxorem. Affinitatis quoque veneratione a quorumdam nuptiis abstinere necesse est, ut ecce privignam aut nurum ducere in uxorem non licet, quia utræque quoque filiæ loco sunt. Item mariti filius ex alia uxore et uxoris filia ex alio marito vel econtra matrimonium recte contrahunt, licet habeant fratrem vel sororem ex matrimonio postea contracto natos.

Si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, hæc quidem privigna tua non est. Item, si adversus ea quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ nec matrimonium intelligitur, nec dos. Itaque, qui eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, sed tales sunt quantum ad patriam potestatem pertinet, quales hi sunt quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur. Cum his etiam incertus est coitus unde solent filii spurii appellari, vel a Græca voce *separadii*, concepti sine patre filii.

Cap. LIV. *Filius tuus et neptis ex filia conjuges fieri non valent etiam ex jure civili.*

Ambrosius Paterno.

Tu copulares filium tuum et neptem ex filia, id est ut accipiat sororis suæ filiam. Interroga nominum legionem, nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur. Item, quod dubitari queat cum divina etiam fratres patrueles prohibeat convenire in conjugalem copulam qui sibi quarto copulantur gradu, hic autem gradus est, qui etiam civili jure a consortio conjugii videtur exceptus.

Cap. LV. *Inter quos matrimonium prohibetur consanguinitatis causa.*

Alexander II clericis metrop.

De parentelæ gradibus tam famosæ quæstionis apud illos scrupulum nuper inter vos emersisse cognovimus, super quam nonnullos perniciosos interpretes ac disputatores contra veritatis regulam sanamque doctrinam dogmatizare dolemus. Sedentes in cathedra pestilentiæ dictant jura, quæ nesciunt, et docent illa quæ nullatenus didicerunt. Nam, ut fertur, traditiones a duobus fratribus altrinsecus prodeuntes enumerant ut eorum filios invicem IV, nepotes VI, pronepotes IX, generationem esse prohibeant. Hoc itaque modo unumquemque generationis gradum, qui unus procul dubio dicendus est, dividunt, atque imperite numerando progeniem desecare contendunt. Qui nimirum nequaquam in hujus fetoris ritus pestilenter irrumperent si sacræ pabulum Scripturæ vivacis ingenii faucibus ruminarent. Nam

Introdusă în format electronic de Google

quod duorum fratrum sive nepotum, vel deinceps utrinque descendentium generationes non diversæ dici, sed eodem hac sub uno debeant uniformiter appellari, testatur liber Geneseos cum dicit : *Vixit Joseph centum annos et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph* (*Genes.* L). Porro autem si sic generationes supputari deberent ut vestri disputatores autumant dum Joseph ex utroque filio Ephraim, sed et Manasse, nepotes haberet, nequaquam Scriptura diceret, quia vidit filios Ephraim usque ad tertiam sed usque ad VI generationes. Item : Beatus quoque Gregorius dum super Anglorum conjugiis scriberet, hæc fere verba deprompsit.

CAP. LVI. *Anglicis permittitur ut in quarta vel in quinta generatione copulentur.*

Quædam lex Romana in republica permittit, ut duorum fratrum vel sororum filius vel filia in conjugio misceatur. Sed omnino cognoscitur ex hoc conjugio non posse sobolem subcrescere. Unde necesse est ut in IV, vel V invicem generationem copularentur, in quibus nimirum verbis luce clarius patet quas, dum doctor insignis duorum fratrum soboles prohibet matrimonio jungi, in IV vero generationes permittit neophytas, ut quanquam cultores perversi dogmatis astruunt, generatio IV in duorum fratrum filiis valet inveniri.

CAP. LVII. *De gradibus prohibitis inter parentes.*

Ex Decret. Gregor. Jun.

(35, q. 3, c. *De incest.* et l. *Frat.*) Si quis fratris uxorem duxerit in conjugium, anathema sit. Si quis novercam aut nurum suam duxerit, anathema sit. Si quis consobrinam suam duxerit, anathema sit. Si quis de cognatione vel quam cognatus habuit duxerit in conjugium, anathema sit.

CAP. LVIII. *Germani usque in quartam generationem copulari possunt.*

Zacharias papa episcopis.

(35, q. 3, c. *Quædam lex Roman.*) Asserentibus hominibus de Germaniæ didici partibus quod beatæ recordationis papa Gregorius, dum eos ad religionem Christianitatis divina gratia illustraret, licentiam eis dedisset in quartam sese copulari generationem. Quod Christianis licitum non est. Sed, dum rudes erant invitandi ad fidem, quod minime scriptum reperimus, non ambigamus.

CAP. LIX. *Dei iisdem gradibus prohibitis.*

(L. *Nemini*, c. *De nupt.*, et 35, q. 2, c. *Progenies*, *Nulli*, et *In copul.*) Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel de propria cognatione, vel quam cognatus habuit nullus sibi *in conjugio* copulare audeat. Si quis huic nefario conjugio convenerit, et in eo permanserit, sciat se apostolicæ auctoritatis anathematis vinculis innodatum, et nullus sacerdos tribuat communionem. Si vero conversus divisusque fuerit a tali copulatione digne pœnitentiæ submittatur ut sacerdos *loci* consideraverit.

CAP. LX-LXI. *Si debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ.*

Beda in hist. 33, et tract. 8; August. Respon. Greg.

Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur quod huic capitulo contradicere videatur.

CAP. LXII. *De eodem.*

Gregor. *respons August.*, c. 19.

(35, q. 3, c. *De nupt.*, et c. *De incest.*) Cum novercæ misceri grave facinus est, quia scriptum est : Turpitudinem patris tui non revelabis. Neque enim turpitudinem patris filius revelare potest. Sed, quia scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II), qui turpitudinem novercæ quæ una cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelabit. Cum cognata quoque *misceri prohibitum* est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerit facta. Pro qua re etiam Joannes Baptista truncatus est, et sancto martyrio consummatus est.

QUOD INTER COMMATRES SPIRITUALES NON FIT CONJUGIUM.

CAP. LXIII. *Duas commatres alicui habere non licet.*

Nicolaus Salomoni Constant. episc.

(30, q. 3, c. *Sciscitatur.*) Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres spirituales habere valeat, unam post alteram. In quo fraternitas tua meminisse debet esse scriptum : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque, cum constet quia vir et uxor una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur. Et idcirco liquet virum illi feminæ non posse jungi in copula, quæ commater ejus erat, cum qua idem una caro fuerat effectus.

CAP. LXIV. *Puniatur qui hæc crimina committit et non tamen legitimam dimittat uxorem.*

Nicolaus Salomoni Constant. episc.

(33, q. 20, c. *Si quis.*) Si quis cum matre spirituali fuerit fornicatus anathematis, ut scitis, percutiatur ictibus : similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit aut cum illaquam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetravit scelus, legitimam tamen, si habuerit, non dimittere cogatur uxorem. Quos enim Deus conjunxit homo separare non debet.

CAP. LXV. *Non separetur a viro, sed pœnitentiam agat quæ filium suum coram episcopo fraudulenter tenuit.*

Conc. Cabil., c. 4.

(30, q. 1, c. *Dictum.*) Dictum etiam nobis est quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter ut a viris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse, unde nos dignum duximus ut si quæ mulier filium suum de-

Introdusă în format electronic de Google

sidia aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam, aut propter fraudem quandiu vivat pœnitentiam agat, a viro suo tamen non separetur.

CAP. LXVI. *Separentur et gravi pœnitentia plectantur qui filiolam suam vel spiritualem matrem ducant in uxorem.*

Conc. Mogunt. c. 10.

(30, q. 1, c. *De eo quod interrogastis.*) De eo quod interrogastis, si ille qui filiolam suam duxit uxorem, et qui concubuit cum matre sua spirituali, et de eo qui filium suum baptizavit, et cujus uxor eum de fonte suscepit, ea ratione ut dissidium fieret conjugii, si postea in tali copulatione permanere possent. De talibus sic respondendum est : Si filiolam aut commatrem suam spiritualem in conjugio aliquis duxerit, separandos eos esse judicamus, et gravi pœnitentia plectendos. Si autem conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susceperint, ut dissidium fiat, tale consilium damus : Si innupti manere voluerint, bonum est. Sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur et simul maneant. Et si supravixerit prævaricator conjugii, acerrima pœnitentia mulctetur, et sine spe conjugii maneat.

CAP. LXVII. *Uxorem compatris ducere potest, cujus ipsa commater non fuerat*

Conc. Tibur. 47.

(30, q. 4, c. *Qui spiritualem.*) Qui spiritualem compatrem habet cujus filium vel de lavacro sacri fontis accepit, et ejus uxor commater non est, liceat ei defuncto compatre suo ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habet consanguinitatis propinquitatem. Quid enim ? nunquid non possunt conjungi quos nulla proximitas carnalis vel in id generatio secernit spiritualis.

DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

CAP. LXVIII. *Affinitas in superstite non deletur.*

Gregor. pap. Venerio Carol. episc.

(35, q. 50, c. *Fraternitatis.*) GREGORIUS servus servorum Dei, VENERIO Caralitano.

Fraternitatis vestræ studiosæ sagacitati, frater amande, quas de beo defero grates, quoniam quæsisti quæ debuisti, et jucundum me reddidisti. Unde placide ad inquiquisita respondeo. Sedem apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro juncta cognationi ejus pertineat, si eo defuncto cognatio manet eadem, vel subaltero viro cognationis vocabula dissolvuntur, vel si susceptæ soboles possint legitime ad prioris viri cognationis transire copulam. Est enim verbum Domini validum et forte, est durabile, est perseverabile, est immutabile, non momentaneum, non transitorium. Ait autem per se ipsa Veritas, quæ Deus est et verbum Dei est : *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XIV). Antequam Deus in carne appareret inter homines, eo inspirante dixit Adam : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Cui non contradixit Dominus. Deinde cum Veritas oriretur de terra in terram, et visibilis in humanitate appareret, interrogatum est, si licitum esset homini uxorem dimittere (*Matth.* XIX). Quod prohibens fieri vetuit, nisi forte si fornicatio sola excluderet copulam maritalem. Unde procul statim in medium eamdem sententiam ipsam quam ante sæcula manens cum Patre Verbum inspiravit in Adam ipse confirmans quod ipse primus protulit homo : *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II).

Si una caro fiunt, quomodo poterit aliquis eorum propinquius pertinere uni, si non pertineat alteri, hoc minime fieri posse credendum est. Nam uno defuncto in superstite affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copulæ solvere potest. Sed neque conjunctionis alterius sobolem placet ad ipsius affinitatis prioris viri transire consortium pro eo quod verbum Domini validum est et forte, et, ut inquiens dixit Propheta : *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLIII). Statuit ea et in e., et in s. s. p. p. Nam post verbum suum atque præceptum effecit Deus duo carnem unam, id est masculum et feminam qui innumeram sexus utriusque multitudinem non destitit secum facere unum, sicut per se Veritas dixit : *Non pro his tantum rogo, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me ut unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII). Si quis temerario et sacrilego ausu in defuncto quærit propinquitatem exstinguere sub altero affinitatis vocabulo dissipare vel susceptam sobolem alterius copulæ credens legitime sociari, propinquitatis prioris hic negat verbum Dei validum esse et forte. Et qui tam facile et tam quærit velociter dissolvere, hic non credit verbum Dei manere in æternum. Confice terram ex quatuor locis distantibus a se magna intercapedine et confectam et conglutinatam finge cujuscunque figuræ vel immensitatis corpus volueris.

CAP. LXIX. *In parente a propria et conjugis eadem consanguinitatis est observanda.*

Isidor. ex conc. Maciens., c. 3.

(35, q. 3, c. *Sane.*) Sane consanguinitas quæ in proprio viro observanda est, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, qua constat eos duos fuisse in carne, ideoque communis illis utraque parentela credenda est ; sicut scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* IX).

Introdusă în format electronic de Google

CAP. LXX. *In quinta vel sexta generatione nullus amplius copuletur conjugio.*

Conc. Cabil., c. 5.

(35, q. 3, c. *Contradicimus.*) Contradicimus quoque in IV et V vel VI generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem post interdictum factum fuerit inventum, separetur.

CAP. LXXI. *De eodem.*

Gregorius ad Augustinum Cantuar., c. 6; et Joan. Constantinop. ad Felicem episc. Sicil.

(35, q. 3, c. *Quædam.*) Gregorius papa requisitus ab August., Anglorum gentis episcopo, quota generatione fideles debeant copulari, dispensatorie sic rescribit : « Quædam terrena lex Romanæ reipublicæ permittit ut sive fratris et sororis, seu duorum fratrum germanorum vel duarum sororum filius et filia misceatur, sed experimento didicimus in tali conjugio sobolem non posse succrescere, unde necesse est ut in IV vel V generatione fidelium licenter sibi jungantur. »

CAP. LXXII. *De eodem.*

Gregor. ad eumdem, et Joannes.

(35, q. 5, c. *Ad sedem.*) Verum post multum temporis a Felice et Messario Siciliæ præsule requisitus verum Augustino Gregorius scripserit, ut Anglorum IV generatione contracta matrimonia minime solverentur.

CAP. LXXIII. *Anglicis permittitur ut in quarta vel in quinta generatione copulentur.*

Ex Gregor. epist. 31, l. XII.

(35, q. 3, c. *Quodam.*) Humilissimus pater Gregorius, inter cætera talem rationem dedit : Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, ut recordaris, tuo, de consanguinitatis conjunctione ipsi et Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo austeriora, recederet, specialiter et generaliter scripsisse me intelligas. Unde et mihi Romana civitas testis existit, nec ea intentione hæc illis scripsi mandata, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad VII generationem jungantur, sed quod adhuc neophytis illis existentibus eis primum illicita consentire, et eos verbis ac exemplis instruere oportet. Nam, juxta Apostolum, qui ait : *Lac dedi vobis potum, non escam* (*I Cor.* III), ista illis modo non posteris, ut præfixum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod adhuc infirma radice plantatum erat exueretur, sed aliquantulum affirmaretur, et usque ad perfectionem custodiretur. Nec ergo ego Joannes idcirco *perstringenda* curavi ut hi qui occasione novæ dispensationis illicita matrimonia contra hunc eruditissimum virum causantur, non generaliter, quartam generationis copulam sensisse, imo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant.

CAP. LXXIV. *Quare usque ad sextum aradum consanguinitas observetur.*

Isidor. *Etymol.* l. IX, c.

(35, q. 4, c. *Consanguinitas.*) Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum sese subtraxerit, et propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonio vinculo repetit, et quodammodo revocat fugientem. Ideo autem usque ad VI generationis gradum consanguinitas restituta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio et omnis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

CAP. LXXV. *Quot sunt computandi gradus consanguinitatis.*

Ex Decret. Isidori

(35, q. 5, c. *Ad sedem.*) Isidorus in etymologiis suis, usque ad VII generationem consanguinitatis abstinendum et sic legitimo connubio conjungendum asserit. Inde reor eum fecisse quod genealogiæ seriem retexens, quousque ordinem *numerandi* perducere possent, eo cognationem sanguinis servandam æstimavit, sicque ad invocationem generis et amicitiæ jus conservandum redire ad connubium sancivit, quando jam cognationis ordo numerari desinit.

IN QUO RAMUSCULO CONSANGUINITATIS LEGITIMA FIERI CONNUBIA POSSINT.

CAP. LXXVI. *Quomodo minuntur gradus consanguinitatis.*

Ex Decret. Isidor.

(35, q. 3, c. *Series.*) Beatus Isidorus de consanguinitate sic loquitur, cujus series VI gradibus dirimitur, hoc modo : filius et filia quod est frater et soror, ipse est truncus ; illis seorsum sejunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos et neptis primus, pronepos proneptis secundus, abnepos et abneptis tertius, adnepos et adneptis quartus, trinepos et trineptis quintus, trinepotis nepos et trineptis neptis sextus. Hæc consanguinitas dum se paulatim in propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum sese subtraxerit et propinquitas esse desierit, tunc primum lex matrimonii vinculum repetit, et quodammodo revocat fugientem. Ideo autem usque ad sextum generationis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut in sex ætatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

CAP. LXXVII. *Usque ad septimam generationem progeniem suam unusquisque servare oportet.*

Gregor. episcopis Gall., l. XII, ep. 31.

(35, q. 3, c. *Progeniem.*) Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus

Introdusă în format electronic de Google

generationem, et quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus, quod si fecerint, separentur.

CAP. LXXVIII. *De eodem.*

Ex conc. apud Theodon. c. 8.

Nullus fidelium usque ad affinitatis lineam, id est usque ad sextam generationem, consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquomodo incesti macula polluat. Si quis vero hoc temere præsumpserit, vel incestum luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat.

CAP. LXXIX. *Ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum nullus ducat uxorem.*

Conc. Ligon., c. 10.

(35, q. 3, c. *Nulli ex propinq.*) Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad VII gradum uxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis ; qui autem nupturi sunt, a sacerdote benedicti nubere audeant, nec aliter præsumant.

CAP. LXXX. *Ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris usque in septimum gradum nullus ducat uxorem.*

Conc. Aurelian. c. 10.

(35, q. 3, c. *Nullum in utroq.*) Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque in septimum generis gradum uxorem ducere, vel incesti macula commaculari ; præterea quoque illud adjicimus, quoniam, sicut non licet cuique Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ conjugem ducere, propter carnis unitatem.

CAP. LXXXI. *De eodem.*

Conc. Agrippin., c. 6.

In septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur ultra quos nec affinitas invenitur, nec successio potest amplius prorogari.

CAP. LXXXII. *Usque ad septimam generationem nullus de sua cognatione ducat uxorem.*

Conc. Meldens., c. 7.

(35, q. 2, c. *De affinitate.*) De affinitate namque consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare. Nam et hæreditas rerum per legales definitiones sancita usque ad VII gradum prætendit hæredum successiones. Non enim succederent nisi eis devopagine cognationis deberetur

CAP. LXXXIII. *Nisi coram Ecclesia consanguinitate probata, uxorem dimittere non licet.*

Alexand. II Vilhelmo de Monst.

(35, q. 6, c. *Multorum relatione.*) Multorum relatione cognovimus te propriam velle abjicere uxorem, et adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem. Unde apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc quam nunc habes uxorem nullatenus præsumas dimittere, vel aliam ducere, donec apud episcoporum religiosorum concilium causam justam examinaveris

CAP. LXXXIV. *Quod omnis controversia debet terminari duobus vel tribus testibus.*

Conc. Hilerd., c. 20.

(35, q. 6, c. *Ab isto*, et *Cum in Hilerd.*) Ut omnis controversia, quæ de rebus ecclesiasticis fit, secundum divinam legem sub duobus testibus terminetur. Testis est Dominus cum dicit : *Non unus stet contra alium, sed in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Deut.* XIX)

QUI ACCUSARE MATRIMONIUM POSSUNT ET DE JURAMENTO RECONCILIATIONIS.

CAP. LXXXV. *Consanguinei tantum, vel si progenies defecerit antiqui et veraces provinciales in synodo computent*

Ex Decret. Fabian. pap., c. 8.

(35, q. 6, c. *Consanguineos.*) Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet, id est, pater et mater, soror, frater, patruus, avunculus, amita, matertera, et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit ab antiquioribus et veneratioribus, quibus eadem propinquitas nota sit, episcopus canonice perquirat, et, si inventa fuerit propinquitas, separentur.

CAP. LXXXVI. *Qui jurejurando propinquitatem firmare debent.*

Urbanus Ricardo Januens. episc.

(35, q. 6, c. *Notificamus.*) Notificamus tibi ut postquam tres aut duo ex propinquioribus jam defunctæ uxoris ejus qui accusatur, vel vivæ, hanc propinquitatem jurejurando firmaverint, vel per quatuor aut per duos ex antiquioribus Januensibus, quibus hæc propinquitas nota est, qui bonæ famæ et veracis testimonii sunt, remoto amore, timore, pretio et omni malo studio, supradicto modo consanguinitatem, sine omni mora conjugia dissolvantur : quod si propinqui vel extranei verbis tantum propinquitatem testantur, et juramento probare noluerint, vel nequiverint, conjugium nullatenus dissolvatur, sed competens eis pœnitentia propter infamiam vel peccati maculam, si forte in hac re contraxerint aliquam, injungatur.

CAP. LXXXVII. *Juramentum accusatoris*

Conc. Rom. sub Greg.

(35, qu. 6, c. *De parentela.*) De parentela illa quam dicunt esse inter istum et istam ejus conjugem, quidquid inde scis aut audisti a tuis vicinis aut a tuis antiquioribus propinquis, quod tu per nullum ingenium, nec propter amorem, nec propter timorem, aut per præmium, aut per consanguinitatem celabis episcopum tuum, aut ejus missum cui hæc requirere jusserit quandocunque te ex

Introdusă în format electronic de Google

hoc interrogaverit : « Sic te Deus adjuvet, et istæ sanctorum reliquiæ. »

CAP. LXXXVIII. *Juramentum tertium.*

(35, q. 6, c. *Illud.*) Illud sacramentum quod iste juravit de illa parentela quæ inter filium et ejus conjugem N. computatur, quod tu illud observabis in quantum sapis aut audisti : « Sic te Deus adjuvet. »

CAP. LXXXIX. *Sacramentum de incestuoso dissidio, et reconciliationis juramentum.*

(35, q. 6, c. *Ab isto primo.*) Ab isto die in antea A quod tu per nullum ingenium te sociabis huic tuæ consanguineæ N., cum qua contra legem et rectam Christianitatem tuam, adulterium et incestum perpetrasti, nec in conjugio, nec in adulterio illam tibi sociabis, nec cum illa ad unam mensam manducabis, nisi forte in ecclesia, aut in aliquo publico loco, ubi nulla mala suspicio possit esse, et ibi coram testibus idoneis pro certa necessitate colloquamini. Nec aliam conjugem accipies, nisi forte post peractam pœnitentiam, quæ tibi data fuerit ab episcopo tuo, aut ejus misso : « Sic te Deus adjuvet, et istæ sanctorum reliquiæ.

DE GRADIBUS COGNATIONUM.

CAP. XC. *Nomina graduum superiorum sive inferiorum sive ex latere viventium.*

Isidor. de VII grad. consang.

(35, q. 5, c. *Primo gradu.*) Primo gradu superiori linea continentur, pater et mater, inferiori filius et filia. Quibus nullæ aliæ personæ junguntur. Secundo gradu continentur superiori linea avus et avia; inferiori, nepos et neptis. Interversa frater et soror. Quæ personæ duplicantur. Avus enim et avia tam ex patre quam ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quoque gradibus similiter pro substantia earum quæ in quo gradu subsistunt, ipso ordine duplicantur. Illæ personæ in secundo gradu, ideo duplices appellantur, quia duo avi sunt, et paternus est et maternus est. Item duo genera nepotum sunt, sive ex filio sive ex filia procreati. Frater et soror ex transverso veniunt; id est aut frater patris, aut frater matris, qui aut patruus aut avunculus nominatur. Qui et ipsi hoc ordine duplicantur. Tertio gradu veniunt supra proavus, proavia; infra pronepos, proneptis. Ex obliquo fratris et sororis filius vel filia, patruus, amita, id est patris frater et soror, avunculus matertera, id est frater matris et soror. Quarto gradu veniunt supra abavus et abavia, infra abnepos et abneptis. Ex obliquo fratris et sororis nepos, neptis patruelis, frater, soror, patruelis, id est patrui filius vel filia. Consobrinus, consobrina, id est avunculi et materteræ filius vel filia. Amitinus, amitina, id est amitæ filius vel filia. Itemque consobrini qui ex duobus sororibus nascuntur; quibus accessit patruus magnus, amita magna, id est paterni avi frater et soror, avunculus magnus, matertera magna, id est aviæ tam paternæ quam maternæ frater et soror. Quinto gradu veniunt supra, B atavus atavia, infra adnepos adneptis. Ex obliquo fratris et sororis, pronepos proneptis fratres patruales, sorores patruelis, amitini, amitinæ, consobrini consobrinæ, filius vel filia. *Propius consobrinus consobrina, id est patrui magni amitæ magnæ.* Avunculi magni, materteræ magnæ filius vel filia. Quivis accreseit propatruus et proamita. Hi sunt proavi materni frater et soror, proavunculus, promatertera; hi sunt proaviæ paternæ maternæque frater et soror proaviaque magni materni. Hæc species nec aliis gradibus quam scripta est, nec aliis vocabulis declarari potest. Sexto gradu veniunt supra tritavus tritavia. Infra trinepos trineptis. Ex obliquo fratris et sororis adnepos adneptis. Fratres patruelis et sorores matruelis, amitini amitinæ, consobrini, consobrinæ. Patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni materteræ magnæ. Nepos nepotis propioris consobrini filius et filia qui consobrini appellantur. Quibus ex latere accrescunt *propatrui, proavunculi, promateterteræ, filius* vel filia adpatruus, adamita. Hi sunt abavi paterni frater et soror. Abavunculus, abmatertera, *hi sunt* abaviæ paternæ maternæque frater et soror abavique materni. Hæc quoque explanari amplius non possunt quam ipse auctor disseruit. Septimo gradu qui sunt cognati recta linea, supra infraque prioribus propriis nominibus non appellantur, sed ex transversa linea continentur fratris, sororis, adnepos adneptis, consobrini filii filiæque successionis. Idcirco gradus VII constituti sunt, quia ulterius per rerum naturam, nec nomina inveniri, nec successio ultra propagari potest. In his VII gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quas affinitas inveniri, nec successio potest amplius propagari.

LIBER OCTAVUS.

DE HOMICIDIO.

CAP. I *Ex officio non est peccatum hominem occidere.*

August. ad Publicol., ep. 154.

(23, q. 8, c. *De occidendis hominibus.*) De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publicam functionem teneat, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis vel pro civitate, ubi etiam ipse

Introdusă în format electronic de Google

est, accepta legitima potestate si ejus congruit personæ. Qui vero repelluntur aliquo terrore ne male faciant, etiam ipsis fortasse aliquid præstatur. Hinc autem dictum est : « Non resistamus malo, » ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus ; unde non reus est mortis alienæ, qui cum suæ possessioni murorum ambitum circumduxerit, si aliquis ex ipsorum usu percussus intereat. Neque enim reus est Christianus si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat. Aut ideo non debent Christianorum boves habere cornua, aut equus ungulas, aut canes dentes. Aut vero, quoniam Paulus apostolus satis egit, ut in tribunis notitiam perferret insidias sibi esse a quibusdam perditis præparatas, et ob hoc deductores acceperit armatos, si in illos scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis illorum suum crimen agnosceret? Absit, ut ea quæ propter bonum aut licitum facimus aut habemus, siquidem per hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali si quid acciderit, nobis imputetur! Alioquin nec ferramenta domestica et agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat. Et quid plura commemorem cum ea commemorando finire non possum : quod est in usu hominum bonum aut licitum, unde non possit pernicies irrogari, si ipsum etiam perimere nulla legis auctoritate permittitur.

Cap. II. *Qui Deo auctore bella gesserunt, præcepta non occidendi nequaquam transgressi sunt.*

August. *De civit. Dei*, l. I, c. 17.

(23, q. 5, c. *Si non licet.*) Si non licet privata potestate alicui hominem occidere vel innocentem cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui seipsum occidit homicida est ; et tanto fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in eo causa fuit qua se occidendum putavit. Item : non licet homini seipsum occidere cum in eo quod scriptum est : *Non occides* (*Exod.* XX), nihil deinde addito, nec ipse utique cui præcipitur intelligatur exceptus. Item, *Non occides*, nec te nec alterum. Neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit. Item : Quasdam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritate. Sed his exceptis quos Deus occidi jubet sine data lege ad personam pro tempore expressa jussione, sive autem ipse qui occidit qui ministerium debet jubenti, sicut gladius adminiculum utenti, et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt quod dictum est : *Non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personas gerentes publicæ potestatis secundum leges ejus, hoc est, justissimæ rationis imperio, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis quod voluit filium nequaquam scelerate sed obedienter occidere. Et merito quæritur utrum pro jussu Dei habendum sit quod Jephte filiam quæ patri occurrit, occidit, cum se id vovisset immolaturum Deo quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset. Nec Samson aliter excusatur quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus hoc jusserat latenter, qui per illum miracula faciebat.

His ergo exceptis quos vel lex justa generaliter, vel ipse justitiæ fons Deus occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. Item : Hoc dicimus, hoc asserimus hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales ne incidat in perpetuas ; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum peccatum proprium ; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est ut possint pœnitendo sanari ; neminem quasi desiderio melioris vitæ quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit.

Cap. III. *De eodem.*

Hieronym. in Jonam, c. 1.

(23, q. 5, c. *Non est nostrum.*) Non est nostrum mortem accipere, sed illatam ab aliis libenter excipere. Unde etiam in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.

Cap. IV. *De eodem.*

August. ad Publicolam, ep. 3, c. 4.

Omnes leges tam ecclesiasticæ quam sæculares, effusionem humani sanguinis prohibent.

DE EO QUI CLERUM INTERFICIT.

Cap. V. *Enormia flagitia per sæculi judices corripiantur.*

(23, q. 5, c. *Sunt quædam.*) Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi judices quam per antistites et rectores Ecclesiarum judicantur. Sicut cum quis interficit pontificem apostolicum, episcopum, presbyterum sive diaconum, hujusmodi reos et principes mundi damnant. Ergo non sine causa portant gladium, qui talia sua scelera dijudicant. Sunt enim maxime constituti propter homicidas, raptores, ut illos damnent, et alios suo timore compescere faciant.

Cap. VI. *Ad quid obligantur presbyteri interfectores*

Capitul. l. V, c. 20.

Presbyteri interfectores, compositione episcopi ad cujus parochiam pertinent, solvantur.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. VII. *Pro graduum varietate mulctentur qui clericos occidunt.*

Capitul., l. v, c. 20.

(17, q. 1, c. *Qui subdiacon.*) Qui subdiaconum occiderit, CCC solidos componat; qui diaconum, CCCC; qui presbyterum, DC; qui episcopum, DCCCC; qui monachum, CCCC.

CAP. VIII. *De eodem.*

(17, q. 4, c. *Qui occiderit.*) Qui occiderit clericum aut monachum, arma relinquat et Deo in monasterio serviat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam reversurus ad sæculum, et VII annos publicam pœnitentiam agat.

CAP. IX. *Qua pœna plectendus sit qui odio et non justitiæ zelo hominem occiderit.*

Capitul. l. v, c. 109.

Qui per odium vel malum ingenium et non propter justitiam faciendam hominem peremerit, honorem suum perdat et legibus contra quem injuste fecit, secundum pœnam quam intulit, emendet.

CAP. X. *Mortis sententia lata executioni non tradatur nisi post triginta dies.*

Cassiod. prolog. Histor. trip. l. IX, c. 30.

Est enim lex hujusmodi: Imperator Gratianus Valentianus et Theodosius, Augusti, Flaviano præfecto prætorii Illyrici: «Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu, jusserimus, nolumus eos statim subire pœnas aut excipere sententiam, sed per dies XXX, super stratum eorum sors et fortuna suspensa sit.»

CAP. XI. *Non sunt homicidæ, qui adversus excommunicatos, zelo matris Ecclesiæ armantur.*

Urbanus II Gothfrido episc.

(23, q. 5, c. *Excommunicatorum.*) Non enim eos homicidas arbitrantur quos adversus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, eorum quoslibet trucidasse contigit.

DE EO QUI PERCUSSIT MULIEREM IN UTERO HABENTEM.

CAP XII. *Non est homicida qui abortum procurat, antequam anima corpori sit infusa.*

August., *De Quæstion. Exod.*

(32, q. 2, c. *Quod vero.*) Quod si non formatum puerperium Moyses vel lex noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputavit quod tale in utero geritur; hinc quæstio de anima agitari solet. Utrum quidquid formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi, et ideo non fit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Item, si illud informe puerperium jam quidem fuerat, sed adhuc quodam modo informiter animatum, quoniam magna de anima quæstio est, non est præcipitanda indiscussa temeritate sententia; ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nundum potest dici anima viva in corpore quod sensu caret.

CAP. XIII. *De eodem.*

August. *De Quæst. Vet. et Nov. Test.* c. 38.

(32, q. 2, c. *Moyses.*) Moyses tradidit: Si quis percusserit mulierem in utero habentem et abortivum fecerit: si formatum fuerit, det animam pro anima; si autem informatum fuerit, mulctetur pecunia, ut probaret non esse animam ante formam. Itaque, si jam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur, cum semine derivata. Nam, si cum semine et anima existit exanimis, et multæ animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu quodam non proficit nativitati. Sed, si propius respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum est, ut eo intelligatur quod jam formatum corpus animam accepit. Nam poterat Deus animam limo terræ admiscere, et sic formare corpus. Sed ratione infirmabatur, quia primum oportebat domum compaginari, et sic habitatorem induci. Anima certe quia spiritus est, in *sicco habitare* non potest, ideo in sanguine fertur habitare. Cum igitur lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima?

CAP. XIV. *De eodem.*

Hieronym. ad Algasium, q. 4.

(32, q. 2, c. *Sicuti semina.*) Sicuti semina paulatim formantur in utero, et tandiu non reputatur homicidium donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant, ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc in ventre retinetur, et cito ab hoste perit

QUANDO HOMICIDIUM SIT PECCATUM ET QUANDO NON, ET DE BELLO LICITO ET ILLICITO.

CAP. XV. *Quæ veritati contraria sunt, Christiani persequi debent.*

August., Contra Crescon. gram., l. I.

(23, q. 4, c. *Quisquis Christianus.*) Quisquis Christianus non iniquum persequitur, Christi est inimicus. Verum dicis, si non hoc in illo persequitur, quod Christo est inimicum. Neque enim dominus in servo, pater in filio, maritus in conjuge, cum sint utrique Christiani non debent persequi nisi vitia Christianæ contraria veritati. An vero si non persequantur, non rei negligentiæ meritio tenebuntur?

CAP. XVI. *Quemadmodum homo debet diligere proximum sicut seipsum.*

August. ad Macedon., c. 52.

(23, q. 4, c. *Debet homo.*) Debet homo diligere

Introdusă în format electronic de Google

proximum tanquam scipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione, adducat ad colendum Deum.

CAP. XVII. *Proximi nostri, quos diligere debemus, ubi potestas datur, a malo sunt prohibendi, et ad bonum cogendi.*

August. ad Donat. presbyt.

(23, q. 4, c. *Nimirum*; c. *Hæretici*; et c. *Displicet.*) Qui diliguntur malæ suæ voluntati impune et crudeliter permittendi non sunt, sed ubi potestas datur, et a malo prohibendi, et ad bonum cogendi sunt. Nam, si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israelitæ recusantes et murmurantes tam duris flagellis a malo prohibebantur, et ad terram compellebantur promissionis? Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam? Sed prostratus est ut excæcaretur, excæcatus ut mutaretur, mutatus ut mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore talia pro veritate pateretur. Si voluntas mala semper permittenda est suæ libertati, quare monetur pater in Scripturis sanctis filium duris non solum verbis corripere, sed etiam latera ejus tundere, ut ad bonam disciplinam cogatur, et a Domino diligatur? (*Prov.* 1.)

CAP. XVIII. *Quædam in Veteri Testamento licebant quæ in Novo prohibentur.*

Chrysost. sup. Matth. hom. 18.

(23, q. 8, c. *Occidit Phinees.*) Occidit Phinees hominem (*Num.* XXV), et reputatum est ei ad justitiam. Abraham vero non homicida solum, verum etiam parricida, quod est certe gravius, effectus, magis magisque Deo placuit. Sed et Petrus geminum fecit homicidium, fecit tantum opus spirituale quod factum est. Non solum igitur respiciamus ad opera, sed tempus et causam et ad voluntatem, personarum quoque differentiam, et quantumcunque alia ipsis operibus acciderunt, diligentissime requiramus. Non enim possumus ad veritatem pervenire aliter.

CAP. XIX. *Petrus Ananiam et Saphiram increpando, morti tradidit.*

Gregor. *Dialog.* l. VIII, c. 30.

(23, q. 8, c. *Petrus.*) Petrus qui Thabitam mortuam orando suscitavit, Ananiam et Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum exstinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetraverant increpasse. Constat ergo quia aliquando talia ex potestate exhibentur, aliquando ex postulatione, dum et isti vitam increpando abstulit, et illi reddidit orando.

CAP. XX. *Qui crimina quæ potest emendare non corrigit, ipse committit.*

Joannes VIII Hermanno.

(23, q. 8, c. *Præterea.*) Præterea devotionis tuæ studium exhortamur, ut contra marinos latrunculos qui sub prætexta tui nominis in Christicolas debacchantur, tanto vehementius accendaris, quanto illorum pravitate famam tui nominis offuscatam fuisse cognoscis, quoniam, licet credi possit quod te nolente illis navigantibus insidiantur, quia a te comprimi posse dicuntur, nisi compescueris eos, innoxius non habeberis. Scriptum quippe est : Qui cum crimina potest emendare et non corrigit, ipse committit.

CAP. XXI. *Crimen punire pro Deo non est crudelitas, sed pietas.*

Hieronym. ad Riparium.

(23, q. 8, c. *Legi.*) Legi Syromasten Phinees, auctoritatem Eliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri severitatem Ananiam et Saphiram trucidentem, Pauli constantiam qui Elimam magnum viis Domini resistentem, æterna severitate damnavit. Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas. Unde et in lege dicitur : *Si frater tuus, et amicus, et uxor quæ in sinu tuo dormit, depravare voluerit veritatem, sit manus tua super eos, et effunde sanguinem ipsorum.*

CAP. XXII. *Non amatur servus vel filius cum non corripitur.*

August. *De Tract. in Joan. Epist.*, c. 7.

(23, q. 5, c. *Non putes.*) Non putes te tunc amare servum tuum quando eum non cædis; aut tunc amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc amare vicinum quando non corrigis eum : non est ista charitas, sed languor. Ferveat charitas ad emendandum, ad corrigendum; sed, si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, emendentur.

CAP. XXIII. *Nulli licet excepto judice quemquam occidere.*

August. *De Quæst. Nov. et Vet. Test.*, c. 103.

Quare ergo sententia data est ut qui accipit gladium, gladio pereat, nisi quia nulli licet (excepto judice) gladio quemquam occidere. Apostolo autem Petro usque ad hoc permissum est, ut dolorem faceret, non quod occideret. Hoc autem audiens, ne iterum percuteret. Dixit præterea quia Christianis jam factis occidere non licet. In misericordia enim positis, lege juris mundo crediti uti non licet aspere.

CAP. XXIV. *Alia in lege veteri præcipiebantur, alia in nova.*

Olim in lege præcipiebatur *oculum pro oculo*, nunc verberanti maxillam, præbemus et alteram. Illo tempore bellatoribus præcipiebatur : *Accingere gladio super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV). Modo audivit Petrus : *Conde gladium tuum in vaginam; qui enim gladio percusserit, gladio morietur* (*Joan.* XVIII).

CAP. XXV. *Non est misericors qui vitiis nutriendis parcit.*

August. ad Lotharium.

(23, q. 5, c. *Qui vitiis.*) Qui vitiis nutriendis parcit et favet, ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors quam qui non vult

Introdusă în format electronic de Google

cultrum rapere puero ne audiat plorantem, et non timet ne vulneratum doleat aut exstinctum.

CAP. XXVI. *Catholici adversus hæreticos a potestatibus ordinatis defensionem possunt postulare.*

August. ad Demetrium.

(23, q. 3, c. *Nostri adversus.*) Nostri adversus illicitas et privatas vestrorum violentias (quas et vos ibi qui talia facitis doletis et gemitis), a potestatibus ordinatis ultionem petunt, non quod hos persequantur, sed quia se defendant.

CAP. XXVII. *Pro Sarracenis papa jubet populum congregari, et eis ad littus maris occurrere.*

Ex Registr. Leonis IV, Ludovic imp.

(23, q. 8, c. *Igitur, cum.*) Igitur, cum sæpe adversa perveniant a Sarracenorum partibus nuntia, quidam in Romanum portum Sarracenos clam furtimque dicebant esse venturos. Pro quo nostrum congregari præcipimus populum, maritimumque ad littus descendere decrevimus, et egressi sumus Roma.

CAP. XXVIII. *Ultor sui gregis papa debet esse ac præcipuus adjutor.*

Leo IV Ludovic. imper.

(23, q. 8, c. *Scire vos.*) Scire vos oportet quod nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi, sed, si necessitas ulla occurrerit, præsentialiter vindicamus, quia nostri gregis in omnibus ultores esse debemus et præcipui adjutores.

CAP. XXIX. *Judæos non debemus persequi, sed Sarracenos.*

Alexand. II episcopis Hispan.

(23, q. 8, c. *Dispar.*) Dispar nimirum est Judæorum et Sarracenorum causa. In illos enim qui Christianos persequuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt, juste pugnatur. Ili utique servire parati sunt, quemdam etiam episcopum synagogam eorum destruere volentem cohibui.

CAP. XXX. *Cœleste regnum a Deo consequitur qui pro Christianorum defensione moritur.*

Nicolaus pap. exercitui Franc.

(23, q. 8, c. *Omni timore*; et q. 5, c. *Omnium.*) Omni timore ac terrore deposito, contra inimicos sanctæ fidei et adversarios omnium religionum viriliter agere studete. Item : Ubi usque majores vestri publicum moverunt exercitum, semper victores existere, nullaque multitudo superare potuit. Non enim audivimus ut aliquando sine fama victoriæ reversi fuissent. Item : Omnium vestrum nosse volumus charitatem, quoniam quisquis, quod non optantes dicimus, in hoc belli certamine mortuus fideliter fuerit, regna illi cœlestia minime negabuntur. Novit enim Omnipotens si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate fidei et salvatione patriæ ac defensione Christianorum mortuus est. Ideo ab eo præstolatum præmium consequetur.

CAP. XXXI. *Adrianus papa Bavarorum ducem excommunicat, nisi juramentum servet quod Pipino præstitit.*

Ex Chronica Franc.

Adrianus papa, in die sancto Paschæ, præsente Carolo imperatore anathematizavit Tarmonem ducem Bavarorum, nisi in omnibus obediret eidem imperatori et filiis ejus et genti Francorum sicut juraverat patri suo Pipino et sibi; qui si nollet et sanguinis effusio fieret, vel aliud aliquid mali, hoc supra eumdem ducem et ejus consanguineos esset, et præfatus rex, et sui ab ea culpa immunes essent.

CAP. XXXII. *Contra Longobardos precibus Adriani papæ, Carolus bellum suscepit.*

Ex Gest. Carol. Magn. juxt. Aleuin.

(23, q. 8, c. *Hortatu.*) Hortatu et precibus Adriani papæ Romanæ urbis episcopi exhortatus Carolus rex, bellum contra Longobardos suscepit. Quod prius quidem et a patre ejus, papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est.

CAP. XXXIII. *Furta et crimina a rege sunt cohibenda.*

Cyprianus in nov. gen. abus.

(23, q. 5, c. *Rex.*) Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas et perjuros non sinere vivere, filios suos non sinere impie agere.

CAP. XXXIV. *Justitia plenus est qui patriam tuetur a barbaris.*

Ambrosius, *De offic.* l. 1.

(23, q. 3, c. *Fortitudo.*) Fortitudo, quæ vel a barbaris in bello patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitiæ est.

CAP. XXXV. *Non est reus homicidii qui potestati obediens hominem occidit.*

August. *De civit. Dei*, l. 1.

(23, q. 5, c. *Miles.*) Miles cum obediens potestati sub qua legitime constitutus est, hominem occiderit, nulla civitatis suæ lege, reus est homicidii; imo, nisi fecerit, reus imperii deserti atque contempti est. Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque, unde punitur, si fecerit injussus, inde puniretur, nisi fecerit jussus. Quod si ita est jubente imperatore, quanto magis imperante Creatore. Qui ergo audit non licere occidere se, faciat, si jussit cujus non licet jussa contemnere.

CAP. XXXVI. *De eodem.*

Pelagius patricio Valeriano.

Non persequitur nisi qui ad malum cogit. Qui vero vel factum punit vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam uti quidam putant, si nemo aut reprimendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ et malis pœnam, præmia justis constituunt. Malum autem schisma est etiam per exteras potestates opprimendum.

Introdusă în format electronic de Google

CAP. XXXVII. *Necessitate instante etiam in quadragesimalibus diebus bellum inire licet.*

Nicolaus pap. ad Bulgar. consult.

(23, q. 8, c. *Si nulla.*) Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali, sed omni tempore est a præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam sua quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum procul dubio præparationi est parcendum, ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, et suæ ac illorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet.

CAP. XXXVIII. *Non peccat qui ex officio nocentem interficit.*

August. *De liber. arbitr.*, l. i.

(23, q. 5, c. *Si homicidium.*) Si homicidium est hominem occidere, potest aliquando occidere sine peccato. Nam et miles hostem, judex et minister ejus nocentem, et cui forte invito atque imprudenti telum manu fugerit, non mihi videtur peccare cum hominem occidunt. Neque assentior, sed homicidæ isti appellari non solent. Item militi jubetur lege ut hostem necet. A qua si se excusaverit, ab imperatore pœnas luit. Nonne istas leges injustas aut potius nullas dicere audebimus? Nam mihi lex esse non videtur quæ justa non fuerit.

CAP. XXXIX. *Homicida est qui sponte occidit quos judex jubet occidi.*

August. *Quæst in Exod.*, c. 27.

(23, q. 5, c. *Cum minister.*) Cum minister judicis occiderit eum quem judex vel lex jussit occidi, profecto si id sponte faciat, homicida est, etiam si eum occidat, quem scit a judice occidi debuisse.

CAP. XL. *Bono animo officia vindictæ possunt impleri.*

August. *Quæst. in Matth.*, l. iii.

(23, q. 5, c. *Officia vindictæ.*) Officia vindictæ possunt implere bono animo, quo modo lex, quo modo judex.

CAP. XLI. *De eodem.*

August. Quæst. in Levit., c. 71.

Cum homo iste occiditur, lex eum occidit, non tu.

CAP. XLII. *Præcepta patientiæ virtute animi non ostentatione corporis servanda sunt.*

Augustinus ad Marcellum.

(23, q. 1, c. *Paratus.* § *Corripiendo.*) Si terrena ista respublica præcepta Christiana custodiat, et ipsa bella sine benevolentia non gerentur, sed ad pietatis justitiæ pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam, cui licentia iniquitatis eripitur, utilius vincitur, quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas et mala voluntas, velut hostis interior roboratur. Item : Misericorditer enim, si fieri posset, etiam bella gerentur a bonis, ut licentiosis cupiditatibus domitis hæc vitia perderentur, quæ justo imperio vel exstirpari, vel puniri debuere. Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hæc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio dicerentur, ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis : *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis. Sufficiat vobis stipendium vestrum* (*Luc.* III). Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.

CAP. XLIII. *De eodem.*

August. ad Bonifac. comit.

(33, q. 5, c. *Officia, vindicta.*) Gravi de pugna conquerens dubites nolo, utile tibi tuisque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris, quia, quando pugnatur, Deus apertis cœlis spectat, et partem quam inspicit justam, ibi dat et palmam.

CAP. XLIV. *Quibus dicatur gladium accipere.*

August., l. II, c. 2.

(23, q. 4, c. *Ille gladium.*) Qui gladio usus fuerit gladio cadet. Ille autem utitur gladio qui, nulla superiore ac legitima potestate, vel jubente vel cogente, in sanguinem alicujus armatur.

CAP. XLV. *Quæ sunt in bello jure reprehendenda.*

August. ex eod.

(23, q. 1, c. *Quod culpatur,* § *Sive Deo.*) Sive Deo sive aliquo legitimo imperio jubente, bella gerenda suscipiuntur a bonis cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos tale aliquid vel jubere, vel in talibus obedire ordo juste ipse constringit. Alioquin Joannes cum ad eum baptizandi milites venirent dicentes : *Et nos quid faciemus*, responderet : *Arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, prosternite neminem* (*Luc.* 3). Sed qui sciebat eos militando facere non esse homicidas, sed ministros legis, et non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis : *Neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum* (*ibid.*). Item : Dominum nostrum Jesum Christum audiant Manichæi, hoc stipendium jubente reddi Cæsari, quod Joannes dicit sufficere militi. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et Deo quæ sunt Dei* (*Matth.* XXII). Ad hoc enim tributa præstantur Cæsari, ut propter bella necessarium militis stipendium præbeatur.

CAP. XLVI. *De eodem.*

August. Contra Faust. Manich. l. XXII, c. 74.

(23, q. 1, c. *Quod culpatur.*) Item interest quibus causis, quibus auctoritatibus homines bella gerenda suscipiant. Ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sint. Exsequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi. Bellum autem quod gerendum Deo auctore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est.

CAP. XLVII. *De eodem.*

August. contra eumdem, et ibid.

(23, q. 1, c. *Quod culpatur,* § *Non enim.*) Cum vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte possit illo jubente bellare, si vice

Introdusă în format electronic de Google

pacis ordinem servans cui quod jubetur vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum certum sit non est ita, ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi, quanto magis in administratione bellorum, innocentissime devertatur qui, Deo jubente, belligerat, quem male aliquid jubere nemo qui ei servit, ignorat!

CAP. XLVIII. *Non solum homines, sed contrariæ fortitudines sunt ultrices iræ Dei.*

Hieronym. sup. Joel. c. II.

(23, q. 5, c. *Non solum.*) Non solum homines ministri sunt et ultores iræ Dei, his qui malum operantur, unde non sine causa portant gladium, sed et contrariæ fortitudines quæ appellantur furor et ira Dei.

CAP. XLIX. *Qui crudeles jugulat, non est talis qualis patientibus videtur.*

Hieronym. sup. Isai. c. XIII.

(23, q. 5, c. *Non est crudelis.*) Non est crudelis qui crudeles jugulat, sed quia crudelis patientibus esse videtur. Nam latro suspensus patibulo crudelem putat judicem.

CAP. L. *Prodest latroni vel piratæ qui membra ejus debilitat.*

Hieronym. sup. Sophron. c. I.

(23, q. 3, c. *Si quis.*) Si quis fortitudinem latronis et piratæ diripiat, infirmosque reddat, prodest illi sua infirmitas. Debilitata enim membra quibus prius non bene utebantur a malo opere cessabunt.

CAP. LI. *Minister est Dei qui malos percutit in eo quod mali sunt.*

Hieronym. sup. Ezech., l. IV.

(23, q. 5, c. *Qui malos.*) Qui malos percutit in eo quod mali sunt, et habet vasa interfectionis ut occidat pessimos, minister Domini est.

CAP. LII. *Non scelus admittit judex qui homines vincit.*

Hieronym. sup. Epist. ad Gal. c. V.

(23, q. 5, c. *Judex.*) Judex non est auctor sceleris neque homines vinciendo.

CAP. LIII. *Non sanguinem effundit qui homicidas et sacrilegos punit.*

Hieronym. sup Jerem., c. XXII.

(23, q. 5, c. *Homicidas.*) Homicidas et sacrilegos et venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

CAP. LIV. *Quod sit justum bellum.*

Isidor. *Etymolog.* l. XVIII, c. 2.

(23, q. 2, c. *Justum bellum.*) Justum bellum est quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa. Judex dictus est quia jus dictat populo sive quod jure disceptat. Jure autem disceptare, est juste judicare. Non est enim judex, si non in eo justitia est.

CAP. LV. *Rex gladium portat quia vindex est contra iniquos.*

Stephanus Lothario episc.

Non autem sine causa gladium portat rex. Vindex est enim contra omnes iniquos, ut terrore comprimat quos nequit corrigere monitis salubribus. Aggrediatur igitur secure quæ sunt Deo placita. In nullo enim Petrus aberit cum suo ancipiti gladio, si tamen patriæ saluti consultat.

CAP. LVI. *De eodem.*

Pandect., l. I.

(Dist. 1, c. *Jus naturale;* l. 1 *De sent. excom.* § *Vim.*) Vim atque injuriam propulsemus. Nam jure hoc venit ut quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse æstimetur.

CAP. LVII. *Innoxius transitus filiis Israel negabatur, atque ideo justa bella gerebant.*

August. in Num. c. 44, q. 44.

(23, q. 2, c. *Notandum est.*) Notandum est sane quemadmodum justa bella gerebantur a filiis Israel contra Amorrhæos. Innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat.

CAP. LVIII. *Qui socii non repellit injuriam, similis est ei qui facit.*

Ambros. *De Offic.* l. I, c. 36.

(23, q. 3, c. *Non inferenda.*) Non inferenda, sed depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit injuriam a socio, si potest, tam est in vitio quam ille qui facit.

CAP. LIX. *Rex aliter servit quia homo est, et aliter quia rex est.*

August. ad Bonifac. comit.

Quid distat inter Arianos et Donatistas? Quomodo reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra Domini jussa religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit *quia homo* est, aliter quia rex est. Quia homo est servit vivendo fideliter, quia etiam rex est servit leges justa præcipientes, et contraria prohibentes, convenienti rigore sanciendo.

CAP. LX. *Militare non est peccatum.*

August. *De Verb. Domini in Matth.* serm. 19.

(23, q. 1, c. *Militare.*) Militare non est delictum, sed propter prædam militare, peccatum est. Non rempublicam gerere criminosum est; sed ideo gerere rempublicam ut rem familiarem et divitias potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim providenda quædam militantibus sunt stipendia constituta, nedum sumptus quæritur, præda grassetur. Item Dominus ipse dixit: *Reddite quæ sunt Dei Deo, et quæ sunt Cæsaris Cæsari* (*Matth.* XXII). Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod imperat, tolerandum est; sed fit intolerabile, dum prædam exactores accumulant. Item interrogaverunt milites Joannem dicentes: *Quid faciemus nos?* Ait illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam facietis, sed contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* III). Sic autem cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus

Introdusă în format electronic de Google

Scriptura loquitur qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur, atque hæc sententia potest dici, verbi gratia militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus, quicunque sibi stipendia publice decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator et concussor Joannis sententia condemnatur.

DE DIVINATIONIBUS ET INCANTATIONIBUS.

Cap. LXI. *Anathema sit qui ariolos vel incantatores observat.*

Ex Decret. Gregor. III, c. 12.

(26, q. 5, c. *Si quis ariolos.*) Si quis ariolos, aruspices vel incantatores observaverit, anathema sit; aut si quis etiam philacteriis usus fuerit, anathema sit.

Cap. LXII. *Quinquennio pœniteat qui divinationes expetit.*

Conc. Ancyr. c. 23.

(26, q. 5, c. *Qui divinationes.*) Et qui divinationes expetunt et morem gentilium subsequuntur, vel in domos suas hujusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte magica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.

Cap. LXIII. *Sacris officiis dediti magi vel incantatores non fiant.*

Conc. Laodic.

(26, q. 5, c. *Non oportet.*) Non oportet sacris officiis deditos vel clericos magos aut incantatores, aut facere philacteria quæ animarum suarum vincula comprobantur.

Cap. LXIV. *Honore privetur episcopus vel presbyter, qui magos vel aruspices consulunt.*

Conc. Tolet. III, c. 28.

(26, q. 5, c. *Si quis episcopus.*) Si quis episcopus aut presbyter, diaconus vel quilibet ex ordine clericorum aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut arte augures vel sacrilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus monasterii curam excipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissi sacrilegii luat.

Cap. LXV. *Quæ magorum præstigiis fiunt, non vera sed phantastica esse probantur.*

August. *De civit. Dei*; Isidor. *Etymol.* l. VIII, c. 9.

(26, q. 5, c. *Nec mirum.*) Nec mirum de magorum præstigiis quorum in tantum prodiere maleficiorum artes ut etiam Moysi in illis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, aquas in sanguinem, fertur etiam in libris gentilium quod quædam maga famosissima Circe socios Ulyssis mutaverit in bestias. Legitur et de sacrificio quod Archades Deo suo Lyco immolabant, ex quo quicunque sumerent, in bestiarum formas converterentur. Sed hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur. Ut ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant de eorum proprietate atque inventoribus juxta traditionem majorum, primum dicere congruum arbitramur.

Magi autem sunt qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Ili sunt qui permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo, ac sine ullo veneni haustu, violentia tantum carminis, interimunt, unde et Lucanus.

Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit.

Dæmonibus igitur accitis audent ventilare, ut quoscunque suos perimant malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine utuntur et victimis sæpe contingunt corpora mortuorum. Necromantici sunt, quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui divinare, et ad interrogata respondere. Νεκρὸς enim Græce *mortuus*, Latine, *μαντεία divinatio* nuncupatur, ad quos suscitandos cadaveri sanguis adjicitur. Nam amare sanguinem dæmones dicuntur. Ideoque quotiescunque necromantia fit, cruor aquæ miscetur, ut colore sanguinis facilius provocentur. Hydromantici ab aqua dicti. Est enim hydromantia in aquarum inspectione umbras dæmonum evocare, et imagineas ludificationes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibentur suscitare.

Cap. LXVI. *De multiplici genere divinationum.*

August. *De civit. Dei*; Isidor. *Etymol.* l. VIII, c. 9.

(26, q. 4, c. *Igitur.*) Igitur, genus divinationis a Persis fertur esse allatum. Varro autem dicit divinationum quatuor esse genera, terram, aquam, aerem, ignem. Hinc geomantiam, hydromantiam, pyromantiam, aeromantiam dictam autumat. Divini dicti sunt quasi Deo pleni. Divinitate enim plenos esse se simulant, et astutia quadam fraudulenta hominibus futura conjectant. Duo autem sunt genera divinationis, ars et furor. Incantatores vero dicti sunt qui artem verbis peragunt. Arioli vocati sunt propterea quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum accipiunt responsa. Haruspices nuncupantur quasi horarum inspectores. Dies etenim et horas in agendis negotiis operibusque custodiunt, et quid per tempora singula observare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura prædicunt. Augures sunt qui volatus avium et voces intendunt, aliaque rerum signa vel observationes improvisas hominibus occurrentes ferunt. Item et auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes observant. Dicta sunt autem auspicia et auguria, quasi avium aspicia et garria, id est avium voces et linguæ. Item augurium quasi avigerium quod aves gerunt. Duo autem genera sunt auspiciorum unum ad oculos, alterum ad aures

Introdusă în format electronic de Google

pertinens. Au ocu os, scilicet volatus avium; ad aures vox avium pythonissæ, a Pythone Apolline dictæ, quod is auctor divinandi fuerit. Astrologi dicti sunt eo quod in astris augurantur. Genethliaci sunt appellati, propter natalitiorum considerationes dierum. Geneses enim hominum per XII signa cœli describunt secundum eo quod cursu siderum nascentium mores, actus et eventus prædicere conantur, id est quali signo quis fuerit natus aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur in tali tempore. Ili vulgo mathematici dicuntur, cujus superstitionis genus constellationes Latini vocant, id est notationes siderum quomodo se habent, cum quisque nascitur.

Primum autem genus, id est stellarum interpretes magi nuncupantur, sicut de his legitur in Evangelio qui natum Christum annuntiaverunt; postea hoc nomine soli mathematici dicti sunt. Cujus artis scientia usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito nemo ex inde nativitatem de cœlo interpretetur. Horoscopi dicti sunt, qui horas nativitatis hominum speculentur dissimili et diverso fato. Sortilegi sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum sententiæ inspectione futura prædicunt. Salitores vocati sunt, qui, dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt.

CAP. LXVII. *Quæ magorum præstigiis fiunt, non vera sed phantastica esse probantur.*

August. *De civit. Dei.*

(26, q. 5, c. *Nec mirum*, § *Ad hæc.*) Ad hæc omnia supradicta pertinent et ligaturæ exsecrabilium remediorum, quæ ars non commendat medicorum, seu in præcantationibus seu in characteribus vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta. Unde et cuncta vitanda sunt Christiano, et omni penitus exsecratione repudianda atque damnanda. Auguria autem avium Phryges primi invenerunt. Præstigium vero Mercurius primus dicitur invenisse. Dictum est autem præstigium quod præstringat aciem oculorum. Haruspici artem primus Etruscis tradidisse dicitur quidam Fages, hic exanimis haruspicinam dictavit, et postea non apparuit. Nam dicitur fabulose arante quodam rustico ex glebis exiluisse et haruspicinam dictasse, qua die et mortuus est. Quos libros Romani ex Etrusca lingua in propriam mutaverunt. His ergo portentis per dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id imprudenter appetunt scire quod nulla ratione eis competit investigare. At ideo datur potestas immundis spiritibus ut perversos sibi captent, hoc est pravos homines seducant illos, qui spernunt veritatem et credunt mendacio, et juxta Pauli sententiam : *Sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*II Tim.* IV). *Onerati peccatis ducentur variis desideriis semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (*II Tim.* III). *Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (*II Tim.* III).

Nec ideo quisquam credere debet quoslibet magicis artibus aliquid facere posse sine permissu Dei, quia omnia quæ fiunt aut justo judicio fiunt, aut permissu suo ita fieri sinit, quod præfecti magici leguntur similia fecisse Moysi qui virgam suam projecit, et conversa est in draconem, projecereque singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones; sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Non ergo fuerunt creatores *draconum*, nec magi nec angeli mali quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa, quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit oportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus, et sic non dicuntur angeli qui ista faciunt animalium creatores : sicut ne agricolæ segetum aut arborum vel quorumcunque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamvis præbere noverint quasdam opportunitates visibiles et causas ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc illi invisibiliter. Deus vero unus creator est qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit.

Præterea quidam quærendum putant, quomodo Scriptura narret pythonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquium Saulis *impiissimi* regis, si pythonica divinatio errori magicæ artis deputanda sit. Quibus ita responderi potest, indignum omnino facinus esse, si secundum verba historiæ commendetur assensus. Quomodo enim poterat fieri ut arte magica attraheretur vir, et nativitate sanctus et vitæ operibus justus; aut si non attractus est, consensit? Quod utrumque de viro justo credere adversum est. Si enim invitus adductus est nullum suffragium habet justitia, si autem voluntarius, consensus amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsiverat, quod valde absurdum est, quia hinc qui justus recedit permanet justus. Porro autem hoc est præstigium Satanæ, quo, ut pessimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit. Quod Apostolus inter cætera ostendit dicens : *Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI). Ut enim errorem faceret in quo glorificaretur, in habitu viri justi et nomine se subornavit, ut nihil proficere spem quam prædicabant Dei cultore mentiretur, quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saulis et filii ejus non sit mentitus:

Introdusă în format electronic de Google

quasi magnum sit diabolo ante occasum mortem corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris quippe a quibus Dei protectio amota videtur. Quanto magis diabolo quem angelica majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur. De cujus magnitudine Apostolus ait : *An ignoratis altitudinem Satanæ ?*

Quid mirum ergo si imminentem prope mortem potuit prævidere, cum hoc sit unde fallit, et se in Dei potestate vult adorari. Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, ut ad Pythonissam confugeret. Depravatus enim causa peccati, ad hæc se contulit, quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam et ea quæ verbis sunt expressa, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit recte faciet quidem si tamen minime illud ad veri rapiat rationem, sed ad visum et intellectum Saulis. Neque enim reprobus factus poterat bonum intellectum habere. Historicus autem mentem Saulis habitum et Samuelis describit ea quæ dicta et visa sunt exprimens, prætermittens si vera an falsa sint. Quid, ait, audiens in quo habitu esset excitatus? *Intellexit*, inquit, *hunc esse Samuelem* (*I Reg.* XVIII). Quid esse intellexerit retulit, et quia bene non intellexit, contra Scripturam alium adoravit quam Dominum, et putans Samuelem adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet Satanas, hoc enim nititur ut adoretur quasi Deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari qui prædicaverat Dominum solum esse adorandum, et quomodo homo Dei qui in refrigerium cum Abraham erat, dicebat ad virum pestilentiæ dignum ardore gehennæ : *Cras mecum eris ?* (*ibid.*) His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prævidit improvidus Satanas, quia adorari se permisit sub habitu et nomine Samuelis, contra legem et virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum et justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verum potest videri si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat, ad eum enim transmigravit, quem adoravit.

Semper ergo diabolus sub velamine latens, prodit se; dum ea confingit quæ hæreant personis per quas fallere nititur. Si autem quibuslibet opponit ac dicit : quomodo eveniunt illa quæ illi divini prædicunt futura, aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid proprie virtutis ac potestatis non habent, hoc a nobis recipiat responsum, quod ideo quisque non debet eis credere, quia aliquando eveniunt quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, aut lædere sanos, quod hoc permissum Dei sit, ut ipsi qui hæc audiunt vel vident probent, et appareat quali fide sint, vel devotione erga Deum, sicut in Deuteronomio legitur Moyses verbo Domini populo Dei præcepisse ita dicens : *Si surrexit in medio tui propheta, aut qui dicat somnium se vidisse et prædixerit signum ac portentum evenerit quod locutus est et dixerit ; « Eamus et sequamur deos alienos, et serviamus eis, non audies verba prophetæ aut somniatoris quia tentat vos Dominus Deus vester, si palam fiat utrum diligatis eum an non ? In toto corde et in tota anima vestra Dominum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata ejus custodite, et audite vocem illius. Ipsi servietis et ipsi adhærebitis* (*Deut.* XIII). » Ubi sane intelligi voluit, et illa quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur; non sunt sic accipienda, vel etiam si fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter potestatem suam ostendit Deus esse quod contingunt ista, sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendum utique eorum dilectionem utrum eam habeant erga Deum suum. Cognoscendum vero ab ipsis potius quam ab eo qui scit omnia antequam fiant.

Cap. LXVIII. *Quot modis dæmones futura prænoscunt.*

August. *De divinat. dæmon.*, c. 3

(26, q. 4, c. *Sciendum est.*) Sciendum est vero hanc dæmonum esse naturam ut aerii corporis sensu, terrenorum corporum sensum facile præcedant; celeritate etiam propter aërii corporis superiorem mobilitatem non solum cursus quarumlibet rerum ut hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus, quantum ad aereum corpus attinet, prædiți, hoc est acumine sensus et celeritate motus multo ante cognita prænuntiant vel nuntiant quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus quo eorum vita protenditur rerum longe major experientia quam potest hominibus propter brevitatem vitæ pervenire. Per has efficacias quas aerii corporis natura sortita est, non solum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa mira faciunt. Quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus serviant, et quibus honores divinos deferant, arbitrantur, investigante maxime vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ et excellentiæ temporalis.

DE SORTILEGIIS.

Cap. LXIX. *De his qui auguriis et divinationibus studeant.*

Conc. Agath., c. 42.

(26, q. 5, c. *Aliquanti.*) Aliquanti clerici sive laici studeant auguriis, et sub nomine fictæ religionis per eas quas sanctorum Patrum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt; hæc

Introdusă în format electronic de Google

quicunque clericus aut laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

CAP. LXX. *Sors nihil aliud est quam divinatio, et maleficium esse decernitur.*

Leo IV episcopis Britanniæ.

(25, q. 5, c. *Sortes.*) Sortes quibus vos cuncta in vestris discriminatis provinciis nihil aliud quam quod Patres damnaverunt, divinationes et maleficium esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, et ultra inter Christianos volumus nominari, et ut abscindatur sub anathematis interdicto prohibemus.

CAP. LXXI. *Vaticinatorum pœna.*

Capitul. l. VII, c. 27.

Vaticinatores qui se futura denuntiant scire, cæsi de civitate jactentur.

CAP. LXXII. *Ab Ecclesia separetur auguriis et incantationibus deserviens.*

Conc. Carthag., c. 79.

(26, q. 5, c. *Auguriis.*) Auguriis vel incantationibus servientem a conventu Ecclesiæ separandum præcipimus, similiter et Judaicis superstitionibus vel feriis inhærentem.

CAP. LXXIII. *Exemplo Jonæ et Mathiæ non est sortibus indifferenter credendum.*

Hieronym. ad Jon. prop., c. 1.

(26, q. 2, c. *Non exemplo*, et c. *Non statim.*) Non statim debemus sub exemplo Jonæ sortibus credere, vel illud de Actibus apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in apostolum Mathias eligitur, cum privilegia singulorum non possint legem facere communem.

CAP. LXXIV. *Ad sæcularia negotia, divina oracula non sunt convertenda,*

Augusl. ad Januar., epist. 119.

(26, q. 2, c. *Hi qui.*) Hi qui de paginis evangelicis sortes legunt, etsi optandum est ut ad id potius faciant quam ad dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, et ad vitæ hujus vanitatem divina oracula velle convertere.

CAP. LXXV. *Sortilegam et magicam artem episcopi omnibus modis eliminare studeant.*

Conc. Ancyr., c. 4.

(26, q. 5, c. *Episcopi.*) Ut episcopi et eorum ministri omnibus viribus elaborare studeant, ut perniciosam et a Zabulo inventam sortilegam et maleficiam artem penitus ex parochiis suis eradicent, et si aliquem virum ac mulierem hujuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum de parochiis suis ejiciant. Ait enim apostolus : *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est* (*Tit.* VIII). Subversi sunt et a diabolo capti tenentur, qui derelicto Creatore suo, a diabolo sua suffragia quærunt, et ideo a tali peste mundari debet sancta Ecclesia. Illud etiam non omittendum quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ, credunt se et profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea vel cum Herodiade et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, et multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio transire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire et certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in perfidia sua periissent, et non multos in infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, et credendo a recta fide deviant, et in errorem paganorum devolvuntur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum arbitrantur. Quapropter sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo omni instantia prædicare debent ut noverint hæc omnino falsa esse et non a divino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus infidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas *transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI) cum mentem cujusque *mulierculæ* ceperit, et hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illico transfigurat in diversarum personarum species atque similitudinem, et mentem quam captivam tenet in somniis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens per devia quæque deducit, et cum solus spiritus hoc patitur infidelis, hæc non in animo sed et in corpore evenire opinatur. Quis enim non solum in somniis et nocturnis illusionibus extra seipsum educitur, et multa videt dormiendo, quæ nunquam viderit vigilando? Quisnam tam stultus et hebes sit qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, et in corpore accidere arbitretur. Cum Ezechiel propheta (*Ezech.* III) visiones Domini in spiritu non in corpore vidit, et Joannes apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu non in corpore vidit et audivit, sicut ipse dixit : *Statim*, inquit, *fui in spiritu* (*Apoc.* I); et Paulus non audet se dicere raptum in corpore? (*II Cor.* XII). Omnibus itaque publice annuntiandum est, quia talia et his similia credit, fidem perdit, et qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, id est diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut in deterius immutari aut transformari, aut in aliam speciem vel similitudinem nisi ab ipso Creatore qui omnia fecerat et per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, et pagano deterior.

CAP. LXXVI. *Mulier malefica scopis correcta, ex parochia projiciatur.*

Conc. Agath., c. 3.

Perquirendum est si aliqua femina sit, quæ per quædam maleficia et incantationes mentes hominum immutare se posse dicat, idem, ut de odio in amorem vel de amore in odium convertat, ut bona hominum aut damnet aut subripiat. Et si aliqua est quæ dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulieris transformata certis noctibus equitare super quasdam bestias et in eorum consortio annu-

Introdusă în format electronic de Google

meratam esse, talis omnimodo scopis correcta ex parochia ejiciatur.

CAP. LXXVII. *Quid est sors?*

Augustin. in psalmo XXX.

(26, q. 2, c. *Sors non est aliquid.*) Sors non est aliquid mali, sed res in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem. Nam et sortes misere apostoli quando Judas, tradito Domino, periit, et sicut de illo scriptum est, *abiit in locum suum* (*Act.* I) cœpit quæri quis in locum ejus ordinaretur. Electi sunt judicio humano, et electus est unus de duobus judicio divino; de duobus Deus consultus est quemnam ipsorum vellet constituere *et cecidit sors super Mathiam* (*ibid.*).

CAP. LXXVIII. *Exemplo Mathiæ non est indifferenter sortibus credendum.*

Beda sup. Act. apost., c. 1.

(26, q. 2, c. *Non exemplo.*) Non exemplo Mathiæ vel quod Jonas propheta reprehensus sit sorte, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum, ut Hieronymus ait, communem legem facere omnino non possint. Item : Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo apostolorum esse consulendum, videant hos ipsos apostolos nonnisi in collectione fratrum fletu et precibus ad Deum fusis egisse.

CAP. LXXIX. *Christiana et vera pietas planetarios expellit, et damnat.*

August., *Confession.* l. IV.

(26, q. 2, c. *Illos planetarios.*) Illos planetarios quos Mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quod quasi nullum eis sacrificium, nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigerentur; quod tamen Christiana et vera pietas consequenter expellit et damnat.

DE OBSERVATIONE DIERUM ET MENSIUM.

CAP. LXXX. *Grave peccatum est dies observare, menses et annos.*

(26, q. 7, c, *Quis existimaret.*) Quis existimaret quam magnum peccatum sit dies observare et menses, et annos, et tempora, sicut et observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod, secundum vanas doctrinas horum, fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus qui talibus ait : *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* IV).

CAP. LXXXI. *De eodem.*

August. ad Januar., l. I.

(26, q. 7, c. *Non observetis*, et *Quis existimaret.*) Hoc culpat Apostolus, cum dicit : « Non proficiscar quia posterius est, aut quia ita se habet positio siderum, non agam in hoc mense commercium, quia ista stella mihi ait mensem, vel agam quia suscepit mensem. Non plantabo vineam in hoc anno quia bissextus est. » Non autem quispiam sapiens arbitratur observatores temporum reprehendendos qui dicunt : « Non proficiscar hodie quia hibernæ sunt reliquiæ, aut tempus seminandi, quia imbribus autumnalibus terra satiata est, » vel qui fortes ad naturales effectus circa motum seris, ad variandas temporum qualitates in siderum ordinatissima conversione notati sunt.

CAP. LXXXII. *Sortilegus Paschalis ab archidiaconatu deponitur propter incantationes et luculos quos colebat.*

Ex lib. Pontific.

Paschalis non post multum temporis ab officio archidiaconatus, propter aliquas incantationes et luculos quos colebat, vel sortes quas cum aliis respectoribus tractabat Dei beatique apostolorum principis interveniente judicio privatus est et a Sergio in monasterio retrusus post quinquennium præcordis duritia impœnitens defunctus est.

DE JURAMENTO LICITO ET ILLICITO.

CAP. LXXXIII. *Juramentum pro fœdere pacis est agendum.*

Conc. Tolet. VIII, c. 2.

(22, q. 1, c. *Omne.*) Omne quod in pacis fœdera venit, tunc solidius consistit, cum juramenti hoc interpositione roboratur. Sed et omne quod animos amicorum conciliat, tunc fidelius durat, cum eos sacramenti vincula ligant. Omne enim quod testis astipulatur, verius constat, cum adjectio jurationis affirmat. Quod etsi testis deficiat, innocentis fidem sola jurisjurando taxatio manifestat.

CAP. LXXXIV. *Juratio non est prohibenda, nec tanquam bonum appetenda.*

August. sup. Epist. ad Galat.

(22, q. 1, c. *Non est contra.*) Non est contra præceptum Dei juratio quæ a malo non jurantis est, sed incredduli a quo jurare cogitur. Nam hic intelligitur ita Dominum prohibuisse a jurando, ut quantum in ipso est quisquis est non juret : quod multi faciunt more habentes jurationem, tanquam magnum aliquod aut suave. Nam utique Apostolus noverat præceptum Domini, juravit tamen. Non enim audiendi sunt qui has jurationes non putant esse. Quid enim de illa faciant : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* (*I Cor.* XV), quam Græca exemplaria manifestissimam jurationem esse convincunt. Quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus ; prohibemur enim jurare cupiditate aut dilectione jurandi, quamvis enim juramentum amplius est quam *Est, est ; non, non*, et ideo *a malo est* (*Matth.*

Introdusă în format electronic de Google

v), non tamen a malo tuo, sed infirmitatis et incredulitatis eorum qui non aliter moventur ad fidem.

CAP. LXXXV. *Pejerare peccatum est, non jurare.*

August. epist. 154.

(22, q. 1, c. *In Novo Testamento.*) In Novo Testamento merito dictum est ne omnino juremus, quod mihi quidem propterea dictum videtur, non quia jurare peccatum est, a quo nos longe esse voluit, qui omnino ne juraremus commonuit. Item : Quamvis dictum sit, ne juremus, nunquam in Scripturis sanctis legisse memini, ne ab alio jurationem accipiamus.

CAP. LXXXVI. *Jurare non est peccatum.*

August. *De serm. Domini in monte.*

(22, q. 1, c. *Tu malum.*) Tu non facis malum, qui bene uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas quod utiliter suades, sed a malo est illius cujus infirmitate jurare cogeris.

CAP. LXXXVII. *Infirmis jurare conceditur.*

Hieronym. *sup. Matth.* c. v, l. 1.

(22, q. 1, c. *Considera.*) Considera quod Salvator non per Deum jurare prohibuerit, sed per cœlum et per terram, et Hierosolymam, et per caput tuum, et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas immolarent idolis, sic et jurare permitterentur in Deum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius est Deo id exhibere quam idolis vel dæmoniis.

CAP. LXXXVIII. *Non prohibet Deus jurare, sed pejerare.*

Isidor. *Sentent.* l. II, c. 31.

(22, q. 1, c. *Non est contra.*) Non est contra Domini præceptum jurare, sed jurandi dum usum facimus, perjurii crimen incurrimus.

CAP. LXXXIX. *Juratio non est peccatum.*

August. *De verb. Apost.* serm. 28.

(22, q. 1, c. *Si peccatum.*) Si peccatum esset juratio, nec in veteri lege diceretur : *Non pejerabis. Reddes autem Domino jusjurandum tuum* (*Levit.* XIX). Non enim peccatum præciperet nobis. Item : Non vobis dicimus, non nos jurare. Si enim hoc dicimus, mentimur, quantum ad me pertinet, non juro. Sed quantum mihi videtur magna necessitate compulsus, cum video, nisi faciam, mihi non credi, et ei, qui mihi non credit, non expedire quod non credit, hac perpensa ratione et consideratione habita cum magno timore coram Deo dicam, aut testis est mihi Deus, aut scit Christus. Sic esse in animo meo, et video quia plus est idem quod amplius est, a malo est, etsi non a malo est; jurantis a malo est, non credentis.

CAP. XC. *Melius est vota stultæ promissionis non implere, quam crimen committere.*

Conc. Tolet. VIII, c. 2.

(22, q. 4, c. *Si publicis.*) Si publicis sacramentorum gestis quod Deus avertat, a quibuslibet illicita vel non bona exstitisset conditio alligata, quæ aut jugulare animam patris aut agere cogeret stuprum sanctissimæ virginis, nunquid non tolerabilius esset stultæ promissionis rejicere vota, quam per inutilium promissorum custodiam, exhorrendam criminum implere mensuram.

CAP. XCI. *Aliquando non expedit promissum solvere sacramentum.*

Ambros. *De offic.*, l. I.

(22, q. 4, c. *Est etiam.*) Est etiam contra officium nonnunquam, promissum solvere sacramentum, ut Herodes qui juravit, quoniam quidquid petitura esset daret filiæ Herodiadis necem Joannis præstavit, ne promissum negaret.

CAP. XCII. *Pietas fuit, quod David Nabal sicut juraverat, non occiderat.*

August. *in Decollat. S. Joan.*

(22, q. 4, c. *Quod David.*) Cum sanctum Evangelium legitur, video David pium hominem et sanctum in jurationem temerariam incidisse, et maluisse non facere quod juraverat quam jurationem suam fuso hominis sanguine implere.

CAP. XCIII. *De eodem.*

Isidor. c. In flum.

(22, q. 4, *ibid.*, et c. *Juravit David.*) Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate. Ecce David sanctus juramento quidem astrictus, non sanguinem hominis fudit, sed cum falsum jurare negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minimum, sed minus fuit illud in comparatione prioris. Nam per seipsum appensum, magnum malum est falsa jurare.

CAP. XCIV. *Non est observandum juramentum quo malum incaute promittitur.*

Ex Decret. Sother. pap., c. 3.

(22, q. 4, c. *Si aliquid.*) Si aliquid fortasse nos incautius jurare contigit, quod observat pejorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriori mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro mutando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Denique juravit David per Dominum occidere Nabal virum stultum et impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent, demoliri. Sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis, mox remisit minas, revocavit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit.

CAP. XCV. *De duobus malis, minus eligi oportet, quando utrumque vitari non potest.*

Ex iisd. Decret. et c. eod.

(22, q. 4, c. *Non solum.*) Non solum in jurando, sed in omne quod agimus hæc est moderatio sollertius observanda, ut si in talem fortasse lapsum versuti hostis incideremus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possumus, illum potius evadendi aditum petamus in quo minus periculi nos perpessuros esse ceruimus.

Introdusă în format electronic de Google

Cap. XCVI. *Non est appellanda fides quæ ad peccatum faciendum admittitur.*

August. *De bono conjug.*

(22, q. 4, c. *Si ad peccatum.*) Si ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides admittatur, verumtamen qualiscunque sit, si et contra ipsam fit, pejus fit, nisi cum propterea deseritur ut ad fidem veram legitimamque redeatur, ut peccatum emendatur voluntatis pravitate correpta, tanquam si quis cum hominem solus exspoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, et cum eo paciscatur, ut simul id faciant, spoliumque partiantur, quod facinore commisso totum solus auferat, dolet quidem ille et fidem sibi servatam non esse conqueritur. Verum in ipsa sua querela debet cogitare potius in bona vita fuisse servandum ipse humanæ societati, ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quam iniqua sibi in peccati societate servata non fuerit. Ille quippe utrobique perfidus, profecto sceleratior judicandus est.

Cap. XCVII. *Si propterea fides non servatur ut ad bonum redeant, non ideo violari dicitur.*

August. Ex eod. lib., c. 4.

(22, q. 4, c. *Mulier.*) Item, mulier si, fide conjugali violata, fidem servet adultero, utique mala est, sed si nec adultero, pejor est. Porro si eam flagitii pœniteat, et ad castitatem rediens conjugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putaverit.

Cap. XCVIII. *Illicitum juramentum non est servandum.*

Synod. VII, act. 4.

(22, q. 4, c. *Joannes.*) Joannes apocrisiarius orientalium sedium dixit : Significat sermo patris nostri Sophronii quod melius sit jurantem perjurare, quam conservare sacramentum in fractione sanctarum imaginum, hoc autem dicimus quia quidam se sacramento excusant.

Cap. XCIX. *De eodem.*

Tharas. patriarch.

(22, q. 4, c. *Tharasius.*) Quia pater Sophronius noverat bonitatem Dei, propterea transgredi voluit impium sacramentum.

Cap. C. *De eodem.*

Ex eod.

(22, q. 4, c. *Tharas.*, § *Secundo.*) Herodes servavit juramentum et periit. Petrus negavit cum juramento et conversus flevit, et salvatus est. Omne enim bonus Deus indulget, si quis ex toto corde pœniteat, sancta synodus dixit : « Sic docet nos Scriptura. » Item : Leontius Photiæ episcopus dixit : Scriptum est : « Juramentum mendax non diligatis. » Qua de causa nostrum juramentum mendax dissolvitur, quasi nullam habens virtutem.

Cap. CI. *Tolerabilius est juramentum non implere quam quod turpe est facere.*

Ambros. *De offic.*, l. III, c. 12.

(22, q. 4, c. *Unusquisque*, § *Sæpe.*) Sæpe plerique constringunt se jurisjurandi sacramento, et cum ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod sponderunt. Sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici turpiter præmium promisit, crudeliter solvit. Turpe est quod regnum pro saltatione promittitur. Crudele, quod mors prophetæ jurisjurandi religione datur. Quanto tolerabilius tale fuisset perjurium sacramento, si tamen perjurium posset dici, quod ebrius inter vina juraverat, quod et juratus inter saltantium choros promiserat, infertur disco prophetæ caput, et hoc æstimatum est fidei ésse quod amicitiæ fuit.

Cap. CII. *Non omnia promissa solvenda sunt.*

Ambros. *De offic.*, l. III, c. 12.

(22, q. 4, c. *Non Semper.*) Non semper promissa omnia solvenda sunt. Denique, ipse Dominus frequenter mutat suam sententiam sicut Scriptura indicat.

Cap. CIII. *Ante rationabiles annos aliqui non cogantur jurare.*

Capitul. l. I, c. 9.

(22, q. 5, c. *Parvuli.*) Parvuli qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel in alterius jurator existat.

Cap. CIV. *Ante* XIV *annum, nullus jurare cogatur.*

Cornelius pap. in conc. Eliberit, c. 5.

(22, q. 5, c. *Pueri.*) Pueri ante XIV annos, non cogantur jurare.

Cap. CV. *De eodem.*

Conc. Eliberit., c. 3.

(22, q. 5, c. *Pueri.* § *Puella;* et 32, q. 2, c. *Mulier.*) Si puella sita in puerili ætate in domo patris nesciente se juramento constrinxerit, et si pater ut statim audierit, contradixit, vota ejus et juramenta irrita erunt, et facilius emendabitur.

Cap. CVI. *De eodem.*

Conc. Aurelian., c. 2.

Juramentum et filiæ, nesciente patre, et vota monachi, nesciente abbate, et juramenta pueri irrita sunt.

Cap. CVII. *De eodem.*

August. in decoll. Joan. Bapt. serm.

Si quis provocaverit te ad jurationem ut forte si sic sibi æstimet satisfieri posse, si juraveris, de ipsa re quam putas te commisisse, ac fecisse, quam forsitan non fecisti, ne remaneat in eo loco mala suspicio, si juraveris, tu non sic peccas quomodo ille qui te provocaverit. Item : Si ab alio provocatus fueris, ab ipsius malo erit quod juras, non a tuo.

Cap. CVIII. *Homicidam vincit, qui sciens ad perjurium compellit.*

August. *de Sanctis*, serm. 2.

(22, q. 5, c. *Ille qui.*) Ille homo qui alium provocat ad jurationem, et scit eum falsum jurare, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, et ejus quem jurare provocavit et suam. Scis verum esse quod dicis, falsum esse quod dicit ille, et jurare compellis. Ecce

Introdusă în format electronic de Google

jurat, perjurat, ecce perit, quid invenisti? Imo et tu peristi, quia de illius morte satiare voluisti.

CAP. CIX. *Cui sit judicandum falsum, quod ab aliquo juratur.*

August. *Quæst. in Levit.*

(22, q. 5, c. *Hoc videtur.*) Hoc videtur dicere peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, et scit eum falsum jurare et tacet. Tunc autem scit fieri, si ejus rei de qua juratur testis fuit. Aut videns aut conscius fuit, id est aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ille ipse qui juravit illi indicavit; ita enim potuit esse conscius irrogando, sed inter timorem hujus peccati, et timorem perditionis hominum, non parva existit plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato revocare. Sed si non audierit, et coram nobis de re quam noverimus falsum juraverit, utrum prohibendus sit proditus etiam si in hoc periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia hic non expressit cui hoc indicatum est, utrum illi cui juratur, an sacerdoti vel cuipiam, qui non solum eum persequi non potest, videtur mihi quod se in hoc solvat a peccati vinculo si indicet talibus qui magis possunt prodesse quam obesse perjurio, sive ad corrigendum eum, sive ad Deum pro eo placandum, sed et ipse confessionis adhibeat medicinam.

CAP. CX. *Non peccat qui juramentum nescit falsum jurare.*

August., *De perjur.*

(22, q. 5, c. *Qui exigit.*) Qui exigit jurationem, multum interest, si nescit illum jurare falsum, an scit. Si enim nescit, et ideo dixit : « Jura mihi, ut fides ei sit, » non audeo dicere esse peccatum, tamen humana tentatio est. Si autem novit eum fecisse, si scit eum fecisse, vidit fecisse, et cogit jurare, homicida est. Ille enim se suo perjurio interimit; sed iste manum interficientis et impressit et pressit.

CAP. CXI. *De eo qui jurat falsum quod putat verum.*

August., *De verb. Apost.* serm. 28.

(22, q. 2, c. *Homines.*) Homines enim falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur, aut putat homo verum esse quod falsum est, et temere jurat, aut scit, aut putat falsum esse, et tamen pro vero jurat, et nihilominus cum scelere jurat. Distant autem ista perjuria, quæ duo commemoravi : Facit illum jurare quia verum putat esse pro quo jurat. Verum putat esse, et tamen falsum est. Nam ex animo iste perjurat, fallitur hic, pro vero habet quod falsum est. Non pro re falsa sciens jurationem imponit. Da alium; scit falsum esse, et dicit verum esse jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quam ista sit detestanda bellua, et de rebus humanis exterminanda. Quis enim fieri voluit? Omnes homines talia detestantur. Fac alium : putat falsum esse et jurat tanquam verum sit, forte verum est. Verbi gratia, ut intelligatis : Pluit in illo loco. Interrogas hominem et respondit pluisse, et ad negotium illius competit ut dicat, pluit, sed putat non pluisse. Dicitur enim vere pluit, vere et jurat, et tamen pluit ibi, sed ille nescit, et putat non pluisse, perjurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens.

CAP. CXII. *De eo qui calliditate verborum jurat.*

Isidor. *Sentent.* l. II, c. 26.

(22, q. 5, c. *Qui jurat.*) Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accepit sicut ille cui juratur intelligit. Dupliciter autem reus est, qui cum nomen Domini in vanum assumit et proximum dolo capit.

CAP. CXIII. *Non omnia promissa solvenda sunt.*

Isidor., *De summo bono*, l. II, c. 31.

(22, q. 4. c. *Non est observandum.*) Non est observandum sacramentum quo malum incaute permittitur, veluti, si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio.

CAP. CXIV. *Jurare Dei, et pœnitentia Dei quid sint.*

Ex dictis Isidor.

Jurare Dei est illa providentia quæ statuit non evellere statuta. Pœnitentia Dei est rerum mutatio. Non pœnitere autem, statuta non revocare ut est illud : *Juravit, et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX); et quæ juravit non mutabit.

CAP. CXV. *Jurare per Deum est jus Deo reddere.*

August. serm. De *perjurio*, *Primam lect.*, etc.

Quisquis et pravi et perversi cordis, si dicas: Per Deum, juras; si dicas : Testis est Deus, non juras. Quid enim, Per Deum, nisi Testis est Deus? Aut quid, Testis est Deus, nisi Per Deum? *Quid* autem est jurare, nisi jus Deo reddere? Quoniam per salutem tuam juras, jus filiis tuis redde, quando per filios tuos juras. Quod autem jus debemus saluti, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis et non falsitatis. Maxime autem cum per Deum fit, ipsa est vera juratio. Quia et cum dicit quisque, Per meam salutem, salutem suam Deo obligat. Quando per filios suos, oppignorat filios suos Deo, ut hoc veniat in caput eorum quod exit de ore ipsius. Si verum est, verum; si falsum, falsum. Cum ergo per filios vel caput suum, vel salutem suam quisque jurationem nominans, quidquid nominat, obligat. Quanto magis quando jurat per ipsum Deum!

CAP. CXVI. *Perjurus est, qui super lapidem falsum jurat.*

August. *De verbis Apostol.* serm. 28.

(22, q. 5, c. *Ecce dico.*) Ecce dico charitati vestræ. Et qui super lapidem falsum jurat perjurus est. Unde hoc dico quia multi etiam in hoc falluntur, et putant quia nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii, prorsus perjurus est, quia per id quod sanctum non putas, falsum juras, si tu illud sanctum non putas, sanctum putat cui juras. Non enim quando juras, tibi juras aut lapidi juras, sed proximo juras, homini juras ante lapidem. Sed nunquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed vunit Deus te fal-

Introdusă în format electronic de Google

lentém. Item : Ream linguam non facit nisi rea mens.

CAP. CXVII. *Licet uti fide ejus qui ut eam servet, per dæmonia jurat.*

August. ad Publicol., ep. 154.

(22, q. 1, c. *Movet.*) Movet te utrum ejus fide utendum sit, qui ut eam servet, per dæmonia juraverit. Ubi te volo prius considerare, utrum si quispiam per deos falsos juraverit se fidem servaturum, et eam non servaverit, non tibi videtur bis peccasse? Si enim tali juratione promissam servaret fidem ; ideo tamen peccasse judicaretur, quia per tales deos juravit. Illud autem nemo reprehenderet, quia fidem servavit. Num vero quia juravit per quos non debuit, et contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis utique peccavit, ac per hoc qui utitur fide illius quem constat jurasse per Deos falsos. Et utitur non ad malum, sed ad licitum et bonum, non peccato illius se sociat qui dæmonia juravit sed bono pacto ejus quo fidem servavit. Neque hic eam fidem dico servari qua fideles vocantur, qui baptizantur in Christo. Illa enim longe est alia longeque discreta a fide humanorum placitorum atque pactorum. Verumtamen sine ulla dubitatione minus malum est per deos falsos jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto id per quod juratur magis sanctum est, tanto magis est pœnale perjurium. Alia quæstio est utrum non peccet qui per falsos Deos sibi jurare facit, quia ille qui ei jurat, jurat per falsos deos quos colit. Cui quæstioni possunt ista testimonia suffragari, quæ ipse commemorastis de Laban et Abimelech, si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deos suos Sochot vel Nachor.

CAP. CXVIII. *Juramentum quo aliquid incaute promittitur est servandum.*

Ex decret. Sother. pap. c. 3; Beda in fest. decoll. Joan. Bapt.

(22, q. 1, c. *Si aliquid.*) Si aliquid forte incautius nos jurasse contigerit quod observatum in pejorem vergat exitum illud consilio salubriori mutandum noverimus ac magis instante necessitate perjurandum nobis, quam pro vitando perjurio, in aliud crimen esse divertendum.

CAP. CXIX. *Minus malum de duobus malis eligendum est.*

Conc. Tolet., c. 2.

(Dist. 12, c. *Duo mala.*) Duo mala licet omnino cautissime sint præcavenda, tamen si necessitas periculi ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere quod minori sensu noscitur obligari. Quid autem levius ex his quidve gravius ex his sit, puræ rationis acumine investigemus ; etenim dum perjurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus. Cum vero noxia promissa complemus, et Dei jussa contemnimus, et proximis impia crudelitate nocemus et nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. Hic enim duplici culparum telo perimimur.

CAP. CXX. *Ut a jejunis juramenta præstentur.*

Cornelius pap.

(22, q. 5, c. *Qui in sanctis.*) Qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate et timore Dei.

CAP. CXXI. *Quando sit jurandum.*

Conc. apud S. Medard. habit.

(22, q. 5, c. *Decrevit.*) Et hæc sancta synodus decrevit, nisi pace facienda, ut fideles omnes ad sacramenta jejuni accedant.

CAP. CXXII. *Quæ in fidelitate sunt servanda.*

Ex epist. Philibert. episc.

(22, q. 5, c. *De forma.*) De forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hæc vobis quæ frequenter, breviter ex librorum auctoritate notavi. Qui domino suo fidelitatem jurat, ista sex in memoria debet habere : Incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino suo de corpore suo; tutum, ne sit ei damnum de secreto suo, vel de munitionibus suis per quas esse tutus potest; honestum, ne sit ei in damnum de justitia sua, vel de aliis causis quæ ad honestatem ejus pertinere videntur ; utile, ne sit in damnum de suis possessionibus ; facile vel possibile, ne id bonum quod dominus suus leviter facere poterat, faciat ei difficile, neve id quod possibile erat, reddat ei impossibile ut fidelis hæc nocumenta caveat, justum est; non enim sufficit abstinere a malo nisi fiat quod bonum est. Restat igitur in his sex supradictis consilium et auxilium domino suo præstet si beneficio dignus videri vult et salvus esse de fidelitate quam juravit. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet, et si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille qui in eorum prævaricatione vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus et perjurus erit.

CAP. CXXIII. *Quos debet habere comites perjurandum.*

Hieronym. *sup. Jerem.* c. IV, l. II; Ambros., *De Offic.*

(22, q. 2, c. *Animadvertendum.*) Animadvertendum est quod jusjurandum has habet comites : veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defecerint, nequaquam juramentum erit, sed perjurium.

DE MENDACIO.

CAP. CXXIV. *Quot sunt genera mendacii.*

August. *De mendac.*, c. 14.

(22, q. 2, c, *Primum est capitale.*) Primum est capitale mendacium et longe fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Secundum, si ut

Introdusă în format electronic de Google

alıquem lædat injuste quod tale est, ut et nulli prosit et obsit alicui. Tertium quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum, sola mentiendi fallendique libidine quod mirum est mendacium. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suavi eloquio, his omnibus penitus evitatis atque rejectis. Sequitur sextum genus, quod et nulli obest et prodest alicui, velut si quispiam pecuniam alicujus injuste tollendam sciens ubi sit, nescire se mentitur. Septimum, quod nulli obest et prodest alicui, velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur. Octavum est genus mendacii, quod et nulli obest et ad hoc prodest ut ab immunditia corporali aliquem tueatur. Non ergo mentiendum est in doctrina pietatis, quia magnum scelus est et primum genus est detestabilis mendacii. Non est mentiendum in secundo genere, quia nulli faciendа injuria est. Non est mentiendum in tertio genere, quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Non est mentiendum in quarto genere propter mendacii libidinem quæ per seipsam vitiosa est. Non est mentiendum in quinto genere, quia si nec ipsa veritas cupiditate placendi hominibus enuntianda est, quanto minus mendacium est quod per seipsum, quia mendacium utique turpe est. Non est mentiendum sexto genere. Neque enim recte testimonii veritas pro cujus temporali commodo ac salute corrumpitur! Ad sempiternam vero salutem nullus deducendus est opitulante mendacio. Neque septimo genere mentiendum est; non enim cujusque commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est, nec se quisquam in recte factis nostris tam male movetur, ut fiat etiam animo deterior longeque a pietate remotior. Nec octavo genere mentiendum est, quia et in bonis castitas animi, pudicitiæ corporis præfertur, et in malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri sinimus nobis damnabilius est. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat, cum mentitur, quanto magis a primo recedit. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit, putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

CAP. CXXV. *Quid est mendacium.*

Gelas. ex verb. August.

(22, q. 2, c. *Beatus*, § *Est enim.*) Mendacium est falsa significatio vocis cum voluntate fallendi. Item: Faciat homo etiam pro temporali hominum salute quod potest. Cum autem ad hoc ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum non esse prospexerit quod recte faciat.

CAP. CXXVI. *Nostro peccato alterius saluti consulere non debemus.*

Ex Isidor. syn. de dial. hom. et rat.

(22, q. 2, c. *Omne genus.*) Omne genus mendacii summopere fuge. Nec casu nec studio loquaris falsum, nec ut præstes mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam defendas alicujus. Cave mendacium in omnibus, nullum justum mendacium, omne mendacium peccatum.

CXXVII. *De eodem.*

Ambr., 22, q. 5.

(22, q. 2, c. *Cavendum.*) Cavendum omnibus modis mendacium sive pro malo, sive pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est a Deo, sed sicut Salvator dicit, *A malo est* (*Matth.* v).

CAP. CXXVIII. *Non licet alicui causa humilitatis mentiri.*

August., *De verb. Apost.* serm. 2.

(22, q. 2, c. *Cum humilitatis.*) Cum enim humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris; quod ante evitaveras, veritas autem vitæ non est, *nisi* te ita dixeris peccatorem, ut et esse cognoscas; veritas autem ipsa est, ut quod est dicas. *Nam quomodo* est veritas ubi regnat falsitas.

CAP. CXXIX. *Non deputantur mendacia, cum ea quæ non sunt, joco dicuntur.*

August. *Quæst. in Gen.*, l. 1.

(22, q. 2, c. *Quod ait.*) Quod autem Joseph fratribus suis ait: *Nesciebatis quia non est homo in augurio qualis ego* (*Gen.* XLIV). De hoc etiam augurio mandavit eis dicendum per hominem suum, quid sibi velit quæri solet, an quia non serio joco dictum est, ut exitus docuit, non est habendum mendacium. Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco. Cum autem quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia.

CAP. CXXX. *Pro temporali vita alicujus, perfectus mentiri non debet.*

August. in psal. v, de vers. *Perdes*, etc

(22, q. 2, c. *Ne quis.*) Ne quis arbitretur perfectum et spiritualem hominem pro ista *temporali* vita in cujus morte non occiditur anima sive sua sive alterius, debere mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud verum occultare, siquidem aliud est falsum dicere, aliud est verum tacere. Si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, nec occidat animam suam pro corpore alterius. Item: Duo sunt genera mendaciorum in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur aut proximo mentimur. Illud primum in jocando non est perniciosum, quia non fallit. Novit ille cui dicitur joci causa dictum esse: Secundum aut ideo minus est, quia retinet nonnullam benevolentiam. Illud vero quod non habet duplex cor, neque mendacium quidem dicendum est, verbi gratia tanquam si cui gladius commendetur et promittat se redditurum cum ille qui commendavit poposcerit, et si forte repetit gladium suum furens, manifestum est non esse reddendum ei, ne se occidat vel alios, donec ei sanitas restituatur, hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cum promittebat se redditurum, non cogitabat furentem posse repetere,

Introdusă în format electronic de Google

manifestum est non esse culpandum, aliquando verum tacere, falsum autem dicere, non invenitur concessum sanctis.

CAP. CXXXI. *De eodem.*

Falsum dicere nulli licet, aliquando autem aliquid tacere veri utile est.

CAP. CXXXII. *Falli in his quæ ad fidem non pertinent, aut nullum aut parvum est peccatum.*

August., *Enchirid.*, c. 21.

(22, q. 2, c. *In quibus.*) In quibus rebus nihil interest ad capessendum regnum Dei utrum credantur an non, et utrum vera putentur, an falso, in his errare, id est aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum : aut si est minimum esse atque levissimum.

CAP. CXXXIII. *De eodem.*

August. ex eod. l. etc. eod.

(22, q. c. *Homines*, et c. *De eo qui falsum.*) Nemo sane mentiens judicandus est, qui dicit falsum quod putat verum, quoniam quantum in ipso est, ille non mentitur, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii temeritatis arguendus est, quia falsa incautus credit, ac pro veris habet potiusque econtrario, quantum in ipso est, ille mentitur qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum ejus pertinet, quia non quod sentit, hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur esse quod dicit, nec ullo modo liber est a mendacio qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Item : In ipsarum consideratione rerum quæ dicuntur tantum interest qua in re quisque fallitur, vel mentiatur, ut cum falli quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longe sit tolerabilius, in quæ a religione sunt sejuncta mentiri, quam in his sine quorum notitia vel fide Deus coli non potest, falli. Item : Homo qui non solum quando verum esse scit quod scit, sed etiam quando ipse errat et fallitur, sicut homo, hoc debet loqui, quod animo gerit, sive illud verum sit et putetur, et non scit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur, voluntate fallendi.

CAP. CXXXIV. *Mentitur qui verum dicit quod putat falsum.*

Nonnulli habent veritatem in labiis, et in corde non habent, tanquam si quis dolose ostendat viam, sciens in ea esse latrones, et dicat : Si hac ieris, securus eris a latronibus, et contingat ut vere non inveniantur latrones. Verum ille locutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, et nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit.

DE ELECTIONE PONTIFICIS.

CAP. CXXXV. *Imperator jus habet eligendi pontificem.*

Ex synod. VIII, in hist. eccl.

(Dist. 63, c. *Adrianus.*) Adrianus papa Romanus venire Carolum ad defendendas res Ecclesiæ postulavit. Carolus vero Romam veniens, Papiam obsedit, ibique relicto exercitu in sancta resurrectione ab Adriano papa Romæ honorifice susceptus est. Post sanctam vero resurrectionem reversus Papiam cepit Desiderium regem, deinde Romam reversus, constituit ibi synodum cum Adriano papa, in patriarchatu Lateranensi in ecclesia Sancti Salvatoris. Quæ synodus celebrata est, a CLIII episcopis, religiosis et abbatibus. Adrianus autem papa cum universa synodo tradiderunt Carolo jus et potestatem eligendi pontificem, et ordinandi apostolicam sedem. Dignitatem quoque patriarchatus ei concesserunt. Insuper archiepiscopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit; et ut, nisi a rege laudetur et investiatur episcopus, a nemine consecretur, et quicunque contra hoc decretum ageret anathematis vinculo innodavit, et nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit.

CAP. CXXXVI. *Electio Romani pontificis ad jus pertinet imperatoris.*

Leo papa.

(Dist. 63, c. *In synod.*) Leo papa in synodo congregata Romæ in ecclesia Sancti Salvatoris ad exemplum beati Adriani apostolicæ sedis episcopi, qui, domino Carolo victoriosissimo regi Francorum et Longobardorum, patriciatus dignitatem ac apostolicæ sedis ordinationem et investituram episcoporum concessit. Ego quoque Leo, servus servorum Dei episcopus, cum cuncto clero ac populo Romano, constituimus et corroboramus et per nostram apostolicam concedimus auctoritatem, atque largimur domino Ottoni primo, regi Teutonicorum, ejusque successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum, eligendi facultatem successorem atque summæ sedis apostolicæ pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiscopos seu episcopos, ut ipsi ab eo investituram suscipiant et consecrationem, unde debent, exceptis his quos imperator pontificibus et archiepiscopis concessit; ut nemo deinceps cujuscunque dignitatis et religiositatis eligendi vel patricium vel pontificem summæ sedis apostolicæ aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius imperatoris, quod tamen absque omni pecunia fiat, ut et ipse sit patricius et rex, quod si a clero et a populo aliquis eligatur episcopus, nisi a supradicto laudetur rege et investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc apostolicam auctoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi subjacere decrevimus, et nisi resipuerit, in irrevocabili exsilio puniri, vel ultimis suppliciis feriri. Amen.

Introdusă în format electronic de Google

QUI LIBRI, ET QUO TEMPORE SINT LEGENDI, IN ECCLESIA.

Cap. CXXXVII.

In Septuagesima cantatur, *In principio*, et legitur Pentateuchus Moysi usque ad passionem Domini. Septuagesima enim captivitatem Babylonis significat, id est confusionis, in qua sumus, dum in mundo captivamur, de qua exeuntes debemus ad Jerusalem redire, id est ad domum pacis, unde diabolus nos captivavit; quamvis enim captivitatis nostræ semper memores esse debemus, specialiter tamen in his diebus oportet, quibus legimus et cantamus de abjectione patris nostri Adam de paradiso, et de periculo Noe in diluvio, de Abraham qui exivit de terra sua, et de hujusmodi laboribus. Sicut enim Adam in exordio mundi factus est, sic et in principio anni et ecclesiastici officii de illo legere et cantare proponimus. A passione Domini usque in Pascha legitur Jeremias, quoniam Redemptoris nostri passionem ipsa aperta lamentatione præsignavit. Ab octavis Paschæ leguntur Actus apostolorum quindecim diebus, et cantatur Apocalypsis, id est *Dignus es, Domine*. Quoniam quod sancto Joanni revelatum erat de morte Agni hoc apostoli prædicaverunt. Postea leguntur Epistolæ canonicæ usque ad Ascensionem Domini, et decantatur de psalmis, *Si oblitus*, quia David prophetavit passionem Domini quam prædicarunt apostoli. Ab Ascensione usque ad Pentecosten cantatur de festo, sed Apocalypsis legitur, quia revelatus est esse Dei Filius, cum ad cœlos ascenderet, cunctis videntibus, et multa quæ ante clausa fuerunt, ab illa die revelata patuerunt. Ab octavis Pentecostes usque ad Kalendas Augusti leguntur libri Regum, et cantatur *Deus omnium*. Quoniam sicut Saul et David et alii pro lege sua contra Allophylos et Goliath pugnaverunt, sic et nos post Pentecosten, id est postquam susceperimus donum Spiritus sancti in baptismo, pugnare debemus contra vitia et dæmones. Unde Apostolus : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI).

A Kalendis Augusti usque ad Kalendas Septembris legitur et cantatur Salomon, id est Sapientia cum responsoriis, *In principio*, Augustus sextus mensis est et calidus et anni medius. In sexta ætate qua Dominus venit, debemus quidem propter ejus sapientiam vivere, quoniam audita est, inter nos ipsa sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit, unde et cor hominis concaleat, et in ejus meditatione exardescat. Quoniam Deus ignem venit mittere in terram (*Luc.* XI), vel quia immediate, ut quisque ab æstu vitiorum succenditur, magis debeat tunc sapientia pollere, ubi tanto sapientius est cavendum, quanto plus valet ætatis perfectio ad resistendum. In Septembri legitur et cantatur de Job, Tobia, Esther, Judith. Hi sunt qui omnia adversa sustinuerunt. Sic et nos in septima ætate qua mundus finietur, adversa quæque debemus pro Domino tolerare patientius. A Kalendis Octobris usque ad Novembrem leguntur libri Machabæorum et cantatur *Adaperiat*. Iste octavus mensis, lætitiam significat resurrectionis, quia sicut Judæi finitis prœliis et templo restituto, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, sic et in resurrectionis gloria, destructis prœliis diaboli, sancti et justi in Domino. Ergo a Kalendis Novembris usque ad Adventum Domini legitur Ezechiel, Daniel, et XII prophetæ cum responsoriis, *Vidi Dominum;* Ezechiel enim vidit quatuor animalia, id est quatuor evangelistas, qui Domini nativitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem, etc., mundum docuerunt. Daniel quoque venturum Dominum prædixit dicens : *Aspiciebam in visu*, etc. (*Dan.* VII.) Similiter *et alii prophetæ* nasciturum Dominum prædixerunt, et ideo hi ante adventum ejus leguntur, quia ipse est Salvator mundi quem nasciturum prædicaverunt. Ab Adventu usque ad Natale legitur Isaias, qui quanto de Domino prophetavit urbanius, tanto nativitati ejus legitur proximius. Ab octavis Domini usque ad Septuagesimam, leguntur Epistolæ Pauli cum responsorio, *Domine, ne in furore*, quoniam quod David prophetavit, Apostolus concorditer prædicavit.

Capitul. I.

Cap. CXXXVIII. *De per Simoniam vel alias male obtentis.*

Conc. Calilon.

(Dist. 1, q. 1, c. *Si quis per pecuniam.*) Statuimus ut si quis Simoniace ordinatus ab officio omnino cadat, quod illicite usurpavit; vel si quis præbendam, vel prioratum, vel diaconatum, aut honorem, vel promotionem aliquam ecclesiasticam, utpote chrisma, id est oleum sanctum consecrationem altarium vel ecclesiarum interveniente exsecrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquisivit, honore male acquisito careat; et emptor atque venditor et interventor nota infamiæ percellantur, et nec pro pastu nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat, quoniam Simoniacum est, sed libere et absque imminutione aliqua collecta sibi dignitate perfruatur.

Capitul. II.

Cap. CXXXIX. *A suo episcopo excommunicatus, non est ab alio recipiendus.*

Ex conc. eodem.

(2, q. 3, c. *Si quis.*) A suis episcopis excommunicatos ab aliis suscipi omnino prohibemus. Qui autem excommunicato, antequam ab eo qui eum excommunicaverit, absolvatur, communicare præsumpserit, pari sententia teneatur obnoxius.

Capitul. III.

Cap. CXL. *Extra domos sine proprio ornatu sacerdotes non appareant.*

Innocent. papa.

(21, q. 4, c. *Præcipimus.*) Præcipimus etiam

Introdusă în format electronic de Google

quod tam episcopi quam clerici in statu mentis et in corporis habitu Deo et hominibus placere studeant, et neque in superfluitate, scissura, aut colore vestium, neque in tonsura, intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendant aspectum, sed potius quid eorum deceat sanctitatem, qui si moniti ab episcopis emendari noluerint, ecclesiasticis careant beneficiis.

CAPITUL. IV.

CAP. CXLI. *Excommunicantur laici qui morientium episcoporum audent bona diripere.*

Innocent. II.

(12, q. 2, c. *Illud.*) Illud autem quod in Chalcedonensi sacro constitutum est concilio, irrefragabiliter conservari præcipimus, ut videlicet decedentium bona episcoporum a nullo omnino hominum diripiantur, sed ad opus Ecclesiæ et successoris sui in libera œconomi vel clericorum remaneant potestate. Cesset igitur illa detestabilis et sæva rapacitas. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, excommunicationi subjaceat.

CAPITUL. V.

CAP. CXLII. *Officio atque beneficio careat subdiaconus si nupserit.*

Innocent. II.

(Dist. 28, c. *Decernimus.*) Decernimus ut hi qui in ordine diaconatus vel supra uxores duxerint aut concubinas habuerint officio et ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum Dei, vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse et dici, indignum est eos cubilibus et immunditiis deservire. Ad hoc prædecessorum nostrorum Gregorii septimi, Urbani et Paschalis Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, præcipimus, ut nullus eorum missas audiat, quorum uxores vel concubinas populares cognoverit habere.

CAP. CXLIII. *Post professam continentiam quisquis uxorem duxerit ab ea separetur.*

Innocent. II.

(27, q. 1, c. *Ut autem lex.*) Ut autem lex continentiæ et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi vel subdiaconi, regulares canonici et monachi, atque conversi et professi qui sanctum transgredientes propositum, uxores copulare sibi præsumpserint, separentur; hujusmodi namque copulationem quoniam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus; qui etiam ab invicem separati sunt, pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Idipsum quoque de sanctimonialibus feminis si (quod absit!) nubere attentaverint, decernimus.

CAPITUL. VI.

CAP. CXLIV. *Juri civili et medicinæ operam dare, interdicitur monachis et canonicis regularibus.*

Prava autem consuetudo, prout accepimus, et detestabilis inolevit, quoniam monachi et regulares canonici post susceptum habitum et professionem factam, spreta bonorum magistrorum Augustini et Benedicti Regula, leges temporales et medicinam, gratia lucri temporalis, addiscunt. Avaritiæ namque flammis accensi, se patronos causarum faciunt, cum psalmodiis et hymnis vacare debeant, gloriosæ vocis confisi munimine, allegationum suarum varietate justum et injustum, fasque nefasque confundunt. Attestantur vero imperiales constitutiones absurdum, imo esse opprobrium clericis, si peritos se esse velint disceptationum forensium; hujusmodi temeratores graviter feriendos apostolica auctoritate decernimus. Ipsi quoque neglecta animarum cura propositum ordinis sui nullatenus attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum corporum se faciunt curatores. Cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuntius, illa de quibus loqui pertimescit honestas, non debet religio pertractare. Ut ergo monasticus et canonicus Deo placens ordo in sancto proposito inviolabiliter conservetur, ne hoc ulterius præsumatur, apostolica auctoritate interdicimus. Episcopi autem et abbates et priores tantæ enormitati consentientes, et non corrigentes, propriis honoribus priventur, et a liminibus Ecclesiæ coerceantur.

CAP. CXLV. *Decimæ a laicis non possideantur.*

Gregor. VII.

(16, q. 7, c. *Decimas.*) Decimas quoque ecclesiarum quas in usum pietatis concessas esse canonica demonstrat auctoritas, a laicis possideri auctoritate apostolica prohibemus. Sive enim ab episcopis, vel a regibus vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, se sacrilegii crimen committere, et periculum æternæ damnationis incurrere sciant. Præcipimus ut etiam laici qui Ecclesias tenent, aut eas episcopis restituant, aut excommunicationi subjaceant.

CAPITUL. VIII.

CAP. CXLVI. *Nullus in præpositum, vel archiepiscopum, vel archipresbyterum, vel archidiaconum, nisi presbyter vel diaconus ordinetur.*

(Dist. 60, c. *Innovamus.*) Innovamus autem et præcipimus ut nullus in archidiaconum vel decanum nisi diaconus vel presbyter ordinetur. Archidiaconus vero, vel decani, vel præpositi, qui infra ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint honore suscepto priventur. Prohibemus etiam ne adolescentibus vel infra sacros ordines positis, sed qui pudicitia et merito vitæ clarescunt, prædicti concedantur honores. Præcipimus ut unusquisque sacerdotum cui facultas sit, unius contentus sit ecclesiæ; præcipimus etiam ut unaquæque ecclesia, si facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

Introdusă în format electronic de Google

CAPITUL. VIII.

CAP. CXLVII. *Statuit tempora treugarum et pœnas violantium. Et personæ hic numeratæ plen securitate gaudent tempore guerræ.*

(Dist. 60, *ibid.*; Extra De *treug.*, et c. *Si quis.*) Præcipimus etiam ut presbyteri, clerici, monachi, peregrini, mercatores et rustici euntes et redeuntes in agricultura existentes, et animalia cum quibus aratur et semina portant ad agrum, et oves omni tempore securæ sint. Treugam autem ab occasu solis in quarta feria, usque ad ortum solis in secunda feria, et ab Adventu Domini usque ad Epiphaniæ octavam, et a Septuagesima usque ad octavam Pentecostes ab omnibus inviolabiliter servari præcipimus. Si quis autem treugam frangere tentaverit, anathemati subjaceat, et nullus episcoporum illum absolvere præsumat, nisi mortis imminente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. Quod si quis eorum mortuus fuerit, quamvis ei poscenti et pœnitenti viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura. Si quis autem treugam frangere tentaverit, post tertiam commonitionem, si non satisfecerit, episcopus suus sententiam excommunicationis in eum dictet, et scriptam vicinis episcopis nuntiet. Episcoporum autem nullus excommunicatum in communicationem suscipiat, imo scriptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo subjacebit, et quoniam *funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV), præcipimus ut episcopi, ad solum Deum et salutem populi habentes respectum, omni trepidatione deposita ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium et auxilium præbeant, neque alicujus amicitia vel odio prætermittant, vel si quis in hoc Dei opere trepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat

CAPITUL. IX

CAP. CXLVIII. *Militum nundinæ ad quas ex conducto veniunt certaturi ad ostentationem virium suarum damnantur.*

Detestabiles autem illas nundinas in quibus milites ex condicto convenire solent, et ad ostentationem virium suarum et audaciæ temere congrediuntur, unde mortes hominum et animarum pericula sæpe proveniunt, omnimodo fieri interdicimus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti et pœnitenti viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

CAPITUL. X.

CAP. CXLIX. *Qui clericum percusserit, excommunicetur, et non nisi a Romano pontifice absolvatur.*

(17, q. 4, c. *Si quis suadente.*) Item, placuit ut si quis, suadente diabolo, hunc sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathemati subjaceat, et nullus episcoporum absolvere præsumat illum, nisi mortis imminente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.

CAPITUL. XI.

CAP. CL. *Nemo ab ecclesia abstrahatur.*

(17, q. 4, c. *Definivit,*) Præcipimus etiam ut eos qui in ecclesiam vel in cœmeterium confugerunt, nullus omnino manum immittere audeat. Quod si fecerit, excommunicetur.

CAPITUL. XII.

CAP. CLI. *Ecclesia Dei ad sui regimen, sapientes, honestos et religiosos exposcit homines.*

Indubitatum est, quia ordines ecclesiastici, sanguinis non sunt, sed meriti; et Ecclesia Dei non hæreditario jure aliquem secundum carnem successorem exspectat, sed ad sui regimen et officiorum suorum dispensationem honestas et sapientes et religiosas personas exposcit.

CAP. CLII. *Quod ecclesiastica beneficia non debent jure hæreditario vindicari.*

Innocentius papa II.

(8, q. 1, c. *Apostolica.*) Apostolica auctoritate prohibemus ne quis ecclesias, præbendas, præposituras, capellas, aut aliqua ecclesiastica officia, hæreditario jure vindicare aut expostulare præsumat. Quod si quis improbus aut ambitionis reus attentare præsumat, debita pœna mulctabitur, et postulatis carebit.

CAPITUL. XIII.

CAP. CLIII. *Conjunctiones consanguineorum et jus canonicum et civile damnant.*

Sane conjunctiones consanguineorum omnino prohibemus, hujusmodi namque incestus, quia jam fere, stimulante generis humani inimico, in usum versus est, sanctorum Patrum instituta et sacrosancta detestatur Ecclesia. Leges etiam sæculi tali contubernio natos infames pronuntiant, et ab hæreditate repellunt.

CAPITUL. XIV.

CAP. CLIV. *Domos incendens, gratia vel odio alicujus, excommunicetur.*

(23, q. 8, c. *Pessimam.*) Pessimam siquidem et horrendam incendiorum malitiam, auctoritate Dei et beatorum Petri et Pauli omnimodo detestamur, et interdicimus; hæc etenim pestis et vastitas hostilis omnes alias deprædationes exsuperat, quæ quantum populo Dei sit damnosa, et quantum detrimentum animabus et corporibus inferat nullus ignorat. Assurgendum est igitur et omni modo laborandum, ut tanta clades et tanta pernicies pro salute populi eradicetur et exstirpetur. Si quis ergo post hujus nostræ constitutionis promulgationem malo studio, sive odio, sive vindicta, ignes apposuerit, vel apponi fecerit, et appositoribus consilium scienter et auxilium tribuerit, excommunicetur; et si incendiarius mortuus fuerit, ecclesiastica careat sepultura, nec absolvatur nisi prius damnum cui intulit, secundum facultatem, restituat, et se ulterius emendaverit, etc.

Introdusă în format electronic de Google

INDEX UNIVERSALIS

EORUM OMNIUM

QUÆ CONTINENTUR IN DECRETO IVONIS.

Prior numerus partem, posterior caput demonstrat.

A

Abbas et abbatissa.

Abbas avaritiam detestari debet, pars 7, cap. 150. Venditiones quas potest facere abbas, quæ, 5, 165. Unus abbas duobus monasteriis minime præficiendus, 5, 164. Abbas sui monasterii fundum dare non debet, 5, 375. Potest facere lectorem in suo monasterio, 5, 376. Qualis et a quibus eligi debeat abbas, 7, 21, 104. Abbas subjectus esse debet episcopo, 7, 85. Non debet cogere episcopus abbatem ut se ad synodum conferat, 7, 91. Abbas suum potest relinquere locum, 7, 104. Indignus abbas quomodo arcendus ac deponendus, 7, 114. Abbatissa magnam de suo conventu curam habere debet, 7, 112. Extra monasterium migrare non debet sine licentia episcopi, et moniales sine licentia abbatissæ, 7, 76, 77.

Abraham et Sara.

Cur presbyter nominatur, 6, 25. Christus secundum carnem fuit in lumbis Abrahæ quando Levi decimatus est, 17, 3. Excusatur ingressus Saræ uxoris Abrahæ ad Pharaonem, 8, 267.

Abstinentia.

Abstinentia carnis et vini laudabilis, 1, 42; 1, 206; 4, 24, 25. Carnis esurie non condemnandus, 4, 30, 48. De pœnitentia imponenda iis qui scabiem aut vermiculos, aut carnem immundam seu morticinam comedunt vel urinam bibunt, 15, 99, 100. De illis qui comedunt aut bibunt aliquid ab immundis animalibus tactum vel intinctum, 15, 101; 2, 118. Abstinentia carnis et sanguinis quibus temporibus religiose observatur, 15, 168. Gula seu ciborum aviditas omnino vitanda, 4, 23, 54.

Acolythus.

Acolythorum seu acolathorum officium, 1, 69; 2, 43; 6, 8, 20. Qualiter ordinentur acolythi, 6, 15.

Accusator et accusatus. Item accusatio et condemnatio.

Accusator falsus condemnandus, 16, 283; 6, 240. Inimicus non potest esse accusator, 5, 53, 259. Nec non infamis, 15, 111. Nec etiam excommunicatus, 16, 357. Infamis ille qui prælatos accusat, 5, 255. Accusatus non debet criminare accusatorem, priusquam se crimine objecto purgaverit, 5, 274. Accusatio a criminosis nequaquam fieri debet, 5, 276. Quis criminosus, quis infamis, 5, 286, 290. Inducliæ sex mensium accusatis episcopis concedendæ, 5, 287, 296. In accusatione sacerdotum vulgus non admittendum, 6, 314. Accusator clerici quomodo rejiciendus, 6, 271. Absente accusato accusatio perscripta non recipiatur, 5, 295; 6, 228. Nemo damnandus nisi confessus, et convictus, 6, 122; 38, 88. Accusatus pœna multandus, qui negavit probare quod intendit 6, 276. Examinandi accusatores, 6, 315. Convitia pro accusatione non habenda, 6, 324. Accusator non potest simul esse et testis et judex, 6, 321, 337. Ubi respondere debeant accusati, 6, 323. Accusator per seipsum debet accusare, 6, 326. Quæ accusationes rejici debeant, 6, 327, 331. Qui accusatores excludendi, 6, 333; 16, 61. Sub quot fieri debeat testibus accusatio, 6, 334. Modus et ordo accusationis, 6, 332, 321, 347, etc. Infames accusati propriam possunt causam disputare, 6, 419, etc. De duobus accusatis de adulterio, 15, 173, 180. In accusatione virginis quæ vitanda, 7, 136. Accusatio adulterii licita tantum proximis et necessariis, 8, 15. Confessio quæ vi ab accusata persona extorquetur nequaquam pro confessione habenda, 8, 117.

Accusatio et accusator.

Is peccatum condemnare potest, qui ejusdem peccati reus non est, 8, 121. Quomodo accusandus servus de adulterio, 8, 123. Homicida aut adulter episcopum accusare non potest, 10, 56. Homicidæ, venefici, etc., ad accusandum non admittendi, 10, 57. Quid agere debeat qui alium de homicidio accusat, 16, 247. De illo quem pœnitet se alium criminaliter accusasse, 16, 251. Absentes accusandi, nec condemnandi, 16, 316. Nemo de crimine quo absolutus est accusandus, 16, 319. De eo qui de objectis purgari se recusarit, 16, 343.

Adam et Eva.

Adam et Eva sine peccato creati, 1, 25. Adam de paradiso ejectus, 5, 320. Per peccatum Adæ humano generi pœna illata est servitutis, 16, 45. In uno Adæ peccato plura inveniuntur peccata, 17, 5. Adam carnis infirmitate peccavit, 17, 20, 56. In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdiderunt, 17, 24.

Adrianus papa.

Adversus desiderium Longobardorum regem ad existentiam se munivit, 9, 82. Ejus pia cura in exornandis ecclesiis, 9, 82. Præsente Carolo M. imperatore Thasmonem quemdam ducem Bavariæ excommunicavit, 9, 89.

Adulterium.

Cavendum et abhorrendum adulterium, 6, 42; 8, 105. Quid sit adulterium, 8, 101, etc., 106. Enormitas et gravitas adulterii, 8, 99, 103. Qui alienam conjugem concupiscit, adulterium committit, 8, 104. Quomodo perpetratur adulterium, 8, 107, 255. Repudiandi adulteri conjuges, 8, 109. Quomodo marito liceat interficere adulterum, 8, 111. Adulter post quinquennium accusari non potest, 8, 113. Uxor quæ adulterum dimittit adultero non debet nubere, 8, 199. Adulteris nisi resipuerint communio neganda, 8, 203. De uxore quæ, conscio marito, mœchatur, 8, 206, 264. Quomodo maritus procedere debeat adversus suspectum adulterum, 16, 159, 161. De viro uxorem non habente, si cum alterius uxore mœchetur, 8, 207. Uxorem constupratam maritus perdere non debet si confugerit ad episcopum, 8, 216. Adulteri excommunicandi, 8, 214; 9, 19. Excommunicatio et abjuratio adulterii, 8, 214; 9, 19. Qui adulteravit fratris sui uxorem nunquam cum ea matrimonii fœdus inire potest, 8, 256. Viventibus uxoribus licet adulteris consilium datur ne aliæ accipiantur, 8, 258. Abjicienda uxor adultera, 8, 299.

Affinitas. Vide *Gradus consanguinitatis.*

Alexandrina et Antiochena Ecclesia.

Post Romanam secundum inter omnes Ecclesias locum obtinent, 5, 43. Fundatio Ecclesiarum Alexandrinæ et Antiochenæ, 5, 45.

Alleluia.

Laici non debent cantare Alleluia, 7, 105.

Altare.

In altari debent poni reliquiæ sanctorum, 3, 270. Quid offerri debeat ad altare, 2, 16, etc., 34. Altare figura corporis Christi, 2, 7. Altare quomodo ornandum, linteisque ac palliis cooperiendum, 2, 132. Laici juxta altare non sedeant nec ad illud mulieres accedant, 2, 135. Ab episcopo altare consecrandum, 3, 20. Debet esse lapideum, et chrismate ungendum, 3, 30. Quæ altaribus afferuntur, ad quos pertinent, 3, 202.

Ambrosius (S.).

Imperatorem Theodosium propter eædem Thessalonicensium ab ingressu ecclesiæ prohibuit, 5, 48. Quemdam defendit ne de Ecclesia raperetur, 10, 81. Ejus opuscula ab Ecclesia approbata, 4, 64. In hoc Decreto S. Ivonis sæpius citata invenies.

Anathema. Vide *Excommunicatio.*

Angeli boni et mali.

Angelorum nomen, 3, 230. Est officii non naturæ, 17, 65. Apostata angelus non potuit reparari, quia sponte cecidit, 17, 20, 36. De creatione angelorum, 17, 51, 65. Apostatæ angeli ante ruinam liberum habuerunt arbitrium, 17, 55. Intellectuales naturæ, id est angeli, sunt immortales, 17, 54. Homines habent custodes angelos, 17, 57, 58. Utrum sit pax inter angelicos, 17, 61. De ruina angelorum, 17, 65, 66. Apostatæ angeli sunt in aer-

Introdusă în format electronic de Google

porel, 17, 99. Apostatæ angeli et impii homines a suppliciis nunquam liberabuntur, 17, 113.

Angli.

Angli fœdas olim conjunctiones exercuerunt, 8, 221.

Anima.

Anima est invisibilis, 17, 94. Formato corpori anima infunditur, 10, 5; 17, 12. Nobilitas animæ, 15, 58; 17, 1. Lapsus animæ deflendus, 15, 58. Anima est incorporea : potest tamen similitudinem corporis habere, 17, 2. Anima non formatur humano semine, 17, 12. Una anima non duæ in uno homine, 17, 13. Solus homo habet substantiam animam quæ est immortalis, 17, 14, 16. Quomodo dicatur anima mortalis et immortalis, 17, 83, 92.

Antichristus.

Cum venerit quid faciet? Sabbatum custodiri jubebit, 4, 6. Omnis qui est contrarius verbo Christi Antichristus est, 12, 19. De adventu Antichristi, 17, 104, 106, etc. Elias cum Henoch, et omnes electi resistent ei, 17, 106.

Apostata.

De apostatarum conversione et perversione seu induratione, 15, 15; 143, 144.

Apostoli.

Baptizavere apostoli, 1, 309. Quare in Judæa ecclesiam non construxerint, 3, 4. Vita apostolica, 3, 199. Apostolatus dignitas, 5, 21. Canones apostolorum, 4, 105.

Appellationes.

Sedes apostolica libere appellanda cum necessitas postulat, 5, 3, 257, 261, 295. Quando formari debeat appellatio, 5, 281; 15, 259. Accipiendæ litteræ appellationis, 5, 282. Quæ appellationes rejici debeant, 5, 283. De possessione appellantium et de injuste appellantibus, 5, 284, 285. Licet ad episcopum appellare, 15, 143. Pro quibus criminibus appellatio non concedenda, 15, 226, 513.

Aqua benedicta.

Aquæ benedictæ usus. Singulis Dominicis conficienda aqua benedicta, 2, 118.

Arbitrium liberum.

Libero arbitrio præditus homo, 1, 25; 17, 22. Mala voluntas non est permittenda suæ libertati, 10, 63.

Archidiaconus et archipresbyter.

Archidiaconi officium, 3, 134. Archidiaconus et archipresbyter episcopum præire debet quando visitat diœcesim, 5, 196. Archipresbyter an subditus archidiacono, 6, 20. Deponendus invasor archidiaconatus, 6, 342.

Arius et Ariani.

Arius sacrilegus et impius in Nicæno concilio damnatur, 4, 113, 116. Concilium Sardicense Arianorum, 4, 8.

Artes.

Magistri constitui debent qui liberales artes doceant, 6, 214.

Auctoritas. Vide *Leges principum.*

Augustinus (S.).

Humilitas sancti Augustini, 4, 7, 73. Fugit consortia mulierum, 6, 77. Augustinus vir doctus, 6, 77. Defendit Cæcilianum, 14, 62. Ejus opera Catholica et authentica, 4, 64. Regula Sancti Augustini, 1.

B

Bannitio.

De bannitione secundum legem *ad mallum*, Pars 16, cap. 268.

Baptismus.

Homo debet baptizari, 1, 27. Baptismus sanguinis, 1, 27. item, 1, 177, 211. Baptismus extra Ecclesiam nihil prodest, 1, 36, 37. Baptismus sacramentum fidei, 1, 30. Seu fidelium, 1, 76. Effectus, forma et tempus baptismi, 1, 45. etc., 107, etc. Baptizandus minime celebrandus in Epiphania, 1, 47, 58. Nec in nativitate Domini aut sanctorum festivitatibus, nisi tempore Paschæ ac Pentecostes, citra necessitatem, 1, 47, 58. Quid agendum cum ignoratur si quis sit baptizatus nec ne, 2, 48; 146, 169, 236, 238. Circumcisio idem valebat apud veteres quod baptismus apud nos, 1, 49, 50. ministro baptismi, 1, 52, 64, etc., 150, 191. Cur baptismus fiat in aqua, 1, 64. An fieri possit cum vino, 1, 64. Error hæreticorum circa baptismum, 1, 53. Baptisterium seu fons pro baptizandis consecratur, 1, 110, etc. Baptisterium in monachorum ecclesiis non permissum, 1, 55. Urgente mortis periculo, mulier nondum baptizata, cum emiserit vel emittit fetum potest baptizari ejusque fructus vivens, 1, 62. Pro baptismo pretium nullum exigendum, 1, 71. Adulti præmissa pœnitentia baptizari debent, 1, 76. In baptismo abrenuntiandum diabolo, etc., 1, 78, etc., 189. Symbolum fidei credendum, 1, 78. 81, 88. Exsufflatur in baptizandis et cur, 1, etc. 90. Item exorcizantur, 1, etc., 90. Baptizandi et baptizati signantur cruce, 1, 95, 142. Benedictum sal eis datur, 1, 99, et saliva adhibetur ante baptismum, 1, 104, etc Unguntur etiam chrismate et oleo sancto, 1, 108, 140, 149, 193. Utrum sanctificetur aqua per vitiosa verba, sive prolata a profanis, malis, etc., 1, 115. Baptizati veste candida amiciuntur, 1, 145, etc. Baptizati in nomine Christi an denuo baptizandi, 1, 148, 261. Diversitas, seu ignorantia linguarum non impedit baptismum, 1, 149, 257. Baptismus ab hæretico, seu alio indigno ministro collatus, vel simulatorie susceptus, validus est, 1, 150, 160, 162. Quid supplendum post collatum tale baptisma, 1, 150, 160, 162. Item, 1, 165. Ad baptismum vi non cogendi infideles, 1, 181. Baptizandi non sunt in utero parvuli, 1, 184. Baptismi cæremoniæ explicantur, 1, 193, 229. Per baptismum peccata omnia delentur, 17, 4. Vide sanctum effectum baptismi. De baptismo plura in parte 1, sui Decreti.

Basilica. Vide *Ecclesia.*

Basilicarius a matricula.

Basilicarii et matriculæ a primate in Ecclesiis constituendi, 6, 20.

Bellum seu pugna.

Bellum ad tuendam patriam justum est, 10, 97. Propter quem finem suscipienda bella, 10, 105. *Bella omnia* minime culpanda, 10, 107, 110. In pugna Deus *orandus*, 10, 109. Quæ bella justa, 10, 122. Justa Israelitarum bella contra Amorrhæos, 10, 119. Qui arma in prælio projiciunt a communione abstinere debent, 10, 122. De illis qui in bello homicidia committunt, 10, 152.

Benedictio.

Minor a majore benedictionem petere debet, 6, 17.

Benedictus panis. Vide *Panis benedictus.*

Benedictus (S.).

Scripsit luculentam et discretam monachorum Regulam, 4, 91. In sepulcro quod tibi paraverat soror ejus S. Scholastica sepulta est.

Beneficiarius et beneficium.

Obligatio beneficiariorum, 3, 35. Res Ecclesiarum sibi traditarum commutare vel vendere aut sibi attribuere minime debent, 3, 161, 166, 169. Presbyter titulum seu beneficium usurpare non debet, 3, 269. Presbyteri et beneficiarii super eos solliciti esse debent quorum donis et bonis participantur, 6, 183. Beneficiarius qui se fieri monachum in infirmitate promisit, potest a sua promissione absolvi, et beneficia recuperare. 4, 128.

Berengarius.

Ejus hæresis contra veritatem corporis Christi in Ecclesia anathematizata, 2, 10.

Bestiæ, aves, pisces, etc.

Quæ bestiæ vel aves sint feræ, quæ non, 15, 95, de illis qui animalia a bestiis dilacerata, aut strangulata comedunt, 15, 97. Apes si hominem occiderint et ipsæ sunt occidendæ, 15, 98. Si porci aut gallinæ humanum sanguinem comederint, occidantur, 15, 99. Piscis mortuus in flumine non edendus, 15, 104. De illo qui occiderit proximi sui animal, 16, 213. Aut illi damnum intulerit, 222, 16, 288. De animalibus damnum inferentibus, 16, 253, 254. De animalibus amico in custodiam traditis, 16, 291. Pecudum animæ non sunt substantiæ, cum carne moriuntur. 17, 15.

Bigamus et bigamia.

Quis bigamus seu digamus, 1, 292. Non oportet promoveri bigamum ad sacros ordines, 6, 134, 139, 382; 8, 139, 287, 298. Inter bigamos censendi qui virginitatem promissam non servant, 6, 35. In nuptiis bigami presbyter prandere non debet, 8, 48. Bigami orationibus et jejuniis vacare debent, 8, 162. Bigamia non laudatur, 6, 268. Bigamus ante baptismum nec ad sacros ordines accedere potest, 8, 291. Bigami vel viduarum mariti in sacerdotio non debent manere, 8, 293. Multandus episcopus qui bigamum promoverit, 8, 301. Presbyter secundis nuptiis interesse non debet, 8, 48, 315.

Blasphemus et blasphemia.

De pœna et supplicio blasphemorum, 12, 32, 72. Blasphemi comprehendendi, 16, 171.

Boni et mali. Bonum et malum.

Boni juste malos prosequuntur, mali autem injuste bonos, 10, 59. Non est crudelitas malos punire, 10, 72. Qui punit malum non persequitur, sed diligit, 17, 95. Quid fieri debet de bonis; capitaliter damnatis, 16, 119. Nemo per semetipsum potest fieri bonus, 17, 27. Utrum boni bonos in cœlis, vel mali malos in suppliciis agnoscant, 17, 78. Cur sæpius boni hac in vita affligantur, 17, 109. Bona pro malis retribuenda, 17, 124.

Introdusă în format electronic de Google

Bonifacius (*S.*).

Prædicit quemdam cymbalœdum brevi periturum, 10, 67.

C

Caducus morbus.

Sacerdos caduco morbo laborans, an ce eorare possit Pars 6, cap. 405.

Calices. Vide *Vasa sacra.*

Canones. Vide *Leges ecclesiasticæ.*

Canonici clerici seu regulares.

Quomodo in claustro degere debeant 6, 411. Stabilitas canonicorum regularium, 6. 411, De canonicis cum monachis degentibus, 7, 29, 31. Regula canonicorum et clericorum, 6, 3.

Cantus, cantor seu psalmista.

Quomodo ordinandus psalmista seu cantor, 6, 19, 20. Cantus ecclesiasticus, 2, 79. Canticum turpe ab Ecclesiis removendum, 3, 77. Psalmi plebeii in Ecclesia cantari non debent, 3, 262.

Captivi.

Quomodo liberandi captivi, 3, 145, 176. Qui captivant hominem aliquem pœnitentiam agere debent tribus annis, 15, 145.

Cardinales.

Cardinalis S R. E. honorandus, 6, 299. Cardinalis damnari non potest nisi sub quadraginta quatuor testibus, 6, 334.

Caro. Vide *Abstinentia.*

Carolus Magnus.

Carolus Magnus imperator Occidentis, Galliarum rex, laudatur, 3, 98; 4, 174. Carolus III defensor Ecclesiæ, et adjutor sedis apostolicæ nominatur, 5, 332. Ejus Capitula seu leges apostolica auctoritate approbatæ et firmatæ, 4, 174. Rogatu Adriani papæ bellum adversus Longobardos feliciter suscepit, 10, 91.

Catechismus.

Catechismi usus, 1, 287. Patrinus catechismi, 1, 218.

Catechumenus.

Catechumeni seu catechumini in Paschate seu Pentecoste baptizandi nisi ægrotent, 1, 60, 63, 197. Ante baptismum renuntiare debent diabolo, 1, 78. Et catechizandi sunt, 6, 82. Quid ante baptismum catechumenis fieri debet 1, 205, 210. Catechumenus ante baptismum salvatur per martyrium, 1, 211. Catechumeni manducare non debent cum baptizatis, 1, 289. Super catechumenos preces fundendæ, et quando, 6, 163. Catechumeni peccantes an baptizandi, 1, 125. De catechumenis lapsis, 1, 107.

Catholicus.

Qui Catholici salvabuntur, 1, 40. Catholici qui pro fide Catholica tribulationem patiuntur maxime sunt honorandi, 16, 34.

Charitas fraterna.

Dimissa peccata redeunt ubi abest fraterna charitas, 15, 21.

Childebertus.

Pelagius summus pontifex, ad Childebertum Francorum regem confessionem fidei suæ misit, 5, 358. Laudat eumdem regem et legatum ejus Rictinum, 5, 358.

Choreæ seu saltationes.

Prohibentur in nuptiis, 8, 148. Et in excubiis funeris, 2, 39. Item diebus festis, 2, 77.

Chorepiscopi.

Quid licitum est chorepiscopis aut prohibitum 6, 72. Eorumdem officium, 6, 72.

Chrisma.

Christus vetuit non adhibendum, 1, 266. Chrismatis usus in baptismo, 1, 267. *Vide* baptismum. Chrisma conficitur feria ut in Cœna Domini, 1, 168. Chrisma quo tempore, a quo, et per quos conficiendum, 1, 270. Chrismatis pannus, 1, 288. Manus presbyterorum et diaconorum non debent chrismate ungi, 6, 121.

Christus.

Christus unus Deus non Θεοφόρος, id est Deifer, 1, 3. Quid de eo credendum, 1, 3. Christus vere, 1, 3. Una persona in Christo, 1, 17, 26. Christus obtulit se pro nobis sacrificium, 1, 19. Quid est quod Christus pro nobis factus sit peccatum, 1, 26. Quid item significat quod judicaturus sit vivos et mortuos, 1, 28. Christus impassibilis quotidie in sacramento immolatur, et quomodo, 2, 4. Christus effigiem suam Abagaro regi Edissenæ civitatis dirigit, 4, 83. Vitandi sunt Christi inimici, 11, 90. Servitium Christi voluntarium non coactum esse debet, 11, 93. Tandiu quisque laborare debet donec Christum possideat, 15, 75. Plura de Christo, vide in Verbo Incarnationis.

Cibus et potus. Itemque esca. Vide *Abstinentia.*

Circumcisio.

Quod apud nos valet baptismus hoc egit apud veteres circumcisio, 1, 49, 50.

Clemens (*S.*).

S. Clementii I pap. tropica disputatio, 16, 1. De potestate illi tradita a B. Petro apost. 14, 1. Quæ ejus epistolæ Catholicæ nominantur, 4, 95. Clementis Alexandrini opuscula apocrypha, 1, 65.

Clericus, seu ecclesiasticus et clerus.

Clerici etymologia, 6, 1. Clericorum diversa genera, 6, 1. Clerici obligatio et officium, 6, 1. Tonsuram gerere debent, 6, 4. 46, 378; 7, 115. Comam nutrire non debent, 6, 4, 46, 378; 7, 115. Item, 6, 265. Habitus clericorum, 6, 283. Quid agendum de clericis incontinentibus, 6, 50, 57, 76, 86, 193. Quando deponendus clericus, 6, 51. Pœnitens fieri non debet clericus, 6, 54, 134, 136; 15, 5. Non debent admitti ad clerum qui ab hæreticis fuerint ordinati, 6, 59. Aut qui viduam in matrimonium duxerint, 6, 55. Usuras clerici abhorrere debent, 6, 65, 195, 369. Continentes esse debent ac casti, 6, 68, 76; 16, 422. Inconsulto episcopo uxores ducere non debent, 8, 286. Familiaritatem mulierum fugere debent, 6, 191, 5. Ancillæ ab eadem mansione in qua clericus manet, arceri debent, 6, 190. Clerici negotiis sæcularibus se implicare non debent, 6, 3, 218, 242, 264, 275, 393; 7, 108. Non sollicitandi clerici invito eorum episcopo, 6, 69. Illiterati, eunuchi, curiales et peregre baptizati ad clerum non admittendi, 6, 75, 37, 349, 352. Non excludendi laici omnes a clero, 6, 95. Clerici ad bella procedere aut arma deferre non debent, 6, 120, 286; 7, 28. Clericus occisor ad majorem gradum proveni non debet, 6, 120, 286; 7, 28. Scurrilis clericus ab officio detrectandus, 12, 79. Clericus ille non monere debet in clero, qui ab alio episcopo, suo renitente, fuerit ordinatus, 6, 141. Non licet Clericum in pluribus ecclesiis simul conscribi, 6, 173, 174, 311. Controversiæ clericorum coram episcopo non ante judices sæculares dirimendæ, ac terminandæ, 6, 227, 345, 360, 362, 367, 427, 150; 16, 297. Clericus jurare laico non debet, 6, 233. Clerici alium accusare non possunt nisi scripto, 6, 241. Apud principes conqueri non debent, 6, 268. Canones nosse debent, 6, 250. Quomodo coercendi et puniendi, 6, 274, 275, 301, 305, 308, 366, 421. Clericus a suo episcopo excommunicatus, ab alio nequaquam recipiendus, 6, 357. Non licet clericis transmigrare in aliam civitatem, aut ecclesias suas deserere, nisi persecutionis tempore, 6, 361; 14, 126. De judicibus ecclesiasticis, ad alios itidem ecclesiasticos potest clericus appellare, 6, 363. Clerici stipendia de ecclesia percipientes utiliter expendere debent, 6, 372. Vagari non debent, 7, 74, 75. Qui secundas nuptias celebrarit, clericus fieri non potest, 8, 159. Quid agendum de uxoribus clericorum si peccaverint, 8, 283. De pœnitentia adulterorum clericorum, 8, 295. Clerici non debent esse incantatores aut malefici, 11, 5.

De clericis. Vide insuper, *Ministri ecclesiastici.*

Cœmeterium. Vide *Mortui.*

Cognatio et consanguinitas. Vide *Gradus consanguinitatis.*

Commodatum.

De commodato et commodatorio, 16, 199. De eo, cui aurum vel argentum, etc., accommodata sunt, 16, 220.

Communio corporis Christi. Vide *Eucharistia.*

Concilium seu synodus.

Concilia quæ authentica, ac recipienda, et e contra, 4, 72, 76, 80, 115, 134. Quatuor SS. conciliorum canones pro legibus haberi debent, 4, 115. Priora concilia per posteriora sæpe emendantur, 4, 138. Capitulum seu concilium Triburiense, 10, 135. Quæ conciliis, aut consuetudine universæ Ecclesiæ non sunt statuta, rejicienda, 4, 206. Particularis synodus generalem indicare nequit, 4, 240; 5, 8. Concilia provincialia bis in anno celebranda, 4, 241; 5, 136. Invalida concilia auctoritate apostolica destituta, 4, 242; 5, 41. In Hispania semel tantum per annum concilium celebrandum, 4, 244. Ordo synodi ab episcopo cogendæ, 4, 246; 5, 135. Concilium sine summi pontificis auctoritate minime congregandum, 5, 12, 153. Concilium universale quando faciendum, 5, 163. Concilia litteris Romani pontificis auctorizantur, 5, 43. Quando celebranda concilia, 5, 154, 373. Concilio, ut sit integrum intercedere debet metropolitanus, 5, 150. Episcopi convicti ad concilium venire debent, 5, 157, 160, 162. Maxime autem cum accusati citantur, 5, 286, 271. Quibus de causis venire excusantur, 5, 159, 161, 248, 286. De dubiis in conciliis metropolitanus seu primas consulendus, 5, 167. In conciliis quæ proponenda, 5, 168. Concilium conciliare debet dissidentes episcopos, 5, 172. Nullus in concilio se proclamet nisi scriptis, 6, 269.

Concubinæ.

An fieri possint uxores, 8, 10. Filius concubinæ, an admittendus ad sacros ordines, 6, 39. Prohibendæ sunt concubinæ, 8, 30. Filii concubinæ an legitimi accusandi, 8, 32. Concubina potest fieri legitima, 8, 36. Plurimæ con-

Introdusă în format electronic de Google

cubinæ non habendæ, 8, 60 ; 16, 151. Quando communione privandus concubinarius, 8, 64. Concubinatus an sit matrimonium, 8, 65. Nulli licet secum retinere concubinam, 8, 153. Potest quis filiam suam concubinario in matrimonium tradere, 8, 139.

Condemnatio. Vide *Accusatio, Confessio.*

Modus, tempus quo pœnitentiæ peccata sua confitentibus tempori debet, 15, 46, 49. Sacerdotes diligenter examinare debent confitentium peccata, et nosse canones ac vitia, 15, 109, 110, 111, 157. Quomodo etiam confessiones excipere, et pœnitentiam indicere, intelligere debent, 15, 108. Qui ad confessionem accedunt de quibus sunt interrogandi, 15, 154. Deo et sacerdotibus confitenda peccata, 15, 155, 167. Nullus præsumere debet confessionem excipere et pœnitentiam imponere nisi sit presbyter aut episcopus, 15, 161. De peccatis occultis, occulta confessio, 15, 160. Peccata sæpius commissa, sæpius confitenda, 15, 166. Confessio non revelanda, nec ex crimine in confessione manifestato potest quis manifestantem accusare, 5, 563.

Confirmationis sacramentum.

Unus patrinus in confirmatione adhibetur, 1, 218. Quis ille, 1, 302, 304. Sacramentum confirmationis non reiteratur, 1, 244, 363. Propter characterem. Quæ præparatio ante confirmationem requiritur, 1, 254. Confirmatio dicitur et impositio manuum episcopi, 1, 255. Ab omnibus Christianis suscipienda, 1, 255. Item, 1, 254, 240, 296. Locus et minister confirmationis, 1, 262.

Conjuges et conjugium. Vide *Matrimonium, vir et uxor.*

Conscientia.

Nullum damnari nisi pro iniqua conscientia, 14, 11. Sola in judicio timenda conscientia, 14, 13. Deus judex, conscientia vero testis factorum nostrorum, 14, 14.

Conspiratio.

Abominanda conspiratio, 6, 346. De iis qui contra episcopos conspirarint, 12, 83.

Constantia.

Constantia Galliæ regina a sancto Gregorio papa mirifice laudata, 13, 56.

Constantinus Magnus.

Constantinus M. factus imperator potestatem construendi ecclesias Christianis concessit, 3, 7. Ejus concessio Ecclesiæ Romanæ facta, 3, 149. Ejus submissio, 3, 378.

Constitutiones et consuetudines. Vide *Leges.*

Contentio. Vide *Dissensio.*

Continentia.

Continentia præcellentior matrimonio, 1, 42. Continentia commendatur, 1, 207; 2, 32; 4, 47. Quibus temporibus continere debent conjugati, 15, 163.

Convivia.

Convivia episcoporum qualia esse debeant, 15, 73. Presbyteri et clerici ebrietatem et epulationes fugere, et quomodo se in conviviis gerere debent, 6, 252. Convivia secundum ritum paganorum abhorrenda, 11, 61.

Corpora sanctorum. Vide *Reliquiæ.*

Corporalia et pallæ.

Debent lavari *in* vase ad id solum deputato, 1, 208. Corporale de linteo mundissimo sit compositum, 2, 133, 134. Non ex serico aut panno sitque ab episcopo consecratum, 2, 133, 134. Corporale in ignem non projiciendum, ut ignis exstinguatur, 15, 172.

Corpus Christi. Vide *Eucharistia. Item Incarnatio.*

Corpus humanum.

De corpore informato, 10, 58. Tutelam sui corporis juste quisquis procurare potest, 10, 118.

Correctio.

Pro excessu correctionis non est venia petenda a subditis, 6, 384. Corripiendi sunt homines, 10, 64. Corripere proximum, diligere est eum, 10, 52, 76. Finis correctionis, 17, 75. Culpabilis est qui non corripit cum possit, 10, 70. Sana ratio corrigere debet, quod mens turbata peccaverit, 14, 19. Non imputandum proximo peccatum, priusquam seorsim arguatur, 15, 129.

Crapula seu comessatio. Vide *Ebrietas.*

Creatura.

Creaturæ omnes corporeæ, 17, 53. Creaturæ cur bonæ, cur mutabiles, 1, 21, 22. Creator et creatura ejusdem naturæ, 1, 21, 22. Creaturæ quæ ratione præditæ mutabiles sunt, 1, 23.

Creditor. Vide *Debitor.*

Crux.

Crucis signaculum, ubique applicatur, 1, 114. Festum Inventionis sanctæ crucis, 4, 5.

Culpa.

Veritas culpæ diligenter investiganda ante pœnam, 9, 126. Major culpa si invidia innocens tradatur occidendus potestati, quam si illamet potestas metu cujusdam magni aliquem occideret, 10, 100. Culpabiles sunt qui relinquentes defendunt, 14, 110. Diversitas culparum, diversitatem facit pœnitentiarum, 15, 47. Qui in culpa sunt minime defendendi, 15, 121.

Curiositas.

Curiosa temporum observatio fugienda, 4, 1.

D

Dæmoniacus. Vide *Energumenus.*

Dæmonium. Vide *Diabolus.*

Damnatio æterna et infernus.

Sancti non orant pro damnatis, 17, 82. Unus gehennæ ignis, non uno modo omnes excrucians, 17, 80. Ignis inferni non lucet, sed torquet, 17, 90. Corporeus est, 17, 93. Incorporeæ animæ a corporeo inferni igne cruciantur, 17, 97, 100. Duplex damnatorum pœna et mentis et corporis, 17, 102.

Damnum.

De illis qui hominibus damnum inferunt, sive vias præludendo; sive fontes coinquinando, aut qui simile moliendo, 16, 217, 219. De compositione damni a servo illati, 16, 267. Damna illata quo peccato resarcienda, 16, 282, 349, 353. Damnum casuale, 16, 172.

Debitum conjugale. Vide *Vir et uxor, item Matrimonium.*

Debitum et creditor. Item et debitor.

De debitoribus, 16, 28, 322. Debitum promittens ad solutionem tenetur, 16, 322. Quid creditorem agere oporteat, cui debitum die statuto minime solvitur, 16, 117. Quid debeat facere debitor, non habens quod debita persolvat, 16, 118. Quid pati debeat debitor qui creditorem frustrare intendit, 16, 124. Quid contra ferre filium oporteat qui debitorem suum ægrotantem molestat vel defuncti funus impedit, 16, 134. Quomodo judicandæ tergiversationes debitorum, 16, 152. Ille liberat alium solvendo pro illo, 16, 167. Res honesta data repeti potest, 16, 174. Petitio debiti per jusjurandum, 16, 196. De debitis solvendis, de creditis rebus et de compensatione, 16, 228, 229. Fideijussores solutionem debiti æqualiter in se videre debent, 16, 255. Nullus contempto fideijussore debitorem tenere debet, 16, 339.

Decimæ.

Decimæ Ecclesiæ persolvendæ, 3, 174, 196, 200. Decimam non debent laici accipere, 3, 281. Non est suis fraudanda decimis Ecclesia, 5, 284; 16, 338. De administratione decimarum, 15, 149. Decimæ reddendæ etiam Ecclesiis noviter constitutis, 16, 263.

Decreta et statuta.

Statuta Patrum servanda, 3, 142. Quando temperanda statuta, 3, 141. Si quis contra episcopi decretum veniat ab ecclesia ejiciendus, 16, 15. Decreta cum sententiis episcoporum observanda, 16, 312. Decretales epistolæ summorum pontificum venerabiliter suscipiendæ, 4, 64.

Defunctus. Vide *Mortuus.*

Degradatio et depositio.

Degradandus clericus maledicus seu maleficus, 11, 11, 28. Deponendus clericus homicida aut divinos consulens, 10, 174; 11, 73. Degradandi clerici adulatores, et in nundinis, aut foro deambulantes, 6, 267. De degradatis presbyteris, 6, 236. Quid et irrecuperabiliter depositis agendum, 6, 124. Quomodo restituendi injuste degradati, 6, 237.

Depositum.

Si quis alicui det depositum testes tres adhibeat, 16, 136. Qui præjudicium timens, fideijussorem dare recusat, potest certum aliquid de rebus suis pœnæ causa deponere, 16, 260.

Deus.

Deus est substantia, 1, 2. Quid de Deo sentiendum, 1, 2. Item, 1, 4. Dei attributa, 1, 5, 17, 175. Dei scientia incommutabilis, 1, 33, 34. De prævidentia et providentia Dei, 17, 32, 38. Quid est dextra et sinistra Dei, 17, 39. Quid est juramentum et pœnitentia Dei, 12, 67. De ejus æternitate, 17, 33. Nihil fit absque consilio Dei. 17, 31. Quidquid jubet Deus implendum, 4, 178. Cur Deus dicatur zelans, iratus, pœnitens, misericors, præscius, 17, 87. Ejus divinitas videri non potest, 2, 7, 10. De his qui ad causam Dei res suas tradere volunt, 16, 265. Deus vitales tres spiritus creavit, 17, 21.

Diabolus seu dæmonium.

Natura dæmonum, 11, 70. De divinatione eorum, 11, 71, 72. Infinitus dæmonum numerus diversimode homines infestans, 11, 106. Diabolus nomen operationis non naturæ, 11, 50. Diabolus internas cogitationes non videt, sed ex motu quandoque corporis intelligit, 15, 119. Spiritus immundi in aere vagantur, 17, 60. Diabolus ad decipiendum semper paratus, exemplum hujus rei, 17, 64. Diaboli voluntas semper iniqua, potestas autem ejus nunquam injusta, 17, 62. Quatuor modis loqui-

Introdusă în format electronic de Google

tur Deus ad diabolum, et diabolus tribus modis ad Deum, 17, 63. De his qui immolant dæmoniis. 11, 39, 56. Aut dæmones invocant, 11, 55. Nihil de area aut torcular dæmoniis sacrificandum, 11, 98. De nefando dæmonum coitu cum mulieribus, 11, 105. Spiritualiter sunt homicidæ, qui baptizatos dæmoniorum sacrilegiis obstringere conantur, 11, 99.

Diaconus.

Diaconorum officium, 1, 68, et 252, 2, 79; 6, 10, 20, 306. Diaconus dicitur et levita potestque baptizare, 6, 79. Sed non coram episcopo et presbytero, 6, 99. Etiam suspensus potest baptizare in necessitate, 6, 368. Impellente necessitate possunt etiam corpus Christi fidelibus ministrare, 2, 23. Non debent sacram eucharistiam sacerdotibus porrigere, nec inter eos sedere, 2, 36. Ætas consecrandis diaconis requisita, 5, 365, 6, 31. Qualiter ordinandi, 6, 13. Diaconi castitas ac continentia, 6, 68. Diaconi uxor legitima alteri nubere nequit, 6, 84. Diaconus ante presbyterum sedere non debet, 6, 123, 296, 375. Numerus diaconorum in ecclesiis constituendus, 6, 243. Non licet diacono cuiquam imponere pœnitentiam, 15, 134. Absente presbytero licitum est diacono necessitate compellente suscipere pœnitentem, 15, 162. Quomodo lapsus diaconus debeat reconciliari, 6, 67.

Diffamare, detrahere, seu maledicere.

Occulte infamans quomodo corrigendus, ac puniendus, 6, 381, 404. Nullus diffamandus ac præsertim sacerdos, 6, 430. Detractores sunt homicidæ, 10, 157. Maledicentia grande scelus, 13, 52. Murmuratores, detractores ac contentiosi animadvertendi, 13, 53, 63, 64. Maledicus clericus in sacerdotem, postulare debet veniam, 13, 66. De pœnitentia detractorum, 13, 67. Puellæ aut mulieres non detrectandæ, 15, 147.

Dionysius Areopagita (S.).

Laus sancti Dionysii Areopagitæ, 4, 90. Ejus scripta Ecclesiæ valde utilia, 4, 90. Ejusdem præclarum dictum de oblatione missæ, 3, 67. Ejus liber *De divinis nominibus* a Carolo rege Francorum ad Nicolaum papam mittitur, 4, 104.

Dioscorus.

Dioscorus Alexandriæ patriarcha, condemnatus in concilio Chalcedonensi, eo quod potissimum sanctum papam Leonem injuriose excommunicasset, 5, 8. Hic licet mortuus fuit nihilominus excommunicatus, 14, 62.

Dissensiones, rixæ, contentiones et lites.

Contentiones quomodo terminandæ, 3, 205, 4, 192. Jurgia et dissensiones non audiri debent diebus jejuniorum, 4, 46. Ad pacem potius quam dissensionem, et judicium hortandi sunt populi, 5, 203. Episcopi discordias clericorum debent reprimere, 6, 290. Malum grande est dissensionis et discordiæ inter fratres, 5, 229, 231. Contentiosi et litigantes coercendi, 13, 56, 58. Dissidentes, qui ad pacem nolunt reverti, sunt excommunicandi, 13, 59. Allegationes litigatorum nullum patiantur præjudicium propter occupationem principis, 16, 120. De rixantibus si alterutrum fuerit percussus, 16, 348.

Divinatio. Vide *Hariolus.*

Divinitas. Vide *Deus.*

Divites et divitiæ.

Qui divites salvantur, 1, 511.

Divortium seu dimissio uxoris.

Si maritus sit horridus et incultus, non debet propterea intervenire divortium inter virum et uxorem, 8, 252. Divortium fieri facile non debet uxorati, 8, 237. Puniendus qui sine causa uxorem dimittit, 8, 241. Dimittenda uxor si cogit Deum dimitti, 6, 248. Propter sterilitatem non est uxor abjicienda, 8, 251. Mulier non debet a marito proprio discedere, 8, 317. Extranei nisi ex necessitate dissidium inter consanguineos facere non debent, 8, 57.

Dominicus dies.

Die Dominico non jejunandum, 4, 7, 27, 51. Nec genuflectendum, 4, 18. Solemnitas diei Dominici, 4, 13. Die Dominico ab omni servili illicito opere, maxime autem a mercatu et forensibus negotiis vacandum, 4, 16, 21, 53. Quæ opera fieri liceat diebus Dominicis, 4, 20. Episcopus in die Dominico causas judicare non debet, 5, 201. Missa audienda die Dominico, 6, 310. Dominica die a voluptate carnis cessandum, 8, 83. Sed nec tunc celebrandæ sunt nuptiæ, 15, 165.

Dominus noster. Vide *Deus sive Christus.*

Donatistæ.

Cur emendati ministrare permissi sunt, 6, 387.

E

Ebrietas seu comessatio et crapula.

Ebrietas fugienda, pars 6, cap. 252, 13, 70, 84. Quomodo tollenda ebrietas, 13, 68. Crapula Christianum maxime dedecet, 13, 69. Episcopi et Dei ministri comessationibus et vinolentiis non debent incumbere, 13, 71. Vinum ut venenum fugiendum, 13, 80. De pœnitentia quam facere debent qui se vino ingurgitant, 13, 79, 81. Vel qui alios inebriant, 83. De pœnitentia injungendi ebriis ecclesiasticis, 13, 76. Mala quæ de ebrietate, 13, 45.

Ecclesia.

Solum in Ecclesia catholica sunt sacramenta, 1, 36, 37. In Ecclesia boni et mali admissi sunt, 1, 43. Unitas Ecclesiæ, 5, 361. Potior usus Ecclesiæ tenendus, 2, 79. Ecclesia navi similis, 3, 1. Quid sit Ecclesia, 3, 3. Et quid in ea fieri debeat, 5, 71, 275. Potestas Ecclesiæ, 14, 47. Matrix Ecclesiæ, 3, 4, 27. Cur ecclesiæ dictæ sint basilicæ, 3, 83. Singulæ Ecclesiæ habere debent prælatos, 5, 356. Ecclesiæ aditus canibus præcludatur, 3, 2. Ecclesiarum et monasteriorum constructio, 3, 5. Modus ritus et cæremoniæ ædificandæ basilicæ, 3, 8. Ejus sunt potestatis episcopi ecclesiæ in cujus sunt diœcesi, 3, 10. De ecclesiis non consecratis, 3, 11. De consecrandis ecclesiis, 3, 13, 25, 326. Ecclesia honoranda, 3, 84, 130; 6, 283, 14, 93. Impunitas ecclesiis et de confugientibus ad eam, 3, 107; 6, 370; 10, 81; 16, 238. Ecclesia non debet esse avara, 3, 180, 231. Ecclesia gladium habet spiritualem, 8, 333. Commutatio et translatio ecclesiarum, 3, 39, 80. Parochianæ ecclesiæ quomodo ordinandæ, 3, 47. De ecclesiis hæreticorum consecrandis, 3, 37. De ecclesiarum redditibus nihil detrahendum, 3, 12, 29, 56, 140, 148; 5, 6, 3, 156, 257, 14, 94. Bona ecclesiæ quomodo et quot in partes dividenda, 3, 203, 161, 262. Quod episcopo pro redemptione animarum tribuitur, Ecclesiæ est relinquendum, 5, 331. Dos ecclesiæ ad ordinationem et potestatem episcopi attinet, 3, 23, 209. Ecclesia non occidit, 10, 7. Nullus in ecclesia gladium portare debet nisi rex, 15, 174. Mala colloquia in atrio ecclesiæ vel in ipsa ecclesia nunquam audiri debent, 15, 175. Ædificia laicorum in atrio ecclesiæ poni non debent, 15, 178. Nemo laicus ecclesiam suam commendare debet presbytero, nisi ex licentia episcopi, 15, 179. Ecclesiæ privilegia nullatenus violanda, 16, 238, 298. Quanta et qualia discrimina patiatur Ecclesia, 16, 1. Sancta Ecclesia unum habet Patrem in cœlis, 16, 33. Qui res Ecclesiæ a regibus petunt, irrita esse debent quæ obtinent, 16, 37. Qui Ecclesiæ non communicat publicas functiones agere non debet, 16, 158.

Ecclesiastici. Vide *Ministri ecclesiastici. Itemque Clericus.*

Ecclesia Romana.

Ecclesia Romana sancta et impolluta, apostolica, 1, 87, 5, 42. Venerandæ ac servandæ Ecclesiæ Romanæ leges et sanctiones, 1, 135; 4, 211, 238; 5, 31. Fides S. E. R. 2, 10; 5, 4. Consuetudo Ecclesiæ re sequenda, 3, 47; 4, 39. Consuetudo Ecclesiæ Romanæ ex susceptoribus, 1, 218. Et diaconis et subdiaconis, 2, 79. Quæ respuit Ecclesia R. respuenda sunt, 4, 73, 79. Statutorum Romanorum pontificum infractores excommunicandi, 4, 205; 3, 35. Auctoritas et primatia sanctæ R. Eccl. 4, 101, 5, 2, 6, 9, 17, 21, 26, 40. Vicarii sedis Romanæ non habent plenitudinem apostolicæ potestatis, 5, 11. Dubia et difficiliores causæ ad sedem apostolicam perferendæ, 5, 30, 294.

Eleemosyna.

Quomodo elargienda eleemosyna, 17, 129. Nihil valet eleemosyna quando non corrigitur vita, 17, 121, 126. An agenda eleemosyna tempore jejunii, 4, 44. Oratio cum Eleemosyna bona valde, 6, 166. Eleemosyna ab excommunicato non accipienda, 14, 68. Eleemosyna exstinguit peccata, non tamen idcirco quis peccare debet ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam tribuat quia peccavit, 15, 70; 17, 130. Eleemosyna multa mala expiat, 15, 126. Superflua pauperibus eroganda, 15, 128.

Emere et vendere.

De rebus venalibus, 16, 244. Difficile abest culpa ab ementibus et vendentibus, 13, 25. Fraus est fruges reservare in cara tempora ut carius vendantur, 13, 26. Res non alienatur quæ minoris venditur quam mandatur, 16, 178. Qui furtivam rem scienter emerit, debet eam restituere, 16, 215. De illo qui rem alienam minoris vendiderit, 16, 232. Nullus rem aliquam sine possessoris voluntate vendere debet, 16, 221. Ab ignoto nil emendum, 16, 508. De illo qui res alienas malo ingenio emptas vendiderit, 16, 342.

Energumenus seu dæmoniacus.

Energumeni baptizandi, 1, 247. A dæmone vexatis non

Introdusă în format electronic de Google

sunt committenda sacra mysteria, 2, 88; 6, 40. Verrere debent ecclesiam energumeni, 3, 21. A diabolo vexati, quomodo liberati, 6, 256. Energumenis victum administrare debent exorcistæ, 3, 265. Energumeni sacris ordinibus initiari non debent, 6, 135. Quomodo curari valeant dæmoniaci, 11, 102. Communio non est interdicta dæmoniacis, 11, 103. clerici dæmoniaci ad superiores ordines conscendere non possunt, 11, 104; 15, 105.

Epiphania seu Theophania.

Festum Epiphaniæ venerabile, 1, 47; 4, 9. In Epiphania Domini lectiones tres de Isaia leguntur, 4, 65.

Episcopi seu prælati Ecclesiæ.

Episcopi ecclesias suas et diœceses visitare debent, 1, 75; 3, 38, 132, 136; 5, 180, 341. Visitando quid inquirere debent, 1, 75; 5, 19. In visitationibus suis populum debent convocare, 5, 196. Si per se non possint visitare, per alios probabilis vitæ id licet illis præstare, 5, 195. In vicis et modicis civitatibus non constituendi episcopi, 5, 142. De vitiosis episcopis, 1, 150. Boni pastoris officium et obligatio, 5, 318, 324, 372; 6, 20. Episcopis obediendum, 5, 223, 253, 360, 238; 14, 121. Translationes episcoporum fieri non licet, 1, 152. Post primum consecratum episcopum secundus esse non potest, 5, 359. Episcopi jejuni confirmationem conferre tenentur, 1, 261. Prædicare debent, 5, 198, 209, 370. Et pauperes protegere, 16, 2, 4. Turpe lucrum, etiam et fastum fugere, 1, 287, 271; 2, 115; 3, 42, 132, 141. Episcopus in necessitate de thesauro ecclesiæ familiæ suæ potest subvenire, 2, 141. De episcopo in alterius diœcesi, 1, 301; 5, 210. Sedes episcoporum quando transferri possunt, 3, 79; 5, 125. Episcopus qui usus fuerit sæcularium auctoritate ad obtinendam ecclesiam deponendus, 3, 85. Cum etiam res ecclesiæ alienaverit, 3, 172. Presbytero non committenda neque auferenda ecclesia, absque episcopi consensu, 3, 88. Quo pacto episc. facultates ecclesiæ administrare debent, 3, 147, 160, 167, 202, 211; 16, 5. Has vendere non debent, 3, 141. Nec de his testamentare, 3, 326, Aut illas dare seu alienare, 3, 127. In altari quo missam celebrarit episcopus, nulli presbytero eo die celebrare licet, 3, 170.

Episcopi docere grammaticam non debent, 4, 161; 5, 199. Nec libros Gentilium legere, 4, 160, 165. Minister seu vicarius episcopi non laicus, 5, 194, 195. Qualis esse debeat, 6, 194, 195. Ordinis episcopatus sublimitas, excellentia ac potestas, 5, 178; 14, 1. Quomodo illum exercere debeant, 14, 3. Vivente episcopo nullus ordinari potest, 5, 302, 304, 336, 352. Nisi diu et graviter laborante episcopo, 5, 302, 307. Accusatus episcopus quomodo se purgare debeat, 5, 301, 342; 6, 272. Correptio prælati concubinarii, 5, 310. Correptio senis episcopi, 5, 312. Episcopi non debent arma gerere, 5, 332. Pro propria injuria non debent excommunicare, 5, 331. Inviti non ordinandi, 5, 347. Ordinatus ab episcopo suo damnatus defensari non debet, 6, 230. Accusatus episcopus a suis deseri non debet, ante finem causæ, 6, 340. Propter quid episcopus debet esse unius uxoris vir, 8, 294. Interfecto episcopo alter non subrogandus, nisi reis detectis ac punitis, 10, 19. Episcopum præcipitem sententiam dictare non decet, 14, 18. Prælati sunt throni Dei, 16, 296. Inquietandi sunt nullatenus, 16, 296. Ordo cœpit. Ordo episcopalis, 5, 1. Ejus finis, 5, 226, 372. Superior prælatus ab interiori judicandus minime, 5, 8. Episcopus quando pallio uti debeat, 5, 20. Menses tres ab Apostolica sede illud debet accipere, 5, 136. Episcopi apostolorum presbyteri discipulorum LXXII locum obtinent, 5, 58, 98. Qui ad episcopatum sint promovendi, 5, 59, 90. Ordinandi episcopi prius examinandi, 5, 62, 105. Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica a cunctis comprovincialibus fieri debent, 5, 65, 69. Doctrina et virtute præditus esse debet episcopus, 5, 68, 372. Renuente clero aut populo, aut nesciente metropolitano episcopus haud ordinandus, 5, 61, 65. Quomodo examinandi qui contradixerint prælati electioni, 5, 60. Quando excommunicandus episcopus, 5, 297, 14, 16. Prælati superbi atque negligentes canes potius quam principes dicendi, 5, 67, 317. Triginta anni requiruntur laico, ut in episcopum eligatur, 5, 70. Per gradus ecclesiasticos ad episcopatum ascendendum, 5, 72, 102. Qui per ambitionem episcopatum obtinuerit laica communione privetur, 5, 75. Damnetur severissime, 5, 133. Simoniam ab episcopatu penitus elongari oportet, 5, 75, 122. Excommunicandi Simoniaci ordinatus et ordinator, 5, 78, 127. Vovere debet prælatus se fidem catholicam defensurum, etc. 5, 84. Irrita sententia archiepiscopi sine assensu coepiscoporum, 5, 96, 101 Idem sentiendum de sententia episcopi absentibus clericis, 5, 214. Majorem sedem ambiens episcopus et suam præcedat, et illam non obtineat, 5, 103; 6, 73.

Qualiter pontifex eligendus, ordinandus, et consecrandus, 5, 124, 138, 139, 140, 338; 6, 113. Qua ætate, 6, 29. Non est faciendus episcopus præmio, vel personarum patrocinio, 5, 129. In electione episcopi commune bonum quærendum, 5, 130. Episcopi ordinatio diu non protrahenda, 5, 135, 137. Abjiciendus episcopus tantum a duobus episcopis consecratus, 5, 141, Sicut et seditionem commovens, vel ad commissam Ecclesiam ire negligens, aut non suam invadens rejiciendus et communione privandus, 5, 147. Episcopi in suis diœcesibus maxime residere debent, 5, 148, 176, 217, 340, 350. Ordo inter episcopos servandus, 5, 164, 357. Episcopus diœcesim alienam invadere, aut de sua ad aliam transire prohibendus, 5, 150, 173, 177, 179, 184, 236. Episcopus propter persecutionem ad aliam potest migrare Ecclesiam, 5, 186, 219 223. Ecclesiam suam cathedralem negligere non debet, 5, 187. Probatæ vitæ sacerdotes et clericos secum habere debet, 5, 205. Quasi hospes fieri debet, 5, 205. Qualiter suscipiendus peregrinus episcopus, 5, 216, 221. Episcopi a domino judicandi, 5, 232. Criminationes contra episcopum facile non admittendæ, 5, 234, 237, 245, 250, 264, 271, 299. Quomodo et ubi judicandi accusati episcopi, 5, 245, 258, 260, 270, 280, 335. Sine Romani pontificis auctoritate non condemnandi, 5, 292. Accusator episcopi, qui recipiendus, qui non, 5, 289.

Eucharistia.

Eucharistia recens baptizatis administratur, 1, 160. Nihil proficit indigne eam suscipientibus, 1, 185. Quomodo eucharistia fit sacramentum corporis et sanguinis Christi, 2, 1, 4. Et quibus constat, 2, 9, 68. Panis quem Deus Jesus fregit, et calix quem porrexit discipulis suis corpus est et sanguis ejus, 2, 5. Quomodo accedendum ad sacram communionem, 2, 6, 24, 25, 32. Corpus Christi in eucharistia non dividitur nec minuitur, 2, 7. Proprietates et effectus hujus sacramenti, 2, 7. Differentia communicantium, 2, 8. Veritas corporis Christi in sacramento, 2, 9, 10. Corpus Domini in pixide recondendum, 2, 19. In ecclesia semper haberi debet, 2, 20. Quotidiana communio, 2, 25; 1, 28. Quo tempore communicandum, 2, 25; 1, 28. Item, 2, 27, 29. Qui in Natali Domini Pascha et Pentecoste ad sacram communionem non accesserint inter Catholicos haberi non debent, 2, 33. Communio a sceleratis percepta nihil prodest, 1, 185. Jejuni ad communionem accedere debent, 2, 45. Inveteratæ species eucharistiæ comburendæ, 2, 45. Hostia sacra sanguine intincta populo nequaquam porrigenda, 2, 85. Fragmenta hostiarum a laicis non sumenda, 2, 86. Pro sancta communione distribuenda, vel exigenda, 2, 92. Eucharistia in manibus laicorum minime tradenda, 2, 129. Forma verborum adhibenda in administratione sacræ Eucharistiæ, 2, 129. Hic non debet denegari communio qui patibulis sunt affigendi, 14, 124. Viaticum corporis Christi his qui in extremis constituti sunt administrandum, 15, 31, 33. Renegatus quidam virtute divini viatici a gravi infirmitate est sanatus, 15, 37.

Eunuchus.

Ordinari non debet, 6, 37. Quando potest eunuchus, seu castratus ordinari, 6, 75, 374.

Eusebius Cæsariensis.

Ejus Chronicon seu Historia non respuenda, 4, 82. Historia Eusebii Pamphili Aporipsia, 4, 65.

Evangelium.

Præstat evangelizare quam baptizare, 1, 70. In Evangelio est veritas, 2, 6. Surgendum dum legitur Evangelium, 2, 138; 6, 93.

Excommunicatio et anathema seu maledictum.

Cujusdam excommunicati subdita punitio, 5, 378. Quid est anathematizare, 14, 49. Quam grave sit periculum anathematizari, 14, 50, 52. Excommunicati vita æterna privabuntur, 2, 101; 14, 53. Quæ distinctio inter excommunicationem et anathema, 14, 51. Cur fulminatur excommunicatio, 5, 122, 126. Excommunicati intra annum causam suam tractare debent, 14, 111. Cum excommunicato non communicandum, 14, 95, 97. Qui excommunicandi, 5, 140, 150, 155, 156, 208; 14, 83, 122. De illis qui excommunicati moriuntur, 14, 114. Ab excommunicatis non est celebranda consecratio, 5, 134. Excommunicatus se ipsum damnat communicando, 5, 314. Excommunicati ubi fuerint exclusi ibi communionem consequantur, 14, 103. Nullus excommunicandus nisi gravi de causa et antequam excommunicationis ratio probetur, 5, 371; 21, 41, 42, 80, 81. De ordinatis ab excommunicatis quid agendum, 6, 406. Excommunicatus puniendus, 5, 344, 362; 14, 79. Non delinquunt sancti cum peccantes excommunicant, aut maledicti sententia feriunt, 14, 4. Abominabilis Deo qui justum ligat aut solvit injustum, 14, 6. Duobus modis maledictum profertur, 14, 5. Excommunicatus quando reconciliandus, 14, 15. Communicans

Introdusă în format electronic de Google

excommunicatis excommunicatur, 14, 23. Ecclesiæ sacramenta ab excommunicatis non suscipienda, 14, 36. Excommunicatus a suo episcopo ab aliis nequaquam recipiendus, 14, 37, 206. An uno quolibet peccante familia tota anathemate sit percutienda, 14, 44. Excommunicationis exemplum, 14, 45, 46. Non valet excommunicare excommunicatus, 14, 57. Non communicandum defunctis quibus in vita non communicatum est, 14, 60. Nomina excommunicatorum notari debent, 14, 65. Foribus ecclesiæ præfigi, 14, 113. Non acceptandum excommunicati, nisi resipuerit, munus, 14, 67. Excommunicatus non potest accusare, 14, 69. Nullus, nisi habeat potestatem, excommunicare potest, 14, 71. Excommunicationis formula, 14, 75.

Exhæredare.

Exhæredato filio hæredem facere ecclesiam non licet, 3, 177. Non debeat accipere ecclesiastici res ab illis quorum liberi aut propinqui propter hoc exhæredentur, 16, 261.

Exorcista.

Exorcistæ officium, 3, 263; 6, 7, 20, 298. Quomodo ordinandus, 6, 16.

Extrema unctio. Vide *Infirmus.*

F

Famulus. Vide *Libertus.*

Femina seu mulier.

Non debet intrare sacrarium, aut ad altare accedere, aut corpus Christi tractare, 2, 39; 72, 135. Enixa mulier communicare potest, 2, 62. Feminæ præparare curent linteamina pro altaribus, 3, 91. Sacra vasa attrectare eis prohibetur, 3, 265. Quæ Feminæ cum clericis et presbyteris habitare queant, 6, 52, 81, 189. Vitanda Feminarum familiaritas, 6, 77, 89. Feminam habitum virilem induere non oportet, 7, 78; 11, 64. Nec etiam docere aut aliquod ecclesiastici ordinis officium præstare, 7, 101, 102; 8, 224. Aut etiam alicubi causas prosequi, 7, 103. Cur velant caput suum, 8, 92. Eorum capita tonderi non decet, 8, 320. Mulier fœtum nondum editum suffocans, vel jam editum occidens gravissime punienda, 9, 102; 10, 181, 186. Ad mulierem menstruosam non accedendum, 9, 119. Pœnitens femina, mortuo marito alteri nubere non debet, 15, 72. Femina non debet ante mundationem sanguinis sui ecclesiam convenire, 15, 151. Mulier infamis quæ, 16, 125.

Fenerator et fenus.

Ecclesiasticum maxime dedecet esse feneratorem, 13, 8 Alias deponendus ac etiam excommunicandus, 13, 17, 14. Qui fenerator, 13, 17. Quid sit feneratio, 13, 22.

Festum et festivitas.

Festum dedicationis ecclesiæ cum octava celebrandum, 3, 24; 4, 14. Festum Inventionis S. Crucis, 4, 5. Festa Paschæ, Natalis, Epiphaniæ et Ascensionis Domini. Item Pentecostes et Nativitatis S. Joannis Baptistæ concelebranda, 4, 9. Festa S. Stephani, Joannis Evangelistæ, Innocentium, Silvestri, Circumcisionis, Purificationis, Assumptionis, et Nativitatis B. M., duodecim apostolorum, Michaelis, Laurentii, Omnium Sanctorum et sancti Martini ferianda, 4, 14. De celebritate festorum, 6, 36. Festa sanctorum in Quadragesima non celebranda, 4, 43. Festa populo notificari debent per presbyteros, 4, 14, 15. Hæreticorum festivitates Deo odibiles, 2, 108.

Fides.

Fides constantissime tenenda ac servanda, 1, 44. Fidei necessitas ad salutem maxima, 6, 158. Si ad committendum peccatum fides adhibeatur; an debeat dici fides, 12, 14. Bona Fides contraria fraudi, 16, 176.

Filii seu liberi. Item pater et mater.

Parentibus suis parere tenentur filii, 6, 163. Filiis familias, inscio patre, pecunia non commendanda, 16, 230. Inhonestas parentum honeste viventibus filiis non obest, 16, 413. De damnatione filiorum sacerdotum, 6, 423. Filii legitimi de muliere cum qua quis consuetudinem habuerit ante pactum matrimonium, 8, 34. Illegitimus filius a nobili et ancilla genitus, 8, 67. Qui sint filii illi qui quæsiti nuncupantur, 8, 69. Filii illegitimi matrem potius quam patrem sequuntur, 8, 70. Filii occasione religionis parentes suos contemnere non debent, 8, 319. Excommunicandus qui proprios filios dereliquerit, 8, 318. Bona incestuosi patris liberis quamvis ex alia natis conjuge debentur, 9, 4. De imponenda pœnitentia filiis qui non servant honorem parentum, 15, 106. Pueros expositos cujuscunque conditionis nullus in suum dominium vindicare potest, 16, 97. Mulier quæ secundo nupserit res filiis suis a se donatas retrahere non potest, 16, 126. De iis qui diverse nascuntur, 16, 193. Quomodo naturales filii legitimi efficiantur, 16, 141.

Flagella Dei.

Quomodo pestilentia, fames, inæqualitas et aliæ injuriæ aeris cæteraque flagella Dei propulsanda, 4, 50; 6, 166. A jejuniis et oratione, 4, 50; 6, 166.

Fornicatio seu impudicitia.

Præter fornicationem uxorem licet admittere, 8, 43, 228. Fornicatio prohibetur, 8, 72. Solutus cum soluta fornicans tribus annis pœnitere debet, 8, 205. Infidelitas est fornicatio, 8, 247. Quid sit fornicatio, 8, 275. Impudicitia et fornicatio grave peccatum, 8, 276, 278. Mœchia omnis nomine illicitus concubitus intelligitur, 8, 279. Major post Evangelium fornicatio quam ante, 8, 310. De mulieribus quæ fornicatæ, partus suos necant, 8, 314, 331. Illa quacum pater et filius fornicati sunt nunquam debet jungi in matrimonio, 9, 76. De mulieribus ac sanctimonialibus inter se fornicantibus, 9, 83. De irrationabili concubitu, Sodomia, bestialitate et peccato contra naturam, 9, 88, 105, 128. Pœnitentia iis qui hujusmodi nefanda scelera perpetrant imponenda, 9, 107. De pœnitentia clericis monachisve parvulorum impudice insectantibus imponenda, 9, 93. Horribilis cujusdam fornicarii punctio, 9, 98. Vexatis spiritu fornicationis non prosunt orationes sanctorum nisi et ipsi pro se ipsis orent, jejunent, gemant, etc., 9, 99. Puerorum corruptores a communione arcendi, 9, 109. Naturalis usus in uxore propria venialis, damnabilis est in aliena, 9, 110. Inordinatus sine consensu membrorum motus, est absque culpa, 9, 123. Quid sit abuti uxore, rerum inhonestarum nulla societas, 11, 14; 16, 176. Iis qui lasciva sunt lingua, pœnitentia dierum trium imponenda, 13, 57. De clericis qui corporali delicto delinquunt, aut si subita fragilitate carnis corruunt, 14, 86, 87.

Franci seu Galli.

Laus Francorum, 2, 96. Benevolentia et propensio summorum pontificum in Gallorum reges, 5, 378, 358. Leo papa ad exercitum Francorum scribit, quod consequentur regna cœlorum si pro Christianorum defensione fuerint occisi, 10, 87. Adrianus papa anathematizat Tasmonem Bavariæ ducem nisi Carolo Magno et genti Francorum obediat, 10, 89. In Galliis et quibusdam aliis provinciis, nullus instituit ecclesias nisi illi quos S. Petrus apost. aut ejus successores constituere sacerdotes, 4, 67.

Fur seu latro et furtum.

Furtum sine furandi affectu non committitur, 16, 105. Furtum est ita in parvo ut in magno, 13, 41. De pœnitentia furis, 13, 42. Furta ab Ecclesia non accipienda cum aliquo avitario. Fures quomodo convincendi, 13, 5. Et puniendi, 16, 207. Pro furibus in furto occisis non orandum, 13, 45. Prædones excummunicandi, 14, 82, 109. De pœnitentia iis injungenda qui captum latronem postea interfecerunt, 13, 46, 47. Benefacit qui latronem aut piratam debilitat, 10, 113. Qui procurant Christianos deprædari cui debeant pœnitentiæ subjacere, 15, 115. Quod ex furto quæsitum est in societatem non debet converti, 16, 176. Non est homicidii reus qui furantem occidit, 16, 211, 352. Si quis de fure inscius, aliquid compararit quærere debet venditorem, 16, 212. Conscii receptores et conciliatores furum, ut fures reputandi, 16, 216. Latrones hospitio non recipiendi, 16, 223. Nullum damnum pati debet, qui latronem comprehenderit, 16, 236. Invasor, illud quod invasit amittat, 16, 243. Furtum confessus ad quid obligatur. 16, 294. Si quis alios ad diripiendum invitat, quid ei est faciendum, 16, 311.

Furiosus et furor.

Non sunt puniendi furiosi, 13, 86, 91. Furor non sinit contrahi matrimonium, rite autem contractum non impedit, 13, 87. Furiosus incapax rerum gerendarum, 13, 89. Non potest testamentum facere, 13, 93. Quidquid iratus animus fecerit justum hoc putat, 16, 30.

G

Gallia. Vide *Franci.*

Gelasius (S.).

Multos conscripsit libros utilissimos, 4, 94. Ejus decreta de libris authenticis, etc., 4, 64.

Gentiles. Vide *Pagani.*

Genuflexiones.

Deus cum genuflexionibus orandus, et adorandus, 3, 276. Non fiunt genuflexiones in diebus solemnioribus, 3, 276. Non genuflectitur diebus Dominicis et die Pentecostes, 4, 18. Quando dicendum *flectamus genua* in missa, 4, 36.

Germanus (S.).

S. Germanus Parisiensis episcopus regem Charibertum excommunicavit, 5, 378.

Gerontocomium.

Locus est venerabilis in quo pauperes, et propter solam senectutem infirmi homines morantur, 17, 157.

Introdusă în format electronic de Google

Hujusce loci bona immobilia possunt alienari, secundum constitutionem Leonianam, 17, 157.

Gradus cognationis seu consanguinitatis. Item affinitatis seu propinquitatis spiritualis.

In quarto gradu conjugium fieri non potest, 9, 5, 20. Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis, 9, 6, 13, 15, 177. Sex ramis consanguinitas terminatur, 9, 7. Nec eleemosynis nec jejuniis, aut ulla ratione consanguineam suam potest aliquis secum retinere, 9, 9. De propria cognatione conjux non accipienda, 9, 11, 15, 39, 42. Notarium consanguineis copulari, 9, 12, 50. Juxta gradus cognationis modus culpæ tractandus, 9, 14. Quid sit : filii de cognatis nati, morientur, 9, 18. Qui uxorem fratris sui cognatione duxerit, anathematizandus, 9, 19. Duobus fratribus duas licet ducere uxores, 9, 27. Quæ personæ ob cognationem duci non possint, 9, 21. Infames ac maledicti qui consanguineas ducunt uxores, 9, 22. Concubitus cum noverca grande scelus, 9, 28. Non debet solvi matrimonium propter consanguinitatem, 9, 32. Spiritalis est propinquitas inter compatrem et filiolum, 9, 34. Ne quis filiolum nec commatrem ducat, 9, 36. Uxore mortua commatrem suam ducere ne quis potest, 8, 35. De filio qui concubinæ suæ consanguineam alteri licet desponsatam duxit, 9, 37. In qua linea conjugia fieri possint, 9, 46, 54. Usque ad septimam generationem fideles conjungi non debent, 9, 26. Æqualiter non vir conjungitur tam suis quam uxoris suæ consanguineis, 9, 43. Uno modo parentela viri et uxoris consideranda, 9, 44. Quot testibus consanguinitas probanda, 9, 52. Quid faciendum si nemo consanguinitatem juramento firmare velit, 9, 53. Infra septem gradus omnia nomina propinquitatum continentur, 9, 64. Mulier quæ duobus fratribus nupsit excommunicanda, 9, 57. De illo qui duas sorores polluit, 9, 60. Qui filiastram suam duxerit, etc., 9, 71. An quis compatris defuncti uxorem ducere possit, 9, 96. An quis filiam commatris ducere queat, 9, 97. Qui sint agnati, et cognati, 16, 326.

Gratia.

Absque adminiculo gratiæ divinæ nihil boni valemus operari, 1, 32. Gratia divina, et peccata dimittit et ne iterum committantur, auxilium præstat, 17, 30.

Gregorius papa (S.).

De ejus quadraginta homeliis et Synodico libello, 4, 96. De ejusdem epistolis, 4, 144.

Gula. Vide *Abstinentia.*

H

Hæres.

Deum hæredem facere debemus, 3, 207. Si hæredes jussa testatoris non impleverint, adimplere debet episcopus, 16, 35. Infra annum hæres solvat legata, 16, 116. Quæ actiones in hæredes transeant, 16, 202. Uxor post mortem mariti possidere dotem suam debet, nec ad hæredes defuncti hoc pertinet, 16, 246. Hæredi contra justam priorem definitionem venire non licet, 16, 300. De illo qui filiis carens in eorum locum alium sibi vult habere hæredem, 16, 302.

Hæresis et hæreticus.

Hæretici in ignem æternum ituri, quare, 1, 38, 39. Qui hæretici, 16, 158. Cum seductoribus populi, id est cum hæreticis non communicandum, 2, 95; 15, 117. Quomodo conversandum cum presbyteris seductoribus, etc., 2, 96, 113. Hæreticorum festivitates projicit Deus. 2, 108. Hæreticorum baptismus, 1, 233. Benedictiones hæreticorum sunt maledictiones, 3, 260. Eulogiæ ab iis minime accipienda, 3, 260. Ad hæreticorum cœmeteria ecclesiastici accedere non permittantur, 3, 239. Hæreticorum libri a quibus legendi, 4, 84. Hæretici dialecticæ studiosi, 4, 229. Cum hæreticis matrimonia non contrahenda, 8, 204. Non sunt culpandi judices hæreticos insectantes et bona eorum diripientes, 10, 75. Non debent publicas functiones administrare hæretici, 16, 158. Etiam post mortem sunt anathematizandi, 14, 62. De hæreticis ad unionem Ecclesiæ Catholicæ redeuntibus, 1, 283; 6, 390, 97. Cur revertentes ab hæresi permittuntur suis fungi officiis, etc., 6, 383, 387. Formula abjurandæ hæresis, 5, 344.

Hariolus et aruspex seu divinator, etc.

Excommunicantur qui observant hariolos et ejusmodi homines, 11, 1; 35, 37. Quid sit spiritus Pythonicus, 11, 6. Dies, Kalendæ, vel auguria minime observanda, 11, 7, 16, 19, 43. Non credendum divinatoribus, 11, 10. Malefici damnandi, 11, 8. Cursus astrorum vel volatus avium non observandus, 11, 9, 40. Nec etiam dies Ægyptiaci observandi, 11, 15. Planetarii (Gallice, ut puto, *faiseurs d'almanachs*), mathematici, vaticinatores, etc., damnandi, 11, 20, 24. Sortibus fides nulla adhibenda, 11, 21, 52. Qui sint sortilegi, 11, 22. De correctione ejus qui arte magica mulierem criminatus sit, 11, 23. Sortilegi et malefici exterminandi, 11, 36, 49. Arbores non colendæ, si quæ vero sint queis vulgus honorem tribuat succendendæ sunt, 10, 31, 38. Vanæ observationes circa herbas, et fontes vitandæ, 11, 47, 48, 57. Nihil potandum aut manducandum ad subvertendum Dei judicium, 11, 51. Inventores magicæ et necromantiæ, 11, 67. Varia divinationum genera, 11, 68. Earum causæ, etc., 69. De exsecrabilibus quibusdam remediis, 11, 69. Incantatores et cæteri hujusmodi nihil conferunt ad salutem hominum, sed potius velati laquei sunt, quibus multos decipit diabolus, 11, 65. De qualitate pœnitentiæ injungendæ iis qui clamores et maleficia exercent cum luna obscuratur, 11, 58. Qui utuntur præcantationibus, 11, 74.

Henricus imperator.

Ejus constitutum cum Romano Pontifice, 5, 32.

Henricus rex.

Henrico Francorum regi, filio et hæredi Roberti regis scribit Leo IX, papa de Bertha ejus conjuge, 9, 8.

Herodes.

Iniquum suum jusjurandum tenere non debebat, 12, 53, 73.

Hieronymus presbyter (S.).

Ejus scripta ab Ecclesia recepta, 4, 64. Vitæ Patrum, quas conscripsit omni cum honore, suscipiendæ, 4, 64. Aliæ autem Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus scriptæ nunquam sunt legendæ, 4, 141. Librum Scriptorum Ecclesiasticorum, contexuit, 4, 89.

Hilarius Pictaviensis (S.).

S. Hilarius Pictavorum episcopus, et doctor Ecclesiæ, commendatur ejusque scripta, 4, 237. Ejus opera inter authenticas Scripturas annumerantur, 4, 64, 87, 92, 99.

Historia.

De auctoritate historiæ ecclesiasticæ, 4, 143.

Histrio.

Histriones perdunt pueros, 11, 83. Debentne admitti ad sacram communionem, 1, 31. Illos fugere debent ecclesiastici, 5, 339. Histrio quidam cymbalo pulsans, subito moritur, 10, 67. Vitium immane res suas histrionibus dare, 11, 84. Nihil dandum histrionibus venatoribus, 13, 31.

Homicidium et homicidæ.

Tria genera homicidarum, 10, 157. Qui uxorem suam occidit quomodo pœnitere debeat, 8, 126. Leges omnes homicidium prohibent, 10, 1. Qui se ipsum perimit homicida est, 10, 4. Debet porro talis oblationibus, ac missis privari, 10, 5. Presbyteri interfecti episcopo solvi debent, 10, 9; 10, 140. De compositione ecclesiasticæ personæ occisæ, 10, 9. De pœnitentia ejus, qui violentas manus in ecclesiasticum intulerit, 10, 10, 12, 16. Quomodo purgare debeat se presbyter de auctore sui prælati defamatus, 10, 15. Puniendi ac excommunicandi percussores, homicidæ, præsertim ecclesiasticorum, 10, 17, 20, 38, 157, 158. De correptione, damnatione, et pœnitentia eorum qui graviter percutiunt, aut mutilant, aut perimunt alios, 10, 21, 35, 39, 42, 50, 153, 155; 15, 113, 131. De pœnitentia septem annorum pro non sponte commissis homicidiis, 10, 25, 28, 144. Æque puniri debet qui proprium seu alienum servum sine causa interficit, 16, 186.

Homicidæ sunt, qui dormientes opprimunt, 10, 27. De illo qui jussu principis occidit, 16, 289. Venefici capite plectendi, 11, 26. De pœnitentia ejus qui manum injecit in episcopum, 15, 65. Qui homicidio non interfuere, sed tantum cum perpetraretur supervenere puniendi non sunt, 10, 30. De diversitate pœnarum iis qui vulnerant aut infundunt sanguinem infligendarum, 16, 204. Mulier culpabilis, si mulæ ejus hominem obtriverint, 10, 32. Occidendi voluntas pro effectu sumitur, 10, 46; 15, 132. Non debet occidi homo nisi jubente lege, 10, 41; 16, 80. Induciæ homini concedendæ priusquam interficiatur, 10, 47. De diversis homicidiis ac pœnis eorum, 10, 49. Excommunicandus et deponendus homicida episcopus, 10, 52. Homicidæ non censendi illi qui aut fures domum perfodientes, aut excommunicatos zelo Ecclesiæ occidunt, 10, 53, 54. De illis qui fetus in utero occidunt, 10, 55. Puerperium non formatum ad homicidium non pertinet, 10, 56. Non omnis occidens homicida est, 10, 65; 16, 78, 172. Non crudelis qui crudeles jugulat, 10, 112. Non est reus homicidii qui potestati obediens occidit, 10, 98, 101, 104. Minister judicis si sponte occidat, homicida est, 10, 103. De homicidiis voluntariis et modo pœnitentiæ eorum, 10, 130, 141, 146. De homicidiis et calumniis episcoporum, et reliquorum Ecclesiæ ordinum, 10, 124, 135. De homicidio, et damno casuali, 10, 150, 172. Homicidæ fiunt qui consilium dant occidendi, 10, 160. De pluribus unum qui postea mortuus est impugnantibus, 10, 170. Qui Christianum vendidit homicida est, 10, 176. Qui sibi mortem inferunt, et qui pro suis plectuntur facinoribus

Introdusă în format electronic de Google

nulla pro eis celebrandâ missa neque cum cantu cadavera eorum sepelienda, 10, 108; 15, 140. Homines ministri sunt et ultores iræ Dei, 16, 111. Tutelam sui corporis juste procurare possunt, 10, 118. Omnis conditionis homines Deo possunt placere. 11, 82. Hæc sola hominis justitia, ut se ipsum reprehendat, 15, 67. Omnis homo peccator, 15, 137, 138. Dignitas conditionis humanæ, 17, 1. Constat homo duabus substantiis, 17, 17. Spiritus non est tertius in substantia hominis, 17, 18. Miseriæ hominis, 17, 26.

Hospitalitas.

A clericis, a sacerdotibus colenda, 6, 257. Qui negligunt hospitalitatem debent pœnitentiam sibi injunctam adimplere, 15, 127.

Hostia sacra. Vide *Eucharistia.*

Humilitas.

Humilitatis praxis prælatis maxime competit, 5, 322. Humilitatis causa non est mentiendum, 12, 42.

Hymni: *Gloria in excelsis Deo, Te Deum laudamus.*

Hymnus *Gloria in excelsis*, feria quinta in Cœna Domini ad missam cantandus: *Te Deum laudamus* cantatur pro gratiarum actione, 10, 135.

Hypocrita.

Hypocritis et seductoribus populi non est communicandum, 2, 95

I

Ignorantia.

Omnium mater errorum, 5, 202.

Illusio nocturna.

An post subsecutam illusionem nocturnam quis possit celebrare aut communicare, 2, 52. De causa pollutionum, 9, 111.

Imago.

Sacrarum imaginum cultus, 3, 41. Reprobata est synodus illa in qua imagines sanctæ condemnatæ sunt, 4, 142. Imago agni præcursoris Domini, 4, 122. Imagines Domini nostri Jesu Christi depingi jubentur, 4, 122. Imago Christi Servatoris Edessenæ civitatis transmissa, 4, 83.

Immersio.

De trina immersione in baptismo, 1, 126, 128, 194. Quid significet triplex illa immersio, 1, 126, 128, 194.

Immobilia et mobilia.

Res immobiles unitæ ecclesiæ permutari possunt cum bonis alterius ecclesiæ, 3, 189. Quorumdam locorum sacrorum immobilia alienari possunt, 17, 137.

Impudicitia. Vide *Fornicatio.*

Incantatio. Vide *Hariolus.*

Incarnatio.

De Incarnatione Verbi divini quid tenendum, 1, 3, 16, 20. Solus Filius Incarnatus, 1, 13. Filius seu Verbum divinum conceptum, 1, 13. Item, 1, 18. Veram habet carnem, 1, 20. Veramque animam, 1, 14. Christus per incarnationem suam perdita bona recuperavit, 17, 19.

Incendiarius.

Pœnitentia incendiariorum, 3, 127. Ecclesiasticarum rerum incendia et deprædationes emendandæ, 13, 36. Incendiarii, et mutilatores arcendi a communione, 13, 40. Incendiarius restituere debet incensa omnia, 15, 146. Incendiarii gravissimis pœnis mulctandi, 16, 329.

Incensum.

Incensum in oblatione corporis et sanguinis Domini adhibetur, 3, 267.

Incestus.

De occulto incestu, 15, 53. Corruptio virginis velatæ est incestus, 7, 124. Quo supplicio plectendum incestum matrimonium, 16, 122. Gravior sanctimonialium incestus quam adulterium, 7, 130. Inter quas personas interveniat incestus, 9, 1. Pœna incestuosi, 9, 3. Quinam incestuosi, 9, 25. Eorum infamia indelebilis, 9, 25; 16, 313. Licet eis post dignam pœnitentiam matrimonium contrahere, 8, 31. Excommunicandus incestuosus, 9, 40. Et coercendus, 9, 65, 125. De diversis incestibus, 9, 77. Quid agendum de illo incestuoso, qui de alio episcopatu ad alium transmigrat, 9, 101.

Infamare. Vide *Diffamare.*

Infantes et impuberes.

Infantes et parvuli baptizandi sunt, 1, 226, 228. Ignoti infantes ante fores ecclesiæ exponendi, 3, 232, 253. Infantes ante baptismum parentum suorum peccatis obligantur, 17, 8. De abortivis et informibus partubus, 17, 9. Brephotrophium, locus in quo infantes aluntur, 17, 137. Hujus loci immobilia pro necessitate alienari licitum est, 17, 137. Impuberes testamenti faciendi incapaces, 13, 93.

Infernus. Vide *Damnatio.*

Infideles et idololatræ. Vide *Pagani.*

Infirmi.

De baptismo infirmorum. Vide *Baptismus.*

Infirmi per presbyterum communicandi, 2, 39. Et oleo sacro ungendi, 2, 75; 15, 27. Nutriendi infirmi, 15, 125. De illis ob timorem mortis in ipsa infirmitate sua confitentur peccata, 15, 28. Infirmitas abstinentiam et jejunium impedit, 15, 168. Nosocomii seu loci in quo ægroti curantur immobiles res possunt alienari, 17, 137. Infirmi confiteri debent peccata sua, 15, 36. Singulis horis possunt bibere et edere, 15, 42.

Inimicus.

Familiares inimici abjiciendi, 6, 339. Inimici et concliari renuentes excommunicandi, 13, 59. Quomodo se gerendum erga inimicum, 14, 22. Qui dimittit suo inimico implet hæc verba orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, 17, 125. Non est deputandus inimicus, qui veniam rogare disponit, 17, 127. Pro inimicis orandum, 17, 131.

Injuria.

Depellenda injuria, 10, 120. Vis et injuria propulsanda, 10, 191. Qui pro mediocri injuria damna subire compellitur, infamis efficitur, 16, 330.

Innocentius papa.

Arcadium imperatorem excommunicavit, 3, 378

Insania et stultitia.

Insanus homicida, 10, 134. De pœnitente qui in insaniam seu phrenesim versus fuerit, 15, 8.

Insanus. Vide *Furiosus.*

Instrumenta.

Instrumenta non subscriptione testium fieri debent, 16, 137. Tabellio qui alienationes bonorum Ecclesiæ conscripsit exsilio perpetuo eliminandus est, 17, 137.

Interdictum.

Cur fulminatur interdictum, 3, 122.

Investitura.

Nihil donandum pro investitura alicujus ecclesiæ seu beneficii, 3, 90.

Isidorus.

Ejus capitula de septem gradibus consanguinitatis. Item arbor consanguinitatis, 9, 64.

Ismael.

Propter quod ejecit eum Abraham, 8, 61.

Israelitæ.

Cur non fecerunt furtum spoliando Ægyptios, 13, 2. In novissimis diebus per prædicationem Ecclesiæ convertentur, 17, 108.

J

Jejunium.

Jejunium de consensu superiorum faciendum, pars, 4, cap. 59. Bannitum jejunium observandum, 15, 181. De quodam Alcibiade, qui indiscrete jejunabat, 4, 58. Die Dominico non jejunatur, 4, 7. Indicta jejunia servanda, 4, 14, 31, 33. Jejunium Quatuor Temporum non prætermittendum, 4, 26, 35; 6, 74. Jejunium haud solvendum feria sexta, 4, 33. De jejunio feriæ quartæ, 4, 32. Anathematizandi jejunii contemptores, 4, 73. Jejunium eleemosynæ, id est, bonis operibus sociandum, 4, 44. Jejunium non fiat sine aliqua refectione, 4, 55. Utilitas jejunii, 4, 57. Jejunia indiscreta haudquaquam suscipienda, 58. Nil prodest jejunare cibis, et errare peccatis, 13, 34.

Jejunium Rogationum. Vide *Rogationes.*

Jocus. Vide *Ludus.*

Judas proditor.

Accepit Eucharistiam sicut et cæteri apostoli, 2, 103. Qui aliquid de ecclesia furatur Judæ proditori comparatur, 14, 89.

Judæi.

Extra Ecclesiam Catholicam non salvantur, 1, 38, 99. Publica officia Judæis non committenda, 13, 97, 118. Infirmanda eorum testimonia, 13, 96. Non violenter cogendi ad baptismum et fidem Christianam, 1, 179, 276, 285; 13, 94, 110. Mansuetudine ad fidem Christianam sunt adducendi, 13, 101. Ante baptismum examinandi, 1, 275. Post jejunium quadraginta dierum die Dominico baptizandi sunt Judæi, 1, 61. Filii eorum baptizandi a parentibus separandi, 1, 277. De Judæis Christianis apostatis, 279. Judæis postponi aut servire non debent Christiani, 1, 282, 183; 13, 103, 110. Judæorum servi Christiani libertate donandi, 1, 280; 13, 106; 16, 52. Judæi mancipia Christiana emere non debent, 13, 98. Quis Judæus, 2, 7. De pœnitentia illi imponenda qui Judæum occidit, 10, 162. Cum eis non communicandum in erroribus suis, 13, 95. Christiani conviviis Judæorum interesse non debent, 13, 99, 117. Judæi a Cœna Domini usque ad feriam secundam, sequentem in publico comparere non debent, 13, 100 Veteres synagogas obtinere debent, 104. Eorum servi ad ecclesiam confugientes defendendi, 13, 102, 11. A solemnitatibus suis arceri non debent, 13, 205. Infestandi non sunt, 13, 107, 104. Bellandi potestatem amiserunt, 13, 108. Condemnandi exsilio perpetuo et proscribendi si Christianum circumciderint, 13, 109. Diligenter exami-

Introdusă în format electronic de Google

minandum est de servis Judæorum, 113. A Judæo medicina haud accipienda, 13, 116. De pœnitentia eorum qui cum Judæo cibum sumpserint, 13, 119. Conversi Judæi honorandi, 13, 112.

Judex.

Unde dicitur judex, 10, 116. Judex non spernendus, 16, 133. Ejus potestas, 10, 2. Qui idoneus ad judicandum, et dijudicandum, 10, 60. Nemini occidere licet nisi judici, 10, 78. Judicum ministri, ex administratione sua non damnantur, 10, 94. Cum judex vindicat non reddit malum pro malo, 10, 102; 4, 114. Potest judex vindicare, 10, 106. Judex non auctor sceleris, sed minister legis, 10, 15. Nemo alium debet judicare antequam Deus illud dijudicet, 16, 68. Nullus sine consensu ad judicium mittendus, 16, 345. Judici non convitiandum, 16, 257. Causæ monachorum et monialium, non ante judicem civilem, sed coram episcopo tractandæ, 16, 146. Judices non debent esse præcipites ad explenda jussa principis, 16, 252. Sententiam scriptis proferre debent, 16, 147. De iis qui ad judicium venire impediuntur, 16, 165. Vel qui legitime vocati recusant venire, 16, 258. Ne quis sit judex aut arbiter in re propria, 16, 170. De eo qui juste non judicatur, 1, 307. Iniquus judex carceri mancipandus, 16, 318. Et puniendus, 16, 339, 341. Non est flagitandum judicium de causa judicata, 16, 555.

Judicium supremum.

De judicio supremo, 1, 28. In die judicii justi animarum et corporum gloria perfruentur, 17, 77. Finito judicio erit cœlum novum et terra nova, mundi conflagratio, 17, 119, 120. Impii pro facinoribus suis condemnabuntur, 17, 105. Ante diem judicii periclitabuntur electi in adventu Anti-Christi, 17, 105. Quomodo intelligendus ille articulus Symboli: Venturus est judicare vivos et mortuos, 17, 112. In die judicii peccatores feriendi, 115. Tunc quoque electi et reprobi dividentur, 116.

Jurare, juramentum et promissum.

Quando jurandum, 3, 135. Per creaturam non jurandum, 6, 266. Sed per Creatorem, 12, 6, 72. Forma quædam juramenti, 9, 61; 12, 38. Et necessitati non esse frequentanda juramenta, 12, 7. Juramentum non est contra præceptum Domini, 12, 3. Non jurandum nisi magna necessitate; conditiones juramenti, 12, 76. Ad dirimendam partium controversiam unum sufficit jusjurandum, 16, 152. Non pejerandum, 12, 4; 24, 59. Juramenta contra naturam non sunt tuenda, 12, 9; 15, 84. Vis juramenti, 12, 2. Et necessitas, 5. Injustum, noxium et turpe pactum non obligat, 16, 165, 190. Injusta et noxia juramenta non servanda, 12, 77, 53, 64, 75, 80. Juramentum sic accipit Deus, sicut ille cui juratur intelligit, 12, 36. Differentia juramenti falsi aut veri, 12, 39. Graviter delinquunt qui cogunt jurare, 9, 67. Jejune jurandum est, 12, 69. Non semper solvenda promissa, 12, 17. De vindicta et pœnitentia perjurii, 12, 18, 25, 27, 60, 66, 68, 71. Quid sit perjurium, 12, 22, 34; adulterio comparatur, 12, 21. Infames sunt qui in pejurio consensere, 12, 26, 79. Super quibus rebus fieri possit juramentum, 12, 31; 38, 62. Homicida illa qui cogit perjurare, 12, 28, 30. Cui prodendus perjurus, 12, 29.

Jus et Justitia seu Judicium.

De jure divino et humano, 3, 194. Incerta judicia vitanda et quomodo sunt credenda, 5, 244; 6, 329. Injusta judicia nullam vim habent, 6, 343. Quando judicandum, 6, 317, 349, 430. Absens non judicandus, 6, 319. Judex etiam judicari non formidet, 8, 392. Sacerdotum causa alieno non committenda judicio, 6, 325. Ad judicium venienti inducias concedendas, 6, 355. Differentia causæ ecclesiasticæ et sæcularis. 6, 336. Sententia electorum judicum sperni non debet, 6, 365. Sententia injuste probata, nullatenus metuenda, 14, 8. De temerario judicio, 14, 10. Judicia peregrina, 5, 260.

L

Labor manualis.

Utilis est, 6, 177, 179. Clericis et presbyteris commendatur, 6, 177, 179.

Laici et sæculares.

Nullam in ecclesiasticos potestatem exercere debent, 3, 87, 102, 138; 6, 408. Nec de eorum rebus disponere, 7, 89; 16, 36. Non debent laici decimam percipere, 3, 281. Ad prælaturas ecclesiasticas non sunt evehendi, 5, 59. Aut certe non temere nec ante annum trigesimum promovendi sunt, 5, 70, 71. Non licet eis pro se facere electionem sacerdotum, 5, 63. Non debent a sacerdotibus confessionem extorquere, 5, 241. Quomodo promovendus laicus ad sacros ordines, 6, 92, 93. Laici præsentibus clericis docere nullatenus præsumant, 8, 323, 16, 13. Testimonium eorum in accusatione clericorum non recipiendum, 6, 277, 313, 220. Apud sæculares nequaquam accusandi episcopi, 5, 277. Ecclesiam aut clericum non debent injuste calumniare laici, 16, 6. Quando ecclesiastica negotia tractantur, interesse non debent, 16, 12. Docendus populus, non sequendus, 16, 14. Quicunque laicorum in adversitate propriæ gentis aut patriæ noxius fuerit excommunicandus, 16, 25. Laici presbyteros ecclesias suas deservientes, non ad aliud quam ad celebrandum officium divinum cogere possunt, 16, 31. Anathema sit omnis sæcularis qui injuriam cuilibet clerico irrogarit, 16, 206. Per sæcularem potentiam coercendi sunt qui sacerdotes aspernantur, 16, 345.

Lapsi.

De lapsis et eorum pœnitentia, 6, 48. Lapsi in peccato carnis post susceptum sacrum ordinem, ad altare accedere non debent, 6, 78. Lapsi quomodo restituendi, 6, 85, 397. Utrum lapsi in ordinibus sacris restaurari queant, 15, 57. Lapsis in extremis positis viaticum sacrum administrandum, 15, 33. De rebus lapsorum sacerdotum et clericorum quidnam agendum, 6, 380

Latro bonus.

Boni latronis in cruce pendentis, baptismus et martyrium, 1, 192. Unius momenti pœnitentia obtinuit paradisum, 13, 43.

Lectiani seu Selestiani.

Hæretici fuere: eorum error circa baptismum, 1, 55.

Lectio. Vide *Liber.*

Lector.

Ab Abbate, a chorepiscopo constitui *potest*, 5, 376. Lectoris officium, 6, 6. Quomodo lector ordinatur, 6, 17. Clericus in quacunque ecclesia semel lectoris officio functus fuerit, ab alia minime retinendus, 7, 34. Laicus non debet in ecclesia lectionem recitare, 7, 105.

Legatus seu nuntius.

Legati potestas, 5, 28. Legati apostolici auctoritas, 5, 27.

Leges, consuetudines, canones seu constitutiones ecclesiasticæ.

Lex vetus umbra: Evangelium veritas, 2, 6. Leges et consuetudines servandæ fidei Catholicæ non contrariantes, 4, 66. Statuta ecclesiastica observanda, 4, 67, 69; 5, 171. Consuetudines ecclesiasticæ pro legibus tenendæ, 4, 68, 199. Leges ecclesiasticæ principum legibus dissolvi nequeunt, 4, 187; 16, 38. Canonum seu legum ecclesiasticarum contemptores anathematizandi, 4, 219; 16, 7, 8. Patrum statuta custodienda, 4, 226. Canones a clericis sacerdotibus disci debent, 6, 250. Lex Dei malum agere non cogit, 8, 259.

Leges principum, usus et consuetudines locorum.

Legibus imperatorum in omnibus controversiis ecclesiasticis non utendum, 4, 86. Diuturni mores legem imitantur, 16, 184. Lex in præteritum indulgens, in futurum vetat, 16, 192. Ea quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, inconvulsa permanere debent, 16, 317. Bonæ leges et consuetudines facile non mutandæ, 4, 204, 210. Malæ autem sunt evellendæ, 4, 203, 213; 16, 240. Consuetudines in leges transeunt, 4, 194. Non vincunt tamen leges, 4, 202. Veritati manifestæ consuetudo cedit, 4, 234. Legibus suis reges tenentur, 16, 43. Leges principum subditæ esse debent legi Dei, 4, 86, 190. Quid sit lex honesta, 4, 168. Leges concordari debent cum ratione, 4, 191. Leges temporales servandæ, 4, 169, 186; 16, 212. Legum infractores et contemptores puniendi, 4, 181, 185. Quidquid imperator per epistolam constituit lex est, 4, 173, 184. Leges Christianorum principum recipiendæ, 4, 176, 177. Leges terrenas assumere possunt ecclesiastici ad suam defensionem, 4, 183. Auctoritati non contradicendum, 4, 322. Secundum leges terminandæ lites et causæ, 4, 192; 16, 149. Leges diversæ contractum matrimonium non solvunt, 8, 213. Usus auctoritati cedere debet, 4, 207.

Lenones.

Lenones a civitatibus exterminandi, 8, 305; 16, 121. Qui quæstuaria mancipia habet, lenocinia facit, 8, 304. Qui lenocinium exercuerit communione privandus, 8, 306.

Leo papa.

Quomodo se de objectis criminibus purgaverit, 5, 10, 312. S. Leonis epistola ad Flavianum inter scripta authentica connumeratur, 4, 64.

Liberi. Vide *filii.*

Liberti et servi, etc.

De libertis manumissis servis Ecclesiæ, 3, 237, 244; 16, 50, 67. De servo qui fugerit dominum suum, 13, 48; 16, 53, 74, 75, 102, 186. Servi non ordinandi, 6, 41, 64, 100. Servi manumissi possunt ordinari, 6, 108. Postea dominos suos debent adhuc honorare, 6, 302. Servus inscio domino monachus fieri non debet, 7, 44, 48, 151; 16, 46. Nec dominum suum deserere, 14, 126. Ingenua quæ servum duxerit fit ancilla et conjugium inter servum et ancillam non dirimitur, 8, 52; 16, 333. Legitimum matrimonium ancillæ cum domino, 8, 150. Matrimonia inter servum et ancillam ex consensu domini inita, non sol-

Introdusă în format electronic de Google

ventur, 8, 157. Matrimonium inter liberum et liberam non solvitur, si liber postea fiat servus, 8, 212. Quomodo liber res suas prout vult potest distribuere, 16, 277. Liber quonam pacto se de furto purget, 16, 239. De his qui de ingenuis quive de diversæ conditionis parentibus nascuntur, 16, 185. Manumissi servi denuo mancipari non debent, 16, 48, 56, 73. Libertos si opus sit tueri debet Ecclesia, 16, 51. Servorum testimonium an recipiendum, 16, 57, 103, 224. Pœna servi delatoris domini sui, 16, 356, 332. Liberti ingrati patronos accusantes puniendi sunt, 16, 62, 63, 93, 144. Servus non tuendus contra sui domini voluntatem confugiens ad ecclesiam, 16, 68. Servus clerici non debet ab aliquo pro suis occupari, 70. Libertus non debet cujus fuit servus Ecclesiam accusare, 16, 65. Puniendus qui fugitivum servum celaverit, 71. Non debent domini intolerabiles se exhibere servis suis, 16, 76, 77. Officium famulorum, 16, 82. Herus injuste a se læsum servum placare debet, 16, 85. Si sciente domino occidit servus, uterque manet culpabilis, 79. Non servus sed dominus de repetendis conveniendus, 16, 86, 89. Servum injuste raptum dominus sine pretio vindicare potest, 16, 87. De servis insciis subditis malum inferentibus, 88, 94, 106. Si mutuam acceperit servus pecuniam quidquid ex ea in usum domini transierit domino solvendum, 16, 90. De partu ancillæ, ignorante domino, 16, 93. Aut de illo genito, 16, 189. Res damnati servi ad dominum pertinet, 16, 98. Herorum officium et potestas in servos, 16, 99, 104, 210. Si quis ex alieno servo inscio domino compararit, si domino ita placuerit nil habebit emptio validitatis, 16, 101. Aliorum servi non corrumpendi aut sollicitandi, 16, 108.

Liberum arbitrium. Vide *Arbitrium.*

Libri eorumque lectio.

Qui libri in ecclesia legendi, 3, 251. De lectione in ecclesia facienda, 3, 250. Excommunicantur qui libros legunt prohibitos, 251. Scriptura sacra in ecclesia legenda, 3, 262; 4, 63. Libri authentici qui, 64, 72. Libri apocryphi, 4, 65. Cui permittenda lectio librorum hæreticorum, 4, 84. Libri sæcularium omnino non respuendi, 4, 85. Liber vitarum Patrum, 4, 141. Libri apocryphi non legendi vel certe magna cautela revolvendi, 4, 153. Excommunicandi qui libros Catholicorum falsant, 5, 158. Libelli diffamatorii minime scribendi, 4, 156. De libellis diffamatoriis, et punitione auctorum talium libellorum, 16, 235; 7, 248, 249. Quid sit liber vitæ, 17, 117. Gentilium libri haud legendi, 16, 160. Libri figmentorum poetarum legi prohibentur, 4, 167. Libros hæreticorum legere possunt episcopi pro necessitate, et tempore, 4, 160. Divinæ lectionis utilitas, 6, 177. De lectione in divina mensa habenda, 6, 260. Et scurrilibus item vitandis, 6, 261, 402, 13, 75.

Lis. Vide *Dissensio.*

Litaniæ. Vide *Rogationes.*

Litteræ dimissoriæ, etc.

Clericus in altera diœcesi sine litteris proprii episcopi ordinari non potest, 6, 144. Presbyteri et diaconi sine litteris episcopi ambulare non debent, 6, 145, 210, 213. Ordinatus presbyter litteras ab ordinatore suo accipere debet, 6, 147. Commendatitiæ litteræ honoratioribus personis congruunt, 6, 216. Litteris pacificis pauperes exsulantes præstat adjuvare, 6, 216. De usu litterarum formatarum, 6, 217. De modo illarum conficiendarum, 6, 4, 33. Exemplum formatæ epistolæ, 6, 434, 435.

Lot.

Excusatur Lot quod filias suas prostituere voluerit, 9, 114. Vocatur sanctus, 115. De ebrietate culpandus; perturbatione potius quam dispensatione filias suas prostituendas tradebat, 9, 117.

Lotharius.

Legitima uxore sua dimissa aliam duxerat, 8, 225. Corripitur et prælati illi consentientes deponuntur, 8, 226, 227. Adulterium perpetravit, 8, 261. Examen causæ ejus, 8, 334. Waltrada illegitima illius uxor, 8, 334.

Lotio.

Pedes lavantur recens baptizatis, 1, 193. Hospitibus pedes lavandi, 15, 127; 1, 193. Cæremonia mandatum vocatur, 15, 127, 1, 193. Ablutio seu lotio corporalium atque pallarum, 1, 208. Injungenda pœnitentia illi qui se cum mulieribus in balneo laverit, 15, 148.

Lucrum.

Sicut lucrum ita damnum inter socios communicatur, 16, 200. Quid sit turpe lucrum, 13, 24,

Ludovicus.

Ludovicus Francorum rex, Romanorumque imperator, pactum constitutionis cum Romano pontifice initi, 5, 51. Ejus regia munificentia aut liberalitas erga Ecclesiam Romanam, 5, 51.

Luaus seu jocus.

Ante prælatos joci turpes minime fieri debent, 7, 110. Ludis non debent delectari ecclesiastici, 11, 76. Diebus festis vanis ludis non est vacandum, 11, 77. Joci vitandi, 11, 80.

M

Maledictum. Vide *Diffamare. Item Excommunicatio.*

Manna.

Manna figura fuit S. eucharistiæ, 2, 2. Mortui sunt qui manducaverunt manna, 2, 7, 2.

Marcellinus papa.

S. Marcellini papæ et martyris lapsus, et iterum gloriosa confessio, 5, 8. Ab inferioribus episcopis non condemnatur, 5, 8.

Marcellus papa.

Titulos Romæ constituit, propter baptismum, et pœnitentiam, 1, 57.

Maria Virgo.

Qualis Virgo Maria, 1, 196. Mariæ virginitas et humilitas, 4, 224. Liber qui vocatur *Mariæ transitus* apocryphus est, 4, 65, 152.

Martyrium.

De martyrio, 1, 30, 211. Martyres Ecclesiæ venerandi, 3, 263. Reliquiæ martyrum in altaribus recondendæ, 270 Gesta sanctorum martyrum qua cautela legenda, 4, 64. Martyres multi cum corpore surrexerunt, 4, 130. Sæpe a dæmone corripiuntur qui pejerant ad memorias martyrum, 12, 58. Si quis fregerit idola, et ibidem occisus sit, martyr nequaquam censendus, 10, 172.

Matrimonium seu conjugium.

De legitimis conjugiis, 8, 40. Matrimonium quid sit, 8, 1. Consensus matrimonium facit, 8, 17; 16, 142. Quibus temporibus contrahendum, 15, 169. Inviolabile conjugii sacramentum, 8, 9, 12, 131. Matrimonium sine dote fieri non debet, 8, 141. Omne matrimonium est conjugium, 8, 277. Non solvuntur conjugia causa religionis, 8, 129. Inter separatos vinculum matrimonii manet, 6, 131; 8, 333. Matrimonio continentia melior, 1, 42. Clandestina matrimonia prohibita, 8, 141. Non potest quis contrahere cum spirituali commatre, 1, 133, 139. Cum filiastra patris, 1, 307. Non solvitur conjugium si mulier nesciens votum viri nupserit, 7, 10. Excommunicandus qui velatam in matrimonium duxerit, 7, 131. Virgo vel vidua ad matrimonium non cogenda, 8, 19. Matrimonium inter cognatos prohibitum, 8, 36. Quomodo error dirimit matrimonium, 8, 56, 164. Quando irritum fit matrimonium, 8, 57; 16, 128. Finis et usus matrimonii, 8, 82, 88. Qualis debeat uxor esse in matrimonio collocanda, 8, 140. Contrahens illicitum matrimonium fit infamis, 16, 166. Nullus uxorem aliquam ducere debet quam prius per adulterium polluit, 8, 201, 211, 261. Si alter conjugum fiat amens, non solvitur matrimonium, 1, 166. Legitima sunt servorum matrimonia, 8, 167. Furiosi incapaces contrahendi matrimonii, 8, 167. Desponsatam alii puellam alter ducere non potest, 8, 169. De conjugibus non valentibus connubere, 8, 178. Quid faciendum sit, si hujusmodi concubitus per maleficos impeditur, 194. Uxor quamdiu vir ejus absens est, matrimonium cum altero contrahere haudquaquam potest, 8, 189. Si captis viris uxores aliis nupserint, redeuntibus de captivitate maritis illis debet iterum copulari, 1, 190, 193; 8, 244. Alias sunt excommunicandæ, 8, 192. De gentili qui uxorem suam gentilem dimittit, 8, 195. De baptizato si uxor ejus infidelis est, 8, 196. Crimina non conjugia per baptismum solvuntur, 8, 197. Alter conjugum dimissus alteri non debet nubere, 8, 200, 221, 230, 236, 239. Conjugati separati innupti manere debent, 8, 208.

Maximianus.

Maximianus episcopus Vagiensis, cur petivit auxilium ab imperatore, 10, 59.

Mendacium.

Quid est mendacium, 12, 48. Octo genera mendaciorum, 12, 1. Mendacium omne cavendum, 12, 41, 42, 49, 83. Jocosum mendacium etiam vitandum, 12, 43. Et artificiosum, 44. De differentia inter mentiri et verbum occultare, 17, 46. Non est peccatum in quibusdam errare, 45. Tropica locutio non est mendacium, 12, 47. Quæ distinctio inter falli et mentiri, et voluntatem fallendi et falli, 51. Mendacium quoddam utile, 12, 53.

Meretrix.

Quid sit meretrix et ejecta, 8, 297. Meretricibus honestam licet eligere vitam, 8, 37. Censeri possunt in matrimonium duci, 38. Fatui et injusti sunt qui meretrices retinent, 8, 253. Meretrici adhærens unum cum ea corpus efficitur, 8, 308, 313. Quod meretrici datur repeti non potest, 8, 307. Correptus est episcopus prostitutis consentiens, 309. Prohibentur meretrices, 8, 311.

Metropolitanus episcopus et metropolitana Ecclesia.

Ecclesiæ metropolitanæ consuetudines a comprovincia-

Introdusă în format electronic de Google

libus observandæ, 3, 68. Clerus de episcopo apud metropolitanum conqueri potest, 3, 137. Metropolitanus debet petère pallium a summo pontifice, 5, 354. Res Ecclesiæ inconsulto metropolitano minime alienandæ, 3, 153. Quales ille epistolas mittere debeat, 5, 158. Comprovincialem episcopum in sua causa audire debet, 8, 169. Sua jura conservare debet metropolitanus, 5, 146. Non debet præsumptive uti pallio, 5, 324. Nec alterius parochianum excommunicare, 5, 100 14, 72. Irrita ejus sententia sine assensu coepiscoporum, 5, 99, 101, 174. Provincia duobus metropolitanis minime dividenda, 5 146.

Michael (S.).

Princeps est angelorum. Angelus item quondam Synagogæ Judæorum, 17, 61.

Miles.

Deo servire debet et Ecclesiæ, 10, 123. Non debet admitti in monasterio nisi post probationem triennalem, 124. Militare non est peccatum, 10, 125, 126. Milites non ad clerum, sed ad monachicum tantum habitum sunt suscipiendi, 127. Si converti voluerint impediri non debent, 10, 128, 129. Neque pagani, neque hæretici militare debent, 11, 92.

Ministri ecclesiastici.

Quomodo honorandi sunt, 6, 299. Eorum officium, 6, 20. In suis ordinandi diœcesibus, 5, 178; 6, 42. Officium suum si libite non præstent, deponantur, et puniantur, 1, 217, 240, 250. Turpe lucrum abhorrere debent, 1, 71, 65, 271, 287. Aliquando possunt arma portare ut se defendant, 10, 68; 10, 71, 73, 82. Percussores esse non debent, 5, 315; 6, 235, 291, 3. Nihil sine licentia proprii episcopi moliri debent, 2, 123; 3, 239; 4, 90; 6, 171. Privilegia et immunitas ecclesiasticorum, 3, 56, 100, 151, 154. 173, 181; 5, 308. Bona Ecclesiæ et ecclesiasticorum, et piorum locorum minime sunt alienanda, 3, 185, 192, 213, 17, 137. De episcopis, presbyteris et diaconis iterum baptizatis, 1, 293. Ministris ordinatis communicare, et ad altare accedere licet, 2, 42. Quæ declinare debeant ecclesiastici, 5, 339, 353, 366, 370, 377; 6, 288. Secundum dispositionem episcopi in ecclesiis sunt admittendi, 3, 190. Septem hebdomadas ante Pascha a carne et aliis deliciis abstinere debent, 4, 23. Quos libros legere non debent, 4, 162. Quomodo examinandi et judicandi quando accusantur, 6, 280. Quomodo componendæ injuriæ, clericis et monachis illatæ, 8, 401. Anathematizandi qui eas inferunt, 6, 403. Singulis ecclesiasticis singulæ Ecclesiæ tribuenda officia, 6, 344.

Miseriæ hominis. Vide *Homo.*

Misericordia.

Non prohibenda est, 6, 49. Misericordiæ officia erga afflictum proximum impendenda, 15, 59.

Missa.

Quomodo celebranda, 2, 15, 63, 117; 3, 267. Præparatio ante missam adhibenda, 3, 279. Ab illitterato aut reprobo ministro non facienda, 2, 44, 90. Quid agendum si aliquid de sanguine Domini in terram stillaverit, 2, 56, 61. Episcopi et sacerdotes missam celebrantes, ministros paratos secum habere debent, 2, 67. Numerus missarum, 2, 81, 87. Præfationes missæ, 2, 77; 3, 69. Corpus Domini cum calice sumendum, 2, 89, 114. Sacrosancta mysteria, dæmone vel passione vexatis minime sunt committenda, 2, 88. Missa in loco non sacrato nonnisi pro magna necessitate celebranda, 2, 76; 3, 60, 59. Missa noctu in Nativitate Domini tantum celebranda, 2, 71. Hora celebrandi missam, 2, 71. Item, 2, 119; 3, 65. Missa die Dominico audienda, 2, 121; 6, 310. Missæ publicæ, id est parochiali populus assistere debet, 2, 119. Missæ privatæ, 2, 119; 15, 176. Missa per alterum complenda si eam præprius sacerdos compleri non valeat, 2, 124, 3, 271. Missa cum ministro celebranda, 2, 127; 3, 70. Trentennium missarum pro defunctis, 17, 167. Quibus defunctis prosint missæ, et e contra, 17, 69. Presbyteri missa celebrata debent communicare, 2, 129. Populus non debet discedere nisi peracta missa et data benedictione, 3, 34, 265. Missa clericis quotidie audienda, 6, 243. Incensum adhibetur in celebratione missæ, 3, 267. In fine dicitur evangelium, *In principio*, 15, 176. Ad celebrandum missam cum baculo vel velato capite ire prohibetur, 3, 172. Ab episcopis frequenter celebranda missa, 3, 207. Quando celebrat missam sacerdos, circumstantes omnes illi debent respondere, 8, 169; 7, 67. Quando bis potest in die missam celebrare, 3, 268. Presbyter in die tres missas celebrare potest et non amplius, 15, 171. Presbyter qui post galli cantum biberit proximo die non debet, nisi urgeat necessitas, missarum solemnia celebrare, 15, 170 Missæ pro defunctis, 17, 66, 68. Exempla hac de re.

Monachus.

Monachi quieti esse, neque vagari per diversa loca debent, 6, 211; 7, 8, 11, 150. Qui monachi ad clerum non promovendi, 7, 7. Quomodo puniendi qui propositum monachi deserunt, 7, 19, 28. Quomodo probandi qui fieri volunt monachi, 7, 155. Clerici possunt fieri monachi de licentia episcopi, 6, 370. Baptisteria ab ecclesiis monachalibus excludenda, 1, 55. Nec in illis missæ sunt publicæ peragendæ, 7, 13. Monachis laici prædicare non debent, 6, 249. Ecclesiæ monachorum ecclesiis episcoporum subjectæ, 3, 280. Et ipsi monachi episcopis obedire debent, 3, 280. Item, 7, 1. De vita et singularitate monachorum, 8, 2. Operari debent continuo, 7, 5. Visitatio monasteriorum monachorum per episcopos facienda, 7, 14, 84. Monachis ad sæculum redire non permittitur, 7, 30. Avaritiam et rapinas detestari debent, 7, 150. Non debent imponere pœnitentias sæcularibus, 15, 152. Non debent possessiones conducere, et sæcularibus se negotiis immiscere, 6, 218; 7, 23, 107. Monachi et monachæ non debent habere compatres vel commatres, aut de baptismo filios suscipere, 1, 132; 7, 100. Aut matrimonio copulari. 7, 15, 49, 122. Cæteroquin severe sunt castigandi, 7, 15, 49, 122. Non debent monachi feminas osculari, 1, 33, 53. Monachus fieri potest presbyter, 7, 22. Imo et episcopus, 5, 343. Qui potest monachus clericorum officiis aggregari, 6, 53. Pueri inviti non debent fieri monachi, 6, 336. Episcopus factus monachus non potest deinceps ad episcopatum reverti, 7, 149.

Monasterium.

Monasteria clericorum seu sæcularium habitacula esse non debent, 3, 17, 22. Monasteriorum *commutatio*, 3, 28. Et translatio, 31. De licentia episcopi monasteria astruenda, 3, 157, 165; 7, 92. Monasteria monialium procul a monachorum esse oportet, 3, 158. Monasteria infestari aut gravari non oportet, 3, 185; 7, 14, 106. Qui monasterium intrat, de rebus suis postmodum disponere non potest, 6, 426. Sed ante, 7, 58. Non debet esse simul virorum ac mulierum monasterium, 7, 25, 83. 7. De ætate requisita ad egrediendum monasterium, 7, 27, 116. De viris ac mulieribus propositum ingrediendi monasterium deserentibus, 7, 35. Nullus incognitus cito in monasterio admittendus, 7, 41. De una religione ad aliam propter districtiorem vitam potest transire religiosus, et etiam sanctimonialium, 7, 42. In monasteriis monialium virorum nemo hospitari debet, 7, 88. In monialium monasteriis non nutriendæ puellæ nisi quæ religiosæ futuræ sint, sed nec ibidem admittendæ filiæ, 7, 88, 117. Mulieres non decet ingredi virorum claustra, 7, 119. De habitu religionis superbiendum, 8, 321. Ad monasterium pertinent bona monachi apostatæ, 7, 153.

Moneta.

Amputanda illi manus qui falsam monetam percusserit, 16, 278.

Monialis seu virgo sacra. Item Velamen sacrum.

Quo tempore velandæ virgines, 7, 36. Episcopi super moniales maxime vigilare debent, 7, 93. *Quomodo* vivere debeant moniales, 93. Cum sæcularibus *manducare* non debent, 7, 113. Ad moniales sine causa non accedendum, 6, 390; 6, 96. Magna cautela cum eis loquendum, 7, 71. Res sacratas tractare non debent, 2, 72. Monialium lubricitas quomodo reprimenda, 7, 16, 123, 125. Monialis quæ lapsa fuerit quomodo debeat sustinere pœnitentiam, 7, 133, 135. Non licet illis matrimonium contrahere, 7, 51, 57. Desponsata puella eligere potest monasterium, 7, 40. Moniales ab episcopo consecrandæ, 7, 43. Earum vestis et habitus, 7, 43. Janitrix monialium quæ esse debeat, 7, 97.

Monomachia.

De monomachia seu singulari certamine agitur, 8, 187.

Mors et mortuus. Item Sepultura et Cœmeterium.

De hominibus ad mortem judicatis, et postea eis concessa vita si justitiam quærunt, 16, 263. Uxores defunctorum post mortem maritorum tertiam partem collationis accipere debent, 16, 273. Primus homo si obediens permansisset ad cœlum sine morte transiisset, 17, 25. Quot sint genera oblationis pro mortuis exsequenda, 17, 81. Missæ pro defunctis celebrandæ, 3, 66. Oblationes defunctorum non retinendæ, 3, 155, 218. De cura pro mortuis habenda, 4, 217. In excubiis funeris quid agendum, 11, 59. Usus, sepulturæ defunctorum, 3, 213, 274, 278. Quid prosit sepultura ecclesiastica, 3, 214. Pro sepulturæ loco nil exigendum, 3, 101, 215, 222. Ad sepulcra deferre prandia non licet, 11, 63. Mortui non baptizandi, 1, 231. Nec excommunicandi, 2, 40. Mortuis non oportet osculum dare, 3, 277. De cœmeteriis, et quot habere debeant spatia, 3, 104. Quot modis defunctorum animæ solvi debeant, 15, 124. Contra voluntatem defuncti nil aggrediendum, 16, 233. De obitu charorum non se affligendum, 15, 139. Cur nonnunquam electi dure moriantur, 17, 88 Mors miseris sine morte fit, 17, 85.

Introdusă în format electronic de Google

Moyses.
Moysis miracula, 2, 72. Constituit presbyteros, 6, 25. Sanctitate commendatus, 6, 50.
Mulier. Vide *Femina.*
Murmurare. Vide *Diffamare.*
Musica.
Sacerdotes ab aliquibus musicorum generibus alieni esse debent, 5, 539.
Mutus.
Quomodo baptizandus, 1, 230, 232. De pœnitente muto, 15 8, 34.

N

Necessitas.
Necessitas non habet legem, 2, 76; 3, 141. Cessante necessitate, cessat quod necessitas reperit pro remedio, 6, 350. In necessitate licitum est presbytero et diacono suspensis baptizare, 6, 368.
Negotiator et negotium.
De differentia inter turpe lucrum et negotium, 13, 21. Negotiator clericus suspendendus, 13, 11, 28. Infra annum criminalia negotia terminanda, 16, 250. Quæ sint sæcularia negotia, 17, 108. Armillæ negotiatoribus non sunt tradendæ, 17, 304.
Neophytus.
Neophytorum abstinentia et continentia post baptismum, 1, 207. Neophyti non promovendi ad ordinem sacrum, 1, 216; 2, 59; 5, 131. Quis neophytus, 5, 131
Nepos et neptis.
Neptem suam non debet aliquis in matrimonium ducere, 9, 58. In copulatione consanguinitatis nepos et neptis primo loco numerantur, 15, 177. Qualiter nepotes et neptes hæreditates inter se partiantur, 16, 123.
Nicænum concilium.
Trecenti et octodecim Patres illi interfuere, 16, 433. Acta concilii Nic. ad S. Silvestrum papam transmissa sunt, 4, 209. Nicæni conc. dignitas et auctoritas, 4, 72; 3, 128. Quot sunt capitula, seu articuli concilii Nic. 4, 232, 108.
Novitates.
Novitates Ecclesia nunquam approbat, 4, 196.
Nuptiæ.
A Deo institutæ et benedictæ, 1, 42. Præstat nuptiis continentia, 1, 42. A nuptiis divina mysteria abesse debent, 2, 143. Inter quas personas legitimæ fiant nuptiæ, 9, 1. Mulier ad secundas nuptias convolans, res filiis suis a se donatas, retrahere non potest, præterea privilegia primi mariti amittit, 1, 126, 127. Quidquid gerunt vitiosum conjugati non est culpa conjugii aut nuptiarum, 8, 234. Qui nuptias vitare debent, 6, 206; 8, 50. Nimirum clerici, 6, 206; 8, 50. Nuptiæ non abhorrendæ, 7, 79, 82. Bonum nuptiarum triplex, proles, fides, sacramentum, 8, 15. Nuptiæ Christi et Ecclesiæ sacramentum, 8, 74. Præmium nuptiarum partus feminarum est, 8, 76. In quo consistat nuptiarum veritas, 77. Quo tempore celebrandæ, 8, 142. Nubentes a sacerdote benedicendi, 8, 143, 146. Qui pluris nupserit debet pœnitentiam agere, 8, 138, 339 Secundæ nuptiæ sæcularibus conceduntur, 8, 139, 269. Mater nutrix filiorum ad alias nuptias transire non debet, 8, 271.

O

Obedientia et inobedientia.
Non obedire grande est peccatum, 5, 36. Justa obedientia justis muneribus remuneratur, 15, 69.
Oblatio.
Oblationes in Ecclesia a Christianis faciendæ, 2, 34, 41. Oblationes dissidentium fratrum repellendæ, 2, 47, 48, et eorum qui pauperes opprimunt, 2, 47, 48. Quid prosint oblationes, 2, 113. Fidelium oblationes rapere, grande scelus, 3, 140. Quæ Deo offeruntur, consecrata sunt, 3, 193. Quidquid offertur Deo, Sanctum Sanctorum est, 14, 87, et ad jus sacerdotum pertinet, 16, 362. Feminæ menstruatæ, moniales, aut laicæ, non offerre debent, 15, 150. Qui auferunt fidelium oblationem sunt sacrilegi, 16, 295, 362.
October.
Hyperberethæus dicitur, 5, 154. Congreganda mense Octobri synodus, 5, 154. Dominicis Octobris leguntur libri Machabæorum, 4, 63
Officium divinum. Vide *Oratio.*
Opera bona.
Non prosunt opera sine fide, 11, 89. Non tantum professio vitæ aut habitus species Deo placet, quantum sinceritas, et affectio mentis et operum probitas, 11, 82.
Oratio.
Pro quibus fundendæ orationes, 2, 120. Quomodo orandum, 6, 167. Oratio eleemosynæ unita utilis multum, 166. Recitanda oratio Dominica, 6, 158, 159. Orationis utilitas, 6, 177. Officium divinum a clericis et sacerdotibus recitandum. 6, 181 243. Qua hora, 6, 177
Oratoria
In privatis oratoriis nec celebrandæ missæ, nec clerici constituendi, 3, 76. Sed nec ibi reliquiæ sanctorum reponendæ, 78. Oratoria de licentia episcopi construenda, 3, 192. In oratoriis et ecclesiis nil nisi orandum est, 3, 275.
Ordinis sacramentum, seu orainationes sacræ.
Quomodo et ubi celebrari debeant ordinationes, 6, 23, 24, et quo tempore, 6, 70, 74, 91, non autem coram catechumenis, 6, 27. Ordines sacri a propriis episcopis conferendi, 6, 42, 142, 412. Nulli ordinandi sine titulo, 7, 26. Ordines collati ab excommunicatis, aut ab illis qui sē dicunt episcopos, nil valent, 14, 54; 5, 220. Qui non sint ordinandi, 6, 35, 379; 8, 302, 303. Qui viduam duxerit ad sacros ordines promoveri non potest, 6, 55. Actores, et procuratores, exsecutores etiam pupillorum an debeant ordinari, 6, 137. Reordinationes ordinatorum fieri non licet, 1, 152; 6, 88. Quando fit licitum, 6, 117. In ordinationibus crimina non auferuntur, 6, 60. Contra canones ordinans et ordinatus deponendi, 62. Pœnitens quis ordinari non debet, 6, 106. Licite potest ordinari cui ab hostibus digitus fuerit amputatus, 6, 118. Sacri ordines non vendendi neque emendi, 2, 81; 5, 85, 91, 95, 109, 122, 208. Examinandi qui ad sacros ordines provehi cupiunt, 3, 143; 6, 21, 33. Qui indignos ordinant, jus debent amittere consecrandi, 1, 507. Venditio ordinum, inexpiabilis est culpa, 5, 132. Illicitæ ordinationes, non præsumendæ, 5, 212. Deponendi qui solum ab episcopo manuum impositionem, et a presbytero reliquam ordinationem susceperint, 5, 213
Origenes.
Quomodo legendus, 4, 142. Ejus deliramenta de restitutione dæmonum, et impiorum, refutata ab Augustino, 17, 113. Ejus opuscula quædam suscipienda, reliqua suo cum auctore repudianda, 4, 64. Liber qui appellatur, Pœnitentia Origenis apocryphus est, 4, 65. Origenem appellavit schismaticum Gelasius papa, 4, 64.
Originale peccatum. Vide *Peccatum originale.*
Orphanus ac pupillus.
Orphanotrophium, id est locus venerabilis, in quo orphani nempe pueri parentibus orbati pascuntur, 17, 137. Pupillorum causæ primum audiendæ ac definiendæ, 6, 274.
Osee propheta.
Non culpandus de ducta ab eo meretrice, 8, 38.
Ostiarius.
Ejus officium, 6, 5. Quomodo ordinatur ostiarius, 6, 18, 20.
Otto.
Ottonis imperatoris constitutum cum Romano pontifice, 5, 52.

P

Pagani seu gentiles et idololatræ, item dii fictitii, nec gentiles, nec Judæi plangendi, 11, 110. Baptizandi pagani, si ita obsecrent, in infirmitate, 1, 224. Ad baptismum tamen vi non cogendi, 1, 181. Nulla iis salus extra Ecclesiam, 1, 38, 39. Non vi, sed ratione reducendi, 11, 83. Idololatria omnino exsecranda, ritus quoque paganorum, 11, 31, 45. Vanæ illorum observationes ac cæremoniæ rejiciendæ. 11, 40. De idolothytis, 11, 91. Non est comedendum de animali quod paganus aut occidit aut insecutus est, 11, 87. Exactio in rusticum paganum facienda, 11, 94. De zelo contra idololatras et aruspices, 93. Minus malum per deos falsos jurare veraciter, quam per Deum verum jurare fallaciter, 12, 35. Baptizatus a paganis rebaptizandus, 11, 91.
Pallæ. Vide *Corporalia.*
Panis benedictus.
Panis benedictus seu eulogiæ pro populo, 2, 37. Oratio ad benedicendum panem, 2, 37. Panis benedictus dicitur et oblationis corona, 17, 68. Qualem deceat esse panem in missa offerendum, 2, 38.
Papa seu summus pontifex.
Papa apostolicus nuncupatur, 15, 184. Pontifices thront Dei appellantur, 16, 296. Auctoritas summi pontificis, 5, 13, 15, 44, 47, 378. Ejus electio canonica esse debet, 5, 14. In electione papæ imperatoris legati non sunt expectandi, 5, 16. Summi pontificis judicium a nemine retractandum, 5, 19. Summus pontifex voluit aliquando causam suam in præsentia legatorum imperatoris examinari, 5, 22. Papa non redarguendus neque judicandus, 5, 8, 23. Nullus se a communione ejus segregare debet, 25, 361. Episcoporum sententiæ, ejus auctoritate roborandæ, 5, 29. Decreta Romanorum pontificum imprætermisse servanda, 5, 34, 40. Irritæ constitutiones contra decreta papæ factæ, 5, 37. Papa, Petri successor, 5, 46. Simoniacus

Introdusă în format electronic de Google

papa excommunicandus, 5, 80. Summus pontifex in ferenda sententia qualitatibus hominum condescendit, 14, 43. Primæ sedis episcopus papa vocitandus, 5, 57. De eo qui falsam ab eo epistolam extorserit, 5, 50. Summus pontifex quomodo se purget super criminibus obtectis, 5, 313, 342. Vivente papa nullus eligendus, 5, 336. Profitetur fidem suam summus pontifex, 5, 358. Mira benevolentia, et affectio summorum pontificum erga reges Galliæ, 5, 358, 378. Nomen papæ in ecclesiis recitandum, 6, 305. Finitiva judicia clericorum ad papam deferenda, 6, 316.

Paphnutius.

Paphnutius (S.) orat pro quodam ignavo monacho, ab immundo spiritu divexato, 9, 99.

Parochia et parochus.

Parochiæ secundum Romanam Ecclesiam regendæ, 3, 47. Parochia inter plures presbyteros seu parochos non est dividenda, 3, 48. De statu parochiarum, 3, 97. Parochiani diebus Dominicis in ecclesia parochiali sacro debent interesse, 2, 122. Parochiam potest episcopus in monasterium commutare, 3, 168, 170. Parochia episcopo illi manet qui eam triginta annis gubernaverit, 3, 106

Parricida.

De parricidio et fratricidio, 10, 163, 177, 184. Pœnitentia illi imponenda, qui pro vindicandis parentibus occidit, 10, 161. Item iis qui infantes aut uxores suas interfecerint, 10, 165. De uxore quæ maritum peremerit, 10, 168, De matricidæ pœnitentia, 10, 173.

Parvuli. Vide *Infantes.*

Pascha.

Quomodo celebrandum, 2, 111; 3, 2, 114. Quo die Pascha a Christianis agendum, 4, 3, 119. In Paschate resurrectionis ordines sacri conferendi, 6, 70. Feria quinta ante Pascha pœnitentibus remittendum est, 15, 40. Pro lectione quæ fit in ecclesiis in die et infra octavam Paschæ, 4, 63.

Paschate (*baptizatus in*). Vide *Baptismus.*

Passio Domini.

Recolitur in missa, 2, 15.

Patena Vide *Vasa sacra.*

Pater et mater. Patrinus seu susceptor.

Patrinus et matrinus (quæ et matrina) in baptismo, quia susceptores seu gestantes dicuntur, 1, 118. Eorum prodest fides parvulis, 1, 118. Si possit baptizandus respondere, patrinus absit, 1, 124. Susceptorum munus et officium, 1, 134. Susceptores debent esse confirmati, credere, etc., 1, 220. De patre et matre qui filios suos susceperint, 1, 305, 306. De illis qui suos infantes suscipiunt e baptismo, ut ab uxoribus sejungantur, 9, 80. Unus patrinus vel matrina sufficit ad suscipiendum infantem, 1, 218. Abbas aut monachus non possunt esse susceptores, 1, 132. Spiritualis proximitas ex baptismo oritur inter patres et filios spirituales, 1, 135. Ideoque matrimonium inter se contrahere non possunt, 1, 135. De uxore quæ viri filium ex alia procreatum de fonte sacro levaverit, an postmodum possit cum eo ultro copulari, 1, 136. Vir unus duas spirituales commatres habere non potest, 1, 137. Fornicantes qui spirituali affinitate conjuncti sunt, anathematizantur, 1, 138.

Pauperes et paupertas. Item, Vitium proprietatis.

Pauperum viduarum et pupillorum causæ primo audiendæ, et definiendæ, 16, 274. Tunc non solum pauperi eleemosyna erogatur, cum solatium illi aliquod datur, sed etiam quando vel venia peccanti, vel disciplina datur erranti, 17, 123. Res immobiles ptochotrophii (locus in quo pauperes pascuntur), possunt alienari, 17, 137. Monachus quidam S. Gregorii, nomine Justus, proprietatis vitio labefactatus, in loco sacro non sepelitur, 17, 67.

Pax.

Pax servanda, 16, 235.

Peccatum mortale et veniale.

Quæ peccata pro quibus homo damnatur, 6, 161. Aliud est peccare in Deum, aliud in hominem, 14, 85. Levia peccata Dominica oratione dimittuntur, 17, 122. Nullus putet peccata eleemosynis redimi, nisi etiam vitam suam corrigat, 17, 121. Non remittuntur peccata nisi remittenti ex corde in se peccanti, 17, 128. Peccata quædam gravia sunt, quæ levia putantur, 17, 132. Quale peccatum in Scriptura sacra, clamor vocatum, 133. Duabus ex causis oritur peccatum, ex ignorantia et infirmitate, 17, 134. Homo interdum animi motu, carnis interdum fragilitate peccat, 15, 52. Quoties ceciderit peccator toties resurgere debet, 15, 66. Nullus sanctus et justus caret peccato, 15, 82, 138. Quanto quis tempore moretur in peccatis, tanto ei augenda pœnitentia, 15, 130. Qui grave peccatum commisit, a Christi corpore separandus, 15, 23. Irremissibile est illalius peccatum qui negat in Ecclesia omnia posse peccat dimitti, 17, 136. Peccata non sine condigna pœnitentia relaxantur, 15, 74. Conscii alienorum peccatorum delinquunt non prodentes peccata, 16, 360. Peccata dissimulat Deus, 17, 37. Cur omnia sine fine castigat, 17, 74.

Peccatum originale.

Nascitur omnis homo cum illo, 1, 25, 228, 246. Remedium peccati originalis, 1, 25. Non potest remitti nisi per Christum, 17, 8.

Peregrinationes et Peregrini.

Peregrinationes ad loca sancta suscipientes a nullis oportet molestari, 4, 60, 16, 287. De illis qui sub prætextu religionis peregrinantur, 15, 65. De Romipetis, id est qui Romam petunt, 15, 182, 184. De peregrinationibus Romanis et Turonicis, 15, 65. Peregrini et fugitivi distringendi, 16, 303. De administratione xenodochii quod locus est in quo peregrini suscipiuntur, 15, 149. Xenodochii immobilia bona possunt alienari, 17, 157.

Permutatio et commutatio.

Precariæ vel commutationes viduæ ecclesiæ non valent, 3, 227. Commutationes rerum ecclesiasticarum, 3, 231. Quomodo licita mutatio episcoporum, 5, 183. De commutatione et redemptione pœnitentiarum, 15, 192. Ita valet commutatio sicut et emptio, 16, 314.

Persecutiones.

Inimicus est Christi, qui Christianum inique persequitur, 10, 61.

Petrus (*S.*) *apostolus.*

Ejus præeminentia et prærogativa, 5, 269. Itinerarium Petri apocryphum, item ejus actus, 4, 65. De morte beati Petri, 4, 140.

Plaga. Vide *flagella Dei.*

Pœnitentia et Pœnitentes.

Quid sit pœnitentia, 15, 1. Peccatoribus nulla sine pœnitentia salus, 1, 30, 31. Pro qualitate peccati imponenda pœnitentia, 14, 73; 5, 3. Pœnitentia quæ imponitur iis qui jejuni non communicaverint, 2, 23. Qui per ebrietatem, Eucharistiam evomuerint, 2, 35. Qui vomuerint sacrificium, a canibus postea absumptum vel qui bene non custodiunt sacramentum, 2, 57. Pro pœnitentibus orandum, 6, 165. Publici pœnitentes ad clericatum non admittendi, 6, 386. Pœnitentia septem annorum cur imposita, 6, 398; 8, 284; 1, 245, 293. Pœnitentia quinque annorum imposita uxoratis qui lapsi fuerint, 8, 281. Pœnitentiam XIV annorum ei qui filiam patrui sui corrupit, 9, 10. Decem autem annorum qui incestuoso consentit, 9, 21. Pœnitentia incestuosorum parricidarum, 9, 70. Non debet injungi pœnitentia nimis aspera, 9, 122. De pœnitentium absolutione, 15, 2, 38. De pœnitentium lege, 15, 6, 12, 19. Pœnitentes in infirmitate viaticum debent sumere, 15, 9. Presbyter, inconsulto episcopo suo pœnitentem non debet reconciliare, nisi instante necessitate, 15, 4, 84, 186. De negligentibus pœnitentibus, 15, 7. Pœnitentia nonnisi ex consensu conjugatis danda, 15, 14. Pœnitentia majorum, junioribus facile non injungenda, 17. De pœnitentiis ecclesiasticorum, 15, 20. De incertitudine salutis illius, qui in extrema necessitate pœnitentiam acceperit, 22. Condescendere oportet pœnitentibus, 24. Vera conversio quæ, 15, 26. De illis qui in necessitate pœnitentiam desiderant, 29. Pœnitentiæ efficacia atque effectus, 15, 32, 48. De pœnitente si in ipsa pœnitentia moritur, 15, 39. Non neganda morientibus pœnitentia, 15, 43, 44. Feria 4 Cinerum publice pœnitentes ante fores ecclesiæ nudis pedibus et cilicio induti episcopo se repræsentare debent, 45. Haud remisse adimplenda pœnitentia, 50. Injungenda pœnitentibus jejunia, 51, 185, 191. Discreta adhibenda cœna illis qui in publico seu abscondito pœnitent, 15, 54. A sacerdotibus sponte suscipiendi qui ex corde pœnitent, 55.

Pœnitentibus impertienda communio post impletam pœnitentiam, 15, 56, 77. De iis qui peracta pœnitentia ad pristina redeunt peccata, 15, 71. De pœnitentia imponenda, nulla esse debet personarum acceptio, 15, 73. Nulli post pœnitentiam ad sæcularem militiam redire licet, 80. Pœnitentes a conviviis, ornamentis et quibusdam etiam rebus licitis abstineant, 15, 79, 83. Nullus episcopus aut presbyter alterius pœnitentem sine litteris proprii episcopi suscipere debet, 15, 76. Impœnitens reputandus, ethnicus seu publicanus, 78. Difficile est sub gradu peccanti in gradu manere, 15, 91. Post 7 annorum pœnitentiam reverti poterit sacerdos ad statum pristinum, 95. Nulla decet pœnitentem negotia exercere, 15, 107. Sacerdotes non debent pœnitentium culpas rejicere, vel illos minus digne ad reconciliationem adducere, 112. De pœnitentia veneficorum, 15, 116. De ficta pœnitentia, 15, 156. De pœnitentia imponenda matri circa filium suum negligenter se habenti, 15, 159. Vel quæ illum occiderit, 15, 163. Non debet carena dividi pœnitenti, et dum jejunat, carenam suam pœnitens de loco ad locum migrare

Introdusă în format electronic de Google

non debet, 15, 183, 185. De duratione, et diversitate pœnitentiarum, 187. De condemnatione ejus qui publice pœnitentem interfecit, 16, 276. Sine misericordia Dei infructuosam homo aget pœnitentiam, 17, 135.

Pollutio. Vide *Illusio nocturna.*

Pondus et mensura.

Nullus pondera, aut mensuras injustas dare debet, 13, 138.

Possessio et possessor.

Triennalis possessio objectiones excludit. Haud repetenda possessio XL annorum, 3, 148. Quomodo valet possessio, 3, 179. Possessio alterius diœcesis per L annos et firma, 5, 175. Jusjurandum possessoria, 6, 205. De his quæ a filiis et servis acquiruntur, 16, 107. Qui rem tradente donatore, possederit, is eam cui est tradita possidebit, 16, 194. De vitanda possessione et occupatione rerum alienarum, 16, 331. De possessore per vim expulso, 16, 310. Probatio non a possessore sed a petitoris partibus requirenda, 16, 203.

Potestas. Vide *Judex.* Item *Rex.*

Prædestinatio.

Prædestinatio gratuita donationis præparatio, 1, 35. Quomodo Prædestinatio ordinatur, 17, 31.

Prædicatio. Vide *Verbum Dei.*

Prædo. Vide *Fur.*

Prælatus. Vide *Episcopus.*

Pragmatica sanctio.

Per pragmaticam sanctionem nihil de Ecclesiis est accipiendum, 3, 188.

Presbyter. Vide *Sacerdos.*

Primas seu patriarcha.

Qui sint primates, 5, 54, 273. Jus primatis, 5, 56. De ordinatione primatum, seu patriarcharum, 5, 53, 288. Quot sint ordine adeundi, 5, 242. Judices episcoporum, 245, 258, 267. Non debent episcopi primati in judicio respondere, nisi res oblatæ eis restituantur, 5, 246, 248, 255. Primates ab episcopis agnoscendi, 5, 269. Primates et metropolitani a Romana Ecclesia sunt vocati in partem, non in plenitudinem potestatis, 5, 349. Primati consecrandi inest potestas. 348. Quando ad primates est appellandum, 6, 330. Coram primatibus, causæ episcoporum tractandæ, 16, 309.

Princeps. Vide *Rex.*

Psalmista. Vide *Cantor.*

Pugna. Vide *Bellum.*

Purgatorium.

Quæ destinentur animæ in purgatorio, per missæ sacrificium sublevantur, 17, 67, 68. Insigne hac de re exemplum apud S. Gregorium, de quodam ejus monacho, qui a pœnis purgatorii liberatus postquam pro illo missarum trentennarium fuisset persolutum, 17, 67, 68. An detur purgatorium, 17, 79.

Q

Quadragesimale tempus.

Unde trahat auctoritatem, pars 4 cap. 2. Quomodo celebranda Quadragesima, 2, 111; 4, 1, 45, 46. In ea jejunandum est, 4, 29, 34, 41. Et a carne abstinendum, 15, 89. Item per Quadragesimam jejunandum a carnis voluptatibus, 4, 47; 15, 88, 163. Quadragesimali tempore a præliis abstinendum, 10, 93. Uxores etiam tunc non ducendæ nec nuptiæ celebrandæ, 8, 47, 49, 142. Natalia sanctorum martyrum per totam Quadragesimam non celebranda, 4, 43. Singulis Dominicis Quadragesimæ communicandum, 2, 29.

Quinquagesima ante Pascha.

A Quinquagesima usque ad Pascha jejunandum, 4, 29, 25.

R

Rapina.

Quæ differentia inter rapinam et furtum, 13, 3. De compositione rapinæ et furti, 16, 272. De illis qui furtum et rapinam exercent, 14, 125; 16, 327. De aliis apud quos pars rapinæ fuerit deprehensa, 15, 225, 299.

Raptor et Raptus.

Raptores sanctimonialium quomodo puniendi, 7, 70, 143. Virgines per vim raptæ et violatæ virginitatem non amittunt, 7, 87. Nullus rapere mulierem, invitis parentibus, præsumere debet, 8, 23. Raptus pro stupro reputatur, 8, 24, 26. Quid sit raptus, 8, 24, 26. Excommunicandi raptores, 8, 25, 133 332, 14, 64. Rapta reddenda, 8, 26. Rapta conjux fieri præcipitur, 8, 28. De puellis raptis nondum desponsatis, 8, 174. Rapta sponsa excommunicanda, si ad sponsum noluerit reverti, 14, 64. De raptu viduarum, 16, 275.

Rebaptizare.

Non rebaptizandum, pars 1, cap. 137, 152, 160, 162, 172, 233, 254. Rebaptizati non ordinandi, 1, 215. Cum iis minime communicandum, 1, 249.

Reconciliatio

Modus reconciliandi, 6, 407. Reconciliatio conjugatorum, 8, 217. Non est durum reconciliari post adulterium, 8, 212. Non reconciliandi pœnitentes, nisi peracta pœnitentia, 15, 153.

Reges, principes, et potestates.

Divinis legibus subditi esse debent, 4, 190; 16, 11. Pauperes non debent opprimere, alioquin excommunicationi subjacent, 16, 4. Reges unde dicti, 16, 39. De officio et virtutibus regis, 40. De peccatis principum, 42. Reges et principes Christiani, pro æternis pontificibus ut principibus pontifices pro temporalibus, 4, 188. Nihil licet regibus contra leges divinas attentare, 4, 231; 5, 235; 16, 9. Illis non obtemperandum si quid contra Deum percipiant, 5, 7, 16, 23, 24, 28. Nulla dignitas sæcularis, sed nec regalis, vel etiam imperialis sublimitati episcopali comparanda, 5, 378. Quot rex in gratiam recipit, his etiam alii communicare debent, 16, 344. Non debent principes terræ episcopos et ecclesiasticos judicare, 5, 378. Cum Ecclesia possunt per commutationem contrahere, 3, 184. Non debent sua committere negotia sacerdotibus, 6, 222. Qui principis auribus molestiam intulerit clericus a communione et honore excludendus, 6, 225. Rex mala punire debet, 10, 96. Et Ecclesiam defendere, 10, 99. Frustra non est instituta potestas regis judicis, 10, 108. Rex aliter ut homo, aliter ut rex servit Deo, 121. Rege vivente alter non eligendus, 16, 26. De regum sobole, 29. Admonitio ad principes ad officium suum debite exsequendum, 16, 18, 20. De bonis consiliariis regiis, 16, 22. Nemo intendere debet in interitum principum, 27.

Regnum cœlorum. Vide *Vita æterna.*

Reliquiæ sacræ.

De earum veneratione, 3, 54, 57, 78. Reliquiæ sanctorum, loca ubi sunt honorant, 3, 81. Corpora sanctorum non transferenda, 3, 273.

Rhœticius (S.) Augustodunensis.

Seu Iduensis episcopus, commentarium in Canticum canticorum scripsit a S. Hieronymo plurimum commendatum, 4, 103.

Remissio peccatorum.

Omnibus apprime est necessaria, 1, 40. De redemptione et remissione pœnitentiarum, 15, 192, 193.

Repudium.

Uxor legitima minime repudianda, 8, 35. Interveniente repudio aliis se in matrimonio collocandum non est, 8, 209. Quando uxor repudium mittat marito, 16 160.

Respublica.

Quis reip. causa absens est, 16, 169.

Restitutio.

Pervasores rerum alienarum restituere debent, 3, 149, 13, 1. Res Ecclesiæ direptæ, aut illicite emptæ vel retentæ, restituendæ, 3, 182, 185, 206, 13, 37. Episcopi res ablatæ debent illi reddi, 5, 246. Non deletur peccatum nisi restituatur ablatum, 15, 4; 15, 25. Ecclesia presbytero ablata sine culpa sua est restituenda, 6, 429.

Resurrectio.

Resurgent boni et mali, 1, 29. Mortui resurgent, 17, 9. Resurget etiam infans quamvis mortuus ante quam natus, 17, 11. Resurrectio fiet in ætate perfecta, 17, 114.

Rixæ. Vide *Dissensiones.*

Robertus rex Francorum.

Affinem suam conjugem episcoporum consilio reliquit, 9, 8.

Rogationes et Litaniæ.

Rogationes seu Litaniæ ante Ascensionis Dominicæ festum cum jejunio et vacatione ab operibus servilibus celebrandæ, 4, 11, 14. 40. Institutio Rogationum, 4, 40. Litaniæ majores celebrandæ secundum consuetudinem S. R. E. vigesimo quinto Aprilis, 4, 39. Usus Litaniarum cum jejunio, 14, 116.

Romana Ecclesia. Vide *Eccles. Rom.*

S

Sabbatum.

Sabbato laborandum, pars 4, cap. 6. Et jejunandum, 4, 28. Jejunium Sabbati sancti usque ad noctem producendum, 4, 42.

Sacerdos.

Sacerdotum officium et ministerium, 1, 67, 353; 2, 69, 120; 3, 129; 6, 11, 45, 151, 310, 389. Sacerdotes judiciis debent præsidere, 4, 215. Catechizare, prædicare, et docere populum, 1, 87; 6, 154, 247, 279, 307. Et baptizare, 1, 90. Non autem ordinare, aut ecclesias consecrare, 6, 102, 103. Qui manus imponunt dæmones ejiciunt, 1, 103. Sacerdotum dignitas, 2, 100; 5, 5, 18, 345, 6, 45. Apud Deum non sententia sacerdotum, sed vita eorum quæritur, 2, 109 Puritate, castitate et sobrietate, maxime pollere de-

Introdusă în format electronic de Google

bent, 1, 110; 3, 48, 345; 6, 68, 94, 98, 332. Et etiam doctrina, 5, 202; 6, 22, 245. Sacerdotes et ministri aßi Ecclesiæ vitiosi, incontinentes, scelerati, dæmoniaci, etc., sacra mysteria attrectare, 1, 150; 2, 90, 125; 6, 87. Vitia sacerdotum non manent apud Deum impunita, 2, 116. Nihil debent sacerdotes, pro sacramentorum administratione exigere, 1, 71, 92; 5, 126. Presbyter non ordinatur, qui in infirmitate fuerit baptizatus, 1, 227; 6, 101. De presbytero non baptizato, 1, 268. Præsbyteri conjugati, a populo non abjiciendi, 2, 82, 128; 3, 258. Polluti sacerdotes non polluunt divina mysteria, 2, 85, 93, 98. Sacerdotum hæres Ecclesia, 3, 91; 6, 281, 282. Sacerdotum gravitas ac sapientia, 6, 245, 161, 25. Quando deponendus sacerdos, 5, 86, 103; 6, 96, 185, 193, 234. Quis ordo inter sacerdotes servandus, 3, 17; 6, 299; 3, 53. Ordo sacerdotum bipertitus, 5, 58, 44. Sacerdotes locum tenent 72 discipulorum, 5, 58, 41. Ad exsequias episcopi convenire tenentur, 5, 330. De sacerdotum ordinatione, 6, 12, 28, 47. Qua ætate facienda, 6, 29. Quomodo reconciliandi diaconi et presbyteri in crimine lapsi, 6, 67. Depositus sacerdos amplius non debet sacrificare, 6, 83, 224. Sauciatus sacerdos in sacerdotio ordinem non amittit, 6, 107. Spiritus sanctus non advenit invocante criminoso sacerdote, 110. Laicus sacerdos ordinari non potest, 111. Sacerdos homicida ministrare non potest, 6, 114; 10, 29, 35, 51. Ecclesias suas deserere, et vagari non debent sacerdotes, 6, 170, 172, 176, 270 Orationi vacare debent, 6, 177. Eorum habitus, 178, 283; 10, 139. Constituere debent, prope ecclesiam domicilium suum, 6, 184. Quomodo corrigendus sacerdos et purgare se debeat, 6, 225, 229, 231, 259, 309, 419. Quid faciendum sacerdoti, qui ante, vel post sacrorum ordinum susceptionem generasse confitetur, 6, 149, 400. Singulis presbyteris singulos habere clericos convenit, 6, 151. Quotannis tenentur sui rationem ministerii episcopo reddere, 6, 246. Et professionem facere, quando per parochos constituuntur, 248. Quomodo juramento purgare se debeant sacerdotes, 12, 40, 77. Licet iis contra impios mortem promulgare, 10, 74. Qui non honorat sacerdotes, puniendus est, 6, 304. Pugnare non debet sacerdos, 10, 34. Nec sanguinem fundere, 10, 45. Vel monogamus, vel virgo esse debet quis, ut in presbyterum erigatur, 8, 300.

Sacramenta.

Semper veneranda, etsi ab indignis ministrata, 2, 93. Effectus sacramentorum, 2, 97. Non debent sacra tractare sauciati, aut debiles. Item a dæmonibus exagitati, 6, 40.

Sacrificium.

Sacrificium Ecclesiæ quale, et quibus constat, 9, 2. Virtus sacrificii Ecclesiæ, 2, 11, 97. Sacrificium a sacerdote sancto, si fieri valeat, perficiendum, 2, 107.

Sacrilegium et sacrilegus.

Qui sacrilegi, 3, 140. Infractor loci sacri est sacrilegus, et ut talis puniendus, et excommunicandus, 13, 38; 14, 88, 92, 89; 16, 295, 297. Item de prædonibus ecclesiarum sentiendum, 13, 38; 14, 88, 92, 89; 16, 295, 297. Sacrilegus est violator juramenti, 12, 78. Et etiam sacræ feminæ violator, 7, 69, 57, 134. Sacrilegus etiam reputatur, qui sepulcra demolitur, 13, 49. Clericus seu monachus furtum faciens, sacrilegus est, 50. Sacrilegi sunt qui indiscrete carpunt vitam sacerdotum, 14, 20. De compositione, et destinatione sacrilegii, 3, 98.

Sæculares. Vide *Laici.*

Salus æterna. Vide *Vita æterna.*

Sancti et justi.

Non sancti illi censendi, qui in locis sanctis habitant, sed qui exercent opera sanctorum, 5, 321. Sanctorum et electorum animæ sunt in cœlo ubi gaudiis perfruuntur æternis, sicut animæ malorum tormentis sempiternis in inferno cruciantur, 17, 72. Utrum ante restitutionem corporum animæ Justorum in cœlum recipiantur, 17, 76, 84. De gloria sanctorum post mortem, 17, 118. Justis et sanctis pro maledictis injuste illatis præmium redditur, 14, 14. Sanctorum et justorum animæ conquiescunt in cœlis, impiorum autem cruciantur in tenebris, 17, 71.

Schismatici.

Schismatici qui extra Ecclesiam Catholicam finiunt vitam, in ignem æternum ibunt, 1, 38, 39. Schismatici ad communionem cogendi, 10, 92.

Scholastici.

Debent honorem tribuere ecclesiasticis, 10, 283.

Scripta Patrum. Vide *Libri.*

Scriptura sacra.

Quid continetur in ea, et quem ob finem, 1, 1. Differentia Scripturæ sacræ et scriptorum SS. Patrum, 4, 236. Quid sunt Scripturæ sanctæ, 1, 1. In ecclesia legendæ, 3, 262. Catalogus sacrorum librorum, 4, 61, 62. Quando legendi libri sacri, 63. Ad negotia sæcularia divina oracula minime sunt convertenda, 11, 29. Ad quid recurrendum cum sacræ Scripturæ deest auctoritas, 4, 70. Qui Scripturæ sanctæ contemptores excommunicandi, 4, 220. Litterarum sacrarum auctoritas, 4, 227, 233.

Scrutinium.

Ab episcopo et clero faciendum, 1, 290.

Sepultura Vide *Mortui.*

Servus. Vide *Libertum.*

Simonia.

Omnino est prohibita, 2, 84. Detestanda et exstirpanda quasi hæresis, 1, 295; 5, 92, 108. Triplicis generis Simonia, alia ab obsequio, altera manu, a lingua alia, 5, 86. Simoniacæ ordinationes falsæ sunt, 5, 81. Ordinator, et ordinatus Simoniaci excommunicandi, 5, 78, 82. Opus Simoniaci nil penitus valet, iram potius, quam Dei placationem provocat, 5, 111.

Sixtus papa.

Summo pontifici Sixto, plurimum detulit imperator Valentinianus, judiciumque suum tribuit judicare, 5, 8.

Sol.

Solem quidam reverebantur, antequam Ecclesiam apostolorum intrarent, 11, 88.

Sortilegus. Vide *Hariolus.*

Sozomenus, seu Solomenus

Ejus historia rejicitur, 4, 81.

Spectacula.

Sunt fugienda, 4, 8. Præsertim a sacerdotibus, 11, 8.

Spiritus sanctus.

Quid sit proferre verbum contra Spiritum Sanctum, 2, 104. Reus est peccato in Spiritum sanctum qui negat in Ecclesia Dei remitti peccata, 15, 41.

Sponsus, sponsa et sponsalia.

Sponsus et sponsa quomodo benedicuntur, 8, 6. Cur sponsa veletur, 8, 7. Insignia sponsarum quæ, et quid significent, 8. In sponsalibus consensus qui reperitur, 8, 20. Non ætas, 8, 20. Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissa fœdera, 8, 6. Sponsaliorum fides nullatenus violanda, 8, 46. Qualiter fieri debeant sponsalia et de conditionibus nubentium, 16, 182, 183. Non statim maritis sponsæ tradendæ, 8, 33. De iis qui sponsas recipiunt, 8, 170. De ea quam fratri desponsatam, ejus frater violavit, 9, 100. Seductor desponsatæ eam debet dotare et habere uxorem, 16, 292.

Statua. Vide *Lex.* Item *Decreta.*

Stephanus.

Presbyter fuit quidam quem tradit S. Gregor. papa fuisse a diabolo dilaceratum, 17, 64.

Subdiaconus.

Ejus officium, 2, 43, 79; 6, 9, 20. Quo ritu ordinandus, 6, 4. Non debent subdiaconi intrare sacrarium, aut contingere vasa Dominica, 3, 105. Nec ducere uxores, 6, 119, 221.

Superstitio.

Superstitiones et vanæ observationes fugiendæ, 4, 1, 24; 11, 41, 42. Superstitiosa in lanificiis observatio vitanda, 8, 330; 11, 46. Superstitiosa plurima hominum instituta, 11, 13.

Plura hac de re. Vide *in verbo* Hariolus.

Suspensio.

Suspensus potest baptizare, 15, 13. Suspenditur presbyter qui diaconum percusserit, 10, 24 Suspensionem incurrunt ecclesiastici percutientes, 10, 24. Item, 10, 21, 28, 35.

Symbolum.

Symbolum fidei, 1, 81. Octo dies ante Pascha recitandum, 1, 223. Symbolum cum oratione Dominica parochianos presbyter docere tenetur, 6, 158. Ephesinum Symbolum, 1, 3.

T

Taberna.

Ecclesiastici tabernas adire non debent, 6, 205. Caupones, nautæ, stabularii unde mercedem accipiant, 17, 171.

Taurus seu bos.

De tauro cornupeta si quem occiderit. 10, 40. De bove qui alterum bovem vulnerarit, 16, 330. Qui furatus est bovem et ovem, quinque boves pro uno, et oves quatuor pro una restituere obligatur, 351.

Telonia ac vectigalia.

Telonia a negotiatoribus exigi possunt, 16, 266. Nullus cogendus ad locum quemdam ire telonii solvendi gratia, 16, 270. Quæ telonia prohibeantur, 16, 306.

Tempus.

Curiosa temporum observatio refugienda, 4, 1. Singulis dies suos præfixit Deus, ut nec minui quamvis nec augeri, 17, 36.

Terra.

De terra tributaria, 16, 279. Et censuali, 280.

Introdusă în format electronic de Google

Testamentum et testator.

Juris ecclesiastici homines non possunt condere testamentum, 16, 111. De rebus defuncti testatoris, 16, 115 Princeps confirmare debet testamentum ejus, qui pro legitimis successoribus sibi scribit filios naturales, 16, 140. Quinam possint testamenta facere, 16, 188.

Testis et testimonium.

Manifesta causa testibus non eget, 6, 431. Qui ad testimonium non admittendi, 6, 364; 16, 181, 537. Falsi testes excommunicandi, 10, 38. Perjurus non potest esse testis, 12, 25. Sed nec infamis, 16, 208. Nec etiam excommunicatus, 16, 357. Qui sollicitaverit ad falsum proferendum testimonium, excommunicandus est, 12, 26. De diversitate testium pro personarum diversitate, 16, 131. Debet esse probabilis vitæ testis, 16, 152. Testimonium servi invalidum, 153. Inimicus testis non audiendus, 154. De teste mediatore partium, 16, 155. Non debent produci testes nisi præsentibus adversariis, 156. Qui testes sint cogendi vel non, 16, 80. Plures ex una domo testes alieno possunt negotio adhiberi, 16, 187. De juramento testium, 16, 204. Unus testimonium haudquaquam recipiendum, 16, 210. Scriptura testibus probanda, 16, 290 Contra extraneos, parentes aut propinqui testes esse non debent, 16, 361.

Theodorus Mopsuestenus.

Licet mortuus, fuit nihilominus a Rabula Edessæ episcopo anathematizatus, 14, 62.

Theodosius imperator.

A beato Ambrosio excommunicatus, 5, 378, 10, 48.

Theophania. Vide *Epiphania.*

Thesauriarius ac primicerius.

Eorum dignitas et officium, 6, 20, 29.

Timor seu metus. Item Vis.

De eo quod per vim, aut metum fit, 16, 168. Qui dolum aut metum adhibet, ut ad odium res transeat, uterque et vi et dolo actione tenebitur, 16, 205. Quisquis Deum nunc justum non timet, eum postea non potest invenire misericordem, 17, 70.

Titulus.

Non debet presbyter titulum super titulum usurpare, 5, 269.

Tonsura.

Nullus tonsurari debet, nisi in legitima ætate, et spontanea voluntate, 7, 109, 111. De illis qui ante ætatem legitimam tonsuram accipiunt vel religionem ingrediuntur, 7, 26.

Tonsura clericorum. Vide *Clericus*

Traditiones.

Observandæ ecclesiasticæ traditiones, 4, 67, 195. Minime sunt alterandæ, 4, 197. Earum contemptores excommunicandi, 198. Multa sunt ab apostolis tradita, et non scripta, 4, 209.

Treviri et Colonia.

Nullus ibi inconsulto Romano pontifice in episcopum eligi debet, 5, 357.

Trinitas.

Quid sit sanctissima Trinitas, 1, 2. Sanctissima Trinitas incarnata non est, sed Filius tantum, 1, 2, 13. Homo ad similitudinem summæ Trinitatis creatus, 17, 1.

Tutela et tutor.

Tutor pupillos bonis suis privare non debet, 6, 190. Mulier tutrix liberorum suorum, si vult secundo nubere, filiis suis debet providere tutorem, 16, 129, 157. Tutor seu curator pupillorum debet jurare, quod omnia geret quæ pupillis commoda judicaverit, 16, 135.

U

Usura.

Non licet usuram exercere, 6, 65, 195. Quid sit usura, 200. Infames sunt usurarii, 13, 19. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat, 13, 27.

V

Vasa sacra, calices, patenæ.

Vasa sacra a sacris contrectanda, 2, 70, 3, 264; Materia vasorum sacrorum, 2, 131, 3, 282. Vasa sacra non alienanda, 3, 187. Vasa sacra vetusta quomodo tractanda, 3, 266. Quondam sacerdotes aurei ligneis utebantur calicibus, nunc e contrario lignei sacerdotes aureis calicibus utuntur, 3, 282. Non licet cuilibet sacra vasa tangere, 6, 377. Non sunt in pignus danda, 16, 264.

Velamen sacrum. Vide *Monialis.*

Velum sacrum.

Velum sacrum, quod et syndon, non vendendum, 2, 65. Nec ad operiendum tumulum adhibendum, 2, 12; 3, 277.

Venatio et piscatio.

Ecclesiastici venationes et hujusmodi exercitia vitare debent, 13, 29. Nihil venatoribus et histrionibus dandum, 31. Venatores fugiendi, 13, 32. Inveniuntur aliquot sancti piscatores, nulli venatores, 13, 33.

Vendere. Vide *Emere.*

Verbum divinum. Vide *Incarnatio.*

Verbum seu sermo Dei, aut prædicatio verbi Dei.

Quomodo æstimandum et audiendum Dei verbum, 2, 106. Reus ille qui negligenter audit verbum Dei, æque ac sua permitteret negligentia corpus Christi ad terram cadere, 2, 106. Debet populus Dominicis omnibus ad prædicationem verbi divini accedere. 2, 119. Prædicatio intra missarum solemnia habenda, 120. Ecclesiæ aditus nemini interdicendus, cum populo sermo Dei annuntiatur, 3, 33. Cum prædicatur Dei verbum non est de ecclesia egrediendum, 9, 162.

Veritas et verum.

Verum loqui non sufficit nisi ex corde ita sentiatur, 12, 52. Nonnunquam prodest veritatem facere, 54. Scripturis vel testimoniis, sine juramento, veritas manifestatur, 16, 139. Meliora et vera cura semper sunt eligenda. 16, 340, Comperta veritate alterius, non discutiendum, 16, 334.

Vestes sacræ.

Vestes sacræ inveteratæ sunt comburendæ, 2, 66; 3, 266. Vestimenta ecclesiastica sacrata esse debent, 2, 71. Nec extra ecclesiam detrahenda, 2, 139; 6, 88.

Vidua.

Quæ sit vidua, 8, 297. Viduæ non velandæ, 7, 52, 55. Quando et quomodo velari possint, 60, 61. Viduæ sacratæ permanere debent in proposito, 8, 54. Ad nuptias non ire, 7, 64, 144. Ante continentiæ professionem nubere possunt, 7, 62, 818. Incontinens vidua qualiter punienda, 7, 58, 63, 65, 68, 152. Vidua in uxorem minime est furanda, 8, 149. Ad secundas nuptias convolare non debet nisi completo post mortem mariti anno, 8, 272. Debet Ecclesia adolescentulas viduas sustentare, 8, 326

Vigilius papa.

Augustam Theodoram excommunicationis vinculo ligavit, 5, 378. Origenem etiam anathemate percussit, quamvis jam defunctum, 10, 62.

Vindicta.

Non prohibenda, 10, 171. Qui vindicare potest peccata, et negligit, reus est peccati, 10, 187. Qui culpam fecit, in illo non autem in bonis ejus vindicandum est, 16, 81. Vindicta in advocatum cupidum, 16, 335.

Vinum. Vide *Ebrietas.*

Vir et uxor.

Conveniens est uxorem cum viro suo in eodem sepulcro sepeliri, 3, 223. Vir debet esse exemplum castitatis uxori, 8, 263. Quando possunt debito conjugali abstinere, 4, 47, 83, 87, 89. Propter orationem non debent se conjuges debito carnali fraudare, 8, 133. Nisi ex consensu, 8, 133. Uxorem suam potest iterum vir ad conjugium recipere, si absque ejus licentia sit velata, 8, 183. De eo qui duxit uxorem antea velatam, 6, 113. Viro sine uxoris consensu vivere continenter non licet, 8, 16, 127, 130. Nec ad monasterium transire, 8, 183. Uxor sine viri licentia separanda non est, 8, 220, 229. Propter fornicationem potest vir uxorem dimittere, 8, 43. Uxor sine causa maritum non relinquat, 8, 198. Uxor a marito suo non abstrahenda, 8, 58. Et si abstrahatur restitui debet, 8, 118. Non potest uxor continentiæ votum reddere, abnuente viro, 8, 98; 9, 127. Neque sine ejus voluntate velari debet, 121. Nulla vovenda sunt a conjugatis, nisi ex consensu, 8, 134. Vir qui uxorem suam velari permiserit, aliam ducere non potest, 8, 184. Uxor quomodo fit legitima, 8, 44 Crines tondere non debet, 7, 80. Talis sit uxori vir, qualem sibi vult esse uxorem, 8, 45. Nulli permissum duas simul habere uxores, 8, 59, 66; 5, 135. Et qui duas habuerit, posteriorem tenetur dimittere, et pœnitentiam agere, 63. De hominibus et uxoribus festivis, 8, 51. Alter conjugum repudiandus conjugalis debiti reddendi incapax, 8, 78. Ad gravidæ mulieris concubitum non debet vir accedere, 8, 88; 15, 263. Uxor viro esse subjecta debet, et vir uxori debitum subtrahere non debet, 8, 86, 85, 90, 93. Non debet interfici uxor adultera secundum legem divinam, 8, 124. Vir fidelis ab infideli muliere separari non debet, 8, 147

Virginitas et virgo.

Virginitas non est ex præcepto, 7, 120. Non corrumpitur corpus nisi anima corrumpatur, 7, 137, 11. Virginibus matrimonii usus non permittitur, 8, 72. Furari nemo debet virginem in uxorem, 8, 150. De virginitate non superbiendum, 8, 316. De pœnitentia virginum quæ virginitatem non servaverint, 8, 152.

Virgo Demetria.

Nobilis virgo hortatu S. Augustini carnis suæ integritatem Christo consecravit, 8, 138.

Virgo sacra. Vide *Monialis*

Vis. Vide *Timor.*

Visibile et invisibile.

Signacula rerum divinarum visibilia, res autem ipsæ in

Introdusă în format electronic de Google

visibiles, 2, 8. Nihil invisibile et incorporeum præter solum Deum, 17, 52. Nulla invisibilia videri, aut cognosci possunt, nisi per visibilia, 17, 96. Sunt invisibilia quæ invisibili Deo ministrant, 17, 93.

Vita æterna seu regnum cœlorum.

Qui bene vivunt Catholici vitam æternam habebunt, 1, 40. Quomodo regnum Dei obtinuerunt, 6, 160. Illi cœlorum regna consequentur, qui pro Christianorum defensione vitam suam profundunt, 10, 87.

Vita communis.

Laus vitæ communis, 3, 139; 5, 229.

Votum.

Votum ingrediendæ religionis implendum, 7, 9, 19. Votum virginitatis servandæ servandum, 29. Votum religiosi sine sui consensu superioris emissum est invalidum, 7, 32. Multa licent ante votum quæ postea non licent, 8, 73, 137. Stulta vota non observanda, 12, 61. Votum illud tenendum quod ex consensu conjuges voverint, 8, 136.

W

Waldrada. Vide *Lotharius.*

X

Xenodochium.

De administratione xenodochii pauperum, 15, 149

Vide *insuper Peregrinus.*

INDEX LOCUPLETISSIMUS

IN PANORMIAM

SECUNDUM ORDINEM CAPITULORUM ET LIBRORUM DIGESTUS.

A

Admonitio prima, ut illa, *si vis perfectus esse*, non intentat pœnam sed præmium pollicetur, cap. 5 Prologi.

Admonitio illa, *si vis perfectus esse*, perfectionem ponit in hominis voluntate, *ibidem*. — Admonitio illa, *si vis perfectus esse*, post votum fit necessaria quæ ante fuerat voluntaria, cap. 5 Prologi.

Apostolus cum dixit : *Factus sum Judæis tanquam Judæus ut Judæos lucrifacerem*, illud dixit, non affectu mentientis, sed affectu compatientis, cap. 9 Prologi.

Aquæ sanctificationem non impediunt verba erroris per imperitiam prolata, cap. 53, lib. I, et cap. 53, *ibid.*

Aquam ad aspersionem domus si quis velit accipere consecratam, in Sabbato sancto vel Pentecostes, debet accipere ante chrismatis infusionem, cap. 103, lib. I.

Aqua vino cum miscetur in calice Domini Christo populus adunatur et credentium plebs ei in quem credit copulatur et jungitur, cap. 147, lib. I.

Altaria superflua destruantur, cap 18, lib. II.—Altaria quæ per somnia aut per inanes revelationes inveniuntur, omnino reprobantur, cap. 28, lib. II.

Abbates vel monachi reprehenduntur qui sæculares homines docent, ut res suas seu possessiones in vita, sive in morte, illorum monasteriis tradant prætermissis ecclesiis a quibus baptismum et cætera sacramenta susceperunt, cap. 29, lib. II.

Altaria si non sint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur, cap. 32, lib. II. — Altaria in quibus vel sacra corpora vel reliquiæ martyrum non esse probantur, destruantur ab episcopis, cap. 34, lib. II. In altari in quo episcopus missam cantavit, ea die presbyter missam celebrare non præsumat, cap. 35, lib. II.

Angelorum nomina falsa coli non debent, sed tantum ea quæ prophetica et evangelica docet Scriptura, id est Michael, Gabriel, Raphael, cap. 89, lib. II.

Apocryphi et eorum auctores a sanctis Patribus damnati, cap. 123, lib. II.

Apocryphas scripturas legunt Manichæi, cap. 127, lib. II.

Apocrypha non ad dogmatum veritatem sunt legenda, cap. 129, lib. II. — Apocrypha non eorum sunt quorum titulis prænoteutur, *ibidem*, — In apocryphis libris Scripturis multa vitiose admista (*ibidem.*).

Aurum in luto quærere grandis esse prudentiæ, *ibidem*.

Adorare versus orientem nulla litterarum forma præstitit et tamen servat Ecclesia, cap. 139, lib. II.

Archiepiscopus ab omnibus comprovincialibus episcopis ordinetur, quia qui illis præest, ab omnibus quibus præest episcopis constitui debet, cap. 10, lib. III.

Acolythus, cum ordinatur, doceatur ab episcopo quid in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo et urceolum vacuum ad suggerendum vinum, cap. 36, lib. III.

Archidiaconorum officium quod sit, cap. 41, lib. III.

Aliud est non habere aliquid, aliud est non jure habere vel illicite usurpare, cap. 78, lib. III,

Apostolicum Petro, pari consortio, honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt, cap. 82, lib III.

In apostolorum loco surrexere, episcopi, *ibidem*.

Ab apostolis electi sunt, 70 discipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum locum constituti sunt in Ecclesia, *ibidem*.

Ad altaris ministerium nullus debet accedere nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata, cap. 89, lib. III.

Apostoli omnes habuerunt uxores, Joanne et Paulo exceptis, cap. 116, lib. III.

Aruspices, augures, ariolos, sortilegos vel magos, si quis episcopus vel clericus consuluerit, *ab honore* deponatur, et in monasterium retrudatur, cap. 169, lib. III.

Aleæ aut ebrietati deservientes episcopus, presbyter aut diaconus, vel desinant vel deponantur, cap. 170, lib. III.

Apostoli de piscatione lacus Genesareth, ad piscationem hominum transierunt, cap. 177, lib. III.

Abbas ille debet institui quem sua congregatio poposcerit et elegerit, cap. 181, lib. III.

Angustinus de seipso ait se in numero clericorum esse, cap. 180, lib. III.

Abbatissa velare præsumens virginem vel viduam, excommunicetur, cap. 194, lib. III.

Abbatissæ quæ secundum Regulam Sancti Benedicti professionem fecerunt singulariter vivant, cap. 209, lib. III.

Abbatissæ in monasteriis suis sedeant, neque foras abeant sine licentia episcopi, cap. 209, lib. III, et c. 210.

Abbatissa maximam curam habeat monialium quas foras secum ducit, cap. 210, lib. III.

Abbatissæ cura qualis esse debeat erga sanctimoniales, cap. 211, lib. III.

Antiquitati sancti Patres sanxere reverentiam, cap. 29, lib. IV.

Accusatio per scripta non suscipiatur, sed propria voce, cap. 53, lib. IV et cap. 55.

Accusator non audiatur, absente adversario. — Accusare per alium seu accusari, absens non potest, cap. 54, lib. IV.

Accusator nisi per se in criminalibus nullum accusare potest, nec accusatus in his per alium se defendere, cap. 56, lib. IV.

Accusatores cujus sint conversationis, fidei atque suspi-

Introdusă în format electronic de Google

cionis, et qua intentione accusant quærendum est judicio. — Accusatores admitti non debent nisi viri qui omni suspicione careant, et bonæ sint vitæ, cap. 57, lib. IV.

Accusari sacerdotes non possunt nisi a probatissimis viris, cap. 58, lib. IV.

Accusatores episcoporum vel sacerdotum non audiantur, nisi opinione eorum discussa, cap. 59, lib. IV.

Accusandi vel testificandi licentia denegetur apostatis, cap. 59. — Apostatæ dicuntur sponte legis suæ transgressores, cap. 59, lib. IV.

Accusare non possunt inimici, cap. 62, lib. IV. — Accusare non possunt pagani, hæretici, sive Judæi, cap. 63, lib. IV.

Accusati clerici in multis, si is qui accusat, unum ex prioribus quod objicitur, probare non valet, ad cætera objecta non admittatur, cap. 64, lib. IV.

Accusatores esse non possunt nuper inimici, cap. 65 et 67, lib. IV.

Ad accusationem infames admitti non debent, cap. 66, lib. IV.

Accusati non prius alios accusant, quam se purgent, cap. 69, lib. IV.

Accusare non possunt infames eos, qui sunt bonæ famæ, cap. 70, lib. IV

In accusatione qui non sunt recipiendi, cap. 71, lib. IV.

Anathematizati dicuntur hi, quos episcopi suis scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant, cap. 71, lib. IV.

Ad accusationem non admittitur qui in excommunicatione perseverat, cap. 72, lib. IV.

Qui accusat alium in judicio, reum indicet et inscriptionem patiatur, cap. 76, lib. IV.

Alienigena nullus accusator fiat aut judex, cap. 79, lib. IV.

Accusatores et judices non iidem sunt, cap. 80 et 81, lib. IV.

Amor carnalis et timor atque avaritia plerumque sensus hebetant humanos, et perveitunt opiniones, ut quæstum pietatem putent, et pecuniam quasi mercedem prudentiæ, cap. 85, lib. IV.

Accusare non possunt proditores, neque calumniatores. — Ad accusandum admitti non debent alieni erroris socii, et sacrorum Patrum inobedientes, cap. 87, lib. IV.

Accusationem dicere nullo modo debet clericus inferioris ordinis contra clericum superioris ordinis, cap. 90, lib. IV. — Accusatio adversus presbyterum non est recipienda nisi sub duobus aut tribus testibus, cap. 93, lib. IV. — Accusator deficiens in probatione delicti contra presbyterum excommunicetur, cap. 97, lib. IV.

Accusatus potest eligere sibi locum congruum in quo absque timore testes habere valeat, cap. 99, lib. IV.

Actio tandiu ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur, cap. 104, lib. IV.

Appellet episcopus, qui judicem suspectum habuerit, ad sedem apostolicam, cap. 120, lib. IV.

Appellanti non debet afflictio ulla aut carceris detentio adhi, cap. 121, lib. IV.

Appellatio non denegetur ei quem supplicio sententia destinavit, cap. 122, lib. IV.

Accusatus nonnisi in suo foro audiatur, cap. 123, lib. IV.

Appellent apostolicam sedem episcopi qui gravioribus pulsantur casibus, cap. 124, 125 et 126, lib. IV.

Appellare post latam sententiam infra quinque dies tenetur, cap. 127, lib. IV.

A quo appellatur, ad quem appellatum est, litteræ dimissoriæ dirigantur. — Apostoli vulgo dicuntur litteræ dimissoriæ, cap. 128, lib. IV.

Appellationes quæ non sunt recipiendæ, cap. 129, lib. IV.

Appellantem injuste, quæ pœna sequatur, cap, 130, lib. IV.

Appellare non licet a judicibus quos communis consensus elegerit, cap. 132, lib. IV.

Per appellationem cum sententia solvitur, non debet obesse ei qui non iniquo animo judicavit, cap. 135, lib. IV.

Absens nemo damnetur in causa capitali, cap. 16, lib. V.

Anathematizatus accusare non potest nec testificari, cap. 39, lib. V.

Si appellare voluerint adulteri, malefici, convicti, non audiantur, cap. 42, lib. V.

Absolutus de certo crimine, de eodem iterum accusari non potest, cap. 46, lib. V.

Anathematizatus qui est, tanquam impius separatus est a Deo. — Anathema nihil aliud significat nisi a Deo separationem, cap. 89, lib. V. — Anathema est æternæ mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine, et illi qui non poterit aliter corrigi, cap. 93, lib. V.

Anathemate nemo episcoporum quemquam sine certa et manifesta peccati causa feriat, cap. 93, lib. V.

Anathemati subjiciuntur post mortem defuncti, qui facultates suas relinquunt hæreticis, cap. 116, lib. V.

Anathematizandus non est filius pro peccato patris, cap. 136, lib. V.

Populus Dei. A populo Dei non separat materna conditio, sed propria culpa, cap. 47, lib. VI.

Quod Apostolus ait, I. Corinth, VII : « Cæteris ego dico non Dominus, » visum est mihi eum commonendo dixisse, cap. 100, lib. VI.

Inter eos qui adoptione sunt filii, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi non permittunt, cap. 123, lib. VI.

Adulter non potest adulteram ducere post mortem viri, cap. 9, lib. VII.

Per adulterium quam quis polluit, nullus ducat in conjugem, cap. 10 et 11, lib. VII.

Per adulterium quam quis polluit postea viduam, peracta tamen pœnitentia potest in conjugem ducere, cap. 12, lib. VI.

Adultera mulier si timore mortis quam in eam machinatur maritus, ad episcopum fugerit, nullo modo eam episcopus reddat, sed ad locum transmittat quem ipsa delegerit ut secura possit vivere, cap. 13, lib. VII. — Adulteram non licet alicui uxorem interficere, cap. 14, lib. VII.

Adulterium potius licet facere quam homicidium, unde ait Augustinus : Si enim facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, non faciat homicidium, cap. 17, lib. VII.

Adulteria non sunt facienda etiam voluntate filios generandi, cap. 20, lib. VII.

Adulterium secundum in pœnis obtinet locum, cap. 21, lib. VII.

Adulterium est cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu contra pactum conjugale concumbitur, cap. 22, lib. VII.

Adulterium facit spiritaliter, qui præter suam ad alteram accedit, cap. 23, lib. VII.

Adulterio purgato per pœnitentiam, potest fieri conjugum reconciliatio, cap. 37 et 38, lib. VII. — David, Cap. suam (etiam in veteri lege) quam Saul pater, alteri tradiderat, sine contaminatione recepit, cap. 38, lib. VII.

Adulteri viri gravius puniri debent quam feminæ, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere et exemplo feminas regere, cap. 36, lib. VII.

Adulterorum reconciliatio non est turpis nec difficilis, cap. 37, lib. VII.

Adam per Evam deceptus est, et non Eva per Adam quem vocavit ad culpam mulier, cap. 50, lib. VII.

Anathema qui ducit uxorem fratris in conjugium, aut novercam, aut nurum, aut consobrinam, aut de cognatione sua, vel cognatam, cap. 57, 59, 62, lib. VII.

Anathema si qui fornicatus fuerit cum matre spirituali, vel cum ea quam in baptismo suscepit, vel cum ea quam in sacro chrismate tenuit, cap. 64, lib. VII.

Affinitas non deletur in superstite etiam mortuo eo propter quem contrahitur, cap. 68, lib. VII. — Affinitas ultra septem gradus non invenitur, nec successio potest amplius prorogari, cap. 80, lib. VII.

Abortum qui procurat, antequam anima sit corpori infusa, homicida non judicatur. cap. 12, 13 et 14, lib. VIII.

Abraham non homicida solum, verum patricida Deo placuit, cap. 18, lib. VIII.

Non amatur servus vel filius qui non corripitur, cap. 22, lib. VIII.

Anathematizavit Adrianus papa in die sanctæ Paschæ, præsente Carolo imperatore, Bavarorum ducem, nisi obediret eidem imperatori et filiis ejus et Francorum genti, ut juraverat, cap. 31, lib. VIII.

Ariolos, aruspices, seu incantatores si quis observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, ille anathema sit, cap. 61, lib. VIII. — Ariolos aut magos, si quis episcopus aut clericus consuluerit, honore privetur, cap. 64, lib. VIII. — Arioli vocati sunt, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt hisque celebritatibus dæmonum accipiunt responsa, cap. 66, lib. VIII. — Augures nuncupantur, qui volatus avium et voces attendunt, aliaque rerum signa, vel observationes improvisas hominibus occurrentes ferunt. — Aruspices

Introdusă în format electronic de Google

dicuntur quasi horarum inspectores; dies enim et horas in agendis negotiis operibusque custodiunt, et quid per singula tempora observare debeat homo attendunt, cap. 68, lib. VIII. — Aruspices exta pecudum inspiciunt et de eis prædicunt, cap. 66, lib. VIII.

Auspicia sunt quæ iter facientes observant et dicuntur auspicia, quasi avium spicia, et auguria, quasi avium garria, hoc est avium voces et linguæ.—Astrologi dicti sunt, eo quod in astris augurantur, cap. 66, lib. VIII.

Auguriis vel incantationibus serviens ab Ecclesia separetur, cap. 72, lib. VIII.

In archidiaconum vel decanum nullus ordinetur, nisi diaconus vel presbyter. — Archidiaconatus vel decanatus non concedantur adolescentibus, vel infra sacros ordines positis, sed his qui pudicitia et vitæ merito clarescunt, cap. 146, lib. VIII.

B

Baptismus datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cap. 9, lib. I.

Baptismatis aqua valet apud nos, quod apud veteres fides pro parvulis, vel sacrificii virtus pro majoribus, vel circumcisio pro his qui ex Abrahæ stirpe descenderant, cap. 10, lib. I.

Baptismus tollit originale peccatum, cap. 11, lib. I. — Baptismus non valet ei qui pro se respondere potest, et si alius respondeat pro ipso, nisi ipse pro se respondeat cap. 15, lib. I.

Baptisma generale non celebretur nisi Sabbato sancto Paschæ et Pentecostes, cap. 16, lib. I, et *idem*, cap. 17 et 20, lib. I.

Baptizari Dominus voluit, non quia peccati remissione egeret, sed ut legem impleret. — Baptismi Joannis et baptismi Christi non eadem est virtus, cap. 18, lib. I.

Baptismus ex necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, et naufragii, omni tempore potest dari, cap. 19, lib. I.

Baptizare potest mater filium, mortis urgente periculo, cap. 22. — Baptizare nullus præsumat nisi sacerdos seclusa necessitate, cap. 23. lib. I. — Baptizare laicis plerumque permittitur, cap. 23 et 24, lib. I. — Baptizare mulier non præsumat, cap. 25, lib. I. — (Hoc intellige seclusa necessitate, quod declarat cap. 23, lib. I.) — Baptizare cogente periculo laicis conceditur, absente episcopo vel presbytero, cap. 26, lib. I.

Baptisma potest paganus dare nec iteratur, cap. 27. lib. I.

Baptizare potest hæreticus, nec iteratur baptisma quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti datur, cap. 28, lib. I.

Baptisma datum a Judæo in nomine Trinitatis vel in nomine Christi valet nec iteratur, cap. 29, lib. I. — Baptismus sive a malo ministro, sive a bono detur, semper est bonus, cap. 30, 31, 32, 33 et 34, lib. I.

Baptismum accepturus adultus, debet prius pœnitere veteris vitæ ut inchoet novam, cap. 35, 36, lib. I. — Baptismum suscepturi Judæi, debent prius 40 diebus abstinere, cap. 37, lib. I.

Baptizandus prius est cathechizandus instruendusque de rebus fidei, cap. 38, lib. I. — Baptizandus viginti dies ante baptismum doceatur, ita ut sciat symbolum quod est *Credo*, cap. 39, lib. I. — Baptizandus exsufflatur ut per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens malignus spiritus, cap. 41, 42, lib. I. — Baptizandus cruce signatur tam in corde quam in fronte ut diabolus cognoscens signum suæ interemptionis, sciat deinceps jam sibi alienum esse, cap. 43, lib. I. — Baptizando sal benedictum in ore datur, ut per sal typicum sapientiæ sale conditus, fetore careat iniquitatis, cap. 44, lib. I. — Baptizandi iterum exorcizantur, ut diabolus justum Dei judicium timens recedat ab homine, cap. 46, lib. I. — Baptizandi nares et aures tanguntur saliva typica sacerdotis, ut per eam et ejus tactum aperiantur illis nares ad capiendum odorem notitiæ Dei, et aures ad audiendum mandata Dei, cap. 48, lib. I. — Baptizati pectus et scapulæ unguntur, ut mens ejus confortetur et undique muniatur, cap. 50, lib. I.

Baptismi in aquam non transit malitia benedicentis, cap. 51, lib. I.

Baptismatis in fonte mysteria quæ celebrantur quid significent, cap. 53, lib. I.

Baptismi in aqua fit trina mersio tum quia baptismus datur in nomine Trinitatis, tum quia tertia die surrexit Christus, tum etiam quia triduo in sepultura mansit, cap. 57, lib. I.

Baptismi in aqua qui non ter mergit deponatur, cap. 58, lib. I. — Baptismi in aqua semel mergere licet quod est oppositum præcedentis, cap. 59, lib. I.

Baptismi in aqua et trina potest fieri mersio, quia in ea Trinitas; et una quia in ea singularitas Divinitatis designatur, et adverte quod textus iste conciliat duo præcedentes, cap. 60, lib. I.

Baptizare in nomine Patris tantum, vel in nomine Filii tantum, vel in nomine Spiritus sancti tantum non licet, cap. 62, lib. I. — Baptizati in nomine Domini, sine dubitatione, sunt baptizandi in nomine sanctæ Trinitatis, cap. 62, lib. I. — Baptizare in nomine Trinitatis, et trina immersione evangelicum præceptum admonet, cap. 62, lib. I. — Baptizatus sine invocatione Trinitatis sacramentum regenerationis non habet, cap. 63, lib. I. — Baptizatus in nomine Patris et Filii, et non in nomine Spiritus sancti, non est baptizatus, quia si quis confessus fuerit Patrem et Filium, et non Spiritum sanctum, nec Patrem habet nec Filium, cap. 63, lib. I. — Baptizati hæretici et non in nomine Trinitatis ad Ecclesiam venientes baptizentur, quia baptismus non fuit qui in errore sanctæ Trinitatis nomine positi minime perceperunt, cap. 64, lib. I. — Baptizatus *in nomine patria et filia et Spiritu sancta*, non est rebaptizandus, si is qui baptizabat, non errorem aut hæresim introducere intendebat, cap. 65, lib. I.

Baptizatus signatur a presbytero in cerebro cum sacro chrismate, ut regni Christi particeps fiat, cap. 66, lib. I. — Baptizato quid dicendum a sacerdote post baptisma, cap. 67, lib. I. — Baptizato superponitur vestis candida quæ significat innocentiam et puritatem christianam, et ob id renati albis induuntur vestibus, cap. 69 et 70, lib. I.

Baptizandi Judæi octo menses inter catechumenos Ecclesiæ limen introeant, et postea baptizentur, et non ante nisi periculum emerserit, cap. 71, lib. I. — Baptizati Judæi etiam si vi fuerint baptizati cogendi tamen sunt ut fidem, quam vi vel necessitate susceperunt, teneant, cap. 72, lib. I. — Ad baptismum Judæi ut veniant, non est vis inferenda, sed vocandi potius sunt non impellendi, cap. 72, lib. I. — Baptizati Judæorum filii vel filiæ a parentibus separentur, ne eorum erroribus involvantur, cap. 73 et 74, lib. I. — Baptizati Judæi ad vomitum redeuntes pontificali auctoritate corrigantur, et ad cultum Christiani dogmatis revocentur; si filios autem circumciderint, ab eorum consortio separentur; si autem servos, pro injuria corporis sui libertati tradantur, cap. 75, lib. I. — Baptizandus paganus interrogetur si abrenuntiet diabolo, et omnibus operibus et fallaciis ejus, cap. 75. lib. I.

Baptismum dandi jus non amittit, qui ab Ecclesia recedit, cap. 87, lib. I.

Baptizati apud hæreticos Trinitatis nomine redeuntes ad Ecclesiam, Occidens recipit per manus impositionem, Oriens vero per sancti chrismatis unctionem, cap. 88, lib. I. — Baptizati in nomine Trinitatis, si id manifesta confessione claruerit non sunt rebaptizandi, cap. 90, lib. I. — Baptizati ab his quorum fides ignoretur, si formam baptismi acceperunt, non sunt rebaptizandi, sed per manus impositionem sunt recipiendi, cap. 91, lib. I.

Baptizandi sunt parvuli a parentibus subtracti, qui an baptizati fuerint, ignoratur, cap. 92 et 93, lib. I. — Baptizandus est denuo is de quo nulla existunt indicia quod fuerit baptizatus, cap. 94, lib. I.

Baptismus parvuli valet ad salutem animæ quamvis offerentium intentio non sit illum offerre nisi ad salutem corporis recipiendam, cap. 95, lib. I.

Si baptizatus non fuerit presbyter ordinatus, baptizetur ipse et omnes quos prius baptizavit et ordinetur iterum, cap. 96 et 97, lib. I.

Pro balsamo ad conficiendum chrisma nihil accipiendum, cap. 98, lib. I.

Pro basilicis dedicandis nihil accipiendum est, cap. 98, lib. I.

In baptismo non licet veteri chrismate sed novo uti, cap. 100, lib. I.

Baptismus in aqua fieri debet et non in vino, quia sicut per aquas sordes corporis abluuntur, ita per baptismum sordes animæ, cap. 102, lib. I.

Baptismo Christi baptizatos apostolos magis credibile est quam quod fuerint baptizati baptismo Joannis, cap. 104, 105, lib. I.

Non baptizati si pro Christo moriuntur, baptizati moriuntur, cap. 106, lib. I. — Baptizatus dicitur qui martyrio pro Christo vitam finit, cap. 108, lib. I. — Baptismi vicem passio implet, ut de sancto latrone, cap. 109, lib. I. — Baptismi vicem etiam supplet secundum Cyprianum fides et conversio cordis, ubi necessitas excludit baptismum, cap. 109, lib. I.

Baptismi mysterium tunc impletur invisibiliter, cum baptismum non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. — Baptismus potest inesse, ubi confessio cordis defuerit. — Baptismo non percepto conversio cor-

Introdusă în format electronic de Google

dis potest quidem inesse, sed contempto baptismo non potest, cap. 109, lib. I.

Baptismus verus non tam constat ablutione corporis, quam fide cordis, cap. 110, lib. I.

Non baptizatur cum matre, quidquid in ejus est corpore, cap. 111, lib. I.

Baptizari non possunt pueri in maternis uteris existentes, quia cum nati non sint, renasci non possunt, cap. 112, lib. I.

Baptizatos chrismate ungere licet presbyteris, cap. 116, lib. I.

Baptismus duobus temporibus Paschæ scilicet, et Pentecostes, a jejunis celebrari debet, cap. 120, lib. I.

Baptismus iterari minime debet, cap. 121, lib. I.

Baptizati bis ignoranter non indigent pœnitentia nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas cogat, cap. 122, lib. I. — Baptizati bis non iguari, septem annos pœniteant, quarta et sexta feria, et tres quadragesimas jejunent, si pro vitio aliquo hoc fecerint similiter, si vero pro munditia putaverunt, tribus annis similiter pœniteant, cap. 122, lib. I.

Benedictus monachorum Regulam scripsit discretione præcipuam, sermone luculentam, cap. 96, lib. II.

Baptismatis fontem oleo unctionis benedicere non Scriptura nos docuit, sed tacita et mystica Patrum traditio. — Baptizatos ter mergere, oleo ungere, verbis abrenuntiare Satanæ et angelis ejus, non Scriptura nos docuit, sed mos ecclesiasticus et Patrum traditio, cap. 159, lib. II.

Bigami vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad sacerdotium non promoveantur, cap. 59, lib. III.

Benedictionis effectum tribuere Dei est, cap. 79, lib. III,

Bigamos non damno, et si dici potest nec trigamos nec octogamos, cap. 62, lib. VI. — Bigamiam ego nunc libera voce proclamo non damnari in Ecclesia, imo nec trigamiam; et ita licere 5 et 6 quomodo et secundo marito nubere, cap. 62, lib. VI.

Bigamus non peccat contrahendo, sed prærogativa exuitur sacerdotii, cap. 63, VI. — Qui iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis *ibidem*. — Clericum quemquam non debere esse qui secunda conjugia sortitus sit, Nicæna synodus statuit, cap. 63, lib. VI.

Bigamus reputatur qui ante baptismum aliam habuit uxorem, cap. 64, lib. VI. — Baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest, in conjugio non culpa, sed lex est quod culpa est, igitur in baptismo relaxatur, quod legis est in conjugio non solvitur, cap. 64, lib. VI. — Bigamus qui ante baptismum unam, et post baptismum aliam habuit uxorem, ordinandus non est, cap. 66, lib. VI.

In bigami nuptiis presbyterum prandere non convenit, cap. 67, lib. VI. — Bigami reputantur qui ante baptismum unam habuerunt et post baptismum alteram, cap. 93 et 96, lib. VI.

In baptismo crimina solvuntur, non connubia, cap. 98, lib. VI. — In baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest, cap. 64, lib. VI. — In baptismo relaxatur quod culpa est, sed quod legis est in conjugio non solvitur, cap. 64, lib. VI.

Bello non est parcendum pro defensione, tam tua quam patriæ seu paternarum legum, cap. 37, lib. VIII.

Bella gerenda suscipiuntur a bonis quando sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente eos tale aliquid jubere, vel in talibus obedire ordo juste ipse constringit, cap. 45, lib. VIII.

Belli suscipiendi auctoritas atque consilium penes principes sit, et ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, cap. 46, lib. VIII.

Bellica jussa ministerium exsequendi milites debent paci salutique communi, c. 46, lib. VIII. — Bellum quod Deo auctore gerendum est, suscipitur, recte suscipi, dubitare fas non est, *ibidem*.

Bellare vir justus recte potest sub rege sacrilego et quomodo, cap. 47, lib. VIII.

Bellum justum est, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa, cap. 51, lib. VIII.

Bella justa gerebantur ab Israelitis contra Amorrhæos, quia denegabatur illis transitus, qui illis jure humanæ societatis æquissimo patere debebat, cap. 57, lib. VIII.

Belli tempore qui homines et quæ animalia sint secura, cap. 147, lib. VIII.

C

Charitas totius boni est magistra. — Charitatem habe, et fac quod vis, cap. 3 Prologi.

Clericus post actam de crimine damnabili pœnitentiam, clericus non maneat, vel ad clericatum non accedat, cap. 8 Prolog.

Carnem secundum qui cogitat, tunc non implet quod disponit, quando personis majoribus defert, aut arte, lucris, aut apparatibus vincitur, cap. 9 Prolog.

Circumcidit Apostolus Timotheum necessitati tempore cedens, ut scandalum Judæorum ibi commorantium devitaret, cap. 9 Prolog.

Causis gravibus ubi non hujus aut illius est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis præcavendis charitas sincere subveniat, ex D. Augustino, cap. 10 Prolog.

Correctio non potest esse salubris contra multos vel contra illum qui sociam habet multitudinem, cap. 15 Prolog.

Cathari hæretici accepta manus impositione, maneant in clero, cap. 13 Prologi.

Constitutiones personales non in exemplum trahuntur, quia nec in hoc princeps vult, cap. 30 prologi.

Circumcisio tollebat originale peccatum apud veteres, cap. 10 et 11, lib. I.

Catechismos baptizandorum possunt facere sacerdotes cujuscunque Ecclesiæ, cap. 40, lib. I.

Credere nihil aliud est quam fidem habere, cap. 56, lib. I.

Consuetudo Ecclesiæ sanctæ diversa nihil officit in una fide, cap. 60, lib. I.

Chrismatis pannum linire, et super alium baptizatum mittere, non est absurdum, cap. 99, lib. I.

Chrisma a proprio episcopo petere debent presbyteri qui diœcesanas regunt Ecclesias, non per juniores, sed per seipsos aut per alios ejusdem ordinis, cap. 101, lib. I.

Catechumen defunctum, vitam habere non credimus, nisi martyrio vitam finierit, cap. 107, lib. I.

Conversio cordis ad Deum dici non potest, cum Dei sacramentum contemnitur, cap. 109, lib. I.

Confirmationis sacramentum omnes fideles debent accipere post baptismum, cap. 113, lib. I.

Confirmationis sacramentum majus est baptismo, cap. 114, lib. I. — Confirmationis sacramentum a presbyteris non episcopis perfici non potest, cap. 114, 115, lib. I. — Confirmationis sacramentum nisi a summis sacerdotibus perfici non potest; quod si aliud præsumptum fuerit, irritum habeatur, *ibidem*.

Chrismate sacro non præsumant presbyteri baptizatos infantes in frontibus signare, sed in pectore, episcopi autem in fronte, cap. 117, lib. I.

Confirmationis sacramentum traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis. — Chrismate signatur baptizatus per sacerdotem in summitate, ut significetur super ipsum Spiritus sancti descensio, ad habitationem Deo consecrandam. — Per pontificem autem signatur in fronte, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, scientiæ et virtutis in hominem venire declaretur, c. 118, I. I.

Ad confirmationem jejuni veniant. — Ante confirmationem moneantur confessionem facere qui sunt perfectæ ætatis. — Nisi confirmatione episcopali quis fuerit chrismatus, nunquam erit christianus, cap. 119, lib. I. — Confirmationem episcopi non tradunt nisi jejuni, seclusa necessitate, cap. 120, lib. I.

Confirmatio iterari non debet. — Confirmati bis vel amplius, non sæculo, sed soli vivant religiosissime sub habitu clericali vel regulari, cap. 121, lib. I.

Christi corpus post benedictionem est, quod ante benedictionem erat panis. — Christus est in sacramento Eucharistiæ.—Corpus Christi fiet remissio peccatorum manducanti illud, cap. 124, lib. I.

Christi carnem et sanguinem honoramus in specie panis et vini quam videmus. — Christi caro et sanguis est post consecrationem quod benedictio consecravit, et ante consecrationem erat panis et vinum, cap. 125, lib. I.

Corpus verum et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse post consecrationem, et non solum sacramentum panem et vinum qui in altari ponuntur. — Corpus Christi et sanguis non solum in sacramento sensualiter, sed in veritate manibus sacerdotum tractatur, frangitur et fidelium dentibus atteritur. — Confessio Berengarii et execrationis hæresis illius, cap. 126, lib. I.

Corporis et sanguinis sui substantiam invisibilis sacerdos visibiles creaturas verbo suo, secreta potestate sua, convertit dicens: hoc est corpus meum, et bibite, hic est, sanguis meus, cap. 129, lib. I.

Corpus Christi quod sub specie panis et vini nunc geritur, postulat sacerdos ut manifesta visione sicut revera est quandoque capiatur, cap. 132, libr. I. — Corpus et sanguinem Domini manducare spiritualiter et non carnaliter quomodo intelligendum sit, cap. 133, lib. I. — Corpus Christi quod in cruce pependit, quomodo accipitur et quomodo non, cap. 134, lib. I.

Introdusă în format electronic de Google

Christum manducare est in eo manere, cap. 136, lib. I. — Christum manducare est in eum credere, cap. 137, lib. I.

Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cap. 138, lib. I.

Christi corpus est sacramentum et res sacramenti, *ibidem*.

Carnem opertam forma panis in sacramento accipimus, sanguinem vero sub vini specie ac sapore potamus, cap. 138, lib. I.

Caro Christi potest intelligi dupliciter, vel spiritualis atque divina, de qua ipse ait : Caro mea vere est cibus, etc., vel illa quæ crucifixa est, cap. 139, lib. I.

Carnem Christi comedendo et sanguinem potando significamus carnem et sanguinem quæ pro nobis oblata sunt, cap. 142. lib. I.

Christi mors quæ semel facta est in memoria nostra omni anno fit quoties Pascha celebratur, et anniversaria recordatio repræsentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri tanquam videamus Dominum præsentem in cruce, cap. 143, lib. I. — Christus semel immolatus est in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento, cap. 144, lib. I.

De calice Domini negligentia sacerdotis si aliquid stillaverit, quæ sit illi pœnitentia imponenda, cap. 156, lib. I. — Calix cum patena ex auro vel argento vel stanno fieri debet, cap. 161, lib. I.

Corpus Domini nostri Jesu Christi in syndone munda linea sepultum est, cap. 162, lib. I.

Constantinus imperator sedem imperialem reliquit beato Petro ejusque successoribus, cap. 3, lib. II.

Constantinus fabricandas ecclesias et eis prædia tribuenda constituit, cap. 3, lib. II.

Canticum turpe vel luxuriosum circa ecclesias vel in atriis ecclesiæ fieri prohibetur, cap. 54, lib. II.

Concilium Nicænum, primum Constantinopolitanum, Ephesinum primum et Chalcedonense suscipit Romana Ecclesia post Veteris et Novi Testamenti Scripturas, cap. 91, lib. II. — Cirici et Julittæ matris ejus historiam Romana Ecclesia non legit, cap. 91, lib. II.

Sancta octo concilia auctoritate Romani pontificis corroborantur, cap. 103, lib. II. — Canones generalium conciliorum a temporibus Constantini imperatoris cœperunt, cap. 104, lib. II. — Inter concilia cætera quatuor constat esse venerabiles synodos quæ totam principaliter fidem complectuntur quasi quatuor evangelia. — Concilium Nicænum maximæ auctoritatis, cap. 104, lib. II.

Canones apostolorum sexaginta sunt recipiendi, cap. 105, lib. II.

Concilii Nicæni septuaginta decreta — concilii Nicæni capitula octoginta tractata sunt, quadraginta Græca lingua, et quadraginta Latine edita, sed ea redacta fuerunt Patrum consilio in septuaginta ad formam septuaginta discipulorum, cap. 106, lib. II. — Concilii Nicæni viginti tantum capitula in Romana ecclesia habentur, quo tamen neglectu defecerint; cætera ambiguum est plurimi tamen putant ea inserta fuisse concilio Antiocheno, cap. 107, lib II.

Concilium secundum generale Constantinopolitanum sub Theodosio augusto seniore, cap. 108, lib. II.

Concilium Neapolitanum secundum a Nicæno dedit symboli formam Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, cap. 108, lib. II.

Concilium Ephesinum sub Theodosio juniore celebratur contra Nestorium, cap. 109, lib. II. — In Christo una persona in duabus naturis, cap. 109, lib. II.

Chalcedonense concilium sub quo et quando celebratur, cap. 110, lib. II.

Concilium quintum universale Constantinopolitanum secundum, quando et sub quo celebratur, cap. 111, lib. II.

Concilium Aquileiæ factum ob imperitiam fidei, quintum universale suscipere diffidit, cap. 112, lib. II.

Concilium universale sextum et tertium Constantinopolitanum, sub quibus celebrantur, cap. 113, lib. II. — Concilium universale sextum suscepit Leo Junior, cap. 114. lib. II.

Canones sanctorum Patrum et synodos multas tam generales quam provinciales et nonnullorum doctorum scripta confirmat sancta synodus sexta, cap. 117, lib. II. — Concilium Sardicense omnis Ecclesia recipit, (*ibid.*). — Canonum auctoritas et decreta Romanorum pontificum præferenda sunt dictis Augustini, Hieronymi et aliorum in ecclesiasticis (*ibid.*).

Canones sacri et Romanorum pontificum decreta præferuntur sanctorum doctorum scriptis, cap. 118, lib. II. — Post canones sacros et Romanorum pontificum decreta, sanctorum doctorum dicta sunt magni facienda, *ibidem*.

In canonicis scripturis cum inveneris quod non credebas, incunctanter crede : in aliorum autem scriptis quod ante certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere, cap. 120, lib. II.

Canonum apostolorum liber apocryphus, cap. 123 et 124, lib. II. — Canonum apostolorum 50 capitula regulis orthodoxæ fidei adjungenda sancti Patres decreverunt, cap 124, lib. II. — Canonum apostolorum octoginta quinque capitula texta synodus rata, et confirmata habet, cap. 125, lib. II.

Clerici non prohibentur sæculares litteras legere omnino, cap. 133, lib. II.

Consuetudinibus diversis non est resistendum, quando eis canonica non obstat auctoritas, cap. 155 et 156, lib. II. — Consuetudo illa laudatur quæ nihil contrarium fidei usurpat, cap. 157, lib. II.

Consuetudinum ecclesiasticarum contemptores coercendi sunt sicut et prævaricatores legum divinarum, cap. 158, lib. II.

Si consuetudines Ecclesiæ non per scripturas a Patribus traditas nihil æstimaverimus, multum religio detrimenti latura est, cap. 159, lib. II. — Crucis salutiferæ signaculo fideles insigniri nulla scriptura docuit sicuti et pleraque alia, quæ per manus tradita servamus (*ibidem*).

Consuetudo est jus quoddam moribus *institutum quod* pro lege suscipitur cum deficit lex : nec differt utrum ratione an scriptura consistat, cap. 161, lib. II. — Consuetudo præcedens, et ratio quæ illam suasit tenenda est, cap. 162, lib. II.

Consuetudinem contra longam, si quid fiat, ad consuetudinem suam revocabit præses, cap. 162, lib. II.

Consuetudo quamvis longæva, non debet vincere rationem aut legem, cap. 164, lib. II. — Consuetudo mala non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, *ibid.* — Consuetudo mala nisi celerrime evellatur, pro lege veneratur, et in privilegium assumitur, *ibid.* — Consuetudo cedat veritati, cap. 165, lib. II. — Consuetudinem nemo rationi et veritati præponat, *ibidem.* — Consuetudinem ratio et veritas semper excludit, *ibid.* — Consuetudo veritati est postponenda, cap. 166, lib. II.

Clerici Sortem Domini vocati, cap. 174, lib. II. — Clericorum vita discreta esse debet a laicorum conversatione sicuti in aliis, ita etiam in jejunio, (*ibidem*).

Claudus medicorum incisione factus ad sacros ordines promoveri non denegatur, cap. 46, lib. III.

Ad clericatus ordinem suscipi possunt, qui nullo retento obsequio a patrono sunt manumissi, cap. 46, lib. III.

Ad clericatus ordinem nullus præsumat promoveri qui illiteratus fuerit aut aliqua corporis parte vitiatus, hoc intellige si se abscidit non alius ut docent, cap. 43, 44, 47, lib. III.

A clero non excluduntur qui a medicis vel a barbaris, vel a dominis suis castrantur, cap. 56, lib. III. — Ad clerum non admittatur qui se castraverit aut abciderit, ut sibi carnales concupiscentias amputet : quod si ante promotus fuerat ad clerum prohibitus a suo ministerio deponatur, cap. 56, lib. III.

In clericatus honorem non admittantur transmarini vel incogniti homines, nisi quinque episcoporum chirographis sint designati, cap. 63, lib. III.

Clericum judicare vel ordinare de aliena ecclesia nullus præsumat. — Clericus abjectus a sua ecclesia, ab altera non suscipiatur, cap. 64, lib. III. — Clericus non ministret in alia ecclesia non sua sine litteris commendatitiis, cap. 65, lib. III. — Clericus vel laicus sine litteris commendatitiis in aliena non suscipiatur ecclesia, aliter vero et qui susceperit et qui susceptus est, communione privetur, cap. 65 et 66, lib. III. — Clerici fugitivi et peregrini a nullo recipiantur nec ordinentur sine commendatitiis litteris, cap. 66, lib. III. — Clericis vel monachis sine litteris commendatitiis licentia non pateat evagandi, cap. 67, lib. III. — Clericus non transeat de ecclesia ad ecclesiam nisi utilitas Ecclesiæ hoc poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto, et in præsentia synodi, cap. 70, lib. III. — Clerici vel sacerdotes inferioris gradus concessione episcoporum suorum possunt ad alias ecclesias transmigrare, cap. 70, lib. III — Clericum in duabus simul conscribi ecclesiis non licet, sed in qua ab initio ordinatus est, ministret, nec ad aliam confugiat, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem, cap. 73, lib. III.

Caiphas interfector Salvatoris nostri. cap. 79, lib. III.

Clero nulli licet subintroductam mulierem habere nisi forte matrem aut sororem, aut amitam, aut etiam idoneas personas, cap. 112, lib. III.

Non consecrationes emi qui ait, sed res ipsas quæ ex

Introdusă în format electronic de Google

consecratione proveniunt, penitus desipere probatur, cap. 123, lib. III.

In clericatus honorem vel exiguum nullus ex hæreticis veniens subrogetur, cap. 130, lib. III.

Consecratio nullo modo dici potest quæ ab excommunicatis est facta, cap. 133, lib. III.

De castitate clericorum institutio per divum Leonem facta, citatur, cap. 135, lib. III.

Clericus convictus adulterasse vel confessus, toto vitæ suæ tempore in monasterio retrudatur, ab officio suo depositus, cap. 143 et 144, lib. III.

In conciliorum gestis quotiescunque discors sententia invenitur, illius concilii magis teneatur sententia, cujus antiquior aut potior existat auctoritas, cap. 149, lib. III.

Clericus casu homicidium perpetrans ex dispensatione potest in suo ordine permanere, cap. 154, lib. III. — Clericus usuras accipiens degradetur, cap. 156, lib. III. — Clericus non accipiat plusquam accommodaverit, cap. 158, lib. III. — Clericorum nullus amplius recipiat quam accommodaverit ; si pecuniam, pecuniam ; si speciem, speciem (*ibidem*).

Clericus qui mutuo dedit pecuniam potest pro ea species accipere justo tamen pretio, cap. 159, lib. III.

Clerici non incedant armati, nec sumant arma militaria; quod si fecerint, sui gradus amissione multentur, cap. 168, lib. III.

Clericis curriles et joculatores verbis turpibus, detrahendi sunt ab officio, cap. 172, lib. III. — Clericus proditionibus et adulationibus vacans degradetur ab officio, cap. 173, lib. III.

Christianum quem senseris tibi semper aut crebro de nummis loquentem (excepta eleemosyna quæ indifferenter omnibus patet) institorem potius habeto quam monachum, cap. 175, lib. III.

Constantini imperatoris donatio beato Sylvestro et ejus successoribus facta, et privilegia concessa, cap. 1, lib. IV.

Concilia episcopalia bina per annos singulos habeantur, cap. 13, lib. IV.

Concilii congregandi auctoritas apostolicæ sedi privata commissa est potestate. — Concilium generale nullum ratum esse legimus, quod ejus auctoritate non fuerit congregatum vel fultum, cap. 14, lib. IV.

Concilia episcoporum bis in anno per singulas provincias celebrentur, alterum post tertiam septimanam festi paschalis, alterum vero Idibus Octobris, cap. 15 et 16, lib. IV.

In concilio conservato metropolitani primatu, cæteri episcopi sedeant secundum suæ ordinationis tempus, cap. 20, lib IV. — Concilio congregato nulla causa suggeratur, priusquam ea quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, et ad animæ remedium pertinent, finiantur, cap. 21, lib. IV.

Clericus vel diaconus, vel presbyter ante judicem sæcularem nullam causam dicat, cap. 30, lib. IV. — Curia quasi a cruore dicitur, *ibidem*. — Clericus accusans clericum in curia sæculari anathema suscipiat, *ibid.* et cap. 31. — Clericus ad sæculare judicium nullus est pertrahendus, cap. 32, lib. IV.

Causa omnis intra provinciam audiatur, et a provincialibus terminetur, cap. 33, lib. IV.

Clerici nec in accusatione laicorum, nec laici in accusatione clericorum sunt suscipiendi, cap. 61, lib. IV.

Convitium quod quis iratus dixit, non est pro accusatione habendum, cap. 74, lib. IV.

Causa ibi semper agatur, ubi crimen committitur, cap. 75, lib. IV.

Clericus non examinetur in publico nisi in ecclesia, cap. 89, lib. IV. — Clerici testimonium adversus laicum nemo suscipiat, nec laicus audeat inferre crimen clerico, *ibidem*.

Cavillatio astuta eorum qui versutis credunt agendum consiliis, nunquam innocentiæ nomen accepit, cap. 105, lib. IV.

Ad causam qui die statuta venire non potuit, non est a communione suspendendus, cap. 106, lib. IV.

Condemnetur nemo ante verum et justum judicium, cap. 112, lib. IV.

In contumacem quotiescunque fuerit judicatum, negotia non possunt retractari per appellationem, cap. 43, lib. V. — Contra contumacem vere sententia lata vel etiam ficte, valida est, *ibidem*.

Contumaces condemnati appellare non possunt, cap. 46, lib. V.

In commodatis rebus non venit fortuitus casus, nisi culpa intervenerit, cap. 67, lib. V. — Commodata res debet restitui, si is cui commodata est, eam ad pugnam vel ubi periculum vitæ incurritur, induxerit, cap. 68, lib. V.

Contractus factus tantum gratia tradentis, perit ejus periculo, cap. 69, lib. V.

Per confessionem foras egredere, qui apud te per conscientiam interius lates, cap. 81, lib. V. — Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator, venientem vero ita solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubescit confiteri quod fecit, *ibidem*.

Consecratum Deo, quidquid illud fuerit, ad jus pertinet sacerdotis, cap. 113, lib. V. — Consecratum Deo semel quidquid illud fuerit, sanctum sanctorum erit Domino, et ad jus pertinet sacerdotum, cap. 113, lib. V. — Consecratum Deo qui vastat aut eripit, sacrilegus est, *ibidem*.

Communio non est deneganda his qui in patibulis suspenduntur, cap. 122, lib. V.

Adversus contumacem quomodo procedendum, cap. 124, lib. V.

Conjugium nullum fiat sine dote, et dos fiat juxta possibilitatem, cap. 6, lib. VI.

Conjuges appellantur a prima desponsationis fide, quatenus inter eos ignoretur conjugalis concubitus, cap. 15, lib. VI.

Conjugium fidele fuit inter beatissimam Mariam dominam nostram et divum Joseph, quamvis non fuerat, nec futura erat carnis ulla commistio ; cap. 16, lib. VI.

Conjugium dicitur si quis despousata sibi et tradita utatur, cap. 17, lib. VI.

Conjuges cessare debent a copula carnali diebus festis, et processionis, et tempore conceptus et partus, cap. 21, lib. VI.

Conjugati debent sibi fidem, et etiam servitutem infirmitatis invicem accipiendæ ad illicitos concubitus evitandos, cap. 26, lib. VI. — Conjugale debitum reddere nullius est criminis : exigere autem, ultra generandi necessitatem, est culpæ venialis, cap. 26, lib. VI.

Conjuges sunt qui causa solius incontinentiæ copulantur, cap. 27, lib. VI.

Concupiscentia carnis pudenda quæ excidit ex peccato, cap. 30, lib. VI.

Conjugium legitimum non fit nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, cap. 31, lib. VI. — Clandestina conjugia fieri non debent, *ibidem*. — Connubia cum solemnitate facta legitima esse : aliter vero præsumpta, non conjugia, sed adulteria vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius quam legitima connubia esse non dubitatur, *ibidem*.

Conjugia legitima tria sunt, cap. 33, lib. VI. — Conjugium quartum legitimum est præter tria illa legitima dum, mortua uxore, aliam accipit non repudiatam nec desponsatam viro, cap. 34, lib. VI.

Conjugio contrahendo, quæ solemnitates sint servandæ cap. 36, lib. VI.

Concubinas habere nunquam licuit, et nunquam licebit, cap. 13, lib. VI. — Concubinam qui habet spe habendi aliam uxorem ipso animo adulter est, cap. 44, 45 et 46, lib. VI. — Concubinam nemo intelligitur habere qui cum multis mulieribus concumbere solet, cap. 46, lib. VI. — Concubinam pro uxore habens, a communione non repellatur, cap. 49, lib. VI.

Concubina vocatur uxor non solemniter ducta, ut ait : Glo. in capit. Christiano. dist. 34. — Concubinam qui habet abjiciat et non communicet donec ad pœnitentiam vertatur, cap. 49, lib. VI.

Conjugale vinculum non rumpitur propter perpetuam continentiam consensu utriusque conjugis servandam, cap. 75, lib. VI.

Conjugum alter non potest perpetuam continentiam vovere, nisi uterque id fecerit, cap. 77, lib. VI.

Conjugia solvi non debent religionis causa, cap. 78, lib. VI. — Conjugium dividi non licet, si continentiam, quam vir appetit, mulier recuset, *ibidem*, cap. 78, lib. VI.

Conjugem nec continentiæ causa dimitti voluit, qui solam fornicationis causam excepit, cap 79, lib. VI.

Conjuges inter vos tanto sanctius manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis, cap. 80, lib. VI.

Conjugii copulatione viri atque mulieris postquam unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo remanere, cap. 84, lib. VI.

Ad continentiam Deo vovendam non debet extorqueri vi aut minis uxoris consensus. — Conjugatus si quis vult converti, ad monasterium non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus, cap. 85, lib. VI.

Conjugium contractum non separat dolosa conditio, cap. 99, lib. VI.

Conjuges fideles quod permissa licentia non utantur in

Introdusă în format electronic de Google

relinquendis infidelibus potest esse multorum occasio lucrandorum. — Conjuges infideles dimittere non expedit. —Conjuges sunt etiam infideles, et fideli licet dimittere infidelem, cap. 100, lib. VI. —A conjugibus infidelibus recedere licet, sed non expedit, cap. 101, lib. VI.

Conjugio nunquam copuletur, qui rem habuerit cum filiastra aut nepti, etc., cap. 121, lib. VI.

Conjugium non est ubi non est consensus utriusque, etiam si pater et mater hoc fecerint et voluerint. —Commatrem suam nullus Christianus in conjugio suscipere debet, cap. 127, lib. VI.

Cum a consanguinitate propria præcipimur abstinere, multo magis a spirituali patris nostri filia omni occasione aut argumento sepositio sub nimia distractione nos cavere convenit, cap. 126, lib. VI. — Commatrem spiritualem si quis in conjugem duxerit, anathema sit, cap. 129, lib. VI.

Conjugum innumerabiles molestiæ, si quæ exstiterint, jubet Dominus pro fide conjugii, pro castitate fortiter sustineri, cap. 4, lib. VII.

Conjugii vinculum fornicatione non potest dissolvi, interveniente enim divortio non abolitur confœderatio nuptialis. — Connubium transire a viro vivo, nec tunc licet, nec unquam licebit, cap. 6, lib. VII.

Conjugia interdicuntur, his qui suas interficiunt uxores, cap. 15, lib. VII.

Carolus Magnus priorem repudiavit uxorem, et secundam duxit ex qua tres filios suscepit et tres filias, cap. 25, lib. VII.

Confessio vi extorta in judicio admitti non debet, cap. 25, lib. VII.

Ne consanguineæ ducantur uxores, constitutum est, ut numerosius se porrigat charitas. — Copulatio maris et feminæ quantum pertinet ad genus humanum, seminarium est civitatis, cap. 52, lib. VII.

Cujus filiam uxorem ducere non licet, ejus nec neptem permittitur. —Conjugium inter quas personas fieri non liceat, cap. 53, lib. VII.

Conjuges fieri non possunt filius tuus et filia sororis tuæ, hic autem gradus tertius est qui etiam civili jure a consortio conjugii videtur exceptus, cap. 54, lib. VII. — In conjugio non copulentur duorum fratrum, vel sororum filius vel filia, sed omnino cognoscitur ex hoc conjugio non posse sobolem subcrescere.—Conjugia fieri in quarta generatione permittitur, cap. 56-71, lib. VII.

Commatres duas in uxores alicui habere non licet, cap. 63, lib. VII.

Consanguinitas quæ in proprio viro observata est, hæc eadem in uxoris parentela servetur, cap. 69, lib. VII.

Conjugio nullus copuletur in quarta vel in quinta generatione, cap. 70, lib VII. — Conjugio copulentur licenter fideles in quarta vel in quinta generatione, cap. 71, lib. VII. — Conjugio copulari quarta vel quinta generatione divus Gregorius Anglis concessit, quousque in fide firmarentur, et non in posterum, cap. 72, lib. VII. — Consanguinitas ideo usque ad sextum gradum servatur, ut sicut sex ætatibus mundi generatio et omnis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur, cap. 73 et 75, lib VII. — Consanguinitatis usque ad septimam generationem abstinere deberi in conjugio legitimo putat divus Isidorus, cap. 74, lib. VII. — Consanguinitatis septem gradus debent numerari a filio et filia, et deinceps ut ait D. Isidorus, cap. 75, lib. VII.

Ad conjugalem copulam intra septimam generationem nullus accedat, quod si fecerint separentur, cap. 76, 77, 78, 79, 81, lib. VII. — Conjugem ducere sicut non licet Christiano de suo sanguine usque ad septimam generationem, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ conjugem ducere propter carnis unitatem, cap. 79, lib. VII.

Consanguineos nullus computet nisi propinqui et consanguinei, in eorum tamen defectu computent antiquiores et veraciores quibus propinquitas nota sit, cap. 84, lib. VII.

Quæ contraria sunt veritati, Christiani persequi debent, cap. 15, lib. VIII.

Crimina quæ quis potest emendare non corrigit, ipse committit, cap. 20, lib. VIII.

Crimina pro Deo punire non est crudelitas, sed pietas, cap. 21, lib. VIII.

Charitas proficit ad emendandum, ad corrigendum : si sunt boni mores delectent; si sunt mali, emendentur, cap. 22, lib. VIII.

Catholici adversus hæreticos defensionem possunt postulare a potestatibus ordinatis, cap. 26, lib. VIII.

Contra sanctæ fidei inimicos et adversarios omnium religionum viriliter agere studeat exercitus Christianorum et Christiani milites, cap. 30, lib. VIII.

Carolus rex bellum contra Longobardos suscepit hortatu Adriani papæ, cap. 32, lib. VIII.

Crudelis non est qui crudeles jugulat, sed quia crudelis patientibus esse videtur, cap. 49, lib. VIII.

Quod Cæsar præcipit, ferendum est : quod imperat tolerandum est, sed fit intolerabile dum prædam exactores accumulant, cap. 60, lib. VIII.

Clericos vel sacris officiis deditos, non oportet magos aut incantatores existere, aut philacteria facere quæ animarum suarum vincula comprobantur, cap. 63, lib. VIII.

Quisquis credit aliquid posse fieri aut aliquam creaturam in melius aut in deterius immutari aut transformari, aut in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecerat, et per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est et pagano deterior, cap. 73, lib. VIII.

D

Disciplina ecclesiastica hoc præcipue curat, ut destruat quidquid adversus Christi scientiam sese erigit vel construit, quod ad ædificationem fidei et morum honestatem pertinet, vel pœnitentiæ remediis emundet illam contaminantem, cap. 2 prologi.

Doctores Ecclesiæ medici spirituales, nec a se nec inter se dissentiunt : cum illicita prohibent, necessaria jubent, summa suadent, venialia indulgent, cap. 5 prolog.

Dispensatio nulla est admittenda *in his in quibus* observatis salus acquiritur, vel in quibus *neglectis mors* indubitata consequitur, cap. 9 prolog. —Dispensatio deliberata auctoritate præsidentium, potest præcedere rigoris disciplinam, *ibidem*.

Dubiis in rebus, seu in his quæ obscura sunt, id sequi debemus, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum, cap. 10 prolog.

Disciplinæ severitas non dormiat contra crimen notum, cap. 12 prolog.

Dispensatione quadam tolerantur quædam quæ rigor canonum condemnat, cap. 21 et 22 prolog. — Dispensatione quadam tolerantur quædam, ne cunctorum dispendium patiamur, cap. 23 prolog.

Dispenset qui potestatem habet, ubi necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, cap. 29 prolog.

Dispensationes salubri deliberatione admissæ cessante necessitate debent et ipsæ cessare, cap. 29, prolog.

Divinitas non separata aut divisa in natura, ut Arius blasphemat, cap. 1, lib. I.

Deus est sine qualitate bonum : sine quantitate magnum ; sine indigentia creator; sine situ præsens ; sine habitu continens omnia, sine loco ubique totum; sine tempore sempiternum; sine ulla sui commutatione mutabilia faciens, nihilque patiens. —Deus est sine dubitatione substantia, vel si melius appellatur hoc essentia *quam* Græci Usiam vocant, cap. 7, lib. I.

Dedicationes ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos sunt solemniter celebrandæ, cap. 10, lib. II. — Dedicatio ecclesiæ est iteranda cum de ejus consecratione dubitatur, cap. 11, lib. II. — Dicata Deo loca, perpetuo sic maneant, nec ultra fiant sæcularia habitacula, cap. 13, lib. II.

In divinis officiis celebrandis, comprovinciales eum ordinem servent, quem metropolitani tenent, cap. 32, lib. II.

Decimæ quas Deus dare constituit, Deo dentur, cap. 57, lib. II.

Decimas dare nolentes excommunicentur, cap. 58, lib. II.

Decimas non persolvant episcopi et abbates de propriis prædiis, cap. 59, lib. II.

Decimas ferant familiæ ad eas ecclesias ubi infantes earum baptizantur, et per totum annum missas audiunt, cap. 59, lib. II.

Decimæ Deo et sacerdotibus dandæ, caput 60, lib. II.

Decimæ ex debito requiruntur, *ibid.*

Decimam da mihi, reservo tibi novem si non dederis mihi decimam, auferam tibi novem, *ibid.*

Decimam si dederis mihi, multiplicabo tibi novem, *ibid.*

Decimæ ideo Deo dandæ sunt ut hac devotione Deus placatus largius præstet, quæ necessaria sunt, *ibid.*

Decimis tres partes fiant, tertia pars episcopis, duæ clericis dentur, cap. 61, lib. II.

Decimæ non sunt a populo redimendæ, cap. 62, lib. II.

Dionysius Areopagita multa ad utilitatem Ecclesiæ pertinentia reliquit volumina, cap. 95, lib. II.

Introdusă în format electronic de Google

Daniel et Moyses Ægyptiorum et Chaldæorum sunt litteris eruditi, cap. 153, lib. II.

Dominico die omni veneratione et observatione est ab omni opere illicito abstinendum, cap. 170, lib. II — Dominico die nec mercari, nec judicare, nec litigare, nec jurare licet, *ibid.* et cap. 171, lib. II. — Dominica in die tria opera facere licet, cap. 172, lib. II. — Dominicis in diebus vel festivis a vespera in vesperam non sunt genua flectenda, sed orare debemus stantes et incurvati, cap. 73, lib. II.

Contra decreta Romanorum pontificum non licet episcopo aliquid agere, cap. 3, lib. III.

In dominica die est gestum quidquid a Domino insignius est constitutum : in hoc mundus sumpsit exordium, in hoc mors interitum, et vita accepit principium, cap. 13, lib. III.

Diaconi et presbyteri professionem episcopo suo faciant, ut caste et pie vivant, cap. 22, lib. III.

Diaconi ante viginti quinque annos ætatis non ordinentur etiam si valde sint digni, cap. 30, lib. III.

Diaconi viginti quinque annorum ordinentur, ita ut secundum apostolicum præceptum probentur primum, cap. 31 et 32, lib. III.

Diaconus cum ordinatur, solus episcopus manum super caput illius ponat, cap. 34, lib. III.

Diaconibus Novum Testamentum prædicare præceptum est, sicut lectoribus Vetus, cap. 41, lib. III.

Digitum seu digiti partem qui abscindit volens ad clerum canones non admittunt; si tamen casu hoc accidat, admittatur, cap. 43 et 44, lib. III.

Diaconi et subdiaconi tempore ordinationis suæ non cogantur profiteri, quod abstinere debent a legalis uxoris familiaritate, cap. 86, lib. III.

Diaconi si protestati sunt in ordinatione sua se velle conjugio copulari, si post modum uxorem duxerint, in ministerio maneant, alius non, cap. 87, lib. III, et cap. 97, lib. III.

Diaconi uxores habentes, si casti sint, non prohibentur in ministerio constitui, cap. 88, lib. III.

Diaconus aut presbyter, si cum uxore sua incontinens inveniatur, removeatur ab officio, cap. 98, lib. III.

Post diaconatum qui uxoribus vacare volunt, officio et beneficio ecclesiæ careant, cap. 101, lib. III.

Dei dona ementes et vendentes damnantur, cap. 119, lib. III.

Delicta quem conspicis fletu delere, non dubites in conspectu divinitatis misericordiam consequi, quia nullum peccantem reversum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit, cap. 147, lib III.

Dioscorus non est damnatus propter fidem, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni, ait Anatolius Constantinopolitanus præsul, cap. 7, lib. IV.

Dubitatione suborta de ecclesiastico jure, prius ad metropolitanum, deinde ad primatum accurrendum est, cap. 22, lib. IV.

Doctores qui et patres vocantur, magis portandi quam reprehendendi sunt, nisi in recta fide erraverint, cap. 38, lib. IV.

Doctor vel pastor Ecclesiæ, si a fide exorbitaverit, erit a fidelibus corrigendus; sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus, cap. 40 et 41, lib. IV.

Dubia res non definiatur, quousque demonstretur, cap. 113, lib. IV.

Damnatorum capitali crimine bona cognatorum sunt, non præsidis, cap. 55, lib. V.

Donata res per legitimas scripturas, licet duobus donata fuerit, ejus tamen est, qui rem tradente donatore possederit, cap. 66, lib. V.

Pro damno quantum et quando quis teneatur, cap. 72, et quatuor sequentibus, lib. V.

Delinquitur tripliciter, ex necessitate aut ex ignorantia, aut ex studio; istud quod posterius duobus prioribus esse puniendum, cap. 106, lib. V.

Desponsata viro conjugis nomen accepit. — Defloratio virginitatis non facit conjugium, sed pactio conjugalis, cap. 14, lib. VI.

Desponsata puella et rapta priori reddatur, etiam si vis illata fuerit a raptore, cap. 19, lib. VI.

Deus non exigit si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum, cap. 81, lib. VI.

Dominus cum se tributum solvere non debere monstrasset, solvit tamen ne scandalizaret eos quibus ad æternam salutem morem gerens consulebat, cap. 100, lib. VI.

A Deo qui aberrant etiamsi vixerint sobrie, primum obtinent locum in pœnis, cap. 21, lib. VII.

Diligit homo proximum suum tanquam seipsum, si quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione adducat ad colendum Deum, cap. 16, lib. VIII.

Diligitur proximus, qui non est permittendus suæ malæ voluntati, sed potius, ubi potestas datur, a malo est prohibendus, et cogendus ad bonum, cap. 77, lib. VIII.

Qui pro defensione christianorum moritur, cœleste regnum consequitur, cap. 30, lib. VIII.

Debilitare latronis et piratæ membra prodest illis ut debilitatis membris quibus prius non bene utebantur, a malo opere cessent, cap. 50, lib. VIII.

Divinationes qui expetunt, vel qui aliquid arte magica, ab hujusmodi hominibus quærunt, quinquennii pœnitentiæ subjaceant, cap. 62, lib. VIII. — Divinationis multiplex est genus, cap. 66, lib. VIII. — Divinationis genus a Persis fertur allatum, *ibidem.* — Divinationis quatuor dicunt esse genera, terram, aquam, aerem, ignem; hinc, geomantiam hydromantiam, pyromantiam, aeromantiam autumant. — Divini dicti sunt quasi Deo pleni; divinitate enim plenos se esse simulant, astutia quadam et fraudulentia hominibus futura conjectant, *ibid.* — Divinationis genera sunt ars et furor, *ibid.*

Diabolus semper sub velamine latens, prodit se dum ea confingit quæ hæreant personis, per quas fallere nititur, cap. 67, lib. VIII.

Dæmones propter aerii corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quarumlibet rerum ut hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincant, cap. 68, lib. VIII. — Dæmones quantum ad aereum corpus attinet, præditi hoc est acumine sensus, et celeritate motus, multo ante cognita prænuntiant, vel nuntiant quæ homines pro sensus terreni tarditate mirantur, cap. 68, lib. VIII. — Dæmonibus accedit per tam longum tempus quo eorum vita protenditur rerum longe major experientia quam potest hominibus propter brevitatem vitæ provenire, *ibid.* — Dæmones non solum multa futura prædicant, verum multa mira faciunt per has efficacias quas aerei corporis natura sortita est, *ibid.*

Divinationis scientiam, auguria aut sortes, qui profitentur, consulunt, vel docent, ab Ecclesia habeantur extranei, cap. 69, lib. VIII.

Divina oracula non sunt ad sæcularia negotia convertenda, cap. 74, lib. VIII.

Dies observare, et menses aut annos ita ut certis diebus seu mensibus, vel nolint inchoare, grave peccatum est, cap. 80, 81, lib. VIII.

Deus bonus omne indulget, si quis ex toto corde pœniteat, cap. 100, lib. VIII.

Diaconi qui uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio ecclesiastico et beneficio careant, cap. 142, lib. VIII.

Decimas possideri a laicis auctoritate apostolica prohibemus. — Decimas qui habuerint laici sive ab episcopis sive a regibus, nisi eas Ecclesiæ reddiderint, sacrilegii crimine et periculum æternæ damnationis incurrant, cap. 145, lib. VIII.

E

Episcoporum translationes districtæ apostolicis sanctionibus prohibitæ quondam fuere, postea majori Ecclesiæ utilitati permissæ, cap. 26 prolog. — Episcoporum translationes multæ factæ sunt ex aliis civitatibus ad alias propter necessitatem et temporum utilitatem, quod multis exemplis probatur, cap. 28 prolog.

Episcopos multos sua sede privatos et postea restitutos, multorum exemplis probatur, cap. 29, prologi.

Ecclesia sancta et catholica est, quia credit recte in Deum. cap. 55, lib. I.

Episcoporum translationes fieri non licet, cap. 83, lib. I.

Ecclesiæ de quarum consecratione hæsitatur, sine trepidatione possunt consecrari, cap. 93, lib. I.

Episcopi de suis facultatibus balsamum emant, cap. 98, lib. I.

Eucharistiam sacram presbyter semper debet habere paratam pro infirmis. — Eucharistia quondam parvulis dabatur, cap. 148, lib. I.

Ex Eucharistia sacra quod remanserit, in crastinum non servetur, cap. 149, lib. I. — Eucharistiam quotidie sumere nec laudat nec vituperat Augustinus, cap. 150, lib. I. — Eucharistiam dominicis diebus accipere hortatur Augustinus, modo mens in affectu peccandi non sit, quod si in eo affectu sit quis, gravatur magis quam purificatur, *ibidem.* — Ad Eucharistiam accedens quomodo possit intrepidus et securus, *ibidem*, cap. 150, lib. I. — Eucharistiam quivis fidelium in anno nisi crimine fuerit detentus accipiat in Paschate, Pentecoste et Natali Domini, cap. 151, 152, lib. I. — Eucharistiam accepturus antequam accipiat, a propria uxore abstineat tres aut quatuor aut octo dies, cap. 152, lib. I.

Eucharistia non est communicanda histrionibus et magis in vitio perseverantibus, cap. 153, lib. I. — Eucharı

Introdusă în format electronic de Google

stia non tradatur laico vel feminæ ad ferendum infirmis, cap. 154, lib. I.

Eucharistiam presbyter per semetipsum infirmis tradat, si aliter fecerit gradus sui periculo subjacebit, cap. 154, lib. I. — Eucharistiam si quis per ebrietatem vel voracitatem vomuerit, si laicus, si clericus, vel monachus, vel diaconus, totidem, si presbyter septuaginta dies, si episcopum nonaginta; si pro infirmitatis causa, septem dies pœniteant, cap. 155, lib. I. — Eucharistiam si mus vel aliud animal comederit, sacerdos quadraginta dies pœniteat; et triginta dies si illam perdiderit, aut pars ejus ceciderit et non inventa fuerit, cap. 157, lib. I.

Ecclesia Græca vox quæ in Latinum, sonat, convocatio, et quare catholica dicatur, cap 1, lib. II.

Ecclesiæ unde fabricarentur, reges et præsides dederunt, unde alerentur pauperes, cap. 2, lib. II.

Ecclesiæ Constantinus imperator ingentia dona contulit, cap. 3, lib. II.

Ecclesiæ rebus quas contulerunt conditores basilicarum, nullam ipsi potestatem habent, sed episcopi, cap. 4, lib. II.

Ecclesiæ donata, aut testamento relicta qui retinere præsumpserint, excommunicentur, et ut necatores pauperum habeantur, cap. 5, lib. II.

Ecclesia nova non dedicetur sine episcopi designatione et sine dote, cap. 6, lib. II.

De ecclesiæ oblationibus et redditibus, quatuor fiant portiones, una pontificis, alia clericorum, tertia pauperum, quarta fabricæ, cap. 7, 8 et 9, lib. II.

Ecclesia et dos illius sub episcopi potestate consistunt, cap. 12, lib. II.

Ecclesiarum consecrationes absque missa fieri non debent, cap. 13, lib. II.

Ecclesia semel Deo consecrata, quando est iterum consecranda, quando non, cap. 14, lib. II.

Ecclesiæ dicatæ ligna non debent in laicorum usum transire, cap. 16, lib. II.

In ecclesia consecrata non erigatur altare absque episcopi permissu, cap. 17, lib. II.

Ecclesiæ vel altaria de quorum consecratione dubitatur, consecrentur, cap. 18, lib. II.

In ecclesia in qua infidelium cadavera sepeliuntur, non licet missas celebrare; licebit tamen si prius in ea fuit altare consecratum, cap. 19, lib. II.

Ecclesia est denuo consecranda, si altare fuerit motum, si tamen parietes mutantur, et non altare, salibus tantum exorcizetur, cap. 20, lib. II.

Ecclesia violata homicidio vel adulterio, denuo consecretur et expurgetur, cap. 21, lib. II.

Ecclesiam in qua paganus sepultus fuerit, non licet consecrare neque missas in ea celebrare, cap. 22, lib. II.

Ecclesiam in qua mortuorum infidelium cadavera sepeliuntur, sanctificare non licet, cap. 23, lib. II.

Ecclesias singuli sacerdotes si habuerint, singulas habeant, et non plures optime et sanctissime statutum, sed pessime servatum, cap. 43, lib. II.

Ecclesia una ad quam ordinatus est, contentus sit sacerdos, cap. 43, lib. II.

Ecclesia una duobus sacerdotibus dividi non potest, cap. 44, lib. II.

Ecclesiæ confinia confringentes, excommunicentur, cap. 81, lib. II.

Ecclesiastica animadversio coerceat eos qui manu missos vi premere tentaverit, cap. 84, lib. II.

Ecclesiæ res alienare non liceat, cap. 85, lib. II.

Ecclesiasticæ rei donatio vel venditio ab episcopo facta sine clericorum subscriptione, sit irrita, cap. 86, lib. II. — Ecclesiasticæ rei commutatio inconsulte facta, per successores emendetur, cap. 87, lib. II.

Ecclesiæ aurum, argentum, vel gemmæ, vel mobilia si accesserint, alienare non licet, cap, 88, lib. II.

In ecclesia nihil legi aut cantari, nisi quod sit divinæ auctoritatis aut Patrum orthodoxorum auctoritate sanctum, cap. 89, lib. II.

Esdræ liber unus, inter canonicos numeratur, *ibid.*

Eusebii liber de temporibus probatur ab Augustino, cap. 94, lib. II.

Epistola Jesu ad Abgarum apocrypha, cap. 123. lib. II.

Episcopus libros gentilium non legat. — Hæreticorum libros legat, pro necessitate tamen et tempore, cap. 130, lib. II.

Eleemosyna illa placet Deo quæ de rebus concessis et bene acquisitis impenditur, non quæ de rebus illicitis, cap. 191, lib. II.

Eleemosynarum tria sunt genera, una corporalis quæ egenti datur; altera spiritualis, dimittere a quo læsus fuerit; tertia, delinquentem corrigere et errantem reducere in viam veritatis, cap. 192, lib. II. — Eleemosynæ duæ sunt, una cordis, et est dimittere quod læsus es; altera est pecuniæ. cap. 193, lib. II. — Eleemosyna charitatis sine terrena substantia sufficit : illa vero quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur omnino non sufficit, cap. 193, lib. II. — Eleemosyna non est putanda, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur : nam qui hac intentione male accipit ut bene dispenset gravatur potius quam juvetur, cap. 194, lib. II.

In episcopum nullus eligatur, nisi qui sacris ordinibus religiose vivens inventus est, cap. 5, lib. III.

Episcopus nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne plebs invita episcopum non optatum, aut contemnat aut oderit, cap. 6 et 7, lib. III.

Episcopum clerus et plebs non de altera quam de sua eligat ecclesia nisi cum ibi dignus inveniri non possit. — Episcoporum electioni, promotioni et consecrationi, laicorum nullus se inserere audeat contra, cap. 1 et 8, lib. III.

Episcopale culmen qui regia ordinatione est adeptus, non recipiatur a comprovincialibus, cap. 9, lib. III.

Episcopus a tribus comprovincialibus episcopis consecretur, cap. 10, 12, 15, 16, 17, lib. III. — Episcoporum ordinationes dominico die, hora tertia cum sacra unctione, ab omnibus qui in eadem fuerint provincia episcopis, sunt celebrandæ, cap. 12, lib. III.

In episcopi ordinatione quid *pontifex*, *quid notarius*, quid diaconus facere debeant, cap. 14, lib. III.

Episcopus minus quam tribus episcopis reliquisque omnibus assensum præbentibus, nullatenus ordinetur, cap. 17, lib. III.

Episcopus cum ordinetur, duo episcopi manus imponant et teneant Evangeliorum codicem et super caput et super verticem ejus, et unus fundat super eum benedictionem, cap. 18, lib. III.— Episcopus qui ordinatur et qui ordinat, missam similiter celebrent, cap. 19, lib. III.

Episcopi duo non præsumant tertium consecrare, cap. 20, lib. III.

Episcopum ante triginta annos nullus ordinare præsumat, cap. 28, lib. III.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, et quid insuper dicat episcopus, cap. 37, lib. III.

Episcoporum, presbyterorum, etc., quod sit officium in Ecclesia Dei, cap, 41, lib. III.

Eunuchorum quidam coeunt, liquorem habent et emittunt semen, sed ad gignendum inane et invalidum, cap. 57, lib. III.

Energumeni non solum non sunt assumendi ad clerum, sed inventi, sunt ab officio removendi, cap. 59, lib. III.

Episcopus si mutandus fuerit, hoc fiet auctoritate apostolica, non ambitus causa, sed utilitatis vel necessitatis, cap. 68, lib. III.

Episcoporum mutationes fieri possunt, *communi* necessitate vel utilitate fieri possunt non propria voluntate cujusque aut dominatione, cap. 69, lib. III. — Episcopus non dicitur transferri de civitate in civitatem, nec de minori ad majorem, qui non suo libitu, aut ambitu hoc facit, sed necessitate quadam, aut utilitate, aliorum hortatu et consilio potiorum. Nec transfertur de minori civitate ad majorem qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, sed aut vi, aut propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbe sed humiliter ab aliis cum hujus sanctæ sedis auctoritate translatus est et inthronizatus, cap. 69, lib. III.

Episcopi habent potestatem regulariter ordinare episcopos et reliquos sacerdotes quoties utilitas aut necessitas coegerit, supradicto modo, et mutari et intronizari potestatem habent, non tamen sine auctoritate sacrosanctæ Romanæ sedis, *ibidem*.

Episcopus de loco ignobili ad nobilem, per ambitionem non transeat, cap. 70, lib. III.

Episcopus vel presbyter seu diaconus a synodo damnatus, quomodo in secunda synodo innocens inventus reparari debeat, cap. 80, lib. III.

Episcoporum ordinatio prætaxato fieri debet ordine, cap. 82, lib. III. — Episcoporum verba qui recipit, eorum Dominum recipit; et qui eos spernit, eum a quo missi sunt, et cujus funguntur legatione spernit et ipse spernitur a Domino, *ibidem*.

Episcopi apostolorum vicem tenent, et presbyteri septuaginta discipulorum, cap. 83, lib. III.

Ut episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi cum conjugibus quas ante consecrationem duxerunt, non dormirent, Nicæna synodus legem videbatur introducere, cui Paphnutius venerabilis confessor contradixit et prævaluit ne continerent, cap. 85, lib. III. — Episcopi, diaconi et presbyteri continentes esse debent, cap. 93, lib. III. — Episcopis, presbyteris et ministris altaris non licet uxores ducere, cap. 106, lib. III.

Introdusă în format electronic de Google

Episcopus aut presbyter religionis causa, propriam uxorem non abjiciat, cap. 113, lib. III.

Episcopis, presbyteris, diaconis et subdiaconis abjicere non licet a cura sua proprias uxores, sed potius ut victum et vestitum largiantur, sed non ex more cum eis carnaliter jaceant, cap. 115, lib. III.

Episcopus quisquis, presbyter aut abbas beneficium emerit vel vendiderit, ab ipso dejiciatur, et sit anathema, cap. 116, lib. III.

Ementes in templo Dei sunt, qui dum hoc quod justum est, proximo persolvere volunt, dumque rem jure debitam contemnunt, dato patronis pretio, emunt peccatum, cap. 119, lib, III.

Episcopus, presbyter aut diaconus, qui feminam acceperit, vel receptam retinuerit, officio et beneficio privetur, cap. 138, 139, 140, lib. III.

Episcopus a Saracenis captus non sponte Saracenos interficiens, nullo modo canonice judicatur, quia non sponte interfecit, cap. 153, lib. III.

Episcopus, presbyter aut diaconus usuras exigens damnetur aut communione privetur, cap. 157, lib. III. — Episcopus, presbyter aut diaconus non habeant canes aut accipitres ad venandum, si secus fecerint qua pœna sint mulctandi, cap. 167, lib. III.

Episcopo civitatis convenit curam sollicitudinemque necessariam monasteriis exhibere, cap. 167, lib. III.

Episcopi, presbyteri, habeant ad exemplum apostolicos viros, quorum honores possidentes, habere nitantur et meritum, cap. 173, lib. III.

Episcopi monasteria monachorum et monialium frequenter visitent et corrigenda corrigant, c. 215, l. III.

Episcopus a metropolitano vocatus ad concilium seclusa infirmitate corporis gravi, aut præceptione regia, si venire contempserit, a communione privetur, cap. 17 et 18, lib. IV. — Episcopus quem gravis necessitas premit ut vocatus ad concilium non veniat, pro se ad illud legatum mittat, cap. 19, lib. IV.

Episcopum accusans priusquam privatim eum familiariter conveniat, communione privetur, cap. 36, lib. IV. — Episcopum plebs non accuset, nec arguat eum vulgus, quia non est discipulus super magistrum, cap. 36, lib. IV. —Episcopi sunt a Deo judicandi qui eos sibi oculos elegit *ibidem*. — Episcopi non sunt arguendi aut accusandi, aut lacerandi a subditis; aut a pravæ vitæ hominibus, *ibid*. et cap. 37, lib. IV.

Ecclesiæ rectores a Domino sunt judicandi juxta id: In medio autem Deus dijudicat, cap. 40, lib. IV.

Si emerit quisquam aliquid a servo nesciente domino potest dominus pretium reddere, et emptio non erit firma, cap. 50, lib. IV.

Emere nullus debet jumentum vel aliquod animal, nisi hominem cognoscat qui illud vendit, cap. 71, lib. V.

Episcopi et presbyteri non intelligentes locum istum: Tibi dabo claves etc. aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non scientia sacerdotum, sed reorum vita quæratur, cap. 83, lib. V.

Cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliat Ecclesia, in cœlo solvitur reconciliatus, cap. 86, lib. V.

Ecclesiastica vincula nemo contemnat; non homo est qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit, et homines fecit Dominus tanti honoris, cap. 88, lib. V.

Episcoporum cura qualis esse debeat erga injuste facientes, quomodoque eos habeat, excommunicare, cap. 90 et 91, lib. V.

Excommunicationis forma et verba quibus denuntiatur excommunicatus et declaratur, cap. 92, lib. V. — Cum excommunicato communicare possunt, qui ob hanc causam ei junguntur, ut eum revocent ab errore et provocent ad satisfactionem, *ibidem*. — Cum excommunicatis non est communicandum, alioquin ipse erit excommunicatus, cap. 94, 95, 103, lib. V. — Cum excommunicato qui scienter saltem in domo simul locutus fuerit vel oraverit, ille communione privetur, cap. 95, 96 et tribus sequentibus, lib. V.

Excommunicatus ab uno episcopo, ab altero episcopo in communionem recipi non debet, cap. 100, 101, 102, lib. V.

Excommunicatis sacerdotibus qui ausi sunt sacramenta contingere, pœnitentia injungatur, ut tribus annis, secunda, quarta et sexta feria cujuslibet hebdomadæ, aut a vino aut a carne penitus jejunent, cap. 104 et 105, lib. V.

Cum excommunicatis communicantes sunt puniendi, alii levius, alii severius, cap. 106, lib. V. — Qui excommunicatis communicant, pro modo peccati puniantur, cap. 107, lib. V.

Excommunicavit beatus Innocentius papa Arcadium imperatorem, quia consensit ut sanctus Joannes Chrysostomus a sede sua pelleretur, cap. 109, lib. V. — Excommunicavit beatus Ambrosius licet sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ episcopus, Theodosium magnum imperatorem, et ab Ecclesia exclusit, *ibid*.

Excommunicavit Julius papa Theodorum et Augustum *ibidem*.

Excommunicatus est Karibertus Parisiorum rex a beato Germano Parisiorum episcopo, eo quod duas sorores in uxores duxisset, *ibid*.

Excommunicatis vinculo fidelitatis non tenemur obnoxii, cap. 110, lib. V. — Excommunicatis nullus cogitur servare fidelitatem, cap. 111, lib. V.

Excommunicare quilibet potest pro uno ex tribus criminibus, cap. 112, lib. V.

Excommunicentur qui in malum obviaverint peregrinis aut oratoribus cujuscunque sancti, cap. 114, lib. V. — Excommunicationi subjiciatur qui infregerit treugam seu pacem ab episcopis provinciæ positam, *ibidem*.

Excommunicati post mortem multi, et qui fuerint, cap. 116, lib, V. — Excommunicati, qui ad pœnitentiam festinans sacerdotem invenire non potuit, obligatio non respuatur, cap. 120, lib. V.

Ab eleemosynis eorum non est abstinendum in morte, quibus in vita communicare non destitimus, cap. 123, lib. V.

Excommunicat aliquem qui illicite, qua pœna multetur, cap. 124, lib. V.

Cum excommunicatis participantes uxores, liberi, filii, ancillæ, servi seu mancipia, necnon rustici et servientes etc., non excommunicantur, cap. 125, lib. V.

Episcopi qui excommunicant innocentes aut minimis causis culpabiles, qua pœna sint plectendi, cap. 128, lib. V.

Si quis excommunicat aliquem illicite, semetipsum, non illum condemnat, cap. 129, lib. V. — Nemo furore commotus quemquam excommunicet, cap. 130, lib. V.

Excommunicatus alium excommunicare non potest, cap. 133, lib. V.

Ex quo episcopus fidem Ecclesiæ docet, alium excommunicare potest, cap. 134, lib. V.

Excommunicati ab hæreticis, non habentur excommucati, cap. 135, lib. V.

Excommunicationis suæ causam qui agere intra annum differt, audientiam suam negat, cap. 136, lib. V.

Ejecta est, quæ, marito vivente, projicitur, cap. 68, lib. VI.

Ecclesia sancta Dei mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem quo non occidit, sed vivificat, cap. 14, lib. VII.

Episcopus ut vicarius Domini, cap. 51, lib. VII.

Enormia flagitia per sæculi judices corripiantur, cap. 5, lib. VIII.

Episcopi et archiepiscopi ab imperatore investituram suscipiant, consecrationem autem unde debent, cap. 136, lib. VIII.

Esaias quanto de Domino prophetavit urbanius, tanto nativitati ejus legitur proximius, cap. 137, lib. VIII.

Excommunicatus a suo episcopo ab alio non recipiatur, cap. 139, lib. VIII.

Excommunicato qui communicaverit, pari sententiæ teneatur obnoxius, cap. 139, lib. VIII.

Episcopi et clerici in statu mentis et corporis habitu Deo et hominibus placere studeant, cap. 140, lib. VIII. — Episcopi et clerici non offendant aspectum eorum quorum exemplum et forma esse debent, in superfluitate, scissura aut colore vestium, nec in tonsura, *ibidem*.

Episcoporum decedentium bona a nullo diripiantur, cap. 141, lib. VIII. — Episcoporum decedentium bona ad opus Ecclesiæ et successoris sui, in libera œconomi vel clericorum remaneant potestate, *ibidem*.

Episcopi, presbyteri, diaconi, vel subdiaconi, regulares canonici, et monachi atque conversi et professi, qui uxores duxerunt, separentur, cap. 143, lib. VIII.

Ecclesia unaquæque, si facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem, cap. 146, lib. VIII.

In ecclesiam vel in cœmeterium si quis confugerit, nullus inde eum extrahat, sub anathematis pœna, cap. 150, lib. VIII.

Ecclesia Dei non hæreditario jure aliquem secundum carnem successorem exspectat, sed ad sui regimen et officiorum suorum dispensationem, honestas, et sapientes et religiosas personas, exposcit, cap. 151, lib. VIII.

Ecclesiasticas præbendas, præposituras capellas aut aliqua ecclesiastica officia hæreditario jure nullus vindicare aut expostulare præsumat; quod si præsumpserit, postulatis careat, cap. 152, lib. VIII.

F

Fidei professio, cap. 1, lib. I.

Filius carnem assumpsit, non Pater, nec Spiritus sanctus, ut qui erat in divinitate Patris Dei Filius, ipse fieret

Introdusă în format electronic de Google

in homine hominis Filius, neque filii nomen ad alterum transiret qui non esset nativitate filius, cap. 2, lib. I. — Filius verus Deus et verus homo, cap. 2, lib. I.

Filius unus secundum Deum et hominem, non duo filii, neque duo Christi. — Filius unus manens in duabus naturis non confusis, neque immistis, sicut Timotheani volunt, sed societate unitis.— Filius Dei natus est ex homine, et non per hominem; id est non ex viri coitu (sicut Ebion dicit) sed carnem ex Virginis corpore trahens et non de cœlo secum afferens (sicut Marcion, Origenes, et Eutyches affirmant). — Filius animam habuit cum ratione sua et carnem cum sensibus suis per quos sensus veros in passione et ante passionem, carnis suæ dolores sustinuit. — Filius semper fuit, æternus Deus, homo ex Virgine natus, cap. 3 et 4, lib. I.

Fides eorum a quibus parvulus baptizandus offertur prodest parvulis.

Fides unius prodest alteri, cap. 12, lib. I. *Idem*, cap. 13, 14, lib. I.

Fidei sacramentum parvulum fidelem facit, cap. 56, lib. I.

Fidei mysterium credi salubriter potest, investigari utiliter non potest, cap. 128, lib. I.

Fugientem ad ecclesiam, seu ad atrium ecclesiæ, seu ad officinas regularium fratrum, nemo audeat abstrahere. —Fugientem ad ecclesiam servum vel discipulum, nullus clericorum audeat vel extrahere vel verberare, cap. 75, 76 et 77, lib. II.

Fugiens de atrio ecclesiæ quod triginta passibus clauditur, non abstrahatur nisi prius data securitate, cap. 78, lib. II.

Fieri potest ut sine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fetidissima gulæ flamma in vilissimum ardescat, et sanius quisquis maluerit more Domini pisce vesci, quem lenticula more Esau nepotis Abraham, aut hordeo more jumentorum, cap. 193, lib. II.

Filii presbyterorum a sacris removeantur mysteriis, nisi in cœnobiis religiose conversari fuerint probati, cap. 51, lib. III.

Fidei veræ professio Cyrilli contra Eutyche'em et Nestorium hæreticos, eorumque sectatores, cap. 132, lib. III.

Facito aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum, cap. 178, lib. III.

In fide recta dubii accusare non possunt, cap. 65, lib. IV.

Furtum sine affectu furandi non committitur, cap. 53, lib. V. — Furtum non committit, qui donaverit vel vendiderit fructum quem putat ancillæ suæ esse, *ibidem*.

Filius justus esse creditur, qui ex justis nuptiis septimo mense nascitur, cap. 61, lib. V.

Fidejussorum unusquisque exsolvat quod cum proportione sibi contingit, cap. 70, lib. V.

Falsam monetam percutienti manus amputetur, cap. 70, lib. V.

Furti conscius qui fuerit, vel furto oblata susceperit in numero furantium habeatur, *ibidem*, cap. 70, lib. V.

Frater, id est Christianus in nos peccans, jubet Dominus, ut prius secrete corripiatur, deinde cum testibus redarguatur, novissime in conventu Ecclesiæ publice conveniatur, cap. 91, lib. V.

Francorum regem Romanorum pontifex deposuit non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis et Pipinum Caroli imperatoris patrem in ejus locum substituit, cap. 109, lib. V.

Fornicatio nulli impune conceditur, cap. 4, lib. VI.

Feminæ dum maritantur ideo velantur, ut noverint se viris suis semper subjectas esse debere, et humiles, cap. 8, lib. VI.

Feminarum partus est sola causa nubendi, cap. 24 et 25, lib. VI.

Felix necessitas quæ ad meliora compellit, c. 81, 1. VI.

Furiosus neque furiosa non possunt contrahere, sed si contractum fuerit, non separentur, cap. 92, lib. VI.

Inter filios et fratres spirituales est quædem sancta communio, quæ potius est habenda spiritualis proximitas, quam dicenda consanguinitas, cap. 123, lib. VI.

Inter filios spirituales non potest fieri legale conjugium, *ibidem*. — Filius patris mei vel frater meus longe congruentius appellatur is quem gratia divina quam quem humana voluntas ut filius ejus vel frater meus esset elegit, prudentiusque ab altera corporis commistione secernuntur, cap. 123, lib. VI.

Quæ filiastrum de sacro fonte levavit, non separetur a viro, cap. 124, lib. VI. — Qui filiastrum coram episcopo tenuit, ab uxore separetur, cap. 125, lib. VI. — Qui filiastros coram episcopo tenent, non separentur ab uxoribus, cap. 126, lib. VI.

Qui filios proprios aliquo accidenti casu ex lavacro sancto susceperunt, separentur ab uxoribus, cap. 127, lib. VI. — Filia spiritualis carnali filio nullo modo potest nubere, *ibidem*.

Fornicationis causa Dominus permisit uxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit, cap. 20, lib. VII. — Fornicatio ubicunque est aut fornicationis suspicio ; libere uxor dimittitur, cap. 7, lib. VII.

Furta non sunt facienda voluntate pascendi pauperes sanctos, cap. 20, lib. VII.

Fornicari hominibus nunquam licet, cap. 36, lib. VII.

Fornicatio carnis, adulterium est; fornicatio animæ, servitus idolorum est, cap. 27, lib. VII. — Fornicatio mentis detestabilior est fornicatione carnis, cap. 28, lib. VII. — Fornicatio est idololatria et quælibet noxia superstitio, cap. 29, lib. VII.

Fornicantem uxorem dimittere conceditur, et eam a qua maritus cogitur fornicari, cap. 30, lib. VII. — Fornicationis causa dimittitur uxor quæ maritum cogit sacrificare idolis, *ibidem*.

Feminæ ut serviant viris, est ordo naturalis in hominibus.

Filii ut serviant parentibus, et majori serviat minor, est ordo naturalis in hominibus, cap. 45, lib. VII.

Feminas subditas et pene famulas, lex esse voluit, cap. 45, lib. VII.

Fratres duo germani duas sorores accipere possunt in uxores, cap. 60, lib. VII.

Feminæ quæ ad chrisma suscipiendum filios suos fraudulenter, coram episcopo tenuerunt, a viris non separentur, sed quandiu vixerint, pœnitentiam agant, cap. 65, lib. VII. — Qui filiolam suam duxit uxorem, aut concubuit cum commatre spirituali, et qui filium suum baptizavit, et cujus uxorem de fonte suscepit separentur et gravi pœna plectantur, cap. 66, lib. VII.

Fortitudo quæ vel a barbaris in bello patriam, vel domi defendit infirmos vel a latronibus socios, plena justitiæ est, cap. 34, lib. VIII.

Fides quæ ad peccatum faciendum admittitur, non est appellanda fides, cap. 98, lib. VIII.

Si fidem non servat adultera adultero ut fidem conjugalem, servet, non violatur fides, cap. 97, lib. VIII.

Fidelitatis forma, et sex quæ in ea sunt servanda, videlicet incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile, cap. 122, lib. VIII.

Falsum dicere nulli licet, aliquando autem aliquid tacere veri, utile est, cap. 131, lib. VIII.

G

Gelasius papa quinque libros adversus Nestorium, et duos adversus Arium fecit et alios, cap. 98, lib. II.

Gregorius papa quadraginta homilias *in Evangelia fecit*, cap. 99, lib. II.

Grammaticam et dialecticam nosse non improbatur, cap. 135, lib. II. — Geometria et arithmetica, et musica habent in sua scientia veritatem, non tamen scientia illa est scientia pietatis, *ibidem*. — Grammaticorum doctrina ad vitam proficere potest dum fuerit in meliores usus assumpta, cap. 136, lib. II.

Genua flectere debent omnes ad missarum solemnia in Quadragesima tantummodo et in jejunio Quatuor Temporum. — Genu uno flexo nemo orare præsumat, sicut Judæi irridentes Dominum in passione ejus fecisse leguntur, cap. 183, lib. II.

Qui gratiam quam a Deo accipiunt non gratis exercent venditores columbarum sunt, cap. 124, lib. III.

Si quis gentilis gentilem dimiserit uxorem ante baptismum, post baptismum in ejus sit potestate eam habere vel non habere, cap. 97, lib. VI.

Gentiles feminæ viris suis serviunt communi lege naturali, cap. 40, lib. VII.

Gladio ille utitur, qui nulla superiore ac legitima potestate vel jubente vel cogente in sanguinem alicujus armatur, cap. 44, lib. VIII.

Genethliaci sunt appellati propter natalitiorum considerationes dierum. — Genethliaci geneses hominum per duodecim signa cœli, secundum quod cursus siderum, nascentium mores, actus et eventus prædicere conantur, id est, quali signo, quis fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur in tali tempore, cap. 66, lib. VIII.

H

Hæreticis ad Ecclesiam venientibus, per manus impositionem laica tantum tribuetur communio, cap. 16 prol. — Hæretici ad Ecclesiam venientes, nec in clericatus honorem vel exiguum debet subrogari, cap. 16 prologi.

Introdusă în format electronic de Google

Hæresi Nestoriana revertentes, Gregorius papa in suis gradibus recipi jubet, cap. 19 prologi.

Hæresis Arii, cap. 1, lib. I. — Hæresis Sabellii, cap. 1, lib. I. — Hæresis Timotheanorum. — Hæresis tertii Apollinaristæ. — Hæresis Marcionis. — Hæresis Origenis. — Hæresis Eutychetis. — Hæresis Valentini, Hæresis Aorchorum, Hæresis Marciani et Apollinaris, cap. 3, lib. I. — Hæresis Arthemonis, hæresis Berilli, hæresis Marcelli, cap. 4, lib. I. — Hæresis Dionysis fontis Arii. — Hæresis Eunomii. — Hæresis Ethni. — Hæresis Arii. — Hæresis Macedonii. — Hæresis Manichæi. — Hæresis Melitonis. — Hæresis Tertulliani. — Hæresis Anthropomorfi. — Hæresis Vadiani. — Hæresis Origenis. — Hæresis Fortunati. — Hæresis Marcionis. — Hæresis Platonis. — Hæresis Tertulliani. — Hæresis Origenis. — Hæresis Sabellii. — Hæresis Sylvani. — Hæresis Praxeæ. — Hæresis Pentapolitanorum, cap. 5, lib. I.

Hæresis Nestorii, cap. 6, lib. I et cap. 109, lib. II. — Prima in discipulis Christi facta est, cum diceret : Nisi quis manducaverit carnem meam, etc., cap. 135, lib. I.

Hæresis Macedonii qui Spiritum sanctum Deum esse negabat, damnatur in secunda synodo Nicæna, Constantinopolitana prima, cap. 108, lib. II. — Eutychetis qui asserebat Verbi Dei et carnis unam esse naturam damnatur, cap. 110, lib. II

Homousion in divinitate Patris Filius, *Homousion* Deo et homini unus filius, *homousion* Patri et Filio Spiritus sanctus, cap. 6, lib. I.

Horoscopi dicti sunt qui horas nativitatis hominum speculentur dissimili et diverso facto, cap. 66, lib. VIII.

Hostia cum frangitur, Dominici corporis, in cruce immolatio, et sanguis, cum in ora fidelium funditur, ejus sanguinis de latere effusio designatur, cap. 140, lib. I.

Hostiæ pars in calicem missa, corpus quod resurrexit, monstrat, comesta ambulans adhuc super terram, pars in altari usque ad finem remanens, corpus jacens in sepulcro, cap. 141, lib. I.

Holocausta in altari tot offerantur quanta a populo sufficere debeant, cap. 149, lib. I.

Historia ecclesiastica a Theodorico Sozomeno et Socrate Græcis conscripta est valde necessaria, cap. 92, lib. II.

Hieronymus ab angelo corripitur quod Ciceronis librum legeret, cap. 131, lib. II.

Hæreticis venientibus qui ibi baptizati sunt per manus impositionem laica tantum tribuatur communio, nec ex eis ad clerum quisquam promoveatur, cap. 58, lib. III.

Hæretici etsi illicite sacramentis Ecclesiæ Christi utantur, tamen sacramenta sunt, cap. 78, lib. III.

Hæreticum resipiscentem nemo suscipiat, nisi episcopus ejusdem loci reconciliaverit, cap. 128, lib. III.

Honorem qui amisit, honorem dare non potest, cap. 130, lib. III.

Ab hæreticis redeuntes sunt reordinandi, *ibidem*.

Hæreticus qui hæreticæ pravitati se miscuit, si ad catholicam communionem reverti voluerit, prius errores suos et eorum auctores detestetur, et post in eo gradu in quo erat sine aliqua promotione recipiatur, c. 131, I. III.

Ex hæreticis reversos qui ad sacros ordines promovet non levem apud Dominum noxam incurrit, cap. 131, lib. III.

Hæreticis non licet contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis negotiis accusationes facere, cap. 73, lib. III.

Hæreticos dicimus tam eos qui olim ab Ecclesia projecti sunt, quam qui posthac a nobis anathematizati sunt, *ibidem*.

Hæretici dicuntur hi qui fidem sanam simulantur, vel negant confiteri, *ibidem*.

Hæreticus hæreticum accusare et contra eum testificari potest, cap. 28, lib. V.

Hæretici testimonium pro orthodoxo valet, contra orthodoxum vero, non, *ibidem*.

Homicidæ dilatio præstanda est in civilibus causis vel in levioribus criminibus, cap. 42, lib. V.

Ad hæreditatem avi vel aviæ pari modo succedunt nepotes ex filio et nepotes ex filia, cap. 58, lib. V

Hæretici etiam post mortem sunt excommunicandi, cap. 115, lib. V.

Hæreticos etiam mortuos excommunicare vult Ecclesiæ traditio, cap. 116, 117, lib. V.

Hæreditas rerum per legales definitiones sancita usque ad septimum gradum prætendit hæredum successiones ; non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur, cap. 81, lib. VII.

Non homicidas arbitramur quos adversus excommunicatos zelo catholicæ matris ardentes eorum quosdam trucidasse contingit, cap. 11, lib. VIII.

Homicidium geminum fecit divus Petrus, cap. 18, lib. VIII.

Homicidii non est reus, qui potestati obediens hominem occidit, cap. 35, lib. VIII.

Hominem occidere aliquando non est peccatum, ut cum ex officio hoc quis facit, aut cum miles hostem et judex et minister nocentem, et cui forte invito atque imprudenti telum manu fugerit, hi non videntur mihi peccare cum hominem occidunt, cap. 38, lib. VIII.

Homicida est minister judicis, si sponte occidat eum quem judex vel lex jussit occidi, cap. 39, lib. VIII.

Cum homo iste occiditur, lex eum occidit, non tu, cap. 41, lib. VIII.

Homicidas et sacrilegos et venenarios punire, non est sanguinis effusio, sed legum ministerium, cap. 55, lib. VIII.

Hydromantici ab aqua dicti : est enim hydromantia in aquarum inspectione umbras dæmonum evocare et imagines ludificationis eorum videre, ibique ab eis aliqua audire, ubi adhibito sanguine, etiam inferos prohibentur suscitare, cap. 63, lib VIII.

Herodes saltatrici turpiter præmium promisit, et crudeliter solvit, cap. 101, lib. VIII.

Ab Herode turpe est quod regnum pro saltatione promittitur : crudele quod mors prophetæ jurisjurandi religione datur, *ibidem*.

I

Iteratum non monstratur esse, quod nescitur esse factum, cap. 11, lib. II.

Imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi, cap. 140, lib. II.

Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti, non licet quidquam agere, quod evangelicis, propheticis, apostolicisque regulis obviet, cap. 141, lib II.

Institutionum ecclesiasticarum quædam sunt scripturis, quædam vero apostolica institutione per successores ministerio confirmatæ, quædam vero consuetudine roboratæ, cap. 139, lib. II.

Incontinentes omni honore ecclesiastico priventur, cap. 137, lib. III.

Infames dicantur, cap. 66, lib. IV. — Sunt qui Christianæ legis normam abjiciunt et statuta ecclesiastica contemnunt, *ibidem*.

Ante inscriptionem nemo debet judicari vel damnari, cap. 77, lib. IV.

Infamis persona nec procurator esse potest, nec cognitor, cap. 78, lib. IV.

In judicio quatuor necesse est semper adesse, personas, scilicet, judices electos, accusatores idoneos, defensores et testes legitimos, cap. 81, lib. IV.

In judicio quæ sint servanda, quæ etiam consideranda, cap. 82, lib. IV.

Infamis aut sacrilegus, Christianum nullum quamvis humilem servilemque audeat accusare, cap. 92, lib. IV.

In judicio quid quærendum, cap. 94, lib. IV.

Induciæ sex mensium sunt dandæ episcopis in criminalibus accusatis, cap. 101 et 102, lib. IV.

Induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ sunt ne quid propere agi videatur, cap. 103, lib. IV.

In judicio frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum forte maneat, quod annecti conveniat, cap. 104, lib. IV.

Indiciis manifestis nisi quæ comprobantur quamvis vera sint, non sunt credenda, cap. 113, 114, lib. IV.

Infamatus tertio monitus se non corrigens, quousque purgetur, ab officio suspendatur, cap. 1, lib. V. — Presbyter suspendatur usque ad dignam satisfactionem, cap. 2, lib. V.

Infamato de episcopi morte presbytero, si accusatores certi defuerint, restitui jubentur integra beneficia, cap. 7, lib. V.

Infantem suum qui exposuerit, non potest postea eum repetere ab eo qui eum nutriendum suscepit, cap. 52, lib. V.

Ingenuus est, qui statim ut natus est, liber est, cap. 60, lib. V.

Ingenuus est qui ex matre libera nascitur, patre servo, *ibidem*. — Est qui liberam habuit matrem eo tempore quo nascitur, quamvis ancilla conceperit. *ibidem*.

Illegitime natus matrem sequitur, cap. 64, lib. V.

Inter liberum et ancillam, et inter servum et liberam mulierem, nuptiæ contrahi non possunt, cap. 10, lib. VI.

Si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse, cap. 29, lib. VII.

Injuriam depellere et non inferre, lex virtutis est, cap. 58, lib. VIII. — Qui non repellit a socio si potest, tam est in vitio quam ille qui facit, *ibidem*.

Incantatores dicti sunt qui artem verbis peragunt, cap. 66, lib. VIII.

Introdusă în format electronic de Google

Ex incestu natos leges sæculi infames pronuntiant et ab hæreditate repellunt, cap. 153, lib. VIII.

Incendiarii excommunicandi pronuntiantur, cap. 154, lib. VIII.

Incendii pestis, et vastitas hostilis omnes alias depræ-dationes superat, quæ quanto populo Dei sit damnosa, et quantum detrimenti animabus et corporibus inferat nullus ignorat, cap. ultimo, lib. VIII.

Incendii clades; ut tanta pernicies pro salute populi eradicetur et exstirpetur, assurgendum est omnino et laborandum, *ibidem*.

Incendiarius si mortuus fuerit, ecclesiastica careat sepultura, nec absolvatur nisi prius damnum cui intulit, secundum facultatem restituat, cap. 154, lib. VIII.

Ignes si quis post hanc promulgationem apposuerit, vel apponi fecerit malo studio, sive odio, sive vindictæ, et appositoribus consilium scienter et auxilium tribuerit, excommunicetur, cap. ultimo, lib. VIII.

J

Jurare in contractibus humanis ex necessitate non malum est, sed longius fit a perjurio quicunque non jurat, quam ille qui qualicunque occasione jurat, cap. 9 prologi.

Jesu Dñmini nostri vita in terra, disciplina est morum, cap. 9 prologi.

Judicis in potestate est, mollire sententiam et mitius judicare quam leges, cap. 16 prologi.

Jus divinum in Scripturis habemus, humanum in legibus regum, cap. 63, lib. II.

Jure humano possidet quisquis quod possidet, *ibidem*.

Jure divino Domini est terra et possessio ejus, cap. 63, lib. IV.

Jure humano hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est, *ibid*.

Jura humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano, *ibidem*.

Jura tolle imperatori, et quis audebit dicere, mea est illa villa, meus est servus, *ibid*.

Per jura regum possidentur possessiones. Noli ergo dicere : Quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? *ibidem*

Justinianus Augustus duo millia legum Romanorum intra quinquaginta librorum numerum redegit, cap. 145, lib. II. — Novas leges quas ipse statuerat appellavit Codicem Novellarum, *ibidem*.—Removit contrarias regulas, cap. 146, lib. II.

Jus venit ex non scripto, quod usus approbavit, cap. 160, lib. II.

Jejunent clerici septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha, cap. 174, lib. II. — Clerici omnes hebdomadas septem a carne et a deliciis, et hymnis et vigiliis et orationibus die noctuque Domino inhærere studeant, cap. 174, lib. II.

Jejunium Dominicæ diei et quintæ feriæ nemo celebrare debet, et quare, cap. 176, lib. II —Sabbati prætermittere non debemus, quia inter tristitiam et lætitiam temporis ipsius videtur esse inclusum, cap. 177, lib. II.

Jejunia seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, excepiis Julio et Augusto, ob eorumdem infirmitatem, cap. 178, lib. II. — Quartæ et sextæ feriæ sine aliqua necessitate non sunt solvenda, cap. 179, lib. II.

Jejunia quatuor Temporum, si Kalendæ Martii in quarta feria sive antea evenerint, quando sint celebranda in hoc mense et in aliis, cap. 185, lib. II.

Jejunia sint tibi quotidiana et refectio satietatem fugiens, cap. 185, lib. II.

Si jejunia compensantur saturitate, nihil tibi prodest biduo aut triduo transmisso vacuum portare ventrem si post obstruatur, *ibidem*.

Jejunia sint pura, continua, moderata, id est quotidie esurire et quotidie prandere, cap. 186, lib. II.

Jejuniis triduanis præfertur venter esuriens, et parcus cibus, cap. 187, lib. II.

Jejunium spernitur quod in vesperum repletione ciborum reficitur, cap. 188, lib. II. — Perfectum est quando homo noster exterior jejunat, et interior orat, cap. 189, lib. II.

Jejunii diebus, eleemosyna facienda est, et cibum et potum quo quisque debuit uti, si jejunaverit, pauperibus eroget, cap. 190, lib. II.

Jejunare et cibos prandii ad cœnam servare, non mercedis sed ciborum est incrementum, cap. 190, lib. II.

Justitiam vendere est hanc pro præmii acceptione servare, cap. 119, lib. III.

Judices debent uti æquitate, testes veritate, accusatores intentione, ad amplificandum causam, cap. 81, lib. IV. — Confitetur de omnibus, quisquis judicium subterfugere dilationibus putatur, cap. 105, lib. IV. — Judicium non subterfugiendum, *ibidem*.

Contra judicium fugientem dilationibus præsumitur, cap. 107, lib. IV.

Judices tales esse debent, ut omni suspicione careant et ex radice charitatis suam desiderent promere sententiam, cap. 108, lib. IV.

Judices hi esse debent, quos ipse qui impetitur elegerit, aut quos sancta sedes delegaverit, cap. 109, lib. IV.

Judices prius probare debent, quo animo quisque illusit quam accusationem suscipiat, cap. 110, lib. IV.

Judex sententiam non proferat ante capitalem, quam vel reus confiteatur, vel convincatur, cap. 111, lib. IV.

Judicanda nullo modo sunt quæ incerta sunt, cap. 113, lib. IV.

Judiciis manifestis nisi quæ comprobantur quandiu vera sint, non sunt credenda, cap. 113, 114, lib. IV.

Judas quamvis fur erat, tamen quia non est accusatus, non est ejectus, sed quidquid inter apostolos egit, pro dignitate ministerii permansit, cap. 113, lib. IV.

Judicanda non sunt etsi vera, nisi manifesto indicio convincantur et judiciario ordine publicentur, cap. 114, 115, lib. IV.

Judicis non est sine accusatore damnare, cap. 115, lib. IV.

Judex ante audita diligenter inquirat, quam præcipitando quidquam agat, cap. 116, lib. IV.

Judicare aut damnare nullum debemus ante veram et justam probationem, *ibidem*.

Judicis non est sine accusatore damnare. cap. 117. lib. IV.

Judiciarium ordinem manifesta non desiderat causa, *ibidem*.

Judicem oportet omnia rimari, et interrogare et discutere, ac proponere antequam sententiam ferat, cap. 119, 120, lib. IV.

Judicandum non est donec utrinque sit peroratum, *ibid*.

Juret presbyter per sanctam consecrationem, cap. 10, lib. V. — Jurare sacerdotes ex levi causa non debent, ne manus per quam Christus conficitur, juramento polluatur, *ibidem*.

Jurare super sancta Evangelia, nullus clericus audeat, sed simplici sermone utatur, est, est, non, non, cap. 11, lib. V.

Judam Dominus, cum esset mendax discipulus, nec dominus apostolorum, dejecit, cap. 12, lib. V.

Judicium flagitari non debet de causa quæ definita vel judicata est, cap. 46, lib. V.

Judicare digne de subditis nequeunt, qui subditorum causis sua vel odia, vel gratiæ sequuntur, cap. 80, lib. V.

Judicata causa inter præsentes, post decennium revolvi non potest, cap. 10, lib. V.

Judicata causa inter absentes, post viginti annos revolvi non potest, *ibidem*.

Ad juramentum viles personas et indignas accedere judices non facile permittant, cap. 24, lib. V.

Judices intra annum a die inscriptionis, si inducias petierit accusator vel reus, præstare debent, c. 41, l. V.

Jus ex non scripto venit, quod usus approbavit, cap. 59, lib. V.

Justum quicunque dixerit injustum, et rursus injustum justum abominabilis est uterque apud Deum, cap. 84, lib. V.

Juramentum separationis a muliere cum qua quis adulterium vel fornicationem commisit, quale debeat esse, cap. 40, lib. VII, — Reconciliationis conjugis adulteræ quale debeat esse, cap. 41, lib. VII. — Reconciliationis adulteri mariti quale esse debeat, cap. 42, lib. VII.

Juramenti accusatoris forma, cap. 86, lib. VII.

Juramentum testium, cap. 87, lib. VII.

Juramenti reconciliationis formula, cap. 88, lib. VII.

Judex non est auctor sceleris, neque homines vinciendo, cap. 52, lib. VIII — Dictus est, quia jus dictat populo, sive quod jure disceptat, cap 54, lib VIII. — Judex non est, si in eo justitia non est, cap. 54, lib. VIII.

Judicare juste, est jure disceptare, *ibidem*.

Jure hoc venit, ut quod quisque ob tutelam corporis fecerit, jure fecisse æstimetur, cap. 56, lib. VIII.

Qui justus ex hac vita decedit, permanet justus, cap. 67, lib. VIII,

Judaicis superstitionibus aut feriis serviens ab Ecclesia separetur, cap. 72, lib. VIII.

Juramentum pro fœdere pacis agere licet, cap. 83, lib. VIII.

Juratio quæ a malo non jurantis est, sed increduli, a quo jurare cogitur, non est contra Dei præceptum, cap. 84, 88. lib. VIII.

Introdusă în format electronic de Google

Jurare Dominum prohibuisse, ita intelligitur, ut quantum in ipso quisque est, non juret, cap. 84, lib. VIII.
Juravit Apostolus cum dixit, quotidie morior per vestram gloriam, fratres, *ibidem*.
Ne juremus omnino in Novo Testamento dictum est, non quia jurare peccatum est, sed quia perjurare immane peccatum est, cap. 85, lib. VIII.
Juratio etsi non bona est, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas, quod utiliter suades, *ibidem* et cap. 89, lib. VIII.
Jurare per Deum, non prohibuit Salvator, sed jurare per cœlum, et per terram, et per caput, cap. 87, lib. VIII.
Jurare fuerat lege concessum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius est, id Deo exhibere, quam idolis, vel dæmoniis, *ibidem*.
Juramento illicite firmata, rescindenda sunt, non sunt implenda, cap. 90, 91, lib. VIII.
Juravit David sanctus et maluit non facere quod juraverat, quam juramentum fuso hominis sanguine implere, cap. 92, 93, lib. VIII.
Juramentum quod malum incaute promittitur non est observandum, sed instante necessitate pejerandum potius est quam pro mutando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum, cap. 94, lib. VIII.
Juravit David et perjurium contraxit, sed de eo non doluit, *ibidem*.

Jurantem perjurare melius est quam conservare sacramentum in fractione sanctarum imaginum, cap. 98, 99, lib. VIII.

Juramentum servavit Herodes et periit, Petrus negavit cum juramento et conversus flevit et salvatus est, cap. 100, lib. VIII.
Juramentum mendax dissolvitur, quasi nullam habens virtutem, cap. 100, lib. VIII.
Jurare non cogantur parvuli sine justa ætate, cap. 103, lib. VIII.

Qui perjuratus fuerit non potest esse testis, *ibidem*.
Jurare non cogantur pueri ante quartum decimum annum, cap. 104, lib. VIII.
Juramentum puellæ in puerili ætate quo se constringit in domo patris, si, cum primum sciverit, pater irritaverit, nullius est momenti, cap. 105, lib. VIII.
Juramenta filii et filiæ nesciente patre, et monachi nesciente abbate, irrita sunt, cap. 106, lib. VIII.
Si ut jures provocaris ab alio, ab ipsius malo erit, quod juras non a tuo, cap. 107, lib. VIII.
Ad juirationem qui aliuin provocat et scit eum falsum jurare, plus est quam homicida, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, et ejus quem provocavit jurare et suam, cap. 108 et 110, lib. VIII.
Si juratur ab aliquo falsum, judicandum est talibus, qui magis possint prodesse quam obesse perjurio, cap. 109, lib. VIII.

Juramentum qui exigit ab eo quem nescit falsum jurare, non peccat, cap. 110, lib. VIII.
Jurat temere qui putat verum esse, quod falsum est, aut falsum esse putat quod verum est, cap. 111, lib. VIII.
Juramentum falsum, detestanda bellua est, et rebus humanis exterminanda, cap. 111, lib. VIII.
Perjurus est qui jurat verum quod putat falsum, etsi verum est quod jurat, *ibidem*.

Juret quisque quacunque arte verborum, Deus tamen qui conscientiæ testis est ita ut hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit, cap. 112, lib. VIII.
Qui jurat falsum, dupliciter reus est, quia nomen Domini in vanum assumit et proximum dolo capit, cap. 112, lib. VIII.
Juramentum quo malum incaute permittitur, non est observandum, cap. 113, 118, lib. VIII. — Non implere tolerabilius est quam permanere in stupri flagitio, *ibidem*.
Jurare Dei est providentia illa quæ statuit non eveliere statuta, cap. 114, lib. VIII.
Jurare nihil aliud est quam jus Deo reddere, cap. 115, lib. VIII. — Per filios est illos oppignerare Deo, ut hoc veniat in caput eorum quod exit de ore ipsius, cap. 115, lib. VIII.
Qui jurat super lapidem falsum, perjurus est, cap. 116, lib. VIII. — Licet uti fide ejus, qui ut eam servet per dæmonia jurat, cap. 117. lib. VIII.

Qui juravit per quos non debuit, per falsos nempe deos et contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis utique peccavit, ac per hoc qui utitur fide illius qui juravit per falsos deos et non utitur non ad malum, sed ad licitum et ad bonum, non se sociat peccato ejus qui dæmonia juravit, sed bono pacto ejus qui fidem servavit, cap. 117, lib VIII.
Jurare per falsos deos veraciter, minus malum est quam jurare per Deum verum fallaciter, *ibidem*. — Perjurium tanto magis est pœnale quanto magis sanctum est id per quod juratur, *ibidem*.
Jurare compellimur, Creatorem offendimus et nos tantummodo maculamus ; cum vero noxia promissa implemus, et Dei jussa contemnimus et proximis impia crudelitate nocemus, et nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus, cap. 119, lib. IV.
Juret jejunus cum omni honestate et timore Dei qui in sanctis jurare debet, cap. 120, 121, lib. VIII.
Juramentum tres comites habere debet. veritatem, judicium et justitiam, cap. 123, lib. VIII.

L

Legis mutatio fit ex necessitate, cap. 29 prologi.
Legem communem non faciunt privilegia paucorum, cap. 29 prologi. — Esse constat quæcunque imperator per epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel dicto præceperit, cap. 30 prologi.
Leges forenses canonicis aliquando inseruntur, non ut per eas ecclesiasticus judex debeat quemquam condemnare, sed ut discat quanta pœnitentia sit dignum facinus, vel quod per eas membrorum mutilatione vel morte mulctatur, cap. 31 prologi.
Liber primus cum cæteris septem quid contineant, cap. 32 cum aliis usque ad finem prologi, cap. 32 prolog.
Pro luminaribus nihil presbyteri accepturi, chrisma dent, cap. 93, lib. I.
Luminaria singulis suis ecclesiis emant, cap. 89, lib. I.
Libertos legitime factos Ecclesia tueatur, cap. 82, 83, lib. II.
Libri canonici ab Ecclesia recepti, cap. 89, lib. II.
Qui libri in Ecclesia sint legendi et quo tempore, cap. 90, lib. II.
Legimus aliqua ne negligamus, legimus ne ignoremus, legimus non ut teneamus, sed ut repudiemus, cap. 134, lib. II.
Lege imperatorum non est utendum in omnibus ecclesiasticis controversiis, cap. 138, lib. II.
Leges imperatorum aliquoties obviant evangelicæ sanctioni, *ibidem*.
Lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus, cap. 130, lib. II.
Legibus imperatorum sæpe Ecclesia utitur contra hæreticos et tyrannos, cap. 140, lib. II.
Leges imperatorum non sunt penitus renuendæ, sed eæ tantum, quæ evangelicis, apostolicis atque canonicis decretis obviare videntur, sunt postponendæ, cap. 140, lib. II.
Lex qualis esse debeat, quibusque circumstantiis ornata, cap. 142, lib. II.
De legibus licet judicare cum instituuntur : postquam autem fuerint institutæ atque firmatæ, non licet judici de seipsis judicare, sed secundum ipsas, cap. 143, lib. II.
Legem esse constat, quod imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, nisi sit factum ad certam personam, nam tunc personam non transgreditur, cap. 147, lib. II.
Leges imperatorum et pontificum custodiri oportet, cap. 149, lib. II. — Principum aut Patrum regulas contemni non licet, cap. 150, lib. II. — Romanorum principum nedum servandæ sunt in negotiis hominum, sed etiam circa reverentiam beati Petri, cap. 151, lib. II.
Lex Romana nullius temeritate debet corrumpi, cap. 152, lib. II.
Leges imperatorum in Ecclesiæ adjutorium licet assumere, cap. 153, lib. II.
Legibus imperatorum quæ pro Dei veritate feruntur, non obtemperans, acquirit grande supplicium; at contra præmium grande, si non obediat legibus quæ contra Dei veritatem feruntur, cap. 154, lib. II.
Lector cum ordinatur, facfat de eo verbum episcopus ad plebem indicans ejus fidem, vitam ac ingenium et tradat ei codicem et quid insuper dicat ei episcopus, cap. 38, lib. III.
Laici tempore baptismi uxores habentes, si post baptismum religiose ac pie vixerint, ad clericatus sortem assumi non prohibentur, cap. 45, lib. III.
Laicus qui post uxorem, aliam cognoverit mulierem, non admittatur ad clerum, cap. 62, lib. III.
Lectores si ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri, cap. 111, lib. III.
Lapsi in suum ordinem reparari non possunt, cap. 145, 146, lib. III.

Introdusă în format electronic de Google

Lapsum credimus posse redire ad honorem post dignam satisfactionem, cap. 147, lib. III.
Lapsi reparari possunt post dignam satisfactionem, *ibidem* et cap. 148. lib. III.
Lapsos Domini sacerdotes, et reliquos fideles, nos credimus post dignam satisfactionem posse redire ad honores, *ibidem*.
Lacrymarum effusio tenet animi passionem; satisfactione autem impleta, avertitur animus ab ira, *ibid*.
Post lapsum qui redire possunt ad pristinum gradum et honorem, et qui non, cap. 149, lib. III.
Lucrum turpe dicimus, cum quis non necessitate, sed cupiditate comparat annonam vel vinum messis tempore, vel vindemiæ et servat usque dum venumdetur, cap. 162, lib. III.
Ludus tabulæ luxuriosus, et seminarium peccatorum, omni tempore est fugiendus, cap. 171, lib. III.
Laicus in judicio sæculari non debet clericum accusare, cap. 31, lib. IV. — Nullus potest crimen inferre, vel episcopo vel alicui in ordinibus posito, cap. 90, lib. IV.
Litteræ dimissoriæ apostoli vulgo dicuntur, cap. 128, lib. IV.
Leges sæculares in nostro judicio recipimus, quia ecclesiasticæ leges et divinæ eas recipiunt, cap. 44, lib. V.
Lenonem quemque esse prohibere debent prætores, cap. 56, lib. V.
Lenonum instrumenta, ac fidejussiones contra bonos mores factæ, invalida sunt, cap. 57, lib. V.
Legitime natus patrem sequitur; non legitime natus sequitur matrem, cap. 62, lib. V.
Ligandi atque solvendi potestate se privat, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moribus exercet, cap. 79, lib. V.
Legitima uxor sit illa, cui tactis divinis Scripturis juratur se eam legitimam uxorem habiturum, cap. 79, lib. VI.
Libertas non est gratulanda, qua fit ut nec debeatur, quod cum lucro redditur, cap. 81, lib. VI.
Licitum expedit tunc, quando non solum propter justitiam quæ coram Deo est, permittitur, sed etiam hominibus ex hoc nullum impedimentum salutis infertur; tunc vero quod licitum est, non expedit, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis, cap. 101, lib. VI.
Lotharius rex præstigiis falsitatis Thebergam reginam a se expellere curabat, quasi non fuisset legitima uxor, cap. 24, lib. VII.
Lex omnis Dei habet imaginem, cap. 44, lib. VII.
Leges omnes tam ecclesiasticæ quam sæculares effusionem humani sanguinis prohibent, cap. 24, lib. VIII.
In lege veteri talionis pœna præcipiebatur; in nova vero ut percutienti unam maxillam, alteram præbeamus, *ibidem*.
Leges humanas ac divinas necesse est evacuari, si ut quidam putant, nemo aut reprimendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, cap. 36, lib. VIII.
Lex mihi non esse videtur, quæ justa non fuerit, cap. 38, lib. VIII.
Ligaturas execrabilium remediorum ars non commendat medicorum, seu in præcantationibus, seu in characteribus, vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta: unde et cuncta sunt vitanda a Christiano et omni penitus execratione repudianda atque damnanda, cap. 67, lib. VIII.
Librorum ordo qui servari in ecclesiastico officio debet, et qui libri sint legendi, et quo tempore, cap. 137, lib. VIII.
Laici qui ecclesias tenent, aut eas episcopis restituant, aut excommunicationi subjaceant, cap. 145, lib. VIII.

M

Matrimonii gradus voluntarius est, non necessarius, cap. 6 prologi.
Matrimonii in gradu et in vitæ perfectione ante susceptionem est deliberandum, post susceptionem vero perseverandum, cap. 6 prolog.
Medicinas multas inveniri coguntmultorum experimenta morborum, cap. 8 prolog.
Mandata vel interdicta omnia ita sunt servanda sicut sunt omnia æterna lege sancita, cap. 9 prolog.
Monachi non osculentur feminas, cap. 8, lib. I.
Missa celebrari non debet nisi in locis ab episcopis consecratis, vel ubi ipsi permiserint, cap. 30, lib. II.
Missa in ecclesia seu basilica combusta potest celebrari cum tabula consecrata, donec ipsa ecclesia restauretur, cap. 31, lib. II.
Missa, nisi magna intervenerit necessitas, celebrari non debet, nisi in sacratis Domino locis, cap. 33, lib. II.
Missas celebrare in oratorio privato non licet, cap. 39, lib. II.
Missa ante horam diei tertiam non est celebranda, cap. 40, lib. II.
Usque ad missam catechumenorum, nullus ecclesiam ingredi prohibeatur, sive hæreticus, sive Judæus, cap. 41, lib. II.
Machabæorum liber unus inter canonicos numeratur, cap. 89, lib. II.
Maria beatissima quod patrem habuerit sacerdotem quemdam ex tribu Levi Joachim nomine, canonicum non est, cap. 128, lib. II.
Moyses et Daniel Ægyptiorum et Chaldæorum sunt litteris eruditi, cap. 133, lib. II.
Mos populi Dei et instituta majorum pro lege sunt tenenda, ubi auctoritas divinæ Scripturæ nihil statuit, cap. 158, lib. II.
Mores diuturni consensu utentium approbati, legem imitantur, cap. 160, lib. II
Mutari sæpe solent tacito consensu principis vel alia lege lata quæ sibi civitas constituit, *ibidem*.
Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta, cap. 161, lib. II.
Mens repleta torpescit, et irrigata terra corporis hujus, spinas et carduos germinat, cap. 185, lib. II.
Metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad apostolicam sedem mittat ad fidem suam exponendam palliumque suscipiendum, cap. 11, lib. III.
Missam nullus audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem, cap. 135, lib. III.
Monachus nullus constituat aut monasteria, aut oratorii domum sine episcopi civitatis licentia, cap. 174, lib. III.
Monachi qui degunt in monasteriis civitatum, vel in possessionibus monasterii, subjecti esse debent episcopo civitatis, cap. 174, lib. III. — In populari frequentia esse non debent, cap. 175, lib. III. — Habeant sui propositi principes Paulos et Antonios, Julianos, Hilarios, Macharios; habeto simplicitatem columbæ, nec cuiquam machineris dolos, et serpentis astutiam, ne illorum supplanteris insidiis, *ibid*.
Monachus non doctoris habet officium, sed plangentis, qui vel se, vel mundum lugeat, cap. 176, lib. III. — Mulierum maximeque adolescentularum vitet aspectum, et in tantum castigator sui sit, ut etiam quæ tuta sunt, pertimescat, cap. 176, lib. III.
Moyses ut prodesset populo Judæorum quadraginta annis eruditur in eremo; pastor ovium, *hominum* factus est pastor, cap. 177, lib. III
Monasteria Ægyptiorum hunc morem habent ut nullum absque opere et labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, et instar fornicantis Hierusalem cum omni transeunti divaricent pedes suos, cap. 178, lib. III.
Si quæ de monachis opera, mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avide monachi suscipiant, nec blandiente desidia respuant, sed miti corde obtemperent Deo cum mansuetudine, cap. 179, lib. III.
Monachi otium proprium necessitatibus Ecclesiæ non præponant, *ibidem*.
Malus coraula, bonus symphoniacus est, cap. 180, lib. III.
Monachus malus, bonus clericus est in proverbio dici solet, *ibidem*.
Bonus monachus vix bonum clericum facere solet dici, *ibidem*.
Monachi propositum proprio arbitrio susceptum deseri non potest absque peccato, cap. 182, lib III.
Militia, si innocens est, honestum potest esse conjugium, electionem tamen meliorem deseruisse trangressio est, cap. 182, lib. III.
Monachus ante unius anni probationem non fiat, cap. 183, lib. III. — Qui incognitus est non fiat, antequam per triennium probetur, cap. 184, lib. III. — Ante legitimos annos factus, in monachatu perseveret, si infra annum parentes ejus non reclamaverint, cap. 185, lib. III.
Mulier quæ mutavit habitum propter continentiam, si virilem amictum sumat, anathema sit, cap. 213, lib. III.
Mulieri crines attondenti quæ pœna debeatur, cap. 214, lib. III.
Minorum sententia majores damnari non possunt, cap. 17, lib. IV.
Metropolitanus sine comprovincialium consilio aliorum causas agere non præsumat, cap. 20, lib. IV.

Introdusă în format electronic de Google

Metropolitanus in suffraganei provincia nihil absque ejus consilio agat, cap. 29, lib. IV.

Ministrorum confessio non sit extorta, sed spontanea, cap. 118, lib. IV.

Metropolitanis et comprovincialibus episcoporum causas audire licet sed non definire, cap. 134, 135, 136, lib. IV.

In matrimonium incestum qui contraxerit, et liberos ex priori legitimos non habuerit, suis privetur bonis, et dos incesti matrimonii fisco vindicetur, cap. 57, lib. V.

Mores diuturni consensu utentium approbati legem imitantur, cap. 59, lib. V.

Maledictionis sententiam cum sancti viri proferunt non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine prorumpunt, cap. 82, lib. V.

Maledictum Scriptura sacra duobus modis memorat, aliud quod approbat, et aliud quod damnat, *ibidem*.

Miseratio apostolica veniam solet præstare correctis, cap. 104, lib. V.

Miserabilis est insaniæ, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed in cœlo se ligari posse et solvi, cap. 108, lib. V.

Mortuis communicare non possumus quibus viventibus non communicavimus, cap. 118 et 136, lib. V.

Matrimonium est viri mulierisque conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, cap. 1, lib. VI.

Ad matrimonium non pertinet illa mulier cum qua non celebratur nuptiale ministerium, cap. 25, lib. VI.

Matrimonio legitimo copulatur, quæ viro habenti concubinam traditur, cap. 35, lib. VI.

Matrimonium legitimum est, inter libertam et patronum, cap. 37, lib. VI.

Matrimonium contrahere licet servo, cap. 38, lib. VI. — Manet inter servos quos dominus eorum conjunxerit, uno eorum libero, postea et altero servo manente, cap. 39 et 40, lib. VI.

Matrimonia servorum legitime facta, eorum domini non possunt dirimere, cap. 40, lib. VI.

Matrimonium est inter liberum et ancillam quam sciverat esse talem, et collaudaverat, cap. 41, lib. VI. — Non est inter liberum hominem seu ingenuum et ancillam quam nesciverat esse talem, si eam redimere non potest, *ibidem*. — Est inter mulierem ingenuam et servum quem sciebat esse talem, cap. 42, lib. VI. — Inducit consuetudo ad liberam mulierem, cap. 48, lib. VI

Meretricibus licet meliorem vitam eligere etiamsi juraverint se in tali pessima professione permansuras, cap. 58, lib. VI.

Meretrix est quæ multorum patet libidini, cap. 68, lib. VI.

Matres quæ tutelam filiorum habere volunt jurent prius se ad alias nuptias non venturas, cap. 69, lib. VI.

Matres quæ alia matrimonia optant, tutelas filiorum administrare non debent, *ibidem*.

Mulier illa infamis erit, quæ mortuo marito nondum annali spatio peracto, ad secundas transit nuptias, cap. 70, lib. VI. — Quæ ex priori marito filios non habet, non erit infamis etiam si secundo nubat, nondum peracto anno post mortem prioris, *ibidem*. — Quæ secundo nubit privilegiis prioris mariti non utatur, cap. 71, lib. VI. — Quæ tutelam filiorum habet, si ad secundas nuptias transire vult, prius filiis suis impuberibus tutorem petat, et administrationis rationem reddat, et debitum si quod habent persolvat, et postea nubat cui velit, cap. 72, lib. VI.

Mulierem qui velari permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur, cap. 82, lib. VI.

Mulier quæ viro suo in captivitatem ducto, alio nupserat, revertente priori illi copuletur, cap. 86, lib. VI. — Quæ alii nupserit putans virum suum in bello mortuum, illo redeunte, ad eum cogitur redire, cap. 87, 88 et 89, lib. VI. — Nec culpabilis judicetur et antequam alieni juris pervasor habeatur, qui personam in ejus mariti qui jam non esse æstimabatur, assumpsit, *ibidem*. — Dimittendum et inculpabile judicandum est quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit, *ibidem*.

Qui matrimonium sani contraxerunt ob multam infirmitatem aut membrorum obtruncationem eorum possunt solvi conjugia, cap. 93, lib. VI.

Mulier fidelis habens virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum, cap. 94, lib. VI.

Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate, et eadem sunt in nostris officiis gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus, cap. 100, lib. VI.

Matrimonium consensu contrahitur, nec invalidum fit, quia consuetudo patriæ non servatur, cap. 102, lib. VI.

Ad matrimonium sufficit solus eorum consensus quorum de conjunctionibus agitur, qui solus si defuerit, cætera omnia cum ipso coitu celebrata frustrantur, cap. 107, lib. VI.

Matrimonium non facit coitus, sed voluntas, Chrysostomo magno attestante; *ibidem*.

In matrimonium nulla invita est copulanda, cap. 109, lib. VI.

Matrimonium non est, si quis cum serva contraxerit quam putabat esse liberam, cap. 110, lib. VI. — Vitiat error conditionis, cap. 110, lib. VI.

Maritum qui propter imbecillitatem naturalem ad duos continuos annos cum uxore coire non valet, potest mulier repudiare, cap. 113, lib. VI.

Mulier quæ conjuncta matrimonio probat virum non posse se agnoscere carnaliter, accipiat alium, cap. 114, 115 et 118, lib. VI.

Maleficiis impeditis ne coire possint orationibus, eleemosynis et jejuniis subveniendum est, et non malefica arte, cap. 117, lib. VI.

Mulier si dicit quod vir non coisset cum ea, et vir ait quod sic, in veritate viri consistat, quia vir caput mulieris est, cap. 119, lib. VI.

Meretricem qui retinet, fatuus et injustus est, cap. 7 et 8, lib. VII.

Non mœchaberis, id est ne quisquam post matrimonium aliis feminis misceatur ad explendam libidinem, cap. 23 et 31, lib. VII.

Mulier non est facta ad imaginem Dei, sed vir, cap. 44, lib. VII.

Mulier subjecta est viro in omnibus, nec docere potest, nec fidem dare, nec judicare, cap. 49, lib. VII. — Debet velare caput suum, quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta, cap. 51, lib. VII.

Per mulierem inchoata est prævaricatio, *ibidem*.

Mortem non est nostrum accipere, sed illatam ab aliis libenter excipere, cap. 3, lib. VIII.

Mortis sententia lata, executioni non tradatur nisi post triginta dies, cap. 10, lib. VIII.

Misericors non est, qui vitiis nutriendis parcit et favet, ne consistet peccantium voluntatem, cap. 15, lib. VIII.

Militare non prohibuit quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, cap. 42, 45, lib. VIII.

Malos qui percutit in eo quod mali sunt minister Domini est, cap. 51, lib. VIII.

Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est, cap. 60, lib. VIII.

Militantibus quædam sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur, *ibidem*.

Militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus quicunque sibi stipendia publice decreta consequitur, hæc Joannis sententia potest dici, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; sed contenti estote stipendiis vestris, cap. 60, lib. VIII.

De magorum præstigiis an vera sint, vel phantastica quæ faciunt, cap. 65, lib. VIII.

Magicis præstigiis quæ fiunt, potius finguntur quam eorum veritate compleantur, *ibidem*.

Magi sunt qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur, *ibidem*. — Permissu Dei, elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo ac sine ullo veneni haustu violentia tantum carminis interimunt, *ibidem*. — Dæmonibus accitis audent ventilare ut quoscunque suos perimant malis artibus inimicos, *ibidem*. — Sanguine utuntur, et victimis sæpe contingunt corpora mortuorum, cap. 65, lib. VIII.

Quæ magorum præstigiis fiunt non vera sed phantastica esse probantur, cap. 67, lib. VIII.

Magorum portentis per dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana quando id imprudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit investigare, *ibidem*. — Et ideo datur potestas immundis spiritibus ut perversos sibi captent, hoc est, pravos homines seducant, illos qui spernunt veritatem et credunt mendacio, *ibidem*.

Stryges mulieres nocturnis illusionibus putantes et profitentes se æquitare, et multa noctu terrarum spatia pertransire, damnantur et execrantur, cap. 75, 76, lib. VIII. — Innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, et credendo a recta fide deviant, et in errorem paganorum devolvuntur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum arbitrantur, *ibidem*. — Sacerdotes per ecclesias sibi commissas populo omni instantia prædicare debent, ut noverint hæc omnia falsa esse, et non a divino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus infidelium irrogari, *ibidem*.

Mulier infidelis, cum solus spiritus hoc patitur, hæc non animo, sed in corpore evenire opinatur, *ibidem*.

Mulier quæ mentes hominum se immutare posse dicit, aut eas de odio in amorem, aut de amore in odium con-

Introdusă în format electronic de Google

vertere, scopis correcta ex parochia ejiciatur, cap. 76, lib. VIII.

Mathematicos et planetarios Christiana et vera pietate expellit et damnat, cap. 79, lib. VIII.

De malis duobus minus elegi oportet, cap. 93, 119, lib. VIII.

Mendacii octo genera, cap. 124, lib. VIII.

Non est mentiendum in doctrina pietatis quia magnum scelus est et primum genus est detestabilis mendacii, *ibidem*.

Mendacium per seipsum turpe est, *ibidem*. — Est falsa vocis significatio cum voluntate fallendi, cap. 125, lib. VIII. — Faciat homo pro temporali hominum salute quod potest, cum autem adventum fuerit ut tali saluti consulere, nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum non esse prospexerit quod recte faciat, *ibidem*.

Mendacii omne genus summopere fuge, ne qualibet fallacia vitam defendas alicujus, cap. 126, 127, lib. VIII.

Cum mentiris humilitatis causa, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, cap. 128, lib. VIII.

Mendacia a mendacibus serio aguntur, cum autem quæ non sunt, tanquam joco dicuntur non deputantur mendacia, cap. 129, lib. VIII.

Mendaciorum duo sunt genera, in quibus non magna est culpa, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut proximo mentimur, cap. 130, lib. VIII. — Si quis forte ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius, *ibidem*.

Mentiens judicandus non est, qui dicit falsum quod putat verum, quoniam quanto in ipso est, ille non mentitur, non fallit ille, sed fallitur, cap. 133, lib. VIII. — Omnis qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi, *ibidem*.

Monachis et canonicis regularibus interdicitur juri civili, et medicinæ operam dare, cap. 144, lib. VIII.

Militum nundinæ, ad quas ex condicto veniunt congressuri ad ostentationem virium suarum et audaciæ damnantur, cap. 148, lib. VIII.

Missas nullus audiat eorum, quos uxores vel concubinas populares cognoverit habere, cap. 142, lib. VIII.

N

Neophitos Leo pontifex maximus ad summum sacerdotium permisit ascendere, quos tamen D. Paulus publica prædicatione ab eorum officio studuit removere, cap. 10 prologi.

Necessitas in remedio quod reperit debet cessare ipsa cessante, cap. 17 prologi.

Ad nuptiarum ornatum ministeria divina non præstentur, cap. 163, lib. I.

Nestorius hæreticus duas in Christo asserebat personas, cujus hæresis damnatur in concilio Ephesino primo, cap. 109, lib. II.

Nicænam synodum cum reliquis quatuor veneramur, ait D. Gregorius, etc., cap. 147, lib. III.

In negotiis ecclesiasticis dicta ante illius exitum recedere licet si necesse fuerit, non ita in sæcularibus, cap. 100, lib. IV.

Nemo suum dicere potest, quem pereuntem contempsit, cap. 52, 53, lib. V.

Nemo propere vel præpostere scilicet non commonitus, nec convictus est judicandus, cap. 124, lib. V.

Nuptias celebrare quibus temporibus liceat, cap. 2, 3, lib. VI.

Nubendi licentia non tribuitur his qui continentes esse decreverunt, cap. 4, lib. VI.

Nuptias occultas nullus faciat, cap. 5, 6, lib. VI.

Nubentibus annulus in quarto digito inseritur, quia in eo vena quædam (*ut fertur*) sanguinis ad cor usque perveniat, cap. 8, lib. VI.

Nuptiæ secundæ in utroque Testamento licitæ esse monstrantur, cap. 22, lib. VI.

Nuptiarum veritas non consistit in conjunctione maris et feminæ, cap. 29, lib. VI. — Omne bonum impletum est in ipsis Christi Domini nostri parentibus; fuerunt enim in eo matrimonio fides, proles et sacramentum : fides quia nullum adulterium; proles, quia Dominus ipse noster, et sacramentum quia nullum divortium, cap. 30, lib. VI

Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur si societur malo : sed qui malus est, in bonum convertitur, si boni exempla sectetur, cap. 57, lib. VI.

Nuptiæ secundæ licitæ esse probantur, cap. 59 et 60, lib. VI.

Nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre, ait D. Augustinus, *ibidem*.

Nuptiarum fœdera inter viventes, quantumvis aliis adhæserint, sunt inseparabilia, cap. 71, lib. VI.

Nuptiarum vinculum manet etiam si proles cujus causa initum est, manifesta sterilitate non sequatur, cap. 105, lib. VI.

Nubere non cogitur puella cui nunquam consensum adhibuit, etiam si juramentum patris interveniat, cap. 108, lib. VI.

Negotiari aliquando licet, aliquando non licet : antequam ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto jam non licet, cap. 26, lib. VII. — Gradus consanguinitatis, nomina graduum, superiorum seu inferiorum, sive ex latere venientium, cap. 89, lib. VII.

Non solum respiciamus ad opera, sed tempus et causam, et ad voluntatem, personarum quoque differentiam : non enim possumus aliter ad veritatem pervenire, cap. 18, lib. VIII.

Non corrigere filium suum non est charitas, sed languor, cap. 22, lib. VIII.

Necromantici sunt, quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui divinare, et ad interrogata respondere, cap. 63, lib. VIII. — A νεκρὸς quod est mortuus, et μαντεία quod est divinatio nuncupatur, *ibidem*.

Necromantia quando fit, cruor aquæ admiscetur, ut colore sanguinis facilius provocentur dæmones, qui amare sanguinem dicuntur, *ibidem*.

O

Originali cum peccato nascitur *omnis homo, qui per concubitum viri et mulieris concipitur*, cap. 8, *lib.* I.

Originali a peccato nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, cap. 8, lib. I. — In peccato concepti, sive fuerint parvuli in uteris matrum viventes, sive extra, sive adulti, mortui absque baptismo damnantur, cap. 9, lib. I.

Pro ordinibus nihil accipiendum, cap. 98, lib. I.

In oratorio privato orare licet, cap. 39, lib. II.

Origenem schismaticum appellat Gelasius papa, cap. 91, lib. II.

Origenis opera cum auctore suo renuenda dicimus, præter nonnulla quæ divus Hieronymus non repudiat legenda, *ibidem*.

Ordinandorum examinatores investigent eorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene litterati, si in lege Domini instructi, si fidem catholicam teneant firmiter, et verbis simplicibus asserere queant, cap. 21, lib. III.

Ordinandi per tres continuos dies examinentur, et sabbato qui probati sunt inventi, episcopo repræsententur, *ibidem*.

Ordinandorum examinatores caveant ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti, a vero devient, ut indignum et minus idoneum ad sacros ordines suscipiendos manibus episcopi applicent, *ibidem*.

Ordinationes presbyterorum et diaconorum *non* celebrari debent, nisi in quatuor temporibus anni, cap. 25, lib. III.

Ordinetur nullus nisi in loco certo et religioso, vel saltem uno anno in civitate moretur, ut de vita et conversatione atque doctrina illius certitudo possit agnosci, cap. 26, lib. III.

Ordinari presbyter aut diaconus nullus debet, nisi mereatur publicæ ordinationis vocabulum apud eos quos vixerit, cap. 27, lib. III.

Ostiarius cum ordinatur, tradat ei episcopus claves ecclesiæ de altari, et quid insuper ei dicat episcopus, cap. 39, lib. III.

Ad ordines sacros nullus de servili conditione promoveatur, nisi libertatis charta in ambone ante ordinationem legatur, cap. 48, lib. III.

Ordinatus ab hæretico Necebone in diaconum reordinatur ab Urbano II papa, cap. 81, lib. III.

Nedum qui ordinantur pro pecunia anathemate feriuntur, sed etiam hi qui pro eis sunt mediatores, cap. 125, lib. III.

Ordinatus ab eo quem scit simoniacum, et ipse, et ordinans depositi pœnitentiam agant, et a propria dignitate privati persistant, cap. 126, lib. III. — Nullus migret de sua parochia ad aliam, nec ad limina apostolorum causa orationis suæ ecclesiæ cura derelicta, nec ad palatium causa interpellandi, cap. 71, lib. III. — Semel iterum ordinari, non debet, cap. 76, lib. III. — Nisi ordinatus fuerit aliquis, etsi boni meriti sit, non tamen potest benedicere, cap. 79, lib. III.

In ordinibus minoribus constitutus vel etiam laicus si virginem non duxerit, ad subdiaconatum provehi non potest, *ibidem*.

Post ordinationem lapsus, depositus permanebit, cap 141, 142, lib. III.

Otiosus omnis in desideriis est, cap. 178, lib. III

Introdusă în format electronic de Google

Oves pastorem suum non reprehendant, cap. 36, lib. IV.
Origenes post mortem excommunicatur, cap. 116, lib. V.
Osee propheta non est culpandus, si meretricem quam duxit, convertit ad pudicitiam, cap. 57, lib. VI.
Occidere hominem ex officio non est peccatum, cap. 1, lib. VIII.
Non occidendi præceptum non sunt transgressi qui auctore Deo bella gesserunt, cap. 2, lib. VIII.
Qui occidit seipsum homicida est et tanto fit nocentior cum se occiderit quanto innocentior in eo causa fuit, qua se occidendum putavit, *ibidem*.
Occidere filium Abraham cum voluit, non fecit contra præceptum, quia obedienter hoc fecit, non crudeliter, *ibidem*.
Quisquis occiderit hominem quemlibet vel seipsum, homicidii crimine innectitur, his exceptis quos vel lex justa generaliter, vel ipse justitiæ fons Deus occidi jubet, cap. 2, lib. VIII.
Occidentium clericum vel monachum pœna, cap. 8, lib. VIII.
Qui occiderit hominem odio et non justitiæ zelo, qua pœna sit plectendus, cap. 9, lib. VIII.
Occidit Phinees hominem et reputatum est ei ad justitiam, cap. 18, lib. VIII.
Occidere quemquam nulli nisi judici licet, cap. 23, lib. VIII.
Ordines ecclesiastici non sanguinis sunt sed meriti, cap. 151, lib. VIII.

P

Præceptiones aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Mobiles sunt quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius inveniendam : immobiles vero sunt quas lex æterna sanxit, quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eamdem auferunt, qualia sunt, diliges Dominum Deum tuum et proximum tuum, cap. 7 prologi.
Præcepta quæ adversus vitia loquuntur, immobilia sunt, ut : Non occides, non mœchaberis, etc. cap. 7 prologi.
Prohibitionibus nonnulla interdicuntur, ita quod si interdicta non fuissent, nec mors operaretur, nec salus periclitaretur, cap. 7 prologi.
Pœnitentia aliquorum ficta per affectatas honorum potentias, cap. 8 prologi.
Principes ecclesiarum multa pro tenore canonum districtius judicant, multa pro temporum necessitate tolerant, multa pro personarum utilitate, vel strage populorum vitanda dispensant, multa etiam a sanctis Patribus immutata, Scripturarum testimoniis comprobantur, *ibid*.
Peccantium turba, generali objurgatione ferienda est, cap. 15 prologi.
Peccatur cum a turba in omnes propter multitudinem potest vindicari, cap. 16 prologi.
Presbyterorum filios quidam Romani pontifices decreverunt non esse assumendos ad presbyteratum, cap. 27 prologi. — Filii, si conversatione sancta et vitæ integritate fuerint probati, non solum ad presbyteratum, sed etiam ad summum sacerdotium possunt promoveri, cap. 27 prologi. — Filii fuerunt summi pontifices sex videlicet Felix tertius, Agapitus, Gelasius, Sylverius, Deusdedit, et Theodorus Theodori episcopi filius, cap. 29 prologi.
Pater principium deitatis, cap. 1, lib. I. — Filius et Spiritus sanctus unius ejusdem substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuans unitatem, cap. 7, lib. I. — Filius et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur, cap. 7, lib. I.
Patrinus, unus et idem esse potest, necessitate cogente in catechismo, baptismo et confirmatione, cap. 77, lib. I. — Unus idemque non potest esse in baptismo et in confirmatione secundum consuetudinem Romanam, cap. 77, lib. I. — Unus et non plures debent suscipere infantem in baptismo, idem in confirmatione, cap. 78, lib. I. — Esse non potest, nec in baptismo, nec in confirmatione qui non fuerit baptizatus et confirmatus, cap. 79, lib. I. — Esse non potest abbas vel monachus, cap. 80, 81, lib. I.
Patrini fideijussores sunt apud Deum pro eis quos de sacra fonte susceperunt, et quid debent filios docere, cap. 82, lib. I.
Præfationes novem tantum sunt in sacro catalogo recipiendæ, cap. 138, lib. I.
Presbyter nisi duobus præsentibus sibique respondentibus, cap. 139, lib. I.
Pollutio in somnis quatuor modis contingere potest, cap. 160, lib. I. — In somnis quando sacrificium missæ celebrare impediat, et quando non, *ibidem*. — Laici de ecclesiis non ejiciant absque episcoporum consensu, cap. 46, lib. II.
Presbyteros laici non constituant, sed neque ejiciant sine consensu suorum episcoporum, cap. 47, lib. II.
A presbyteris propter emendationem ecclesiæ munera exigat, cap. 48, lib. II.
Presbyter qui tempore promotionis suæ ad ordinem nihil habet, si postea prædium emit, ecclesiæ præsumitur esse, cap. 50, 52 et 53, lib. II.
Picturæ in ecclesiis non fiant, cap. 55, lib. II. — Non sunt frangendæ neque de ecclesia tollendæ, cap. 56, lib. II.
Pictura gentibus pro lectione est, cap. 50, lib. II. — Est idiotis quod legentibus scriptura, *ibidem*.
Partes quatuor fieri debent de fidelium oblationibus, una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta ad restaurationem ecclesiæ, cap. 60, lib. II.
Parochiæ quæ apud episcopum sine violentia triginta annis possidentur, maneant immobiles, cap. 64, 65, lib. II.
Præscriptio quadraginta annorum religiosis domibus conceditur, cap. 66, lib. II.
Possessio tricennalis intra unam provinciam servari debet, cap. 67, lib. II. — Tricennalis alienam diœcesim tollit, cap. 68, lib. II.
Pœniteat quindecim annos qui ecclesiam combusserit, et eam non restituat, cap. 70, lib. II.
Possessiones Deo sacratas qui fastu superbiæ inhoneste tractaverit communione fidelium privetur, cap. 71, lib. II.
Paulus apostolus versus poetarum scriptis suis inseruit, cap. 133, lib. II.
Poetarum figmenta Christianis legere ideo prohibetur, quia per oblectamenta fabularum mentem excitant ad incentivam libidinum, cap. 137, lib. II.
Priscianus Cæsariensis grammaticæ artis profunda rimatus est, cap. 145, lib. II.
Petrus qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti, cap. 167, lib. II.
Ad papæ electionem adhibeantur imprimis cardinales episcopi, mox Christi clerici cardinales et reliquus populus et clerus, cap. 1, lib. III.
Contrarium, c. 8, libri tertii, et capite, nullus, et Adrianus, prima distinctione, 63.
Papæ electio si in urbe fieri non possit, cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicis laicisque licet paucis jus potestatis obtineant ad eligendum sedis apostolicæ pontificem, ubi congruentius indicaverint, *ibidem*.
In papam electus, si malignitatis studio intronizari non valet sicut papa auctoritatem obtineat regendi sanctam Romanam Ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium fecisse ante suam consecrationem cognovimus, *ibidem*. — Electus ab omnibus, præsentibus legatis imperialibus consecretur, *ibidem*.
In papæ electione si studia cœperint esse diversa, sententia plurimorum convincat, cap. 2, lib. III. — Electione ille omnibus præponatur, qui cleri plebisque consensus concorditer postulaverit, cap. 6, lib. III.
Presbyteri et diaconi professionem episcopo suo faciant, ut pure et caste vivant, cap. 22, lib. III.
Presbyterum ante triginta annos, id est ante viri perfecti ætatem, nullus ordinare præsumat, cap. 28 et 32, lib. III.
Presbyter si trigesimum non impleverit annum, non ordinetur etiamsi valde sit dignus, qui et ipse ea ætate voluit baptizari et cœpit docere, cap. 29, lib. III. — Cum ordinatur et episcopus et presbyteri omnes qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi ponant, cap. 33, lib. III.
Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi sola presbyteri jussione officium suscipere cantandi, et quid insuper dicat sibi presbyter, cap. 40, lib. III.
Primicerii officium quod sit, cap. 41, lib. III.
Pœnitens quamvis bonus, clericus non ordinetur : si aliter per episcopi ignorantiam factum fuerit, deponatur a clero, cap. 60, lib. III. — Non admittatur ad clerum nisi tantum necessitas aut usus exegerit, et tunc inter ostiarios vel lectores deputetur : si ordinatus ante fuerit, inter subdiaconos habeatur, cap. 61, lib. III. — Dicitur, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio divino fuerit reconciliatus altari, cap. 61, lib. III.
Presbyteri aut diaconi qui de locis ubi ordinati sunt, ad alia se transferunt loca, deponantur, cap. 72, lib. III.
Presbyteris per diversa vagari loca non liceat, sed in

Introdusă în format electronic de Google

ecclesiis maneant in quibus constituti sunt, cap. 74, lib. III.

Presbyter ad alium migrans locum non recipiatur nisi suæ migrationis causam dixerit, cap. 75, lib. III.

A Petro post Christum Dominum sacerdotalis cœpit ordo, cap. 82, lib. III.

Presbyter si uxorem acceperit, deponatur ab ordine : si fornicatus fuerit, ab Ecclesia pellatur, cap. 91, lib. III.

Presbyteri diaconi et subdiaconi a suorum graduum dignitate dejiciantur, si incontinentes fuerint, cap. 103, lib. III.

Presbytera dicitur quæ presbyteri erat uxor, cap. 114, lib. III.

Presbyter presbyteram suam, id est uxorem, ut sororem diligat, sed quasi hostem caveat nec sinat eam nunquam ad se propius accedere, vel per eam sibi ministrari necessaria, cap. 114, lib III.

Ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honor locum habere non potest, cap. 130, lib. III.

Peccatum paganitatis incurrit quisquis dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit, cap. 134, lib. III.

Presbyteri, diaconi et subdiaconi qui in crimine fornicationis jacent, non ingrediantur ecclesiam nisi prius pœnitentiam egerint, *ibidem*.

Presbyteri, diaconi et subdiaconi fornicarii in peccato perseverantis, nullus audiat officium, cap. 134, lib. III. — Fornicarii benedictio convertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, juxta illud Malachiæ II, *Maledicam*, etc., *ibidem*.

Pœnitentia in divo Petro post negationem secuta est, et post pœnitentiam indulgentia ei data est, quia illum ab apostolatu non dejecit, quem ante seipsum negaturum prædixit, cap. 147, lib. III.

Quos pœnitentiæ præcesserit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio, illos ad pristinos gradus canon redire præcepit, cap. 149, lib III. — At contra hi qui nec a vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, neque gradum utique honoris, neque gratiam communionis recipiunt, cap. 149, lib. III.

Qui per pœnitentiæ satisfactionem noverit propria delicta deflere, potest restaurari in proprio ordine ; qui vero negligit nec luget quæ gessit, nec lugenda sine ullo pudore religionis, vel timore judicii divini committit, eum nullo modo posse ad pristinum gradum restaurari cognoscas, cap. 149, lib. III.

Presbyter aut diaconus qui confitentur se ante ordinationem peccasse, non sacrificet presbyter, et convicti deponantur, cap. 150, lib. III. — Qui confitetur se corporaliter lapsum ante ordinationem non sacrificet, cap. 151, lib. III.

Propositum unumquodque habet principes suos, cap. 157, lib. III.

Puella si ante duodecim annos fuerit religionem ingressa et parentes vel tutores tacendo consenserint, in sancto proposito permaneat, cap. 187, lib. III.

Professio religionis quomodo fieri debeat, cap. 102, lib. III.

Petrus et Paulus non diverso (sicut hæretici garriunt) sed uno tempore eodemque die gloriosa morte in urbe Roma sub Nerone coronati sunt, cap. 3, lib. IV.

Pontifex summus a nullo judicari habet in terris, quod multis exemplis probatur, cap. 6, lib. IV.

Populus Dei, a populo Dei non separat materna conditio sed propria culpa, cap. 47, lib. IV.

Papæ causæ a nullo homine judicantur, at papa aliorum hominum causas judicat, cap. 8, lib. VI.

Pontifex apostolicæ sedis judicandus Dei solius reservatur arbitrio, cap. 8, lib. IV.

Pontifices summi Petri successores cœlo tantum debent innocentiam, *ibidem*.

Provinciæ multo ante Christi adventum divisæ sunt, maxima ex parte et divisio postea renovata est ab apostolis et a beato Clemente, cap. 23, lib. IV.

Ad primates post sedem apostolicam summa negotia conveniunt, *ibidem*.

Primatibus et patriarchis quæ obedientia sit exhibenda, *ibidem*.

Provincia est quæ habet decem vel undecim civitates et unum regem, et totidem minores potestates sub se et unum metropolitanum aliosque suffraganeos decem vel undecim episcopos judices, cap. 24, lib. IV.—Unaquæque non oportet ut degradetur, vel deshonoretur, sed apud semetipsam habeat judices sacerdotes et episcopos, ad quorum judicium omnes causæ referantur, *ibidem*.

Primates nulli archiepiscopi vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, cap. 25, lib. IV.

Primatum nullus vel archiepiscoporum debet aliquem de alterius parochia excommunicare, cap. 27, lib. IV.

Primas nullus aut metropolitanus in alterius parochia quidquam agere potest, nisi de consensu episcopi, cap. 28, lib. IV.

Primates vel patriarchæ nihil privilegii habent præ ceteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, cap. 29, lib. IV.

Pastorem oves non debent accusare, nisi a recta fide erraverit, cap. 29, lib. IV.

Pastorum facta oris gladio ferienda non sunt, quanquam recte reprehendantur, *ibidem*.

Qui non probaverit quod objicit pœnam quam intulerat, ipse patiatur, cap. 75, lib. IV.

Purgatio canonica purgandus presbyter infamatus de crimine quomodo sit, cap. 1, lib. V.

In purgatione canonica digna satisfactio est si ab eis a quibus creditur reus, post rectam securitatem de imposito crimine innocens esse manifestetur, *ibidem*.

In purgatione sua Leo papa duodecim episcopos habuit, cap. 3, lib. V.

Purgandus presbyter quomodo sit, *ibidem*.

Purgavit se Leo papa de crimine objecto *et quomodo*, cap. 4, lib. V.

Purgare quomodo fecit Leonem episcopum de crimine objecto divus Gregorius papa, cap. 5. lib. V.

Purgare quomodo fecerit Mennam episcopum beatus Gregorius, cap. 6, lib. V.

Ad purgationem faciendam interdicitur aquæ fervents sive ferri candentis contactus, cap. 8, lib. V.

Purget se laicus per juramentum, cap. 10, lib. V.

De presbyteris non est laicis judicandum, nec quilquam de vita eorum investigandum, sed reservandum episcoporum judicio, cap. 12, lib. V.

Probatio non a possessore, sed a petitoris partibus requiratur, cap. 17, lib. V. — Ab eo quæri debet, qui petitam rem desiderat obtinere, non ab illo qui se jure tenere intendit, cap. 17, lib. V. — Ei incumbit qui dicit, non qui negat, cap. 18, lib. V.

Probat vera esse quæ adversus se dicta sunt, qui ad ea confutanda minime vult adesse, cap. 44, lib. V.

Per procuratorem aut per servum colonum non potest domino invito fieri præjudicium, cap. 48, lib. V.

Potestatem ligandi atque solvendi divus Petrus Clementi tradit, cap. 48, lib. V.

Plerumque contingit ut judicis locum teneat cujus ad locum minime concordat vita ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat, cap. 78, lib. V.

Patrinum ita diligere debet homo *tanquam patrem*, cap. 124, lib. VI.

Pœnitentia Astulphi, qui sine causa mortis suam interfecit uxorem, cap. 16, lib. VII.

Quæ pœnitentia sit imponenda ei qui injuste uxorem suam interfecit, *ibidem*.

Purgatio adulterii imputati quomodo fieri debeat, cap. 39, lib. VII.

Propinquitatum omnia nomina continentur in septem gradibus, cap. 80 et 89, lib. VII.

Propter peccata præterita magis hac vita opus est, ut possint homines pœnitendo servari, cap. 2, lib. VIII.

In persecutionibus non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere, cap. 3, lib. VIII.

Pœna interficientium clericos varia, cap. 7, lib. VIII.

Petrus orando Thabitam suscitavit, increpando autem Ananiam et Saphiram morti tradidit, cap 19, lib. VIII.

Papa Leo adversus Saracenos Romam est ingressus, et populum contra eos jussit congregari, cap. 27, lib. VIII.

Papa sui gregis in omnibus ultor esse debet et præcipuus adjutor, cap. 29, lib. VIII.

Non persequitur nisi qui ad malum cogit, qui vero vel factum punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste sed diligit, cap. 36, lib. VIII.

A præliis est abstinendum non solum quadragesimali, sed etiam omni tempore, si nulla urget necessitas, cap. 37, lib. VIII.

Peccantium felicitate nihil est infelicius, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas, velut hostis interior roboratur, cap. 42, lib. VIII.

Quomodo pugnatur, Deus apertis cœlis spectat, et partem quam inspicit justam, ibi dat et palmam, cap. 43, lib. VIII.

Introdusă în format electronic de Google

Arripe manibus arma, et oratio aures pulset auctoris, *ibidem*.

Princeps est vindex contra omnes iniquos, ut terrore comprimat quos nequit corrigere monitis salubribus, quare non sine causa gladium portat, cap. 55, lib. VIII.

Pythonissæ a Pythonio Apollinæ dictæ, quod is auctor divinandi fuerit, cap. 66, lib. VIII.

Præstigium Mercurius primus dicitur invenisse, et dicitur præstigium, eo quod præstringat aciem oculorum, cap. 67, lib. VIII.

Hoc est præstigium Satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingat, *ibidem*.

Privilegia singulorum non possunt legem facere communem, cap 73, lib. VIII.

Promissa omnia non semper solvenda sunt, cap. 102, lib. VIII.

Pœnitentia Dei, est rerum mutatio : non pœnitere Dei est statuta non revocare, cap. 114, lib. VIII.

Pontificem summum eligendi jus habet imperator, cap. 135, 136, lib. VIII.

Papa Adrianus cum universa synodo tradiderunt Carolo jus et potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem, *ibidem*.

Ad pacem firmiter tenendam episcopi, omni tepiditate deposita, mutuum sibi consilium et auxilium præbeant, cap. 147, lib. VIII

Q

Quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec de conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine Ecclesiæ roborata sunt, resecanda sunt, cap. 168, lib. II.

Quatuor tempora instituta a Calixto papa et martyre duodecimo a Petro, cap. 175, lib. II.

Quaternum solemne agamus jejunium per Quatuor tempora anni, sicut et ipse annus per quatuor tempora volvitur, cap. 175, lib. II.

In Quatuor temporum jejunio, feria quarta, sexta et Sabbato veniant omnes ad ecclesiam hora nona cum letaniis ad missarum solemnia, cap. 180, lib. II.

Quadragesima summa observatione est observanda, jejunii dies præter Dominicos nullatenus solvantur, cap. 182, lib. II.

Per Quadragesimæ triginta sex dies jejunii quasi anni decimas Deo damus, *ibidem*.

Ut quadraginta dierum sacer numerus impleatur, quem Salvator noster suo sacravit jejunio quatuor dies prioris hebdomadæ adduntur, *ibidem*.

In Quadragesima jejunare nullatenus credendi sunt, et si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium, *ibidem*.

In Quadrag. concurrendum est ad missam, et auditis missarum solemniis, et vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibos accedendum, cap. 184, lib. II.

Quod non habuit quis, dare non potuit, cap. 150, lib. III.

Qui terrore præsidis servum se esse mentitur, postea se potest defendere, cap. 49, lib. V.

Quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, cap. 76, lib. V.

Qui ejectus est injuste potest interpellare proximos episcopos, cap. 127, lib. V.

Quæ perturbato animo quis fecit, tranquillo corrigat, cap. 131, lib. V.

In Quadragesima non licet convivia facere, cap. 3, lib. VI.

Quod Dominus prohibet, fieri omnino non licet, cap. 100, lib. VI.

Quod Dominus jubet, servus bonus nullus prohibet, cap. 101, lib. VI

Quorum unum corpus est, unus debet esse et animus, cap. 109, lib. VI.

Ea quæ propter bonum aut licitum facimus aut habemus, si per hoc præter nostram voluntatem alicui quidquam mali acciderit, absit ut nobis imputetur, cap. 1, lib. VIII.

Quicunque sibi stipendia publice decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator et concussor Joannis sententia condemnatur, cap. 60, lib. VIII.

R

Regulas ab apostolis vel apostolicis viris tradita, Romana Ecclesia custodit et custodiri mandat, cap 17, Prolog.

Rebaptizationes, vel reordinationes fieri non licet, cap. 83, lib. I.

Rebaptizare hæreticum hominem qui sanctitatis signa percepit, quæ Christiana tradit disciplina, omnino peccatum est, cap. 84, lib. I.

Rebaptizari non debet, qui in confessione sanctæ Trinitatis est ab hæretico baptizatus, cap. 85, lib. I.

Raptor et rapta si ad ecclesiam confugerint, quid fieri debeat, cap. 72, lib. II.

Rufinus de arbitrii libertate notatur, cap. 91, lib II.

Revelatione facta cedat error veritati, cap. 167, lib. II.

Religionem quam paucissimis et manifestissimis celebratam sacramentis, misericordia Dei voluit esse liberam, cap. 168, lib. II.

Rebus prætereuntibus quisquis restrictius utitur quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans aut superstitiosus est, quisquis vero eis utitur ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est, cap. 195, lib. II.

Romana sacrosancta Ecclesia et apostolica, non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro, primatum obtinuit, cap. 2, lib. IV. — Ecclesia catholica et apostolica nullis synodicis constitutis cæteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit : « Tu es Petrus, et super hanc, » etc., cap. 3 et 10, lib. IV.

Primatus Petri. Ecclesia de omni Ecclesia fas habet judicandi, neque cuiquam licet de ejus judicio judicare, cap. 9, lib. IV.

Ad Romanam Ecclesiam de qualibet et mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus, *ibidem*

Primatus Petri. Sedis apostolicæ judicia judicare aut sententiam retractare, nemini est permissum, cap. 10 et 11, lib. IV. — Primatus. Sedis apostolicæ auctoritate, majus nullum est judicium, cap. 11, lib. IV. — Primatus. Sacrosancta Romana Ecclesia habet potestatem singulari privilegio sibi concessam aperire et claudere januas cœlestis regni quibus voluerit, cap. 12, lib. IV.

Rem alienam qui subripit, lege sæculari cautum habetur, in undecuplum restituat, cap. 47, lib. IV.

Reus spontanea professione reum non faciat ; nec illi de altero credatur, qui se criminosum confessus est, cap. 68 et 69, lib. IV. — Damnari non potest, nisi convictus aut sponte confessus, cap. 135, lib. IV.

Rerum divisio vel rerum dominia quædam acquiruntur jure naturali et quædam civili, cap. 76, lib. V.

Rapta raptori nubere potest, cap. 33, lib. VI.

Raptus illicitus coitus dicitur a corrumpendo, unde qui raptu potitur, stupro fruitur, cap. 53, lib. VI.

Raptores puellarum clerici decidant a proprio gradu, laici vero anathematizentur, cap. 53, lib. VI.—Rapt. puellarum raptas ad conjugia legitima sibi nullatenus possunt vindicare, cap. 55, lib. VI.

Raptori vel raptæ post pœnitentiam licite conjugia concedantur, cap. 56, lib. VI.

Repudio interposito inter gentes, et cui illa voluerit nubat, et ille quam voluerit ducat, cap. 6, lib. VII.

Reos suæ mortis, melior post mortem vita non sufficit, cap. 2, lib. VIII.

Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas et perjuros non sinere vivere, et filios suos non sinere impie agere, cap. 33, lib. VIII. — Aliter servit quia homo est, aliter etiam quia rex est, cap. 59, lib. VIII.—Quia homo est servit vivendo fideliter ; quia etiam rex est, servit leges justa præcipientes et contraria prohibentes convenienti rigore sanciendo, *ibidem*.

Rempublicam gerere non criminosum est, sed ideo rempublicam gerere, ut rem familiarem, et divitias potius augeas videtur esse damnabile, cap. 60, lib. VIII.

Ream linguam non facit nisi rea mens, cap. 111, 116, lib. VIII.

S

Sanctiones regularum ecclesiasticarum partim excipiuntur ex Romanorum pontificum exemplis, partim ex conciliorum catholicorum episcoporum gestis, partim ex tractatibus orthodoxorum Patrum, partim ex institutionibus catholicorum regum. Ivon. Carnot. in Panorm. seu decretorum libro, cap. 1, prolog.

Sacrorum eloquiorum una est facies, cap. 4, prolog.

Spiritualis homo tunc dispositum non implet quando consultius aliquid pro salute eorum quibus prodesse vult, providet, cap. 9, prolog.

Separationis consilia inania sunt contra multitudinem peccantem, cap. 14, prolog.

Synodus synodum solvit propter unitatem et pacem Ecclesiæ, cap. 29, prolog.

Spiritus sanctus ex Patre et Filio. cap. 1, lib. I.

Sacramentum accipis in similitudinem, sed veræ na-

Introdusă în format electronic de Google

turæ gloriam virtutemque consequeris, cap. 127, lib. I.
Sacramentis spiritualibus, ubi præcepit virtus, servit effectus, cap. 129, lib. I.
Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, cap. 130, lib. I.
Sacrificium visibile, invisibile est sacramentum, *ibidem*.
Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire, cap. 131, lib. I.
Species et similitudo illarum rerum vocabula sunt quæ ante fuerunt, scilicet panis et vini, cap. 132, lib. I.
Sacrificium Ecclesiæ constat visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Jesu Christi sanguine et carne, sacramento et re sacramenti, hoc est corpore Christi, cap. 138, lib. I.
Sanctorum corpora usque ad finem sæculi in sepulcro erunt, cap 141, lib. I.
Sacrificium missæ exemplum est illius quo Christus in cruce mortuus est, cap. 145, lib. I. — Et hostia non sunt multa, sed unum quia semel oblatus est Christus, *ibidem*. — Unum est sicut quod ubique offertur, unum corpus et non multa corpora, *ibidem*.
In sacrificio missæ varii errores, alii enim lac pro vino dedicabant, alii sacram eucharistiam intinctam populis porrigebant, etc., cap. 174, lib. I.
Sacrificiis Deo oblatis, omne crimen atque peccatum deletur, *ibidem*.
In sacrificiis divinis offerre non licet nisi panem tantum, et calicem vino et aqua permistum, *ibidem*.
Sacrificium altaris nullus celebrare præsumat, nisi in panno puro lineo, cap. 162, lib. I.
Sepelire mortuum in ecclesia quasi hæreditario jure nemo audeat, nisi quem episcopus aut sacerdos dignum duxerit, cap. 25, lib. II.
Sepulturam temerario ausu : sepulturam cujuscunque temerario ausu nemo audeat violare, *ibidem*.
De sepultura pretium nec coacti debemus accipere, cap. 26, lib. II.
De sepultura aliquid peti aut exigi, omni modo prohibet divus Gregorius, cap. 27, lib. II.
Sanctorum corpora de loco ad locum sine principis et episcoporum sanctæque synodi licentia nullus transferre præsumat, cap. 36, lib. II.
Sedium episcopalium mutationes, temporis necessitate fieri possunt, cap. 37, lib. II.
Sanctorum loca tribus de causis mutanda sunt, cap. 38, lib II.
Sacerdos qui contemptu minoris Ecclesiæ majorem ambit, utraque careat, cap. 45, lib. II.
Spatia quæ definita fuerint, tempore præscribi non possunt, cap. 69, lib. II.
Servus qui ad ecclesiam confugerit, ad dominum suum redire cogatur, suscepto prius a domino ecclesiastico juramento pro commissa culpa, cap. 73, 74, lib. II.
Sacrilegium multipliciter committitur, et multiplex illius pœna, cap. 79, lib. II. — Committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, *ibidem*.
Sacrilegii pœna, cap. 80, lib. II.
Sapientiæ liber probatur ab Augustino, cap. 93, lib. II.
Sardicense concilium omnis Ecclesia recipit, cap. 100, lib. II.
Sanctiones apostolicæ sedis accipiendæ sunt tanquam ipsius divini præcepti voce firmatæ, cap. 101, lib. II.
Sanctos Patres et doctores sequitur quinta synodus, et quos ipsa et nos sequi debemus, cap 102, lib. II.
Synodi quatuor sunt principales, fidei naturam plenissime continentes sed et si qua sunt concilia quæ sancti Patres sancto Spiritu pleni sanxerunt post istorum quatuor auctoritatem, omni maneant stabilita vigore, cap. 110, lib. II.
Septimam sanctam synodum suscipit Adrianus papa, cap. 119, lib. II.
Scripturis in canonicis mendacia nullo modo admittuntur, cap. 119, lib. II.
Sacris in libris aliquod esse mendacium exitiosissime creditur, cap. 121, lib. II.
Sedis apostolicæ legati decepti subscripserunt, cap. 122, lib. II.
Sacerdotes Dei comœdias et amatoria bucolicorum legere, omissis Evangeliis et prophetis, prohibentur, cap. 131, lib. II.
Scientia pietatis est, nosse legem, intelligere prophetas, Evangelio credere, apostolos non ignorare, cap. 135, lib. II.
Sabbati die non est feriandum ut quidam prædicatores antichristi docebant, cap. 169, lib. II.
Sacramenta penitus non celebrari habet traditio Ecclesiæ in biduo Veneris sancti et Sabbati sancti, cap. 177, lib. II.
Sedes apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, cap. 1, lib. III.
Contra statuta Patrum prædecessorum meorum nullam novitatem admittere vel diminuere vel mutare profiteor, cap. 4, lib. III.
Sacros dicimus ordines diaconatus et presbyteratus : hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, cap. 5, lib. III.
Subdiaconos in episcopos eligi non concedimus nisi rarissime, et opportunitate exigente, et cum spectatæ sint vitæ, religionis et scientiæ, cap. 5, lib. III.
Sacerdotum ordinationes Dominica die celebrantur non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica doctrina, *Actuum* XIII, cap. 13, lib. III.
Sacerdotibus necessaria ad discendum sunt sacramentorum liber, lectionarium, baptisterium computum, canones pœnitentiales, psalterium, homiliæ Dominicis diebus et festivitatibus aptæ ex quibus ovibus, si unum defuerit, sacerdotis nomen in eo vix constabit, cap. 24, lib III.
Subdiaconi sacri canones sanxerunt ut ante quatuordecim annos non ordinentur, cap. 32, lib. III.
Subdiaconus cum ordinatur quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum, de manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua et aquæ manile ac manutergium, cap. 35, lib. III.
Servus non canonice consecratus, si de *gradu ceciderit*, ejus sit conditionis, cujus ante gradum fuerat, cap. 48, lib. III.
Ad sacerdotium quicunque promoti fuerint, vel viduarum mariti, vel habentes numerosa conjugia, arceantur sedis apostolicæ auctoritate a sacerdotali nomine et ab omnibus ecclesiasticis officiis, cap. 49, lib. III.
Ad sacros gradus qui uxorem virginem non duxit, non aspiret, et ab his repellantur qui in secundæ uxoris nuptias contra apostolica conveniunt præcepta, cap. 50, lib. III.
De sarcerdotibus nati multi apostolicæ sedi præfuerunt, cap. 52, lib. III.
Sacerdotis filius ab episcopatu non ejicitur, si cæteræ in eum virtutes conveniant, capp. 53, 54, lib. III.
Sacerdotium tempore incolumitatis acceptum superveniente infirmitate non amittitur, cap. 55, lib. III.
Sacramentum baptismi et sacramentum ordinis non possunt iterari, cap. 77, lib. III.
Sacramenta ubicunque sunt, ipsa sunt, *ibidem*.
Separati ab Ecclesiæ unitate, nulla jam quæstio est, quin habeant sacramenta et dare possint, sed perniciose habent et perniciose tradunt. cap. 77, lib. III.
Spiritus sanctus dator gratiarum, non personam sequitur aut digni vel maligni, sed ordinem traditionis, cap. 79, lib. III.
Sacerdotis voluntas nec obesse, *nec prodesse* potest, sed meritum benedictionem poscentis, cap. 79, lib. III.
Sacerdotes, diaconi et subdiaconi orientalium Ecclesiarum, matrimonio copulantur, occidentalium nullus a subdiacono usque ad episcopum licentiam habet conjugium sortiendi, cap. 84, lib. III. — Qui altari ministrant, tempore oblationis sanctorum oportet continere ab amplexu uxorum suarum, ut possint consequi quod suppliciter postulant, cap. 86, lib. III.
Subdiaconis indicitur castitatis votum, cap. 89, lib. III.
Subdiaconi qui ab uxoribus suis continere noluerint ad sacrum ordinem non promoveantur, *ibidem*.
Subdiaconus nullus fiat, nisi perpetuam continentiam profiteatur etiam a propria uxore, cap. 90, lib. III.
Post subdiaconatum nulli conceditur uxorem ducere, cap. 90, lib. III.
Sacerdotibus semper castitas servanda præcipitur, cap. 92, lib. III.
Sacerdotes et levitæ abstinere debent etiam a propriis uxoribus, cap. 94, lib. III. — veteris legis anno vicis suæ a templo non discedebant, nec domum suam tangebant, *ibidem*. — et levitæ a die ordinationis pudicitiam observare tenentur, *ibidem*.
Sacerdoti cui sunt semper sacrificia offerenda, semper est orandum et semper carendum matrimonio, cap. 96, lib. III.
Subdiaconos continentiam observare oportet, cap. 99, lib. III.
Subdiaconis carnale commercium interdicitur, cap. 100, lib. III.
Ante subdaconatus ordinem accedentes ad clerum, possunt uxorem ducere, non post, cap. 102, lib. III.
Ad sacrum ordinem nemo permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis, cap. 104, lib. III.

Introdusă în format electronic de Google

Subdiaconus ab uxore abstineat, cap. 103, lib. III.
Sancti viri habent hoc proprium, a se plerumque etiam licita abscindunt, ut semper ab illicitis longe sint, cap. 114, lib. III.
A sacerdotio est alienus, qui per pecuniam ordinat, aut munere quocunque aut promissione muneris, et qui illud dat vel promittit, cap. 117, lib. III et cap. 118.
Sacros ordines nonnulli sine pecuniæ præmio pro humana gratia largiuntur, et de largitate eadem solummodo laudis retributionem quærunt, cap. 121, lib. III.
Simonia committi tripliciter potest : per munus ab obsequio, quod subjectio indebite impensa ; per munus a manu, quod est pecunia ; et per munus a lingua, quod est favor, capp. 121, 124, lib. III.
Qui sacros ordines tribuit, tum ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum pecuniam nullam, sed etiam humanam gratiam non requirit, cap. 124, lib III.
Erga Simoniacos in dignitate servanda, nulla habenda est misericordia, cap. 125, lib. III.
Simoniæ peccatum hæresim appellat Nicolaus papa et hæresim tripartitam, cap. 127, lib. III.
Sacerdotes hæreticorum episcopali dignitate non habentur digni, cap. 129, lib. III.
Post sacrum ordinem lapsus in carnis peccata, ad altaris ministerium ulterius non accedat, cap. 134, lib. III.
In sacerdotium non potest restitui, cujus crimen fuerit manifestum, cap. 136, lib. III.
Sicut minorem major præcedit honore, ita sit in crimine, et quem major sequitur culpa, majori implicetur vindicta, et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa, cap. 147, lib. III.
Scandalum esse populo Dei tales personas superpositas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat, cap. 152, lib. III.
Sacros ordines qui habent, si deprehensi fuerint publice in perjurio, furto atque fornicatione et cæteris hujusmodi criminibus, a proprio gradu deponantur ; secus autem de his qui occulte deliquerunt, et confessi coram sacerdote sunt crimina, cap 152, lib. III.
Sacerdos post perpetratum homicidium, in sacerdotio non potest ministrare, cap. 153, lib. III.
Si servus fraude aliqua ad gradus ecclesiasticos pervenerit, deponatur et dominus ejus eum accipiat, cap 161, lib. III.
Servus si latenter ad sacerdotium irrepserit, peculii amissione muletetur, cap. 165, lib. III. — Factus clericus, servituti obnoxius manet, cap. 163, lib. III. — Si sciente domino et non contradicente, in clero sortitus sit, ingenuus et liber fiat ; ignorante autem domino, intra annum conditionem probet et servum recipiat, cap. 166, lib. III.
Solitudo mihi paradisus est, et oppidum carcer, cap. 177, lib. III.
Sanctimonialis cum ad consecrationem suo episcopo offertur, cum his vestibus præsentetur quibus postea in religione usura est, cap. 188, lib. III.
Sanctimonialem quæ se esse finxerat, nubere non valet ; quod si fecerit et non resipiscat spiritali gladio est percutienda, capp. 205, 206, lib III.
Sacratæ Deo feminæ corpus qui violat, sacrilegus est ac filius perditionis, cap. 207, lib. III.
Sanctimoniales strenuæ debent esse in officio et in lectione et psalmorum modulatione, cap. 211, lib. III.
Sanctimonialis nequaquam e monasterio egrediatur, nisi abbatissa mittente, et maxima ex necessitate, cap. 212, lib. III. — Quæ viro impudice miscetur, acriter verberibus coerceatur, et in privata custodia coerceatur, ubi quod male commisit, digne pœniteat, cap. 215, lib. III.
In sanctimonialium claustris et secretis habitationibus neque presbyteri ingrediantur, nisi tantum ad missam, *ibidem*.
Sponsam hominis qui violat si reus tenetur, quanto magis reus majestatis efficitur, qui sponsam omnipotentis Dei corrumpit, *ibidem*.
Sedes apostolica cardo et cap. omnium Ecclesiarum a Domino, non ab alio est constituta, cap. 2, lib. IV.
Sedis apostolicæ auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur, *ibidem*.
Ad sedis apostolicæ apicem causas difficiliores ortas quasi ad caput referte, ut apostolico terminentur judicio, *ibidem*.
Sedes Petri apostoli prima est Romana Ecclesia non habens maculam, nec rugam, nec aliquid hujusmodi, capp 3 et 4, lib. IV. — Prima a nullo judicabitur, nec ab Augusto, nec ab omni clero, neque a regibus, nec ab omni populo judex judicabitur, cap 5, lib. IV.
Ad sedem apostolicam omnia episcoporum judicia terminari præcepta sunt, cap 20, lib. IV.
Sacerdotes accusaturus, prius debet eos charitative admonere ; si vero ante accusaverat quam admonuerit, excommunicetur, cap. 34, lib. IV.
Spoliati episcopi sedibus suis ad judicia vocari prohibentur, cap. 42, lib. IV.
Spoliati episcopi prius restituantur et propria recipiant, postea tamen possunt accusari, capp. 43, 44, lib. IV. — Episcopi nec ad comprovincialem, nec ad generalem synodum possunt convocari antequam sua eis prius restituantur, cap. 45, lib. IV.
Spoliato ante litem contestatam, omnia sunt restituenda, capp. 47, 48 et 49, lib. IV. — Post restitutionem suorum inducliæ non parvi temporis sunt ei indulgendæ, antequam vocatus veniat ad synodum, capp. 50, 51, 52, lib. IV.
Sententia a judice lata, absente parte, nullam obtinebit firmitatem, cap. 54, lib. IV.
Sacerdotum conversatio sicut segregata esse debet a laicorum conversatione, ita et litigatio, cap. 61, lib. IV. — Schismatici dicuntur qui seorsum a communicantibus nobis episcopis collectas faciunt, cap. 73, lib. IV.
Sacerdotes criminari non possunt nec contra eos testificari, qui ad eumdem non debent nec possunt provehi honorem, cap. 86, lib. IV.
Sententia ferri non debet nisi quando jam peractis omnibus, partes nihil habent in quæstione quod proponant, cap. 104, lib IV. — Non præcipitanter est ferenda, cap. 116, lib. IV.
Sententiam ad proferendam Domini exemplo monemur, ne unquam præcipites simus, *ibidem*.
Sequestrantur possessionis fructus, cum possessor appellat, dum eventus causæ dubius est, cap. 130, lib. IV.
Sacerdos a populo accusatus, innocentiam suam juramento firmet, et in proprio maneat gradu, cap. 9, lib. V.
Sacramenta divina nullus quantumcunque pollutus potest polluere, cap. 13, lib. V.
Sacerdos, qualiscunque sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest, cap. 13, lib. V.
Sacramenta licite sumi possunt a sacerdote in adulterio deprehenso, sive de hoc sola fama resperso, *ibidem*. — Et communio a sacerdote qualicunque percipienda sunt quousque episcoporum judicio reprobetur, *ibidem*.
Sententia lata absente parte nullam obtinet firmitatem, cap. 16, lib. V.
Sacrosanctæ sedis antistitis judicium cuicunque licet eligere, cap. 23, lib. V.
Sacerdotum ordinationes Dominica die celebrantur, non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica doctrina, *Actuum* XIII A., cap. 13, lib. III.
Servo non credatur, si super aliquem crimen objecerit, vel etiam si dominum suum in crimine impetierit, cap. 27, lib. V.
Servus si super dominum fuerit delator, etiam si objecta probaverit, puniatur, cap. 40, lib. V.
Sacerdotes non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus, cap. 45, lib. V.
Servus vel familiaris accusator, vel delator domini sui, in accusationis exordio ultore gladio feriatur, *ibidem*.
Servi accusare sacerdotes vel contra eos testificari non possunt, *ibid*.
Servus qui fugit, si pro libero se gerat, et paratus est litigare pro libertate sua, non videbitur a domino possideri, cap. 47, lib. V.
Qui servum filium ancillæ suæ expositum, ipso ignorante, repetere voluerit, potest, modo justos sumptus reddat, cap. 51, lib. V.
Solvendi atque ligandi potestate se privat, qui hanc pro suis voluntatibus et non pro subjectorum moribus exercet, cap. 79, lib. V. Non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere nititur, cap. 80, lib. V. — Videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per gratiam visitat, illos sententia pastoralis solvat, *ibidem*. — Tunc illa est vera absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis, cap. 81, lib. V.
Solvere nos debemus illos per pastoralem auctoritatem, quos auctorem nostrum per resuscitantem gratiam scimus vivificare, *ibidem*.
Sacerdos quomodo leprosum mundum non facit, sic episcopus vel presbyter non eos qui insontes sunt ; nec solvit noxios, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates scit quis ligandus, scit quis solvendus, cap. 86, lib. V.
Sacerdotes Christi et regum et principum, omniumque fidelium patres et magistri censentur, cap. 108, lib. V. — Constantinus Magnus dominos vocans, non suo debere judicio subesse, verum se ab illorum pendere arbitrio judicavit, *ibidem*.

Introdusă în format electronic de Google

Ex sacerdotum (ait divus Gregorius ad Anastasium augustum) nosti te pendere judicio, non illos ad suam redigi velle voluntatem, cap. 109, lib. v. — Aurum (ait divus Ambrosius) non tam pretiosius plumbo, quam regia potestate est altior sacerdotalis gradus, *ibidem*.

Sacerdotum genibus regum colla et principum submittantur, et osculata eorum dextera, orationibus eorum credunt se communiri, *ibidem*.

Sacerdotibus nihil excellentius in hoc sæculo, nihil sublimius episcopis reperiri, *ibidem*.

Solvi ab Ecclesia post mortem non possunt, qui in hac vita ab ea noluerunt absolvi, cap. 118, lib. v.

Solvere vel ligare viventes Ecclesia potest, non autem mortuos, cap. 119, lib. v.

Solvatur qui post mortem episcopi manet ligatus ab episcopi successore, cap. 121, lib. v.

Sponsalia futurarum nuptiarum sunt promissio, cap. 9, lib. vi.

Sponsa non statim tradatur sponso, ne vilem habeat maritus datam, quam suspiravit sponsus dilatam, cap. 10, lib. vi.

In sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur, cap. 11, lib. vi.

Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium; filia familias, sicut nuptiis, ita sponsalibus consentire oportet. Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur, cap. 12, lib. vi. — Dissentiendi a patre licentia conceditur, si indignus moribus vel turpis sponsus filiæ a patre eligitur, *ibidem*.

In sponsalibus ætas contrahentium definita non est ut in matrimoniis, cap. 13, lib. vi.

Sponsalia effici possunt, si non sint juniores quam septem annis, cap. 13, lib. vi. — Desponsatam alii puellam alter accipere non potest, sed tale conjugium, ait Syricius papa, anathematizamus, cap. 18, lib. vi.

Sponsus et sponsa benedictionem accepturi a paranymphis offerantur sacerdoti, cap. 20, lib. vi.

Sponsus et sponsa postquam benedictionem acceperint, eadem nocte permaneant in virginitate pro reverentia benedictionis, *ibidem*.

Sponsam fratris qui violaverit, etiam si sponsus non potuerit cum ea concumbere, non habeat sponsam violator, cap. 120, lib. vi.

Sedentes in cathedra pestilentiæ jura dictant quæ nesciunt, et docent illa quæ nullatenus didicerunt, cap. 54, lib. vii.

Samson non aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus hoc jusserat latenter, qui per illum miracula faciebat, cap. 2, lib. viii.

In Sarracenos qui Christianos persequuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt, juste pugnatur, non autem in Judæos qui parati sunt servire, cap. 29, lib. viii.

Synagogam Judæorum destruere volentem episcopum quemdam, id ne fieret cohibuit Alexander papa secundus, *ibidem*.

Stellarum interpretes magi nuncupantur, sicut de his legitur, qui in Evangelio natum Christum annuntiaverunt, postea hoc nomine soli mathematici dicti sunt, cujus artis scientia usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito, nemo exinde nativitatem de cœlo interpretetur, cap. 60, lib. viii.

Sortilegi sunt quibus nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum sortes vocant divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum sententiæ inspectione futura prædicunt, *ibidem*.

Saltatores vocati sunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt, cap. 60, lib. viii.

Saul depravatus causa peccati ad ea se contulit quæ damnaverat, ad pythonissam nempe, cap. 67, lib. viii. — Reprobus factus non poterat bonum intellectum habere, *ibid.* — Quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit quam Dominum et putans Samuelem, adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet Satanas : hoc enim nititur ut adoretur quasi Deus, *ibidem*.

Sortes omnino damnantur, nec inter Christianos debent nominari, cap. 70, lib. viii.

Non statim debemus sub exemplo Jonæ sortibus credere, vel illud de *Actibus apostolorum* huic testimonio copulare, ubi sorte in apostolum Matthias eligitur, cap. 73, lib. viii.

Sortilegam et magicam artem episcopi et eorum ministri omnibus modis studeant eliminari, cap. 75, lib. viii.

Sors non aliquid mali est, sed res in dubitatione humana divinam indicans voluntatem, cap. 77, lib. viii.

Sortibus non est indifferenter credendum exemplo Jonæ vel Matthiæ, cap. 78, lib. viii. — Non est Deus consulendus, sed exemplo apostolorum in collatione fratrum fletu et precibus ad Deum fusis est agendum, *ibidem*.

Sortes quia tractat Paschalis, et incantationes exercebat, et colebat luculos, ab archidiaconatu merito deponitur, cap. 82, lib. viii.

Septuagesima captivitatem Babylonis significat, id est confusionis in qua sumus, dum in mundo captivamur : de qua exeuntes debemus ad Hierusalem redire, id est, ad domum pacis, cap. 137, lib. viii.

Simoniace ordinatus ab officio omnino cadat, cap. 138, lib. viii.

Si quis præbendam vel prioratum, vel diaconatum, aut honorem, vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum ut puta chrisma, id est, oleum sanctum, consecrationem altarium vel ecclesiarum, interveniente exsecrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquisivit, honore male acquisito careat, et emptor atque venditor et interventor nota infamiæ percellantur, *ibidem*.

In jam dictis, nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis, ante vel post a quoquam aliquid exigatur vel ipse dare præsumat, quoniam Simoniacum est, sed libere et absque imminutione, aliqua collecta sibi dignitate perfruatur, *ibidem*.

Sacerdos cui facultas sit, una sit contentus ecclesia cap. 140, lib. viii.

T

Traditionibus in nonnullis temporis necessitati cedendum est, cap. 6, prolog.

Trinitas non confusa in una persona sicut Sabellianus dicit, cap. 1, lib. i.

In Trinitate, nihil creatum, aut serviens, et pleraque alia de sanctissima Trinitate, cap. 5, lib. i.

Trinitas non est nata ex virgine Maria, nec crucifixa, nec sepulta, nec tertia die resurrexit, nec in cœlum ascendit, sed tantum Filius, cap. 7, lib. i. — Non descendit in specie columbæ super Dominum nostrum Jesum Christum, aut die Pentecostes post Ascensionem; sed tantummodo Spiritus sanctus, cap. 7, lib. i. — Non dixit : « tu es Filius meus, » cum baptizatus est Christus a Joanne, sive in monte cum est transfiguratus, sed tantum Patris vox fuit ad Filium facta, cap. 7, lib. i.

Theophanii chronographi commendatio, cap. 115, lib. ii.

Thomæ apostoli apocryphum quoddam, cap. 127, lib. ii.

Theodosius codicem a suo nomine Theodosianum vocavit, cap. 144, lib. ii.

Traditiones quas a Patribus accepimus infringi non patiamur, cap. 156, lib. ii.

Thesaurarii officium quod sit, cap. 41, lib. iii.

Tonsuratus vel tonsurata, in qualibet minori ætate, parentibus ignorantibus, postea scientibus, sed non in his abdicantibus tonsurati maneant, cap. 186, lib. iii.

Testis esse non potest qui nec accusator, vel *qui de domo* accusatoris, producatur, vel qui est *intra quartum decimum* annum, cap. 83, lib. iv.

Testium et accusatorum affectus quærendus est inoffensus, et non suspectus, cap. 84, lib. iv.

Testes esse non possunt qui nuper fuere inimici, *ibid* — Suspecti non recipiantur, cap. 85, lib. iv. — Consanguinei et de eadem domo prodeuntes non dicant testimonium adversus extraneos, *ibidem*. — Sint absque ulla infamia aut suspicione, vel manifesta macula, et veræ fidei plenitudine debent esse instructi, et tales quales ad sacerdotium eligere divina jubet auctoritas, cap. 86, lib. iv.

Testes esse non possunt, sed neque accusatores, infames, adulteri, vel qui raptum fecerunt, vel qui cucurrerunt ad sortilegos, magosque, *ibidem*.

Quod testibus sunt convincendi episcopus, cardinalis presbyter, etc., cap, 91, lib. iv.

Testes testimonium non dicant nisi ex his quæ veraciter cognoverunt et viderunt, cap. 91, lib. iv, et cap. 19, lib. v.

Testimonio unius etiam idonei, nec Evangelium nec divina lex, nec humana quemquam condemnat, cap. 60, lib. iv, et cap. 25, lib. v.

Testibus quot damnandi sunt præsules et cardinales, cap. 91, lib. iv.

Testes septuaginta contra episcopum juxta numerum septuaginta discipulorum Domini, cap. 91, lib. iv.

Talionis pœnæ etiam se subjiciat, qui alienos servos de crimine accusat, cap. 15, lib. v. — Subjici debet, qui aliam de homicidio accusat, cap. 14, lib. v.

Testium receptio facienda non est contra absentem partem, cap. 20, lib. v.

Testes prius quam interrogentur de causa, juramento debent constringi se nihil falsi dicturos, cap. 21, lib. v.

Testimonium unius hominis non accipiatur, cap. 23,

Introdusă în format electronic de Google

lib. v — Non recipiatur nisi ejus qui bonæ estopinionis vel quem dignitas commendat, cap. 25, lib. v.

Si testis productus servus esse dicatur quid faciendum, cap 29, lib. v.

Testis inimicus ex criminali causa non dicat testimonium, sed præscriptio ejus opponatur, cap. 29, lib. v.

Testes non admittantur qui sunt socii criminum, cap. 30, lib. v.

Testi de se confesso, super alium non credatur, cap 31, lib. v.

Testes qui cogi non possunt ad testimonium contra propinquos, cap. 32, lib. v. — Quibus imperari potest, ut testes sint non sunt idonei, cap. 33, lib. v.

Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est, cap. 34, lib. v.

Testes qui varia vel falsa testimonia dixerint, vel utrique parti prodiderint, non sunt idonei, cap. 35, lib. v. — Plures ex una domo in alieno negotio nihil prohibet adhiberi, cap. 38, lib. v.

Testimonium dicere condemnata mulier prohibetur lege Julia, cap. 37, lib. v. — Dicendi in judicio jus habere mulieres ex lege Julia colligitur, *ibidem*.

A testimonio non abjiciuntur homines liberi, qui uxores fiscallinas regias, et feminæ liberæ quæ homines fiscallinos regios accipiunt, cap. 38, lib. v.

Testamentum non omnibus licet facere, cap. 60, lib. v.

Testamenti faciendi jus non habent qui alieno juri subjecti sunt, *ibidem*.

Testamentum qui possint condere, et qui non, *ibidem*.

Sub testibus duobus terminetur omnis controversia de rebus ecclesiasticis, cap. 83, lib. vii.

Treuga quibus temporibus sit servanda, cap. 147, lib. viii.

Treugam si quis frangere tentaverit, anathemati subjaceat, *ibidem*.

U

Usus qui veritati est contrarius, est abolendus, cap. 166, lib. ii.

Usura non solum esse potest in pecunia, sed etiam in cæteris rebus, cap. 160, lib. iii. — Ut omnis superabundantia quæ datur supra id quod dederis, *ibidem*. — Scriptura divina omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti, *ibidem*.

Usura est ubi amplius requiritur quam datur, cap. 161, lib. iii.

Qui in utero sunt, in rerum natura esse intelliguntur, cap. 63, lib. v.

Uxorem sterilem dimittere, et causa fecunditatis aliam ducere non licet, cap. 28, lib. vi.

Uxor a quibus petenda et quomodo danda, cap. 31, lib. vi.

Qui uxorem et concubinam habet, non communicet, cap. 49, lib. vi.

Uxores plurimas simul habere Christiano non est licitum, nisi unam tantum, cap. 50, lib. vi.

Sine uxore si quis constitutus ancillam suam nomine habeat concubinam ad mortem usque et ex ea liberos, ipsa cum sobole sua post mortem domini libera maneat, cap. 51, lib. vi.

In uxorem meretricem ducere non est peccatum, sed is qui hoc facit, potius est laudandus, qui ex mala bonam fecerit, cap. 57, lib. vi.

Uxoris post mortem crimen esse dicebat Tertullianus secundam ducere uxorem, cap. 60, lib. vi.

Uxorem alteram post mortem, Sara licite duxit Abraham, *ibidem*.

Sine uxoris voluntate qui abstinet, tribuit ei fornicandi licentiam, cap. 79, lib. vi.

Uxor nihil de sua veste, nihil de auro vel argento vel quacunque pecunia, vel de rebus ullis terrenis suis sine arbitrio mariti facere debet, cap. 80, lib. vi.

Ad uxorem redire cogatur, qui sine illius consensu vestem monachalem suscepit, etiam si sit tonsuratus, cap.

Uxor quæ virum suum in captivitatem ductum sequi 84, lib. vi.

noluerit, quandiu vir vivet innupta maneat, cap. 91, lib. vi.

Uxores ad aliud matrimonium migrare non valent donec certum est maritum in captivitate vivere, cap. 90, lib. vi.

Si quis uxorem virginem habuit ante baptismum, vivente illa, post baptismum alteram habere non potest, cap. 98, lib. vi.

Uxor etsi sterilis vel deformis, cæca, clauda vel morbis et doloribus confecta, nunquam est dimittenda, excepta causa fornicationis, cap. 104, lib. vi.

Uxorem sterilem posset homo dimittere, et ducere de qua filios habeat, et tamen non licet, cap. 103, lib. vi. — Dimittere vel maritum non potest, etiam si conjuges non se filios habituros sciant, *ibid*.

Non est uxoris voluntate fas, aliam adhibere, ut ex ea filios procre et communes, *ibidem*.

Uxorem dimittere causa dissidii non licet, priusquam Ecclesiæ probetur, cap. 106, lib. vi. — Ancillam quam putabat liberam, si quis ingenuus acceperit, si postea servam sciat, si potest, eam a servitute redimere faciat et retineat : si non potest et voluerit, accipiat aliam, cap. 111, lib. vi. — Aliam potest ducere vir, cui ob infirmitatem correpta mulier debitum reddere non valet, cap. 112, lib. vi.

Uxorem suam nulla ex causa extra causam fornicationis dimittere audeat, quod si fecerit, communione privetur, cap. 1, lib. vii.

Uxor a viro aut vir ab uxore si causa fornicationis discesserit, alteram habere prohibetur, cap, 2, lib. vii.

Uxorem dimittere nulla ex causa, excepta fornicationis causa, licet, cap. 3, lib. vii.

Uxoris crimen qui celat, patronus turpitudinis est, cap. 8, lib. vii.

Uxore vivente potius aliam ducat quis, quam sanguinem fundat humanum, cap. 17, lib. vii.

Qui uxorem accipit, alienam rem cum ea habituros si possit, non minus reus quam si in ipso facto deprehenderetur, cap. 19, lib. vii.

Uxor in libera custodia est ponenda et non in potestate mariti cum judicium sit agendum, sive de fœdere conjugum, sive de crimine adulterii, cap. 24, lib. vii.

Cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando non licet, propter enim processionis dies aliquando convenire non licet, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quid postulatur, cap. 26, lib. vii.

Uxor virum et vir uxorem licite dimittere potest, non tantum propter illicitas concupiscentias quæ in stupris cum alienis viris ac feminis committuntur, sed omnino propter quaslibet quæ animam corpore utentem male a lege Dei aberrare faciunt, cap. 30, lib. vii.

Uxor licite dimittitur quæ virum suum ad hæresim trahere conatur, cap. 30, lib. vii.

Uxorem suam fornicationis causa dimittere non potest, qui fornicatur, cap. 31, lib. vii.

Uxor sine culpa relinquitur, quæ cum viro suo Christiano permanere, voluerit, cap. 32, lib. vii.

Uxoris amore non est a fide recedendum, cap. 33, lib. vii.

Uxor non dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem, *ibidem*. — Quæ idolum colit nec resipiscit a viro dimittatur cap. 16, lib. vii — Quæ non subjicitur viro, id est, capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus et vir, si non subjiciatur capiti suo Christo, cap. 46, lib. vii.

Uxorem in quarta generatione accipere ante tempus divi Gregorii non licebat et Zacharias papa ait de ea re, quod Christianis licitum non est, cap. 58, lib. vii. — Compatris ducere potest is cujus ipsa commater non fuerat, cap. 67, lib. vii. — Nemo ducat sine benedictione sacerdotis, cap. 78, lib. vii. — Dimittere nisi consanguinitate probata coram Ecclesia non licet, cap. 82, lib. vii.

Ultores divinæ iræ sunt non solum homines et ministri, sed et contrariæ fortitudines quæ appellantur furor et ira Dei.

V

Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minime in Ecclesia leguntur, cap. 120, lib. ii. — Patrum ab orthodoxis scriptæ suscipiuntur et leguntur, cap. 120, lib. ii.

Virgines ante vicesimum quintum ætatis suæ annum non consecrentur, cap. 30, lib. ii.

Vendentes in templo Dei sunt qui hoc quod quibusdam jure competit ad præmium largiuntur, cap. 109, lib. iii.

Vendere columbas est impositionem manus, qua Spiritus sanctus datur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare, cap. 120, lib. iii.

Vendentes vel ementes honores ecclesiasticos nullam sui ordinis potestatem exercere permittas, cap. 122, lib. iii.

Vendit quisquis horum alterum, sine quo nec alterum haberi provenit, neutrum vendere non relinquit, cap. 125, lib. iii.

In vitio vel decipere posse vel decipi, non multum distat, cap. 175, lib. iii.

Victoriæ spe nolo pugnare, ne perdam aliquando victoriam, cap. 176, lib. iii.

Virginibus velandis sacrum velamen non ponatur, nisi aut in Epiphania aut in aliis paschalibus aut in apostolo-

Introdusă în format electronic de Google

rum natalitiis et non ante viginti quinque annos, cap. 189, 190, 191, lib. III.

Virgo quæ virginitatem vovit, si nupserit, damnationem habebit, cap. 192, lib. III.

Virgines quæ post consecrationem nupserunt incestæ sunt, cap. 193, lib. III.

Cum velata et consecrata si quis concubuisset ab omni gradu prohibebatur sacerdotii apud Græcos et Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, cap. 192, lib. III.

Viduæ velari non debent, cap. 195, 197, lib. III.

Virgines a presbyteris non debent, etc., cap. 196, lib. III.

Viduis quæ sacrum velamen acceperunt, non licet a sacro proposito discedere, cap. 198, lib. III.

Vidua votum continentiæ professa, non potest votum deserere, cap. 199, lib. III. — Ante professionem nubat cui velit, cap. 200, lib. III.

Viduitatis professionem coram episcopo factam, nulli violare licet, cap. 201, lib. III.

Viduæ et virgines post propositum religionis ad nuptias transire non possunt, cap. 203, lib. III.

Virgines et viduæ a proposito virginitatis et viduitatis discedentes, damnantur, cap. 204, lib. III.

Vidua eligatur non minus sexaginta annorum et quales debeant esse viduæ, cap. 208, lib. III.

Virgines quæ plurimis annis in monasteriis ætatem egerunt, nubere prohibentur, cap. 208, lib. III.

Veritatem impedire solet propinquitatis, familiaritatis ac dominationis affectio, cap. 85, lib. IV.

Victus injuste intra tres menses reparet causam, cap. 44, lib. V.

Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed eum habent quem habere non licet, cap. 65, lib. V.

Vincula justa disrumpunt justitiam, cap. 83, lib. V.

Vita non sententia quemlibet ligat, cap. 132, lib. V.

Virginitas Mariæ beatissimæ Dominæ nostræ fefellit principem mundi, cap. 25, lib. VI.

Viduam si quis rapuerit in uxorem, anathema sit, cap. 54, lib. VI.

Virginem si quis rapuerit nisi desponsaverit in uxorem, anathema sit, *ibidem*.

Vidua est cujus maritus mortuus est, cap. 68, lib VI.

Vir et uxor religionis causa non divertant sine episcopi conscientia, cap. 76, lib. VI.

Vota continentiæ vir non potest rescindere, quæ assensu ejus uxor promiserat, cap. 80, lib. VI.

Qui vota tua expetit, ipse te adjuvabit, cap. 81, lib. VI.

Vovenda non sunt talia conjugatis, nisi ex consensu et voluntate communi, *ibidem*. — Etsi prope factum fuerit magis est corrigenda temeritas quam solvenda promissio, *ibidem*.

Qui vovit tanto erit inferior, si fidem Deo fregerit, quanto beatior si persolverit, *ibidem*.

Votum continentiæ uxor non potest suscipere nisi et vir tantumdem faciat, cap. 83, lib. VI.

Vir in monasterium recipiendus non est, nisi uxor illius femineum monasterium elegerit aut professa continentiam habitum cum festinatione mutaverit, cap. 85, lib VI.

Vir, qualiscunque sit, ex quo semel placuit, non est dimittendus, cap. 103, lib, VI. — Contra quem probatum est quod non potuerit uxorem suam cognoscere, si separatus ab illa aliam duxerit, separetur etiam a secunda, cap 115, lib. V. — Qui frigidæ naturæ est maneat sine conjuge, cap. 116, lib. VI.

Viris quidquid præcipitur, hoc consequenter redundat in feminas, cap. 3, lib. VII. — Æque non licet quod non licet femiuis et eadem servitus pari conditione censetur, *ibidem*.

Viro (a) dimissam qui duxerit, mœchatur, capp. 4, 5 et 7, lib. VII.

Vir caput mulieris est, cap. 46, lib. VII.

Vovere non potest mulier, si viri vel patris non intervenial auctoritas, cap. 47, lib. VII.

Vota abstinentiæ quæ mulier permittente viro promiserit, prohibente illo servare non cogitur, cap. 48, lib. VII

Vindictæ officia boni bono animo implere possunt, cap 48, lib. VIII.

Vis et injuria propulsanda est, cap. 56, lib. VIII.

Vaticinatores qui se futura denuntiant scire, ejici de civitate jactentur, cap. 71, lib. VIII.

Veritas ipsa est ut quod est dicas, nam quomodo est veritas ubi regnat falsitas? cap. 128, lib. VIII.

Verum tacere aliquando, falsum autem dicere, non invenitur sanctis concessum, cap. 130, lib. VIII.

Veritatem nonnulli habent in labiis, et in corde non habent, cap. 134, lib. VIII.

Verum loqui parum est nisi etiam in corde illa sit, *ibidem*.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

D. IVO CARNOTENSIS EPISCOPUS.

Notitia historico-litteraria I

Dissertatio de Decreto Ivonis aliisque antiquis canonum collectionibus Gratiano anterioribus. XLIX

Prolegomena editionis Operum Ivonis anni 1647. 9

D. Ivonis Decretum. 47

— Panormia. 1057

INDICES locupletissimi, in Decretum et Panormiam 1345

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI PRIMI.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

Introdusă în format electronic de

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format

3 2044 015 473 853

...is book should be retu
...ibrary on or before the
...ped below.
...fine of five cents a day
...taining it b...

STALL

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 (617) 495-2413

NOV 17 1995

WIDENER
NOV 29 1995
CANCELLED

Introdusă în format electronic de Google

Introdusă în format electronic de Google